1.646 (I-II)

...0.304.
...us indicijs aliquē
...n iudicare, violen
...dicium, quam te-
...tur, & ideo mor-
...e peccatum non est. 791.
304.

An sit peccatum suspicari, dubitare, vel actum suspendere, cum suficientibus indicijs. 791. 305.

Iudicium quod nec temerarium, nec violentum est, sed medium (quod probabile merito appelles) non videtur esse peccatum mortale, 791.305.

Iudicare proximi intentionem in re graui, nisi violenta atque vrgentia, vel saltem probabilia signa exterius appareāt, peccatum iudicij temerarij est. 791. 306.

Existimatio, qua quis absque sufficientibus signis cogitat aliquem ex genere descendere iudæorum, vel alium similem habere defectum, non videtur esse peccatum mortale, dummodo ea cogitatio mente retineatur, nec cum alijs de huiusmodi defectibus confabulatio miscatur. 792.307. *Item*. 793 309.

In prædicto tamen casu illa temeraria cogitatio mente retenta contra charitatem esse videtur sed non mortaliter, confabula... autem peccatum erit morta

...792.307. *Item*.

... Medinæ opinio dicens mortale peccatum esse sine sufficientibus inditijs eum qui antea bona de aliquo opinionem habebat, iudicium suspendere, circa defectum aliquē in re graui. 794.310. & sequenti.

Temerarium iudicium mente retentum, licet essentialiter sit iniustitia, ad restitutionem tamen non obligat. 79... 31...

Contra iustitiā directe peccat & tenetur restituere iudex, qui ob suum temerarium, suspiciosumque iudicium, ad actum procedit exteriorem, aliquem scilicet condemnando. 795. 313.

An qui ex iudicio temerario detrahit, contra iustitiam faciat, & restituendi obligationem incurrat. 795. 314. *Item*. 796. 315.

Iustitia.

IVstitia est dare vnicuique, quod suum est 156.179.

Lege iustitiæ is qui falsam docuit doctrinam, tenetur proximum ab errore reuocare. 77. 82.

Qui habens docendi officium ob negligentiam vera non docet, iniu

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

Fortuna, & ...tus.

FOrtuna dicitur, quod præter intentionem contingit, id si bonum fuerit, bona fortuna, si vero malum, infortunium vocatur. 99 118.

Quis fortunatus, & quis contra infortunat' dicatur? 106. 118. *Item*. 107.120.

Homo dicitur bene vel male fortunatus, Primum, ex Deo dirgente, deinde ex Angelo custodiente, postremo ex cęlo inclinationem imponente. 9.118.

Quo pacto aliquem fore fortunatum, ex cęlo aut cognosci, aut non cognosci queat? 106.9.

Frater.

FRater respectu sororis eius curæ non commissæ, nec in eadē domo habitātis, non habet superioris potestatem, tametsi, per modum correctionis ad vitanda maiora damna eam, si leuior esset, leuiter percutere posset. 549.447.

Frater respectu sororis pedagogi instar esse videtur, si in eadem domo habitent, vel eius curæ specialiter illa commissa fuerit. 598.446.

G.

Gloria inanis.

QVErere gloriam apud homines de se malum non est. 505.

Inanis gloria quid sit, & quotupliciter contingat eam quærere. 582.506.

Appetitus inanis gloriæ, malus & illicitus est. 582.506.

Cur gloria humana vanitatis peccatum sit. 583.508.

Inanis gloria tribus in casibus mortale peccatum est, alias vero veniale tantum erit. 584.510. *Item*. 585.511.

Gratia.

GRatiæ amisio scienter fit, omninoq, voluntarie. 75.77.

Scholasticorum pleriquè aiunt lædentem in gratiæ bonis, ad restitutionem efficaci exhortatione, vel saltem ad Deum oratione faciendā, omnino obligari. 73.74. &.75.

Hæc opinio teneri posset in eo casu, quo quis fraude, dolo aut metu graui, alium ad peccandum seducendo inducit. 75.79. & 80.

Grauiter peccat, qui in gratiæ, virtutumq, bonis lędit, sed nec iniuriam facit, nec ad restitutionem obligatur. 75.78.

Qui ad peccandum alium inducit, non tenetur ad gratię restitutionem ex speciali lege iustitiæ, sed tantum lege charitatis. 74. 76.

Deus gratiam, quæ ex opere opera

to est in sacramentis, dat, secundum mensuram fidei, & dispositionis. 228. 274.
Sacrificium missæ conferre gratiæ augmentum ex sua institutione quidam existimant, sed res plane dubia est. à 269. vsquê. 271

H.

Hæresis.

HAEresis ab electione dicta est a patribus 646. 81.
Hæresis non ab Hæreo, latino vocabulo, sed â Græco nomine electionē significante deriuatur 648. 81.
Hæresis diuisionem non significat 648. 81.
Hæresis definitio. 647. 80.
Hæresis vt cancer serpit. 645. 76.
De intrinseca hæresis ratione est pertinacia. 647. 80.
De ratione hæresis adeo est explicata cognitio, qua qui se ecclesiæ iudicio renititur, vt crassa laborans ignorantia, hæreticus vere & formaliter non sit, tametsi qui per affectatam ignorantiam errat, vere sit hæreticus, doctissimis nihilominus reluctantibus. 651. 88. Item 652. 89.
Cur simonia hæresis est à patribus appellata? 281. 387.
Hæresis VValdensium, & aliorum asserebat, nullum homine posse occidi iuste, etiam publica authoritate. 309. 3.
Hæresis circuncelionum aut circuitorum aiebat, licitum esse quempiam se occidere. 317. 19.
Hæresis Petiliani pro peccato commisso licere se pœnitentiæ causa occidere. 360. 100. Itē. 322 30.
Helcheseitarum hæresis asserebat Christum Dominum in tormentis ore negari posse, dum modo corde fixe eius fides retineretur. 360. 59.
Hæreticam vocat Castro illam doctrinam, quæ ait tyrannum occidere esse licitum. 474. 308. & deinceps.
Iuxta legem charitatis, res familiaris exponenda est, pro proximi vita corporali tuenda, quādo is eam defendere nequit. 529 413. secus vero quando quasi dedita opera, ille ex malicia vitam periculo offert. 517. 388. Item. 528. 41. quôd si ex vehementi passione aut ignorantia id faceret, fortasse lege charitatis liberandus esset, notabili etiam pecunia oblata. 528. 412. Item. 529.
An licitum sit hæreticum occidere Vide Homicidium.

Hæ-

ad inquirendum moueatur. 622 37.
Quæ quantaq, huiusmodi infamia esse oporteat, vt ex illa ritê ad inquisitionem procedatur. 623. 39.
An ad iuridicam inquisitionem, non peccati modo, sed & peccatoris infamia requiratur. à 625. 44. vsq, ad 630. 53.
Consuetudo iudicum qua facinonore existente manifesto, malefactores inquirunt, non est contra iura, aut leges, sed potius secundum ius naturæ. 629. 50.
Iudices si intelligant testes ob ignorantiam personam secretam esse in iuste prodituros, tenentur eos, si commodè absq, nota possunt instruere, aut locum peritum consulendi præbere. 630. 52.
Quando infamatus de vno crimine, ritê a iudice interrogari possit de alio eiusdem speciei. 632. 57.
Num reum de vno crimine conuictum possit iudex de socijs occultis interrogare. 632. 57. & deinceps.
Non placet sententia Greg. Lopez dicentis solam publicitatem quę sufficit ad torturam, ad interrogationem sufficere. 621. 35.
Actus iudicandi non requirit in iudice eam sanctitatem, quam sacramenta, & actus ordinum in suo ministro exigunt. 759. 312.

& 313 ere debet Reo tempus
Iudex præ nis atq, eucharistiæ vt cōfess sacramentscipiat, explicatur etiam quibus fieri possit. à 419. 210. vsq, 422, 215.
Vide verberatio.

Iudicium temerarium

IVdicium temerarium est, proximi opus, quod benè, maleque fieri potest, in malam partem determinate leuibus insufficientibusque indicijs accipere. 789. 302.
Veniale solum peccatum est, proximo peccatum veniale imponere, aut illud absque vlla, ne leui quidem ratione suspicari, aut etiā determinate iudicare. 789. 302.
Dubitare an quisquiam mortaliter peccet, veniale peccatum est, immo iuxta Cai. id credere, ita tamen vt etiam adsit saltem interpretatiuê credulitas de opposito, ad iudicium non perueniet temerarium. 787, 302. Item. 790 303.
Certo credere quempiā mortaliter peccare, ex leuibus, atq, insuficiētibus indicijs, iudicium temerarium est, ac subinde pecc

DIRECTORIVM
SIVE MANVALE
PRAELATORVM
REGVLARIVM.

PRIMVS TOMVS.

AVTHORE FRATRE LVDOVICO DE MIRANDA;
Ordinis Minorum Regularis obſeruantiæ, Prouinciæ Sancti Iacobi
Prouinciale Miniſtro, in Salmanticenſi Academia Le-
ctore jubilato, ac officij ſanctæ Inquiſitio-
nis iam olim Qualificatore.

AD REVERENDISSIMVM, SAPIENTISSIMVMQVE
Patrem Magiſtrum, Fratrem Ludouicum Aliaga, Chriſtianiſſimi, inui-
ctiſſimique Regis noſtri Philippi Tertij, à ſacris confeſsionibus
& ſupremis Conſilijs, Status ac ſacræ gene-
ralis Inquiſitionis.

PALENCIA

CVM PRIVILEGIO.

EXCVDEBAT SALMANTICÆ
Suſanna Muñoz, Anno à Chriſto nato.
M DC XV.

TASSA.

YO Geronymo Nuñez de Leõ, Secretario de Camara del Rey nuestro señor de los q̃ residẽ en su Cõsejo, doy fè q̃ auiẽdose visto por los Señores del, vn libro intitulado *Manuale Prælatorũ Regulariũ*, primero tomo, cõpuesto por el Padre fray Luys de Miranda, de la Orden de señor san Francisco, Lector jubilado, y Prouincial de la Prouincia de Santiago, que con licencia de los dichos Señores fue impresso. Tassaron cada pliego de los del dicho libro à quatro marauedis, y parece tener ciento y cincuenta y cinco pliegos, que al dicho respecto, monta seyscientos yveynte marauedis, y à este precio mandaron se vendiesse y no à mas, y que esta tassa se ponga al principio de cada libro de los que assi se imprimieren. Y para que dello conste, de mandamiento delos dichos Señores del Consejo, y de pedimiento del dicho Padre fray Luys de Miranda, doy esta fee. En Madrid à quinze de Abril de 1614.

Geronymo Nuñez de Leon.

ERRATA.

PAG. 17.col.2.lin.27.dolatræ.leg.idolatræ. pag.24.lin.53.tenuis.l. tenues.pag.26.col.2. lin.23.venirẽ. le.ventrẽ.pag.27.col.2.lin.19.disciplet.le. displicet.pag.37.col.1.lin. 17.inferis.lẽ. inferias.li.32. aduersatur.le.auersatur.pag.40.col.2.lin.45. incusabiles.le.inexcusabiles.pag.55.col.2.li.44.eis.leg. eos pag.61.col.1.lin.17.idotræ.le.idolatræ.pag.64.col.2.lin.50. sanitati.leg. sanati.pag.72.colum.1.lin.10. dum.leg. num.pag.73.colu.1. lin.36. exempla.leg.exẽplar.col.2.li.14. Dominici.le. Dominicæ.pag.74.col.2. lin.3.eandẽ.le.eadẽ. li.16.Episcopa.le.Episcopi.pag.103.col.2.lin.14. deornatio.leg.deordinatio.pa.109.col.2 lin.6.Deos suos.leg.Deo suo.pag.123.col.2.lin.vlt.cæder.le.cedere.pag.125. col.2.lin.10.Lidiæ.le. Lybiæ.pa. 147 .colu. 1.lin. 47.pareat.leg. parcat.pag.196.col.2.lin.45.deputati.leg.deputatæ.pag.207.col.2.lin.37. viuitu rus.leg.victurus.pag.289.col.1.lin.9.pollutionũ. leg. pollutionẽ. pag.732.col.1.lin.36.mea.leg.in ea.pag.334. col.2. lin. vlti. oppositis.leg. oppositi.pag.350.col.2.lin.1.dubeitatem.dubeitas.le.dubietatem.dubietas.pag. 418.col.1.lin.vlti.malefacio. leg.malefico.pag.420.col.2.lin.15.virum.leg.vinum.pag.513.col.1.lin.20.petatis. leg.pietatis.pag. 606. co.1.lin.36.vititũ.leg.vitium.pag.611.col.1. lin. 1.probitione.le.prohibitione. pag.666. co.2. li.9.&.leg.est.pag.767.col.1.lin.10.permutationem.leg.permutationum.pag.771.co.2.li.48.constitus.leg. constitutus. pag.809.col.1.lin.11.locum. leg.loco.

Con estas Erratas esta impresso conforme à su original, este libro intitulado (Manuale siue Directorium Prælatorum Regularium tom.1.&c.) en fee de lo qual lo firme. En Salamanca oy 18. de Abril 1614.

El Corrector, &c. *Manuel Correa de Monte Negro.*

EL REY.

POR quanto por parte de vos Fray Luys de Miranda de la Orden de S. Francisco, Lector jubilado, y diffinidor de la Prouincia de Santiago, residente en el Conuento de S. Francisco de la Ciudad de Salamanca, nos fue fecha relacion, que vos auiades compuesto vn libro intitulado, Manuale Prælatorum Regularium, en dos cuerpos, en los quales se trataua con resolucion, las questiones y difficultades, que ansi à los Religiosos subditos como à los Prelados se podian offrecer en el ministerio de sus officios, y cumplimiento de sus obligaciones, el qual auiades compuesto con mucho estudio y trabajo, y nos fue pedido y suplicado os mandassemos dar licencia y facultad para le poder imprimir, y priuilegio por diez años, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por lo qual por os hazer bien y merced os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corran y se cuenten desde el dia de la fecha della, vos ò la persona que vuestro poder ouiere, y no otro alguno podays imprimir y vender el dicho libro que de suso va fecho mencion, por el original que en nuestro Consejo se vio, que va rubricado y firmado al fin de Christoual Nuñez de Leon nuestro Escriuano de Camara, de los que en el residen, con que antes que se venda lo traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impresion esta conforme à el, ò traygays fe en publica forma, en como por el Corrector por nos nombrado se vio y corrigio la dicha impresion por su original. Y mandamos al impressor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro con el original al Autor ò persona à cuya costa se imprimiere, y no otro alguno para effecto de la dicha correction y tassa, hasta que primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro Consejo, y estando assi y no de otra manera pueda imprimir el dicho libro principio y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta nuestra licencia y priuilegio, y la aprobacion tassa y erratas, so pena de caer è incurrir en las penas contenidas en la pragmatica y leyes de nuestros Reynos que sobre ello disponen, Y mãdamos que durante el dicho tiempo de los dichos diez años, persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir ni vender, so pena que el que lo imprimiere aya perdido y pierda todos y qualesquier libros, moldes y aparejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la qual dicha pena sea la tercera parte para la nuestra Camara, y la otra tercera parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra tercera parte para la persona que lo denunciare. Y mandamos à los del nuestro Consejo Presidente y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y Corte y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes mayores y ordinarios, y otros Iuezes y justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, assi à los que agora son, como à los que seran de aqui adelante, que vos guarden esta nuestra cedula, y contra su tenor y forma, y de lo en ella contenido, no vayan ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en S. Lorenço à 13. dias del mes de Iunio, de 1609. años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor. *Iorge de Tovar.*

Approbatio facta à doctiſsimo Patre, Ludouico Ferrer Ieſuita, ex commiſsione ſupremi regalis conſilij.

EX commiſsione ſupremi Regij Senatus, perlegi primum tomum, libri cui titulus eſt, *Manuale Prælatorum Regularium*, Auctore reuerendo admodum Patre, Fratre Ludouico de Miranda, in Salmanticenſi cœnobio Seraphici Sancti Franciſci, ſacræ Theologiæ iubilato Lectore, ac in eadem ſacra Religione, pro Sancti Iacobi Prouincia digniſsimo Diffinitore. In quo quidē libro, permultæ quæſtiones mira ſubtilitate & claritate tractantur, & auctorum grauiſſimorum ſententijs ſumma eruditione, diſſoluuntur atque elucidantur. Itaut difficile valde ſit iudicare, quid in libro prædicto admiratione magis reperiatur dignum, in tanta quæſtionum multitudine & varietate tractanda, ſubtilitas coniuncta cum claritate, an vero in eiſdem diſſoluendis facilitas cum veritate, ſeu potius in confirmatione corū, quæ dicuntur & elucidantur, tam mira antiquorum Sanctorum Patrum & ſapientiſsimorum virorum, ſummorumque Pontificum & ſacrorum Conciliorum cumulata eruditio. Hoc vnum certiſsimum eſt, eiuſmodi librum, cunctis ipſum legentibus ac manu terentibus futurum valde vtilem, Religioſis autem viris, non ſolum vtilem, verumetiam iucundum atque gratiſsimum, quinvero ſibi ſummopere neceſſarium. Siquidem in eo multa, quæ pro ſua ambiguitate, obſcuritate, vel etiā præ ignorantiæ tenebris in Religioſorum ſtatu (vt grauiter dilaberentur) Prælatis erant valde offendiculo, eiuſdem ſplendore luce clarius eluceſcunt, fiuntque cunctis peruia, clariſsima atq; notiſsima. Quapropter digniſsimum iudicaui, hoc opus quamcitius vt typis mandetur, in cuius rei teſtimonium & fidem, has literas propria manu ſubſcripſi, Matriti in noſtro Societatis Ieſu Imperiali Collegio.

Ludouicus Ferrer.

Licentia facta atque conceſſa, à Prouinciali Miniſtro Prouinciæ D. Iacobi.

FRater Franciſcus Duran, Prouinciæ S. Iacobi Ordinis Minorum Regularis obſeruantiæ, Prouincialis Miniſter & ſeruus, reuerendo admodum Patri, Fratri Ludouico à Miranda, eiuſdem Prouinciæ quondam diffinitori ac Patri benemerito, & in noſtro Salmanticenſi Conuentu ſacræ Theologiæ Lectori iubilato, ſalutem &c. Cum ex certa multorum relatione, ac propria noſtrorum oculorum inſpectione, nouerimus te Enchiridion ſiue Manuale quoddam, pro Religioſis cunctis, ſed maxime pro Prælatis Regularibus, ſumma tua ſapientia & eruditione compoſitum habere, vtque in lucem ad communem omnium vtilitatem prodeat iã paratum exiſtere, in idque noſtrã licentiam & facultatẽ deſideres, poſt quam iuxta ſacri Concilij Tridentini decreta, inſpiciendum illud atque examinandum, pro noſtri muneris & officij ratione, viris quammaxime eruditis & doctis tradidimus, à quibus etiam magna cum laude approbationem accepit, præſentium tenore in idipſum tibi copiam facimus, quinvero ad maius meritum, per obedientiam tibi præcipimus, vt poſt adeptam (vt moris eſt) regij Senatus licentiam, quam primum librum prædictum typis mandes, in cuius rei teſtimonium & fidem, has literas manu noſtra ſubſcriptas, officij noſtri ſigillo maiori muniuimus. Datis in noſtro Salmanticenſi Conuentu, 20. die, Ianuarij, Anno 1608.

Fr. Franciſcus Duran,
Prouincialis Miniſter.

Approbatio ex commiſsione Prouincialis Miniſtri Prouinciæ D. Iacobi.

EX mandato & commiſsione, noſtri admodum reuerendi Patris, Fratris Franciſci Duran, huius almæ Prouinciæ Diui Iacobi, digniſsimi Prouincialis Miniſtri, omni qua potui, cura & diligentia, vidi atque perlegi librum, cui titulus, Enchiridion ſiue Manuale Prælatorum Regularium, in duos diuiſum tomos, cõpoſitum per reuerendum admodum Patrem, Fratrem Ludouicum à Miranda, eiuſdem Prouinciæ quondam Diffinitorem, ac ſacræ Theologiæ Prælectorem quem vt vere fatear inoffenſo decurri pede, nihilque in eo omnino reperiri potui, quod non authoris ſapientiam, eminentiam & eruditionem quammaximã redoleat, aut vllo modo contrarium ſit ſacræ paginæ & Eccleſiæ Catholicæ determinationi, bonisve moribus, quinvero pro Religioſis cunctis, ſed maxime pro Prælatis Regularibus, plura ac fere innumera in eo continentur, quammaxima conſideratione digna, & ob auctoris claram, diſtinctam atque accuratam rerum tractationem, necdum Theologis, verumetiam & iuriſprudentiam profitentibus, vtiliſsima, ſummopereque neceſſaria, quapropter dignum iudico, vt liber iſte quamcitius typis mandetur, & in idipſum licentia auctori concedatur, in quorum fidem has literas manu propria ſubſcripſi. Datis Salmanticæ in noſtro ſacro Diui Franciſci Conuentu 16. die, Ianuarij, Anno 1608.

Fr. Franciſcus de Herrera,
Sacræ Theologiæ Lector.

Licentia Reuerendiſsimi Patris Fr. Archangeli à Meſſana, totius ſacri Apoſtolici Ordinis Minorum, Generalis Miniſter.

FRATER Archangelus à Meſſana, totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & ſeruus, reuerendo in Chriſto Patri, Fratri Ludouico de Miranda Hiſpano, noſtræ Prouinciæ S. Iacobi quondam Diffinitori, & in Salmanticēſi Academia ſacræ Theologiæ Lectori iubilato, necnon & cauſarum ſancti officij qualificatori, nunc autem actuali noſtro ſecretario, ſalutem in Domino & paternam benedictionem. Super ſpeculam ſacri noſtri Ordinis conſtituti, cum nec minima ſit noſtri muneris & officij cura, Seraphicæ & Apoſtolicæ Religionis noſtræ & totius Eccleſiæ bonum promouere, ac eos qui in idipſum ſtrenue laborant, modis omnibus iuuare, acceperimusque poſt plurimos à te in Hiſpaniarum partibus Latino & vulgari ſermone iam pridem conſcriptos, typisque mandatos libros, habere modo Enchiridion ſiue Manuale Prælatorum Regularium, per multos ſacri noſtri Ordinis Patres, præuiſum & approbatum, necnon & Hiſpaniarum Regis priuilegio munitum, quod nec modicam quidem, quinvero maximam Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem ſperamus allaturum, ipſumque ad communem omnium vtilitatem in publicum prodire deſideres, præſentium tenore in idipſum tibi copiam facimus, quinvero cum merito ſalutaris obedientiæ præcipimus, vt poſtquam illud coram reuerendiſsimo Patre Magiſtro ſacri Palatij præſentaueris, ſolitamque ab eo approbationem obtinueris, cum noſtra benedictione prælo ipſum mandare poſsis. In quorum fidem has literas noſtra propria manu, & officij noſtri ſigillo maiori muniuimus. Datis Romæ nonis Octobris, Anno 1610.

Fr. Archangelus à Meſſana,
qui ſupra manu propria.

Approbatio facta à reuerendo admodum Patre Fr. Ioanne à Cartagena, ſacræ Theologiæ Prælectore iubilato, Romæ in Conuentu S. Petri montis aurei.

EX commiſsione reuerendiſsimi noſtri Patris Fr. Archangeli à Meſſana, totius Ordinis Fratrum Minorum digniſsimi Generalis Miniſtri, necnon & ſapientiſsimi & reuerendiſsimi Patris, Fratris Ludouici Yſtella, Magiſtri ſacri & Apoſtolici Palatij, perlegi omni qua potui diligentia, attentione & conſideratione, opus, cui titulus, *Manuale Prælatorum Regularium*, in duos tomos diuiſum, compoſitum per reuerendū admodum ac grauiſsimum Patrem, Fratrem Ludouicū de Miranda, ſacræ Theologiæ Lectorem iubilatum, ac totius noſtri Ordinis Minorum de obſeruantia diſertiſsimum Secretarium: in quo quidem opere atteſtor nihil omnino me reperiſſe quod Catholicæ fidei, bonisve moribus, vtcumque videatur contrarium, quinvero obſeruaſſe ſummopere, prædictum auctorem adeo plene huic argumēto ſatisfeciſſe, vt in eo genere (quod vere fatear) nullum hucuſque doctiorem, luculentiorem, ac copioſiorem librum crediderim in lucem prodiiſſe, ob quod dignum iudico, vt ad publicam totius Eccleſiæ vtilitatem, quam primum prælo mandetur. In cuius rei fidem &c. E regali noſtro Conuentu S. Petri in monte aureo prima die Februarij, Anno 1612.

Fr. Ioannes à Cartagena,
ſacræ Theologiæ Lector.

REVERENDISSIMO ATQVE SAPIENTISsimo Domino & Patri Magiſtro, fratri Ludouico Aliaga, Chriſtianiſsimi inuictiſsimique Regis noſtri Philippi Tertij à ſactis cõfeſsionibus, ſupremiſque conſilijs Status & generalis ſanctæ Inquiſitionis, Frater Ludouicus de Miranda, Ordinis ſancti Franciſci regularis obſeruantiæ, Prouinciæ ſancti Iacobi Miniſter. Salutem atque perpetuam fœlicitatem exoptat.

IAm (Reuerendiſsime ſapientiſsimeque Magiſter) (omniũ virtutum genere & perfectione ornatiſsime) Manualis noſtri ſine Directorij Prælatorum Regularium Primus tomus, Romæ olim primo editus, ac ſanctiſsimo D. N. Paul. V. dicatus, ab eodemque benigniſsime, pro eximia ſua humanitate & in me beneuolentia exceptus, aliquali maiori ſtudio & diligentia, in his Hiſpaniarum partibus elimatus, perfectus atque correctus, iterum nunc in lucem prodit, ſub ſuffugio & protectione clariſsimi tui & ſplendidiſsimi nominis. Secundum eiuſdẽ libri tomum, quem etiam Romæ exiſtens, Illuſtriſsimo D. D. Pomp. Arigonio S. Rom. Eccleſiæ Cardinali, ordiniſque noſtri Protectori conſecraui, Reuerendiſsimo nũc Patri noſtro fratri Antonio à Trejo, noſtræ ſeraphicæ & Apoſtolicæ Ordinis digniſsimo generali miniſtro, amicitiæ fœdere ſummopere tibi coniunctiſsimo, pro mea etiam in eundem obſeruantia, dilectione & amore, dicandum atque conſecrandum duxi. Nequidem id immerito, quin vero maxima cum ratione, validiſsimoque fundamento, vt vel ſic, his meis munuſculis (exiguis licet) laborum meorum tot mihi præſtantiſsimos ſapientiſsimos, religioſiſſimos, pariter atque potentiſsimos, patronos defenſores & Mœcenates conciliarem, qui me & illos, in vaſtiſsimo atque ampleſsimo ſæculi huius theatro, vulgi iudicio expoſitos, tueantur, foueant atque à venenoſis detractorum morſibus defendant. Haud enim nouum eſt (ſapientiſsime Pater) bene noſti, quin vero antiquiſſimum, vſitatiſsimum ac communi praxi receptum, in vtilitatem publicam edere in lucem ſuos qui parant libros (mentis filios, & prædilectos ingeniorum ſuorum fœtus) ab illuſtriſsimis clariſsimis atque potentiſsimis viris, auxilium ſemper quærere. Quod vtique vt ipſe facerem, ex religionibus cunctis quæ in toto graſſantur orbe, quoſnam quæſo præſtantiores, ſapientiores, illuſtriores ſimul atque potentiores, patronos & Mœcenates vnquã potui mihi adinuenire atq; eligere? Viros nobiles & per illuſtres quidẽ genere, ſed religione, ſapiẽtia, prudentia, omniumque cæterarũ virtutum perfectione longe valde illuſtriores. Vtique interim ſileam, ac in præſentiarum miſſa faciam, quæ de ſapientiſsimo, religioſiſsimo, atque reuerendiſsimo Patre noſtro generali Miniſtro (quæ fere ſunt innumera) merito dici poſſent, commodiuſque reſeruentur dicenda, pro dedicatoria eiuſdem epiſtola apponenda in huius libri tomo ſecundo, quid de te ſapientiſsime, reuerendiſsime atque religioſiſsime Pater dicere vnquam potero, quacumque dicendi arte, Ciceroniana etiã ſi eloquentia vtar, quod non in immenſum à debita dicendi ratione diſtet, & ab his, quæ rectè ac merito dicenda forent? Vir qui ſis (ô vtinam in diuinam laudem cedat) prorſus admirandus cunctis, Chriſtianiſsimo vero pariter atque religioſiſsimo Regi noſtro Philippo, pro meritis ſimul gratiſsimus, & id quidẽ non ab re, ſed conſultiſsime atq; meritiſsime, ſummo etiã honore & æſtimatione habitus, pro eo nẽpe quod experimento didicerit tuam bonitatẽ & morum honeſtatem maximam, ſumma cum ſapientia, prudentia & grauitate coniunctam. In cuius quidem vita omnino nihil, quam quædã bonitatis, honeſtatis & ſanctitatis imago relucet, nõ carnalibus artibus ſuſtentata, ſed miris virtutum coloribus depicta. Cuius ſapientia in præſtandis conſilijs, quam maxima nitet, prudẽtia tua exquiſitiſsima, in rerum gerendarum directione & dexteritate. Qui nihil temere, in conſulto nihil, ſed omnia recto animi iudicio perpenſa, metiaris, ordines ac debitæ executioni mãdes. Quem propterea vt dixi meritiſsime admirantur cuncti. Hæc breuiter ac ſuccincte ſint dicta (reuerendiſsime Pater) pro laudatorio munere, ne forſam in eiſdem amplius ſi immorarer, illius offenderẽ aures, cui potius ſummopere deſiderarem deſeruire. Quæ enim de te ac præclaris tuis virtutibus vere dici poſſent, ad vnguem referre ſi vellem, crediderim, quod vix lingua adenarrandum ſufficeret. Digneris igitur (reuerendiſsime) Pater, hos meos labores & me, ſub tua tutela & protectione ſuſcipere, & eum cui ſemper auxilium præſtitiſti, tueri in præſentiarum non deſinas. Valeas (Pater ſapientiſsime atque reuerendiſsime) è noſtro grauiſtimo & religioſiſsimo Salmanticenſi Conuentu, 20. die Maij 1515.

Reuerendiſsimæ Paternitati tuæ obſequentiſsimus.
Frater Ludouicus de Miranda.

OPERIS ARGVMENTVM.

IN hoc primo noſtri Manualis ſiue Directorij Prælatorum Regulariũ tomo, prę miſſa religioſi ſtatus inſtitutione, ex antiquiſſima ſanctæ Eccleſiæ traditione, iam inde à temporibus Chriſti Domini, & ſanctorum ſuorum Apoſtolorum: habito etiam ſermone de religionum omnium à proprijs cuiuſque auctoribus & inſtitutoribus ortu, & origine, dilatione & propagatione (qua maxima breuitate & claritate fieri potuit) ſed ingenti reſolutione: præmiſſa item Prælatorum omnium regularium differentia, poteſtate & facultate, quam habẽt ad admittendos, recipiendos & incorporandos nouitios, proprijs quorumlibet ordinibus: de ipſorum nouitiorum qualitatibus (tam de iure communi, quam ſpeciali requiſitis) receptione, educatione, probatione ſeu potius approbatione, ac tandem de illorum profeſsione, dicuntur atq; enumerantur omnia (quæ fere ſunt innumera) ac propoſito eidem viſa fuerunt neceſſaria. Actumque eſt poſtmodum, de obligatione, quę religioſis cunctis reſultat ex ſua profeſsione tacita ſiue expreſſa, & ex ſuis emiſsis votis, ſed præcipue ex voto obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, quæ quidem tria vota omni ordini & religioni eſſe dicuntur eſſentialia atque ſubſtantialia. Agitur tandẽ de exercitijs & religioſis operibus, in quibus ad communẽ Eccleſiæ totius vtilitatem, exerceri ſolent omnes in vniuerſum religionum omnium profeſſores, à ſuæ profeſsionis tempore, ad illud vſque quo poſt longa ſtudia, varia atque diuerſa curricula, diutinam diuinorum Sacramentorum adminiſtrationem, ac publicam diuini verbi prædicationem, in ſuperiores & Prælatos eligi & aſſumi ſolent. Reliqua autem ad Pręlatos & Superiores prædictos vtcumque ſpectantia, dicenda atque tractanda reſeruantur: pro ſequenti ſecundo tomo.

DIRECTORIVM PRAELATORVM REGVLARIVM,

PRIMVS TOMVS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Religione & Religioſo ſtatu, in communi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quidnam ſit Religio?

Prima Concluſio.

ACTVRI de Prælatis, atque Iudicib⁹ regularibus, deque eorum legibus, ſtatutis, & conſtitutionibus, de conſuetudinibus etiam Religionum omnium, quæ in Sancta noſtra Dei Eccleſia, ſub vno capite Romano Pontifice, diuinum cultum & honorem profitentur: non ab re viſum eſt: ſi de Religionibus ipſis in communi, prius pauca quædam dixerimus. Quin verò ratio id ipsũ expoſtulare videbatur, quam maximeq; fore hoc rationi cõſonum, vt iuxta Ariſtotelis doctrinam, ex cõmunioribus atque vniuerſalioribus incipientes, exinde poſtmodum, congruentiori ordine, ad earundem Religionum particularia, & ſpecialia, vt cumque deſcẽdere poſſimus. Quia verò (vt dicit D. Thom. Angelicus Doct.) *Religio*, ſeu *Religionis* nomen, æquiuocum quodammodo eſt, & diuerſasin ſe continet ſignificationes. (Significat enim, & Religionem, prout eſt virtus quædam moralis, quæ alio nomine appellatur latria, cuius eſt proprium, Deo debitum cultum & honorem exhibere, & eandem etiam, prout importat ſtatum perfectionis) vt hæc prorſus amphibologia, è medio tollatur, propoſito art. ſub diſt. Reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

1. Phyſi. t. 1.

D. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 1.

REligio antiquiori atque ampliori & vſitatiori vocabulo, ſignificat excelſam illam virtutem, quæ inter omnes morales eſt præcipua, ac potiſſima Iuſtitiæ pars, qua Deo, Optimo Maximo debitum cultum & honorem adhibemus, propter ipſius excellentiam, quatenus creationis & gubernationis, rerum omnium eſt primum, atq; vniuerſale principium. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. q. 81. vbi per plures articulos, de Religione prædicta agit, prout eſt moralis quædam virtus, & plura dicit de his, quæ ad præſtantiſſimam hanc Virtutẽ ſpectant. Hãc etiã olim Cicero, ſolo naturali ductus lumine agnouit, quam & 2. Rhetoricorum definiens, dixit: *Quod Religio eſt, tuitio quædam naturæ, quam diuinam vocant quæ cultum & ceremoniam Deo affert.* Quod hæc præſtantiſſima virtus (vtcumque Deum ſiue eius diuinum cultum reſpiciat) non ſit propriè Theologalis, ſed moralis, at inter morales præcipua, & præſtantiſſima pars Iuſtitiæ, probat elegantiſſime, atque latiſſimè idem D. Thom. vbi ſupra art. 5. 6. & 7. dicendo, quòd Religio non eſt virtus Theologica, ex eo, quia non ordinat hominem in Deum, ſicut in obiectũ (quod proprium eſt virtutis Theologicæ) ſed ſicut in finem. Vbi etiam non minus docte, quam reliqua omnia, enumerat omnes ipſius actus, tam interio-

Religionis nomen, ampliori atque antiquiori vocabulo ſignificat moralem quãdam virtutem, præcipuam inter partes iuſtitiæ.

Cicero Rhetoricorum ſeu de inuentione, parũ ante finem.

res, quam exteriores, quibus rationalis creatura (nempe homo) diuinam excellẽtiam proteſtatur, debitamque ſubiectionem, ad Deum ſuum conditorem, creatorem, pariter atque gubernatorẽ. Quæ omnia cum facile poſſem dicere, conſultò in præſentiarum facio miſſa, cum neque id ſit mei propoſiti, neque verò præſentis ſpeculationis, & vt breuitati ſtudeam. Hoc tamen dicere breuiter non præteribo, ex doctrina eiuſdem D. Thom. & communi omnium Doctorum reſolutione, quod ſicuti ad iuſtitiam ſpectat, & iuſtitiæ virtutis eſt proprium, reddere quod ſuum eſt vnicuique, & ad hunc proprium ipſius actum, hominis animum inclinare, ſic & Religionis virtutis eſt proprium (prout ipſa moralis quædam eſt virtus) diuinum cultum & honorem Deo debitum exhibere, & in id hominis cor, & animum inducere: ita quod ad ipſam ſpectat, omninò eundem ſubijcere, ac facere, interiori & exteriori cultu, eius diuinam eminentiam proteſtari, in quantum eſt creationis, conſeruationis, & gubernationis omnium rerum, vnicum, primum, atque vniuerſale principium. Hoc eſt itaque notiſſimum, & conſtitutiſſimum.

Secunda Concluſio.

Religionis nomen, etiam importat atque deſignat, ſtatum perfectionis, quo homo ſe totaliter Deo offert.

QVamuis Religio, ſiue Religionis nomen, antiquiori, ampliori atque vſitatiori vocabulo, præfatam virtutem moralem importet: antonomaticè tamen, & quaſi per excellentiam, ſignificat perfectiſſimum Religioſorum ſtatum, quo per ſolemnem trium votorum eſſentialium proteſſionem (caſtitatis, nempe, paupertatis, & obedientiæ perpetuæ) perpetuo ſe Deo offerunt, atque totaliter ſe diuino cultui, & ſeruitio mancipant. Hæc etiam concluſio eſt D. Thom. pro cuius probatione, ſimul & intelligentia, ſupponit ex principijs philoſophiæ, quod illud, quod de multis dicitur, ac pluribus applicatur, antonomaticè, & quaſi per excellentiam, ſemper vni tribuitur, cui excellentiori modo, atque potiori ratione cõuenit. Conſtituit exemplum in fortitudine, quod nomen illa ſibi vendicat virtus, quæ in difficillimis, ſeu circa difficillima verſatur, in quibus firmitatem animi ſeruat. Similiter, & in temperantia, quæ vt de ſe patet, eſt illa virtus, quæ temperat, & frænat hominis maximas, & vehementes delectationes. Idemque eſt dicendum de alijs virtutibus, quæ cum plures actus deſignent, ſpecialiter tamẽ tribuũtur vni. Cũ igitur Religio, ſeu Religionis nomen (vt ſupra habitum eſt) dicatur de Religione, quæ moralis quædam eſt virtus, per quam quis ad Dei ſeruitium atque diuinum exter num cultum, aliquid Deo offert, ſiue exhibet, vt puta panem, aut vinum, ſeu aliquid eiuſmodi, & ſimul de eo perfectionis ſtatu, quo religioſi cuncti non aliquid externum, & extrinſecum, ſed ſemetipſos omninò, perpetuo ac totaliter, diuino cultui & ſeruitio mancipant, liquidum profecto fit, quod eiuſdem Religionis nomen, principaliter, antonomatice, & quaſi per excellentiam, eiuſmodi ſtatum ſignificabit, poſtquam diuinus cultus, eidem excellentiori modo atque perfectiori ratione conuenit. Vt enim inquit D. Gregor. ſuper Ezechielẽ homi. 20. religioſorũ ſtatus eo modo, ab alijs ſeruitijs & oblationibus, quæ Deo cõmuniter fiunt & offeruntur, differt, quo & in veteri olim lege, antiqua illa ſacrificia, differebant ab holocauſtis. In antiquis enim ſacrificijs, vt ex ſacra Scriptura conſtat, erant quædam, quæ dicebantur ſacrificia, alia verò holocauſta. Inter quæ hoc verſabatur diſcriminis, quòd in ſacrificijs aliquid offerebatur atque dicabatur Deo, aliquid verò reſeruabatur, pro ſacerdotum & aliorum miniſtrorum congrua ſuſtentatione: at in holocauſtis, nihil omninò prorſus reſeruabatur, ſed totum ſacrificium ſacrificabatur, dicaturque Deo, igneque comburebatur, atque conſumebatur. Hoc namque dictio, holocauſtum, ſignificat, dicta, ab *holon*, quod eſt *totum*, & *cauſtos*, *quod* eſt *accenſum*, *quaſi totum accenſum*. Totum enim ſacrificium, quãdo erat holocauſtum, igne concremabatur, vt dictum eſt. In propoſito ergo religioſi (inquit Diuus Gregorius) totaliter ſemetipſos, in ſuauiſſimum, atque perfectiſſimum holocauſtum Deo offerunt, & dicant: & quem diuinum cultum, & honorem, omnes cõmuniter Chriſtiani profitentur, ac Deo exhibent, aliquid de rebus ſuis, eidem offerentes: aliquid verò ſibi ipſis reſeruantes (inſtar cuiuſdã ſacrificij) hunc excellentiori atque perfectiori modo, religioſi prædicti, in holocauſti modum faciunt ſemper, ſemetipſos totaliter offerentes, & nihil prorſus ſibimetipſis reſeruantes, non ſeu ſum quidem, non linguam, non vitam, non ſubſtantiam, & rerum temporalium & terrenarum copiam, quam perceperunt, ſed ſe, ſuaque omnia ſimul, atque totaliter Deo immolant, in perfectiſſimum ac Deo ſuauiſſimum holocauſtum. Verba ſunt expreſſa Diui Gregorij. Ex quibus conſtat manifeſtiſſime, qualiter Religio, ſeu Religionis nomen, antonomatice, principaliter, & quaſi per excellentiam, importet illum perfectionis ſtatum, qui communi vocabulo, Religio nũcupatur, quem omnes in vniuerſum profitentur religioſi: licèt etiam ſignificet Religionem, prout eſt moralis quædam virtus communis omnibus chriſtianos diuinum cultum profitentibus, per quod fit ſatis propoſito articulo. Videatur hac de re Sylueſter verbo Religio. 1. quæſt. 1.

In Religione perfectiſſimũ ſuorũ ipſorũ Religioſi Deo offerunt holocauſtum.

ARTICVLVS II.

Vnde dicatur, & deriuetur Religio, ſiue Religionis nomen?

Reſpondetur per quatuor concluſiones, quibus explicabuntur maxima encomia, excellentiæ, & dignitates Religionis, ſeu ſtatus religioſi.

Prima Concluſio.

Religio dicitur à Relegẽdo, quod eſt ſemel, & iterum aliquid legere.

RELIGIO iuxta mentem atque ſententiam Diui Iſidori, dicitur à relegendo, quod eſt verbum compoſitum, ex præpoſitione, *re* & *lego legis*, & ſignificat, ſemel atque iterum aliquid legere. Sumpta eſt hæc Religionis Etymologia, ex libro decimo,

Etymo-

Etymologiarum eiusdem Isidori, capite 17. vbi de mente & sententia Ciceronis dicit, quod religiosus à Religione est appellatus, Religio autem à relegendo, pro eo quod religiosus relegit siue retractat (hoc est iterum, atque iterum legit & tractat) ea quæ ad diuinum cultum spectant. Quæ enim sunt diuini cultus, frequenter in corde sunt reuoluenda, inquit D. Thomas, 2.2. quæst. 81. art. 1. Iuxta illud quod habetur, Prouerb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Ex quo satis clare & manifeste colligitur, qualiter Religio seu Religionis nomen, à relegendo dicatur, & quam optima sit hæc Religionis Etymologia, diffinitio seu potius descriptio. Sed D. Augustin. adducit etiam aliam, de qua sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Religio etiã dici potest, à reeligendo, quod est nouam electionem efficere, alicuius noui status.

RElegio iuxta mentem atque sententiam D. Augustin. dicitur à reeligendo, Verbum etiam compositum, ex præpositione, *re & eligo eligis*, quod significat, alicuius noui status, nouam electionem efficere. Habetur hæc Religionis descriptio, & Etymologia, ex libro 10. de Ciuitate Dei cap. 4. vbi de his agens, inquit, D. Augustin. *Quod ex eo Religio dicitur à reeligendo, quia Deum reeligere debemus, quem per peccatum negligenter amiseramus.* Pulchra quidem est, & hæc Religionis Etymologia, diffinitio, siue descriptio. Sed Lactantius Firmianus adducit etiam aliam, de qua sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

Religio dicitur & deriuatur, etiam à verbo religã do, quod est rem aliquã semel ligatam iterum atq; iterum ligare.

DE mente atque sententia Lactantij Firmiani, Religio dicitur, & deriuatur à religando, quod est etiam Verbum compositum, ex prædicta, *præpositione re & ligo ligas*, significatque iterum atque iterum ligare, id quod iam semel erat ligatum. Habetur hæc Lactantij Firmiani sententia, in libro 4. suarum diuinarũ instit. cap. 24. Quæ Religionis descriptio & Etymologia, adducitur etiam à Diuo Augustino, libro de vera Religione, cap. vltimo, vbi post alia multa verba (inquit) *religet nos vni omnipotenti Deo, vera Religio.* Quasi hoc sit proprium eius munus, & officium. Quamuis enim huiusmodi verba ibidem dicta sint, à D. August. de Religione, prout est moralis quædam virtus, qua Deo debitum cultum, & honorem exhibemus (vt diximus supra in præcedenti articulo) non tamen incongrue, aptantur & applicantur, & verificari quidem possunt, de Religione, prout designat atque significat statum illum Religiosorum perfectissimum, quem profitentur in vniuersum omnes communiter religiosi; quo per sui status professionem expressam, trium Votorum essentialium vinculis, & multorum aliorum, quasi de nouo se ligant, & cum Deo iterum atque iterum coniunguntur. Ex quibus omnibus patet, quam congrue & propriè, Religio siue Religionis nomen, à religando dicatur. Supra dicta omnia sunt notatu digna, & afferuntur à D. Thom. vbi supra. Sed dices, quid sentiendum atque dicendum, de tam multiplici & diuersa huius nominis Etymologia? Sunt ne huiusmodi diffinitiones, descriptiones, siue deriuationes, aliquo modo inter se contrariæ? Minime gentium. Quin verò si intima affectione, atq; attentione considerentur & introspiciantur, quã maxime inter se conueniunt, sibique summopere cohærent. Quod vt plenius notum fiat, sequẽtem statuo conclusionem, quæ erit quarta in ordine.

Quarta Conclusio.

Supra dictæ Religionis deriuationes, & Etymologiæ, quam maxime sibi cohærent, & ipsarum quælibet, gradatim & per ordinem, viam parat ad alterã

PRædictæ omnes Religionis diffinitiones, descriptiones seu Etymologiæ, quam maxime sibi cohærent, & gradatim per ordinem, ipsarum vna, viam parat ad alteram, prima ad secundam, secunda verò ad tertiam. Hæc conclusio explicatione atque declaratione magis indiget, quam probatione, quæ & hoc modo fiet manifesta. Dico igitur, quod Religio congruentissime, simul dicitur, à relegẽdo, reeligendo & religando, & quod ex eorũ vno oritur, & procedit aliud. Qui enim relegit, reeligit, & qui reeligit, ipse est, qui se cum Deo, iterum atque iterum ligat siue constringit. Qui (inquam) relegit, hoc est semel atque iterum legit, toto corde reuoluit, atq; cõsiderat, quæ summa sunt consideratione digna, nempe, quæ sunt diuini cultus, seu ad diuinũ cultum, & seruitium spectant; ipse est, qui reeligit, id est nouum de nouo assumit, perfectionis statum, quo ardenter Deum quærat, quem per culpam, atque peccatum negligenter amiserat. Ipse etiam est, qui per eiusdem noui status professionem expressam, nouis quasi obligationum, & votorum vinculis se ligat, & constringit, quo vix aut nullatenus, à Deo summo bono, fineque vltimo, dimoueri aut separari possit. Quid enim quæso aliud sunt, tria Religionis essentialia & substãtialia castitatis, paupertatis & obediẽtiæ perpetuæ vota? Quid tot tantaq;, tã varia atque multiplicia, quæ in qualibet Religione, peculiaria habẽtur præcepta & religiosa exercitia? quid inquam aliud sunt, nisi noua quædam vincula, quibus religiosi cũcti, de nouo quasi religantur, & astringuntur Deo suo, tanquam indeficienti principio, ad quem nostra omnis intentio dirigi debet, cum sit noster vltimus finis, in quo summa hominis perfectio essentialiter consistit, vt per bona opera Religiosi status recuperent, quẽ per culpam atque peccatum negligenter amiserant. Constat igitur ex his quæ dicta sunt, clarissime atq; manifestissime, qualiter Religio siue Religionis nomẽ, non incõgrue, quin verò cõgruẽtissime atque proprijssime, simul dicatur & deriuetur, à relegendo, reeligendo, & religando, ac per hoc fit satis ei, quod quærebatur in proposito articulo, de quo etiam videatur Sylvester vbi supra, verbo Religio 1. q. 1.

(.?.)

ARTICVLVS III.

Vtrùm Religio, siue Religionis nomen, importet statum perfectionis?

Prima Conclusio.

Religio seu Religionis nomen importat, atque designat statum perfectionis.

CErtissimum est, neque negari vllo modo potest, quod Religio seu Religionis nomen, importat atque designat statum perfectionis. Hæc conclusio est expressa D. Thom. secunda secundæ quæst. 186. art. 1. vbi agit de hac difficultate & quæstione, quam D. Thom. sententiam, explicans atque declarare volens, Caietanus in suo Commento, dubio secundo, pro ipsius intelligentia supponit, quod perfectionis nomen sumitur multipliciter, neque dicitur vno solùm modo, sed multis. Et petita similitudine ex dialecticis, ponit exemplum in sanitate, & dicit, quod sicuti sanitas, seu quod idem est, hoc nomẽ sanum (quod est Analogum) dicitur de animali, de vrina, & etiam de medicina, diuersis tamen respectibus, & rationibus: nam de animali dicitur, tanquam de subiecto, cui sanitas ipsa inest. De medicina autem, quia ipsam efficit, de vrina verò, quia eiusdem est sanitatis indicatiua. Sic (inquit Caietanus) & perfectionis nomen, dici potest de aliquo perfectionis statu, vel quia ipsam in se formaliter perfectionem continet, vel quia est eiusdem elicitiuus, aut tandem pro eo, quod est exercitium quoddam, siue quædam via perueniendi ad perfectionem. Dicit ergo & est valde notandum, quod Religio non est perfectio, primo modo, neque in primo sensu (vt sic enim perfectio, in sola charitate consistit) vt late prosequitur D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 1. ipsa namque est, quæ perfectionem in se continet, & quæ sola hominem formaliter, & essentialiter perfectum efficit, coniungendo, atque vniendo ipsum cum Deo, qui est vnicus, ac vltimus omnium nostrum optatissimus finis, iuxta illud Ioannis: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Attamen in secundo, & tertio sensu loquẽdo, negari nullatenus potest, quod Religio, seu Religionis nomen, statum perfectionis importet atque designet, quatenus quælibet approbata Religio, quodãmodo est perfectionis elicitiua, & via atque disciplina, deueniendi & ascendendi ad perfectionem. Certum est enim, quod in qualibet Religione approbata, inuenire licebit plura, ac fere innumera sancta, & religiosa exercitia, quibus eiusdem professores, & alumni, suo se statui conformantes, ascendere & peruenire possunt ad optatissimum perfectionis finem. Quod autem huiusmodi religiosa exercitia, sint veluti quidam gradus, perueniendi ad perfectionem, latissime probat idem D. Thom. loco prælegato, de mente atque sententia, eximij cuiusdam Abbatis Moysi nomine, de quo fit mentio in collationibus Patrum; hic enim (vt fertur) de his exercitijs agens, post alia multa dicebat: *Ieiuniorum insediam, vigilias, atque labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere, nouerimus, vt ad perfectionem charitatis, ijs gradibus vt cunque ascendere possimus.* Sed nunquid propterea, omnes qui in Religionibus, siue in Religionis statu sunt, perfecti, aut in perfectione consummati statim esse dicentur? Minime gentium, non enim hoc per se & necessariò importat Religionis status, aut hoc est de ipsius ratione, sed hoc solummodo, quod sit via, & disciplina, perueniendi ad perfectionem, seu qua peruenire potest ad perfectionem. Quod vt plenius notum fiat, sequẽtem statuo conclusionem, quæ erit secũda in ordine.

Exercitia Religiosa, sunt veluti quidã gradus, quibus ad perfectionem peruenitur.

Secunda Conclusio.

Non omnes Religiosi, seu perfectionis statum habentes, eo ipso sunt perfecti imò verò cõtrarium euenire, & stare potest multoties.

NON propterea, quod Religio seu Religionis status, perfectionem importet, omnes in vniuersum religiosi, & in Religionis statu existentes, perfecti statim sunt dicendi, quin verò contrarium multoties contingere, & stare optime potest, quod eorum quamplurimi, imperfectissimi sint; non se suo statui conformantes, sicuti & vice versa, quandoque potest euenire, quod multi sæculares, & perfectionis statum non habentes sint perfecti, quin verò & perfectissimi. Hæc conclusio est etiam expressa D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. & art. 2. ad 1. vbi dicit: *Quod Religio sortitur perfectionis vocabulum, ex intentione finis, quia scilicet Religiosi sunt in perfectionis via, & tendunt ad perfectionem tanquam ad finem; non tamen* (inquit) *est necessum, vt quicumque est in Religione, seu Religionis statu, statim propterea iam perfectus sit, aut perfectionem assequutus, sicuti neque quicumque est in via, iam peruenit ad terminum.* Vnde fit, vt non sit de ratione cuiuslibet religiosi viri, quod sit iam perfectus, aut in perfectione cõsummatus; sed hoc solummodo, quod ad perfectionem tendat. Adducit D. Thom. exemplum de eo, qui scholas studẽdi gratia frequentat, & addit, quod non statim, atque eo ipso profitetur, se esse scientem, aut sapientem; sed tantummodo studentem, & dare operam ad scientiam acquirendam. Hac ratione Pythagoras, vt inquit D. August. lib. 8. de Ciuita. Dei, cap. 20. noluit se sophum (hoc est sapientem appellari) sed philosophum, quod est sapientiæ amatorem, siue sectatorem. Sic igitur in nostro proposito, religiosus, quamuis sit in imperfectionis statu, non statim profitetur se esse perfectum, aut in perfectione consummatũ, sed tantùm studium adhibere, operamque dare, ad perfectionẽ acquirendam. Quod verò multi sæculares, & perfectionis statum non habentes, neque in Religionibus existentes, esse nihilominus potuerint perfecti, quin verò & perfectissimi, probat idem D. Thom. exemplo Abraham, Isaac, & Iacob, qui existentes in sæculo, cum diuitijs, & delicijs, perfectissimi atque in virtutibus excellentissimi extiterunt. Sed de hoc alias; non enim est præsentis speculationis, videatur Syluester verbo Religio 1. q. 3. & hactenus de isto articulo.

Multi fuit Sancti atque perfecti, non habentes statũ perfectionis.

(.?.)

ART.

ARTICVLVS IIII.

Quænam sint de essentia atque substantia Religionis, seu status Religiosi?

Prima conclusio.

Tria quæ dicuntur substantialia vota, sunt de essentia & substantia status Religiosi, & cuiuslibet Religionis.

TRIA, quæ communiter dicuntur essentialia, atque substantialia vota (obedientiæ, scilicet castitatis, & paupertatis) sunt de essentia, atq; substantia cuiuslibet Religionis, seu status religiosi. Hæc cõclusio est omnium Doctorum cõmunis resolutio, & expresse tenet eam D. Tho. Angelicus Doctor 2. 2. q. 186. art. 7. vbi & illam probat varijs medijs, diuersisque rationibus, ex quibus ego tantummodo adducam duas, quæ inter alias omnes, visæ mihi sunt potiores & præstantiores. Prima huius nostræ conclusionis ratio, desumitur (vt dicitur) à priori, nempe ex natura & ratione intrinseca, eiusdem status religiosi. Secunda verò erit quasi à posteriori deducta, ex auctoritate Innocentij Tertij, in quadã sua decretali extrauaganti, qua id ipsum expresse, aut saltem verbis æquipollẽtibus videtur determinare. Ad primam igitur rationem deueniẽdo, quod tria, quæ communiter dicuntur essentialia & substantialia vota, sint de essentia, atq; substantia, cuiuslibet Religionis, & status Religiosi, exinde patet: nam cum huiusmodi status sit, esseque debeat, via & disciplina, & exercitiũ quodam, tẽdendi, & veniendi ad perfectionem, ad ipsius profecto rationem, essentiam, atque substantiam spectare omninò videtur, quod habeat omnia, per quæ homo, quasi intrinsecè, essentialiter, & ex natura rei, præparatur, aptatur atque disponitur, & aptari & præparari potest, ad acquirendam eandem perfectionem; & simul ea, per quæ tolluntur & remouẽtur omnia perfectionis eiusdem impedimenta, & quæ obstaculo eidem esse possunt, quominus ad perfectionem ascẽdat: sed hæc (vt statim dicemus) omninò sunt, obedientia, castitas, atq; paupertas; nam per prædicta obedientiæ castitatis, & paupertatis vota, ad perfectionẽ homo disponitur, & omnia tolluntur per fectionis impedimenta, ergo negari nullo pacto, aut ratione potest, quod hæc tria sint de essentia, & substantia (& vt ita loquar more dialecticorũ) de intrinseca ratione, cuiuslibet Religionis, seu status religiosi. Ratio quidem efficacissima est, & discursus optimus, solummodo restat probandũ qualiter homo per obedientiam, castitatem, atq; paupertatem (quæ communiter dicuntur tria essentialia, & substantialia Religionis vota) præparatur, aptetur, & disponatur ad perfectionem, magis quam per reliqua alia religiosa exercitia: qualiter etiam, per horum trium emissum votum, magis quam aliorum, tollantur & auferantur omninò acquirendæ perfectionis impedimenta. Hoc argumentum latissime prosequitur idem D. Tho. loco supra citato, & maioris claritatis, & distinctionis gratia, diuidit ipsũ in plures articulos, disputans de qualibet harũ virtutum seorsum, atq; in particulari, demonstrans qualiter, volũtas propria, cupiditas rerum exteriorum, & concupiscẽtia delectationum carnalium, impedimento sint, quo minus perueniatur, seu peruẽiri possit ad perfectionem. De hac re plura dicemus, in sequẽti articulo, vbi horum omnium, propriam, atque genuinam adducemus rationem, ẽ suis fontibus, ac veluti ex intimis viscẽribus illam eruentes; sed pro nunc breuiter, dicere non præteribo aliquid, quo simul cõplectantur reliqua omnia, quæ amplius ad hoc propositum in subsequentibus sunt dicenda. Et dico, quod horum omnium ratio stat in hoc, quod Religio siue Religionis status est, esseq; debet status perfectionis, quæ quidem (vt dictũ est supra) essentialiter in charitate consistit, in eo scilicet, quod homo intime, quoad maxime fieri poterit, vniatur, atque cõiungatur Deo, per dilectionem & amorẽ, iuxta illud Ioan. 1. cap. 2. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, qua ratione D. Paul. ad Coloss. 3. charitatem vocat, vinculum totius perfectionis, pro eo quod nos ligat, ac veluti coniũgit cum Deo Opt. Max. Ad hoc autem, terrenam substantiam, exteriorum rerum cupiditatem, delectationum carnalium cõcupiscentiam, propriã voluntatem, & humanæ voluntatis inordinationem, quis non videt, quam magnum præstent impedimentum, & obstaculum, & quam homo per hæc impediatur, & retardetur, ne ipsius affectus totaliter feratur in Deum, illiq; adhæreat, in quo suprema charitatis perfectio consistit? Si igitur id ita est, manifeste profecto sequitur, quod obedientia, castitas, atque paupertas (per quæ omnia supradicta prẽmemorata tolluntur impedimẽta) sunt, atque esse debent, de essentia & de substantia, & vt ita dicam de ratione intrinseca, cuiuslibet Religionis, seu status religiosi. Hæc est prima ratio D. Thomæ.

Secunda ratio nõ minus est efficax, & desumitur ex auctoritate Innocentij Tertij: *In extrauagãti, cum ad Monasterium, de statu Monachorũ.* Hic enim supremus Pontifex, definiendo, atque determinando, quænam sint de essentia, & substantia Religionis cuiuslibet, seu status religiosi, post multa alia (inquit) *Quod abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est Regulæ Monachali annexa, vt contra eam, nec summus ipse Pontifex possit licentiã indulgere.* Notanda quidem verba, nam ad nostrũ quidẽ propositum, sunt efficacissima. In quibus primũ aduertere libet, quod licèt ibi Summus Pontifex, de obedientia, expressam non faciat mentionẽ; adhuc tamẽ exceptio illa facta, de duobus votis (nẽpe paupertate, & castitate) extendẽda est, atq; extendi omninò debet, quin verò, & potiori ratione, ad votum obedientiæ, ita quod sicut Summus Pontifex (iuxta D. Innocentij III. præscriptum) dispensare nullatenus potest, in paupertate & castitate, ita neq; in obedientia, multoq; id minus, cum ipsa sit præstantior. Hoc est certissimũ, tum quia secũdũ iuris regulas, exceptiones quæ fiunt, semper extenduntur ad omnes similes (id quod vulgo dicitur) quod de similibus, simile est iudicium, tum etiam, quia iuxta sententiam, &

Summus Pont. dispensare nõ potest in hoc quod obedientia, castitas, atque paupertas, non sint de essentia, & substãtia Religionis, seu status Religiosi.

mentem diui Thomæ inter prædicta tria eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota, præcipuum eſt obedientiæ, primumque obtinet locum, & ita eſt, atque reliqua alia, ſtatui Religionis annexum, & intrinſecum. Secundo, vt dictum eſt, ex verbis eiuſdem Innocentij Tertij Pontificis Maximi, clare & manifeſte colligitur, præfata tria, obedientiæ, caſtitatis & paupertatis vota, eſſe de eſſentia atque ſubſtantia cuiuſlibet Religionis, ſeu ſtatus religioſi, idque de iure diuino, loquendo de ijſce rebus moralibus, ad eum modum, quo & in naturalibus dicimus, quod eſſe animal rationale, eſt de eſſentia, & ſubſtantia atq; intrinſeca ratione hominis. Et quod ita ſit, de mente prædicti Summi Pontificis intelligendum, conſtat clariſsime, atque manifeſtiſsimè, poſtquam ipſe tam aſſeueranter dicit, ibi: *Quod ſuperijs, non poteſt ipſe Summus Pontifex diſpenſare, ſiue licentiam indulgere.* Quid quæſo clarius, dici vllo modo potuit? Etenim ſi de Papali, atque humano tantùm iure, iſta fuiſſent, non verò de iure diuino, & intrinſeca & eſſentialia cuilibet Religioni, & omni Religioſo ſtatui, ſuper ipſis Summus Pontifex (vt ſtatim amplius, in ſequēti articulo dicemus) citra omne dubium, poſſet diſpenſare. Cum ergo dicat Pontifex, quod in ijs nulla cadit diſpenſatio, manifeſtare vtique voluit inſinuare, quod adeò iſta ſunt, de iure diuino, diuinaque ordinatione, vt diuina, & ſupernaturalis inſtitutio cum hæc ſit, non eſt poteſtas omninò in terra, quæ poſſit efficere, vt illa quæ communiter dicūtur tria eſſentialia, & ſubſtantialia vota, Religioni ſeu Religionis ſtatui, non ſint intrinſeca, eſſentialia, & annexa, aut ſuper illis diſpenſare poſſit Summus Pontifex. Hac de re videndus eſt Soto lib. 7. de iuſtitia & iure, quæſt. 2. art. 5. & quæſt. 5. art. 3. vbi hoc intētū proſequitur, & tractat latiſſime, doctiſſime, & fœcundiſſime. ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Omnia alia Religioſorū exercitia, præter eſſentialia prædicta tria vota, pertinent ad maiorem eorundē conſeruationē.

QVamuis tria prædicta, obedientiæ, caſtitatis & paupertatis vota, ſolummodo ſint de eſſentia atque ſubſtantia, & ratione intrinſeca Religionis, ſeu ſtatus Religioſi; multa tamen alia religioſorum exercitia, ad eundem ſtatum pertinent, non quidem tanquam de ipſius eſſentia, & ſubſtantia præciſe, ſed tanquam accidentia neceſſaria, nimisque vtilia, atque proficua, ad meliorem, magisque exactam, trium prædictarum eſſentialium, & ſubſtantialium votorum, conſeruationem ordinata. Hæc concluſio expreſſe, aut ſaltem verbis æquipollentibus, eſt etiam eiuſdem Diui Thom. vbi ſupra, in ſolutione ad ſecundum, & conſtituit exemplum, de abſtinentijs, vigilijs, laboribus, mendicitate, & alijs huiuſmodi ordinum, & Religionum omnium exercitijs. Sed vellē ego in præſentiarū latiùs hoc argumentum proſequi, & quod in noſtra concluſione dicimus, expreſſius demonſtrare, atque manifeſtare. Quod vt faciam, præmittere libet, quod ſicuti in naturalibus, in qualibet re naturali (ſit hæc, aut illa, non curo) inuenire licebit, & rerum ipſarum ſubſtantiam, & accidentia quamplurima, quæ res ipſas ambiunt, atque circunſtant, & ad earum nedum ornatum, & cognitionem ſpectant, verum etiam & ad propriam ipſarum conſeruationem plurimum conferunt, vt pote ſine quibus, conſeruari vix, aut nullatenus poſſunt. Sic etiam & in moralibus rebus, atque negotijs ad mores pertinentibus, erit reperire aliqua, quæ ſunt, iureque optimo dici poſſunt, quaſi moralium rerum ſubſtantia, quædam verò neque pauca, quæ cum ad earundem eſſentiam, & ſubſtantiam non præciſe pertineāt; pertinent tamen & quam plurimum conferunt, ad propriam ſuam conſeruationem, tanquam accidentia quædam, ex ſua natura & propria & formali ratione, in id ipſum ordinata, magis aut minus prout magis, aut minus ſpectant, atq; conducunt ad finis ſibi præfixi & præſtituti conſecutionem. Nam quo pacto ſupra triū votorum eſſentialiū, obedientiæ ſcilicet, caſtitatis, & paupertatis neceſſitatē præcisā, ex præciſa finis perfectionis conſequēdi (qui eſt vltima, atque ſuprema charitatis perfectio) nō ab re nec incōgrue, ſed multū ad rationē cōformiter, deduximus, ſic & in præſenti propoſito, prædictarum omnium neceſſitatem, maiorem vel minorem, ex maiori aut minori connexione, & proportione, quam cum illo etiam habeant, debemus inueſtigare, atque deducere, ea ſemper lege & pacto, vt non præciſe, aut ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, ad Religionis ſeu perfectionis ſtatum, eſſe credantur, aut eſſe de ſubſtantia & eſſentia ſtatus Religioſi, ſed hoc ſolummodo, quod ſunt accidentia quædam, valde vtilia & proficua, ſine quibus, quæ in Religionibus, ſeu Religioſo ſtatu, eſſentialia & ſubſtantialia ſunt, eſſe & tutò conſeruari, vix aut nullatenus poſſunt. Hoc præmiſſo notabili quod valde eſt notandum, atque memoriæ commendandum, fit clarum atque perſpicuum, id quod in noſtra concluſione eſt dictum, de Religioſorum omnium exercitijs, atque regularibus obſeruantijs, verbi gratia, abſtinentia, vigilijs, laboribus, nuditate, & mendicitate, & cæteris Religionum cæremonijs, quod ſunt quidem iſta omnia, non de Religionum, ſeu Religioſi ſtatus ſubſtantia & eſſentia, abſolutè & ſimpliciter cum non ſint media præciſa, neque ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, ad conſequendum perfectionis finem, qui eſt charitas, quam multi conſequuti ſunt, conſequunturque in dies abſque ipſis, ſunt tamen accidentia quædam, quæ Religionis ſtatum, ambiunt, circunſtant, ornant, atq; perficiunt, plurimumque conferunt, atque conducunt ad hoc, vt non amittantur, imò verò potius, conſeruentur & augeantur ea, quæ Religionis ſeu ſtatus religioſi ſunt ſubſtantialia. Non alia, neque maiori probatione, quam explicatione ſupra dicta, indiget noſtra concluſio, & quidem hoc pacto & hac ratione, probat eam Diuus Thom. loco vbi ſupra. Solùm ſupereſt, vt de mente eiuſdem dicamus, de ijs cæremonijs, exercitijs, & religioſis obſeruantijs, quam habeāt cum tribus prædictis votis eſſentialibus, conuenientiam, connexionem, & proportionem. A quo vt breuiter me expediam, viſum eſt referre verba quædā expreſſa ſupradicti D. Th. in ſolutione ad ſecundū. Poſtquā de tribus prædictis votis eſſentialibus

Omnes omnium Religionũ obſeruantiæ, ordinãtur ad tria ſubſtantialia vota, & ad meliorem eorundem conſeruationẽ.

tialibus mentionẽ fecit, deueniendo ad alia dicit; quòd omnes aliæ Religionũ omniũ obſeruantiæ, ad prædicta tria principalia vota ordinantur atque diriguntur, nam ſi quæ (inquit) ſunt inſtituta in Religionibus, ad procurandum victum, vt puta manuũ labor, mendicitas, & alia huiuſmodi, ad paupertatem referuntur, ad cuius conſeruationem, religioſi per hos conuenientiſſimos, & congruẽtiſſimos modos, victum, atq; veſtitum procurant, ac cætera humanæ vitæ neceſſaria. Alia verò exercitia, quibus corpus maceratur, qualia ſunt vigiliæ, diſciplinæ, ieiunia, & cætera huiuſmodi, indirectè etiam, ad votum continentiæ conſeruandum pertinent, & ordinantur, vt de ſe patet per ipſa enim caſtitas conſeruatur, ſine verò illis, difficillime reperitur, aut reperiri poteſt. Si quæ verò tandem ſunt in Religionibus inſtituta exercitia, pertinentia ad humanos actus, quibus Religioſi ordinantur ad perfectionis finem, nempe dilectionem Dei, & proximi, vt lectio, oratio, viſitatio infirmorum, & ſi quod aliud eſt huiuſmodi, comprehenduntur (inquit ſupra dictus D. Thomas) ſub voto obedientiæ, quod pertinet ad voluntatem, qua ſecundum diſpoſitionem alterius (Prælati nẽ pe) homo ſuos actus omnes, ordinat & dirigit, ad ſibi præfixum ac præſtitum finem. Ex dictis ſuperque ſatis colligitur, qualiter omnes omnium Religionum obſeruantiæ, cæremoniæ, religioſaque exercitia ordinentur ad meliorem, magisque exactam, trium eſſentialium, & ſubſtantialium votorum conſeruationem. Ita quod quamuis non pertineant, ad Religionis ſiue religioſi ſtatus eſſentiam, ſiue ſubſtantiam, pertinent tamen ad eiuſdẽ ornatum & perfectionem, & ſunt accidentia minis vtilia, atque proficua, neque modicum, quin verò multum neceſſaria, ad ſubſtantialium rerum conſeruationem, quod ſummopere adnotare oportet. Et hæc de iſto art. dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vndenam proueniat, quod obedientia, caſtitas, atque paupertas, ſint de eſſentia & ſubſtantia, Religionis, ſiue ſtatus religioſi?

Prima Concluſio.

Quod obedientia, caſtitas atque paupertas, ſint de eſſentia ſtatus religioſi, prouenit ex ipſa rerum natura atque ex inſtitutione Chriſti Dñi.

VOD obedientia, caſtitas, atque paupertas, ſint de eſſentia, & ſubſtantia Religionis, ſiue ſtatus religioſi, non prouenit ex humana ſolummodo inſtitutione, ſed ex ipſa rerum natura, atque ex inſtitutione Chriſti Domini. Hæc concluſio difficillima eſt, quam & nos proinde latiſsime explicare oportet, & quidem tres in ſe continet partes. In prima dicitur, quod obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quæ in Religionibus ſunt eſſentialia, & ſubſtantialia vota, non ſunt aliquod humanum inuentũ, nec ſolummodo aliqua humana inſtitutio. In ſecũda verò, quod id expoſtulat ipſarũ rerũ natura, natura inquam Religionis, ſeu eiuſdem ſtatus religioſi. In tertia demum, quod id ipſum, etiam habetur, ac prouenit, ex inſtitutione Chriſti Domini, atque adeò eſt de iure diuino. Supradicta tria ſunt ſumma animaduerſione digna, & tractanda modo per ordinem. Ad primum igitur deueniendo, quod tria eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota, non ſint aliquod humanum inuentum, aut ſolummodo aliqua humana inſtitutio, exinde patet, atque conſtare facile poteſt, quia vt diximus, in præcedenti articulo, ſuper his nulla omninò cadit diſpenſatio, neque efficere vlla ratione poteſt Summus Pontifex, quæ ſua eſt maxima atq; ſuprema poteſtas, & auctoritas in Eccleſia; vt aliquis Religioſus, verè & propriè manente religioſo, propriũ habeat, vxorẽ ducat, & non ſit alicui Prælato ſpecialiter ſubditus, atq; ſubiectus; ſed ſui iuris, & ab obedientia liber omninò. Ex quo proculdubio colligitur, quod tria prædicta, ſubſtantialia Religionis vota, non ſunt ex inſtitutione ſolummodo humana, & de iure tantùm humano poſitiuo, ſed potius de ſupernaturali, & diuino. Etenim ſi de humano ea tantummodo eſſent iure, quid obſtaret, quo minus ſummus ipſe Pontifex iuſta exiſtente cauſa, in eis poſſet diſpenſare, ſicut & in multis diſpenſat alijs? Iure enim conſtitutiſſimum eſt, quod in his quæ iuris ſunt tantùm humani, & poſitiui, & quæ vnus Summus Pontifex vno tempore, iuſta exiſtente cauſa ordinauit, atque conſtituit, eadem vel alia ſimili, exiſtenti ratione poteſt alio tempore, alius Pontifex ſimiliter diſpenſare, & ea mmutare, reuocare, atque in diuerſum ſtatum ſtatuere. Cum igitur id non poſſit Pontifex in tribus votis eſſentialibus prædictis (vt dictum eſt) liquidum profecto ſit, quod hoc non dependet aut prouenit, ex humana ſolummodo inſtitutione, ſed ex diuina: & quod id eſt, verè de iure diuino, vt amplius ſtatim dicemus, in tertia parte huius concluſionis. Quod autem, id etiam pendeat atque proueniat, ex ipſa rerum, & ſtatus religioſi natura (quæ erat ſecundæ noſtræ concluſionis pars) conſtare etiam poteſt manifeſtiſſimè, ex medio à nobis ſuperius adducto, in præcedenti articulo. Etenim ſi iuxta ſententiam Ariſtotelis, & iuxta omnem veram Philoſophiam, ratio mediorum deſumenda eſt à fine & finis Chriſtianæ perfectionis (qui eſt perfecta charitas) ad quam omnes in vniuerſum Religiones, dirigũntur, & ordinantur, conſequi vix aut nullatenus poteſt, abſque eo, quod quis abdicet à ſe, & à ſe omninò tollat, & depellat terrenam ſubſtantiam, carnales delectationes, & inordinatum propriæ voluntatis affectum; ſatis manifeſte colligitur, quòd illa vota, per quæ tria prærnemorata impedimenta tolluntur, & omninò auferuntur, quæ ſunt obedientia, caſtitas, atque paupertas neceſſariò ſunt de ratione, eſſentia, atque ſubſtantia, cuiuſlibet Religionis, ſeu ſtatus religioſi: idque ex propria ipſarum rerum natura, & ex propria, intrinſeca, atque formali ratione, eiuſdem ſtatus, poſtquam (vt dictum eſt) eſſe debet via & diſciplina, perueniendi ad charitatis perfectionem. Diſcurſus quidem eſt optimus, & ratio (vt mihi videtur) efficaciſsima, atque manifeſtiſſi-

ſtiſsima. Solum ſupereſt nunc, latius inueſtigare ac demonſtrare, quam maximè fieri poterit, quam hæc habeant cum perfecta charitate, & perfectionis prædicto ſtatu, antipathiam, ſiue repugnantiam, cuius ratione, conuenire, aut ſimul ſtare non poſſunt. Hoc enim eſt, quod in præcedenti articulo, in hunc locum explicandum, atque elucidandum deduximus. Quod argumentum latiſsimè, & elegantiſsime proſequitur, & miris atq; efficaciſsimis rationibus tractat, & comprobat. D. Thom. 2.2. quæſt. 186. art. 3. 4. 5. & ad probandum, quod terrena ſubſtantia, & amor rerum humanarũ, contraria ſupra modum ſint perfectæ charitati, & impedimentum quam maximum afferant peruenienti ad charitatis perfectionem, adducit illud D. Aug. lib. 10. confeſſ. cap. 29. vbi Deum alloquens, atque explicare volens, qualiter creaturæ omnes, ſed maximè diuitiæ, impediant perfectam Dei charitatem, dilectionem, & amorem, inquit *Minùs Domine te amat, qui tecum aliquid amat, quòd non propter te amat.* Fundatur hic D. Auguſ. diſcurſus (vt videtur) in eo quod dixiſſe ferunt Senecam olim, in quadã ſua epiſtola, nempe quod amare, niſi vnicam dumtaxat rem, verè atq; perfecte homo nullatenus poteſt: ita inquit D. Auguſt. quòd minus quàm oportet & quam debet, Deum diligit & amat, qui cum ipſo aliquid amat, quod non propter illum amat, ac ſi dicat, qui nõ Deum ſolummodo amat. Ex quo non incongrue colligit D. Tho. quod terrena ſubſtantia, & amor rerum humanarum, obſtaculum, & impedimentum quam maximum ſunt, perueniendi ad charitatis perfectionem. Id quod probat etiã ex alia eiuſdem Aug. auctoritate, lib. 83. quęſtionũ, quæſt. 36. vbi dicit, quòd *nutrimentum charitatis, eſt diminutio cupiditatis, perfectio verò nulla cupiditas.* Hac ratione probat D. Tho. quod non poteſt quis, rectè atque vti conuenit, Deũ ſimul, & creaturas amare, & diligere, ac proinde volũtariam paupertatem, eſſe de eſſentia, & ſubſtantia, cuiuſlibet Religionis, & ſtatus religioſi, & quod eſt amplius, primum fundamentum in perfectione. Quod verò caſtitas ſiue continentia, ad eandem perfectionem, ſiue perfectionis ſtatum ſpectet atque pertineat; probat idem D. Tho. ex eo quod carnales delectationes, ſed maxime venereæ, quam plurimum aduerſantur charitati, ſeu potiùs charitatis perfectioni, idque propter maximam ipſarum vehementiam, & quia blandimenta fœminea, corporumq; carnalis contactus virilem animum deijciunt, hominemque retrahunt atque retardant, vt ne vti conuenit, totaliter feratur in Deum, ad conſequẽdam charitatis perfectionem. Sed præterea inquit D. Thom. innumeras coniugatorum hominum, ſolicitudines, & anxietates, quas D. Paul. 1. Cor. 7. commemorat, enumerare quis poterit? Quomodo qui ratione ſui ſtatus, anxij atque ſoliciti ſunt, qualiter placeant vxori, ac mundo, placere etiam vti par eſt, atq; vti conuenit, ſimul Deo poterunt? Haudquaquam (inquit) congrue id fieri poteſt. Ex quo ſubinde concludit, continentiam, & caſtitatem perpetuam, eſſe etiam de eſſentia, & ſubſtãtia Religionis, ſeu ſtatus religioſi. De obedientia probat id ipſum, adducendo innumera propriæ voluntatis, & inordinati affectus nocumenta. Addu cendo præterea, Chriſtum Dominum, & Seruatorẽ noſtrum, in exemplum in cuius mirifica, exemplarique vita, obedientia ſummopere, mirumque in modum commendatur. Iuxta illud Pauli ad Phil. 2. vbi dicitur, quod *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Manet ergo ſatis probata ſecunda noſtræ concluſionis pars, qua diximus obedientiam, caſtitatem atque paupertatem, eſſe de eſſentia & ſubſtantia, cuiuſlibet Religionis, ſeu ſtatus religioſi, idque ex ipſa rerum natura, & ex propria & formali ratione eiuſdem ſtatus. Sed quod id etiam, habeatur ex inſtitutione Chriſti Domini, ſitque de iure diuino, quæ erat tertia, & vltima pars noſtræ cõcluſionis, probare nunc oportet. Et de paupertate non id erit nimiũ difficile: ſiquidẽ facile colligitur, poteſtque conſtare, ex verbis expreſsis eiuſdem Chriſti. Matt. ca. 19. vbi volens perfectionis ſelectam viã, adoleſcenti cuidam, qui eadẽ de re ipſum interrogauerat demonſtrare, paupertatẽ voluntariã prædictã, quaſi primũ perfectionis fundamẽtum apposuit, dicẽs: *Si vis perfectus eſſe vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & ſequere me.* Quid quæſo clarius, dici vnquam potuit, ad oſtendendũ atque inſinuandum, volũtariam paupertatem, eſſe de eſſentia, & ſubſtantia ſtatus perfectionis, & primum fundamentum in perfectione? Ad quod etiã facit quam maxime, id quod habetur. Lucæ. 14. vbi ſuos alloquens diſcipulos idem Chriſtus dixit: *Ni ſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ac ſi diceret, teſte D. Gregor. homil. 32. in Matth. qui per vitam veterem aliena concupiſcitis, per nouæ conuerſationis ſtudiũ, & veſtra largimini, in hoc enim ſtat perfectio. Satis ergo manet probatũ, de mente atq; doctrina Chriſti Domini, voluntariam paupertatem, eſſentialem eſſe, & intrinſecam ſtatui perfectionis. Sed pro caſtitate, & continentia, valde ſolemne eſt illud, quod habetur, etiam Matth. cap. 19. vbi ad eandem perpetuo ſeruandam, illius temporis fideles, & omnes ad perfectionem anhelãtes, allicere & prouocare volens, idem Chriſtus in medium produxit inter alia, quoddam eunuchorum genus, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. *Sed non omnes* (inquit) *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt à Deo: qui tamen poteſt capere capiat.* Ac ſi expreſsius diceret, de cœlo adueniſſe, atq; è cœlo venire debere, continentiæ, & caſtitatis deſideriũ, quo permoti plurimi propter regnum cœlorum, ſemetipſos ſpiritualiter caſtrauerunt: quamuis non omnes capiant verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Vt enim inquit Sapiens, Sapient. 8. *Nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus dederit illi.* Qui tamen poteſt capere capiat, quaſi diceret. Quod neceſſum eſt, vt capiant illud, omnes anhelantes & aſcendere, & peruenire cupientes ad ſtatum perfectionis. Super hæc verba fundant omnes vnanimiter Doctores, neceſsitatem præciſam, continentiæ, & caſtitatis, pro ſtatu perfectionis, & conſequenter cuiuſlibet Religionis. Sed vt ad obedientiam veniamus, eandem ad perfectionem, & perfectionis ſtatum, eſſe præciſe neceſſariã, ſub negatione propriæ voluntatis, ſanctis ſuis Apoſtolis, atque Diſcipulis, pluries in Euangelio, Chriſtus ipſe Dominus propoſuit, Matth. 16. & Luc. 9. dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucẽ ſuam,*

Humanarum rerum ſubſtantia, impedimentũ eſt ſtatui perfectionis.

Carnales delectationes charitatis perfectioni magnum impedimentũ ſunt.

Propria voluntas, multum etiã ob eſt charitatis perfectioni.

ſuam, & ſequatur me: quod fit per obedientiam per quã propria mactatur, atq; ſacrificatur volũtas, quæ etiam, vt ex eiuſdem Chriſti verbis cõſtat, neceſſaria eſt, ad hoc vt ſequi poſsimus Chriſtum, ac proinde ad omnem ſtatum perfectionis: cum omnis noſtra perfectio conſiſtat, in perfecta Chriſti Domini ſequela, & imitatione. Ex his manet ſatis probata noſtra concluſio, qua diximus, obedientiam, caſtitatem, atque paupertatẽ, eſſe de eſſentia, & ſubſtantia Religionis, ſeu ſtatus religioſi, & quod hoc non prouenit, ex humana aliqua ſolummodo inſtitutione: ſed ex ipſa rerum natura, atque ex præſcripto, & inſtitutione Chriſti Domini. Sed ex hac concluſione, infero etiam aliam, quæ ſit ſecunda in ordine.

Secunda Concluſio.

Omnes Religiones, neceſſariò conuenire habent, in tribus præ dictis eſſentialibus votis.

QVamuis Religiones omnes, differant ſiue differre optimè poſsint, in alijs obſeruantijs, peculiaribus præceptis, & cæremonijs regularibus; in his tamen tribus votis eſſentialibus, obedientia ſcilicet, caſtitate, & paupertate, haud quaquam differunt, neque differre poſſunt; ſed neceſſariò habent conuenire. Hæc concluſio iam ſatis conſtat ex ſupradictis, poſtquam diximus, hanc eſſe eſſentiam, ſubſtantiam, & naturam Religionis, ſeu ſtatus cuiuſlibet Religioſi. Quod autem eſſentia cuiuſlibet rei, immutabilis atque inuariabilis ſit, & eadem prorſus eſſe debeat vbique, naturaliter loquẽdo, ambigere nemopoteſt. Eadem ergo ratione dico, quod ſicuti in rebus naturalibus, dari non poteſt omninò homo, quin animal rationale ſit; quia hæc eſt eius eſſentia, quidditas & natura: ſic & in moralibus, inueniri non poteſt, quod aliqua ſit vera, & approbata Religio, quæ non etiam habeat hæc tria eſſentialia, & ſubſtantialia vota, obedientiæ ſcilicet, caſtitatis, & paupertatis. Solummodo ſtat differẽtia in hoc, quod in primo caſu, id prouenit vt dictũ eſt, ex eſſentia & natura rei naturalis. In ſecũdo verò, partim ex eſſentia ipſius rei, de qua loquimur, quæ eſt moralis, partim ex præſcripto Chriſti Domini, ipſiuſque inſtitutione, & totius Eccleſiæ traditione. Dico amplius, quod ſicut etiam homines, in accidentalibus, & penes ea, quæ extrinſeca atque accidentalia ſunt, differre optime poſſunt; non autem in eſſentialibus, ſic & in noſtro propoſito, Religiones omnes, quamuis differant, differreque poſsint, in alijs obſeruantijs, & peculiaribus præceptis, & cæremonijs regularibus, non tamen differunt, aut differre poſſunt in prædictis, quæ ſunt intrinſeca, & eſſentialia, quin vero in hoc neceſſariò, & omninò habẽt cõuenire. Hoc eſt certiſsimum atque conſtitutiſsimum, & certe hoc noſtro tẽpore, qui contrarium auſus fuiſſet affirmare, temerarius proculdubio, neque immeritò dijudicaretur, aſſerendo, & dicendo, id quod eſſe videtur, & contra ipſarum rerum, & religioſi ſtatus naturam, & contra inſtitutionem, & doctrinam Chriſti Domini, vt viſum eſt, & etiam contra expreſſam Summi Pontificis Innocentij Tertij determinationem. Addo quod quamuis hæc omnia, re ipſa non ita ſe haberent (vt ſatis probatum, & oſtenſum eſt) vniuerſalis doctorũ omniũ conſenſus, & antiquiſsima conſuetudo, ab Eccleſiæ naſcentis exordio; quæ id ipſum pro certo habet, omninò ſufficeret, ſuperq; ſatis eſſet, ad hoc, vt illud tenere, ſit neceſſariũ, & cõtrarium dicere, re vera exiſtimetur periculoſum, atq; temerarium. Apoſtoli enim qui fuerunt Eccleſiæ primitiuæ caput (vt ſtatim dicemus) id ipſum profeſsi ſunt, & id ita eſſe tenẽdũ Eccleſiæ tradiderunt: vel quia id immediatè acceperũt à Chriſto, qui in hoc ipſis prędixit, & explicauit ſuã intentionem, & volũtatem: aut quia id ita ſibi viſum eſt expedire, & certum eſt, neque negari vllo modo poteſt, quod ipſi Apoſtoli, cum (vt præmiſſum eſt) fuerint Eccleſiæ primitiuæ caput, & fundamentum, atq; immediatũ organum Spiritus ſancti, quibuscum Deus ipſe maximus, frequentiſſime loquebatur, potuerunt optime condere ius diuinum, ſicut ob eandem rationem, potuerunt ſacram Scripturam efficere. Sed hæc fuſiorem, atque longiorem requirebant ſermonem, quapropter pro nunc prętermittuntur, & ne videamur ſaltare extra chorum. Prædicta ſufficiãt pro iſtius articuli declaratione, & ſolutione.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad eſſentiam, ſiue ſubſtantiã Religionis, ſeu ſtatus Religioſi, ſpectet, quod obedientia, caſtitas, & paupertas, cadant ſub voto, & promittantur à Religioſis?

NON mediocris eſt difficultas, quæ tãgitur in iſto articulo. Et ratio dubitandi eſt. Nam cum omnis religioſa inſtitutio, perfectionis via, & diſciplina, deſumi debeat, ex doctrina, & traditione Chriſti Domini, & Chriſtus ipſe Dominus in Euãgelio, vbi de obedientia, caſtitate, & paupertate agit, tanquam de rebus ad ſtatum perfectionis ſpectãtibus & pertinentibus, voti, ſiue promiſsionis alicuius, nullam prorſus faciat mentionem, non neceſſariò dicendum videtur, pertinere aut ſpectare ad eſſentiam & ſubſtantiam Religionis, & ſtatus Religioſi, quod hæc tria cadant ſub voto, ſeu à Religioſis promittantur, aut ſub voto obſeruentur; ita vt qui aliquod horum infregerit, contra Religionis virtutem feciſſe, ac lethalis culpę reus ſtatim exiſtimetur, & habeatur, tanquam in ſua promiſsione infidelis, & proprio ſui ipſius ſtatui contrarius. Grãdis quidem difficultas, quæ etiam tangitur à D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 6. quo nihilominus argumento non obſtante, concluſionem ipſe adhibet affirmatiuam, dicendo, eſſe ad Religionis, & perfectionis ſtatum neceſſarium, quod prædicta tria, nempe obedientia, caſtitas, atque paupertas, cadant ſub voto, & à Religioſis viris promittantur. Sed ego pro maiori huius articuli reſolutione, & explicatione, tres volo ſtatuere concluſiones.

Prima Concluſio.

Ad eſſentiam & ſubſtantiã Religionis ſpectat, quod caſtitas, obediẽtia, atque paupertas, ſub voto à Religioſis promittantur.

AD eſſentiam, & ſubſtantiam Religionis, & Religioſi ſtatus ſpectat, vt hæc tria: obedientia caſtitas, atque paupertas, cadant ſub voto, & à Religioſis promittantur. Probatur hæc concluſio, primo, ex intrinſeca ratione, & natura eiuſdẽ ſtatus Religioſi, debet enim (vt diximus) eſſe ſtatus perfectionis. Et quidem qui dicit ſtatum, firmitatem dicit, & firmam obligationem permanendi in his, quæ ſunt intrinſeca, eſſentialia, & annexa eidem ſtatui; ſed hæc firmitas & obligatio, firma eſſe non poteſt, niſi per votum, vt ſtatim dicetur; ergo ad eſſentiam, atque ſubſtantiã Religionis, & Religioſi ſtatus ſpectat, quod obedientia, caſtitas, atque paupertas (quæ ſunt de ipſius ſtatus eſſentia) cadant ſub voto: alias non proprie Religio diceretur, perfectionis ſtatus. Hac enim ratione, differt Religioſorum omniũ ſtatus, à ſtatu ſæcularium. Nam quamuis tam iſti, quam illi, aſcendant, ſeu aſcendere conentur, ad charitatis perfectionem, non tamen eodem modo, neque eodem obligationis vinculo, ſed longe diuerſo. Sæculares enim, etiam ſi aſcendere conentur ad perfectionem; non tamen ad id ſpecialiter ſunt adſtricti, neque ſunt in perfectionis ſtatu, vt late probat D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 4. & 5. & q. 186. art. 6. Secus eſt de Religioſis, qui ſunt in perfectionis ſtatu, & tenẽtur ſpecialiter conari aſcendere ad perfectionẽ, & habet ipſorum ſtatus firmitatem debitam, à peculiari eorum obligatione, quæ oritur ex voto à ſe facto, & ex promiſsione firma eorum, quæ intrinſeca & eſſentialia ſunt tali ſtatui; non igitur ſtatus eſſe poſſet, ſine voto aut promiſſione. Secundo probatur eadem concluſio, ex eo quod refertur in Sacra Scriptura, feciſſe olim in veteri lege Nazaræos, qui vt inquit D. Hieron. in quadam ſua epiſtola fuerunt quaſi illius temporis Religioſi, & quoddam ſymbolum, ſiue figura religioſorũ noſtræ Eccleſiæ. Illi autem vt refertur, Num. 6. cum Deo dedicabantur, emittebant votum obſeruandi ea, quæ ad proprium ſuum ſtatum pertinebãt. *Vir* (inquit ſacra Scriptura) *ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt.* Illud votum emittebatur, ad maiorem firmitatem, eratque quaſi de intrinſeca ratione ipſius ſtatus; ergo idem omnino modò dicendum eſt, de noſtri temporis Religioſis. Hoc argumento vtitur D. Thom. ad probandam prædictam cõcluſionem, & eſſe neceſſarium, vt in Religionibus tria ſubſtantialia vota promittantur à Religioſis, & (quod dicitur) cadant ſub voto. Sed adhuc eſt latiſsimum diſcrimen, inter prædictorũ Nazaræorum votum, & noſtrum: nam eorum nõ erat perpetuum, ſed temporale, ad certum vſque & determinatum tempus, prout colligitur ex ſacra Scriptura, & ipſius literæ contextu. Noſtrorum autem Religioſorum votum eſt perpetuum. De qua perpetuitate, & profitendi modo, & obligatione, quæ oritur ex ſolemni voto, in ſubſequentibus plura dicemus.

Nazaræi fuerunt veluti antiqui temporis Religioſi.

Secunda Concluſio.

Quod obedientia, caſtitas, atque paupertas, cadãt ſub voto, & promitti debeãt à viris Religioſis conſtat ex doctrina Chriſti Dñi.

QVod hæc tria, obedientia, caſtitas, atque paupertas, à Religioſis obſeruentur, & obſeruari habeant ſub voto, præter rationes ſuperius dictas, colligitur etiam ex doctrina Chriſti Domini, tradita in Euangelio. Hanc concluſionem latiùs nos probare oportet, quia peculiarem difficultatem continet. Dico igitur, quod quamuis hoc ipſum in Euangelio non habeatur expreſſe, habentur tamen plura, ex quibus id non incongrue colligi poſsit. Et vt à paupertate incipiam, quando Chriſtus Dominus adoleſcenti illi, cuius in Euangelio fit mentio, dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; nil omnino aliud inſinuare prorſus voluit, quam paupertatem eſſe de eſſentia, & ſubſtantia ſtatus perfectionis, & Religioſi. Et quamuis expreſſe, non illi dixerit, id eſſe faciendũ ſub voto, bene tamen colligitur, quod eiuſmodi bona, erant firmiter, ac in perpetuum relinquenda, poſtquam dixit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Quod enim venditur, quod pauperibus erogatur, atque exhibetur, planum eſt, quod nõ datur reuocabiliter, ſed firmiter. Et hoc eſt proculdubio, quod apud nos, modo facit Religioſorum votum. Idem omnino dico de obedientia. Nam Matth. 16. & Lucæ 9. vbi eiuſdem datur conſilium, pro his qui ad perfectionis culmen vellent aſcendere; ſatis aperte etiam inſinuatur, non eam eſſe præſtãdam temporaliter, reuocabiliter, aut pro certo aliquo & determinato tempore, & poſt emiſſum votum ita voluntarie, vt liberum eſſet cuilibet, obedire, aut à debita obedientia recedere; ſed perpetuo, ac firmiter poſtquam dicitur, *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sicut igitur ſequela Chriſti, pro perfectionis ſectatoribus, non eſſe debebat temporalis, ſed perpetua, ita & obedientia. Maxime cum iuxta præſcriptũ, atque doctrinam eiuſdem Chriſti Domini, Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, eſſet aptus regno Dei.* Patet igitur qualiter, Religioſorum obedientia, habere debet firmitatem, quam inducit votum, quod ab eiſdem Religioſis fit. Idemque dicendum eſt, de caſtitate, & continentia. Quod & ſignificatum ſatis eſt, in ſimilitudine adducta de Eunuchis. Non enim Eunuchi temporaliter, & ad certum aliquod tempus caſtrantur, ſed perpetuò; quod identidem, omninò facere debent, hi qui ſunt ſpirituales Eunuchi, & vt dicitur Matth. 19. *Seipſos propter regnum cœlorum ſpiritualiter caſtrauerunt.* Ex iſtis ſatis colligitur, quod quamuis obediẽtiæ, caſtitatis, & paupertatis, in Religionibus fieri votum, non habeatur expreſſe in Euangelio, atque ex inſtitutione expreſſa Chriſti Domini, habetur tamen implicite, nec incongrue id colligitur; ſed ſatis congrue, atque dilucide.

Matthæi 19.

Tertia Concluſio.

Obedientiam, caſtitatem, atque paupertã

OBedientiam, caſtitatem, atque paupertatem ſub voto à Religioſis viris promitti, conſuetum ac practicatum fuit, ab Eccleſiæ naſcentis exordio

tem, ſub voto à viris Religioſis promitti, conſuetum eſt à tempore ſanctorum Apoſtolorum.

exordio, & à tempore ſanctorum Apoſtolorum. Hæc concluſio eſt expreſſa, D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. vbi expreſſe dicit, quod Apoſtoli emiſerunt, omnia tria Religionis, eſſentialia & ſubſtantialia vota, & habuerunt omnia pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſequuti. Et quod hoc neceſſariò dicendum ſit, probat doctiſsime atque elegantiſsime, ſapientiſsimus Aluarus Pelagius, libro, quem inſcripſit de planctu Eccleſiæ 2. ca. 56. Alias enim (inquit) non habuiſſent ijdem, ſupremum perfectionis apicem, dum hacque maxima caruerint perfectione, quæ eſt ad ſeruãda ea quæ perfectionis, ſunt ſemetipſos aſtrinxiſſe ſub voto, & ſub obligationis vinculo. Quod vt plenius notum fiat, adnotare libet, ex communi omniũ Doctorum reſolutione, quod illud conſiliũ emittendi vota, quod habetur Pſalmo 79. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Inter omnia præſtantiſsimum eſt, & maioris perfectionis, quam cætera alia conſilia. Eſt enim quaſi aliorum omnium conſiliorum perfectio & forma. Et certum eſt quod cuiuſlibet conſilij opus, maioris perfectionis eſt, magiſque Deo gratum quam quodlibet aliud, quod fiat abſque obligatione voti. Hac ratione à Doctoribus conſilium vouendi, ſiue emittẽdi vota, conſilium conſiliorũ nuncupatur. Si igitur id ita eſt, & Apoſtoli hac quam maxima caruiſſent perfectione, & ſemetipſos ad obedientiam, caſtitatem, & paupertatem ſeruandam, non obligaſſent atque adſtrinxiſſent ſub voto, quonam modo dici de eis omnino poſſet, eoſdem ſupremum habuiſſe apicem in perfectione? Dicendum eſt ergo omni dubio procul, quod Apoſtoli ab Eccleſiæ naſcentis exordio, trium votorum eſſentialium, ad Religionem pertinentium, emiſerunt expreſſum votum, atque ita facere, alios docuerunt, & in Eccleſia obſeruãdum tradiderunt. Qui hac de re plura, eaque notatu digniſsima videre deſiderat, conſulat librum noſtrum de perfectione Chriſtianæ Iuſtitiæ, quem modo typis mandare curamus, vbi meo quidẽ iudicio, reperire licebit, omnia, quæ ad hoc propoſitũ deſiderari poſſunt.

QVAESTIO II.

De Religione, & Religioſo ſtatu in communi, quantum attinet ad eius vnitatem, ſiue diuerſitatem, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religio, prout importat perfectionis ſtatum, debuerit eſſe vna, vel plures.

ANC rem primo intuitu inſpicienti, apparere forſan poſſet, non fuiſſe congruum neque conueniens, quòd in Eccleſia, Religiones, ſiue Religioſi ſtatus eſſent plures. Etenim ſi iuxta præſcriptum, D. Pauli, ad Epheſ. 4. Vnus eſt Deus, quem omnes in vniuerſum fideles Chriſtiani colunt, & adorant, cuius etiam diuinum cultum profitentur, ſi fides omnium noſtrum eſt tantummodo vna vnum etiam Baptiſma, ſi quæ in Religionis ſtatu, eſſentialia & ſubſtantialia eſſe dicuntur, nempe obedientia, caſtitas atque paupertas in omnibus Religionibus ſunt eadem. Vt quid igitur conuenit, tot ac tantos in Eccleſia fieri multiplices Religioſorum ſtatus, Religiones, & ordines? non id quidem videtur rationi conſonum, imo vero quam maxime incongruum, & contra omnem rationem prorſus. Quibus etiam accedit, quod id ſemper tale viſum eſt prudentibus, & dijudicatum à cordatis viris, qui in ea ſemper fuerunt ſententia, & opinione, vt crederent Eccleſiæ noſtræ, ſanctæ haudquaquam conuenire, Religiones in eadẽ fieri multiplices, ſiue multiplicari, vtque tale prohibitum reperitur ſtrictiſsime in quadam extrauaganti, quæ incipit. *Ne nimia, extra de Religioſis domibus,* facta per Innocentium III. in Concil. Lateran. Vbi Pontificio decreto, cauetur, vt Religiones nouæ, in Eccleſia deinceps nullatenus fiant, abſque expreſſa Romani Pontif. licentia, quia nempe contrarium fieri, atque permitti, magnam in eadem videbatur inducere confuſionem. Per hæc prima facie cuipiam videri forſan poſſet, non fuiſſe congruũ aut expediens, tot Religiones in Eccleſia multiplicari, ſed quod omniũ Deo in ſeruire volentium, omnino vna tantum eſſe deberet Religio, ſub qua omnes in vniuerſum militarent Religioſi. Sed hoc argumento non obſtante, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

EXpedientiſsimum fuit, & quam maxime neceſſarium, vt in Eccleſia ſancta noſtra, non eſſet vna dumtaxat Religio, ſed plures, & quod eſſent varia Religionũ inſtituta. Probatur hæc cõcluſio Nã ſi res penitus introſpiciatur, & cõſideretur, hæc Religionũ pluralitas in Eccleſia, nedũ deformitatẽ & confuſionẽ minime cauſat, quin vero pulchritudinem & perfectionem quam maximam, quam extollere volens miris encomijs olim regius Pſaltes, ipſius formoſitatem nimiam alta

Expedientiſsimum fuit, in Eccleſia plures fieri Religiones, & quod varia eſſent Religiorum inſtituta.

alta,& ſonora voce decantans, dicebat, Vidiſſe ſe Reginam(nempe Eccleſiam) cæleſtis & æterni regis ſponſam,à dextris ipſius ſedentem,inveſtitu deaurato, circundatam varietate. Quænam quæſo,eſt hæc varietas, qua Eccleſia noſtra Sancta,ita perficitur,ornatur& cõdecoratur;niſi Religiones variæ, atque multiplicia Religionum inſtituta,quibus homines,quidam ſic,alij autem ſic,alij vero aliter,varijs diuerſiſque itineribus, ad charitatem,& optatum perfectionis finem,aſcendere & peruenire conantur?quibus varijsReligionibus,ac diuerſis viuendi modis, ornatur cæleſtis Regis ſponſa Eccleſia,& perficitur, atq; cõdecoratur mirifice. Sic pulchra, & formoſa facta eſt, Eccleſia ſancta noſtra, quæ eſt corpus illud myſticũ,cuius caput eſtChriſtus,cuius etiã varietatis atque diuerſitatis,meminit D.Paulus 1.Cor.12.dicens,quod ſicut inuno corpore multa membra habemus,omnia autem membra,non eundem actum habent,ita multi vnum torpus ſumus in Chriſto,ſinguli autem alter alterius mẽbra.Hoc argumentum, latiſſime proſequitur ibi Diuus Paulus, miris atque efficaciſſimis rationibuscomprobans,fuiſſe ſummopere neceſſarium, quòd ſicut in vno corpore, plura ſunt membra, ſine quibus, præter quam quod corpus non ita fuiſſet perfectum, non etiam ſe recte regere aut gubernare poſſet,ita etiam in Eccleſia, plura eſſent officia & miniſteria, quibus miro quodam modo,correſpondẽt tot multiplicesReligiones, & religioſorum inſtituta.Cuius auctoritati,& ſimilitudini adductæ innixus,conſulto in concluſione appoſui, fuiſſe non ſolum expediens,verũ etiam,& quam maxime neceſſarium,quod in Eccleſia,Religiones & religioſi ſtatus, eſſent multiplices,& addidi hoc deformitatem minime cauſare in eadem:quin vero pulchritudinem,& perfectionem quam maximam. Hoc etiam argumentum latiſsime ſum proſecutus,in libro quem inſcripſi de perfectione Chriſtianæ iuſtitiæ, quapropter ab ijs modo,celeriter me expedio.Placet tamen ad eandem probandam concluſionẽ, rationem quandam adducere D.Thom.2.2.q.188. art.1.vbi agit de hac difficultate, & quæſtione, qua hinc inde agitata pro ſuo more, eidem tandem affirmatiue reſpondet, dicendo id quod dictum,eſt à nobis in concluſione,ad quod probandum ſequenti vtitur ratione.Cum enim(inquit) Religionis ſtatus(vt pluries dictum eſt) nihil ſit aliud,quam quædam perfectionis via,ſchola, & diſciplina,qua peruenitur, ſeu perueniri poteſt ad charitatis perfectionẽ, cũ etiã pluresſint charitatis actus,plura & diuerſa charitatis opera,& perfectionis exercitia,inquibus diuerſimode religioſi ipſi occupari & exerceri poſſunt, cõueniẽtiſsimum certe fuit,vt religiones in Eccleſia plures,atque multiplices eſſent,quæ omnes in vno vltimo atque potiſſimo charitatis fine conueniẽtes, ſecundum varia præcepta, regulares cæremonias, atque diuerſa religioſa exercitia, ad inuicem diſtinguerentur,& dicerentur plura inſtituta diſtincta.Hoc itaque eſt certũ. Quibus accedit alia ratio,& ea eſt, quod varia atque diuerſa ſunt hominum ingenia,variæ propenſiones,& nec eædẽ inſunt omnibus vires; quin vero vnus poteſt efficere hoc,non vero illud,vnus ſolitudinem appetit,alter hominum frequentia gaudet, alius legit,alter libentius orat,alius orationi incumbit, vt late proſequitur Neſtorius Abbas, apud Caſſianum,Collat.14.Non igitur ſine diuino numine atque conſilio,ſed ſuperna diſpenſatione,diuerſa ſunt Religionum inſtituta,quibus Deus Opt.Max.varijs hominum conditionibus, conſultum eſſe voluit.Solũmodo ſupereſt nunc, reſpondere ad obiectionem,in contrarium addu ctam,in initio articuli propoſitam. Et dico,quod Religiones eſſe plures atque multiplices,neque eſt contra rationem,nec vero contra doctrinam D.Pauli, vt ex ſupradictis patet. Nam quamuis Deus,ſit tantum vnus,vna fides, vnum baptiſma,vnus omnium Chriſtianorũ vltimatus finis, & diuinus cultus,multa tamen ſunt media& itinera,per quæ homines ad eundem, & ad Charitatis perfectionem acquirendã, poſſunt peruenire:expediebatque proinde, vt plures etiam eſſent Religiones in Eccleſia,ne forſan vlla deeſſet,conformis cuiuslibet conditioni, & complexioni.Hac de re plùra eſſent dicenda, ſi breuitas cui ſtudemus tantopere,non nobis obicem oppo neret.Dico etiam non hoc fuiſſe contra ſubſtantiam Religionis,nam quamuis in omnibus Religionibus,eſſentialia,& ſubſtantialia ſint eadem, non tamen vno & eodem modo,ſed pluribus,ad eorum perfectam obſeruãtiam peruenirí poteſt. Hoc argumentum latiſſime proſequitur D.Tho. demonſtrans qualiter, religioſi diuerſimode diſponantur,ad trium votorum eſſentialium obſeruantiam:ad obſeruantiam (inquam)obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, quidam per ſolitudiné, fugiendo & deſerendo ſeculum, & ipſius occaſiones,alij autem per abſtinentiam,& ieiunia frequentia;alij vero per continuas vigilias,& diſciplinas, & idem dicendum eſt de alijs.Ex quibus conſtare facile poteſt, qualiter cum conueniẽtia eorum quæ in Religionibus, ſunt eſſentialia, & ſubſtantialia,ſtare optime poſſit pluralitas Religionum.Neque vero hæc pluralitas,eſt illa, quã damnauit olim ſummus Pontif.Innocentius III. in præallegata extrauaganti. *Ne nimia.de religioſis domibus*,ſed aliam, pernicioſam, ſine ratione & cauſa,in Eccleſiam introductam, ſeu quæ tunc temporis fieri incipiebat, abſque vlla neceſſitate & vtilitate,cum iam tot ac tantæ, in Eccleſia factæ fuiſſent Religiones.Ex qua multitudine timuit prædictus ſummus Ponti.& merito,in Eccleſia,ne daretur aliqua cõfuſionis occaſio. Hæc de iſto articulo dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS. II.

An fuerit expediens, quod in Eccleſia fieret aliqua Religio, cuius particularis finis, & proprium inſtitutum,eſſet contemplatio,& vitæ contemplatiuæ exercitia.

VT hæc difficultas clarior atque dilucidior reddatur,libet eam pro more D.Thom.hinc inde

inde exagitare, siue difficilem reddere. Et quidē alicui maligni spiritus impulsu agitato, aliqualiter forsan videri poterit, non fuisse conueniens, quod in Ecclesia talis fieret viuendi modus, seu aliquod institutum, cuius particularis finis, esset contemplatio, & vitæ contemplatiuæ exercitiū. Dicet enim forsan quispiā, quod huiusmodi exercitium, & contemplatio ipsa est vita quodammodo otiosa, fidelibus, & Christianæ Reipublicæ parum vtilis, pro eo quod sit sterilis, & vt sibi videtur infrugifera. Cum enim Religiones omnes (vt pluries iam dictum est) ex se atq; ex natura sua, dirigantur & ordinentur ad charitatem, & dilectionē, non solū Dei, verū etiā & proximi, Religio autem cuius est finis contemplatio, & vitæ contēplatiuæ exercitia, quamuis Deo vacet, optimeq; vacare possit, & in eius dilectione & charitate multum proficere, expers tamen omnino esse videtur dilectionis proximi, incongruum proinde cuipiam videri poterit, & cōtra omnem prorsus rationem, quod in Ecclesia aliqua talis institueretur Religio, quæ solo diuino seruitio, & Dei dilectione contenta, nihil omnino curaret de dilectione proximi. Nam quo pacto (dicet) salutem proximi procurat, qui nec ipsum edocet, neque prædicat, nullum à peccatis absoluit, non curat ægrotos, captiuos non redimit, quin vero qui eiusmodi est, omnino ita procedit, ac si natus fuisset sibi soli. Hac enim ratione hæc vita cōtēplatiua, & hoc instituti genus, in sacra olim pagina Genes. 29. Racheli reperimus comparatum, quæ pulchritudinem in se, quamuis habuerit quam maximam, erat nihilominus sterilis & infrugifera, ac propterea Iacob viro suo minuschara, pro eo quod nō sibi genuisset filios. Idē ergo dicendum videtur in proposito, quòd prædicta vita, Deo Optimo Maximo, non adeò sit grata, prædictam ob causam. Hæc sunt breuiter, quæ contra hoc instituti genus possunt adduci, ad apparenter probandum, non fuisse congruum, neq; conueniens quod in Ecclesia, aliqua facta fuisset Religio, cuius peculiaris finis, & proprium institutum, essent vitæ contemplatiuæ exercitia. Sed eo argumento non obstante, in contrarium est veritas pro qua sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

Conueniētissimum fuit, quòd in Ecclesia aliqua institueretur Religio, cuius particularissimis esset vita contēplatiua

COngruum summopere atque expedientissimū fuit; quin vero & necessarium, vt in Ecclesia nostra Sancta, aliqua institueretur Religio, cuius particularis finis, & proprium institutum, esset contemplatio, & vitæ contemplatiuæ exercitia. Pro hac conclusione probanda, plures possem adducere rationes præstantissimas, à quibus consulto pro nunc abstineo, & celeriter pertransibo: nam hoc argumentum in libro cui titulus de perfectione iustitiæ, latissime sum prosequutus. Non tamen oportuit omnino in præsentiarum, difficultatem hanc prætermisisse, vt gradatim pararemus viam, ad ea quæ in hoc nostro Prælatorum regularium Manuali, de Regionibus omnibus & religiosis institutis, Deo dante sunt dicenda. Et pro nunc dico breuiter, esse certum atque indubitatum, firmiterque tenēdum, id quod in conclusione est dictum, nempe fuisse expediētissimum, congruentissimum, quin vero & necessarium, vt in Ecclesia, aliqua institueretur Religio, imò vero fieri Religiones multiplices, quarum particularis finis, proprium que institutum, esset contemplatio, & vitæ contemplatiuæ exercitia. Ad quod probandum, solemnissimum atque celeberrimū esse solet, illud quod habetur, Lucæ 7. vbi interpellante, & increpante Martha (actiuæ vitæ symbolū) Mariam sororem suā, circa pedes Domini sedentē, atq; ipsius Marthæ iudicio otiosam, eo quod eandem non adiuuaret; Christus Dominus satisfacere illi volens; dixisse ac respondisse fertur. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium.* Maria (quæ figura etiam vitæ cōtemplatiuæ erat) *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Multa quidem pulchra & mira, circa hanc auctoritatem, eiusdemq; explānationem dici possent, quæ breuitatis gratia facio missa. Hoc solo cōtentus dixisse, atque in medium potuisse, de mente & sententia Christi Domini, quòd hoc vitæ cōtemplatiuæ genus optima sit pars, quæ in præsenti sæculo haberi potest, & Deo quam iucundissimū eius exercitium, expedientissimumque & necessarium proinde, vt in Ecclesia, aliqua fieret Religio, quæ hisce rebus incumberet, & pro proprio, & peculiari fine, haberet vitæ cōtēplatiuæ officia & munera. Huic rationi quæ præstantissima, atq; efficacissima est, accedit alia, nec contemnēda quidem. Ea est; nam contemplatio cuiuslibet hominis, necdum religiosi, adeò est occupatiō, & exercitatio propria, vt Seneca, & alij quamplures ex antiquissimis, & sapientissimis philosophis, frustra natum fuisse hominem dijudicauerint, nisi ad hoc solummodo, vt ea potiretur, & huic vni rei semper vacaret, Dei Optimi Maximi scilicet, contemplationi. Est enim (inquit) vita contemplatiua, quę homines aliàs terrestres, cœlestes facit, siue angelicos, pro eo quod corpore in terra viuentes, in cœlo semper mente omnino versentur, ad instar D. Pauli, qui de se, atque alijs Apostolis, dicebat quod in cælis erat eorū conuersatio perpetua. Si igitur id ita est, manifeste sequitur expedientissimum, atque conuenientissimū, fuisse quod in Ecclesia, aliqua institueretur Regio, cuius proprius finis, & proprium institutum, esset Dei Opt. Max. & diuinarum rerum contemplatio, & vitæ contemplatiuæ exercitia. Solummodo superest nunc satisfacere obiectioni, in huius articuli initio propositæ. Cui satis dilucide atque luculēter, vt & cætera alia respondet D. Bernard. libro quem inscripsit de vita contemplatiua, dicens, contemplationē & vitæ contemplatiuæ exercitium, haud quaquam esse otiosam vitam; quin vero laboriosam nimiū. *Non est otium* (inquit) *sed negotium & negotiorum omnium maximum contemplatio.* Nec etiam (inquit) hæc vita vt quidam putant, est sterilis & infrugifera, quin vero fœcundissima, valde vtilis, ac Christianæ Reipub. summopere necessaria; neq; omnino negligit, contemplatiuus vir, salutem commodū & vtilitatem sui proximi, quin vero, ita vacat diuinarum rerum considerationi, & contemplationi, vt etiam suis ieiunijs, vigilijs, & cor-

Vitæ contemplatiuæ laudes.

Vita contemplatiua, nōest otiosa, sed laboriosa, neq; sterilis, sed frugifera.

& continuis orationibus, proximorum ſuorum ſalutem quærat, inſtar alterius Moyſis olim, qui ſua efficaciſſima oratione, lachrymis & ſuſpirijs, Dei Opt. Max. iuſtiſsime & meritiſſime contra Iſraeliticum populum irati, ligabat manus, atq; ita illum vinciebat, vt diceret illi Deus: *Dimitte me, vt irascar contra populum istum.* Hoc igitur eſt, quòd in deſertis inceſſanter, faciunt viri religioſi contemplatiui, orationi atque contemplationi dediti, ibique ſua ſolitudine (quæ quam maxima eſt, mirumque in modum æſtimanda, atque laudanda) continuis ſuis vigilijs, ieiunijs, & abſtinentijs, innumeriſque alijs religioſis exercitijs, non quidem loquendo, ſed tacendo, quod docendi & erudiendi genus, melius atque efficacius multo eſt, ſuo exemplo alios edocent, erudiunt, prædicant, & ad mundi contemptum prouocant & alliciunt. Quò fit, vt qui talia agunt, atque in huiuſce rebus exercentur, à mundi ſectatoribus, perfidis & maleuolis, immerito quidem otioſi exiſtimẽtur, & ſine ratione & cauſa dicatur quod ipſorum vita, Chriſtianæ Reipublicæ ſit ſterilis, & infrugifera; cum potius nimium ſit vtilis, atque Eccleſiæ noſtræ Sanctæ ſummopere neceſſaria vt patet ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm fuerit expediens, quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, cuius proprius finis, eſſet actio, & vitæ actiuæ exercitia?

AB hac etiam difficultate, breuiter etiam me expediam: cum & de eadem, permulta à me fuerint dicta, loco vbi ſupra. Sed neque illã omnino potui prætermittere, propter rationem ſuperius dictã: & vt ne in præſentiarum, aliquid indeciſum remaneret, quod amplecti conueniret. Et maioris diſtinctionis & claritatis gratia, libet difficultatem hanc, ad modum, quo & præcedentem, pro meo more; hinc inde breuiter diſcutere, adducendo in contrarium aliqua, exquibus forſan cuipiam videri poſſet, non fuiſſe congruum, neq; conueniens, quòd in Eccleſia aliqua, fieret Religio, quę quaſi principaliter actionem reſpiceret, cuius etiã proprius, & particularis finis eſſet actio & vitæ actiuæ exercitia. Et formari poteſt ratio hoc modo. Nam cum Religionum omnium vltimatus finis, ſit charitas, vt dictum eſt, & amplius inferius eſt dicendum, ita vt totius Chriſtianæ vitæ perfectio, in perfectiſſima Dei Opt. Max. charitate, dilectione & amore conſiſtat; contra rationem profecto eſſe videtur, quod religioſus aliquis, in actione, operibus, & exercitijs vitæ actiuæ occupetur aut exerceatur, ſiue quod in Eccleſia aliqua conſtituatur religio, quæ quaſi principaliter actionem reſpiciat, cuius etiam proprius finis, & proprium inſtitutum, ſint actiuæ exercitia, poſtquam, vt experientia ipſa conſtat, hæc ſunt, quæ quam maxime hominis animum diſtrahere & impedire ſolent, quominus, vti tenetur, Deum ſuum perfectiſſime diligat, illique vniatur, & adhæreat, ac totaliter feratur in ipſum, in quo ſumma eiuſdem hominis, & charitatis perfectio conſiſtit. Hoc argumento ſatis apparenter, probari videtur propoſitum; ſed eo nihilominus non obſtante, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Conueniẽtiſſimum fuit, vt in Eccleſia aliqua inſtitueretur Religio, cuius proprius finis, eſſent actiuæ vitæ exercitia.

COnueniẽtiſſimum fuit, multumque congruũ, ac fere ſummopere neceſſariũ quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, cuius proprius finis, & proprium inſtitutum eſſet actio, & vitæ actiuæ exercitia. Hæc concluſio eſt expreſſa, D. Th. 2. 2. q. 188. ar. 2. vbi agit de hac difficultate & quæſtione, & adhibita concluſione affirmatiua, eo modo quo dictum eſt à nobis. Probat eam, primò auctoritate D. Iacobi in ſuã epiſtola, cap. 1. vbi loquens de religione in communi, ſed non propterea de religioſo ſtatu minus in particulari, inquit: *Quod Religio munda & immaculata, apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Quem locum explicans, idem D. Thom. ſuper epiſtolas D. Pauli & aliorum Apoſtolorum, inquit, quod quamuis eo in loco, illorum tantum duorum, miſericordiæ operum, expreſſam fecerit D. Iacobus mentionem, ſub illis tamen, reliqua omnia comprehenduntur, ſancta & religioſa exercitia, quæ quidem non ſolũ ſunt Religionis actus: prout Religio eſt virtus quædam moralis, omnes in vniuerſum comprehendens atque obligans Chriſtianos: verum etiam & ſpecialiter, prout importat ſtatum perfectionis, qui ſtatus Religioſorum eſt proprius. Talia, enim opera (inquit D. Thomas) ſummopere ſunt Deo grata: quin vero & gratiora inter omnia alia quæ in diuinum obſequium, fieri poſſunt ſacrificia. Ad quod probandum, adducit illud D. Pauli ad Hebræos 13. vbi eoſdem alloquens, inquit. *Beneficentiæ, & cõmunionis, nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Ex quibus verbis oritur etiam alia, nec minus efficax ratio, ad eandem probandam concluſionem, quæ ſit ſecũda in ordine. Nam cum Religio, prout importat, perfectionis & Religioſorum ſtatum, reſpectu Religionis, prout eſt generalis, & moralis quædam virtus, antonomatice, & quaſi per excellentiam dicatur, de eo ſtatu quo peruenitur: ſeu perueniri poteſt ad perfectionẽ; cũ etiã ad Religionẽ, ſiue hoc ſiue illo modo ſumatur, ſpectet offerre Deo ſacrificia, & inter ſacrificia ipſa, nullũ eſſe poſſit Deo gratius, quam illud quod cedit & vergit in commodum, atque vtilitatem proximi, quam vt de ſe patet reſpiciunt, ac veluti pro fine habẽt actiuæ vitæ exercitia, liquidũ profecto fit, fuiſſe cõuenientiſsimum, atq; expedientiſsimum, quin vero & ſummopere neceſſarium, vt in Eccleſia, ad id muneris, & ad aſſequendum finẽ prædictũ, aliqua fieret & inſtitueretur Religio. Sed tertio & vltimo probatur eadem concluſio, nam, vt pluries dictum eſt, Religio ſiue Religionis

gionis ſtatus, ad charitatem, ſiue perfectionem charitatis ordinatur; ſed charitas, vt ingenue probat D. Th. 2.2. q. 25. & 44. per plures articulos, cum ſit vna virtus, & vnicus habitus, duos tamẽ habet actus, quorum altero Deum, altero vero, proximum reſpicit, ergo ſicut conueniens fuit, quod in Eccleſia eſſet vita ipſa contemplatiua, & aliqua inſtitueretur Religio, quæ pro fine, huiuſmodi haberet exercitia, ad maiorem, magiſque exactam dilectionem, & charitatem Dei; ita & cõuenientiſſimum, & expedientiſsimum fuit, vt eſſet etiam vita actiua, & aliquæ Religiones ad hunc finem ordinatæ & inſtitutæ, quarum diuerſis exercitijs, procuraretur ſalus ſpiritualis proximi, vt vel ſic, ad omnem charitatis actum, aliqua eſſet in Eccleſia inſtituta, & ordinata Religio, quædam ad vitam contemplatiuam, alia vero ad prædictam actiuam. Ad obiectionem in initio articuli propoſitam, faciliter reſpondetur, dicendo quod viri actiui, & qui in eiuſmodi muneribus & officijs exercentur, ſi vti par eſt, recte ſuæ correſpondeant obligationi, prout tenentur non diſtrahuntur, nec impediuntur à Dei charitate & dilectione, per actiuæ vitæ exercitia, imo vero in eiſdem (ſed in dilectione proximi quam maxime) Deum quærunt: vt eleganter D. Tho. demonſtrat vbi ſupra, oſtendendo qualiter obſequium in proximos propter Deum delatum ſiue exhibitum, in eundem redũdat. Iuxta illud quod dixit Chriſtus olim Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ibi etiam oſtẽdit qualiter religioſi, recte & ſine offenſione, ſecundum corporalem præſentiam eſſe poſſint in mundo, abſque eo, quod ſint in eodem, ſecundum affectum, vtentes hoc mundo, tanquam non vtãtur; iuxta præſcriptũ Apoſtoli, adimplere curãtes, quod dixit D. Iacobus loco ſupra citato, illius tẽporis fideles admonẽs, vt ſic viſitarẽt pupillos, & viduas in tribulatione eorum, quod etiam ſemetipſos, immaculatos cuſtodirent ab hoc ſæculo. 1. Cor. 7.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fuerit expediens, quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, ad prædicandum & confeſsiones audiendum, cuius proprium inſtitutum, eſſet alios edocere, & fidelium confeſsiones audire?

HAnc difficultatẽ, tractat D. Tho. 2.2. q. 188. ar. 4. & pro more ſuo varijs hinc inde petitis argumẽtis, auctoritatibus, & rationibus, ipſam exagitat ſiue difficilem reddit. Sed quia ego in libro de perfectione iuſtitiæ, hoc argumentum latiſſime ſum proſequutus, nunc illud celeriter pertranſibo, hoc ſolummodo contentus, ſi ſequentem concluſionem, in medium propoſuero, ne aliquid in præſentiarum remaneat indeciſum.

Concluſio.

Cõuenientiſſimum fuit, quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur religio, quæ ordinaretur ad prædicandũ, & cõfeſsiones audiendum.

COnuenientiſſimum, atque expedientiſſimũ fuit, vt in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, quin vero & Religiones, quę ordinarẽtur, ad prædicãdum, & Chriſti fidelium confeſsiones audiendum, & cuius proprius finis, eſſet prædicare & confeſsiones audire. Hęc concluſio eſt expreſſa D. Thom. vbi ſupra. Et probat eam, primo auctoritate Neſtorij Abbatis, cuius fit mẽtio apud Caſſianum, in collationibus Patrum Colla. 14. c. 4. in fine, vbi agens de varietate & diuerſitate Religionum antiqui temporis, inter alias quaſdam enumerat, quæ erant inſtitutæ ad docendum, & erudiendum alios, quarum proprius finis, & inſtitutũ erat, alios docere, atque erudire, & proximos in viam veritatis dirigere. Sed ſecundo probat D. Thom. eandem concluſionem ratione. Nã cum conueniens fuerit, vt in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, ad opera vitæ actiuæ, vt dictum eſt in præcedenti articulo, atque inter ipſa nullum ſit præſtantius, & Chriſtianæ Reipublicæ magis neceſſarium, eo quo proximi ſpiritualis ſalus procuratur, quod fit per prædicationem & doctrinam, & fidelium confeſsiones audiẽdo, liquidum profectò fit, congruentiſſimum atque expedientiſſimum fuiſſe, quod ad id muneris in Eccleſia, necdum aliqua inſtitueretur Religio, quin vero & Religiones. Quam magnũ ſit, quam Deo gratũ & quanti ab omnibus æſtimandũ, hoc ſalubre & ſalutare exercitium; probat latiſſime D. Tho. 2.2. quæſt. 32. ar. 2. ex eo, quod eleemoſynæ ſpirituales, quibus anima paſcitur, & ipſius ſalus procuratur, corporalibus multò potiores atque præſtantiores ſunt. Ad quod propoſitum, libet breuiter adducere, duas auctoritates præſtãtiſſimas, quas affert D. Thomas, alteram D. Gregorij, alteram vero D. Chryſoſtomi; D. Gregor. in Homilia ſuper Matth. cap. 11. explicans verba illa, *Cum audiſſet Ioann. in vinculis opera Chriſti*, hac de re agẽs, inquit, *quod plus eſt animam in æternum victuram, pabulo verbi reficere, quam ventrem moritu-ræ carnis, terreno pane ſatiare* D. etiam Chryſoſtomus, in epiſtola ad Corinthios, homilia 3. ſic habet: *Si immenſas pecunias in alendis pauperibus eroges, plus tamen efficeris, ſi vnam conuerteris animam.* Quid quæſo amplius, dici aut deſiderari potuit in laudem concionatorum & prędicatorum, & ad probandum fuiſſe congruentiſſimum, expedientiſſimum, ac fere neceſſarium, vt ad prædicandum & Chriſti fidelium confeſsiones audiendum, & ad id muneris alia, in Eccleſia aliqua inſtitueretur Religio, quin vero & Religiones? Hæc de hoc articulo breuiter dixiſſe ſufficiant.

Nota in laudẽ concionatorum, atq; prædicatorum.

(.?.)

ARTI-

ARTICVLVS. V.

Vtrùm fuerit expediens, quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, ad ſtudendum, ſeu quod ſtudia eſſent in Religionibus?

NEque hãc difficultatẽ prætermiſit D. Tho. imo vero de ea peculiarem ſtruxit articulum. 2. 2. quæſt. 188. artic. 5. de qua nos etiam plura diximus, loco pluries citato, libro de perfectione iuſtitiæ. Vt tamen omnium, quæ deſiderari poſſunt, in præſentiarum aliqualis habeatur notitia, libet etiam de hac quæſtione, breuiter aliquid dicere, & pro meo more eandem difficultare, ſiue difficilem reddere, inſtar D. Thom. Et quidem, quod nulla talis in Eccleſia Dei, inſtitui debuerit Religio, ex eo cuipiam videri forſan poſſet, quia ſtudiorum exercitium, non ita proprium Chriſtianorũ, necdũ Religioſorũ, apparet, ſed magis antiquorum gentilium. Sunt enim ſtudia vt plurimum, multarum diſſenſionũ occaſio & cauſa atq; innumerabilium controuerſiarum, & contentionum principium, vt experientia ipſa conſtat, in Philoſophis antiquis, qui & propterea in varia ſchiſmata & diuerſas ſectas ſunt partiti atque diuiſi, quia ſcientijs & ſtudijs, fuerunt quam maxime ſeu plus nimio dediti: quæ quidem omnia aliena prorſus eſſe videtur, à quiete Religioſa, & ab ea pace, humilitate & vnitate, quã omnes in vniuerſum Chriſtianos, ſed maxime religioſos, inuicem habere, & obſeruare oportet. Ex quo fieri videtur conſequens, non fuiſſe conueniens, quod religioſi, literis addiſcendis inſudarent, aut darent operam, ſaltim eo nixu & ſtudio, quo fieri in conſuetudine eſt poſitum, neque quod ad id muneris, aliquæ fierent ſiue inſtituerentur Religiones. Sed ijs omnibus non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio,

Conueniens fuit quod aliquæ eſſent in Eccleſia Religiones ad ſtudendum, ſeu quod ſtudia eſſent in Religionibus.

CONuenientiſſimum fuit, ac multum neceſſarium, quod religioſi, ſcientiæ, & literarum, haud quaquã eſſent prorſus ignari, quin vero ſtudijs acquirendis vacarent, & ad ſcientiam acquirendam, aliquæ in Eccleſia fierent Religiones. Hæc concluſio eſt D. Thom. loco ſupra citato. Et probat eam, primo auctoritate D. Hieronymi in Epiſtola ad Paulinum, quæ incipit *Frater Ambroſius*, & fertur communiter in principio Bibliæ. Vbi eundem cum etiam eſſet, in ſtatu monaſtico, ad diſcendas literas, inuitat, dicens: *Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeueret in cælis.* Et paulo infra, *Quidquid quæſieris tecum ſcire conabor.* Et loquens de his, qui ſcientiarũ ſunt prorſus ignari, & de nocumẽtis, quæ ipſi in Eccleſia Dei afferunt, ſubdit quædã horrenda, ſed notabiliſſima verba: *Sãcta* (inquit) *ruſticitas, ſolũmodo ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.* Verba ſunt expreſſa D. Hieronym. & quidem pro Religioſis ignaris notatu digniſſima. Sed præterea probat D. Thom. eandem ſuam concluſionem ratione, enumerando cõmoda, atq; vtilitates, quæ ex præ dictis ſtudijs, & literarum peritia, Religioſis cum ẽctis proueniunt, aut ſaltem euenire poſſunt, tam ad vitam contemplatiuam, quam ad actiuam, & ad vitanda innumera religioſæ vitæ nocumenta. Et in primis, quod ſtudia contemplationi deſeruiant, probat ex eo, quod ſcientia, ſed maxime ſacrarum literarum, illuminat intellectum, & ad rerum diuinarum conſiderationem, quam maxime viam parat, & hoc directe. Indirecte etiam remouet, contemplationis pericula & errores, qui in contemplatione poſſunt occurrere, & frequẽter euenire ſolent, ijs qui ſacrarum ſcripturarũ ignorantia laborant. Ad quod propoſitũ adducit dictũ quoddã notabile, quod habetur in collationibus Patrum Collat. 10. c. 4. de quodam Abbate Serapione, qui propter ſimplicitatem, quam habebat nimiam, incidit in errorem Anthropomorphitarum, ideſt, eorum qui Deum habere humanam formam arbitrabantur. D. etiam Gregorius lib. 6. Moral. cap. 26. de his qui diuinarum rerum ſunt prorſus ignari agens, inquit. *Quod nonnulli, dum plus quam capiunt, exquirunt contemplando, vſquè ad peruerſa dogmata: quandoque erumpunt. Et ſic dum veritatis eſſe diſcipuli humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt.* Ex his colligit D. Thom. literarum ſtudium, eſſe ſummopere neceſſarium, etiam in religioſis viris, & contemplationi quam maxime deſeruire. Sed quod etiam deſeruiat vitæ actiuæ, adeò clarũ atq; perſpicuũ eſt, vt in cõtrouerſiã adduci nõ debeat, aut poſſit. Etenim ſi vitæ actiuæ exercitia ſunt, prædicare, populũ edocere, & erudire, fidelium confeſſiones audire, vt de ſe patet, quonam pacto, quãve ratione, id ipſum ſine ſtudio & literarum peritia, fieri vnquam poterit, ſine multorum errorum commiſtione? Certe quod præfata officia & munera, ſine debita ſufficientia fiant, & quis ſcientiæ, & literarum prorſus ignarus, in eorum exercitio, & executione ſe intromittat, ſcelus quam maximum eſt, & humanæ aures id prorſus abhorrent exaudire, Sed hoc alias amplior futurus eſt ſermo. Solum modo reſtat nunc probandum, qualiter per ſtudia prædicta, tollantur atque remoueãtur multa religioſæ vitæ nocumenta Hoc argumentum late etiam proſequitur, dictus D. Tho. & in primis dicit, quod literarum ſtudium, Religioni & religioſis omnibus congruit, quãtum ad id quod eſt omni Religioni commune. Valet etenim ad vitãdam carnis petulantiam. Ad quod propoſitũ adducit illud, quod dixit olim D. Hieronymus, ſcribens ad Ruſticum Monachum, *Ama ſcripturarũ ſtudia, & carnis vitia non amabis.* Valet etiam (inquit) ad vitandã carnis luxuriam, propterea, quod ſtudiũ auertit animũ à cogitatione laſciuiæ, & propter continuũ laborem, carnem ipſam macerat. Studium etiã (addit) eſt religioſorum ſolatiũ, & religioſos ipſos recreat nutrit, & fouet admodum: quo & de Machabæis dicitur, quod ſanctos libros habebant pro ſolatio. Tandem ſtudium, otioſitatem occidit, quæ (vt dicitur) fons eſt, radix & origo omnis mali, iuxta illud, quod habetur in Eccleſiaſtico, *Multam malitiam docuit*

Nota hoc valde in laudem ſcientiæ, & ſtudiorum, ex Hieronymo & alijs.

docuit otioſitas. Hæc per ſtudium & ſtudentium occupationes cõtinuas occiditur. Qua ratione dici citur, quod quidam in laboribus ſtrenue olim exercitatus, dicere ſolituserat, *occido illã, vt ne illa occidat me.* Ex dictis ſatis ſuperque colligitur, fuiſſe conuenientiſſimum, atque expedientiſſimum, vt nedicam ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, quod religioſi literarum, haud quaquã eſſent prorſus ignari, & quod in Eccleſia, aliquæ Religiones ad id muneris inſtituerentur, vt prædictum eſt, pro otioſitate vitãda, ac pro maiori & meliori ſuorum munerum, & officiorum executione, & etiam ad remouenda & expellenda innumera dãna, quæ ex ignorantia, ſibi ac toti Eccleſiæ, exinde poſſent prouenire. Solũmodo ſupereſt nunc, reſpondere ad argumentum, pro alia parte, in contrarium adductum. Ad quod breuiter dico cum D. Tho. quod illud habet locum, in ſtudijs quę ſunt ſine charitate; ſcientia enim ſine charitate, inflat, vt dixit Apoſtolus. 1. Cor. 8. *Scientia inflat charitas vero ædificat,* Hæc etiam ſunt ſtudia, quæ lites, ſectas, & controuerſias generãt, & diſſenſiones plurimas faciunt, nam vt habetur in Prouerbijs: *Inter inflatos, atque ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Sed id locũ non habet, in religioſorũ ſtudijs, quæ fiunt cum charitate vt plurimum, & cũ ſummahumilitate, concordia, animi pace atq; modeſtia, vtpote quæ non ad arrogantiam, extollentiam, ſiue ſuperbiam, ſed ad charitatẽ potius ordinantur aut ſaltim debent ordinari. Quide hoc argumenti genere, plura videre deſiderat, conſulat præfatum librum noſtrum de perfectione iuſtitię: non enim poſſumus in hiſce rebus amplius immorari; neque libet eadem, ſemel atque iterum dicere.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm fuerit expediens, quod in Eccleſia, aliquæ inſtituerentur Religiones, quarum proprius finis & proprium exercitium eſſet in choro canere, atque in Eccleſijs, diuinas laudes perſoluere?

NON eſt inter Catholicos, aut Chriſtianorum quiſpiam, adeò amens, vt de veritate propoſitiarticuli aude, at ſiue poſſit dubitare. Inter hæreticos tamẽ, nõ defuerunt olim, qui hoc ſanctum, laudabile, & ſalutare exercitium canendi, maxime in Eccleſiarum choris & hũc modo laudandi Deum, voluerint veluti è medio tollere, ipſumque veriti nõ fuerint damnare. De quorum errore qui plura videre voluerit, conſulat doctiſſimum Thomam Vvaldenſem, impugnantem errores ſtultiſſimi Vvicheph. to. 5. cap. 16. Conſulat etiam, ſapientiſſimum & nunquam ſatis laudatum, P. Fratrem Illefonſum de Caſtro, noſtræ huiuſce Religionis, & minimę Prouincię D. Iacobi, quin vero & totius Hiſpaniæ, magnũ decus & ornamentũ, libro ſuo, quem edidit aduerſus hæreſes, *verbo cãtus.* Videat etiam ea, quæ nos ad idẽ propoſitum latiſſime diximus, in ſupradicto libro de perfectione Chriſtianæ iuſtitiæ. Non enim eſt in votis, aut noſtri propoſiti, hac de re in præſentiarũ cum hæreticis agere, ſed cũ Catholicis, breuiter atq; reſolute dicere, ea quæ ad hoc propoſitum, Eccleſiaſticorum canticorum, ac diuinarum laudũ, videbuntur neceſſaria. De quorum omnium reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

COnuenientiſſimum, atque expedientiſſimũ fuit, vt in Eccleſia aliquæ inſtituerentur Religiones, quarum proprius finis inſtitutũ, & exercitium, eſſet in choris canere, & diuinas laudes perſoluere. Hæc concluſio, non alia indiget probatione, quam vt breuiter dicamus, huiuſmodi inſtitutum, ac ſalutare exercitium laudandi Deũ, quã ſit illi gratum. Ad quod probandum exſacra pagina innumera ad luci poſſunt teſtimonia. *Anima, quæ benedicit:* (inquit Salomon) *impinguabitur.* In eum etiam finẽ Dauid, Regius ac diuinus Pſaltes, diuinam in hoc agnoſcens volũtatem, in ſuarũ petitionum initio, vt ipſe de ſe dicit, diuinas adhibebat laudes, quò quidem medio; quaſi ſecurus ad quodlibet expoſtulandum accedebat, & haud quaquã ſe exaudiri formidabat. *Laudans,* inquit, *inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.* Quid plura? Deus ipſe, Opt. Max. per eũdem prophetam, populum ſuum Iſraeliticum quaſi erudire volens, atque oſtendere, prædictum ſalutare exercitiũ quã eſſet illi gratũ, & qualiter aliquid expoſtulare deberet. *Audi,* inquit, *populemeus & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi, Deus Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos;* & quæ ibi ſequuntur. Et quia dicere ei poterat, electus ille tunc temporis populus, quid faciemus? qua re gratum tibi & acceptum aliquod exhibebimus obſequium? ſubdit, *immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Quo facto, *inuoca me in die tribulationis tuæ: eruam te & honorificabis me.* Quid plura aut quid amplius, ad hoc ſalutare, multumque laudabile exercitium, commendandum & laudãdum, dici vnquam potuit, poſtquam eodẽ ſimul facto dicitur? Quod ex audiemur atque à tribulatione qualibet liberabimur, & quod Deum honorificabimus debitumq; illi cultum perſoluemus, ac honorẽ exhibebimus, qui proprius eſt virtutis Religionis actus, & propria viri cuiuslibet religioſi occupatio. Ad hoc etiam exercitium ſanctum, Chriſtus Dñs olim ſuo exemplo primitiuæ Eccleſiæ fideles inuitabat omnes, in montibus pernoctando, & diuinis laudibus inſiſtẽdo, & ipſe, vt habetur Matth. 26. & Marci 14. cecinit, atque diuinas laudes decantauit. *Et Hymno dicto* inquit Matthæus, *exijt in Montem Oliueti vt oraret.* Puerorum etiam Canticum ante paſſionis prælium, ſibi quaſi victoriam decantantium, ipſemet Chriſtus dixit, ſibi fuiſſe quam maxime gratum, qua etiam ratione, illos qui eiſdem hoc impedire volebant, dixit. *Sinite illos, me laudare, atque di-*

Conueniẽtiſſimum fuit, vt in Eccleſia aliquæ ſierent Religiones, quarum proprius & peculiaris finis, eſſet in choris canere atque diuinas laudes perſoluere.

In laudem Cãticorum, Eccleſiaſticorũ, & qualiter Chriſtus Dñs cantauit.

 uinas

uinas laudes dicere, etenim si isti tacuerint, lapides ipsi clamabunt. Ad exemplum eiusdē Christi, Apostoli etiam ipsi, in sacra pagina multoties feruntur decantasse, vt habetur Actuum, 16. & satis colligitur, ex Epistolis Pauli, sed maxime ad Colos. 3. & ad Ephes. 5. & ex historijs Ecclesiasticis. Si igitur id ita est: Si diuini cātus & diuinę laudes, adeò sunt Deo gratæ, si Christus ad exemplum nostrum, cecinit & cantauit, & etiam ipsius Apostoli, & discipuli feruntur decantasse, quisnam Catholicorum hominum sanæ mentis, inficiari vnquam poterit, huiusmodi exercitium esse sanctissimum, & religiosorum omnium, munus & officium proprium, qui die noctuque in choris Deo canant, & eius diuinas laudes persoluant, ad exēplum quatuor illorum animalium, de quibus dicitur Apocalypsi. 4. *Quod requiem non habebant, sed continuè in cælo, die, ac nocte, sine intermissione clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Ex dictis manet, superque satis probata & manifesta, proposiți articuli difficultas, reliqua locis supra citatis videantur.

QVAESTIO III.

De Religione & religioso statu, etiam in communi, quantum ad eius institutionem & originem, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vnde nam Religio, seu religiosorum status, ortum habuerit, & originē?

AB hac difficultate breuiter, me expediam, cū de eadem in libro de perfectione Iustitiæ, plura dixerim; neq; mei sit propositi in præsentiarum, quęstionem habere cū hæreticis, existimantibus ac dicētibus, Religiones omnes, & religiosorum statū, esse purum humanum inuentum, nec ortum habuisse ex institutione Christi Domini. In contrarium est omnino veritas, quę & explicabitur per duas sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Religiosorū status, institutus est à Christo Domino.

RElegio & religiosorum status, non est ab homine, aut per purum aliquod humanum inuentum, in terram effluxit, sed supernoDei beneficio, ē cælo descēdit & immediate institutus fuit à Christo Domino. Hæc conclusio est certissima, & omnium Catholicorum, hac de re recte sentientium communis; quam præ alijs, doctissime probat Thomas Vvald. de sacramen. tit. 9. ca. 83. & Clitouæus lib. 3. de votis monast. c. 9. De hac difficultate, videndus est etiam Hieronymus Plati, vir vere pius, doctus, & eruditus, è Societate Iesu, libro quem inscripsit, de bono statu religiosi lib. 2. ca. 2. Et prætermissis hæreticis, cum quibus nunc vt dixi, sermonem habere nolumus, propter breuitatem, cui tantopere studemus, quod huiusmodi status, immediate à Christo Domino ortū atq; originē duxerit, ex Euangelio & ijs, quæ ab Euangelistis passim dicūtur, facile constare potest cuilibet. Ipse enim in hoc mundo cum hominibus conuersatus, inter alia salutis documenta, quæ his qui vitam æternam adipisci vellent proposuit, tanquam præcise necessaria: multa etiam adhibuit perfectionis consilia, pro illis, qui magis & perfectius, religiose desiderarent viuere atque expeditius, ad charitatis perfectionem peruenire. Quæ omnia expresse habētur in Euangelijs, vt nos iam supra in præcedenti quæstione latissime monstrauimus, agentes de illis rebus, quæ intrinsecæ & essentiales sunt, omni Religionis statui: videantur ibidem. Ex eis enim liquido, atque manifeste constabit, qualiter Religio seu religiosorum status, non sit aliquod humanum inuentum, aut aliqua humana institutio, sed vere status, qui de cælo descendit, & in terra, voce Christi Domini institutus est, & promulgatus, & eius exemplo & auctoritate, cō firmatus atque corroboratus.

Secunda Conclusio.

Apostoli fuerunt, omniū primi Religiosi, in nostra Sācta Ecclesia

HAnc Christi Domini, perfectissimam viuendi rationem, & perfectionis adipiscendę formam præstantissimam, per Christum Apostoli, cæterique eius discipuli, primitus receperunt, atq; statim professi sunt, ipsique in Ecclesia Sancta nostra, fuerunt primi omnium religiosi. Hæc conclusio est expressa D. Hieronymi, libro contra Iouinianum, & in Apologia ad Pāmachium, quam etiam latissime atque eruditissime probat, præfatus Hieronymus Plati, loco supra citato in fine. Nec solum Apostoli & alij Christi Domini Discipuli, hoc vitæ atque instituti genus, acceperunt & statim professi sunt, verum etiam, & omnes cōmuniter primitiuæ Ecclesiæ Christiani, quorū, vt inquit D. Lucas Actorum, 4. erat quasi religiosorum quorundam vita. *Erat* (inquit) *eorum cor vnum, & anima vna, neque quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, nec inter ipsos quisquam egens erat, sed quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebāt, & ponebant ante pedes Apostolorū, & dinidebātur singulis*

singulis prout cuique opus erat. Hac etiam de re videatur D. Hieronymus in Epist. 8. vbi hoc idem argumentum latissime prosequitur. Et libro quē scripsit, de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi ex Philone Iudęo dicit, quod talis in principio fuit credentium Ecclesia, quales nunc sunt, aut saltim esse cupiunt & nituntur, nostri temporis religiosi. Qua ratione permotus Cassianus lib. 2. ca. 5. & collat. 8. c. 5. dixit olim, quod ab Apostolorum tē pore, inceperunt Eremi, & Monachorum atque cœnobitarum institutum, sumpsit exordium. Horum primus fuit D. Marcus, vt refert idem Cassianus vbi supra, & Hieronymus in vita eiusdem, à quo mox per omnes mūdi partes, Monachorum institutum, mirifice propagari cœpit. Circa hanc rem consulatur etiam D. Dionysius discipulus D. Pauli, libro quem scripsit de Ecclesiastica Hierarchia. c. 10. Consulatur item Philo Iudæus, & Iudæorum disertissimus, coætaneus sanctorum Apostolorum, & maxime apud Eusebium Cæsariensem lib. 2. suæ historiæ Ecclesiasticæ ca. 17. & hæc breuiter de isto articulo, pro nunc dicta sufficiant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ante tempora, & aduentum Christi Domini, fuerit aliqua vera, & propria Religio, ad modum, quo in Ecclesia sunt Religiones hodie?

HAnc difficultatem moueo, ad excludē dum quendam vulgi errorem, siue stultitiam multorum quàm maximā, qui harum rerum prorsus ignari, nonnullos religiosos, ex his qui sunt in Ecclesia hodie (Carmelitas vocant) ab Helia propheta existimant ortum & originem immediate duxisse, ac proinde, omnium aliorum hunc ordinē esse antiquissimum, vtpote qui inceperit ante tempora & aduentum Christi Dñi, & ante sanctos Apostolos. Non hic negatur à nobis, aut in controuersiā adducitur, quod D. Helias fuerit quodammodo, veteris & antiqui temporis religiosus, aut quod non ipsi eundem pro suo posse imitentur, perfectissime atque sanctissime, sed quod quæritur in præsentiarum est, vtrum illo tempore fuerit in Ecclesia aliqua vera, & propria Religio, & quæ mereretur vere & proprie Religionis nomen, ad instar earum, quæ sunt in Ecclesia sancta hodie. Vt igitur huic difficultati breuiter satisfaciam, & liquidum fiat, quid hac in re tenendum sit, sequentem statuo conclusionem.

Quāuis in veteri lege, aliqua præcesserint religionis symbola, non tñ tunc temporis fuit, aliqua vera, & propria Religio, ad eū modum quo sunt in Ecclesia hodie.

Conclusio.

QVamuis in veteri lege, ante aduentū Christi Dñi, & sanctorum Apostolorum, Religionis siue religiosi status, aliqua præcesserint vestigia & symbola, nulla tamen tūc fuit vera & propria Religio, instar earum, quæ in Ecclesia sunt hodie. Hæc conclusio est manifesta, & satis constare potest, ex dictis in præcedenti articulo, vbi diximus Christum Dominum, & Seruatorē nostrū, Religionis & religiosi status, primum fuisse auctorem & institutorem. Qui quidem status, vt refert vetustissimus Tertullianus, libro de velandis virginibus, post Christum, per trecentos & amplius annos, diuersimode est propagatus, dilatatus, atque multiplicatus, vsque ad tempora Cōstantini Magni, magni etiam atque celeberrimi Antonij, seu vt quidam alij volunt Basilij, qui primus ipsum, ad melioré, magis exactam, atque religiosam formam deduxit, vt statim dicemus in sequenti articulo. Non negamus (vt iam dixi) neque in controuersiam adducimus, quod etiam in veteri lege, fuerint aliqui sanctissimi, perfectissimi, atque religiosissimi viri, & quod aliqua tūc temporis præcesserint Religionis, & religiosi status vestigia, symbola siue figuræ, quæ Deo ita disponente, mirifice eundē quasi delineabant, atq; adūbrabant, & in Ecclesia futurum præfigurabāt, hoc enim magis certum est, quam vt in cōtrouersiam adduci possit. Habemus namq; ex sacra Scriptura, 1. Reg. 17. & 4. Reg. 1. quod sanctus Helias propheta, sine vxore, sine liberis, sine familia; castam cælibemq; vitam duxit, in tam stricta & rigida paupertate, vt sola Zona pellicea describatur indutus, atque amictus: qui etiam fere semper ieiunabat, cibumque multoties non habuisset, nisi quasi mendicatum à coruo diuinitus accepisset, aut vltro sibi donatum fuisset à religiosa quadā vidua. Cuius quidē discipulus, atq; in instituto simillimus, fuit Elisæus, quivt etiā legitur 3. Reg. 19. ab ipso ad perfectionem, & perfectam viuendi formam inuitatus, paternis agris, bobus quinimo & parentibus ipsis, ac domo relictis, eū dem ipsum statim fuit sequutus. Eisdem similes feruntur fuisse, plures qui vtriusque ductum, atque exemplum imitati, magisterio edocti, disciplina imbuti, perfectissimum quoddam vitæ genus, & institutum assumentes, prophetarum filij sunt appellati. Prætermitto breuitatis gratia etiam alios innumeros, quos facile in præsentiarum possem recensere, qui predictam religiosam viuendi formam habuerunt. Qua ratione D. Hieronymus in epist. 13. ipsos veteris testamenti Monachos vocat, à quibus etiam vt dicunt Cassianus lib. 1. c. 2. & D. Isidorus, lib. 2. c. 15. quodammodo ortum & originem duxerunt, monasticæ Religionis primordia. Prætermitto etiam Nazaræos seu Nazaræorum institutum, de quo latissima fit mentio, Numerorū 6. & 10. quo etiam nihil amplius, aut commodius desiderari potuit, ad figurandum delineandum, atque adumbrandum religiosorū statum. De ijs omnibus & ipsorum perfectissima & religiosissima vita, nefas est dubitare, neque illud nos in controuersiam reuocamus. Sed quod in præsentiarum dicimus, solummodo est, nullā Religionum omniū, quæ sunt in Ecclesia hodie, ab Helia siue Elisæo, seu quopiam alio prophetarum, immediate fuisse institutam, ortumve, siue originem duxisse, esto multum probabiliter, atque verisimiliter dicatur, quod aliqua, seu aliquæ nunc sunt Religiones in Ecclesia, factæ ad instar antiquorum illorum Monachorum & in eorum similitudinem siue imitationem. Et ratio nostræ assertionis est, quia (vt diximus) ante tempora

Chriſti Dñi, fuit vera & propria Religio, loquendo de Religionibus in rigore, & cũ illa proprietate & perfectione, quã habẽt in Eccleſia hodie. Chriſtus enim Dñs, fuit primus, qui hanc perfectiſſimã viuendi formam, in Eccleſiam inuexit, & ante ipſum, Nihil ad perfectũ adduxit lex, vt ad aliud ſimile propoſitum, dixit olim D. Paulus ad Hebr. 7. Ipſe etiam eſt, cui & proinde iure optimo dicere poſſumus, quod ad aliud propoſitum, dixit architriclinus olim, *Tu ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Perfectionem, ſcilicet, Religionum omniũ, quæ nondũ ſupremum apicẽ attigerunt, vſq; ad tẽpora Chriſti Dñi. Qui & inſtituit eaſdẽ, ſub obligatione & ſtricto voto, obſeruandi obedientiã, caſtitatem, & paupertatem, quæ diximus ſupra, eſſe de eſſentia, & ſubſtantia cuiuslibet Religionis, & ſtatus perfectionis.

ARTICVLVS III.

Quiſnam Monachorum antiquorum primus, eorundem religioſam vitã, ad meliorem formam reduxerit?

HAC de re non eſt par omniũ doctorũ conſenſus. Quidam enim hoc inſigne tribuũt, D. Paulo, primo Eremitæ, qui & propterea cõmuniter circunfertur Eremitarum omnium primus. Alij vero B. Antonio Abbati, alij S. Baſilio. De qua differentia conſulendus eſt D. Hieronymus, in vita Pauli primi Eremitæ, in principio. Cõſulendus eſt etiam frater Hieronymus Roman. Auguſtinianus, vir religioſus & eruditus, lib. 6. de Repu. Chriſtiana, c. 1. Hieronymus etiam Plati, iam ſemel, & iterũ prænominatus, lib. 2. de bono ſtatus religioſi, c. 22. de quorum omnium mente & reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

D. Anton. fuit qui antiquorum Monachorum vitam, primus ad meliorem formam reduxit.

POST tempora Chriſti Dñi, circiter 350. annos, tempore, ſcilicet, Conſtantini Magni, aurea illa ætate, ſub Antonio magno, religioſorũ ſtatus, mirifice propagari cœpit, atq; ita ipſe fuit, qui iure optimo, vocari poteſt & debet, Monachorum omnium auctor & princeps, pro eo quod religioſam illam Monachorum antiquorũ vitam, ad meliorem formam reduxit. Hæc cõcluſio eſt expreſſa, præfati Hieronymi Platĩ, loco ſupra citato, vbi inquit, quod quamuis ante tempora D. Antonij, iam fuerint in Eccleſia aliqua cœnobia, & Monachorum ſiue religioſorum monaſteria, vt late proſequitur. D. Athanaſius in vita ipſius, ipſe tamen fuit, qui maioris perfectionis acquirendæ cupiditate allectus, & accenſus, ab hominum conſortio & conuerſatione diſcedens, in interiorem Eremi ſolitudinem ſe recepit. Cuius fama, breui temporis ſpatio Religione propagata, quam plurimi ſe illi diſcipuli, inſtituẽdos & educandos tradiderunt, illique copulati ſunt, adeo vt per totam Armeniam Scythiam, Miriam, & vtramq; Thebaidem, ac denique per totam Aegyptum, innumera fuerint ſtructa aq; ædificata cœnobia & monaſteria, quorum omnium, ipſe Antonius, erat quaſi generalis miniſter. Hoc idem dicit, ſupradictus frater Hieronymus Romanus, loco vbi ſupra, & quod ipſe eſt, qui primus adinuenit & inſtituit, quã plurima religioſa exercitia, quibus eiuſdem diſcipuli, iuxta id quod talis ætas permittebat, ad perfectionẽ anhelãtes, aſſidue atque ſine intermiſſione exercerentur, & hac ratione (inquit) Monachorum omnium patrẽ ab omnibus ipſum vocari meritiſsime. Sub prædicto, D. Antonio fuerũt illo tempore, quã plures eiuſdem diſcipuli, ſanctitate & virtutibus celebres & famoſi. Talis fuit, S. Hilarion, & alter Antonius, cuius frequentem mentionem faciunt hiſtoriæ, alijque innumeri, quos in præſentiarum referre, & cõmemorare non libet, cũ hoc magis ſpectet ad Hiſtoriographos & Chroniſtas, quorũ ego officium agere in præſentiarum nolo. Solummodo contentus, breuiter aliquid hic dixiſſe, hiſce de rebus, ad noſtri huius libri & laboris, maiorem ornatum & perfectionem, vt rerum omnium quæ ad Religionis, ſiue religioſum ſtatum pertinẽt, aliqualis ſaltim habeatur notitia, pro maiore vtilitate & gaudio, Religioſorum, & eorum qui Monachalem ſiue Regularem & religioſam vitam profitentur.

ARTICVLVS IIII.

Quot fuerunt olim in Eccleſia Monachorum genera?

Concluſio.

Tria fuere olim, antiquorum Monachorum genera, Cœnobitarum Anachoritarum, & Sarabaitarum.

TRia fuere olim in Eccleſia, antiquorũ monachorum genera. Hæc concluſio conſtat ſatis, ex hiſtoriographis & cõmuni ſanctorum patrum doctrina, & traditione. Horum primum fuit Cœnobitarũ, ſecundum Anachoritarum, tertium vero Sarabaitarum. Pro hac concluſione videndus eſt D. Hieronymus, in Epiſtola ad Euſtochium, 42. & D. Auguſt. in Sermone. 21. de tribus Monachorum generibus. Cœnobitæ dicebantur olim ij, qui viuebãt cõmuniter in Cœnobijs, à quibus etiam traxere nomen, quorum auctor atq; inſtitutor, fuit D. Marcus, vt refert Hieronymus Plat. lib. 2. de bono ſtatu religioſi, c. 21. ex Caſſiano, & Hieronymo in vita eiuſdem D. Marci. Horum erat continuũ exercitium, ſub vnius prælati obedientia, in cœnobijs cõmuniter viuentes, in cellulis tamen ſelectis atque diſtinctis, cum ſummo ſilẽtio, obſeruantia & clauſura, orationi, & manuum labori ſemper vacare, præterquã quodam certo atque determinato tempore quo pulſato ſigno, ad chorum ſiue oratorium conueniebant omnes, ad diuinas laudes decantandas, ſiue ad lectionem aut ſpirituale colloquium, vel ad aliquod ſimile exercitium. Non vino vnquam aut carnibus vtebãtur, neque lautioribus cibis, ſed ſolo pane, aqua & ſale condito, atque leguminibus erant contenti, præter ſenes & infirmos, quibus à propoſitis decanis, ſecundũ propriam cuiuslibet neceſſitatẽ, neceſſaria cuncta prudentiſsime ſuppeditabantur. Qui de ijs monachis & ipſorũ inſtituto, plura videre deſiderat, conſulat Fr. Hieronymus Roman

De cœnobitarum inſtituto.

manũ, lib. 6. de Republica Chriſtiana, c. 2. vbi ad hoc propoſitum multa dicit, eaq; notatu digniſſima. Hoc vitæ genus, vtpote inter alia perfectiſſimum, ad perfectam, & religioſam & magis aptam viuendi formam, eſt quod nunc inter monachos, magis viget, & vſitatum eſt in Eccleſia, vt cõſtat experientia, in cœnobijs ſcilicet, ſiue monaſterijs, communiter viuere, in ſelectis, atq; diſtinctis cellulis. Secundum monachorum genus, erat Anachoritarum, ſic dicti, pro eo quod viuebant ſelecti & ſolitarij, atq; ſine choro ad quẽ communiter conuenirent. Hic ſtatus erat illorum, qui iam in cœnobijs per multum temporis, in religioſis exercitijs, verſati atque exercitati, ac prę alijs in regulari diſciplina, ſingulariter eruditi, vt pœnitentiæ, & contẽplationi perfectius vacarẽt, de prælatorum ſuorum licentia, in ſolitudine ab alijs ſecernebãtur, vbi in antris, & ſpeluncis, atq; cauernis terræ, inſtar antiquorũ illorũ patrũ, quorũ meminit. Paul. ad Heb. 11. habitantes, vitam agebant, non tam humanam quam Angelicam. Non hoc omnibus concedebatur, abſq; delectu & diſcrimine; ſed illis dũtaxat, qui ex longa iam experiẽtia, in vincendis tentationibus ſtrenui, ad dæmonum etiã luctas videbantur idonei. De hoc etiam inſtituto, & viuẽdi genere, videatur prædictus Hieronymus Roman. loco ſupra citato. Quamuis autem ij omnes, in antris, ſpelũcis atq; deſertis mõtibus, ſeorſum (vt prædictum eſt) atque ſolitarij habitarẽt, haud quaquam tamen per hoc, à debita ſuorum prælatorum obedientia, æſtimabantur exempti, quin vero etiã certo & determinato tẽpore, ad Abbatis ſui iuſſum, ad cœnobia, & monaſteria, eũ alijs conueniebant. Hoc dixerim de illis Anachorẽtis & ſolitarijs viris, qui veri religioſi erãt, & monaſticam vitam agebant, & religioſorum digni cenſebantur nomine. Nam de alijs, qui voluntarie, ac pro libito ſolitudini vacabant, contrarium omnino eſt dicendum.

De Anachoritarum inſtituto.

De Sarabaitis, & ipſorũ viuendi genere.

Tertiũ & minus perfectũ, quin vero imperfectũ Monachorũ vitę genus, erat illorum qui Sarabaitæ dicebantur, qui quidem nec cõmuniter habitabant, nec ſub alicuius Abbatis, ſiue prælati obedientia degebant, ſed ſeorſum viuentes, proprio ducebantur ductu & ſpiritu, ſiue (vt verius dixerim) propria carne, atq; propria volũtate, vt experientia ipſa, in eorum multis comprobatum fuit. Horum Monachorum, meminit. D. Tho. 2.2. q. 186. ar. 5. in ſolutione ad quintum, vbi de mente Caſſiani, in collationibus Patrum, Collat. 18. c. 7. inquit, Deterrimum omnium antiquorum Monachorũ genus, fuiſſe Sarabaitas, qui proprias ſuas neceſſitates curantes, abſoluti erant à ſeniorũ iugo, habentes libertatẽ, agẽdi quid quid libitum ſibi fuiſſet. Hoc vitæ atque inſtituti genus, iampridẽ omnino ab Eccleſia, & quidem meritiſſime, eſt relegatum, & pro omnibus in vniuerſum Monachis, & religioſis cõſtitutum, quod inter alia ſubſtantialia, obedientiæ, etiã emittant votum, ſine quo (vt diximus ſupra) nulla iam omnino, conſtare poteſt vera & propria Regio, ſiue religioſus ſtatus. Et hęc pro iſto articulo dicta ſufficiant, nam non eſt neceſſum in præſentiarum, vt de hoc ſtatu aut de alijs plura dicamus, ſat enim eſt, quod ſic in vniuerſali, & in cõmuni, pro aliquali harum rerum notitia, pauca quædam dixerimus.

ARTICVLVS. V.

Quotnam ſint in Eccleſia, approbatæ Monachorum Regulæ?

Concluſio.

Quatuor in cõmuni, ſunt generales omniũ Monachorum & Religioſorum approbatæ Regulæ.

QVatuor tantum ſunt in Eccleſia, generales approbatæ Monachorum Regulæ, ſub quarum aliqua, omnes in vniuerſum militant religiones, & Ordines, præter quoſdã, qui in pluribus, quatuor præfatis Regulis ſe conformantes, proprias ipſarum conſtitutiones, atq; peculiaria ſtatuta dicuntur habere pro Regula. Hæc concluſio ad literam decerpta eſt, ex D. Antonino de Florẽtia, 2. p. hiſtor. Eccleſ. tit. 15. c. 12. & 3. p. tit. 16. c. 1. De qua ſpecialiter videndus eſt Sylueſter, Verbo Religio primo, n. 7. Harũ Regularum. 1. eſt B. Baſilij, 2. S. Auguſt. 3. B. Benedicti. 4. S. Franciſci. Pro cuius concluſionis intelligẽtia, aduertere atque adnotare libet, quod quãuis, vt præmiſsũ eſt, Religio, & Religioſorum ſtatus, à tẽpore inceperit Chriſti Dñi, & Sanctorum Apoſtolorum; nullæ tamen tunc tẽporis, erant conſtitutæ ſiue determinatæ, Monachorum Regulæ, pro illius ſeculi religioſis, ſed ducebantur omnes, inſtar perfectionis Euangelicæ, in Euangelio poſitæ, & prout illorũ cuilibet interior Spiritus Sancti vnctio, ſuggerebat, aut ſecundũ id, quod prælatorum illius tẽporis, viua vox, aliquãdo ipſis præſcribebat. Nõ enim alio Directorio, ſiue alia Regula, feruoroſus illius temporis, religioſorum ſpiritus indigebat. Durauit hic viuẽdi modus, per annos plurimos, pluſquã 350. Vſq; ad tẽpora, D. Baſilij, is enim vt refertur, primus fuit, qui in ſcriptis olim, Monachis dedit Regulam, & pro eorum inſtructione, & gubernatione, ſanctiſſimas leges extruxit, atq; ordinauit, quibus Monaſticã vitam, & religioſæ perfectiſſimam viuendi rationem, mirifice delineauit, atq; declarauit. Sub hac D. Baſilij Regula, teſte eodẽ D. Antonino à Florentia, militant omnes monachi Orientalis Eccleſiæ ſeu Græci, & ſub ea fuerunt etiam in Occidente olim, aliquãdo Carmelitæ, de quibus inquit, quod Innoc. IIII. anno 1247. per Vgonẽ Cardinalẽ, certã dedit illis Regulã, ſeu potius ordinauit ſtatuta quædã, præfatam D. Baſilij Regulã declarantia, & mitigãtia. Hæc habentur ex D. Antonino, vbi ſupra.

Secunda Regula in Ordine, quam ponit prædictus Pater S. Antoninus; eſt S. Auguſt. ſub qua (inquit) militãt, oẽs Canonici regulares, & Fratres Prædicatores, & Eremitani eiuſdẽ Auguſtini, Seruitæ, & S. Brigidæ, Ordo etiã S. Hieron. ſub Eugenio IIII. nouiter inſtitutus, Scopetini, Ordo S. Ioãnis Hieroſolymitani, Hoſpitalariorũ S. Antonij, & Cruciferorũ, qui omnes inter ſe differũt, ſecũdũ diuerſos habitus, differẽtes cõſtitutiones atq; viuẽdi formas, de quibus infra ſuo loco dicemus.

Tertia Regula eſt B. Benedicti, ſub qua etiam (inquit) militant Monachi nigri, ac inter eos quidam præ alijs reformati, qui dicuntur congregationis S. Iuſtinæ, & Ciſtercienſes, Camaldulẽſes,

Cæleſtini, ordo montis Oliuarũ, montis Fani, ſiue Sylueſtrini, de quibus omnibus etiam infra plura dicemus.

Quarta & vltima Regula (quãuis nõ perfectione, dignitate atque præſtantia) eſt Seraphici patris noſtri Franciſci, quam ſecundũ varias atque diuerſas reformationes, maiorem vel minorem paupertatis & nuditatis rigorem, in eſſentialibus atque ſubſtantialibus omnes conuenientes, tot per vniuerſum mundi orbem, profitentur religioſi, vt merito & numero plures præſtantiſſimæ, & perfectiſſimæ cẽſeri atque exiſtimari poſſint Religiones. De quibus diuerſis ſtatibus, etiã infra agemus ſeorſum ſuo proprio loco. Diximus autem in concluſione, quod hæ tantum quatuor, ſunt in Eccleſia Monachorũ omnium, approbatę generales Regulæ, quaſi quatuor flumina, cæleſtis Eccleſiæ Paradiſum irrigãtia, & quaſi quatuor quædam totius perfectionis elemẽta, ſub quibus militant omnes in vniuerſum Religiones: nam ſi quæ ſunt, quæ proprias habere dicãtur Regulas, ad prędictas quatuor reducũtur, & ipſarum ſunt quidam veluti riuuli, qui ex eiſdẽ dimanant. Hoc argumentum latiſſime proſequitur Raphael Volaterranus, lib. 21. ſuæ Geographiæ, & Polydorus lib. 7. de inuentione, c. 4. Quod dixerim propter Carthuſienſes, & alios, qui ordinationes quaſdã, & ſuorum Ordinũ inſtituta, habere dicuntur pro Regulis. Nam hæ, meo quidem iudicio, cũ ex prælatorũ ſuorum voluntate, immutari, atq; alterari poſſint; non ita proprie Regulæ, quã aliarũ Regularũ appendices; ſeu deriuationes exiſtimari, & nuncupari debent. Etiã ſi eorum inſtitutum, ac perfectiſſimus viuendi modus, meritiſſime ab Eccleſia ſemel, & iterum fuerit approbatus, & confirmatus, vt cæteræ Religiones. Hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

In particulari quidnã ſit Regula, & propria ipſius diffinitio traditur.

ARTICVLVS VI.

Ad quem ſpectet approbare, & confirmare Monachorum, & religioſorum omnium Regulas?

Concluſio.

Approbare, & confirmare, monachorum & religioſorum omnium Regulas ad ſolum Romanum ſpectat Pũtificẽ.

APprobare & confirmare Monachorũ, & Religioſorum omniũ Regulas licet olim pertineret ad Epiſcopos, & alios ordinarios prælatos, nunc autẽ ad ſolum Romanũ ſpectat Pontificem. Pro huius concluſionis intelligẽtia, & vt eius rei de qua loquimur, clarior habeatur notitia libet primũ pręmittere, explicare, ac dicere, quid ſignificat hoc nomen Regula. Et omiſſis varijs huius nominis acceptionibus, & ſignificationibus, de quibus latiſſime agũt Doctores. Iuris periti, Legiſtæ, *in l. 1. ff. de Regiur. Canoniſtæ vero in decreto. d. 3. c. Canon. & c. Regula*; ſolũmodo tradã illas, quas adducit D. Iſidorus in prędicto. c. Regula. *Regula* (inquit) *dicta eſt ex eo, quia recte ducit, neq; aliquẽ aliorſum trahit, ſeu (vt alij dixerũt) ex eo quod regat, vel quod normã recte viuendi præbeat, aut quod diſtortũ & quod prauũ eſt, corrigat.* Verba ſunt expreſſa. D. Iſidori deſumpta ex lib. 6. Etymo. c. 16. Quę quidẽ Regulę ſignificationes, ſiue acceptiones, proprijſſime omnibus Religionũ omniũ, ab Eccleſia, approbatarũ Regulis, conueniunt. Ipſarũ nãque propriũ munus & officiũ eſt, ſuos cultores & profeſſores, in cælũ atque æternam vitã, recta deducere, neminẽ aliorſum, hoc eſt, à proprio, & debito fine diſtrahere, omnes regere & gubernare, omnibus rectã viuẽdi formam præbere, & ſi quid in eorum moribus (quod abſit) paruũ, ſiue diſtortũ fuerit inuẽtum, emẽdare atque corrigere. Hæc certe ſunt, proba tarũ Regularũ, munera & officia. Sed tñ quia nõ iſta videntur, eſſe ita proprie, monaſticæ Regulæ diffinitiones, quã eiuſdẽ deſcriptiones; propius ad propoſitũ noſtrum accedentes, hanc Regularũ Monachaliũ, ſiue religioſarum, conſtituo diffinitionẽ. *Regula eſt, Euangelica quædã viuendi forma, approbata ab Eccleſia, qua eius cultores, & profeſſores, ad perfectionem aſcendere conantur, ſecundũ tria eſſentialia, & ſubſtantialia vota, & peculiares obſeruantias, propriæ cuiuſlibet Religionis.* In hac Regulæ definitione, exactiſſime comprehenduntur omnia, quæ ſunt de ratione & eſſentia, cuiuslibet Monaſticæ & religioſæ Regulæ: quod ſcilicet ſit Euangelica ſeu in Euangelio poſita; quod etiã ſit ab Eccleſia approbata, & via, qua eius cultores, & profeſſores, per tria eſſentialia & ſubſtantialia vota, & proprias Religionis cuiuslibet obſeruãtias, aſcendere conantur ad perfectionẽ. De his omnibus particulis, iam ſuperq; ſatis in ſuperioribus dictũ eſt à nobis in particulari. Reliquum eſt, vt breuiter modo dicamus aliquid, de Regularum Monaſticarũ, & religioſarum approbatione, quæ fuit difficultas, in initio huius articuli propoſita. Et de ea dico, quod licet Monachorũ Regulæ, per ſolos Epiſcopos, & eorũ ſola auctoritate, probarentur, atq; confirmarentur olim, nunc autẽ, approbare Monachorũ, & Religioſorũ Regulas, ad ſolũ ſpectat Romanũ Pontificem. Hęc concluſio duas habet partes, quarũ prima conſtabit, ex eo, quod olim fuit de iure, & etiã ex illo, quod fuit de facto. Et quidẽ de iure, certiſsimũ atque conſtitutiſsimum eſt, potuiſſe olim, Epiſcopos hoc ipſum efficere: nã iuxta notiſsimum principium, ab omnibus receptiſſimũ, omne illud, quod non eſt Superiori reſeruatum, & inferiori prohibitum, iure pręſumitur prælato ordinario conceſſum, vt habetur *in cap. nuper, de ſententia excõmunicationis, & in cap. cũ apud. de ſponſalibus.* Cũ igitur ante definitionẽ & determinationẽ Concilij Lateran. (de qua ſtatim dicemus) Epiſcopis & ordinarijs prælatis, nullibi reperiatur prohibitum, Religiones approbare, & ipſarũ Regulas cõfirmare, dicendũ eſt, iure id ſibi fuiſſe conceſſum, potuiſſeq; eos illi olim optime eſſeciſſe, cũ fuerint ordinarij prælati, & nullo id fuerit iure, ſibi prohibitũ. Sed deueniamus ad factũ. De hoc qui chronicas antiquas, & Eccleſiaſticas Hiſtorias, de hiſce rebus loquẽtes, conſulere voluerit, facile erit ſibi perſpicere, quod à tempore Apoſtolorum, aut ſaltem ab eo tempore, quo in Eccleſia pro Monachis, ſiue religioſis, ſcripto Regulæ tradi ceperunt, ſemper conſueuerunt, approbari & confirmari ab Epiſcopis. Videatur hac de re Tritemius, libro quem edidit de Laudibus Carmelitarum, capitulo quarto, Genebrardus in ſua Chronica libro

Quod ſignificet hoc nomẽ Regula, in cõmuni.

libro quarto. Polydorus libro ſeptimo de inuentoribus rerum, capite tertio, Frater Hieronymus Roman. libro ſexto de Republica Chriſtiana, capitulo quinto, & omnium nouiſsimus Illuſtriſsimus atque Reuerend. Dominus Card. Bellarm. libro de Monachis, capitulo quarto, vbi inueniẽtur plura, eaque notatu digniſſima, ad propoſitum prædictum, & dicitur qualiter Monachorum Regulæ olim, approbari & confirmari ab Epiſcopis conſueuerunt. Ex antiquis etiam hiſtorijs & chronicis conſtat, quod Diui Baſilij, Auguſtini, & Benedicti, quæ omnium ſunt antiquiſsimæ Regulæ, nullam olim habuerunt approbationem à Romanis Rontificibus, ſed tantummodo ab Epiſcopis. Cuius ratio fuit, quia vt inquit prædictus Bellarminus, nondum ſtabat tunc temporis aliquod ius Eccleſiaſticum, id ipſum præcipiens. Sed quid moror in re adeò clara, & manifeſta? cum in Concilio Chalcedonenſi, cap. quarto, & refertur *in cap. quidam Monachorum, decima octaua, quæſtione ſecunda*, expreſſe habeatur, *quod Monachi non erigant Monaſteria, ſine authoritate, & licentia Epiſcopi*? Vel ex hoc ſolummodo capite manifeſtiſsimè atque clariſsime conſtat, quod Epiſcopi olim, approbare cõſuebãt, & de facto approbabant, Monachorum omnium Regulas. Manet igitur ſatis probata prima noſtræ cõcluſionis pars, qua diximus approbare & confirmare, nouos Ordines, ſiue Religiones, & ipſarum Regulas, Epiſcopos olim conſueuiſſe, & ad ipſos ſpectaſſe. Durauit hęc conſuetudo, per annos plurimos, vſque ad tempus Concilij Lateranenſis, quod fuit celebratum ſub Innocentio III. anno 1216. cuius Concilij mentio fit, *in cap. Ne nimia, de Religioſis Domibus*. In præfato autem Concilio. cap. 13. pro hac re huiuſmodi habentur verba. *Ne nimia religioſorum diuerſitas, grauem in Eccleſia Dei offenſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero, nouam Religionem inueniat, ſed quicumque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumat, ſimiliter & qui voluerit religioſam domum de nouo fundare Regulam, & inſtitutionem accipiat de approbatis.* In quo quidem capitulo, quamuis expreſſe non dicatur, quod huiuſmodi approbatio à Romano Pontifice totius Eccleſiæ ſummo capite, ſolummodo fieri debeat: communis tamen eſt Doctorum reſolutio, quod ab eo tempore, Religionum approbatio, ad eundem ſolummodo ſpectauit, vt & colligitur. *Ex cap. Religionum, de religioſis domibus, in ſexto*, quod eſt Concilij Lugdunenſis, celebrati ſub Gregorio Decimo, vbi ad hoc ſequentia habentur verba, *Religionum diuerſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale Concilium conſulta prohibitione vitauit. Sed quia non ſolum importuna petentiũ inhiatio, illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diuerſorum Ordinum præcipue mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrenatã quaſi multitudinem adinuenit: repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes, ne aliquis de cætero, nouum Ordinem aut Religionem adinueniat, vel habitum nouæ Religionis aſſumat, cunctas affatim Religiones, & Ordines mendicantes, poteſt dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & quatenus præceſſerant reuocamus*, vbi notanda ſunt verba illa, *qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt*. Ex quibus colligitur, per hoc Concilij Lugdunenſis decretum, explicatum ac declaratum fuiſſe, ſupra dictum Concilij generalis Lateranenſis. Et ſic dicendum eſt, quod quamuis ordines, & Religiones approbare & confirmare, olim ad Epiſcopos & Prælatos dioeceſanos, ſiue ordinarios ſpectauerit, nunc autem, ad ſolum Romanum Pontificem idipſum ſpectat: vt à nobis in ſupra poſita concluſione eſt dictum.

Pro vitanda Religionum multiplicatione nimia.

QVAESTIO IIII.

De Religionibus in particulari, quantum ad omniũ ipſarum, ortum & originem. in 15. Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

De ortu, & Origine religionis D. Baſilij

PRiuſquam de iſto articulo, & ſequẽtibus incipiamus dicere, præmittere neceſſariũ duxi, propter rerũ ſeriẽ, aut per ea, quæ à nobis in ſubſequentibus, de Religionibus omnibus, in particulari, ſunt dicẽda: earũ cuipiã nullo nos modo cõtraire aut præiudicare velle neq; quicquã de illarũ antiquitate determinare, ſed hoc ſolũmodo breuiter & reſolutiue dicere, quæ probabiliora vidẽtur, & vtalia, à doctoribus cõmuniter circunferuntur; vt horũ omniũ, aliqualis ſaltẽ habeatur notitia. Cũ hoc tamẽ, libera ſit cuiq; facultas, ſentiẽdi & exiſtimandi, id quod magis gratũ, aut probabile ſibi viſum fuerit, ſiue magis certũ, iuxta ea quæ habẽtur in chronicis, monumẽtis, & arcanis propriæ cuiuslibet Religionis. Quo notabili atque fundamento præmiſſo, propoſito articulo reſpõdeo per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Ordo ſiue Religio. D. Baſilij, cœpit circa Natiuitate Chriſti anno 350. plus minuſue.

ORdo, ſiue Religio D. Baſilij, ab eodẽ ſanctiſsimo Patre ortum atque originem duxit vt fertur circa annũ 350. plus minus ve. Hic Sãctiſſimus vir, & Monachorum antiquorum, orientalis Eccleſiæ Patriarcha, primus (vt ſupra diximus)

fuit, qui monaſticũ ſtatũ reformauit, & ea omnia quæ ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, & vtroque Machario, pro inſtruendis illius temporis monachis & religioſis, verbo tenus audierat, ac ſibi fuerant tradita; literis mandauit, & quibuſdam demptis, alijs vero additis, eorum omnium, non minus religioſam, quam eruditam regulam confecit. Hac de re videndus eſt Diuus Gregorius Nazianzenus in vita eiuſdem Baſilij, & in oratione, quam habuit in ipſius obſequijs, oratione octaua, vbi ad hoc propoſitum habentur plura, eaque notatu digniſſima.

Laudes & encomia Religionis D. Baſilij

Fuit hæc Religio, eo tempore celeberrima, & vt refert Fr. Hieronymus Rom. libro ſexto de Republica Chriſtiana c. 5. huius inſtituti fuere olim Sanctiſſimus Effrem, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Eſichius, Pachomius, Ioannes Damaſcenus, Caſſianus, Eraclides, & etiam D. Hieronymus, & alij quam plures. De ipſius Regula, iam etiam ſupra diximus, quod fuit prima ſcriptis tradita, approbata & confirmata, ab illius Seculi Epiſcopis, eo modo, quo tũc temporis, in conſuetudine erat poſitum, monachorum Regulas approbari & confirmari. De quo quidem, quamuis nihil reperiatur expreſſum, ſat eſt, vt id dicere poſſimus, quod in cõcilio generali, 7. quod eſt ſecundum Nicænum; regulæ eiuſdem fit mentio, tanquam de regula iam per Eccleſiam approbata & confirmata. D. etiam Benedictus in ſua regula, de prædicta regula D. Baſilij mentionem facit, eandemque in quam pluribus rebus imitatur, atque obſeruari præcipit. Hæc breuiter de Religione D. Baſilij dixiſſe ſufficiat; nam non eſt in votis, in hoc opere, de aliqua Regula, aut Religione, quicquam amplius in particulari dicere, ad alia enim progrediamur oportet.

ARTICVLVS II.

Quo tempore & à quo, ordo Beati Benedicti, ortũ & originem duxerit?

Concluſio.

Ordo D. Benedicti, circa annos. 520. ortũ, atque originem duxit.

REligio Beati Benedicti, ab eodem ſanctiſsimo Patre, Occidẽtalis Eccleſiæ, Monachorũque omnium Patriarcha, circa annos 520. (vt fertur) ortum & originem duxit. Hic Sanctiſsimus, ac Benedictiſsimus vir, re quidem & nomine veraciter Benedictus, vt à quibuſdam dicitur, ſub inſtituto D. Baſilij, aliquandiu fuit. Non tamen hoc ita plane cõſtat, atque expediret: circunfertur tamen communiter, pro eo quod, vt habetur in propria ipſius Hiſtoria, & refertur à D. Gregorio Dialogorum cap. 3. poſtquam Romæ liberalibus diſciplinis, apprime fuit eruditus, vt ſe totum Ieſu Chriſto daret; in cuiuſdam altiſſimæ ſpeluncæ ſolitudinem (quæ Sublacus dicebatur) ſe recepit, vbi per triennium monaſticam, atque ſolitariam vitam egit, ibique abſconſus ita delituit, vt vnus tantummodo id ſciret Romanus monachus, quo ad vitæ neceſſaria, miniſtro vtebatur. Sed fama eius ſanctitatis, ex illis latebris iam erumpente, mortuo quodam illius tẽporis Monaſterij Abbate, quidam monachi in demortui locum, eum ſubrogarunt, ſeque illi inſtituendos, & in omniũ virtutum genere, edocendos tradiderunt. Quorum viuendi licentia, cũ eius obiurgationes ferre non poſſet, venenum ei in potione dare conſtituerunt, quod & re ipſa fecerunt. Verum poculũ ei præbentibus, crucis ſigno confracto vaſe, de re licto monaſterio, in ſolitudinem ſe recepit. Verba ſunt expreſſa D. Greg. quæ etiam in ipſius habentur hiſtoria, & huic fundamento innituntur, qui aſſerunt, prædictũ D. Benedictum, ſub inſtituto D. Baſilij aliquandiu vixiſſe. Sed quidquid de hoc ſit, non enim eſt mei muneris, atque propoſiti id determinare; meritiſſime tamen ipſe, ab omnibus (ſaltem Occidentalis Eccleſiæ) Monachorum omnium Pater, & Patriarcha nuncupatur. Nec per hoc D. Baſilij Religioni quidquam detrahitur, cum hæc prærogatiua, quæ in Occidentali Eccleſia D. Benedicto conceditur, in Orientali eidem D. Baſilio tribuatur. Sed præterea Monachorum Patriarcha, hic ſanctiſsimus vir Benedictus, ab omnibus comuniter & merito appellatur, quia ſua ſapientia, virtute, & ſanctitate (quæ maxima fuit) religioſiſque inſtitutis & documentis, monaſticam vitam auxit, mirumque in modum amplificauit, & illuſtrauit.

Encomia Religionis D. Benedicti.

Hic ſacratus ordo, à Monte Caſſino, vbi primum eſt commoratus, diuus ipſe Benedictus, exordium ſumpſit. Sed cum multi ad eum quotidie diſcipuli conuenirent, breuiſsimo temporis ſpatio, in Italia 12. monaſteria ædificauit quæ & ſanctiſsimis legibus cõmuniuit. Exindeque per totum orbem ſanctiſsimus prædictus ordo, mirifice eſt ſparſus & propagatus, & tot, tantaque de ipſo ab Hiſtoriographis in chronicis circunferuntur, vt nec lingua, neque tempus ad narrandum ſufficeret. Videantur quæ de hac re dicit Caſſanæus, & D. Antoninus de Florentia, Illeſcas etiam in ſua Hiſtoria Pontificali, Frater Hieronymus Roman. in ſua Republica Chriſtiana, & nunc nouiſsime Hieronymus Plati, & Frater Ioannes à Caſtanica, à quibus omnibus breuitati ſtudens conſulto abſtineo: quia nec Chronici, aut Hiſtoriographi in præſentiarum officium ago, nec vero ipſum eſt mei propoſiti, aut præſentis ſpeculationis. Fuit hæc ſanctiſſima Religio, ſtatim à diœceſanis Epiſcopis, & Prælatis approbata, eo modo, quo tunc temporis, vt dictum eſt, Ordines & religiones, conſuetum fuit, approbari, & confirmari; vſque ad tempora Gregorij Primi, qui (vt fertur) in Concilio quodam Romano, auctoritate Apoſtolica eandem approbauit & confirmauit.

De Cluniacẽſium familia & ipſorum origine.

Ex hoc lucidiſsimo fonte atque fœcundiſſima radice, varij riuuli & propagines diuerſarum familiarum, ſecundum varias atque diuerſas reformationes prodierunt, quæ Diui Benedicti inſtitutum complexæ ſunt, & militant ſub eius vexillo, atque benedictiſsima regula. Harũ prima & antiquiſſima eſt, Cluniacenſis familia, quæ (vt fertur) anno 913. ab Odone Cluniacenſi Abbate, & nomen & exordium ſumpſit. Hic vir, vita & doctrina præſtantiſſimus, cernẽs B. Benedicti diſciplinam, magna ex parte iam laxatam & deformatam (quod in omnibus fere mundi rebus, quæ fragilis & miſerabilis eſt

ipſarum

ipsarum natura, reperire licebit) ad pristinum statum, & perfectissimam viuendi formam, ipsam reuocare est aggressus, id quod & opere perfecit. Cuius exemplo, innumeri ferè Abbates, in Italia, Hispania, Germania, & Anglia prouocati, se suosque Monachos, instituendos atque reformandos illi tradiderunt. Hoc est principium & origo Cluniacensis familiæ, ortæ atque productæ (vt dictum est) ex familia D. Benedicti.

De ortu & origine Camaldulensis familiæ.

Ex eodem fonte prodiuit alia, Camaldulensis nuncupata, quæ auctore beato Romoaldo, eximiæ sanctitatis viro, circa annum 1000. in Apennino monte, ortum & originem duxit: cuius sanctissimo exemplo, & magna sanctitatis opinione, illustribusque miraculis, tot homines sunt permoti, vt feratur, quod nisi ipsemet eosdem cohibuisset, totus ferè terrarũ orbis, eius religiosam vitam & disciplinam, velle videbatur subire. De hoc ordine videatur Diuus Antoninus de Florentia, 2. part. histor. titu. 15. cap. 15. & Cassanæus, quarta parte Catalogi gloriæ mundi, consideratione 54. & Hieronymus Roman. libro. 6. de Republica Christiana cap. 9. & alij.

De Congreg. vallis Vmbrosæ.

Eiusdem propaginis fuit, congregatio quæ dicitur Vallis vmbrosæ, constituta post circiter 73. annos à prædictis. Huic initium dedit Ioannes quidam Gualbertus, nobilis vir Florentinus in quadam etiam parte montis Apennini, Vallis vmbrosa nuncupata prope Florentiam, ad duo milliaria. De hoc etiam ordine siue congregatione meminit etiam prædictus Diuus Antoninus de Florentia 2. part. histor. titu. 15. cap. 25. & Cassanæus vbi supra, consideratione 57. & Illescas li. 5. Historiæ suæ Pontificalis, cap. 12. & Frater Hieronymus Roman. lib. 6. de Republica Christiana cap. 11.

De origine Cisterciensis familiæ, alias D. Bernardi.

Ex eodem sacro fonte prodijt, Illustris. Cisterciẽsis familia, inter omnes, quæ ex hac sancta propagine prodiere, proculdubio celeberrima. Cuius familiæ, Religionisque sanctissimæ & illustrissimæ, memorantur exordia, à quodam Roberto Abbate, Molimensis Abbatiæ. Qui (vt dicitur) anno 1098. cernens suos subditos, præ diuitijs & magna rerum copia & abundantia, à primæuo suo instituto, quadam ratione defecisse, & degenerasse: habito consilio cum aliquibus ex perfectioribus (quos vnum & viginti fuisse ferunt) Cabilonem se contulit, præcipuam eo tempore Burgundiæ Vrbem, vbi in solitario quodam loco, cui nomen erat Cistercium, domicilium fixit, à quo loco, huius instituti religiosi viri, Cistercienses postmodum sunt appellati. Sed eius rei Molimẽses Monachi pœnitẽtia ducti, multis precibus ab eodẽ Roberto impetrarũt, vt præhabiti propositi cõsilio reuocato, ad ipsos instruendos & gubernãdos ad pristinam se sedem conferret. Quod vt faceret, in loco Cistercij prædicto, quidam Stephanus, vir deuotus & feruorosus, ab eodem in Prælatum atque Abbatem est suffectus, quo fieret eiusdem familiæ auctor. Sub hoc Stephano, fuit tunc temporis pusillus ille grex, non plus quam per quindecim annos, quo tempore Dei nutu atque cœlesti impulsu, ad maximum totius Ecclesiæ augmẽtum, commodum & vtilitatem, in eum aduenit locum, cum triginta socijs, tribus inter eos germanis fratribus, D. Bernardus, qui nascentem iam, mirificum hunc Cisterciensium statum, non solùm conseruaret, verum etiam & mirifice illustraret atque amplificaret. Quod re ipsa factũ est, nam ipsius fama, ex illis latebris erumpente, breuissimo temporis spatio, innumeros ad sui imitationem, & mundi contemptum conuertit, atq; adeò factum est, vt adhuc eo viuente, ex huius familiæ & instituti alumnis, centum & sexaginta monasteria fuerint constructa & ædificata. Hæc etiam sacra Cistercien sium, siue Diui Bernardi Religio, sub certa forma, reformatam D. Benedicti Regulam obseruat. Et qui de ea plura videre desiderat, consulat Diuum Antoninum de Florentia. 2. part. suæ histor. titu. 15. cap. 15. & Cassanæũ, quarta parte catalogi gloriæ mundi, consideratione 56. & Fratrem Hieronymum Roman, libro 6. De Republica Christiana cap. 12. & propriam huius Ordinis, & instituti chronicã, ad quam lectorem remitto.

De ortu & origine familiæ montis Oliueti.

Montis Oliueti familia, ab ordine D. etiam Benedicti prodijt. Cœpit autem hæc Sacra Religio, anno Domini 1319. quo tempore, Bernardus Ptolomæus, cum alijs duobus socijs Senensibus, eidem initium dedit, in monte quodam Oliueto, prope ipsam Senarum ciuium ciuitatem, à quo & Religio ista montis Oliueti nomen accepit. Hunc ordinem (vt fertur) Ioannes 22. confirmauit, & habitum, quem nunc eiusdem religiosi ferunt, ipsius iussu, quidam Guido à Petramala, ciuitatis Aretij Episcopus, visione Dei genitricis præhabita (vt dicitur) dedit atque D. Benedicti Regulam ab eisdem obseruandam præscripsit.

De ortu & origine Cælestinorum.

Cælestinorum etiam familia, D. Benedicti Regulam obseruat, quæ (vt fertur) à quodam Sanctissimo viro, Petro Morone, qui fuit Papa Cælestinus V. nuncupatus, creatus anno 1294. ortum & originem duxit. De hac Religione nihil in præsentiarum dicẽdum occurrit, sed qui de ipsa plura desiderat, consulat Doctorem Illescas in sua Historia Pontificali, prima parte libro 5. cap. 43. Et hæc breuiter dicta sufficiant, circa ordines siue Religiones, quæ ex familia D. Benedicti, tanquã è lucidissimo quodam fonte, sacra atque præclara propagine prodierunt, atque ortum & originem duxerunt, quod erat propositum præsentis articuli.

ARTICVLVS III.

Vnde ordo & Religio Cartusiensium, ortum & originem duxerit?

Conclusio.

Cartusiensiũ familia, à sanctissimo viro Bruno, ortũ & originem duxit.

PRæclarissima Cartusiẽsium familia, & Religio, Pœnitentia, clausura, silentio, ac denique omni virtutum & Religionis genere ornatissima, celebris atque famosa, à quodam sanctissimo, necnon nobilissimo viro Alemano, nomine Bruno, è ciuitate Agrippina, siue Colonia oriũdo, & canonico Remẽsis Ecclesiæ, ortum & originem duxit, anno

vt à quibuſdam dicitur 1084. ab alijs verò 1101. Huic familiæ, ſanctiſsimo atque ſtrictiſsimo inſtituto, horrenda quædam, & admirabilis viſio, habita in funeralibus, doctoris cuiuſdam Pariſiēſis, dedit principium, vt referunt auctores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, D. Antoninus 2. part. ſuæ ſummæ Hiſtorialis tit. 15. cap. 22. & 3. part. tit. 16. cap. 1. & Caſſanæus 4. part. catalogi gloriæ mundi, conſideratione 52. & Illeſcas in ſua Pontificali. 1. part. lib. 5. cap. 13. & Frater Hieronymus Roman, libro 6. de Republica Chriſtiana, cap. 13. Omnes iſti dicunt, quod cum Pariſijs mortuus fuiſſet doctor quidam ſapiētiſsimus, & eminētiſsimus Iuris Peritus, qui inter alios, nō ſolùm litēris habebatur præclarus, verum etiam virtute, & ſanctitate inſignis; & in omnium hominum conſpectu, opinione erat celebris atq; famoſus: & maxima Pariſien ſis ciuitatis pars, eundem comitaretur ad tumulum, & fere tota Pariſienſium Doctorum corona, & ſchola, ipſius adeſſet obſequijs, ſubito atque inſperato, in omnium conſpectu, eiuſdem doctoris horrenda vox audita eſt, qua primo accuſatū, ſecundo iudicatum, ac tandem tertio condemnatum in diuino iudicio ſe eſſe aſſeueranter pronuntiauit. Cuius rei omnes admiratione perterriti atque commoti, ſed præ alijs præfatus doctor Bruno, Remēſis Eccleſiæ Canonicus, qui & in eadem celeberrima Pariſienſium vniuerſitate, Cathedræ cuiuſdam regentiam tenebat, ad ſuos poſtmodum reuerſus diſcipulos. Si hoc ita eſt (inquit) quis poterit ſaluus fieri, niſi pœnitentiam agat, mundumque effugiat? Ab eo tempore dicūt, quod relicto ſeculo, cathedra & doctoralibus inſignijs, cum ſex alijs ſocijs, in cuiuſdam Eremi ſolitudinem (quæ Certoſa dicitur) ſe recepit, vitam ibi agens ſanctiſsimam atque aſperrimam, nunquam vtens carnibus, & ab omnium hominum prorſus conſortio, & conuerſatione ſemotus, & perpetuo cilicio indutus. Ab hoc loco Certoſa, corrupto vocabulo, eiuſdem inſtituti profeſſores, Cartuſiani ſunt nuncupati, qui ſacer ordo, vt iam ſupra diximus, nullam habet peculiarem Regulam, ſed proprijs ſanctiſsimis ſuis ſtatutis, à Romana Eccleſia confirmatis, vtitur pro Regula. Confirmatus eſt hic Ordo & approbatus, primum à Victore Tertio Summo Pontifice, anno 1085. poſtmodum verò ab alijs quampluribus Summis Pontificibus, quos longum eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere. Videatur, in proprijs huius ordinis monumentis, ex quibus euidenter conſtabit, qualiter Sacratiſsimus iſte ordo, apud Romanos Pontifices, & totam Eccleſiam, ſemper & vbique, habitus fuerit in magna reuerentia, & veneratione & quidem, meritiſsime, pro maxima ſua ſanctitate, & Religione ac viuendo modo ſtrictiſsimo, & rigoroſiſſimo.

ARTICVLVS IIII.

De ortu & origine ſeraphicæ Religionis Sanctiſsimi Patris noſtri Franciſci.

AB hoc articulo, breuiter etiam me expediam, pro eo quod hac de re in expoſitione ſacræ noſtræ Regulæ, in libro etiam, cui titulus eſt de perfectione Chriſtianæ iuſtitiæ, multa dixerim, & vt mihi videtur, omnia quæ deſiderari poſſunt, & qui plura videre deſiderat, conſulat noſtri ſacri Ordinis monumenta & Chronicas, eas præſertim, quas iam olim in lucem edidit grauiſsimus atque religioſiſsimus P. F. Marcus de Lisboa Luſitanus, Epiſcopus Portuenſis, noſtræ huius Religionis magnum Decus, & ornamentum, ac ſimul librū, cui titulus, de origine Seraphicæ Religionis, quē fecit, ſeu potius eius nomine typiſcudi mādauit, illuſtriſsimus, reuerendiſsimus, pariter atq; religioſiſsimus, pater F. Frāciſcus de Gonzaga, dignisſimus ſacri noſtri Ordinis, olim Generalis Miniſter, nunc autem Epiſcopus Mantuanus meritiſsimus. Conſulat etiam Chronicas, quas omniū nouiſsimus compoſuit, Pater frater Ludouicus à Robolledo Hiſpanus, Concionator inſignis noſtri ſacri Ordinis, Prouincialis olim Hiſpalenſis; conſulat & patrem fratrem Hieronymum Romā, in ſua Republica Chriſtiana, lib. 6. cap. 20. de hoc ſacro ordine pulchra & mira dicentem, & doctorem Illeſcas, in ſua hiſtoria Pontificali, 1. part. li. 3. cap. 33. Vt autem qua nitor breuitate, de hoc præclariſsimo atque Seraphico Ordine, ipſe etiā aliquid nunc dicam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

REligio beatiſsimi patris noſtri Franciſci, Minorum Fratrum communiter nuncupata, ab eodem ſanctiſsimo, atque Seraphico Patre, ſupremo pauperum Patriarcha, anno 1206. ſeu vt alijs placet 1209. ortum & originem duxit. Hic ſanctiſſimus Pater, re & nomine veraciter Franciſcus, quod nomen Francus, ſiue liberalis interpretatur, natione Italus, de vallis Spoletanæ partibus, Ciuitate Aſſiſij trahens originem, ex patre nobili, atq; prędiuite natus, humana cuncta faſtidiens, diuinarum rerum cupiens dulcedine perfrui, ad vocem Chriſti Domini noſtri Crucifixi, omnia pro ipſius amore & vt ipſum lucri faceret liberaliter & franca (vt aiunt) manu reliquit. Cœpit Seraphicus noſter Pater Franciſcus, ſub Innocentio Tertio, curſumque ſuum, ſub Honorio etiam III. perfecit glorioſum, quibus ſuccedens, Gregorius IX. catalogo SS. eundem aſcribendo, (vt in ipſi' habetur hiſtoria) magnificauit ampli' miraculis famoſum. Eius regula, quæ quarta inter approbatas enumeratur, ex Euangelij albo, ſiue prototypo, de verbo ad verbum excerpta, viuæ vocis oraculo, à Chriſto Domino reuelata, à prædicto Innocentio Tertio, anno 1209. ſiue 1208. vt volunt alij, primitus, ſed poſtmodum medio diplo-

Minorū Fratrum Religio, ortum & originem duxit, à Beatiſsimo Patre noſtro Franciſco.

diplomate, ab Honorio etiam tertio, Pontificatus ſui anno 8. noſtræ verò ſalutis 1223. eſt approbata & confirmata. Huius inſtituti alumni, & profeſſores, ſi vti par eſt, voto atque profeſſioni ſuæ correſpondent, vitam agunt, omni proculdubio, verè Apoſtolicam, & Euangelicam, qua in ſumma altiſſima, & ſtrictiſſima paupertate fundati, nullius rei, nec in communi neque in particulari, proprium ſiue dominium habentes, quam plura etiam ſtrictiſſima, & rigoroſiſſima præcepta obſeruantes, Chriſtum Dominum nudum, prope nudi, in Cruce pendentem ſequentes, pro ſuo poſſe in omnibus atque per omnia imitari ſtudent.

Laudes & encomia, Religionis ſanctiſſimi Patris noſtri Fracisci.

Eſt autem partitus atq; diuiſus, hic ſacratiſſimus ordo, in varias atq; diuerſas familias, ſiue cõgregationes, differensque viuendi modos, ſecundum varias atque diuerſas reformationes quas habet, magis vel minus ſtrictas; circa obſeruantiam ſtrictæ & rigoroſæ paupertatis. Quidam enim dicuntur, clauſtrales ſiue conuentuales, qui in prædicto ſtrictæ paupertatis articulo, & quibuſdam alijs, noſtræ regulæ præceptis, & obſeruantijs, auctoritate Romanorum Pontificũ ſunt diſpenſati. Alij verò obſeruantes, pro eo quod in perfecta eiuſdem regulæ obſeruantia, firmiter perſeuerant, licèt quidam præ alijs ſtrictius, qui & propterea, apud noſtros Recollecti, ſeu reformati conſueuerunt appellari. Sunt etiam eorum variæ, atque diuerſæ familiæ ſiue prouinciæ, magis vel minus recolectæ, & reformatæ; prout magis, vel minus accedunt ad obſeruantiam ſtrictiſſimæ paupertatis. A quorum omniũ tractatione breuitati ſtudens, in præſentiarum conſulto abſtineo, quia hac de re, cuncta neceſſaria & quæ deſiderari poſſunt, dicta ſunt, in libro expoſitionis noſtræ regulæ. Inſtituit autem Scraphicus noſter Pater Franciſcus, tres ordines, quorum primum vocauit Minorum, de quo quæ ſuperius, ſunt dicta. Secundum Dominarum pauperum, quæ communiter ſanctæ Claræ nuncupatur, Tertium Pœnitentium, qui vtrunque ſexum, virorum, ſcilicet atque mulierum, in ſe complectitur: Hancque ob cauſam Eccleſia, in quadam ipſius Antiphona de eo canit: *Tres ordines hic ordinat, primumque fratrum nominat Minorum, pauperumque ſit dominarum medius, ſed pœnitentium tertius, ſexum capit vtrunque.*

ARTICVLVS V.

A quo habuit ortum, ſiue originem, Religio beati Dominici, quæ alio nomine, fratrum Prædicatorũ nuncupatur?

Concluſio.

Ordo S. Dominici, à ſanctiſſimo P. Dominico, ortũ & originẽ duxit

INTER Ordines & Religiones, celebres atque illuſtres, quas Eccleſia ſancta mater noſtra habet; Ordo ſiue Religio B. Dominici, quæ alio nomine, Fratrum Prædicatorum nuncupatur, non infimum tenet locum, ſed iure optimo illuſtriſſima, atque celebertrima ab omnibus communiter reputatur. Cœpit hæc ſacra Religio (vt dicitur) anno noſtræ ſalutis 1214. ſub Innocentio Tertio, tempore Concilij Lateranenſis, quamuis non ab ipſo, ſed ab Honorio Tertio poſtmodum, medio diplomate, & ſcripto, fuerit confirmata & approbata, Pontificatus ſui anno primo, qui fuit noſtræ ſalutis 1216. Huic ſacratiſſimo inſtituto, initium dediſſe, auctorem & ipſius fuiſſe, Beatum Dominicum, virum vndequaque quidem illuſtrem, ſed moribus atque virtutibus illuſtriſſimum, iam ſatis cunctis patet. Hic plane vir, ſicuti omnes referunt Hiſtoriæ (Diuus Antoninus tertia parte titulo 24. cap. 14. Frater Hieronymus Roman, libro ſexto de Republica Chriſtiana, ca. 23. Illeſcas in ſua Hiſtoria Pontificali prima, parte libro quinto, capite 33. & nunc nouiſſime Frater Ferdinandus del Caſtillo Hiſpanus, in propria huius Ordinis Chronica) in Hiſpaniæ partibus, ex illuſtri Guzmanorum familia, trahens originem, Caraloge Palentinæ diœceſis natus, ibidemque primitus liberalibus diſciplinis eruditus, Theologiæ poſtmodum operam dedit, quo in ſtudio cum plurimum profeciſſet, Oxomenſis Eccleſiæ primum Canonicus Regularis fuit, deinde Fratrum Ordinis Prædicatorum, feliciſſimus inſtitutor & auctor. Huius præclariſſimi viri, ſanctiſsima mater, adhuc grauida, in ſomni quiete, catulum ore præferentem facem, in aluo ſuo habere viſa eſt, qui editus in lucem totum terrarum orbem incenderet. Quo proculdubio, fore ſignificatum fuit, ſplendore huius ſanctiſſimi viri, ſanctitatis & doctrinæ; omnes gentes ad Chriſtianam veritatem adducendas, & diuini amoris igne ſuccendendas, atq; inflammandas. Veritatem rei exitus comprobauit: id enim primum per ſe, & deinceps per ſui ſacri Ordinis ſocios & alumnos, mirifice eſt conſequutus. Vocatur hic ſacratiſsimus Ordo, Fratrum Prædicatorum, pro eo quod hæc ſancta ſit eorum vocatio, atque in eo præcipuum ipſorum verſetur ſtudium, inſtar ſanctiſsimi Patris ſui Dominici, cuius in euertendis hæreticis, eorumque perniciosis erroribus, ac prauis conſuetudinibus, quam maximè virtus & ingenium enituit. Ex hac illuſtri & ſancta Prædicatorum Fratrum familia, viri ſemper literis & ſanctitate celebres, atque famoſi prodierunt, à quorum tractatione, in præſentiarum ſuperſedeo, quia nec temporis, nec loci anguſtia, quidquam aliud permittit; neq; verò id eſt mei muneris, aut propoſiti, ſiue præſentis ſpeculationis: ad alia enim progrediamur oportet.

Laudes & encomia S. Dominici, & Prædicatorũ Ordinis.

(.?.)

ARTICVLVS VI.

De ortu & origine, Religionis fratrũ, qui communiter Eremitæ S. Auguſtini nuncupantur?

Concluſio.

Ordo D. Auguſt. ab eodẽ ſanctiſs. Patre initium ſumpſit.

ORDO ſiue Religio D. Auguſtini, cuius alumni, Eremitæ communiter nuncupantur, eo modo & perfectione, ac ſub ea forma, qua nunc in Eccleſia viget, à tempore Innocentij Tertij, ſiue vt alijs placet, Innocentij Quarti, & Alexandri Quarti, initium ſumpſit, vt fertur anno 1256. De huius ſacræ Religionis origine, & antiquitate, controuerſiam in præſentiarum habere nolo, nec præſentis id eſt ſpeculationis. Dicitur autem ab eo tempore, ortum atq; originem duxiſſe, pro eo quod tunc temporis, hæc ſacra Religio, cum ea perfectione, & ſub ea forma qua modo viget, decreto prædicti Innocentij Quarti, & Alexandri Quarti. veluti de nouo fuerit fabricata & conſtituta, ex varijs atque diuerſis, Eremitarum Congregationibus & familijs, quæ multis retro ſeculis, per omnes mundi ſparſæ erant partes, profitentes eſſe ſe ex Eremitis D. Auguſtini. Horum alij dicebantur de Faballis, quidam de Britinijs, plures de pœnitentia Ieſu Chriſti, per quendam Ioannem Bonum inſtituti: non pauci Guillelmitæ, à quodã duce de Aquitania & Comite de Pytauia, Guillelmo nuncupato, qui vt fertur Eremiticum ſtatum reformauit. Ex his omnibus congregationibus, & familijs, tempore prædictorum Pontificũ, medio quodam miraculo, & reuelatione ſibi facta, D. Auguſtini, vnus idemque illuſtriſſimus ordo, eſt coaptatus & coadunatus, ſub vno D. Auguſtini celeberrimo nomine, ſub vno etiam generali miniſtro, eo modo, quo vſq; in hanc diẽ perſeuerat, cum antea omnes illæ Eremitarũ familiæ, non vnicum habuerint caput, ſed in varias fuerint congregationes & familias, ſecati atque diuiſi, & ſubiecti vt plurimum Epiſcopis ordinarijs. Frater Hieronymus Roman, huius celebris & illuſtris familiæ profeſſor & alumnus, libro ſuo de Republica Chriſtiana cap. 6. multis ſuadere contendit, hunc ſuum ordinem, eſſe omnium antiquiſſimum, antiquiorem etiam ordine ipſo B. Benedicti, & plures aliorum Ordinum auctores, & inſtitutores, ex ipſo preceſſiſſe dicit, inter quos Beatiſſimum Patrem noſtrum Franciſcum enumerat, pro eo quod ante exactam & celeberrimam ipſius, à ſæculo conuerſionem, & noſtri ſacri Ordinis inſtitutionem, in quodam ſolitario loco, quaſi Eremiticam vitam egerit, tunica quadã nigra vt ipſe dicit indutus, & corrigia coriacea præcinctus, inſtar Eremitarum D. Auguſtini. Sed quãtum ad ſanctiſſimum noſtrum Patrem attinet, quæ ab eo dicuntur, nullum veritatis fundamentum habent, vt latius alibi dicemus. Quantum verò, ad aliorum ordinum auctores, & inſtitutores, huius rei iudicem agere, aut ſententiam proferre in præſentiarum nolo: ſuperius à me dicta, ſunt quę communiter traduntur, & circunferuntur, & probabiliora exiſtimãtur à doctoribus. Cum hoc tamen libera ſit cuique facultas, aſſerẽ di atque exiſtimandi, quod verius ſibi viſum fuerit, & vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundet.

Ordinis D. Aug. laudes & Encomia.

ARTICVLVS VII.

De ortu & origine, Fratrum Carmelitarum, ſeu qui communiter dicuntur, Sanctæ Mariæ de monte Carmelo.

Concluſio.

Carmelitarũ ordo ſanctiſſimæ Virgini de monte Carmelo ſpecialiter eſt dicatus.

HAec ſacra Religio, ſacratiſſimæ Dei genitrici Mariæ, cultui & honori dicata, vna etiam eſt ex ijs, quæ in Occidentali Eccleſia, tempore Innocentij Tertij, & Honorij etiam Tertij prodierunt. Ita tradit Illeſcas in ſua Pontificali 1. p. lib. 5. cap. 33. De ipſius autem initio in Oriente, non ita expreſſe & plane conſtat; ſed conſtat de eius confirmatione, & approbatione facta ab Eccleſia Romana. Nam vt refert D. Antoninus 3. p. tit. 20. ca. 15. & Tritemius de laudibus Carmelitarum, ca. 4. Caſſanæus 4. part. catalogi gloriæ mundi, conſideratione 7. confirmata fuit, & approbata, ab Honorio Tertio, Pontificatus ſui anno primo, vt patet ex bulla eiuſdem confirmationis, quæ incipit: *Nos normam veſtram, &c.* data Romæ Kalendis Ianuarij, Pontificatus ſui anno primo, qui quidem annus fuit 1216. Eundem poſtmodum viuendi modum, cum ipſius regula, confirmauit Gregorius Nonus, mentionem etiam faciens, prædictæ confirmationis Honorij Tertij, cuius confirmationis & approbationis Bulla, incipit: *Ex officio noſtro debita, &c.* data anno quarto ſui Pontificatus. De hac ſacra Religione, & de eius ortu & origine in Oriente, adeò multa reperiũtur ſcripta, vt ſi omnia forent dicenda; nec tempus, nec lingua ad narrandum ſufficeret. Videantur chronicæ Eccleſiaſticæ, & Hiſtoriographi, qui quam plurimi ſunt, hoc argumentum tractantes, ex quibus non deſunt qui dicant, hunc ſacrum Ordinem, ab Helia & Eliſeo, cæterisque antiquis Patribus & Prophetis, immediate continua quadam ſucceſſione, ortum ſuum traxiſſe, atque originem. Qua de re nihil libet in præſentiarum determinare, aut definire, non enim volo falcem (vt dicitur) in alienam meſſem mittere. Videatur Frater Thomas à Ieſu, eiuſdem Ordinis & inſtituti, in Prouincia ſancti Heliæ Prophetæ, in Hiſpaniarum partibus olim Prouincialis Miniſter, qui hoc argumentum multis, non minus docte, quam eleganter proſequitur, in libro, quem de primitiuæ ſuæ Regulæ expoſitione edidit, vbi mira & pulchra dicit, & rationem exactiſſimam reddit, ob quam huius inſtituti alumni & profeſſores, Carmelitæ communiter nũcupentur, & hic ſacer ordo, ſacratiſſimæ Dei Genetrici Mariæ de monte Carmelo, ſpecialiter ſit dicatus, atque ſacratus.

Laudes Carmelitarũ ſeu S. Mariæ de monte Carmelo.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Vnde ortum & originem duxerit, ordo communiter dictus, Sanctiſsimæ Trinitatis?

Concluſio.

Sanctiſsimæ Trinitatis ordo, pro redimendis captiuis eſt inſtitutus. Huius Religionis encomia, & laudes.

REligio ſanctiſsimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorũ communiter nuncupata, etiam annumeratur inter eas, quæ ortum & originem duxerunt, feliciſſimo illo tempore, Innocentij Tertij. Ita tradit Illeſcas in ſua Hiſtoria Pontificali 1. p. lib. 5. ca. 33. Circa cuius ordinis inſtitutionem, antiquitatem, approbationem, atque confirmationem, multa & varia traduntur à Chroniſtis, & Hiſtoriographis, quæ cum non ſint mei propoſiti, nec præſentis ſpeculationis, conſulto facio miſſa. Hoc ſolummodo contentus dixiſſe, quod hic ſacer ordo pro Redemptione Captiuorum diuinitus fuerit, reuelatus, opus ſane prium atq; laudabile, Deoq; Optimo Maximo, quam gratiſſimum. Quod & ita fore, vt dicitur eidem Innocentio III. dum ſolemniter ſacra perageret, idem Altiſſimus reuelauit, monſtrans illi duos Angelos, quorum quilibet, captiuum vnum tenebat manu, obnixe ab eo petentes, vt eos è captiuerio liberaret. Hanc ob cauſam, huius Ordinis profeſſores & alumni, hoc feruntur & ſe iactant habere inſigne, quod ſit ordo, nõ à ſanctis fabricatus, ſed à ſolo ſummo Deo, factus & approbatus. Huic initium atque feliciſſimum principium dederunt, duo viri, quorum alter habebat nomen Felix Eremita, alter verò Ioannes de Maranta, ſeu de la Mata. Profitenturque huius inſtituti Fratres, regulã D. Auguſtini, mediis quibuſdam ſtatutis ſiue conſtitutionibus, per ſedem Apoſtolicam ad deſtinatum munus, & officium Redemptionis Captiuorum approbatis, per quas ab alijs Religionibus, eandem D. Auguſtini regulam profitentibus, diſtinguuntur.

ARTICVLVS IX.

Vnde, à quo & quo tempore, ortum & originem habuerit, Religio fratrum nuncupatorum Dominæ noſtræ de Mercede, Redemptionis Captiuorũ?

Concluſio.

Religio ſanctæ Mariæ de Mercede, pro redimendis etiam captiuis, eſt inſtituta.

DOminæ noſtræ de Mercede Religio, Redemptionis Captiuorum (vt dicitur) à quodam deuoto ac nobili viro, nomine Petro de Nolaſco, ortum & originem duxit. Cœpit hæc ſancta Religio, in Aragoniæ Regnis, ciuitate Barchinonenſi, tempore illuſtriſſimi, fortiſſimi atque inuictiſſimi Regis Iaymi, Conquæritoris, ſeu Conquiſtatoris à nonnullis, ab alijs Fortunati nuncupati, anno 1218. vt omnes communiter ferunt Hiſtoriæ, præſidente in Eccleſia Romana, Honorio III. quamuis non ab eo, ſed à Gregorio Nono, fuerit approbata & confirmata, Pontificatus ſui, anno 8. qui fuit noſtræ ſalutis 1230. die 16. Ianuarij, vt cõſtat ex eiuſdem confirmationis diplomate. Huius familiæ & inſtituti, proprius & peculiaris finis, eſt Captiuorum Redemptio, & hanc ob cauſam Redemptionis Captiuorum nuncupatur. Dicitur etiam Dominæ noſtræ de Mercede, pro eo quod huiuſmodi munus & officium, eidem ſanctiſſimæ Virgini, quam maximè futurum gratum, ipſa media quadã celebri viſione mõſtrauerit. Fertur enim quod ſanctiſſima virgo, in ſomnis apparuit, præfato Domino Iaymo Aragoniæ Regi, ac ſimul cuidam eximio, ſanctiſſimo & grauiſſimo patri Dominicanæ familiæ, ipſius magiſtro & à ſacris confeſſionibus, Fratri ſcilicet Raymundo de Pennafort, viro literis & Religione illuſtriſſimo, quem iam Eccleſia adſcriptum habet Sanctorum numero, & etiam prædicto deuoto & nobili viro, Petro de Nolaſco, eiſdem ſignificãs, quam gratum ſibi foret præfatum Redemptionis Captiuorum exercitium, & quod ad id ipſum, peculiaris quædam inſtitueretur Religio, ſub ſuo ſanctiſsimo nomine, vocareturque de Mercede, propter magnam quam proinde Mercedem, recepturi erant homines miſeri atque captiui. Cuius votis annuere volens præfatus Aragoniæ Rex, de conſilio & monitu prædicti ſui confeſſoris & magiſtri, ſacrum hunc ordinem inſtituit, & ſupra dictus Petrus de Nolaſco, primus fuit, qui ſemetipſum obtulit, ad tale munus & officium ſubeundum, & vt Religioni eidem Redemptionis Captiuorum, feliſsimum daret principium. Sic factum eſt, vt ipſe fieret, primus huius inſtituti pater, & in Aragoniæ Regnis Captiuorum Redemptor, & communiter feratur huius ſacræ Religionis inſtitutor. Deferunt huius familiæ profeſſores, habitũ album, inſtar Carmelitarum, in honorem perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, quibus & idem Rex arma quædam dedit, quæ portãt in dextera pectoris parte, ſcutum nempe, cum Cruce alba, in campo rubeo, ſuper Aragoniæ regni inſignijs. Profitentur etiã & ipſi, D. Auguſtini Regulam, cum quibuſdam ſtatutis, & conſtitutionibus, factis à prædicto Magiſtro Raymundo de Pennafort, deſumptis ex ſtatutis Ordinis Prædicatorum, & alijs, ad Redemptionem Captiuorũ ordinatis. Sed præter tria ſubſtantialia vota, quæ omnes in vniuerſum religioſi, in ſua profeſsione emittunt, profitẽtur & aliud huius inſtituti profeſſores, quod quidem eſt maximæ charitatis argumentum & indicium: nempe, quod Captiuorum Redemptor, & is cui ex præſcripto, competit huiuſmodi munus, & officiũ remanebit obſes, pro redemptione & liberatione cuiuſlibet captiui, de quo iuſto timore præſumeretur, quod periclitaretur in fide. Qui de hac Religione ſacra, plura deſiderat, conſulat proprias eiuſdem chronicas, & fratrẽ Hieronymum Roman, libro 6. de Republica Chriſtiana, cap. 22. & Illeſcas in ſua Pontificali. 1. parte lib. quinto cap. vltimo.

Encomia Religionis, Dominæ noſtræ de Mercede, Redemptionis Captiuorum nuncupatæ.

ARTICVLVS X.

Vnde ortum & originem habuerit, Religio Diui Hieronymi communiter nuncupata?

Concluſio.

Præclara Religio D. Hieron. in Hiſpania à quibuſdam per quam illuſtribus viris ortum & originem duxit.

ongregationis religioſiſsimæ, Diui Hieronymi communiter nuncupatæ, præcipuo Dei cultu & Religione illuſtriſsimæ, in Hiſpaniæ partibus, inſtitutores eſſe traduntur, quidam ſocij ſanctiſsimi cuiuſdam viri, nomine Thomæ, cuius fama & vitæ ſanctitas, vt referunt Chroniſtæ, ſed præcipuè Frater Hieronymus Romã li. 6. Reipublicæ Chriſtianæ ca. 27. fuit olim celeberrima in tota Italia. Fuit hic ſanctiſsimus vir, Eremita, & ſanctiſsimorum quorundam Eremitarum, in Italiæ partibus quondam degentium, pater, inſtitutor & auctor. Huius præclariſsimi viri, duo ſocij, in Hiſpaniam, Dei nutu & patris ſui Thomæ iuſſu, præuia quadã reuelatione venientes, anno Domini, plus minúſve, 1370. in quodam deſerto loco, Lupiana nũcupato, Toletani Archiepiſcopatus, ſuum domicilium, & habitationem fixerũt. Vbi cum per aliquod temporis ſpatium, cœlibem, auſteriſsimam & plus angelicam, quam humanam vitam egiſſent, eorum exemplo, viri multi, celebres & illuſtres, ad ſimile propoſitum & exercitiũ ſunt prouocati. Horum primus (vt fertur) fuit illuſtriſsimus, pariter atq; Reuerendiſsimus dominus, D. Ildephonſus Apecha, olim Epiſcopus Ianuenſis, qui coram Summo Pontifice, & in ipſius manibus derelicto Epiſcopatu, cum ſanctis illis viris, in continua abſtinentia, pœnitentia, & ſolitudine vſque ad finem vitæ perſeuerans, quaſi vim cœlo inferre voluit. Eundem eſt comitatus, illuſtris & notabilis vir, Ferdinandus Iañez, Eccleſiæ Toletanæ Canonicus, & capellæ regiæ, quæ in eadem Eccleſia ſtructa eſt, vulgo dicta (*de los Reyes viejos*) Capellanus maior. Hos ſequutus eſt, illuſtriſsimus etiam vir, Petrus Ferdinandez Apecha, domini Regis Petri Camerarius, & ſupra dicti Ildephonſi Ianuenſis Epiſcopi Germanus frater. Poſt quos fuerunt plurimi alij viri, celebres & illuſtres, qui breuiſsimo temporis ſpatio, hunc ordinem & ſanctiſsimum inſtitutum, ſummopere illuſtrarunt; viuentes in illa ſolitudine, cum magna abſtinentia, pœnitentia & rigore, diuino cultui, orationi atque contemplationi ſemper vacãtes. Sed cum viderent decreto Lateranenſis, ac Lugdunenſis Concilij, quorum mentionem ſupra fecimus, non poſſe quempiam, nouum Ordinem ſiue Religionem, & nouam viuendi normam ad inuenire; ſed ex approbatis per Romanã Eccleſiã, deſumendam neceſſariò fore vnam, præhabito conſilio & deliberatione, duos ex ſe ipſis Romam miſerunt, tempore Gregorij XI. eidem humiliter ſupplicantes, ſibi vt dignaretur, & Regulam tradere & præfatum inſtitutum, & viuendi modum approbare, & confirmare. Voluerunt̃que appellari Eremitæ D. Hieronymi, ob ipſius honorẽm, reuerentiam atque deuotionem maximam, & quia vt conſtat ex eius libris, & autentica Eccleſiaſtica hiſtoria, idem D. Pater, primum in Eremo, ac ſolitudinẽ, poſtmodum verò in monaſterio, ſimilem vitam egit. Quorum votis annuens præfatus Pontifex, huiuſmodi inſtitutum approbauit, anno 1375. voluitq́ue iuxta ipſorum deſiderium D. Hieronymi fratres nuncupari, regulamq́ue eiſdẽ dedit, deſumptam ex Regula Eremitarũ D. Auguſtini. Quod tamẽ poſtea ægre ferens, quidã huius inſtituti pater, nomine Frater Lupus de Olmedo Hiſpanus, Romam petijt, ſummopere contendẽs, eandem congregationem, ad aliam regulam, & viuendi normam, deſumptam ex operibus, vita atque doctrina eiuſdem D. Hieron. reducere, & vt ipſe aiebat, erat ſibi animus, totum hunc ſacrũ ordinem innouare, ac reformare. Super hoc; hinc inde habitæ ſunt multæ contentiones, lites & controuerſiæ, quas ego in præſentiarum referre nolo: cum id non ſit mei muneris, atque propoſiti. Cui hoc placuerit, conſulere poterit fratrem Hieronymum Romanum, loco ſupra citato, vbi de hac ſacra Religione, ac familia plura dicit, & de alijs quatuor familijs, quæ communiter circumferuntur in Eccleſia, ſub nomine Eremitarũ Diui Hieronymi.

Laudes & encomia Ordinis D. Hiero.

ARTICVLVS XI.

De ortu & origine fratrum Minimorum, qui communiter ſancti Franciſci de Paula nuncupantur?

Concluſio.

Ordo ſiue Religio, fratrum Minimorum, a S. Franciſco de Paula, ortum & originem duxit.

Rdinis Minimorum, ſanctus Frãciſcus à Paula, caput atque fundator incly tus fuit, anno 1450. ſeu vt ab alijs dicitur, 1473. Huius ſanctiſſimi viri parentes, cùm ſine prole in matrimonio, quam plures annos vixiſſent, tandem voto pie facto, ſeraphico Patri noſtro Franciſco; eius precibus, ſingulari Dei beneficio atque munere, hunc filium impetrauerunt & ſuſceperũt, quem & propterea Franciſcum, ob maximam viri ſancti deuotionem appellarunt. Factus iuuenis ſanctiſsimus hic Pater, & Minimorum fratrum Patriarcha incly tus, mundum & quæ mundi ſunt declinare volens, D. Patris noſtri Franciſci ordinem, iuxta patrum ſuorum promiſſum, eſt ingreſſus. Sed in ipſius nouitiatus anno, deſiderio flagrans, inuiſendi Aſſiſij locum, vbi ſeraphicus Pater noſter eſt ſepultus, dimiſſo habitu, cum parentibus ſuis, illuc vſque ſe recepit, & non eſt poſtea ad nouitiatus locum neque ad ſacrum noſtrum Ordinem reuerſus, cuius rei cauſa penitus ignoratur. In propoſito tamen, Deo inſeruiendi perſeuerans, vitam agere cœpit eremiticam, in quadam Eccleſia prope locum, Paulam nuncupatum, quam etiam ipſe extruxit, & ſuis prope manibus ac laboribus magnis

Laudes & encomia D. Fr. Ciſci de Paula

nis ædificauit. Vbi humi cubans, victu atque veſtitu aſpero, nudis etiam pedibus incedendo, vitam in continua meditatione, plus cæleſtem & angelicam, quam humanam agebat, cuius ſanctitate & celebri fama, quamplures permoti, ſe illi inſtituendos tradiderunt. Et quia ipſe è Minorum Religione exierat, filios ſuos & alumnos, non Minores quidem, ſed Minimos appellari voluit, & quod habitum deferrent mutato colore, inſtar nouitiorum noſtri Ordinis, quibus ex regulæ noſtræ præſcripto iubetur, vt habeant duas tunicas ſine caputio, & cingulum & brachas, & caparonem vſque ad cingulum. Sed habent quoddam inſigne, huius inſtituti profeſſores, quod præter tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, Religionibus omnibus cõmunia, quartum aliud emittunt, quo profitẽtur, nullatenus ſe veſci carnibus (excepto infirmitatis tempore) quod vt dicitur, communiter obſeruatur, magna totius populi ædificatione & exemplo. Hunc ſacrum Ordinem Sixtus IIII. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius III. & tandem Iulius II. magnis gratijs & priuilegijs illuſtrarunt: ſed nouiſsime Pius V. eundem inter mendicantes enumerauit, & annumerandum eſſe declarauit. De hoc ſacro Ordine cum plura poſſem dicere, conſultò prætermitto, vt ne vltra meum propoſitum diuertar. Videantur hac de re propriæ eiuſdem Ordinis chronicæ & frater Hieronymus Roman, lib. 6. de Republica Chriſtiana, cap. 31. & Illeſcas 2. p. lib. 6. cap. 26.

ARTICVLVS XII.

Vnde & quo tempore, ortum & originem habuerit Religio Societatis Ieſu, cuius alumni & profeſſores, per imperitiam à quibuſdam dicuntur Theatini?

Concluſio.

Religio clericorum Societatis Ieſu, à B. P. Ignatio originem duxit.

INter Religiones celebres & illuſtres, quæ ſummo Dei beneficio in Eccleſia vigent, quæ & breui temporis ſpatio, magna ſuſcepit incrementa, non mediocrem tenet locum, Religio Societatis Ieſu, cuius alumni, & profeſſores, per imperitiam, ſiue ex ignorantia, à quibuſdam dicuntur Theatini. Hæc ſacra Religio, ortum & originem duxit, à quodam deuotiſſimo ac nobili viro, ſtrenuoque duce, Ignatio de Loyola, Hiſpano Cantabrenſi, illuſtri quidem genere, ſed moribus & virtute illuſtriori, anno 1540. confirmata autem, & approbata fuit, ab illuſtriſſimo Alexandro Farneſio Summo Pontifice, Paulo III. nuncupato, anno 1545. Sed poſtea ab alijs ſummis Pontificibus, ordo iſte ſacer, ſummopere etiam eſt honorificatus, approbatus & confirmatus, ac multis gratijs & priuilegijs locupletatus. Huius Societatis & familiæ, præcipuum ſtudiũ atq; exercitium eſt, literis & hominum ſpirituali ſaluti incumbere, docendo, legendo, prædicando, ac fidelium confeſſiones audiendo, pueros & omnes alios in doctrina ſancta erudiendo, ſumma modeſtia & Religione, & quam maxima fidelium omnium ædificatione. Dicuntur huius inſtituti alumni & profeſſores, vulgariter, ſed per imperitiam quidem, atque ex ignorantia, Theatini, cum tamẽ hæc Religio, maxime ab illa diſtincta ſit. Hæc enim, vt diximus, ab Ignatio de Loyola initium ſumpſit; illa verò à quodam illuſtriſſimo viro Dño Petro Garrapha Neapolitano, quondam Epiſcopo Theatino, à quo & ipſi Theatinorum acceperunt nomen. De hac Religione, quæ in ſancta Dei Eccleſia, cum tanto fidelium omnium fructu, adeò enitet, cum plura poſſem dicere, conſultò facio miſſa, breuitati ſtudens, & quia non id eſt præſentis ſpeculationis. Qui plura deſiderat, conſulat Petrum à Ribadeneira, in libro, quem edidit, de vita B. Ignatij de Loyola, huius inſtituti, & ſanctæ Societatis auctore. Conſulat etiam fratrem Hieronymum Romã, lib. 6. de Republica Chriſtiana, & nunc nouiſſime Hieronymum Plati, libro ſuo 2. de bono ſtatus Religioſi, cap. 23. vbi etiam videre licebit rationem, ob quam huius illuſtris inſtituti; cultores & profeſſores, nuncupentur Ieſuitæ, nempe propter maximam deuotionem & reuerentiam, cordialemque affectum, quem ſupradictus B. Ignatius de Loyola, ad iſtud ſanctiſſimum nomen ſemper habuit, & quia vt dicitur, ipſe ab eodem Chriſto Ieſu, reuelationem accepit, quod ſuus ſacer ordo, futurus erat ſemper, ſub ſpeciali eiuſdẽ, & ſui dulciſſimi nominis patrocinio, atq; cuſtodia.

Laudes & encomia Societatis Ieſu, & eius inſtituti

ARTICVLVS XIII.

De origine omnium Canonicorum Regularium.

Concluſio.

Canonici Regulares, ab Apoſtolis vt dicitur ſuam trahunt originem.

CAnonici Regulares, qui communiter Diui Auguſtini nuncupãtur, ſicut veræ & autenticæ, Eccleſiæ narrant Hiſtoriæ, ab Apoſtolis ſuum trahunt ortum & originem. Sed poſtmodum à Diuo Auguſtino, fuit eorum inſtitutum reformatum, & poſtquam ab antiqua & Apoſtolica perfectione defecerat, priſtinæ ſuæ integritati reſtitutum; quapropter & ijdem D. Auguſt. Canonici Regulares appellantur. Hac de re videndus eſt Hieronymus Plati, lib. 2. de bono ſtatus Religioſi c. 23. vbi hoc argumentũ proſequitur latiſsime, mõſtrare cõtendẽs Clericos omnes, ab Apoſtolorum tempore, monaſticã & regularem vitã olim duxiſſe, fuiſſeq; verè & propriè religioſos, & obſeruaſſe tria Religionis eſſentialia & ſubſtãtialia vota, & ſi non cum eo rigore, quo nunc ipſa profitentur obſeruare noſtri religioſi. Pater Hierony. Roman lib. 6. de Republica Chriſtiana, cap. 4. & 16. id ipſum affirmat, ſed aſſerit Canonicos Regulares, de quibus in præſentiarum loquimur, non ortum duxiſſe ab Apoſtolis, neque ipſos

fos esse, ex antiquis illis Clericis, à D. Augustino reformatis, ij enim (inquit) fuerunt Canonici Cathedrales, non autem Regulares, de quibus hic est sermo. Sed quidquid sit de hac lite & controuersia, nec enim mei muneris est illã dissoluere, aut præsentis speculationis, quæ à nobis in conclusione sunt dicta, probabiliora existimantur cõmuniter. In cuius comprobationem, & fauorem prædictorum Canonicorum Regularium, extat quædam bulla, siue sententia Pij Quarti, lata anno 1564. contra Monachos sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, qui alio nomine dicuntur sanctæ Iustinæ de Padua. Fuit enim inter ipsos, & Canonicos Regulares, Congregationis Lateranensis, super præcedentia, magna lis & controuersia, quam diffinire atque determinare volens præfatus Pontifex, in prædicta bulla, quæ incipit: *Sedis Apostolicæ circunspecta, &c.* dicit horũ Canonicorum Regularium ordinem, multo esse antiquiorem, vt pote qui (sicut præmissum est) originem duxerit ab Apostolis, & postmodum fuerit à D. Augustino reformatus, prout ab ipsis Canonicis fuit allegatum, ac plene probatum; quam ob causam & quam plura eisdem concessit priuilegia. Hac de re videndus est Nauarro *in cap. statuimus 19. quæst. 3. nu. 7. & 8.* vbi inquit, quod huius instituti, D. Augustinus, cuius ipsi gaudent nomine, non tam fuit institutor & auctor, quam reformator & instaurator.

De diuersitate Canonicorum Regularium.

Hoc institutum in Ecclesia Dei, nunc partitum, atque diuisum reperitur, in plures atque diuersas familias, secundum varias, & diuersas reformationes. Nam alij dicuntur Lateranẽsis familiæ, quidam Frisionarij, alij verò Scopetini, siue sancti Saluatoris de Illiceto, nonnulli Clerici de vita communi, multi alij sancti Spiritus de Saxia nuncupantur, de quibus omnibus in particulari, dicere non libuit, quia non id est mei muneris, nec præsentis speculationis. Hoc contentus solummodo dixisse, quod munus & exercitium, horum omnium Canonicorum Regularium, vt plurimum, est rem sacram facere, literis vacare, conciones ad populum frequenter habere, Sacramenta fidelibus ministrare, ac denique sacerdotalia, & Apostolica munera exercere, viuentes in cõmuni, nulla habita re propria, & profitendo castitatem, sub vnius præpositi obedientia.

Pro Canonicis Regularibus.

De his Canonicis Regularibus, in controuersiam solet adduci, an veniant intelligendi Monachorum nomine. De qua controuersia & quæstione, videndus est Panormitanus, *in cap. quod Dei timorem, de statu Monachorum num. 2.* & de ea ego infra peculiarem faciam articulum, dum specialiter egero de Monachis, & Religiosis, qui digni hoc censentur nomine. Sed modo paucis verbis, ex communiori resolutione, dico quod quamuis præfati Canonici, propriè Monachi non sint, aut debeant nuncupari, sunt tamen verè & realiter religiosi, cum verè & realiter, emittant tria Religionis essentialia, & substantialia vota. Et quamuis in pœnalibus & exorbitantibus, intelligendi non veniant Monachorum nomine, comprehenduntur tamen in fauorabilibus, nomine religiosorum, atque etiam aliquando Monachorũ, quando in eisdem, eadem militat ratio. Et sic ex communi sententia, quando Monachis in iure, interdicitur postulare, comprehenduntur etiam prædicti Canonici, sicuti & quilibet alij religiosi, vt constat *ex ca. Monachus, el 2. 16. q. 1. & cap. 2. de postulande.* Nam eadem omnium militat prohibitionis ratio, quæ est Religiosorum quies, & vt ipsi secularibus & forensibus negotijs, non inquietentur & perturbentur, atque ita, in hoc propter paritatem rationis, secundum ius sunt exęquandi, quãuis (vt præmissum est) non sint Monachi, loquendo proprie & in rigore.

ARTICVLVS XIIII.

De ortu & origine, aliarum Religionum, siue familiarum, quæ profitentur infirmorum curam?

Conclusio.

Multæ sunt in Ecclesia Religiones, institutæ ad charitatis opera & infirmorum curam. De Religione S. Antonij.

PRæter Ordines & Religiones superius dictas, sunt etiam plures aliæ in Ecclesia, ad charitatis opera, & infirmorum curam gerendam constitutæ. Talis est Religio, D. Antonij communiter nuncupata, quæ quamuis non fuerit ab eo immediatè instituta, fuit tamen per ipsum, nobili cuidam viro Gallo, è ciuitate Viennensi, mirabiliter reuelata, ad curandos infirmos, & laborantes ea infirmitate, quæ vulgo dicitur, *De fuego de sant Anton.* De qua infirmitate, & huius familiæ & ordinis institutione, approbatione, & confirmatione, mirisque progressibus, qui plura videre desiderat, consulat Patrem Fratrem Hieronymum Roman, libro sexto de Republica Christiana, vbi hac de re tractat latissime per plura capita.

De Religione siue familia S. Lazari & crucigerorum & alijs.

Talis est etiam Religio, siue familia D. Lazari, pro curandis ijs, qui lepræ infirmitate laborant. In eodem numero est, Crucigerorum Ordo siue Religio, quæ nunc in tres diuisa reperitur familias. Ad idem pertinet, Religio sancti Spiritus in Saxia, cuius caput est Romæ, sic dicta, eo quod constructa fuerit in via, qua olim Saxones habitabant. Talis est etiam alia Religio, quæ charitatis nuncupatur, & alia dicta sanctæ Mariæ de la Scala, de quibus omnibus, & ipsarum institutione, fine, confirmatione & approbatione, cum plura possem facile dicere, consultò in præsentiarum facio missa, vt breuitati studeam, & vt nõ longius nostra protrahatur oratio. Hoc solummodo contentus dixisse, quod omnes isti Ordines & Religiones, sunt ad opera charitatis institutæ, & ad gerẽdam infirmorum curam, Deo Optimo Maximo proinde gratissimæ, de quibus multa dicit supradictus Hieronymus Roman, loco supra citato. lib. 6. cap. 17. & 25.

ART.

ARTICVLVS XV.

De ortu & origine Religionum Militarium, ſiue militiam profitentium?

Concluſio.

Multæ ſunt in Dei Eccleſia Religiones Militares, ſiue quæ militiam profitentur.

PRæter Ordines & Religiones, de quibus mentionem fecimus ſupra; ſunt & aliæ multæ in ſancta Dei Eccleſia, quæ militares communiter nuncupãtur, pro eo quod militiam profitentur. Talis eſt in noſtra Caſtella Religio Diui Iacobi, & Sancti Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani, & illæ quæ communi vocabulo, de Alcantara, & Calatraua nuncupantur. Talis eſt etiam in Luſitania, Religio Diui Iacobi, quæ cum noſtra Caſtellę fuit olim ſimul copulata, nunc autem manèt diuiſa. Religio etiam de Auis, & alia quæ Chriſti Domini retinet nomen. Tales etiam ſunt in Aragonia, Religio quæ dicitur de Monteſa, & Theutonicorum in Alemania, de la Iarretera, ſeu Sancti Georgij in Anglia, & aliæ multæ quæ ſub varijs, atque diuerſis nominibus reperiuntur, in Italia & Gallia, de quarum omnium ortu & origine, antiquitate, miriſque progreſſibus, plura cum poſſem dicere, ſciens & prudens omitto, cum non id ſit mei muneris, neque præſentis ſpeculationis. Hoc ſolummodo contentus, explicaſſe ac dixiſſe, earum omnium ſtudium & finem, quod eſt militare, & pro ſancta Dei Eccleſia conſeruanda, cum infidelibus indefeſſe atque indeſinenter bellum gerere, An ad hunc finem aliquæ debuerint in Eccleſia Religiones inſtitui, non minus docte, quam elegan-ter, tractat Diuus Thom. ſecunda ſecundæ quæſ. 188. artic. 3. vbi & partem tuetur affirmatiuam, quam probat atque confirmat, auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & ex doctrina Diui Auguſtini, Sunt enim (inquit Diuus Thomas) huiuſmodi Religiones inſtitutæ, ad inſtar & exemplum, Machabæorum, de quibus dicitur: *Quod præliabantur prælium Iſrael, cum lætitia, & dilatauerunt gloriam populo ſuo.* Hoc idem, eſt illuſtrium iſtorum virorum munus & officium, Deo Optimo Maximo proinde gratiſſimum, ſiquidem verſantur in defenſione Eccleſiæ ac diuini cultus, publicæ etiam ſalutis, & in liberatione oppreſſorum & captiuorum pauperum, adimplentes illud quod dictum fuit olim à Domino, per os Dauid Prophetæ: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* *Pſalm. 81.*

Laudes & encomia Religionum militarium.

1. Machab. 3.

De his Religionibus, communiter etiam, in controuerſiam ſolet adduci, an ſint verè & propriè Religiones, cum ipſarum milites vxores ducant, neque caſtitatem obſeruare teneantur, ad eum modum, quo ipſam profitentur, & obſeruare teneantur, omnes alij communiter Religionum omnium alumni, & profeſſores. Loquor de equitibus atque militibus, non autem de Fratribus, & clericis cruciatis, neque de Monialibus, in dictis ordinibus profeſſis, & qui religioſam vitam degunt intra ſepta monaſterij. Iſti enim omnes, abſque vllo prorſus dubio, ſunt verè & propriè Religioſi, loquendo cum omni rigore, poſtquam emittunt tria eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota. Sed de alijs varie controuertitur à doctoribus, de qua lite & controuerſia, videndus eſt Corduba, in ſua ſumma, quæſt. 148. & 178. & Nauarro lib. 3. Conſiliorum de Regularibus, conſilio 21. & Soto, libro ſeptimo de Iuſtitia & iure, quæſt. 5. artic. 3. & Frater Petrus de Aragon, ſecunda ſecundæ quæſt. 88. artic. 11. & Sarmiento Epiſcopus olim Aſturicenſis, poſtea autem Ienienſis, de redditibus, quarta parte capit. 1. numero 13. Et quamuis in præſentiarum, non ad me ſpectet eandem determinare, veriori tamen atque probabiliori ſententiæ inhærendo, & diuerſas opiniones, breuiter in vnum concordando, ſub aliorum cenſura & correctione, dico, quod quamuis præfati equites, & milites prædictarum Religionum, qui matrimonio copulantur, & vxores ducunt, quantum ad hoc, quod eſt ſtricte obſeruare caſtitatem, aliqualiter deficiant, à ratione veræ & propriæ Religionis: quia tamen ab ipſius voto & obligatione, non totaliter abſoluuntur (obſeruant enim, aut ſaltim obſeruare tenentur, caſtitatem coniugalem) certo crediderim, quod debent & poſſunt religioſi nuncupari, ſaltem cum addito, militares, ſic enim eos vocat Diuus Thomas, 2.2. quæſt. 186. artic. 4. in ſolut. ad 3. quia cum tali caſtitatis, & aliorum votorum eſſentialium obſeruantia, huiuſmodi Religionum profeſſores, & alumni, ad militandum ſunt inſtituti, & eorum inſtitutum cum his pactis & conditionibus, per Romanam Eccleſiam eſt approbatum, & confirmatum. Hæc breuiter dixiſſe ſufficiat, vt per hoc ad vnitatem & concordiam, reducantur vtcunque, opiniones, quæ alias videbantur contrariæ: nam hac etiam de re, ſpecialem infra ſuo loco, faciemus mentionem.

An Religiones Militares, proprie & in rigore, vocari debeãt Religiones?

QVAESTIO V.

De Religionibus in communi, quantum ad omnium ipſarum vltimatum finem, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quisnam ſit Religionum omnium, vltimatus finis?

Concluſio.

Religionum omnium vltimatus finis, eſt Chriſtianæ vitæ perfectio, & Chriſtum Dominũ quam maximè fieri poterit imitari, eiuſque ſanctiſſima veſtigia ſequi.

REligionum omnium vltimatus finis, eſt Chriſtianæ vitæ perfectio, & Chriſtũ Dominum, quam maximè fieri poterit imitari, eiuſque ſanctiſſima veſtigia ſequi.

Hæc concluſio eſt certiſſima, & expreſſa ſententia Diui Thomæ 2.2. quæſt. 186. ar. 1. cum ſequentibus, vbi agit de Religione & religioſo ſtatu in communi. De quo verba faciens, ſæpiſſime dicit, quod religio ſiue Religionis ſtatus, nihil eſt aliud, quam quædam ſchola, via & diſciplina, ſeu quoddam exercitium, quo ad perfectionem peruenitur, ad quam religioſi omnes diuerſis exercitijs, peruenire conantur, eo modo quo & medicus diuerſis medicinis, infirmo ſanitatem parat, ſiue ad ſanandum eum, diuerſis medicamentis vtitur. Verba ſunt expreſſa D. Thom. ſed in primo articulo, loquens de omnibus Religionibus in communi, & rationem reddens, ob quam Religio, ſeu Religionis nomen, ſtatum perfectionis importet, in ſolutione ad tertium argumentum, inquit, quod vocatur perfectionis ſtatus, ex intentione finis, quia nempe Religionum omnium vltimatus finis (vt præmiſſum eſt) eſt Chriſtianæ vitæ perfectio, & religioſi omnes, ex ratione ſui ſtatus, ad nihil aliud quam aſcendere ad perfectionem conantur, & Chriſtum Dominum in omnibus, quoad maximè fieri poterit, ſequi & imitari. Vt pote qui plene norunt, eius ſanctiſſimam vitam, perfectiſſimum eſſe totius perfectionis exemplar, à Deo cœlitus, cunctis hominibus datum, ſed præcipuè religioſis viris propoſitum, quo ipſum imitentur, & eius ſanctiſſima veſtigia ſequantur, ac ſi religioſorum cuilibet, peculiariter dictum fuiſſet, quod Moyſi olim. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Exodi 25. Inde eſt inquit, quod religioſi cuncti, nihil magis conãtur, aut ſaltim conari debẽt, quã eũdẽ imitari, eiuſque ſanctiſsima veſtigia ſequi, quod (vt diximus) vnicus eſt præcipuus atque potiſſimus Religionũ omnium vltimatus finis. Sed quia dictum eſt, Religionum omnium vltimatum finẽ, eſſe Chriſtianæ vitæ perfectionem, vt ne in re tãti ponderis ac momenti, in dubio ſiue in æquiuoco verſemur, aut laborare videamur, operæ pretium eſt dicamus, quidnam ſit illud, in quo hæc perfectio Chriſtianæ vitæ eſſentialiter conſiſtit. De qua difficultate, ſequẽs inſtituetur articulus, qui erit ſecundus in ordine.

ARTICVLVS II.

Quidnam ſit illud, in quo Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter cõſiſtit?

Concluſio.

Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter conſiſtit in charitate principaliter ſecũdum dilectionem Dei, ſecundariò verò ſecundum dilectionem proximi.

CHriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter conſiſtit in charitate, principaliter quidem ſecundum dilectionem Dei, ſecundariò verò ſecundum dilectionem proximi. De hac difficultate & quæſtione, plura eaque notatu digniſſima diximus in noſtro libro de perfectione iuſtitiæ. Vbi per multa capita, diffuſe ſatis hoc argumentum tractauimus. Sed pro nunc dico, quòd Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter atque ſubſtantialiter conſiſtit in charitate, principaliter quidem ſecundùm dilectionem Dei, ſecundariò verò ſecundùm dilectionem proximi. In eo inquam quod homo Deũ ſuũ ſuper omnia diligat, ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, atq; ex totis viribus ſuis, & proximum etiam ſuum, ſicut ſe ipſum. Hæc doctrina eſt expreſſa D. Thom. 2.2. q. 184. art. 1. & 3. & eſt communis omnium Doctorum reſolutio, probatque eam D. Thom. 1. auctoritate Diui Pauli ad Coloſſenſes 3. vbi agens de charitate prædicta, vocat illam perfectionis vinculum, & dicit procurandam eſſe ſuper omnia. Præmiſſerat multas virtutes, quæ ſummo ſtudio procurari deberent, poſt quæ addit. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* Ac ſi expreſſius diceret; quod in ea Chriſtiana perfectio eſſentialiter, & ſubſtantialiter conſiſtit, cum ipſa (vt ibidem dicit Diuus Thomas) ſit, quę omnes alias virtutes, quodammodo ligat, in quãdam vnitatem perfectam, & hominem facit eſſentialiter perfectum. Sed præterea probat eandem concluſionem, ſpecialiſſima quadam ratione, quam maximè notanda. Pro qua ſupponit, quod vniuerſaliter loquendo, vnumquodque in tantùm eſt, ac dicitur eſſe perfectum, in quantum attingit proprium ipſius vltimatum finem, ad quẽ eſt conditum ſiue ordinatum, & in quo vltima eius perfectio conſiſtit. Quod autem eiuſmodi ſit Deus Optimus Maximus, reſpectu rationalis

Quando dicatur aliquid eſſe perfectũ, & conſummatum.

ſis creaturæ (nempe hominis) latiſſimè tractat idem D. Thom. 1. 2. quæſt. 3. art. vltimo. Adeòque id certum eſt, vt in controuerſiã non debeat aut poſſit adduci. Modo inſurgit ratio, & formatur hoc modo. Eſſentialis & ſubſtãtialis perfectio hominis, conſiſtit in eo, quòd coniungatur ſuo vltimo fini, ſed charitas eſt, quæ nos Deo vnit & coniungit cum ipſo, qui eſt vltimus humanæ mẽtis finis, & hoc eſt proprium eius munus & officium, iuxta illud, Ioannis: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: ergo & charitas ipſa eſt, in qua Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter atque ſubſtantialiter conſiſtit. Conſequentia eſt legitima neque vlla vlteriori indiget probatione. Quia tamen charitas vt inquit idem D. Thom. 2. 2. quæſt. 25. art. 1. eſto ſit vnicus tantum habitus, duos tamen habet actus, nempe & diligere Deum ſuper omnia; & proximum propter eundẽ Deũ, ſicut ſe ipſum: conſultiſsime in concluſione dictum eſt à nobis, quod licèt hæc Chriſtianæ vitæ perfectio, in eadem, ſiue in eiuſdẽ actibus eſſentialiter, & ſubſtantialiter conſiſtat, principaliter tamen conſiſtit, in dilectione Dei; ſecundariò verò in dilectione proximi. Et quia illud quod eſt ſimpliciter principaliſſimũ, & maximum in vno quoq; genere, eſt metrũ atque menſura, omnium, quæ continentur in tali genere, inde eſt, quod perfectio omnis Chriſtianæ vitæ, ſecundum charitatẽ Dei, debeat cõſiderari atq; attẽdi, ita quod qui in hoc fuerit perfectior, & abundantior, perfectior etiam ſimpliciter, & abſolutè ſit dicendus. Sed de hoc inferiùs à nobis ſunt plura dicenda, nunc ad alia faciamus gradũ.

1. Ioann. 4.

ARTICVLVS III.

An hæc Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter etiam conſiſtat, in alijs præceptis à charitate, & in conſilijs poſitis in Euangelio?

IT quod quæritur in præſenti articulo, planius fiat, oportet aduertere, in præcedenti articulo, ſolummodo à nobis fuiſſe diffinitum, Chriſtianæ vitæ perfectionem, eſſentialiter & ſubſtantialiter, conſiſtere in charitate & in præceptis ipſius charitatis, hoc eſt in perfectiſſima adimpletione præceptorum dilectionis Dei, & proximi. Dantur enim de charitate duo præcepta, vt late proſequitur D. Thom. 2. 2. quæſt. 44. art. 2. Quod autem in præſentiarum quæritur eſt, an hæc Chriſtianæ vitæ perfectio, eſſentialiter & ſubſtantialiter, etiam conſiſtat in alijs præceptis, ſeu in obſeruantia aliorum præceptorum à charitate, in obſeruantia etiam conſiliorum, quæ ponuntur in Euangelio? Hæc difficultas, ſub hac expreſſa verborum forma, proponitur à D. Tho. 2. 2. quæſt. 184. art. 3. de cuius mente & reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Chriſtianæ vi Chriſtianæ vitæ perfectio, primo, per ſe & eſſentialiter, in ſola charitate conſiſtit, & in eius actibus, & ſuorum præceptorũ perfecta adimpletione atque obſeruantia: at ſecundariò, accidentaliter, ſeu inſtrumentaliter etiam conſiſtit in alijs præceptis à charitate, & ſimul in conſilijs poſitis in Euangelio: nam omnia alia præcepta, & conſilia in Euangelio poſita, ad charitatem tanquam ad finem diriguntur & ordinantur, quãuis aliter & aliter. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. vbi ſupra, eſtque ſummopere notanda, ad faciendam rerum omnium exactam diſtinctionem, ne dum ſimul omnia confuſe atque inuolute dicuntur, confundantur, quam proinde nos in præſentiarum latius oportet declarare. Et quidem quod Chriſtianæ vitæ perfectio, primo, per ſe & eſſentialiter, in ſola charitate conſiſtat, nempe in perfecta dilectione Dei & proximi, de quibus dantur principalia diuinæ legis præcepta, probat D. Thom. ex eo, quod habetur Deuteronomij 6. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* (hoc eſt quantum attinet ad dilectionem Dei) ſed quantum attinet ad dilectionem proximi, habetur etiam Leuitici 19. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, in quorum duorum præceptorum obſeruantia, vt dixit Chriſtus Dominus, *vniuerſa lex pendet & prophetæ*. Ex hoc ſuũ colligit intentũ. Sed præterea probat idipſum, eleganti quadam ratione, demonſtrans qualiter, prædicta charitatis præcepta, ſint reliquorum præceptorum omnium vltimatus finis. Ad quod probandum, inducit Diuum Paulum, ſcribentem ad Timotheum, & dicentem, quod *finis omnis præcepti eſt charitas, de corde puro & conſcientia bona & fide nõ ficta*. Quod fuit ac ſi expreſſius dixiſſet, quod finis omnium diuinorum præceptorum, ac denique totius ſpiritualis vitæ, conſiſtit & ſtat in hoc, quòd rationalis creatura (nempe homo) per charitatẽ & amorem vniatur Deo (ad quem tanquam ad finem, ordinantur omnia, quæ ad ſpiritualem vitam pertinent) & diligat etiam proximum ſuum, ſicut ſeipſum. Dixit autem Diuus Paulus, charitatem eſſe procurandam, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*, pro eo quod omnes virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ad hoc vtique diriguntur. Primò ad purificandum cor, à turbinibus paſſionum (quod fit per virtutes, quæ ſunt circa paſſiones.) Secundò ad habendam conſciẽtiam bonam (quod fit per illas, quæ ſunt circa operationes.) Ac tandem tertiò, ad habendam rectam fidem (quod fit per illas, quæ ad diuinum cultum pertinent) quæ quidem omnia, ordinãtur ad charitatem, & ipſa eſt omnium ipſorum vltimatus finis. Quod autem hoc ita ſit, colligit etiã D. Thom. aliunde, nempe, ex eo, quod ipſa ſola eſt, quæ in diuina lege præcipitur, ſine modo & ſine menſura, reliqua verò omnia, cum modo & cum menſura, vt videripoterit, diſcurrendo per ipſa charitatis præcepta, & alia quæ in diuina pronuntur lege. Nam de dilectione Dei dum agitur, habetur, vt dictum eſt ſupra: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Quin verò & D. Lucas addidit, *& ex omnibus viribus tuis*. Hoc eſt quantum poteris. Nam teſte Diuo Bernardo, modus diligendi

te perfectio, eſſentialiter, cõſiſtit in charitate, accidẽtaliter verò & inſtrumentaliter, etiam conſiſtit in conſilijs, & alijs præceptis a charitate.

Matthæi. 22.

1. ad Tim. 1.

Deum eſt, ipſum ſine modo diligere. De dilectione iam proximi, dicitur etiam: *Diliges proximum tuũ ſicut te ipſum.* Quibus verbis, cũ vnuſquiſque ſemetipſum quã maximè diligat, aperte etiã mõſtratur, proximum ſummopere eſſe diligendũ. At verò alia, diuinæ legis præcepta cũ ponũtur, non ſic ſine modo adimpleri iubẽtur. Ex quo colligit D. Thom. dilectionẽ Dei & proximi, cum præcipiãtur ſine modo & ſine mẽſura, eſſe proinde cæterorum præceptorũ, & omnium conſiliorum vltimatum finem. Nam teſte Ariſtot. 1. pol. 6. in fine, nunquam adhibetur menſura, ſed ſolummodo in medijs, & in ijs, quæ ſunt ad finem. Quod & exemplo conſtat. Non enim medicus, adhibet menſuram ſanitati, aut conſiderat quantum ſanet, ſed ſolummodo quanta medicina, vel dieta vſurus ſit, ad ſanandum, & ſit ad ſalutem neceſſaria. Ad propoſitum ergo, Si charitas vt præmiſſum eſt, & probatum apertiſſime, eſt omnium præceptorum & conſiliorum vltimatus finis, bene ſequitur (inquit Diuus Thomas) quod ipſa eſt illud, in quo Chriſtianæ vitæ perfectio, primo per ſe & eſſentialiter conſiſtit, quæ fuit prima pars, concluſionis ſupra poſitæ. Sed quod ſecundariò, accidentaliter & quaſi inſtrumentaliter, conſiſtat etiam Chriſtianæ vitæ perfectio, in alijs præceptis, ſeu in obſeruantia aliorum præceptorum à charitate, & ſimiliter in conſilijs in Euangelio poſitis, quãuis aliter & aliter; quod tandem poſitum eſt in concluſione, reſtat nunc probandum, & probat illud D. Thom. hoc modo. Nam cætera præcepta à præceptis charitatis, ſimiliter & conſilia in Euangelio poſita, diriguntur, & ordinantur, ad remouenda charitatis impedimenta, ex quo plane ſequitur, in eiſdem etiam accidentaliter, & inſtrumentaliter perfectionem ſecundario conſiſtere. Sed notandum ex eodem D. Thom. quòd eſt circa hoc quam maxima differentia, inter præcepta prædicta, & conſilia, nam præcepta alia à præceptis charitatis, diriguntur & ordinantur, ad remouendum ea, quæ ſunt virtuti & habitui charitatis contraria, & cum quibus charitas ipſa eſſe non poteſt (nempe peccata mortalia) at verò conſilia, non ordinantur ad remouenda aliqua, quæ ſint habitui charitatis cõtraria, ſed ſolummodo ad tollenda impedimenta actuum ipſius charitatis. Nam matrimonium (verbi gratia) & occupatio negotiorum ſeculariũ, de quibus vitandis dantur conſilia in Euangelio, non contrariantur habitui charitatis in ſe, ſed ſolummodo actibus eiuſdem charitatis, quatenus habere prædicta, impedimentum eſt, quominus animus hominis, vti par eſt & tenetur, totaliter feratur in Deum, & quatenus in ipſiuſmodi eſt, minuunt feruorem actuum eiuſdem charitatis. Ex dictis ſuperque ſatis manifeſtè colligitur, id quod à nobis in noſtra concluſione eſt dictum, nempe, perfectionem Chriſtianæ vitæ, primo per ſe atque eſſentialiter, in charitate & eius præceptis conſiſtere, hoc eſt in perfectiſſima dilectione Dei & proximi, in præceptis autẽ alijs à charitate, quæ reperiuntur in diuina lege, ſimiliter & in conſilijs, conſiſtere eandem perfectionem, non quidem primario & eſſentialiter, & ſubſtantialiter, ſed ſecũdariò, accidẽtaliter & inſtrumentaliter, vt dictum eſt, per quod fit ſatis propoſito articulo.

In fine non adhibetur mẽſura, ſed in medijs.

Notanda eſt differentia quæ verſatur inter conſilia & præcepta alia, à charitate.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm hæc perfectio Chriſtianæ vitæ, quam diximus in charitate eſſentialiter conſiſtere, in hac vita poſſit taliter acquiri?

DIFFICVLTAS præſentis articuli, celeberrima eſt, & potiſſima inter omnes, quæ ad hoc propoſitum poſſunt adduci. Ad cuius proinde maiorem explicationem, declarare oportet, modum quo homo, vtcumque perfectus, quin verò & perfectiſſimus quiſque Religioſus, ad perfectam Dei charitatem & dilectionem, in hac vita & præſenti hoc ſeculo poſſit peruenire. Modum etiam quo alij fideles Chriſtiani non ita perfecti, & qui perfectionis ſtatum non profitentur, adimplere poſſunt, vti tenentur, præceptum charitatis, & diuinæ dilectionis, abſque eo quod peccati arguantur, aut dijudicari poſſint vllo modo, eiuſdem præcepti tranſgreſſores. Omnia iſta ſimul in hoc articulo ſunt explicanda & declaranda, quæ quidem ſcitu atque notatu ſunt digniſſima, de quibus proinde D. Thom. in diuerſis ſuæ doctrinæ locis, tres neque minus, proponit articulos. Nam ſecunda ſecundæ quæſt. 24. artic. 10. ait, inquit, an charitas in hac vita eſſe poſſit perfecta? in quæſtione etiam 44. artic. 6. in controuerſiam adducit, vtrùm præceptum de dilectione Dei, in via poſſit impleri? Ac tandem in quæſt. 184. articulo ſecundo tractat, vtrùm aliquis in hac vita eſſe poſſit perfectus? De cuius ſententia & reſolutione, nonnullas ego proponam concluſiones, ſi tamen prius in medium adduxero, vnum valde notabile, ad hoc vt clarius atque diſtinctius procedamus. Illud eſt, quod charitatem Dei eſſe perfectam, ſeu quod idem eſt, poſſe Deum perfectè atque totaliter amari & diligi, contingere poteſt tripliciter, & ſecundum triplicem ſenſum poteſt conſiderari. Vno modo, ita vt perfectio atque totalitas, conſideretur ſimpliciter & abſolutè, ex parte diligibilis, ad hunc ſenſum, quod Deus diligatur, quantum diligibilis eſt. Secundo modo poteſt conſiderari, perfectio atque totalitas charitatis, non quidem ex parte diligibilis, ſed ex parte ipſius diligentis; ita vt quis tantùm diligat & amet Deum, quantum illum poteſt diligere, & amare, idque ſemper & actu, taliter, quod nunquam ceſſet ab eius actuali dilectione. Tandem tertio conſiderari poteſt, totalitas & perfectio dilectionis, ex parte diligentis, ſed non cum tanta perfectione, ſed ſolummodo cum illa, quæ ſe compatitur in hoc ſtatu, ita quod quamuis non ſemper actu quiſpiam, ſiue ineſſanter feratur in ipſum Deum, fertur tamen habitu, & aliquando, imò verò & multoties actu, eo modo quo actualis charitas, & actualis Dei amor, ſtare poteſt in hac vita, & ſe compatitur cum iſto

Quotupliciter contingere poſſit, quòd Deus perfectè & totaliter poſſit amari & diligi.

ſtatu

ſtatu. Hoc præmiſſo notabili, quod valde eſt memoriæ commendandum, vt propoſitæ difficultati ſatisfaciam, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Deus non ita perfecte poteſt diligi à nobis vt ipſe in ſe diligibilis eſt.

SI totalitas & perfectio charitatis & dilectionis, ex parte rei diligibilis conſideretur, certiſsimum eſt quod nulla charitas cuiuſlibet creaturæ, totaliter eſſe poteſt perfecta, nec Deus ita perfecte atque totaliter diligi, quo modo ipſe in ſe diligibilis eſt. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ vbi ſupra, & probatur. Nam Deus eſt tantum diligibilis & amabilis, quantum eſt bonus; eſt autem bonus in infinitum, infiniteque proinde diligibilis, ſed ad infinitam dilectionem, nulla creatura poteſt pertingere, cum cuiuſlibet creaturæ virtus ſit finita & limitata; ergo nulla charitas alicuius creaturæ, ſecundum iſtum modum, eſſe poteſt ſic perfecta, etiam charitas omnium Angelorum, & ſupremorum Cherubim, & Seraphim, nec ſic Deus perfecte, & totaliter diligi, niſi à ſe ipſo. Vnde in hoc ſenſu, ſola Dei charitas eſt perfecta, & ipſe ſolus eſt, qui ſicut ſe ipſũ perfectiſsime cognoſcit, ita & ſe perfectiſsime diligit, atque diligere poteſt. Circa hoc nulla eſt, aut eſſe poteſt controuerſia.

Secunda Concluſio.

Deus non poteſt in hac vita ſæpe et actualiter diligi, nam hoc reſeruatur ſtatui Beatorum in patria.

SI totalitas atque perfectio dilectionis, non abſolutè & ſimpliciter conſideretur, ex parte rei diligibilis, ſed ex parte diligentis (nempe hominis) actualiter tamen & ſemper, ita quod ſemper actualiter Deum diligat, quantum ipſum poteſt diligere, neque hoc modo, charitas noſtra, in hac vita eſſe poteſt perfecta, neque Deus perfecte atque totaliter à nobis diligi, inceſſanter & actualiter, nam hoc pertinet ad ſolos beatos, & ſoli ſtatui patriæ reſeruatur. Hæc concluſio eſt etiam Diui Thomæ vbi ſupra, & probatur. Nam in hoc ſeculo, propter humanæ vitæ impedimenta, & naturæ noſtræ infirmitatẽ atq; imbecillitatem, non poteſt homo ſemper & actualiter, in Deum ferri, aut ſemper de Deo actu cogitare, & charitatis dilectione inceſſanter in ipſum moueri. Ad quod quam maximè facit illud, quod dicit D. Auguſt. libro de perfectione iuſtitiæ, contra Cœleſtium in reſponſione ad 16. rationem, explicans illud diuinæ dilectionis præceptum, quo dicitur, Deum eſſe diligendum ex toto corde. *In plenitudine charitatis patriæ,* (inquit) *præceptum iſtud implebitur perfecte. Nam in hoc ſeculo, cum aliquid adhuc deeſt carnalis concupiſcentiæ, quod continendo fræne tur, non omninò ex toto corde, aut ex tota anima diligitur Deus.* Verba ſunt expreſſa Diui Auguſtini, Et in libro 83. quæſtionum, quæſt. 36. ad idem propoſitum dicit: *Quod venenum charitatis, eſt cupiditas, nutrimentum autem charitatis, diminutio cupiditatis, perfectio autem nulla cupiditas.* Sed hæc perfectio in hac vita haberi non poteſt, nam non quiſpiam ſine aliqua cupiditate eſſe poteſt, vt enim inquit Diuus Iacobus: *In multis offendimus omnes,* & ſecundum D. Ioannem. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quæ verba iuxta communem Sanctorum Patrum expoſitionem, intelligenda ſunt de peccatis venialibus, quæ conſequuntur ex inordinata cupiditate, atque infirmitate præſentis vitæ. Ergo in hoc ſenſu loquendo, nullius hominis exiſtentis in hoc ſeculo, charitas eſſe poteſt perfecta, aut Deus ab eo perfecte atque totaliter diligi, eo modo & ea perfectione, qua in patria à Beatis, perfecte atque totaliter diligitur. De hac concluſione nulla eſt etiam, aut eſſe poteſt controuerſia.

Tertia Concluſio.

Bene poteſt Deus, in hac vita perfecte diligi, loquẽdo de perfectione, quæ pro iſto ſtatu conuenire poteſt homini.

SI totalitas atque perfectio dilectionis & charitatis, attendatur ex parte diligentis, non quidem ita totaliter & actualiter, vt omninò habetur in patria, ſed eo modo, quo pro iſto ſtatu atque in via haberi poteſt: bene poteſt charitas in hac vita eſſe perfecta: licèt alias reſpectu maioris & perfectioris, quæ eſt in patria, aliqualiter videatur imperfecta, & Deus perfecte diligi à nobis, non ſolùm eo modo quo tenemur, ad hoc, vt non dijudicari poſſimus, præcepti dilectionis, & charitatis tranſgreſſores, verum etiam & alio multo perfectiori, quo ratione quadam, noſter amor, ſimilis eſſe videatur, ſtatui patriæ & beatorum. Hæc concluſio eſt etiam Diui Thomæ, 2. 2. q. 84. art. 2. & multa quidem continet, difficilia atq; notatu digniſſima, quam proinde nos latius explicare oportet. Et pro ipſius intelligentia ſuppono; quod Deus Optimus Maximus, vt pote cuius eſt ſumma atque ſuprema bonitas: qui & probe ac plene cognoſcit figmentum noſtrum, vt dixit Dauid olim, quamuis obliget nos, ad hoc vt ipſum ex toto corde amemus, atque diligamus, non tamen obligat nos, ad hoc vt ſemper actualiter feramur in ipſum, cum id ſit impoſsibile omninò, vt dictum eſt, pro iſto ſtatu, ſed hoc ſolummodo expoſcit à nobis, vt eidem per charitatem, ſeu charitatis habitum coniungamur, & quod ab ipſo per peccatum lethale ſiue mortale, nullatenus ſeparemur, aut diuidamur. Hoc eſt enim proprium munus, & officium habitus charitatis, nos cũ Deo Optimo Maximo vnire, ac veluti quodam nexu & vinculo coniungere: iuxta illud D. Ioannis: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Et alibi: *Qui non diligit, manet in morte.* Loquitur D. Ioannes prædictis in locis, non quidem de actuali charitate & dilectione, habenda præciſe & neceſſariò, ſed de habituali ſaltem, nempe de illa, quæ eſt per charitatis habitum, cui nihil omninò contrariatur, niſi mortale peccatum. Vnde quandiu à nobis, peccatum aliquod mortale non committitur, neq; charitati aliquid contrarium efficitur, ſufficienter adimpletur præ dictum charitatis præceptum, neque eiuſdẽ trãſgreſſores vllo modo dijudicari poſſumus. Venialia enim non contrariãtur charitatis habitui, ſed ſolùmmodo eius actibus, quatenus ſcilicet ipſius feruorem minuunt atque remittunt. Omnia iſta ſunt expreſſa verba D. Thom. loco citato, & quidem valde notanda. Quo præmiſſo notabili, di-

Deus pro iſto ſtatu, & in hac vita, non neceſſariò ab homine expoſcit, quod actualiter & ſemper feratur in ipſum cum id ſit omninò impoſsibile.

cit modo noſtra concluſio, quod loquendo de totalitate & perfectione charitatis, quæ pro iſto ſtatu viæ haberi poteſt, & cum infirmitate noſtra ſe compatitur, bene poteſt, cum Dei adiutorio, hominis charitas eſſe perfecta, & homo perfecte Deum diligere, licèt ſit imperfecta, in ordine ad patriæ dilectionem. Neque id ſolummodo, eo modo, quo præciſe & neceſſariò requiritur, ad hoc vt non huius præcepti reus ſiue, tranſgreſſor quiſpiam dijudicetur (quod fit quando non coniungitur & vnitur Deo, ſaltem per charitatis habitum, excludendo à ſe omnia peccata mortalia, quæ charitatis habitui contrariantur) verum etiam & alio perfectiori, procurando quam maxime fieri poſſit, vitare etiam peccata venialia, & quidquid actibus charitatis eiuſdem contrariatur, & quidquid impedit & obſtaculo eſſe poteſt, quominus eius animus & affectus totaliter feratur in Deum. Procurando etiam obnixe, vt ipſius amor, quantum fuerit poſſibile, Beatorum dilectioni aſsimiletur, & Deum diligere atque amare, in via & pro iſto ſtatu, ad eum modum, quo in patria à Beatis diligitur & amatur. Hoc eſt maximum, atque ſupremum charitatis faſtigium, quo charitas viæ cum Dei adiutorio poteſt pertingere. Sed adnotare oportet, dixiſſe me aſsimilari, non verò æquari, nam horũ primum licèt poſsibile ſit, ſecundum autem minime. Sed dicet aliquis, ſi charitas Dei & amor noſter in hac vita, ad perfectionem patriæ non poteſt pertingere, & Deus ex toto corde atq; ex tota anima, & ex tota mente, pro iſto ſtatu ab hominibus diligi, atque amari, quia id, vt inquit Auguſtinus, ſtatui patriæ & Beatorum reſeruatur: vt quid ergo, in Euangelio poſitum eſt nobis eiuſmodi præceptum, vt Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota mente, quin verò, & ex totis viribus diligamus? Vt quid poſitum fuit nobis tale mandatum, cum tanto verborum rigore & ambitu, de eo quod pro iſto ſtatu, adimplere haud quaquam poſſumus? Hæc difficultas propoſita fuit olim, Diuo Auguſtino, cui & ſatisfacere volens, libro de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, inquit. *Cur non præciperetur homini iſta perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat, ſed neque habere poſsit? non enim* (inquit) *rectè curritur, ſi quo currendum eſt neſciatur, & quo modo ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?* Quod eſt ac ſi apertius dixiſſet, propterea dilectionis præceptum, propoſitum fuiſſe nobis in hac vita, cum tanta perfectione, cum tanto rigore, atque verbum ambitu, non quaſi nos ad eam pro nunc pertingere poſſimus, ſed tanquam finis, quem pro viribus conſequi procuremus, & ad quem aſcendere & pertingere conemur, quoad maxime fieri poterit. Pro cuius doctrinæ intelligentia, eſt aduertendum hoc charitatis, ex D. Thoma præceptum, vniuerſaliter à Deo, cunctis hominibus fuiſſe propoſitum, & ſtantibus in via, & ijs qui iam exiſtunt in cœlo ſeu in patria. Omnibus abſque delectu & diſcrimine dictum eſt, vt pro ſuo quiſpiam poſſe, Deum ſuum diligant, quoad maxime fieri poſſit, ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota mente, quin verò ex totis viribus. Omnes etiam ſuo modo, & pro ſuo poſſe, iuxta propriũ cuiuſlibet ſtatum reſpectiue, prædictum præceptum adimplent. Illi tamen vt pote beati, & qui iam ſunt in ſtatu patriæ conſtituti, victo & ſuperato iam hoſte, adimplent illud, prout tenentur perfectiſſime, nos verò viatores, qui adhuc arma cum hoſte gerimus, minus perfecte, ſed tamen adhuc adimplemus illud, quodammodo perfecte, quamdiu facimus, id quod poſſumus, & per peccatum mortale, à Dei charitate, dilectione & amicitia non recedimus. Verba ſunt expreſſa Diui Thomæ. Propoſita igitur fuit, vt dictum eſt, nobis ipſorũ perfectio, & perfectæ dilectionis charitas, non pro eo, quòd pro iſto ſtatu, ad eandem ſiue ipſius culmen pertingere poſsimus, ſed quò imitemur illam, & ad perfectionem prædictam, quoad maxime fieri poterit aſcendere contendamus. Non tamen peccati rei erimus, id ipſum ſi non nobis contingat in via, erit tamen nihilominus quilibet, magis vel minus perfectus, quanto magis aut minus, ſecundùm aliquam ſimilitudinem, acceſſerit ad patriæ & ſupernorum ciuium perfectionem. Hac de re plura diximus, agentes de perfectione iuſtitiæ, nunc autem, dicta ſufficiant, pro aliquali articuli huius explicatione, vt liquidum & compertum fiat, qualiter charitatis perfectio in qua (vt dictum eſt) Chriſtianæ vitæ perfectio, conſiſtit, pro iſto ſtatu, & in hac vita poſsit procurari atque acquiri.

Quam ob cauſam charitatis præceptũ, in Euangelio poſitum ſit, cũ tanto verborum rigore.

Augu. lib. de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium in reſpõſi ad 16 rationẽ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm quicumque religioſus, ex ratione ſui ſtatus, teneatur eſſe perfectus?

PRO ratione dubitandi, videri poſſet forſitan alicui quod ſic, poſtquam in præcedentibus, dictum eſt à nobis. perfectionem Chriſtianæ vitæ, eſſe vltimum Religionum omnium finem, ad quem Religiones omnes diriguntur & ordinantur. Ex quo etiam colligi videtur, quod religioſi ipſi, ex propria ratione ſui ſtatus, perfecti eſſe teneantur, & quod alias fruſtra atque in vanum, religioſorum gloriantur nomine. Teſte enim Ariſtotele, illa dicuntur eſſe fruſtra, quæ ordinantur ad aliquem finem, quem non aſſequuntur. Si ergo Religiones, & Religionum omnium alumni & profeſſores, ad perfectionem adipiſcendam ordinantur, tanquam ad finem, neque ipſam aſſequuntur, incaſſum atque in vanum laborant, & religioſorum fruſtra ſibi vendicant nomen. Hoc argumento, ſatis apparenter probari videtur, quod religioſi omnes, ex ratione ſui ſtatus, teneantur actu eſſe perfecti. Quod & ex eo confirmari poteſt. Nam & alias videretur, quod eſſent in actuali peccato ſemper, tanquam falſi perfectionis profeſſores, ſimulatores & ſi dici poteſt mendaces, perfectionẽ præſeferẽtes, & illã non adipiſcentes. Et formari poteſt argumentũ in hũc modum. Nã certum eſt quod actus

omnis

omnis interior, exteriori habitui debet semper conformari, eique correspõdere, alias enim produbio incurreretur mendacium, quod teste Diuo Ambrosio, in quodam sermone, & refertur 22. *quæst.* 5. *cap. cauete*, non solùm consistit in falsis verbis, verum etiam in simulatis operibus. Cũ igitur religiosi omnes, profiteantur esse in statu perfectionis, si ipsam actu non in se habeant, cõsequens fieri videtur, quod sunt simulatores, mẽdaces atq; fallaces, & quòd proprijs suis operib' mentiuntur, dum interiora, non exterioribus correspondent, neque cum eisdem in omnibus, & per omnia conformantur. Hæc sunt argumenta, quæ pro hac parte adducuntur à D. Thom. Vt autem constet, quid hac in rẽ tenendum sit; sequentem statuo conclusionem.

Mendaciũ nõ solum consistit, in falsis verbis, verũ etiam in simulatis operibus.

Conclusio.

Religiosi, ex ratione sui status, nõ necessario tenẽtur actu esse perfecti, sed hoc solummodo, ad perfectionem tendere.

QVamuis omnis in vniuersum Religio, sit perfectionis status, & quadã ratione religiosi omnes, perfectionem profiteantur, non tamen tenentur necessariò, sub nouo peccato, actu iam esse perfecti, sed hoc solummodo, ad perfectionem tendere, & ad ipsam adipiscendam conari. Hæc conclusio, est expressa D. Thom. quam & probat, primo auctoritate Diui Pauli ad Philippenses. 3. vbi agens de Christiana perfectione, ac de se nimium illam procurante, inquit. *Non quod iam acceperim, aut quod iam perfectus sim, sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* Et paulo inferius subdit. *Quicumque ergo sumus perfecti, hoc sentiamus.* Quibus verbis, luce clarius insinuare videtur Diuus Paulus, non esse de ratione Religiosorum, & eorum qui ad perfectionem ascendere conãtur, quod actu iam sint perfecti, & omnimodam perfectionem assecuti, sed hoc tantùm, quod ad perfectionem eandem ascendere conentur. Probat D. Thom. eandem conclusionem, eleganti quadam ratione, desumpta ex philosophia. Nam illis (inquit) qui operantur ad finem, non ex necessitate conuenit, quod iam finem sint assequuti, sed hoc solummodo, quod ad eundem tendant, & per aliquam viã ad ipsum conentur peruenire. Sicuti & ille, qui intrat in scholas, ad acquirendam scientiam, non necessariò requiritur, quod illam sit iam actu cõsequutus, sat est vt det operam, ad ipsam acquirendam. Sic ergo in proposito, dicit Diuus Thomas, quod quamuis expedientissimum atque sanctissimum foret, vt religiosi omnes, actu essent perfecti, non tamen ad id, ex ratione sui status, præcise & necessariò sunt obligati, neque propterea mortaliter, nouo peccato peccant, quod perfectionem non fuerint actu consequuti, sed tunc solummodo, si perfectionem assequi contẽnant, & per aliquid à perfectionis debito fine recedant. Et potest adduci quoddam appositissimum exemplum, quod & ad aliud simile propositum, affert idem D. Thom. de duobus militibus, quibus dux exercitus precipit vt fortiter pugnẽt, ac dimicent, cuius quidem præceptũ ambo adimplent, seu adimplere conãtur, sed ille perfectius & melius, qui fortiter pugnãdo, hostem iam superauit & vicit, qui est prætensus finis, at adimplet etiam illud, quamuis nõ ita perfecte, qui semper pugnat, & quamuis eius pugna nondum ad victoriam peruenerit, conatur tamen pertingere. Sic igitur in proposito. Sicut miles ille, qui legitime pugnat, quamuis nondum hostem viterit, non inculpatur, aut aliquam proinde pœnã meretur, dum tamen faciat quod in se est, ipsumq; vincere conetur, ita neque religiosi ipsi, quamuis sint in statu perfectionis, inculpari possunt, aut pœnam promerentur, quamuis perfectionem eandem, nõ actu fuerint assequuti, esto illa sit prætensus finis, cum tamẽ ad ipsam conentur ascendere. Hæc est vera articuli huius resolutio, & quòd hac in re tenendum est. Ad argumenta in principio articuli proposita facile respondetur, cum eodem D. Th. dicendo, quod quamuis perfectio Christianæ vitæ, sit Religionum omnium, & religiosorum vltimatus finis, non tamen peccant, pro eo quod ipsam actu non fuerint assequuti, aut ex eo quod nõ ia actu sint perfecti, nam ei qui operatur ad finẽ, non ex necessitate cõpetit, quod sit iam assequutus finem, sed hoc solummodo, quod per aliquã viam tendat ad eundem. Solummodo igitur peccabunt religiosi prædicti (vt dictum est) si ea, quæ sunt perfectionis contemnant, de quo cõtemptu videndus est D. Tho. & suus commentator Caietanus 2.2.q.186.art.2. non enim vacat per tempus neque breuitas, cui tantopere studemus, omnia simul dicere permittit. Ad secũdum argumentum respondetur, quod quamuis actus interior, exteriori habitui, quoad maximè fieri possit, semper debeat conformari, ne incurratur mendaciũ (vt argumentum prætendit) religiosi tamen, ex eo quod nõ sint actu perfecti, aut perfectionem iam assequuti, non mendaces aut falsi simulatores debent existimari, siue de eisdem potest dici, quod falsis suis operibus, mẽdacium semper incurrãt; nam non ipsi profitentur, se iam actu esse perfectos, nec id designat proprius ipsorum habitus, sed hoc solummodo, quod ad perfectionem tendant, ad ipsamque ascendere conẽtur, quod semper adimplent, quamdiu non perfectionem contemnunt, & per praua aliqua sua opera, ab intentione perfectionis, ipsorum animus non reuocatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aliquis esse possit perfectus, absque eo quod habeat statum perfectionis?

VIderi forsan alicui posset, quod non: nam quo pacto peruenire vllo modo poterit ad finem, qui nedum attigit principium, & media, verum neque ipsius prima salutauit limina? Si igitur Religiones, status sunt perfectionis, principiũ & media quædam quibus ad perfectionem peruenitur (vt dictum est) qui eiusmodi statum non habent, quonam modo perfectionis cõpotes euadent, aut perfecti ipsi esse vllo modo poterunt? Hæc est ratio dubitandi. Sed nihilominus ea nõ obstante, in contrarium est veritas. Nam cum Christianæ per-

fectionis finis, ſit perfecta charitas, ad charitatē autem, non vnica tantùm via, ſed multiplici poſſit peruenirī, ſicuti & medicus, ad curandum & ſanandum infirmos, diuerſis medicinis & medicamētis vtitur, manifeſte profecto colligitur, quod poteſt quiſpiam eſſe perfectus, abſq; eo quod habeat perfectionis ſtatum, qualem habent omnes in vniuerſum religioſi. Vt igitur propoſito articulo ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Bene poteſt aliquis eſſe perfectus, abſque eo quod habeat ſtatū perfectionis.

QVamuis Religionis ſtatus, conuenientiſſima ſit via, ſchola & diſciplina, perueniendi ad perfectionem, cum hoc tamen ſtat, id quod & multoties contingit, vt aliquis eſſe poſſit perfectus, quin verò multi ſint viri, ſanctiſſimi atque perfectiſſimi, abſq; eo quod ſint religioſi, ſeu ſtatum habeant perfectionis. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, cuius quidem veritas conſtat primo in martyribus, quorū proculdubio fuit perfectiſsima charitas, ijdemque perfectiſſimi, poſtquā vitam ſuam poſuerunt pro Chriſto. Vt enim dixit Chriſtus, Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, & tamen eorum multi, non fuerunt religioſi, neque habuerunt perfectionis ſtatum. Quod & confirmat Gloſſa, quæ explicans illa verba Diui Pauli ad Hebr. 12. *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis* (inquit) *quod perfectior in hac vita, dilectio nulla eſſe poteſt ea, ad quam ſancti martyres peruenerunt, qui contra ipſum peccatum, vſque ad ſanguinem decertarunt.* Quod deſumptum eſt, ex D. Auguſtino ſer. 17. de verbis Apoſtoli. Neque ſolummodo, verum habet noſtra concluſio, in prædictis martyribus, verum etiam & in multis alijs fidelibus Chriſtianis, qui viuentes in perfecta diuinorum mandatorum obſeruantia, vt in charitate proficerent, quāuis non ipſi perfectionis ſtatum profiteantur, ab omnibus ſe abſtinuerunt & abſtinent, quæ ſibi impedimento, quoquomodo eſſe poſſunt, proficiēdi in charitate, & perueniendi ad charitatis perfectionem. Hi proculdubio, non ſolùm perfecti, dici poſſunt & debent, verum etiam Sanctiſſimi & perfectiſſimi, & in charitate abundantiſſimi, quānis non ipſi ſtatum habeant perfectionis. Et quid quæſo proderit, religioſos perfectionis ſtatū habere, ſi alias ipſi (quod abſit) perfectionis acquirēdæ, occaſiones prætermittant ſiue deſpiciant? E contrario verò, quid oberit, aliquos eſſe extra ſtatum perfectionis, ſi minori cum obligatione, magis ipſi laborent, magiſque conētur ad perfectionem, & perfectam charitatem aſcendere? Ad hoc propoſitum facit quam maximè, quod dicitur in Euangelio: *De duobus filijs, quorum vnus, patre dicente ſibi, fili vade & operare hodie in vinea mea, reſpondit nolo, ſed poſtea abijt. Alter vero reſpondens, eo, poſtea non iuit.* Hoc exemplū adducit D. Tho. quod præclariſſimum, eſt noſtri ſymbolum propoſiti: nam multi Religionum profeſſores ſunt, qui ſe obligant ad obſeruandum ea, quæ poſtea non obſeruant, alij verò e contrario, adimplent multa, ad quæ nunquam ſe obligauerunt. Ex his colligit D. Tho. quod nihil prohibet, aliquos eſſe perfectos, qui non ſint in ſtatu perfectionis, & è contra quod multi ſunt in ſtatu perfectionis, cum tamē non ſint perfecti. Verba ſunt quam maxime notanda, & pro religioſis ſummopere memoriæ cōmendanda. Quid autem ſit, eſſe in ſtatu perfectionis, ſeu ſtatum perfectionis habere, iam diximus ſupra q. 1. art. 3. Sed pro nunc breuiter dico, nihil eſſe aliud, quam obligare ſe quempiā, cum aliqua ſolemnitate, ad ea quæ ſunt perfectionis, quod fit ingrediendo & profitendo aliquam approbatam Religionem, ſeu aſſumendo perfectionis ſtatum, qualis eſt ſtatus Epiſcoporum, qui eſt ſtatus perfectionis exercendæ actiue, nam religioſorū ſtatus, eſt ſtatus perfectionis acquirendæ paſſiue. De quo videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 5. & 6.

Matthæi. 12.

Nota hoc val de pro Religioſis imperfectis, cum ſint in ſtatu perfectionis.

QVAESTIO VI.

De Religionibus, quantum ad ipſarū proprios, & particulares fines, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religionibus omnibus, neceſſarium ſit conſtituere, proprios & particulares fines?

Religiones omnes ſuos habēt proprios & particulares fines, quibus diſtinguuntur ab inuicē

Concluſio.

PRæter Religionum omnium, communem atque vltimatū finem, qui eſt Chriſtianæ vitæ perfectio, quæ eſſentialiter in charitate conſiſtit, in quo fine omnes in vniuerſum conueniūt Religiones, & neceſſariò habent conuenire, neceſſum eſt etiā cōſtituere eis, alios proprios & particulares fines, penes quos adinuicem diſtinguūtur. Hæc concluſio certiſſima eſt. & credo quod de ea nemo eſt, qui dubitare poſſit. Et probatur, hac vel vnica ratione. Nam certum eſt, quod Religiones omnes, quæ ſunt in Eccleſia, quamuis in fine illo vltimato conueniant, inter ſe tamen ſunt diuerſæ, atq; diſtinctæ: ſed non diſtinguntur neque diſtingui poſſunt, per illum finem, in quo conueniunt, cum nihil eſſe poſſit cauſa & ratio, conuenientiæ & differentiæ ſiue diſtinctionis ſimul, ergo neceſſariò conſtituendi ſunt, Religionum omnium, proprij & particulares fines, per quos in tali ſtatu conſtituantur, & diſtinguantur abinuicem. Hoc eſt certiſſimum atque conſtitutiſſi-

tiſſimum. Sed aduerto, quod iſti particulares fines, licet reſpectu cuiuslibet Religionis (reſpectiue) vere & proprie, habeant rationem finis, ad quos eædem Religiones diriguntur & ordinantur, reſpectu tamen finis principalioris & vltimati, qui vt ſæpe diximus, eſt Chriſtianæ vitæ perfectio, quæ in charitate conſiſtit vere etiam & proprie, habent rationem mediorum. Quod eſt dicere, quod fines ipſi, & Religiones, quarum ſunt fines, habito reſpectu ad finem vltimum, ſunt etiã media, ordinata ad perfectam Dei charitatem, tanquam ad finem. Ad id enim inſtitutæ ſunt Religiones omnes, & omnia religioſa exercitia, ad hoc vt ipſarum profeſſores & alumni, ad perfectam charitatem peruenire poſſint, licet diuerſis vijs: quemadmodum & medicus ad procurandã ſanitatem, curandumque infirmum, diuerſis vtitur medicinis.

Sed dices, quonammodo fieri poteſt, quod huiuſmodi Religionum particulares fines, veram habeant rationem finis, & ſimul ſint media? Reſpondeo & dico. Hoc optime ſtare poſſe, & nullũ eſſe inconueniens, imo vero, ſecundum veram philoſophiam, id omnino eſſe neceſſarium, in medijs ſubordinatis, ad conſequendum aliquem finem. Quod vt plenius intelligatur; apponere libet, quoddam axioma notatu digniſsimum: & illud eſt, quod quãdo quis ad cõſequendũ aliquẽ finẽ, plura eligit ſubordinata media, illud quod inter ea eſt præſtantius atque potiſsimum, quamuis reſpectu vlterioris, ſiue vltimati finis ſit medium, reſpectu tamen aliorum mediorum inferiorum eſt finis. Multa poſſent adduci exempla: ſed quia res ſatis de ſe eſt clara & manifeſta, in his immorari non libet; cum id etiam experiri liceat, in arbore lineæ prædicamẽtalis, vbi genera ſubalterna, cũ reſpectu ſuperiorũ ſint ſpecies, reſpectu tamẽ inferiorũ ſunt genera. Sic igitur in propoſito, particulares & proprij, Religionum omnium fines, quamuis reſpectu Chriſtianæ perfectionis, & perfectiſſimæ charitatis (quæ omniũ eſt vltimatus finis) ſint media, reſpectu tamen earundem Religionum & aliorum exercitiorum, quæ quælibet Religio reſpectiue habet, vere & proprie habent rationem finis. Quorum ratione ipſæ Religiones, in proprio ſuo ſtatu conſtituuntur, & ſimul ab inuicem diſtinguuntur, cum (ſicuti præmiſſum eſt) diſtingui non poſſint, reſpectu principalioris & vltimati finis, nec vero reſpectu trium votorum eſſentialium, & ſubſtantialium: nam in iis omnibus omnes religioſi conueniunt ac neceſſario habẽt conuenire. Hoc præmiſſo notabili, quod ſummopere eſt memoriæ commendandum, reſtat nunc dicamus, hi proprij & particulares Religionum fines, ad quot capita reducantur. de quo ſit ſecundus articulus.

(?)

ARTICVLVS. II.

Quot ſint in genere, Religionum omnium, proprij & particulares fines?

Concluſio.

Religionum omnium, proprij & particulares fines, ad tria capita reducuntur in genere.

Religionum omnium, proprij & particulares fines in genere, ad tria capita reducuntur: nam vel ordinantur ad vitam contemplatiuam, aut ad actiuam, vel ad vitam miſtam, ſiue ex vtraque compoſitam. Hæc concluſio eſt certiſſima, & non maiori indiget probatione, quam explicatione. Vitam contemplatiuam profitentur, qui communi vocabulo, appellantur monachi, ſic dicti à dictione Græca *monos*, quæ idem pollet ac ſolus, ſiue ſolitarius. Ij etenim quò Deo, ac diuinarum rerũ contemplationi, rectius vacent, monaſticam & ſolitariam vitam agunt. Tales fuere Monachi, D. Baſilij in oriente olim, & ſunt in occidente hodie, monachi etiam D. Benedicti, & cæteræ Religiones, quæ ex eodem ſacro fonte deriuantur, & ipſius Regulam atque inſtitutum profitentur, vt Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Carthuſiani, & alij, de quibus diximus ſupra quæſt. 4. arti. 2. Actiuam vitam profitentur, religioſi ſiue regulares, quorum ſtudium & exercitium eſt, docere, legere, atque prædicare, ſiue fidelium confeſsiones audire, aut alijs eiuſmodi operibus incumbere, quæ ad vitam actiuam, & proximorum vtilitatẽ ordinantur. Tales dicimur, nos minores Fratres, ſimiliter & Fratres Ordinis Sancti Dominici, qui vulgo dicuntur Prædicatores. Item Auguſtiniani, Carmelitæ, & Fratres Sanctiſſimæ Trinitatis, & qui dominæ noſtræ de Mercede, vulgariter nũcupantur, ſimiliter Fratres Minimi, qui S. Franciſci de Paula nominantur. Et præterea earum Religionum profeſſores & alumni, qui hoſpitalitatẽ atque infirmorum curam profitentur, etiam & illi, quorum eſt continuum ſtudium & exercitium, pro ſancta Dei Eccleſia & fidelium ſalute, contra infideles continue militare. Omnes iſti vitam profitentur actiuam, quamuis aliter & aliter, vt dicemus ſtatim. Vitam miſtam ſiue ex vtraque compoſitam, habent, qui ambas has vitas, ſiue viuendi modos, ſimul amplectuntur, & ſimul eoſdem habent, quaſi pro principali fine, ſeu pro proprio inſtituto, adeo quod taliter incumbunt horum vni, vt etiam ſimul operam dent & alteri. Et dixi notanter (quaſi pro principali fine) nam incidenter & quaſi per accidens nulla eſt in Dei Eccleſia Religio, quæ profiteatur vitam actiuam, aut contemplatiuam, & non ſimul multa, quin vero & quam plurima, de alterius vitæ exercitijs in ſe habeat. Nam etiam viri actiui, & qui vitam actiuam profitentur, ſimul cõtẽplantur, ſimiliter & contemplatiui aliqualiter in actione exercentur. Nõ enim (vt dicemus) eſt vtilis aut fructuoſa vita contemplatiua, quã non actio & vitæ actiuæ exercitia aliqualiter præceſſerint. Nec vita ipſa actiua, ſine aliquali cõtemplatione, eſſe poteſt frugifera, diuturna aut

Qui nam religioſi profitẽtur vitam actiuam, ſiue cõtemplatiuam, aut miſtam ſiue ex vtraq; compoſitam.

multum & durare. Quamuis tamen id ita sit, non proinde omnes Religiones, dicentur agere vitam mistam. Nam hoc insigne, & hæc specialis prærogatiua, tantummodo conceditur, illi instituto & Religioni, quæ vtrasque has vitas (actiuam scilicet & contemplatiuam) & vtriusque exercitia, profitetur & respicit, quasi pro principali fine. De quo vitæ genere statim dicemus, in quæst. sequenti, & cui earum Religionum, quæ nunc sunt in Ecclesia, dicendum sit conuenire. Nam circa hoc, est inter Religiosos ipsos, non modica controuersia, & quilibet conatur, propriæ suæ Religioni hoc insigne tribuere.

Habita iam aliquali prædictorum notitia, reliquum est, vt inquiramus, quid fuerit in causa, quod sancti patres & antiqui Patriarchę, Religionum institutores & fundatores, non omnes assumpserint, vnum & idem vitæ genus, & ad perfectam charitatem consequendam, quæ omnium ipsorum fuit optatus finis, non vna & eadem, sed alia & alia processerint via? De hac difficultate, sequens instituetur articulus, qui erit tertius in ordine.

ARTICVLVS III.

Quam ob causam, sancti Patriarchæ, Religionum institutores & fundatores, ad optatum perfectionis finẽ, non vna & eadem, sed alia & alia processerint via, desumentes quidam vitam cõtemplatiuam: alij autem actiuam, alij vero mistam, siue ex vtraque compositam?

Conclusio.

Differentia & diuersitas Religionum, ex varia atq; diuersa consideratione vitæ Christi Dñi & ex varia hominũ inclinatione & natura processet

Idifferentia atque diuersitas Religionum, & quod sancti Patres, Patriarchæ, Religionum institutores & fundatores, adoptatum perfectionis finẽ &, nõ vna & eadẽ, sed alia & alia processerint via, profluit, tũ ex varia hominũ inclinatione, naturę tum etiam ex diuersa & varia consideratione & contemplatione, quam ipsi habuerunt de vita, & conuersatione Christi Domini. Hanc conclusionem, non tam oportet probare, quam explicare. Et in primis, quod varia & diuersa sit hominum natura, varia ingenia, variæ atque diuersæ ipsorum inclinationes & conditiones, adeo est clarũ atq; perspicuum, vt nulla indigeat probatione, neque in cõtrouersiam adduci debeat aut possit. Hinc igitur processit atque effectum est, vt qui natura sua, præ alijs erant quieti, vitam elegerint, quietam & contemplatiuam, assumentes sibi Mariæ Magdalenæ felicem illam sortem, quæ vt dicitur, Lucæ, 7. *sedens secus pedes Domini, audiebat verbũ illius.* Adimplẽtes etiã illud Dauidis Psa. 33. *Vacate & videte, quoniã suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.* Qui vero ècontra, natura sua, magis erant actiui & feruorosi, magisque ad actionem propensi & inclinati, eiusmodi viuendi modum susceperè, Martham eiusdem Mariæ Magdalenæ, indiuiduam sororem imitantes; de qua etiam in eodem Euangelio Lucæ, dicitur; *quod satagebat circa frequens ministerium, nimiumque erat solicita, & turbabatur erga plurima, vt Christũ Dominum hospitaret.* Ambæ quidem erant sorores, quæ & simul hospitio Christum Dominum susceperant, sed tamen vt inquit D. August. non ambæ, eandem sequutæ sunt vitam. *Labor abat ista, vacabat illa, hæc erogabat, illa implebatur*, & cum ipsarum vnicus tantummodo esset optatus finis, nempe Christo Domino placere, illique pro suo posse inseruire, non vna & eadem, sed alia & alia in id processerunt via. Quod quidem, quamuis diuina fuerit dispositione sic ordinatum, prouenit tamen, factumque est ita, ex diuersa earum natura & inclinatione, ex qua etiam (vt dixi) sancti antiqui Patriarchæ, Religionum institutores, & fundatores, diuersa gradientes via, elegerunt sibi, suisque sectatoribus, alij viam actiuam, alij vero contemplatiuam & idem est iudicium, eademque prorsus ratio currit de vita mista, siue ex vtraq; composita. Quam susceperunt, qui simul fuerũt quieti & actiui, cognoscẽtes atq; intelligentes, vtriusque vitæ genus, summopere esse Deo gratum, & Christi fidelibus, ac toti ecclesiæ quam maxime necessarium.

Aug. ser. 17. de verbis Dñi

Dictum est præterea in conclusione, processisse hoc etiam, ex varia atque diuersa cõsideratione & contemplatione, quam ipsi habuerunt, de vita & conuersatione Christi Domini, nam cum plene norint, eundem à Deo cunctis fuisse hominibus propositum, in exemplar quod imitẽtur, ac si eorum cuilibet dictum fuisset, quod Moysi olim: *Inspice & fac, secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: secundum quod idẽ Christus, diuersimode illis fuit propositus atq; repræsentatus, eiusque sanctissima opera, ad omnium nostrum instructionem facta, perfectiora eisdem visa fuere, & magis apta ad cõsequendũ propositum perfectionis finẽ, sic & ipsi, diuersas Regulas & viuendi modos effecerunt, & differentes ordines atq; Religiones instituerunt. Quidã enim illum in montis solitudine orantem, & in oratione pernoctantem cõtemplarunt, bonusque, quin vero optimus sibi visus fuit, eiusmodi viuendi modus, vitamque proinde contemplatiuam, ad eiusdem imitationem elegerunt, & eadem de re religiones suas instituentes, Regulas etiam tradiderunt, quibus præciperentur ea, quæ ad contemplationis finem, sibi visa fuerunt necessaria, qualia sunt Eremi solitudo, stricta clausura, silentium, vigiliæ, ieiunia & id genus alia. Alij fuerunt, qui eundem Christum Dominum contemplarunt, non tam in montis solitudine orantem & pernoctantem, quam in templo & ciuitatibus, inter homines conuersantem, prædicantem, docentem, infirmos visitantem & curantem, & omnes in vniuersum homines, ad pœnitentiam atque ad Dei seruitium, eiusque dilectionem & amorem inducentem & persuadentem, placuitque illis, etiam iste viuendi modus, & aptus atq; conueniens sibi visus est, ad acquirendam Christianæ vitæ perfectionem, atque ita eligentes

Nota hoc val de.

sibi

ſibi prædictam viuendi formã, propria inſtituta & Religiones, actiuam vitam profitentes fecerunt, non toraliter contemplationem deſerentes (vt dictum eſt) ſed in prædictæ actiuæ vitæ formam, magis ſe inclinantes. Hoc idem etiam contigit illis, qui eas Religiones fecerunt, quarũ finis ſunt vitæ miſtæ exercitia, nam conſiderantes id, quod de eodem Chriſto habetur in Euangelio, nempe *quod nocte pergebat in montem Olueti ſolus orare: ſed mane diluculo, iterum veniebat in templum, & perueniebat ad eum omnis populus, & docebat eos*; etiam gratum illis viſum eſt, eiuſmodi vitæ genus, quo ſimul eiuſdem alumni, & profeſſores, noctu contemplationi vacantes, interdiu exercerentur in actiua vita, de quo etiam viuendi modo, & alijs ad ipſum pertinentibus, ſuos Ordines inſtituerũt, Regulas fecerunt atq; ſibi ſubditis illas tradiderunt. Ex dictis, ſuperque ſatis, colligitur, id quod à nobis in concluſione eſt dictum, nempe quod varias atque diuerſas, eſſe in Dei Eccleſia Religiones & Ordines, & Religionum inſtitutores & fundatores, ad optatum perfectionis finem, non vna & eadem, ſed alia & alia proceſſiſſe via: prouenit quidem, tum ex varia atq; diuerſa hominum natura & inclinatione: tum etiam ex diuerſimoda, quam earundem Religionum Patriarchæ, de vita & conuerſatione Chriſti Domini, habuerunt contemplatione, ſiue conſideratione. Quibus viſis & iam plene reſpectis; reliquum eſt vt videamus nunc, quonammodo Religiones, quæ vnum & idem vitæ genus, actiuæ ſiue contemplatiuæ, aut miſtæ, profitentur, interſe differant & diſtinguantur, de quo in ſequenti articulo.

ARTICVLVS IIII.

Penes quid differant Religiones, quæ idem vitæ genus, actiuum, ſiue contemplatiuum, aut miſtum profitentur?

Concluſio.

Religiones quæ habent vnum & eundem particularem finem: differunt inter ſe, ex eo quod, ad ipſũ alia atq; alia procedũt vita

QVamuis multi ſint in Eccleſia Ordines & Religiones, ad eundem finem ordinatæ & inſtitutæ, & quæ idem vitæ genus profitentur, adhuc tamen interſe differunt, quia ad illum finem, non vna & eadem, ſed alia & alia procedunt via, ſub alia & alia Regula, ac ſub alijs præceptis, à proprijs cuiuslibet fundatoribus conſtitutis. Pro intelligentia ſimul & probatione, huius concluſionis, adnotandum eſt, quod Religiones, quæ ad eundem finem diriguntur & ordinantur, & quæ idem vitæ genus, actiuæ, cõtemplatiuæ, aut miſtæ profitentur, in quibuſdam conueniunt, neceſſarioque habent conuenire, & in multis alijs differunt ſiue differre poſſunt, cum non ſit tantum vnica via, perueniẽdi ad aliquem finem, ſed eſſe poſſit multiplex. Et vt à vita contemplatiua exordiamur, omnes in vniuerſum religioſi ſiue monachi, qui monaſticam atque contemplatiuam vitam profitentur, neceſſario conueniunt, habentque conuenire, in hoc quod eſt recedere ab ijs, quæ contemplationi, & eiuſdem vitæ generi, eſſe quouis modo poſſunt impedimento. Quo factum eſt, vt tales viri contemplatiui, ab huius ſeculi turbinibus, & ſecularium conuerſatione recedentes, ſolitudinem ſemper amauerint, deſerta eremi petierint, vt & ex parte etiã loci, ab inquietudinibus vrbium, omnino ſemoti & ſeparati, ad contemplationem ipſam, aliqualem maiorem haberent diſpoſitionem. In deſertis autem conſtituti, ad propoſitum ſibi finẽ, ſua ſemper exercitia ordinarũt, in hoc quod omnes dẽpto nemine, in maiori noctis ſilentio, lectulos ſiue ſtrata deſerentes, ad chorum & matutinas horas, & diuinas laudes canẽdas aſſurgerent. Quod crebra eſſent & continua eorum ieiunia & abſtinentiæ, ſed maxime hora cœnæ & in veſperi; quod non paſſim, ſed raro carnibus veſcerentur. Quod certis & ſtatutis horis, haberetur ſacra lectio, quod eſſet ſtrictiſſima ipſorũ clauſura, quod omnino in domibus, obſeruaretur ſilentiũ atque id genetis alia multa, quæ breuitatis gratia facio miſſa & lõgum nimis eſſet recenſere. Et in hoc conueniunt conuenireque habent ſemper Religiones, contemplatiuam vitam profitentes. Et idem ſuo quoque modo, eſt dicendum, de Religionibus profitentibus vitam actiuam, ſeu miſtam, nam omnes ad ſibi præſtitutum finem, ſemper elegerunt, eius generis exercitia quæ magis ipſorum ſtatui congrua eſſe videbantur, magiſque pertinentia ad illam vitam. Et quia opus erat, vt actiui viri, non in ſolitudinibus & montibus, ſed in ciuitatibus, ad proximorum ſuorum vtilitatem habitarent, hinc factum eſt quod ipſorum cœnobia & monaſteria, non in ſolitudinibus & deſertis, neque in montibus (vt contemplatiui viri) ſed in eiſdem ciuitatibus, vel prope ipſas conſtruerentur & ædificarentur, quò præſto eſſent, ad charitatis officia exercenda; ad docendum, prædicandum, ad confeſſiones audiendum, ad infirmos viſitandos & curandos & his ſimilia. Nec per hoc quod ipſi, proprie atque in rigore loquendo, monachalem vitam non agebant (quod Monachorum eſt proprium) reſurgere etiam ad horas matutinas noctu prætermittebant, & ad diuinas laudes canendas, quin vero etiam ipſi, media nocte & in profundo noctis ſilentio vt orationi & contemplationi vacarent, deſertis ſtratis aſſurgebãt. Ad quem etiam finem, apud eoſdem crebra ſemper fuerunt ieiunia, continuæ abſtinentiæ, raro etiam aut nunquam carnibus veſcebantur, & ſimul obſeruabant ſilentium, vt fieri ſolet in ordinibus & Religionibus Monachalibus, contemplatiuã vitam profitentibus, nã quanuis non ita rigoroſe & ſtricte; ſemper tamẽ illius eſt habita quam maxima cura. In ſupradictis omnibus conueniunt & neceſſario habent conuenire, omnes Religiones, quę cõtẽplatiuã, actiuã aut miſtã vitã agnat. Reſtat modo, vt dicamus, penes quid differant: Et dico, quod diuerſificantur, penes innumera diuerſa particularia exercitia, quæ ſinguli habent religioſi, ſub eodem vitæ genere, in ordine ad ſuũ propriũ, & particularem finem. Quę dam enim Religiones præ alijs, virtutes aliquas ſtrictius profitentur, quædã magis quã aliæ, inſti-

Modus procedendi Monachorum, & eorum qui contemplatiuam profitentur vitam.

Modus procedendi, religiorum profitẽtium vitam actiuam, ſiue mixtam.

ſtunt

ſtunt abſtinentijs,& ieiunijs,aliæ rigoroſis diſciplinis,nonnullæ alijs aſperitatibus , ſecundum quod ſub diuerſis inſtitutis & Regulis militant, Reſpectu quorum particularium exercitiorum, quæ ſunt quaſi particulares fines,& veluti differentiæ quædam ſpecificæ earum Religionum,de ſumenda eſt diſtinctio & differentia illarum,quæ idem vitæ genus profitentur. Sed ſeruant omnia iſta, hunc inter ſe Ordinem, quòd licet omnia ordinentur ad charitatem, tanquam ad eorum finem vltimum ; illud tamen , quod inter ipſa eſt principaliſſimum , licet reſpectu vltimati finis ſit medium , reſpectu aliorum eſt finis, vt diximus ſupra , & penes tales particulares fines diſtinguuntur. Et hæc de iſto articulo, & tota quęſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO VII.

De Religionibus contemplatiuam vitam profitentibus, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm contemplatio ſit actus ſolius intellectus , an vero etiam voluntatis?

DIuus Tho. Angelicus Doctor cũ cta rimatur, Angelico ſuo ingenio, nihilque omnino intentatum relinquit, ſi recte inſpiciatur, de quo non peculiarem efficiat quæſtionem. Sicque 2.2.q. 180.artic.1.poſt quam vitas omnes religioſas, in actiuam atque contemplatiuam diuiſit, vt ipſarum ſingulas explicaret,& quænam earum cuilibet conuenirent,prius agere incipit,de vita contemplatiua;& propoſitam difficultatem, ſub hac verborum forma proponit. Vtrum vita contemplatiua,nihil habeat in affectu,ſed totum in intellectu? Quam quæſtionem nos,maioris claritatis & diſtinctionis gratia , ſub alio modo propoſuimus. An ſcilicet, vita contemplatiua,ſit actus ſolius intellectus, an vero etiam ſit voluntatis,& in quonam iſtorum actuum, principalius cõtemplatiua ipſa vita conſiſtat? Cui difficultati,vt breuiter atque reſolutiue ſatisfaciam ; ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio,

Contẽplatiua vita, partim pertinet ad intellectũ, partim vero ad voluntatem.

COntemplatiua vita , quantum attinet ad eſſentiam atque ſubſtantiam actus,ad intellectum pertinet,quantum vero ad id, quod mouet eundem intellectum ad operandum , & exercendum eiuſmodi operationem,pertinet ad voluntatem,quæ ſicut alias potentias,ita & intellectum mouet,ad proprium ipſius actum. Hæc concluſio eſt expreſſa D.Thom.fideliſſime excerpta, ex articulo ſupra citato in corpore , quam explicans Caietanus ipſius commentator,vtendo terminis Metaphyſicis, ſed congruentiſſimis ad ſuum propoſitum explicandum,inquit,quod contemplatiua vita,formaliter eſt in intellectu , ſed cauſaliter & terminatiue, eſt in voluntate & in affectu. Dicitur autem contemplatiua vita,formaliter eſſe in intellectu, quia contemplatiua vita iuxta ſuam ſententiam,eſt ipſa contemplatio , quæ vt de ſe patet,eſt actus intellectus , ſed dicitur etiam cauſaliter & terminatiuè eſſe in voluntate: quia contemplatiuus,ſiue contemplationi deditus,ſimul ſibi concupiſcit viſionem veritatis , & propter amorem ipſius diuinæ veritatis ,quam amat, mouetur ad operandum . Vnde fit vt contẽplatio cauſetur à voluntate & ad ipſam terminetur, nam ex tali diuinæ veritatis contemplatione,reſultat in ipſa voluntate , quædam delectatio,quæ naturaliter contemplationem ipſam conſequitur,Delectatur enim vnuſquiſq; quam maxime , cum id,quod obnixe amat, vtcumque fuerit adeptus. Ex dictis patet id , quod dictum eſt in concluſione , nempe quod contemplatio, quantum ad eſſentiam,ſiue ſubſtantiam actus pertinet ad intellectum,quantum vero attinet ad id quod mouet eundem intellectum, ad operãdum & cauſandum talem operationem , pertinet ad voluntatem,vbi etiam contemplatio ipſa terminatur propter delectationem,quæ ex eadem naturaliter conſequitur. Omnia iſta deſumpta ſunt ex D.Thom.& ſuo commentatore Caietano , & ſunt quidem vera & certa , & quam maxime notatu digna . Sed meo quidem iudicio , per hoc non omnino fit ſatis,ei,quod quæritur in præſenti articulo; non enim in præſentiarum ſolummodo quæritur,aut controuertitur, an contemplatio ipſa,ſit actus intellectus , cum id luce ſit clarius:nec vero dubitatur,an voluntas eundem intellectum,ad propriam ipſius operationem moueat, eo modo quo & omnes alias potentias,aut quod delectatio, contemplationem ipſam conſequatur, ſicque quodammodo ad delectationem quæ eſt in Voluntate,& in affectu contemplatio ipſa terminetur, hoc inquam nulli dubium. Sed nõ id eſt , ſolummodo quod in præſentiarum quęritur,ſed ex ſuppoſitione,quod omnia iſta in contemplatione reperiantur,& quod ad contemplationem,ſiue contemplatiuam vitam , voluntas ſimul & intellectus concurrat,in cuiuſnam actu, contemplatiua ipſa vita principalius conſiſtat, in contemplando (quod pertinet ad intellectũ) an vero in amãdo (quod pertinet ad voluntatẽ) aut in ea delectatione, quæ ipſam contemplationem conſequitur? Hoc eſt quod potiſſimum in præſentiarum quæritur,& quod nos quam maxi-

me

me in præsentiarum oportet elucidare. Cuius quidem difficultatis resolutio, magnã habet connexionem, cum alia nimium inter D. Thom. & Doctorem Subtilem Scotum controuersa, de qua agunt Doctores cum D. Thom. 2.2. quæst. 3. artic. 3. & 4. & Scotistæ cum Magistro, in 4. dist. 49. An scilicet beatitudo nostra, principalius in intellectu, an vero in voluntate consistat? Et quamuis id tractare, non sit præsentis speculationis, vt tamen nihil intentatum remaneat; pro nunc dico, quod Subtilis Doctoris opinio, multo videtur probabilior: in qua stando, vt propositæ difficultati satisfaciam, proportionabiliter dicendum videtur, quod contemplatiua vita, quæ est præsentis seculi, quamuis intellectus actum, & contemplationem prærequirat & præsupponat, principalius tamen eiusmodi vita consistit, in amore & in Voluntate, quam in intellectu. Quia voluntas ipsa intellectum ad contemplandum excitat, & mouet ad exercẽdam talem operationẽ. Et prẽterea Deum ipsum per intellectum contemplatũ, ardenter & obnixe amat, eodẽ etiam fruitur, summopereque in eiusdem diuino amore delectatur. Hoc igitur est, in quo principalius, vita ipsa contemplatiua consistit, non vero in sola speculatione: vt vel sic adimpleatur illud, quod dixit olim Isaias, *quod Deus est ignis, ijs qui sunt in Sion, sed caminus ignis in Hierusalem*. Quod est dicere, quod amor ille igneus, quo Deus in præsenti vita à viatoribus amatur atque diligitur, & in ipsorum cordibus nunc ad modum ignis ardet, in futura illa & cælesti Patria, in sanctis atque Beatis, corroboratur atque ita perficitur; vt sit ibi, nõ iã quasi ignis, sed quasi caminus ignis; nimiũ accensus. Quibus alludens D. Gregor. super Ezechielem Homilia 14. nostram veluti corroborans sententiam atque confirmans, contemplatiuam ipsam vitam, in charitate Dei constituit, inquantum contemplatiuus & studio contemplationis addictus, ex maxima Dei dilectione, inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam, atque contemplandam. Videatur D. Gregorius, nam dicit, ad hoc propositum, multa pulchra & mira. sed hæc pro præsenti articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS. II.

An vita contemplatiua, solummodo in contemplatione Dei consistat; An vero etiam in consideratione cuiuscunque alterius veritatis?

Conclusio.

Vita contẽplatiua, principaliter cõsistit, in consideratione primæ Veritatis, sed secundario, in consideratione cuiuscumque alterius.

Vita contemplatiua, principaliter in contemplatione primæ veritatis, nẽpe Dei consistit, secundario vero, instrumentaliter & quasi dispositiue, consistit etiam in consideratione cuiuscumque alterius veritatis, inquantum contemplantem, in eum finem, qui veritas prima est, ordinat atque dirigit. Hæc conclusio est expressa D. Tho. 2.2. quæst. 180. artic. 4. vbi hanc difficultatem tractat. Et quoad primam partem, probatur primo, de mente & sententia Aristotelis, libro 10. Ethicorum, cap. 6. 7. & 8. vbi vltimam hominis felicitatem, in contemplatione optimi intelligibilis constituit. Quod & confirmat D. August. libro. 1. de Trinitate cap. 8. vbi dicit, quod *Promittitur nobis Dei contemplatio, tanquam omnium actionum vestrarum finis, atque æterna perfectio gaudiorum. Quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus eũ, facie ad faciem sicuti est, & perfectos tunc beatos faciet. Sed nunc competit nobis, eiusdem diuinæ veritatis contemplatio imperfecta, quia videmus Deum per speculum & in ænigmate, fit tamen per eam, quædam beatitudinis inchoatio, quæ hic incipit, & in futuro continuabitur.* Verba sunt notatu dignissima, per quæ fit satis prædictæ conclusioni, quoad primã partem. Sed quoad secundam nempe, quod, secundario, instrumentaliter & dispositiue, vita ipsa contemplatiua, consistat etiam in consideratione aliarum veritatum, prout nos ordinãt & dirigunt, in ipsum Deum, qui est vltimus omnium nostrum finis; patet manifeste, ex illo quod dixit D. Paulus ad Romanos. 1. nempe: *Quod inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas*. Et certissimum est nec negari vllo modo potest, quod per diuinos effectus, & per id quod in creaturis cernimus, ad Dei Optimi Maximi, contemplationem venimus, ac veluti manu ducimur, suntque creaturæ nobis quasi quædam scalæ, & quædam instrumenta, quibus ad Dei contemplationem disponimur. Vnde fit, quod quamuis vita ipsa contemplatiua, primo in Dei contemplatione consistat, secundario tamẽ vt dictum est, instrumentaliter atque dispositiue, etiam consistit, in consideratione aliarum veritatum. Ad quod facit quam maxime, illud quod dicit D. August. libro de vera Religione, cap. 29. nempe. *Quod in creaturarum consideratione non vana & peritura curiositas est exercenda, sed per ipsas, gradus ad immortalia, & semper manentia est faciendus.* Quod & faciebat olim, Dauid Regius Psaltes, quando media nocte consurgens, in ijsce rebus se exercendo dicebat: *Memor fui, Domine, dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarũ meditabar. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Hoc est proprium, virorum contemplatiuorum munus & officium, qui & continue exercentur, non solum in contemplatione, primæ diuinæ sempiternæq; veritatis, verum etiam & in consideratione cuiuscumque alterius, prout eosdem ad ipsam ordinant & dirigunt. Hoc est in consideratione diuinorum beneficiorum & promissorum, per quæ manu ducuntur, in cognitionem diuinæ misericordiæ, in consideratione etiam diuinorum Iudiciorum, per quæ etiam ducuntur, in contemplationem diuinæ iustitiæ, & idem dico de diuina bonitate, ad cuius cognitionem deueniunt, per effectus exhibitos, maxime in tempore legis gratiæ, & etiam exhibendos, seu exhiberi promissos. In ijs omnibus exercentur viri contemplatiui. Qua ratione D. Bernardus libro 5. de consideratione ad Eugenium, in fine, quatuor enumerat, quæ in oratione siue consideratione, viris contemplatiuis

uis ſolent eſſet frequentia. In quorum primo loco, ponit admirationem diuinæ maieſtatis. In ſecundo vero contemplationem Iudiciorum Dei. In tertio beneficiorum ipſius & infinitæ ſuæ miſericordiæ. Et tandem in 4. diuinorum promiſſorum. Sed quamuis omnia iſta ita ſe habeant: veriſſimum tamen eſt, id quod à nobis in concluſione eſt dictum, nempe quod vita prædicta contemplatiua, principaliter & eſſentialiter, non conſiſtit, niſi in contemplatione, ſeu potius amore, primæ & diuinæ veritatis, iuxta diuerſas opiniones, in alijs autem ſecundario, inſtrumentaliter & diſpoſitiue, prout viros ipſos contemplatiuos ordinant & dirigunt, ad eandem primam veritatem, tanquam in omnium ipſorum vltimatum finem. Ita quod creaturæ, quamuis ſint materia contemplationis, ſiue conſiderationis, contemplatiuis viris, & quodcumque aliud ſimile, id tamen ſolummodo eſt, in quantum illos dirigunt ad cognitionem, & contemplationẽ diuinæ veritatis, nempe Dei ſui conditoris & creatoris. Qua quidem ratione Caietanus in præſenti articulo, explicans D. Thom. inquit, quod vita contemplatiua, ſecundum ſe conſiderata, non conſiſtit niſi in contemplatione Dei, & quod reliqua quę interdũ cõtemplantur, tenent ſe tantum ex parte contemplantis, inquantũ ad eiuſdẽ maiorem diſpoſitionem ordinantur. Per quod ſit ſatis propoſito articulo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad vitam contemplatiuam, pertineant diuerſi actus, an vero ſolummodo, in vnico actu contemplatio ipſa conſiſtat?

luus Thom. 2.2. q. 180. ar. 3. hanc etiam tangit difficultatem, & prætermiſſis argumentis, quibus ipſe illam hinc inde exagitat atque difficultat, de ipſius mente & ſententia Caietani, ſui commentatoris, reſolutiue propoſito articulo reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Vita contemplatiua, vnicum tantum habet actum vltimum, plures tamẽ præuios, & nõvlsimos.

COntemplatiua vita, vnicum tantum habet actum vltimum, in quo finaliter perficitur, qui ſecundum D. Thom. eſt diuinæ veritatis contemplatio, à quo etiam accepit vnitatem, habet tamen plus actus præuios, quibus peruenitur ad illum & alios qui eundem conſequuntur. Hæc concluſio ſic intellecta & explicata, non ſolum eſt D. Thom. verum etiam generaliter, omnium Doctorum communis reſolutio. Solummodo eſt differentia inter D. Thomam, & Scotum: An finalis vitæ contemplatiuæ actus, ſit ipſa contemplatio, quæ eſt actus intellectus, & in ea principalius, formaliter & eſſentialiter vita ipſa contemplatiua conſiſtat, an vero ſit amor & delectatio, quæ naturaliter contemplationem ipſam conſequitur, & ad quam terminatur, quæ eſt actus voluntatis. De qua differentia iam aliquid ſupra diximus, & pro nunc nolo id iterum in controuerſiam reuocare, quia magis pertinet ad ſcholas, quam ad præſens noſtrum propoſitum. Solũmodo ſupereſt rationem reddere, ob quam homo ad diuinæ veritatis contemplationem, pluribus indigeat actibus. Et dico de mente & ſententia D. Thom. deſumpta ex doctrina Diui Dionyſij de diuin. nomin. libro 7. cap. 7. prouenire id, ex propria naturæ noſtræ ratione. Eſt enim (inquit Dionyſius) hæc differentia inter nos & Angelos, quod Angeli ſimplici quodam intuitu, & vnica apprehenſione, veritates intuentur: nos autem non, niſi quodam proceſſu & diſcurſu, atq; ex multis actibus ad intuitũ ſimplicis veritatis deuenimus. Hinc fit, quod homo ad contemplationem pluribus indigeat actibus, ordinatis ad vnum finalem, qui omnium ipſorum eſt finis. Actus vero, qui ad contemplationem regulariter concurrunt, tam præcedentes, quam ſubſequentes, vt colligitur ex D. Thom. in toto ſui articuli diſcurſu, quod & Caietanus in commento probe notat, ſunt 9. Auditio, lectio, oratio, meditatio, ſpeculatio, conſideratio, cogitatio, contemplatio, & admiratio. Sed omnes illi breuius, ad tria capita reducuntur. Nam quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus homo ad contemplationem diuinæ veritatis procedit, alij ad deductionem aliquarum concluſionum ex principijs, in eam veritatem cuius inquiritur cognitio, & vltimus eſt ille actus completiuus, in quo vitæ ipſius contemplatiuæ ratio finaliter perficitur. Ad primum deſeruiunt tria prima, nempe, auditio, lectio, & oratio, per quæ recipit homo contemplationis principia. Ad ſecundum quatuor ſequentia, ſcilicet, meditatio, ſpeculatio, conſideratio, & cogitatio, quæ deſeruiunt ad deductionem aliquarum concluſionum ex principijs. Vltimum autem (ſaltim in via D. Thom.) eſt ipſa contemplatio, quam ſubſequitur maxima quædam admiratio: In via autem Scoti, eſt ipſe amor & delectatio, quæ non erit expers maximæ cuiuſdam admirationis: quam non plene norunt, aut percipere poſſunt, niſi qui ex diuino munere ipſam deguſtarunt, & iam hæc vtcunque experti ſunt. Hæc eſt illa ſors Mariæ, quæ ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius, & magna ſuauitate, & dulcedine reficiebatur, atque delectabatur. Hæc ſane ſunt paſcua, quibus reficiuntur viri ipſi contemplatiui, de quibus non incongrue, poteſt illud dici, quod olim Chriſtus: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur & Paſcua inueniet.* Hæc dicta pro iſto articulo ſufficiant.

Actus ad contemplationẽ neceſſarij, ſeu qui ipſam præcedũt aut ſubſequuntur.

Lucæ. 11. Ioan. 10.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm virtutes morales, ad vitam contemplatiuam pertineant?

EC etiam D. Thom. hanc difficultatẽ prætermiſit, imo vero ipſam ſicuti & reliquas, eo quo ſolet ingenio, tractat 2.2. q. 180. art. 2. cui vt debitè ſatisfaciat, vnicam præmittit diſtinctionem, & ea eſt.

eſt, quod ad vitam contemplatiuam, aliquid pertinere dici poteſt dupliciter: Vno modo formaliter & eſſentialiter, alio vero inſtrumentaliter & quaſi diſpoſitiue. Hac præmiſſa diſtinctione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Virtutes morales, ad vitã cõtemplatiuã pertinẽt non formaliter & eſſentialiter, ſed inſtrumẽtaliter & diſpoſitiue.

VIrtutes morales, ad vitam contemplatiuam, quamuis non pertineant formaliter & eſſentialiter, pertinent tamen inſtrumentaliter & diſpoſitiue. Prima huius concluſionis pars, de ſe patet. Nam cum finis vitæ contemplatiuæ (vt pluries dictum eſt) ſit primæ veritatis ſpeculatio & contemplatio, quæ eſt actus intellectus, ſatis manifeſte colligitur, quod virtutes morales, ad contemplationem ipſam, non pertinẽt formaliter & eſſentialiter. Sed quod pertineant inſtrumentaliter & quaſi diſpoſitiue, probat D. Thom. elegãti quadam ratione, monſtrando qualiter, virtutes morales, ad contemplationem & contemplatiuam ipſam vitam, concurrãt directe & indirecte. Directe quidem, aptando & diſponendo, viros ipſos contemplatiuos ad contemplationem, indirecte vero, remouendo contemplationis impedimenta, quales ſunt paſſiones & occupationes exteriores, quæ viros ipſos contemplatiuos, ſummopere impediunt, & ſpeculari & contemplari eos prohibent. Doctrina profecto admirabilis, ac tanto auctore digna, quam & viros contemplatiuos, attente conſiderare vellem, vt omnino tollatur error, de mente eorum qui ſibi credunt, poſſe ipſos contemplationi vacare, & ad vitam contemplatiuam aſcendere, aut peruenire, abſque eo quod prius exerceantur, in operationibus virtutum moralium, vt puta in ieiunijs, abſtinentijs, vigilijs, aſperitatibus, & diſciplinis, & ijs ſimilibus. Per quæ ad contemplandum, & orationi atq; conſiderationi vacandum, viri ipſi contemplatiui aptantur & diſponuntur, & acquiritur ſanctimonia & cordis munditia, contemplationi tãtopere neceſſaria, per quæ etiam eiuſdem contemplationis remouentur impedimenta, & ſedantur tumultus occupationum interiorum. Quis enim neſciat, per paſſionum vehemẽtiam, opprimi hominum animum & impediri; quominus contemplari poſſit & ex viſibilibus tranſire, ad contemplanda Dei intelligibilia & inuiſibilia? Hac etiam de re, quæ cognitu ſummopere neceſſaria eſt, idem D. Thom. 2.2. quæſt. 82. artic. 4. alium inſtruit articulum, & quærit an vita actiua ſit, aut eſſe debeat, prior vita ipſa contemplatiua? Cui etiam reſpondens, dicit illud quod iam à nobis in concluſione eſt dictum, nempe quod via generationis, prior eſt & prior eſſe debet, vita actiua quam contemplatiua, quia per actiuam, diſponitur homo ad contemplatiuam, debetque ipſa præcedere, eo modo, quo in naturalibus via generationis, diſpoſitio præcedit formam. Ad quod facit illud, quod dixit D. Gregorius homilia 3. ſuper Ezechielẽ non procul à medio, quod, *vita actiua eſt prior tempore, quam contemplatiua, quia ex bona operatione, recte tenditur ad contemplationem.* Et homilia 14. etiam in medio, inquit, *Quod bonus ordo viuendi eſt, vt ab actiua vita, ad contemplatiuam tendatur.* Ad quod explicandum, dicit libro, 6. moralium cap. 17. *Quod ſicuti olim Patriarchæ Iacobo, nõ fuit conceſſum, vt formoſæ Rachelis cupitis potiretur amplexibus, priuſquam matrimonio fuit copulatus cum Lia, quæ Lippis erat oculis, nec Iſraëlis eſt ſortitus nomen, (quod fortem deſignat) qui antea vocabatur Iacob, quo vſque cum Angelo per totam noctem luctanit, atque viriliter pugnauit, ita neque contemplatio, aut vita contemplatiua, cuipiam tribuitur noſtrum qui prius per aliquod temporis ſpatium, ſecutus non fuerit actiuæ vitæ exercitia. Qui contemplationis arcem tenere deſiderant* (inquit Greg.) *prius ſe in campo actiuæ vitæ, per exercitium boni operis probent.* Ex dictis ſuperq; ſatis colligitur, noſtræ concluſionis veritas, quãdo diximus, quod virtutes morales, inſtrumentaliter atque diſpoſitiue, pertinent & ſunt ſummopere neceſſariæ, ad vitam contemplatiuam, propter rationes dictas, & quia per actiuæ vitæ exercitia, interiores animæ paſſiones quietantur, ex quibus prouenire ſolent phantaſmata, per quæ ipſa contẽplatio impeditur. Hac de re cũ plura poſſem dicere, conſulto miſſa facio, nam de hoc argumenti genere, multa diximus in libro de perfectione Chriſtianæ iuſtitiæ. Vbi & de mente Caietani, Magiſtros omnes nouitiorũ, & qui alios in via Dei, ad profectũ ſpirituale docent, atque inſtruunt, admonendos duximus, diligenter procurent, vt quos diſcipulos habent, prius exerceri faciant, in vita actiua, quam peruenire audeant, ad vitam contemplatiuam. Oportet enim, vt prius eorum paſſiones domentur, & frequentibus actibus, quin vero habitibus, pœnitentiæ, humilitatis, abſtinentiæ, manſuetudinis, & patientiæ, & ijs ſimilibus diſponantur, quam contemplari præſumant. Ob cuius defectum (inquit idẽ Caietanus) quod multi quaſi clerici ordinati per ſaltum, in via Dei, non ambulantes ſed ſaltantes, debitis prætermiſſis gradibus, poſtquam per multum temporis, vitæ contemplatiuæ vacarunt, ac ſe dederunt, ita virtutibus vacui inueniuntur, ita ſuperbi, iracundi, & impatientes, ac ſi nunquam orationi incubuiſſent, neque amplexati vnquam fuiſſent, contemplatiuam ipſam vitam. Eſt quidẽ quaſi ſuper arenam velle fabricare, virtutibus moralibus prætermiſſis, aſcendere conari ad vitam contemplatiuam, aut contemplatiuum quẽpiam eſſe poſſe præſumere. Quod valde eſt notandum atque memoriæ commendandum.

Nota hoc valde.

Genes. 19. & 32.

Caiet. 2. 2. q. 182. ar. 1.

ARTICVLVS V.

Vtrùm operatio contẽplationis, ſeu contemplatiuæ vitæ, conuenienter diſtinguatur, penes hos tres motus, circularem, rectum & obliquum?

Hanc difficultatem mouet etiam Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 180. art. 6. de cuius reſolutione ſequentem ſtatuo concluſionem:

Vita contẽplatiua, diuiditur in tres actus, circularem, rectum, & obliquum.

Concluſio.

OPeratio intellectus, in qua contemplatio & vita ipſa contemplatiua formaliter & eſſentialiter

tialiter consistit, conuenientissime distinguitur, penes hos tres motus, circularem, rectum & obliquum. Hæc conclusio est expresse D. Thomæ. Cuius præcipua probatio est, auctoritas D. Dionysij, qui hoc expresse dicit, lib. 4. de diuinis nominibus cap. 4. Sed tamen pro eiusdem intelligentia, adnotare oportet, de mente Aristot. 3. de anima, tex. 28. quod operatio intellectus, est quidam motus, aut saltim motui comparatur, secundum quod, motus est actus existentis perfecti, in ordine ad propriam suam operationē. Qui quidē motus, nullo modo potest congruentius nobis innotescere aut explicari, quam per comparationem ad motum rerum sensibilium, siquidem per res sensibiles, percipiuntur à nobis intelligibiles. In motibus autem rerum sensibilium, quorum primi & perfectiores sunt locales (vt inquit idem Aristot. libro 8. physicorum, textu 55. & 57.) tres inueniuntur differentiæ præcipuæ. Nam quidam est circularis, alius vero rectus, alius autem obliquus, siue quasi ex vtroque compositus. Motus circularis est, secundum quem, aliquid circulariter & vniformiter circa idem centrum mouetur. Rectus vero, secundum quem aliquid procedit, à medio in extremum, seu ab vno extremo in aliud. Obliquus autem, est ex vtroque compositus, seu qui vtriusq; naturam participat. Hoc perpendens, atque considerans D. Dionysius vbi supra, diuino suo ingenio, omnes animi nostri, seu intellectus nostri motus, qui habentur in contemplatione, penes hos tres motus distinxit, nempe, circularem, rectum, & obliquum. Et est sermo parabolicus, siue similitudinarius sumpta metaphora & similitudine (vt diximus) à motibus localibus, & ab ijs quæ experimur, & videmus in auibus & volatilibus, quæ in cælo, seu potius per aëra volare cernimus, iam quidē circulariter, iam motu recto, iam vero obliquo. Ad eūdē igitur modum (inquit D. Dionysius) quod in oratione & contemplatione, viri ipsi contemplatiui, in varios affectus, secundum hos tres modos mouentur, iam circulariter, quod fit quando intellectus, in sua operatione simpliciter habet vniformitatem, iam motu recto, quod fit quando in intelligibili operatione rectà proceditur, ab vno in aliud extremum à creaturis, nempe ad creatorē, seu vice versa: ac tandem aliquādo motu obliquo, quod fit quando operatio intelligibilis, habet aliquid vniformitatis, simul cum processu ad diuersa. Difficillima sunt omnia ista, & quæ longiorem requirebant explicationem. Vt tamen quæ dicta sunt, aliqualiter clariora reddātur, libet ea aliquo exemplo illustrare, ex tam multis, quæ in semetipsis experiuntur viri ipsi cōtemplatiui. Et dico breuiter, quod quando eiusmodi viri contemplatiui, ex sensibilibus ad insensibilia siue intelligibilia perueniunt, huiusmodi intellectualis motus dicitur rectus. Sic enim à nobis recta proceditur, cum omnis nostra cognitio, pro isto statu ortum & originem habeat à sensu, nec possimus aliquam simplicē veritatem, simplici intuitu intueri, cognoscere siue percipere, absque ratiocinatione & discursu, intelligibilia veluti à phantasmatibus denudando, vt inquit Aristoteles. Sed tamen reperitur etiam, in eisdem viris contemplatiuis, motus quidam circularis, qui tunc est, quando post præfatam rerū sensibilium perceptionem, & ipsorum à phantasmatibus denudationem, simplici iam veritate vt cumque percepta, eandem circumquaque contemplantur, quod qualiter fiat, narrent ij, qui sentiunt, ipse etenim parum cum sim hisce in rebus exercitatus nolo dicere, & quamuis aliquid scirem, nō est in votis modo hoc pluribus elucidare, cum aliud expostulet & locum & tempus. Neque vero deest, aut deesse potest, in eisdem viris contemplatiuis, aliquando motus alius, qui dicatur obliquus, & qui vtriusque naturam participet, quod tunc fit, quando quibusdam perceptis, quasi principijs, exinde conclusiones elicit, sancto huic exercitio deditus, & ipsas contemplatur, quasi iterum reducantur ad ipsa, vnde exorta fuere principia. Hoc frequentissime in cōtemplatione experiuntur, hac de re qui agunt, & ij qui in huiusmodi rebus exercentur. Ex quibus omnibus constare facile poterit, qualiter in contemplatione inueniantur, aut saltem inueniri possint, hi tres motus supradicti, circularis, rectus & obliquus, quos constituit D. Dionysius. Reliqua, quæ ad hoc propositum possent adduci, ijs referuētur, qui magis plene ea norunt, & plus versati, & exercitati fuerint, in hac tam salubri occupatione & sancto exercitio.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm vita contemplatiua, secundum statum præsentis vitæ, vsque ad diuinæ essentiæ visionem possit pertingere?

Hanc difficultatem etiam tractat D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 5. cui vt ego breuiter satisfaciam, duo notabilia pro tituli explicatione præmitto.

PRimo est notandum, quod difficultas præsentis articuli, intelligi potest, & de potentia Dei ordinaria, ita vt id cōpetat, seu possit competere homini, secundum inditum suæ naturæ modum, & etiā potest intelligi de potentia Dei absoluta, & de eo quod Deus absolute loquēdo, potest effi cere. An scilicet, Deus secundū suam omnipotentiam, facere possit, quod visio cuiuspiam præcelsi hominis, in contemplatione positi, vsque ad videndam diuinam essentiam possit pertingere. Secundo est notandum, quod hoc etiam dupliciter, seu secundum duplicem modum potest intelligi, Vno modo ita vt id fiat, vtendo homo corporeis suis sensibus, alio vero per raptum, & à sensibus corporis, & ipsorum vsu & exercitio, raptus & alienatus, quibus suppositis notabilibus, propositæ difficultati Respōdeo per tres sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

LOquendo de potentia Dei ordinaria, & de ijs quæ homini competunt, seu competere possunt *De potentia Dei ordina-*

via loquēdo, & de iijs quæ homini ſecundum naturā ſuam competunt; non poteſt ei visio, & cōtemplatio, pro iſto ſtatu, ad viſionē diuinæ eſſentiæ pertingere.

poſſunt, ſecūdū inditum ſuæ naturæ modum, certiſſimum eſt, quod viſio & contēplatio hominis, pro iſto ſtatu præſentis vitæ, vſq; ad viſionē diuinæ eſſentiæ nō poteſt pertingere. Hæc concluſio eſt certiſſima & expreſſa ſententia D. Thom. vbi ſupra; quam & probat primo auctoritate D. Gregorij, ſuper Ezechielem homilia 14. vbi dicit. *Quod quamdiu in hac mortali carne viuitur nullus ita in contemplationis virtute proficit, vt in ipſo circunſcripti luminis radio, mentis oculos infigat.* Probat eandem concluſionem, auctoritate D. Aug. lib. 12. ſuper Geneſim ad literam, cap. 27. vbi explicans illa Ioannis verba. 1. cap. 4. *Deum nemo vidit vnquā*, & illæ alia, quæ dicta ſunt Moyſi, Exodi. 33. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet*, inquit, *Quod nemo viuens, Deum videre poteſt*, Quod qualiter ſit intelligendum dicetur in ſequenti concluſione.

Secunda Concluſio.

Nemo in cōtēplatione, diuinā eſſentia videre poteſt, abſq; eo quod totaliter vel ſaltim aliquo moriatur modo, quod fit per raptum.

NEmo vtcumque perfectus, in contemplatione, diuinam eſſentiam videre poteſt, niſi aliqualiter ab hac vita exeat & quodammodo moriatur, ſiue omnino exiens de corpore, ſiue alienatus à carnalibus corporis ſenſibus, quod fit per raptum. Hæc etiam concluſio eſt D. Tho. vbi ſupra, quam & probat, ex præallegata auctoritate D. Auguſtini ſuper Geneſim ad literam, vbi poſt prædicta verba, ſubdit. *Quod nemo videns Deum, vi uit iſta vita, qua mortaliter viuitur, in iſtis corporis ſenſibus.* Ad cuius pleniorem intelligentiam, dicit idem D. Tho. quod dupliciter aliquis eſſe poteſt in hac vita. Vno modo ſecundum actum, in quantum ſcilicet actualiter vtitur corporis ſenſibus, alio vero, vt ita dicā, ſecundū habitū, hoc eſt potentialiter, & non ſecundum actum, in quantum ſcilicet anima eius, eſt cōiuncta mortali corpori vt forma, ſic tamen vt non vtatur conporis ſenſibus, aut etiam imaginatione, quod contingit in extaſi, & in raptu. Primo modo, dicit D. Thom. quod non poteſt contemplatio præſentis vitæ, vſque ad videndam diuinam eſſentiam pertingere, poteſt tamen ſecundo modo, vt amplius dicetur in ſequenti concluſione.

Tertia Concluſio.

Probabile eſt, quod eleuari homo poſſit, ad diuinæ eſſentiæ viſionem, id quod & aliquando dicitur euenijſe.

DE mente, & ſententia D. Thom. bene poteſt homo, in contemplatione poſitus, ſi reddatur quodamodo mortuus, ſiue omnino exiens de corpore, ſiue alienatus à carnalibus corporis ſenſibus; rapi & eleuari vſque ad diuinæ eſſentiæ viſionem, eo modo quo raptus eſſe traditur, D. Paulus, quando vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Tho. vbi ſupra, & expreſſius quæſt. 175. per totā, vbi latiſſime agit de raptu, ſed maximè ar. 3. & 4. in quibus locis expreſſè tenet, vidiſſe D. Paulum in illo raptu, diuinam eſſentiam, ſiue extra corpus, ſiue in corpore, à ſenſibus tamen corporis alienatus. Contrariam tamen ſententiam, tenent quam plurimi, ijdemque grauiſſimi Doctores, & circa hoc inter ipſos ſcholaſticos, magna eſt lis & cōtrouerſia. Quam quidem difficultatem, facile licet poſſem pertractare, in præſentiarum tamen conſulto illam facio miſſam, cum non ſit præſentis ſpeculationis, neque mei propoſiti, agitare nunc quæſtiones metaphyſicas, quæ pertinent ad ſcholas. Sat ſit breuiter & reſolutiue dixiſſe & vtcumque explicaſſe, quæ ad vitam ipſam pertinent contemplatiuam, vt præ manibus habeantur, & ſolatio atque vtilitati eſſe poſſint illis, qui eiuſmodi profitentur vitam.

QVAESTIO VIII.

De Religionibus profitentibus vitam actiuam, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes actus virtutum moralium, pertineant ad vitam actiuam?

Hanc etiam difficultatem tractat D. Thom. 2.2. quæſtione. 181. articulo 1. de cuius mente & reſolutione, vt breuiter eidem ſatisfaciam, reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Concluſio

Actus virtutum moralium, pertinent ad vitam actiuam, & ſunt propria actiuæ vitæ exercitia.

ACtus virtutum moralium, vere pertinent ad vitā actiuam, quin vero ipſi ſunt, propria actiuæ vitæ exercitia. Hæc concluſio eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, quam & probat auctoritate D. Iſidori lib. 3. de ſummo bono, cap. 15. vbi inquit *Quod in actiua vita, prius per exercitium boni operis cūcta exhaurienda ſunt vitia, vt in contemplatiua, iam puræ mentis acie, ad contemplandum diuinum lumen, homo poſſit pertranſire.* Ex qua auctoritate ſatis colligitur, qualiter actus virtutum moralium, ad vitam ipſam actiuā pertineant, cum ipſarum virtutum, proprium ſit munus & officium, cuncta exhaurire vitia, & per hoc, vt ſupra diximus, animam hominis præparare, ad vitam contemplatiuam. Sed quod actiuæ vitæ exercitia, ſint actus virtutum

moralium, probat idem D. Tho. ex fine eiuſdem vitæ, ad quem ordinatur. Nam ſicut vita contemplatiua, ordinatur ad conſiderationem diuinæ veritatis qui eſt eiuſdem vitæ finis, ſic & actiua (vt nomen ipſum ſonat) ordinatur ad actionem ſiue operationem, & ad exercitium omnium virtutũ moralium. Hac etiam ratione D. Gregorius, ſuper Ezechielem homilia 14. contemplatiuam vitam, comparat pulchræ Racheli, actiuam vero, fœcundæ Lyæ, quia nempe viri actiui per actionem & continuam, in ſuorum proximorum vtilitatem occupationem, quam plures filios ſibi generant, & ad ſuam imitationem prouocant, quod non ſic ſemper contingit, in vita contemplatiua. Sed poteſt præterea, idipſum demonſtrari, ex natura ipſarum virtutum moralium. Nam quamuis, vt ſupra dictum eſt, inſtrumentaliter & diſpoſitiue, contemplationi deſeruiant, & ſecundum hanc rationem quodammodo ad vitam contemplatiuam pertineãt, formaliter tamen & eſſentialiter, non pertinent niſi ad vitam actiuam. Nam quod principaliter quæritur in virtutibus moralibus, non eſt contemplatio, ſed operatio. Vt enim inquit Ariſt. libro 2. Ethicorum cap. 2. & lib. 10. cap. vltimo, ad virtutem quidem ſcire, parum aut nihil prodeſt, ſed operari. Quid enim prodeſt ſcire, & cognoſcere omnia, quæ pertinent ad virtutes morales, & non in eiſdem exercert, ſeu ipſarum actus executioni mandare? Ex dictis ſatis colligitur intentum, nempe quod virtutes morales, & ipſarum actus, ad vitam pertinent Actiuam. Philoſophus etiam. 10. Ethicorum capite 7. & 8. ordinat & conſtituit ipſas, ad felicitatem actiuam.

Sed aduertendum eſt, quod non ſolum dicuntur operationes vitæ actiuæ, illę quæ exercentur extra corpus, vt veſtire nudum, paſcere eſurientem, errantem corripere, & ſimiles; verum etiam & quæcunque aliæ, quæ exercentur extra intellectum, & ad operandum ordinantur, vt manſuetudo, humilitas, patientia, liberalitas, atque modeſtia. Inter quas omnes, illæ ſunt præcipuè, & magis propriè vitæ actiuæ, quæ ordinantur ad alterũ. Qua etiã ratione D. Th. in ſupradicto articulo, in ſolutione ad primum dicit, quod inter omnes virtutes morales, quæ ad vitam actiuam ordinantur, præcipua eſt iuſtitia, videatur ibidẽ. Et hactenus de iſto articulo: nam non eſt mei propoſiti, in hiſce rebus amplius immorari, cum habeam plura dicere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm prudentia, pertineat & ſit neceſſaria, ad vitam actiuam, quod eſt dicere, an expediat viros actiuos, & actiuæ vitæ deditos, eſſe prudentes?

De hac difficultate agit etiam D. Thom. de cuius reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

PRudentia pertinet ad actiuam vitam, quin vero eſt ipſi ſummopere neceſſaria. Hæc concluſio eſt D. Tho. quam & probat auctoritate philoſophi lib. 10. Ethicorum cap. 8. vbi prudentiam pertinere dicit, ad felicitatem actiuam ad quam etiam (vt dictum eſt) pertinent omnes virtutes morales. Sed præter auctoritatẽ philoſophi, probat D. Thom. eandem concluſionem ratione. Pro cuius intelligentia ſupponit, quod in rebus moralibus, illud quod ordinatur ad aliud, ſicut ad finem, trahitur ad ſpeciem eius, ad quod ordinatur, & quod eſt ipſius finis, vt enim inquit Ariſtot. 5. Ethic. cap. 2. qui mœchatur, vt furetur, magis dicitur fur, quã mœchus. Cum igitur cognitio prudentiæ, ordinetur ad operationes virtutum moralium, ſicut ad finem (eſt enim prudentia, teſte Ariſt. 6. Ethicorum capit. 4. recta agibilium ratio) liquidum profecto fit, quod ipſa pertinet ad vitam actiuam ſicut & virtutes morales, quas habet pro fine. Vnde fit, quod fines virtutum moralium, ſunt principia prudentiæ, ſicut dicit idem Ariſt. loco vbi ſupra, & prudentia perſpectis, atque conſideratis virtutum moralium finibus, ipſas ordinat ad opus, & de eis diſponit, ſicut pertinere intelligit, ad vitam actiuam. Prædicta omnia intelligenda ſunt, de prudentia propriè, & in rigore ſumpta, in quo ſenſu de ea loquitur Ariſt. Nam ſi fiat ſermo de prudentia, impropriè, & vt communiter dicta, prout ſcilicet comprehendit, qualemcumque humanam cognitionem; hac ratione prudentia, ſecundum aliquam ſui partem, pertinere dicitur ad vitam contemplatiuam, in quo ſenſu dixit Tullius libro 1. de Offic̃ijs, quod qui acutiſſime & celerrime poteſt, & videre verum, & explicare rationem eius, is prudentiſſimus, atque ſapientiſſimus, non incongrue, ſed rite habet dijudicari.

Prudẽtia pertinet ad vitã actiuam, & eſt ipſi ſummopere neceſſaria.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vita actiua, indigeat vita ipſa contemplatiua?

Quod eſt dicere, an actio, ſine aliquali conſideratione & contemplatione, ſeu quod vulgo dicitur ſine oratione, vera eſſe ſiue diu durare, aut permanere poſſit? Ab hac difficultate breuiter me expediam, cui vt debite ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

MOraliter loquendo, impoſſibile omnino videtur, quod actiua vita, durare aut permanere diu poſſit, ſiue eſſe qualem ipſam eſſe oportet, ſi non eam cõtemplatio comitetur, & nutriatur, fulciatur, atque corroboretur aliqualiter, à vita contemplatiua. Hæc concluſio eſt certiſſima, quam & apertiſſime comprobant, verba illa in Euangelio Lucę poſita, c. 10. dicta in perſona Marthæ, quã D. Auguſt. ſerm. 27. de verbis Domini, & D. Gregor.

Vita actiua, neque durare neque conſeruari diu poteſt ſine vita contemplatiua. Lucæ. 10.

gor. lib. 6. Mor. c. 28. & hom. 14. in Ezech. ſæpiſſime & neque incongrue, ſed propriſſime, figuram geſſiſſe dicunt, actiuæ ipſius vitæ) quibus Chriſtum Dominum interpellaſſe, & de ſorore ſua Maria (per quam ſecundum ſupradictos, contemplatiua etiam deſignatur vita) conqueſtam fuiſſe dicitur, eo quod eandem laborantem, & iam præ nimio labore deficientem ſeu potius defeſſam, in ſuo miniſterio non adiuuaret. *Domine* (inquit) *non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolã miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Super quæ verba adnotandum eſt, quod qua ratione Martha, de Maria ſorore ſua conqueſta eſt, eo quod ipſam laborantem non adiuuaret, ſed ſolam relinqueret: eadem prorſus, nec minori ratione, actiua ipſa vita, præ nimio labore deficiens, ſuo modo conqueritur, ſi nõ adiuuetur, fulciatur, & corroboretur à vita ipſa contemplatiua. Ratio quidem eſt præſtantiſſima. Quam & concluſionem propoſitam, vbiq, confirmat, cõmunis Sanctorum Patrum doctrina, quorum teſtimonia & auctoritates ad hoc propoſitum innumeras, cum facile poſſem addu cere, breuitati ſtudens, & vt ad alia progrediar, conſulto facio miſſas. Hoc autem dicere, breuiter non præteribo, quod hæ duæ vitæ, actiua ſcilicet, & contemplatiua, mutuo ſe inuicem debent iuuare atque fouere vt durare, & permanere diu poſſint. Quod eſt dicere; oportere ſummopere, ſimul bene operari & orare, & quod operatione, atque contemplatione opus eſt, & per operationis & contemplationis, ſcalam quandam myſticam, viros ipſos contemplatiuos aſcendere & deſcendere, vt actiua ipſa vita durare poſſit, imitantes Angelos, quos in ſomnijs Iacob vidit olim, in cœlum per ſcalam aſcendentes & deſcendentes. In cuius rei ſignum, dicitur in Scriptura ſancta, quod illa ſacra quatuor animalia, quæ prophetiæ ſpiritu ab Ezechiele Propheta viſa fuere: *Sub pennis, manus hominis habebant.* Quã viſionem, ſiue prophetiam, explicans D. Gregor. hom. 3. in eundem, inquit: *Quid per manus, niſi actiua vita; quid vero per pennas, niſi contemplatiua deſignatur?* Applicando hæc ad noſtrum propoſitum dico, quod vita actiua, vt durare atque permanere diu poſſit, & vt non deficiat, neceſſum eſt quod adiuuetur & fulciatur orationis & conſiderationis alis, à vita ipſa contemplatiua.

Geneſ. 28.

Ezech. 1.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum actiua vita, poſſit eſſe diuturna, & permanere & durare poſt hanc vitam?

HAEC difficultas facilis eſt; mouetur tamen propter ordinem, quem in hiſce rebus tenere cæpimus, & quia illam mouet Diuus Thomas Angelicus Doctor. 2. 2. quæſt. 180. art. 8. & quæſt. 181. artic. 4. quibus in locis de hiſce rebus agit, & de vita tam actiua, quam contemplatiua, ſeorſum inquirit. An eſſe poſsit diuturna, & durare & permanere poſt hanc vitam? Et neque omnino inutile erit, ſi quæ diffuſe & ſcholaſtico modo, ibidem ab eodem D. Thom. ſunt dicta, breuiter hic à me, atq; compendioſe complectantur. Et vt quæ ad hoc negotium ſpectant, quaſi vnico verbo, reſolutiue dicam, ſit concluſio.

Concluſio.

Actiua vita, nõ eſſe poteſt diuturna, neque durare aut permanere, poſt hanc vitam.

ACtiua vita, non eſſe poteſt diuturna, nec durare aut permanere poſt hanc vitam. Concluſio iſta manifeſta eſt, & quæ potius indiget explicatione, & declaratione, quàm probatione. Sed probatur auctoritate Chriſti Domini, Luc. c. 10. vbi reſpondens Marthæ, quæ vt diximus ipſum fuerat interpellata, & de Maria ſorore ſua conqueſta, pro eo quod eandem laborantem non adiuuaret, dixit illi: *Martha Martha ſolicita es, & turbaris circa plurima, porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ verba explicans, D. Auguſt. ſerm. 27. de verbis Domini, dicit, *Mariam meliorem partem elegit, non Marthã malam, ſed illa meliorem. Sed vnde meliorem? quia eam elegit partem, quæ nunquam auferetur ab ea. A te (inquit Auguſtinus) Martha, auferetur hæc pars, quia tua occupatio ceſſabit, cũ ceſſauerit onus neceſſitatis, à Maria autẽ, nũquã pars ſua auferetur, quin verò vita ipſius cõtemplatiua, perficietur atq; corroborabitur amplius in futura vita.* Ad hoc facit etiã illud, quod dixit olim D. Gregor. homilia. 14. ſuper Ezechielem, *quod contemplatiua vita, hic incipit & in cœleſti patria perficitur. Nam amoris (inquit) ignis qui in præſenti ſeculo ardere incipit, in futuro, cum ipſum quem amat, homo Deum viderit, in ipſius amorem amplius igneſcit.* Cuius contrarium prorſus inuenitur in actiua vita, quæ teſte eodem D. Grego. & Auguſtino, cum præſenti ſeculo auferetur. *Neceſſarium eſt* (inquit D. Auguſt. vbi ſupra) *actiuæ vitæ miniſterium in hoc mundo. quare hoc? quia eſuritur, quia ſitit ur. Miſericordia miſeris neceſſaria eſt. Frangis panem eſurienti, ſed quia inueniſti eſurientem; tolle famem, cui frangis panem? tolle peregrinationem, cui exhibes hoſpitalitatem? tolle nuditatem, cui præſtas veſtem? non ſit ægritudo, quem viſitas? non ſit captiuitas, quem redimis? non ſit vixa quem concordas? non ſit mors, quem ſepelis?* Ex quibus omnibus colligit, quod quia in futuro ſeculo, non erunt iſta mala, ceſſabunt proinde prorſus, actiuæ vitæ miniſteria, quæ & hac ratione, & ob hãc cauſam, nõ poteſt eſſe diuturna, ſiue durare, & permanere poſt hãc vitam. Hoc autẽ non contingit in contemplatiua vita, nam teſte D. Paulo. 1. Corin. c. 13. *Charitas nunquam excidit*, quin vero cum in præſenti ſeculo incipiat, in futuro, & cœleſti patria perficitur. Vt enim inquit, D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. c. vlt. *Ibi vacabimus & videmus: videbimus & amabimus: amabimus atque in æternum laudabimus: nam ibi Deus ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur: ſine fatigatione laudabitur.* Hæc breuiter dicere libuit, in laudem vitæ contemplatiuæ, ſine præiudicio actiuæ & hactenus de iſto Articulo & tota quæſtione.

QVAESTIO IX.

De vita actiua & contemplatiua, per comparationem ad ipſas, in quinque Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes in vniuerſum religioſorum ſtatus, conuenienter diuidantur, per actiuam atque contemplatiuam vitam?

Concluſio.

OMnes in genere religioſorum ſtatus, & cuncti viuendi modi quibus religioſi ad æternam felicitatem, atque diuinam viſionem, & fruitionem peruenire conantur, congruentiſſime diuiduntur, per vitam actiuam & contemplatiuam. Hæc concluſio, præterquam quod eſt expreſſa ſententia D. Thomæ 2.2.q.179.arti.1. probatur auctoritate D. Gregorij homilia.14.ſuper Ezechielem, vbi inquit, *quod duæ ſunt vitæ, in quibus nos Deus omnipotens, per ſuum ſacrum eloquium erudit; actiua ſcilicet, & contemplatiua.* Quod & lib.6.Moral.cap.28.comprobat dicens: *Quod iſtæ duæ vitæ ſignificatæ ſunt, per duas illas vxores, quas habuit olim Iacob antiquus Patriarcha. Actiua quidem per Liam, contemplatiua vero per Rachelem & etiam per duas illas mulieres, quæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hoſpitio receperũt. Actiua, per Martham: contemplatiua vero per Mariam.* Ex quibus non incongrue colligitur quod omnes religionum ſtatus, & cuncti religioſorum viuendi modi, conuenientiſſime diuiduntur, per actiuam & contemplatiuam vitam, nec enim congrua fuiſſet huius rei ſignificatio, ſi plures fuiſſent, quàm prædictæ duæ vitæ. Et præterquam quod, ipſum experientia ipſa docet, poſtquam, vt inquit Ariſtot.9.Ethic.cap.4.& 8. *Hominum, quidam præcipuè intendunt veritatis contemplationi, quidam autem principaliter occupantur, in actionibus exterioribus.* Ratio etiam ad id adduci poteſt apertiſſima: ſiquidem & hominis intellectus, congruentiſſime diuiditur, in actiuum atque contemplatiuum. Finis intellectiuæ cognitionis, eſt ipſa veritatis cognitio: quæ pertinet ad intellectum contemplatiuum: finis vero intellectionis practicæ, ſeu actiuæ, eſt ipſa exterior operatio, quæ pertinet ad intellectum practicum, ſiue actiuum. Ex hoc clare & manifeſte colligitur quod omnes in vniuerſum, omnium hominum & religioſorum ſtatus & vitæ, conuenienter diuiduntur, per actiuam & contemplatiuam. Per hoc autem non tollitur, quin ex his duabus vitis, ſiue viuẽdi modis, conſtitui etiam poſſit, alia quædam tertia media vita, ſiue mixta, ſeu alius tertius medius viuendi modus, de quo amplius dicemus infrà, & quod ille ſit melior & perfectior, vita ipſa actiua, & contemplatiua, harum qualibet, ſeorſum & per ſe ſumpta.

Omnes Religioſorum ſtatus in genere, conuenienter diuiduntur, per vitam actiuam & contemplatiuam.

Gen.29. Luc.10.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit melior vita, actiua an vero contemplatiua?

Concluſio.

SImpliciter & abſolute loquendo, nullatenus dubitari poteſt, quod vita cõtemplatiua, melior atque perfectior ſit, quam actiua. Hæc concluſio eſt expreſſa, D. Tho.2.2.q.182.ar.1.quam & comprobat quam pluribus rationibus, deſumptis ex doctrina Philoſophi.10.Ethic.c.7.& 8.quas ego omnes breuitatis gratia ad tria tantum capita reducam, & ſit prima. Nã cõtemplatiua vita conuenit homini, ſecundum id, quod optimum eſt in illo, hoc eſt, ſecundum intellectum & partem intellectiuam, & reſpectu propriorũ obiectorum, ſcilicet intelligibilium; at vero vita actiua, conuenit eidem, ſecundum exteriora, corporalia & ſenſibilia: ex quo infertur, quod illa ſit potiſſima, præſtantior & multo perfectior, quam vita ipſa actiua. Quod & confirmare poſſumus, per illud quod in id ipſum intendens, dixit olim B.Greg.lib.6.Moral.cap.28.nempe. *Quod vita contemplatiua, comparatur Rachel, quæ interpretatur viſum principium, actiua vero Liæ, quæ lippis erat oculis.* Ex quo facto & nominis interpretatione conſtare etiam clare poteſt, præſtantia & excellentia contemplatiuæ vitæ, ſupra ipſam actiuam vitam. Secũdo probatur eadem concluſio. Nam vita contemplatiua, eſt magis ſuauis, & multo maioris delectationis, vtpotè quæ Deum reſpicit, *cuius conuerſatio* (vt inquit ſapiens) *non habet amaritudinem nec tædium cõuictus illius ſed potius lætitiam atque gaudium* quod non ita plene contingit aut reperiri poteſt, in vita ipſa actiua. In cuius ſignũ D.Aug.lib. de Verbis Dñi Serm.17.explicãs illud, quod dixit. Luc. c.10.de Martha & ſorore ſua Maria, *nempe quod Martha ſatagebat circa frequens miniſterium, Maria vero ſedebat ſecus pedes Chriſti, audiens verbum ipſius*, inquit, *quod Martha turbabatur, Maria vero epulabatur.* Ex quibus verbis ſatis colligitur, maiores multo & præſtantiores, eſſe delectationes vitæ contemplatiuæ, quam actiuæ, & conſequenter quod ipſa ſit melior atque præſtantior. Quod & etiam confirmari poteſt, ex alia auctoritate Diui Gregorij homilia. 14. ſuper Ezechie. qui de

Simpliciter, & abſolutè loquendo, vita contemplatiua, melior atque perfectior eſt, quam actiua.

Sapien. 8.

de vtraque loquens vita, ait. *Quod contemplatiua, amabilior eſt valde, nam eſt quædam dulcedo, qua ſupra ſemetipſam anima rapitur, cæleſtia appetit, terrena autem contemptui debere eſſe oſtendit, ſpiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abſcondit.* Iuxta id, quod habetur in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Cantic. 2.* *Vigilans* (inquit D. Gregorius.) *Vita contemplatiua, corde dormit, quia per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quieſcit.* Hæc dicere libuit, de mente D. Greg. in laudem vitæ contemplatiuæ, quæ & propterea propter ſe diligitur; actiua autem, non propter ſe, ſed propter aliud, & ad aliud ordinatur. Tandem in vitæ contemplatiuæ laudem, ſuperque ſatis eſt dicere, quod in perſona Mariæ Magdalenæ, de eadē Chriſtus Dominus dixit olim: *Nempe quod ipſa optimam elegit partem, quæ non auferetur ab ea.* Quamuis autē hæc vera ſint, ſtatuenda eſt tamen ſecunda concluſio in laudem vitæ actiuæ.

Secunda Concluſio.

Secundūquid & in aliquo caſu, vita actiua melior eſt, & magis eligenda, quam contemplatiua.

QVamuis veraſint quæ dictaſunt certèque tenenda, tamen ſecūdum quid, & in aliquo caſu, bene ſtat quod actiua vita melior ſit & magis eligenda, quam vita ipſa contemplatiua. Hęc concluſio eſt etiam expreſſa ſententia D. Th. vbi ſupra, quæ & magis indiget explicatione, & declaratione, quam probatione, ſed vtrumque ſimul fiet. Pro quo ſuppono ex eodem D. Thom. quod bene ſtat, atque ſæpiſſime contingit, vt aliquid ſecundum ſe, & ſimpliciter & abſolute, ſit melius & excellentius alio, & tamen ſecundum quid, in aliquo caſu ſuperetur ab ipſo. Pono exē plum, in philoſophica ſcientia, & in diuitijs. Vt enim inquit Ariſt. lib. 3. top. c. 2. philoſophari, melius eſt quam ditari; ſed tamen neceſſitatem patienti, melius quidem eſt ditari, quam philoſophari. Sic igitur in propoſito dico, quod quamuis, vt dictum eſt in præcedenti concluſione, vita contemplatiua, ſimpliciter & abſolute loquendo, melior atque præſtantior ſit quam actiua; in aliquo tamen caſu, melior erit, & magis eligenda, vita actiua, quam contemplatiua, propter neceſſitatem, ſcilicet, præſentis vitæ, & hoc maxime, quando vita actiua imponitur & imperatur à ſuperiori, tunc enim proculdubio eligenda eſt. Hac ratione dicitur, Exodi. 19. *Quod præcepit olim Dominus Moyſi, vt deſcenderet de monte, atque contemplationem & orationem, in qua verſabatur, deſereret, propter imminentē & iam nimis vrgentem neceſſitatē populi.* Hoc qualiter fieri debeat, luculenter atq; cætera alia explicat D. Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei, c. 14. vbi hac de re loquens, dicit: *Otium ſanctum quærit charitas, ſed negotium ſanctum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam, inquit, ſarcinam, ſi nullus nobis imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt, propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimatur triſta neceſſitas.* Verba ſunt expreſſa D. Auguſt. quam maximè ad hoc propoſitum notanda, atque conſideranda. Quę pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vita actiua, ſit maioris meriti, quam contemplatiua, an vero econuerſo?

Prima Concluſio.

Cæteris paribus, maioris eſt meriti, vita contemplatiua, quā actiua.

SVppoſito quod radix omnis meriti eſt charitas, cæteris paribus & æquali exiſtente charitate, ex ſe atque ſuo genere, maioris eſt meriti, vita contemplatiua, quam actiua. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. q. 182. art. 2. quam & probat, primo auctoritate D. Grego. lib. 6. moral cap. 28. & ſuper Ezech. hom. 14. vbi agens de vtraq; vita actiua, ſcilicet, & contemplatiua (inquit.) *Quod magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed contemplatiuæ potiora.* Secundo probat eandem concluſionem, ratione. Nam ex ſuppoſitione, vt dictum eſt) quod radix omnis meriti eſt charitas vt tradit late D. Th. 2. 2. q. 114. art. 4. æquali exiſtente charitate, cæteris, vt dicitur paribus; certum eſt, quod ex ſe & ex ſuo genere, magis meritorium eſt diligere Deum (quod reſpicit vita contemplatiua) quam diligere proximum, (ad quod tendit actiua) quāuis charitas vtrumque imperatiue faciat, & ex ſe ad omnia iſta, voluntatē hominis inclinet, vtrūque etiam, Deum ſcilicet, & proximū reſpiciat. Quod & confirmat auctoritas ſupradicta D. Aug. 19. de Ciuit. Dei c. 19. vbi inquit, *Otium ſanctum*, ſcilicet contemplatiuæ vitæ, & contemplationis diuinæ veritatis, *Quærit charitas, cui potiſſime debemus inſiſtere, tanquam maioris meriti.* Hoc etiam dicit D. Greg. homilia. 3. ſuper Ezechielem, vbi poſtquam de vtraque vita plura dicit, addit: *Quod contemplatiua, eſt maior in merito, quam actiua.* Sed nihilominus, quamuis hoc ita ſit, ſtatuenda eſt ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Contingere quādoque poteſt, quod in caſu aliquis in operibus actiuæ vitæ ſe exercendo, plus mereatur, quā alius in vita contēplatiua.

CONtingere quandoque poteſt, quod cæteris paribus, & æquali exiſtēte charitate, aliquis in operibus actiuæ vitæ ſe exercendo, plus mereatur, quā alius ſe occupando in operibus vitæ contēplatiuæ. Hæc concluſio eſt etiā expreſſa D. Tho. vbi ſup. ad quod propoſitū facit illud quod adducit de mēte D. Greg. hom. 12. ſuper Ezechielē, nempe, *nullū eſſe ſacrificiū, Deo magis acceptū, quā animarū ſalus.* Et hom. 3. in eundē Ezechielem, in actiuæ vitæ laudē ait: *Quod ſine vita contēplatiua, intrare poſſunt ad cæleſtē patriā, qui bona quæ poſſunt operari nō negligunt: ſine actiua autē, intrare non poſſunt, ſi negligāt bona operari, quæ poſſunt.* Verba ſunt valde notāda, atq; memoriæ cōmendanda. Vt igitur omnia vnico verbo cōcludā: Dico, quod quāuis ſimpliciter & abſolute loquendo, cæteris paribus, ex ſe atq; ex ſuo genere, vita contemplatiua maioris ſit meriti quā actiua: attamē in aliquo caſu, contrariū omnino poteſt euenire, & vita actiua potius eligēda eſt, quam contēplatiua, & deſerēdæ cōtemplatiuæ vitæ delectationes, quò ſubueniatur neceſſitati proximi, & vt eūdē vtcūque

iuuare poſſimus, quæ ſunt actiuæ vitæ exercitia. Ad quod etiam propoſitum, quam maxime facit, illud quod B. Paulus dicebat olim, ſcribens ad Roma. cap. 9. *Optabam ego ipſe, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Quæ verba exponens B. Ioannes Chryſoſtom. lib. 1. de compunctione cordis, inquit: *Quod tantus amor Chriſti, & ſaluationis proximi, D. Pauli mentem demerſerat, vt hoc etiam ipſum, quod ei erat, præ cæteris rebus omnibus amicabilius, ſcilicet eſſe cum Chriſto, pro fratribus contemneret, quia ſciebat, quod ita placeret ipſi Chriſto.* Quod D. Pauli exemplum, multi olim viri ſancti imitantes, propter diuini amoris abundantiam, & propter Dei gloriam, & ad hoc vt eius voluntas melius, maximo cum fructu, in omnibus adimpleretur; multoties à diuinæ contemplationis dulcedine, ad tempus ſe ſubtraxerunt, quo proximorum ſuccurrerent imminenti neceſsitati, ipſorumque ſpirituali ſaluti, vtcumque inſeruirent. Quod quando faciendum ſit, diuina docebit vnctio, Nam quamuis ſecundum rectum ordinem, à vita actiua, procedendum ſit, ad contemplatiuam, id enim habet, & expoſtulat generationis via, & quem duæ iſtæ vitæ ſeruant inter ſe ordinem: in caſu tñ multoties faciendũ eſt omnino cõtrariũ, & ratio ipſa & via rectæ directionis expoſtulat, vt propter neceſſitatem proximi, à vita contemplatiua recedatur, & deueniatur ad actiuam.

ARTICVLVS IIII.

Quænam ſit perfectior vita, ſiue Religio; viuentiũ in ſocietate, an vero agentium ſolitariam vitam?

HAEC etiam difficultas proponitur á D. Thom. 2. 2. quæſt. 188. ar. 8. & pro more ſolito, veritatis indagandæ gratia, pro vtraq; parte, hinc inde ipſam difficultat, cui etiam vt debite, & reſolutiue ſatisfaciam, pro eiuſdem intelligentia de mente ipſius aliquot libuit prẽmittere fundamenta, meo quidem iudicio notatu digniſſima.

Primo præmitto, id quod aliqualiter iam dictum eſt ſupra; quod ſolitudo, paupertas, & alia id genus religioſa exercitia, non ſunt ipſa Chriſtianæ perfectionis ſubſtantia ſiue eſſentia, neque illud, in quo Chriſtiana perfectio formaliter, & eſſentialiter conſiſtit, ſed eiuſdem perfectionis inſtrumenta. Quod quidem certiſſimum eſt in via. D. Thom. & in omni via: & habetur in quam pluribus ſuæ doctrinæ locis, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Sed in præſentiarum probat id D. Thom. demente cuiuſdam Abbatis, nomine Moyſis, de quo in collationibus patrum multoties fit mentio; qui collatione prima c. 17. de ſolitudine loquens, ſpecialiter dicebat quod pro ſeruanda puritate cordis, ipſa ſectanda eſt, ſicut & ieiunia, & alia huiuſmodi perfectionis inſtrumenta. verba ſunt expreſſa.

Solitudo & paupertas, & alia religioſa exercitia; nõ ſunt formaliter ipſa perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta.

Solitudo quãnis conguat

Secundo ſuppono, ex eodem D. Thoma, quod quamuis ſolitudo, ſit optimum medium, & appoſitiſſimum atque conuenientiſſimũ inſtrumentum, contemplatiuis viris, & pro vita ipſa contemplatiua: Iuxta illud quod de anima ſancta, Deo chara & grata, habetur apud Oſeam c. 3. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius,* non tamen congruit viris actiuis; & profitentibus actiuam vitam, quin vero neceſſum eſt, vt ij habitent quantum ad corpus (ſecus eſt autem quo ad ſpiritum, & quantum ad animam) in oppidis & ciuitatibus, vel prope ipſas, vt vel ſic ſuccurrãt ſiue ſubuenire poſſint, proximorũ ſuorum neceſſitatibus, quæ ſunt eiuſdem actiuæ vitæ operationes propriæ, & proprius & peculiaris finis, quem reſpicit actiua ipſa vita.

cõtẽplatiuæ vitæ, nõ tamẽ eſt cõueniẽs, pro ijs, qui profitentur actiuam vitã.

Tertio præmitto, quod etiam ſolitudo, non omnibus in vniuerſum conuenit, profitentibus contemplatiuam vitam, ſed ijs ſolummodo, qui per aliquod temporis ſpatium, quin vero per multum tempus, verſati atque exercitati fuerint, in cœnobijs ſiue conuentuum clauſtris, in operibus & exercitijs actiuæ vitæ, quibus perficiantur, diſponantur, & veluti aptentur ad vitã ipſam contemplatiuam. Hoc eſt negotium, quam maxima conſideratione dignum, quod & multũ aduertere, atque conſiderare oportet, viros ipſos ſolitarios, & contemplatiuos. Oportet enim (inquit D. Thom.) virum ſolitarium multis abundare, & qui ſolitudinem appetit, debet eſſe per omnia, ſibi quaſi per ſe ſufficiens; ita vt nihil illi omnino deſit, quod ad rationem perfecti pertineat. Quo fit, vt ſolitudo, illis ſolummodo conueniat contemplatiuis viris, qui iam ad perfectionem peruenerunt. Quod contingit, ſeu cõtingere poteſt, inquit D. Thomas dupliciter, vno modo, ex ſolo Dei munere, vt contigit in D. Ioanne Baptiſta, qui adhuc ex vtero matris ſuæ, fuit repletus Spiritu ſancto. Vnde cum adhuc eſſet puer, cõuenienter fuit diſpoſitus, vt in eremo eſſe poſſet, vt habetur apud Lucam. Alio vero modo id ipſum poteſt contingere, non tam ex ſolo diuino munere, quam ex exercitio bonorum operum, ſiue actuum bonorum, & virtuoſorum. Iuxta illud, quod dicit. D. Paulus, ad Hebræos. 5. nẽpe. *Quod perfectorum eſt ſolidus cibus, & eorum qui præ conſuetudine, exercitatos habent iam ſenſus, ad diſcretionem boni, & mali.* Ad quod quidem dupliciter iuuatur homo ex aliorum ſocietate; vno modo, quantum ad intellectum, vt inſtruatur in his, quę contemplanda ſunt, iuxta id, quod dixit olim D. Hieronymus, ſcribens ad Ruſticum monachum. *Placet mihi vt habeas ſacrum contubernium, neque tu ipſe te edoceas.* Alio vero modo, quantum ad affectum & voluntatem, vt ſcilicet noxiæ hominis affectiones, reprimantur & corrigantur, exemplo & correctione aliorum. Iuxta illud, quod etiam dixit D. Gregor. libro. 3. Moralium cap. 23. explicando illa verba Iob. capite. 39. *Cui dedi in ſolitudine domum, inquit: Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi defuerit ſolitudo mentis, ſiue cordis?* Ex quibus inferuntur duo, primo, quod ſocialis vita, multum eſt neceſſaria ad perfectionis exercitium, & ad perficiendos, parandos, atque aptandos religioſos viros, ad vitam contemplatiuam. Secundo, quòd ſolitudo, non conuenit neque eſt proficua, quin potius nociua, niſi ijs, qui prius in cœnobijs, & monaſterijs fuerint exercitati, in actiuæ vitæ exercitijs, & per multum

Solitudo non in vniuerſũ, omnibus conuenit, contemplatiuis viris, ſed tantũ iam diu exercitatis in actiuæ vitæ exercitijs.

Lucæ. 1.

multum temporis professi actiuam ipsam vitam His dictis sit prima conclusio.

Prima Conclusio.

Si solitudo, debite & vti par est assumatur, perfectior est, quã status in societate viuentium.

SI solitudo, debite & vti par est assumatur, cũ omnibus suis circunstantijs, & requisitis, status agentium solitariam vitam, perfectior est ex se, statu eorum qui in claustro, siue monasterijs commorantur, atque in societate viuunt. Hæc conclusio est expressa D. Thom. vbi supra, quam probat, primo auctoritate D. Augus. lib. de operibus monachorum c. 23. vbi inter monachos, sanctiores eos esse dicit, qui à conspectu hominum separati atque semoti, nullius ad se præbent accessum, viuentes in magna orationum intensione, & continuo contemplationi vacantes. Secundo probat eandem cõclusionẽ ratione. Nã vt præmissum est, solitudo est perfectorum, & solum competit perfectis viris, atque in religiosis exercitijs strenue iam exercitatis: sicut ergo id quod iam perfectum est (inquit D. Thom.) præeminet ei, quod ad perfectionẽ tẽdit, seu ad perfectionẽ assequẽdã ordinatur, ita & solitariorũ vita, si debite (vt præmissũ est) assumatur, cũ debitis suis circunstantijs & requisitis, præeminet sociali vitæ, & eorũ qui in monasterijs, siue in claustris communiter viuũt. Hac de re nullum est dubium: sed quia huiusmodi solitudinis statum, non omnes ita debite, vti par est assumunt: statuenda est secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Solitudo indebite assumpta, & absque præcedenti exercitio, periculis est plena, & nulli conueniens.

SOlitariorum vita, si absque præcedenti exercitio, indebite assumatur, nulli est conueniẽs, quinimo periculosissima, & maximis nocumentis plena, nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod interdum ab alijs per religiosa exercitia acquiritur. Hæc conclusio est etiam D. Thom. quam & comprobat, ex doctrina, Diui Hieronymi, qui in quadam sua Epistola, scribens ad Rusticum monachum, enumerans solitudinis pericula, & nocumenta, quæ interdum ibidem solẽt contingere & euenire, post alia dicit: Quod in solitudine, deest solitarijs viris, saltim exercitium obedientiæ, quæ inter religiosas virtutes, est præstantissima atque præcipua. *Solitarius* (inquit) *dormit, quando sibi placet, facit quod vult, cito surrepit superbia.* Cuius contrarium contingit eis, qui in societate viuunt. De quibus etiam verba faciens, idem D. Hieron. eundem Rusticum Monachum instruens, addit: *Non facias quod vis, comedas quando iuberis, habeas quantum acceperis & nihil aliud, subijciaris cui nolis, seruias alijs fratribus, & præpositum monasterij timeas, vt Deum, diligas vt patrem.* Ex dictis colligit D. Thomas, quod solitaria vita, solum modo competit, perfectis iam viris, non vero imperfectis, & in Monasterijs siue cœnobiorũ claustris, non prius strenue exercitatis. Hanc ob causam vt latissime probat, & refert Hieron. Roman. lib. 6. de Republica Christiana c. 2. solitariæ vitæ, quæ est Anachoritarum, illis dumtaxat concedebatur olim monachis, atque religiosis viris, qui per multum temporis, in cœnobijs & monasterijs, in religiosis exercitijs, strenue erant exercitati, & iam prius egerãt cœnobitarũ vitã, ijs in quam, & non alijs solitudo concedebatur olim. Quod & colligi potest, etiam ex præallegata Epistola D. Hieron. ad Rusticum Monachum, vbi post iam supradicta verba, addit: *Sed quid solitariam vitam reprehendimus?* Respondet, *minime, quippe quam iam sæpe laudauimus. Sed de nido seu potius ludo monasteriorum, hauscemodi, volumus egredi. Militent quos Eremi rudimenta dura non terreant, qui iam exercitia religiosa didicerunt, & specimen conuersationis suæ, per multum temporis dederunt.* Verba sunt expressa D. Hieronymi, & quidem valde notanda, atque memoriæ commendanda, vt vel ex ijs liquidò constet, quibus competat solitudo, & in quo casu, vita socialis, præferenda & anteponenda sit, eorum qui in desertis atque solitudinibus, seorsum & solitarie commorantur, agentes Anachoritarum vitam.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm perfectissimus omnium viuendi modus, sit eorum Religiosorum, qui profitentur vitam mistam, & quasi ex vtraque compositam, nempe, ex actiua & contemplatiua?

Conclusio.

Perfectissimus viuendi modus, est eorum, qui profitentur vitã mistam, seu ex vtraque compositam.

Actiua & cõtemplatiua vita mutuo se debent fouere, & iuuare.

MOdus perfectissimus viuendi omnium est, eorum religiosorum, qui profitentur vitam mistam, & quasi ex vtraque compositam, ex actiua scilicet, atque contemplatiua. Pro huius conclusionis intelligẽtia, & vt comprehendatur, quid intelligi debeat, nomine vitæ mistæ, seu illorum religiosorum qui agunt atque profitentur vitam mistam: adnotare oportet, sicuti supra diximus, quod prædictæ duę vitæ, actiua scilicet & contemplatiua, nullatenus esse debent separatæ; quin vero quam maxime coniunctæ & vnitæ. Oportet namque ipsas se mutuò fouere, iuuare, atque reficere, vt permanere & durare diu possint. Non enim vt iam supra diximus, recte ascenditur ad vitam contemplatiuam, nisi post actiuam, & actus studiosi & virtuosi, virtutum omnium moralium, quam maxime faciũt, & necessarissimi sunt, ad vitam ipsam contemplatiuam, à qua etiam interdum discedendum est, & in casu, propter necessitatem proximi, incumbendum exercitijs vitæ actiuæ. Vita etiam actiua, per manere & diu durare minime potest, nisi simul adiuuetur, reficiatur, & foueatur, à vita ipsa contemplatiua, quò suauia atque facilia reddantur, eiusdem laborioſa exercitia, quod cuipiam fortassis, videbitur esse id, quod in præsentiarum, nos dicimus, vitam mixtam, seu ex vtraque compositam, ex actiua & contemplatiua. Sed non hac de re, siue de hoc viuendi genere, in præsentiarum est sermo, neque intentionis nostræ est agere de vita, quæ primario contemplationem, secũdario vero actionẽ respiciat, aut ecõuerso. Sedde alia vita, seu

quodã alio vitæ genere, quod vtrũque primario, ſiue directè reſpiciat, & quaſi habeat pro principali fine. De modo, inquã, viuendi, alicuius ſeu aliquarum Religionum, vbi earundẽ profeſſores & alumni, ita primario atque directe orationi & cõtemplationi intendunt, ac ſi omnino non fuiſſent intenti alteri. Ita ſunt contemplatiuæ vitæ dediti, ac ſi nunquam intendiſſent actioni ſiue econtra, & vtrumque directe, atque primario, habent quaſi pro principali fine. Quod viuendi genus, perfectiſſimum eſſe diximus, ſupra omnes alios religioſorum viuendi modos, qui ſeorſum contemplatiuam ſiue actiuam vitam profitentur. Hic autem eſt eorum, qui noctu in contemplatione, & contemplatiuæ vitæ exercitijs, occupati & exercitati, de die deſcendunt, exercentur & occupantur, etiam in miniſterijs vitæ actiuæ, de his inquam intelligenda eſt noſtra aſſertio & concluſio. Et quod ſic intellecta, vera ſit; probatur. Primo ex autoritate D. Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei c. 19. Vbi poſtquam tria poſuit vitæ genera, otioſum, quod pertinet ad contemplationem, actuoſum, quod pertinet ad vitã actiuã: & aliud tertium ex vtraque compoſitum, ſeu potius quod vtrumque ſimul reſpiciat, addit. *Quod hoc tertium eſt omnium perfectiſsimum.* Quod & confirmat D. Gregorius, homilia quinta in Ezechielem, vbi de viris perfectis agens, inquit: *Quod illi homines præ alijs ſunt perfectiſsimi, qui poſt perfectam contemplationem, redeunt & deſcendunt atque occupantur in exercitijs vitæ actiuæ.* De quibus explicat verba illa, Pſal. 144. *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabũt & iuſtitia tua exultabunt.* Quæ ſic intelligenda eſſe dicit: Quod viri ſancti & perfecti, quæ de noctu in oratione & cõtemplatione poſiti, à Deo accipiunt; de die in proximorum ſuorũ vtilitatem eructabunt, atq; ita in iuſtitia Dei exultabunt. In iuſtitia (inquam) hoc eſt in operibus iuſtitiæ, quæ fideles quique, per ſuam prædicationem, & propriam ipſorum ad Deum conuerſionẽ fuerint operati. Hoc eſt proprium munus & officium concionatorum & prædicatorũ, & hoc eſt, inquit D. Greg. quod præfertur, & anteponitur ſimplici contemplationi, & vitæ ipſi contemplatiuæ, ſeorſum conſideratę. Quod & exemplo ſuo, inſtruens Apoſtolos atq; Diſcipulos ſuos, docuit Chriſtus Dominus olim, poſtquam de eo in Euangelio dicitur. Quod de nocte aſcendebat in montem ſolus orare; de die vero erat in templo docens, intẽtus alijs exercitijs, quæ pertinẽt ad actiuam vitam, & hominum vtilitatem. Hic viuendi modus præſtantiſſimus eſt omnium, & perfectior vita ipſa actiua, & contemplatiua ſeorſum ſumptis. Sicut enim maius, atque perfectius eſt, illuminare, quod eſt lucem habere & ipſam præſtare, quam lucere tãtummodo, ita etiam & maius eſt, contemplata alijs tradere, quam ſolummodo orationi, ſeu contemplationi vacare. Ex quibus conſtat veritas ſupra poſitæ concluſionis, & maxima perfectio prædictæ vitæ miſtæ. De qua etiam loquens D. Bernardus, agens de gradibus perfectæ vitæ, inquit: *quod bonum acquirit gradum, qui recte miniſtrauerit proximo, ſed meliorem qui bene vacauerit Deo, optimum autem, qui perfectus fuerit in vtroque.* In quorum omnium confirmationem, vt huic rei vltimam imponã manũ, afferre libet notabile dictũ, quod circa hoc dicit acutiſſimus Caietanus 2.2.q.182.art.1.ad.3. nempe Chriſtum Dominum olim non quidem abſque myſterio, dixiſſe, optimam partem elegiſſe ſibi Mariam Magdalenam, pro eo quod ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbũ ipſius & intẽta erat ſupernæ contemplationis dulcedini, non autem (inquit) dixit, optimum elegiſſe, vt vel ſic innueret atque monſtraret quod Mariæ Magdalenæ occupatio, atque exercitatio, optima licet fuerit in ratione partis vtpote quæ contemplatiuæ vitæ vacabat (nam vitæ actiuæ præfertur, & anteponitur vita ipſa contemplatiua) non tamen habuit, quod eſt optimum, ſeu quod in ſe continet rationem totius, quod eſt illud quod nos in præſentiarum vocamus vitam miſtam: nam hæc perfectior eſt. Hæc eſt enim, quæ in ſe vna, continet perfectionem & vitæ actiuę, & vitæ etiam cõtemplatiuæ; quæ proiſto articulo dicta ſufficiant.

De perfectione eorum qui profitẽtur vitam miſtam.

QVAESTIO X.

De religioſis & monachis in communi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Qui nam dicantur religioſi, ſeu quibus religioſorum competat nomen?

Omnes in vniuerſum homines, prima ſui diuiſione, diuiduntur in Clericos ſiue Eccleſiaſticos, & ſeculares. Cantic. 6.

DRO huius articuli intelligentia, præmittendum duxi, quod ſacroſancta noſtra mater Eccleſia, quę in ſacra pagina, terribilis quædã caſtrorum acies ordinata, congruentiſſime, atque proprijſſime nuncupatur, quam latiſſime patet & varios atque multiplices in ſe continet hominum ſtatus, varia & multiplicia hominũ genera. Sed hi oẽs, ad duo capita reducũtur, vt habetur in *cap. duo ſunt* 2.q.1. quod eſt D. Hieron. in epiſ. quam ſcripſit ad quendam ſuũ leuitam, de duobus hominũ generibus. Quidã enim ſunt laici, ſiue populares, alij vero clerici, *Ideſt ſorte electi, aut in ſortem Domini vocati.* Cleros enim Græce, idem ſonat, quod Latine *ſors*; Clericique proinde dicũtur, qui ſorte à Deo fuerunt electi, vel in ſortem Domini vocati. Qui quidem ab omni temporalium rerum cura & ſtrepitu ſemoti, orationi & contemplationi eſſe debent ſemper dediti, & diuino ſeruitio

tio mancipati. Ibidem D. Hieronymus eosdem vocat, *Reges*, tanquam se, alios que virtutibus regentes, quorum regnum in Christo Domino dicit consistere. In cuius signum atque figuram, inquit, quod deferunt coronas in capite, quas ex Ecclesiæ Romanæ institutione portare habent. Et addit, quod in rasione capitis, designatur temporalium omnium rerum depositio, non enim (inquit) debēt de rebus terrenis curare, sed solū de cœlestibus. Omnia ista habentur in præfato capitulo. duo sunt. Supradicti clerici, etiam in duplici sunt differentia: nam eorum quidam à regulari vita, dicuntur regulares, pro eo quod regulariter viuunt, aliquam profitentes Regulam. Alij verò seculares, quia in seculo siue seorsum viuunt, quamuis vtrique, diuino sint seruitio mancipati, & Deo atque Christianæ Reipublicæ gratissimū exhibeant, & præstent famulatum. De his igitur clericis indistincte quæritur in præsentiarum, An dici possint & debeant religiosi? Cui difficultati vt debite satisfaciam, sequentes per ordinem statuo conclusiones.

Nota circa eo nam Clericorū & Ecclesiasticorum.

Clerici sūt in duplici differentia, quidā sunt seculares, alij verò regulares.

Conclusio.

Loquendo de Religione in cōmuni, prout virtus quædam moralis est, omnes in vniuersum Christiani, dicuntur religiosi.

LOquendo de Religione in communi, prout virtus quædam moralis & generalis est, omnes in vniuersum fideles cōprehēdens, quæ alio nomine nuncupatur Latria, cuius etiā est propriū Deo debitum cultum exhibere: non solùm Clerici & Ecclesiastici, religiosi dici possunt verum etiam & laici, præsertim viuentes studiose & virtuose. Hæc conclusio ad literam habetur ex Syluestro, *Verbo Religio.* 1. quæst. 1. quæ & constat ex multis sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus Christi fidelium status, Religio nuncupatur, & religiosi, oēs in vniuersum Christianæ fidei professores, studiose atq; virtuose viuētes. Cuius quidem rei multa sunt testimonia, sed præcipuè habetur hoc, in actibus Apostolorum 26. cap. vbi de mente Diui Pauli, pluries hoc ipsum dicitur, & fideles illius temporis vocantur Religiosi: quin verò & Sancti. D. etiam Iacobus in sua Epistola Canonica, cap. 2. de omnium Christianorum vita in communi agens, inquit: *Quod Religio sancta munda & immaculata, apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatam quempiam se custodire ab hoc seculo.* Quo loco secundum SS. Patrum communem expositionem, loquitur de omnibus in vniuersum Christi fidelibus, Christianam vitam, profitentibus. Et in eodem capitulo, de eisdem verba faciens, & maxime de illis, qui se putant esse perfectos & Religiosos, & non sunt, inquit: *Quod si quis putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est Religio.* Ex quibus omnibus clarissime atque manifestissime constat, qualiter hac ratione & in hoc sensu loquendo, omnes in vniuersum Christi fideles, præsertim studiose & virtuose viuentes, dicantur ac dici possint religiosi, à Religione, prout virtus quædam generalis & moralis est, quæ alio nomine dicitur Latria, à qua etiam denominatione, totius vniuersalis Ecclesiæ status, prout in se totam Christianitatem comprehendit, Religio Christiana nuncupatur. Qua etiam de re in iure Canonico sunt plura capita, *cap. Ecclesiæ d. 27. cap. gaudemus de diuortijs, & c. firmiter dē summa Trinitate, & Fide Catholica*, & alia multa, quæ prudēs prætereo, vt breuitati studeā.

Secunda Conclusio.

Clerici potiori iure, quam alij, dicuntur religiosi etiā in prædicta acceptione.

CLerici & Ecclesiastici, potiori iure & speciali ratione, dicuntur Religiosi, loquendo de Religione, etiam in supra dicta acceptione. Hæc conclusio est etiam Syluestri, vbi supra, pro qua etiam adducit aliqua iuris capita, *cap Saluator 1. q. 3. c. clericos cum glossa 12. q. 1. & auth de sanc. epis. §. damnamus.* Ad quod etiam adduci potest ratio appositissima, ea est, quia cū clerici & Ecclesiastici, hoc sint nomine insigniti, pro eo quod à Deo electi, atq; in diuinā sortē sunt vocati, & specialiter diuino seruitio mancipati, fit, vt non quidē incōgrue, quin verò congruentissime ac speciali ratione, possint & debeant dici religiosi. Multa præterea in iure de ipsis dicūtur, quæ nullo modo cōuenire possunt, nisi viris religiosis. Vt constat *ex glossa in præallegato cap. clericos. 12. q. 1.* vbi inter agendum & disputandum, an clerici habere possint proprium; dicit ibi, quod non. Quæ verba exponens glossa ait, hoc esse intelligendum, de clericis religiosis siue regularibus, qui proprijs renūciauerūt. Ex quo loco colligitur nihilominus, quod in iure multoties, & religiosi clerici, & clerici, vice versa dicuntur religiosi. Sed de hoc alias. Sit modo tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

Loquendo de Religione stricte, proprie & in rigore, solummodo qui Religionem aliquam profitentur & dicuntur religiosi.

LOquendo de Religione, stricte, proprie & in rigore, illis tantùm viris & Ecclesiasticis personis, Religiosorum competit nomen, qui sponte sua omnia exuti, castitatem, siue continentiam etiam professi, sub vnius Prælati obedientia, in Monasteriorū angustijs concluſi, se se alicui deuouerunt approbatæ Religioni. Hæc conclusio est etiam certa, & ab omnibus incunctanter tenenda. Quæ & constare satis potest, ex his quæ à nobis supra quæst. 1. per plures articulos sunt dicta, dum ageremus de Religione, & de his quæ sunt intrinseca, & essentialia huiusmodi statui, & conuenire debent necessariò omnibus in vniuersum religiosis, loquendo de Religione, stricte, proprie & in rigore. Diximus enim castitatem paupertatem atque obedientiam, ex natura status Religiosi, & peculiari institutione Christi Domini, esse de essentia, & substantia cuiuslibet Religionis, loquēdo proprie & in rigore. In quo quidem sensu, religiosi nomen, clericis nullo modo conuenit, & multo minus laicis, vtcunque perfectis & studiosis, nisi per trium votorum essentialium, emissionem sponte factam, alicui se se deuouerint approbatæ Religioni. Pro hac conclusione, consulatur, *cap. quod votum, cum glossa, de voto & voti redemptione in 6.* vbi habetur determinatum, quodnam votum dicatur solemne, & quid sit illud, quod facit quempiam, verè & propriè esse religiosum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Canonici Regulares, verè & propriè ſint, ac dici debeāt religioſi?

PRæſens difficultas facilis eſt, mouetur tamen in præſentiarum, maioris diſtinctionis, & claritatis gratia, ad tollendā amphibologiam ſiue æquiuocationem, quæ reperitur multoties apud Doctores, circa hos Canonicos Regulares, & illos qui communiter dicuntur Cathedrales, qui ſuos Canonicatus & præbendas habent, in Eccleſijs Cathedralibus. Sunt enim qui dicāt, eoſdem eſſe omnes, eiuſdemque antiquitatis, alij verò è contra aſſerunt, quam maximè inter ſe eſſe diſtinctos atque differentes. De qua in præſentiarum controuerſia, iudicis nolo perſonam agere, nam longiſſimam requirebant diſputationem. Qui ea de re plura videre deſiderat, conſulat fratrem Hieronymum Roman lib. ſuo 6. de Republica Chriſtiana, 1. p. c. 4. & 16. & Ioannem Trullo, li. quem inſcripſit de Canonicis Regularibus, & Augu. Ticinenſem, in propugnaculo Canonici Ordinis, quibus in locis, de hoc argumento latiſſimè agunt, à cuius proinde tractatione ego in præſentiarum conſultò ſuperſedeo, vt pote quia nec mei ſit muneris atq; propoſiti, nec verò præſentis ſpeculationis. Quod ad me attinet, tantùm eſt explicare, vtrùm ſupradicti Canonici tā Regulares, quam illi, qui communiter dicuntur Cathedrales, verè & propriè ſint, & dici debeant religioſi? Et ratio dubitandi, quæ ad hoc ſpecialiter ſeſe offert, ea eſt, quia tam iſti quam illi, in iure communiter dicuntur Clerici, quo nomine eos nominat Gratianus, in deſcriptione, cap. *ſi quando* diſt. 86. Quin verò & D. Tho. Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 189. art. 8. ad 2. de eiſdem agens, Clericos eoſdem vocat. Ipſorum etiam regula (quæ eſt D. Auguſt.) Clericorum regula nuncupatur. Pro quo etiam facit, quædam ſententia, lata in fauorem eorundem Canonicorum Regularium, congregationis Lateranenſis, contra Monachos ſancti Benedicti, congregationis Caſſinenſis, alias ſanctæ Iuſtinæ de Padua, ſuper ipſorum præcedentia, à Pio Quarto Summo Pontifice, anno Domini 1564. in Bulla, quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ circunſpecta.* Vbi Pius Quartus, ſæpiſſime vocat ipſos Clericos, & diſtinctionem facit, inter præfatos Canonicos Regulares, & ſupradictos Monachos, & de illis dicit, eſſe Clericos à S. Auguſtino reformatos, quin verò & à ſanctis Apoſtolis inſtitutos, prout pro ſua parte fuit allegatum. Hæc omnia deſeruiunt pro ratione dubitandi, ad id quod à nobis in præſenti articulo eſt propoſitum. Sed eo non obſtāte, in contrarium ſtatuitur concluſio, qua quid ſit tenendum dicetur.

Concluſio.

Canonici Regulares & etiam Cathedrales, qui trium votorum eſſentialium ſolemnem profeſſorem emiſerūt verè & propriè ſunt religioſi.

CAnonici Regulares, & ſi qui etiam ſunt Cathedrales, qui ſe ſe per trium ſupradictorum votorum eſſentialium promiſſionem, aſtrinxerūt Religioni alicui, ſecundùm Regulam aliquam, à Sede Apoſtolica approbatā, verè & propriè ſunt, & dici debent religioſi. Hæc concluſio certiſſima eſt, nec credo quòd de ea ſit qui dubitare poſſit, cūm in omnibus & per omnia, huiuſmodi Canonicis Regularibus, ſeu etiam Cathedralibus, ſecūdū Regulam aliquam approbatam, per trium votorum eſſentialium emiſſionem, Religioni aſtrictis, Religioſorum competat nomen, & conditiones & circunſtantiæ omnes, quæ vt ſupra diximus, ſunt de eſſentia atque de ſubſtantia cuiuſlibet religioſi. Hac de re videatur Nauarro, comment. 1. de Regula *ſuper cap. cui portio.* & comment. 3. *ſuper ca. nullam, & ſæpe alibi,* & Emanuel Rodericus, primo tomo, quæſtionū. Regul. quæſt. 1. art. 3. & q. 3. ar. 1. vbi de ſupradictis Canonicis Regularibus, & ipſorum ortu & origine, atque multiplici differentia, plura dicit. Neque prædictæ reſolutioni obſtat, quod in iure prædicti Canonici Regulares, paſſim appellentur clerici: nam vt recte atq; latiſsime proſequitur Nauarrus, loco ſupra citato, Clerici ſunt in duplici differentia. Alij ſeculares, alij verò regulares, qui & verè & propriè, ſunt ac dici debent religioſi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm perſonæ Societatis Ieſu, verè & propriè ſint religioſi: ſeu verè & propriè eis religioſorum competat nomen?

DIro huius articuli intelligentia, caute præmitto, temerarium cuipiam, fortaſſe videri poſſe, hanc me quæſtionē atque difficultatem excitaſſe, ſiue in controuerſiam attuliſſe, cum vt videtur, contrarium ſit expreſſe præceptū, atq; determinatum, quadam bulla ſiue motu proprio Gregor. XIII. Pont. Max. qui habetur in conſtitutionibus Pontificalibus, ſub data anno Domini 1584. octauo Kalendas Iulij, Pontificatus ſui anno 13. vbi poſtquā præfatæ Religionis ſtatuta & conſtitutiones, in omnibus atque per omnia approbauit, & eiuſdē inſtituti alumnos & profeſſores, verè eſſe religioſos, & vt tales ab omnibus tenendos & dicēdos prædixit, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub alijs pœnis ibidem contentis, ſtrictè præcipit, vt non quiſpiam audeat, rem hanc diſputare, ſeu in controuerſiam adducere, etiam veritatis indagādæ gratia, & quocunque quæſito colore, directe vel indirecte, nec in aliquo, ſanctum hoc inſtitutum audeat impugnare, aut ei aliqualiter contradicere. Ex quibus verbis (vt dixi) temerarium, ſiue inconſultum, cuipiam fortaſſe videbitur, me hanc quæſtionē & difficultatem excitaſſe, & hunc articulum in medium protuliſſe, contra tanti patris atque paſtoris ſententiam, diffinitionem, ſiue mandatum, quod non expediebat ignorare. Sed eo nihilominus non obſtante, abſque præfati mādati offenſione, & præiudicio, vt mihi videtur, licite id ipſum facere potui, imò & conuenientiſſimum fuit, hunc articulum à me fuiſſe productum,

cum

cũ non id fuerit factũ, dubitandi, ſeu ſtatũ eundẽ impugnandi gratia, neque eo animo, mente & intentione, vt tanti patris & Pontificis, voluntati directè aut indirectè, vllo etiã quæſito colore, in aliquo velim contraire, quin verò potius, vt rem certam, claram atque determinatam, & multum rationi conſonam, rationibus comprobem, argumentis confirmem, & in contrarium pro ratione dubitandi adductis ſatisfaciam, ac ſic veritas ipſa, amplius elucidata, ſcriptis redacta, perfectius futuris temporibus reſeruetur, & ad perpetuam rei memoriam (vt dicitur) omnium hominũ notitiæ, & cognitioni tradatur. Neq; id vlla ratione eſſe credo, contra mandatum Summi Pontificis, vt facile etiam ex eiuſdem verbis poteſt colligi. Inquit enim, quod huiuſmodi quæſtio, non proponatur, quauis diſputandi vel etiam veritatis indagandę gratia, ſeu quæſito colore, directè nec indirectè, & quod nullus ſupradictam determinationem ſuam, impugnare vel in aliquo audeat contraire. Notanda ſunt ſingula prædicta verba, & maxime verbum, contraire, ex quibus facile cõſtabit, quam ea procul ſint, à mea mente & intentione, & quam licite articulus iſte in medium, potuerit produci. Quod vt debite faciam, atque vt ex oppoſitione falſitatis, veritas ipſa, & id quod tenendum eſt, clarius eluceſcat, præmittendum duxi, quod ratio dubitandi, & quod circa hanc rem, cuipiam ſe offerre poſſet, illud eſt, nam vt habetur *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum* ex Decreto Innocen. III. Pont. Max. Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò annexa eſt Regulæ Monachali, vt contra eam, nec ſummus ipſe Pontifex, licentiam poſſit indulgere. Cum igitur huius inſtituti profeſſores, & alumni (ſaltim ſcholares) vt in propria ipſorum habetur Regula, poſt biennium ſui nouitiatus, dominij ſint capaces, ac proprium habere poſſint, dubium cuipiam fortaſſis videbitur; an ſint verè & propriè religioſi; cum, ſicut præmiſſum eſt, de eiuſdem ſtatus eſſentia & ratione, ſit abdicatio cuiuſcunque proprietatis, adeò vt ſuper hac re, nec ipſe Summus Pontifex diſpenſare poſſit? Ijs addi poteſt, quod præfati ſcholares, ſi dimittantur à Prælatis, & extra huiuſmodi Religionẽ ponantur (quãuis nõ aliter) nubere poſſunt: quod vt videtur, etiam contrariatur ſtabilitati & firmitati religionis, & ſtatus Religioſi, debet enim Religionis ſtatus, eſſe firmus, conſtans atq; ſtabilis, quo ſit vt verè & propriè religioſi, nullatenus dici poſſint, qui in proprio ſuo ſtatu, non habuerint huiuſmodi conſtantiam, ſtabilitatẽ atq; firmitatẽ. Eæ ſunt rationes omnes dubitandi, quæ ad hunc articulũ poſſunt afferri, ſed iis & alijs non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Profeſſores, & alumni ſocietatis Ieſu, etiam ſcholares, verè & propriè ſunt religioſi.

NVllatenus dubitari poteſt, ſiue in controuerſiam adduci, quod perſonæ Societatis Ieſu, & omnes huius Religionis profeſſores, & alumni (etiam ſcholares) verè & propriè ſint religioſi. Hæc concluſio vt iacet, & multo magis late, habetur expreſſa & determinata, in prælegata Extrauaganti Gregorij XIII. Pontificis Maximi, quæ incipit, *aſcendente Domino*, & habetur in conſtitutionibus Põtif. pag. 785. Quæ cõcluſio, hac optima ratione poteſt probari, quia huiuſmodi prædictæ ſocietatis profeſſoribus, in omnibus atque per omnia conueniunt, omnes circunſtantiæ, & conditiones, requiſitæ ad rationem veri, & proprij religioſi, poſtquam vt ſupponitur, etiam ſcholares, emittunt tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota quamuis id fiat ſub certis limitationibus & conditionibus, quæ aliquibus (licèt falſo) videantur contraire, eſſentiæ & ſubſtantiæ Religionis, ſeu ſtatus religioſi; vt amplius patebit, in ſolutionibus ad argumenta adducta pro ratione dubitãdi. Ad. 1. igitur reſpondẽdo dico, q̃ quamuis ita ſit, vt præmittitur, quod abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, annexa & intrinſeca ſit ſtatui Religionis, loquendo regulariter, ſimpliciter & abſolutè, non tamen eſt contra ipſius eſſentiam, ſiue ſubſtantiam, quod aliquis Monachus, ſiue religioſus, cũ aliqua limitatione, & modificatione, habere poſsit propriũ & alicuius rei dominiũ ad tẽpus, de licentia Sũmi Põtificis. Quia ad eſſentiã religioſæ paupertatis, ſecũdum probabilẽ opinionẽ, non requiritur omnimoda abdicatio dominij rerum, ſed ſatis eſt, quod per paupertatis votum, impediatur & auferatur vſus dominij à profitente illam, maneatq; ipſum ligatum, & dependens à ſuperioribus. Sicut ad religioſam caſtitatẽ, non requiritur, quod quis non habeat dominium vxoris, ſed ſat eſt, quod illud ſit ligatum, per votum caſtitatis, vt contingit in illis, qui ingreſſi ſunt Religionem, poſtquam matrimonio fuerũt coniuncti. Quando enim coniuges, conſummato iã matrimonio, Religionem aliquam profitentur, certum eſt, quod manet quidem vinculum, atque poteſtas in ſe ipſos, quantum ad proprietatem, non tamen quantum ad vſum, vt pote qui per profeſſionem, ſe & ſuas operationes omnes trãſtulerunt iam in Religionem, & eo non obſtante, ſunt verè & propriè religioſi, & manet ſimul matrimonij vinculum, quod eſt indiſſolubile. Sic igitur dicendum eſt in propoſito, quod prædicti ſcholares Societatis Ieſu, ſunt verè & propriè religioſi, etiam ſi rerum ſuarũ temporalium, proprietatem habeant, atq; dominium, cum eiuſdem non habeant vſum neq; adminiſtrationem. Quod ſi Innocẽtius Tertius in prælegato, *cap. cum ad Monaſterium*, id à Papa fieri poſſe negauit, loquitur de Monachis & religioſis profeſsis, ſimpliciter & abſolutè, per trium votorum eſſentialium profeſsionem ſolemnem, non autem de his qui ex ordinatione Papæ, aſtringuntur tantùm voto ſimplici, ad tempus, propter ſancti huius inſtituti, maiorem atque meliorem conſeruationem, vt hæc ſancta Societas atque Religio, iuxta ſuum viuendi modum, permanere, conſeruari & durare melius poſsit, cum quo etiam ſtat, quod prædicti ſint verè & propriè religioſi, & hæc dicta ſufficiant pro primo argumento ſiue pro prima dubitandi ratione.

Ad ſecundum reſpondeo, huiuſmodi Religionis ſtatum, eſſe firmum, ſtabilem atque conſtantẽ, in illis religioſis, & eiuſdem Societatis alumnis, qui ſecundam iam emiſerunt profeſſionem, in quibus profeſsio, ex vtraque parte irreuocabilis eſt, qui etiam ſoli, proprie & in rigore loquendo,

ſunt

ſunt de corpore talis ſocietatis, ſed cum hoc ſtatu quod de licentia & auctoritate Papæ, ad eiuſdem ſtatus maiorem conſeruationem (vt dixi) habere etiam poſſint ſcholares, ipſius profeſſores & alūnos, qui & eidem Religioni aſtringantur & obligentur, tantummodo voto ſimplici. Ita vt profeſſio ipſorum ſcholarium, ex parte Prælatorum ſit reuocabilis, & ex cauſa dimittere illos à ſe poſſint, ex parte verò eorum irreuocabilis, quia ſine ſuorum Prælatorum licentia, non poſſunt exire. Quod non obſtat talis ſtatus firmitati atque perpetuitati, cum id non intendatur per ſe, ſed eueniat quaſi per accidens, propter ipſorum demerita, quod eſt conceſſum à Papa, huic Religioni in eius fauorem. Quē de fide tenendum eſt, habere infallibilē poteſtatem, condendi & approbandi, quamlibet Religionem, ſub quibuſlibet limitationibus & conditionibus, ſalua ſemper religioſi ſtatus ſubſtantia, vt & ſaluatur & conſeruatur, in hoc ſtatu. Quæ de iſto articulo atque difficultate dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm viri nobiles & equites, Religionum militarium, S. Ioannis, D. Iacobi, & quæ communiter dicuntur: Calatrauæ, & Alcantaræ, & ſimilium ſint, propriè & verè religioſi?

IN hoc articulo plura continentur, quę longiorem requirebant diſputationē, vt tamen breuiter, & reſolute aliqua nunc dicamus, & certa ab incertis ſeparemus ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Clerici & moniales, ordinum militarium, omni proculdubio ſunt verè & propriè religioſi.

LOquendo de clericis, & monialibus, ſupradictorum ordinum militarium, in eiſdē profeſſis, non eſt, aut eſſe poteſt dubium, quin verè & propriè ſint religioſi, & vt tales, gaudeāt priuilegio canonis, *Siquis ſuadente Diabolo*, priuilegio etiam fori &, per eorum profeſſionem dirimitur ſiue diſſoluitur matrimonium ratū, non conſummatum; & potiuntur omnibus priuilegijs & gratijs, communiter conceſſis alijs religioſis. Hæc concluſio eſt certa, & cōmuniter tenetur ab omnibus iure peritis, & Theologis. Et de ea videndus eſt Soto, lib. 7. de iuſtitia, & iure, q. 5. art. 3. & in 4. diſt. 27. quæſt. 1. ar. 4. & Aragon de iuſtitia & iure 2a. 2æ. quæſt. 88. art. 11. ad vltimum, & in hac re, cum ſit clara & manifeſta, non eſt cur immoremur amplius.

Secunda Concluſio.

Milites, & equites Ordinis S. Ioannis, verè & proprie ſunt religioſi.

SI fiat ſermo de equitibus, illuſtribus atque nobilibus viris, Ordinis Sancti Ioannis, qui communiter milites ſiue commendatarij, de Malta nuncupantur, nulli etiam eſt dubium, quin ſint verè & propriè religioſi, & gaudeāt priuilegio ſupradicti Canonis, priuilegio etiam fori, & quod per ipſorum profeſſionem, dirimatur matrimonium ratum non conſummatum. Pro huius concluſionis intelligentia, adnotare libet, quod quāuis olim, Soto in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. in ea fuerit ſententia, & opinione, quod ſupradicti milites, non erant inter veros & propriè religioſos connumerādi, ac propterea, quod per ingreſſum ſupradicti ordinis, non diſſoluebatur matrimonīū ratum non conſummatum: cui ſententiæ & opinioni, ſubſcripſit etiam olim doctiſſimus pariter atque illuſtriſſimus DD. Franciſco Sarmiento libro de redditibus Eccleſiaſticis, 4. p. cap. 1. nu. 13. at poſtea idem Soto lib. 7. de iuſtitia & iure, q. 5. art. 3. ſententiam mutauit, & aſſeueranter tenuit, prædictos milites & equites ordinis Diui Ioannis, verè eſſe religioſos. Quam opinionem, tenet etiam, doctiſſimus Pater Corduba, noſtræ huius Religionis magnum decus, & ornamētum, Prouinciæ Caſtellæ, in ſua Summa, quæſt. 148. & quæſt. 178. & Nauarro, lib. 3. conſiliorum de regularibus, conſilio 12. & frater Petrus de Aragon, ſupracitatus, libro de iuſtitia & iure, quæſt. 88. ar. 11. ad vltimum, vbi ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſſima. Et ex multis, ſed maximè ex facto quodam, luculenter probat, per ingreſſum & profeſſionem Religionis prædictæ, diſſolui & dirimi matrimonium, ratum non conſummatū. Nam (inquit) anno Domini 1552. quidam Dux de Medina cœli, dictus Don Gaſton, facta profeſſione in dicto Ordine, obtinuit ſolui matrimonium, ratum non conſummatum, cuiuſdam dominæ, cum qua contraxerat, certis quibuſdam de cauſis. Addunt tamen prædictus Aragon, & Nauarro, quod quamuis huiuſmodi milites, verè & propriè ſint religioſi, vt pote qui ſimpliciter emittunt tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis: ex priuilegio tamen, & ex benignitate Summorum Pontificum, habent vt non comprehēdantur, ſub iure aliorum religioſorum, quantum ad odioſa & rigoroſa, ſicque excipiuntur in Concilio Tridentino Seſſione 23. cap. 18. vt non teneantur contribuere pro Seminario, nec etiam tenentur, abſtinere ab ouis & lacticinijs in Quadrageſima, & poſſunt intereſſe agitationi taurorum, ex motuproprio Grego. XIII. dato anno 1575. quibus de rebus videndi ſunt auctores ſupracitati, & Sylueſter, *Verbo Religio*, 1. quæſt. 1.

Opinio, & ſententia cōtrouerſa eſt, an equites D. Iacobi, & alij ſimiles, ſint verè religioſi.

Sed loquendo de equitibus, illuſtribus, atque nobilibus viris, Ordinum, Diui Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ & ſimilium, circa hanc rem duplex verſatur opinio an ſint dicendi religioſi, necne. Prima eſt iuris peritorum, affirmantium milites prædictos, verè & propriè eſſe religioſos. Hanc tenet ſupradictus Nauarro, in innumeris ſuæ doctrinę locis, ſed maxime in tractatu de redditibus Eccleſiaſticis, quæſt. 1. monitione. 55. num. 5. & q. 3. monitione 27. num. 1. & lib. 3. conſiliorum de regularibus, conſilio 23. & lib. 1. de iſs, quæ vi, metúſve cauſa, conſilio 3. nu. 6. & de ſponſalibus, cōſilio 13. vbi hoc argumentum, quam latiſſime proſequitur. Quod etiam facit Couar. de ſponſalibus parte 1. cap. 2. & 3. & de militibus Diui Iacobi, ſpecialiter, hanc opinionem defendit, Fortunius Garcia, in conſilio præſtito, pro militibus Sancti Iacobi,

Iacobi. Loquendo autem de militibus Calatrauæ, doctiſsime defendit eandem, ſapientiſsimus Doctor Burgos de Paz, lib. quem inſcripſit ſuper leges Tauri, & multi alij ſunt, qui hanc ſententiã defendunt, quos breuitatis gratia, facio miſſos.

Sed ſecunda & contraria ſententia, eſt omniũ Theologorum communis. Quam & mordicus tenet, Soto libro. 7. de iuſtitia, & iure. quæſt. 5. art. 3. & in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. & Aragon 2.2. q. 88. art. 11. & Corduba, in ſuo quæſtionario, lib. 1. quæſt. 24. & ex iuriſperitis prædictus Sarmiento, de redditibus Eccleſiaſticis 4. p. cap. 1. num. 13. Hi omnes tenent, ſupradictos milites Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, non eſſe verè & propriè religioſos, neque omnes eiſdem ſimiles; pro eo quod, non ſimpliciter & abſolutè, promittunt continentiam ſiue caſtitatem, imò verò vxores ducunt, dantque operam rei vxoriæ, ſicuti & cæteri coniugati: quam ob cauſam videtur ſibi, non eſſe verè & propriè religioſos, cum continentiæ, & caſtitatis votum (vt iam ſæpe ſæpius præmiſſum eſt) ſit de eſſentia atque de ſubſtantia ſtatus religioſi, & cuiuſlibet Religionis proprie dictæ. Cui etiam opinioni fauere videtur Diuus Thom. 2.2. quæſt. 186. art. 4. ad tertium, vbi reſpondens, cuidam argumento, in contrarium adducto, inquit, quod illi viuendi modi, ſecundum quos homines matrimonio vtuntur, non ſunt Religiones, ſimpliciter & abſolutè loquendo, ſed ſecundùm quid, in quantum participant quædam, quæ ſpectant ad ſtatum Religionis, quod ſub alijs verbis eſt dicere, quod ſunt Religiones tantum nomine tenus, non verò ſimpliciter & abſolutè, ſeu proprie & in rigore loquẽdo. Id quod etiã inſinuare olim viſi ſunt, Bart. & Bald. qui *in l. 1. ff. de pœnis*, dicunt, quod in his, & ſimilibus Religionibus, potius videtur eſſe quædam apparentia in habitu, quam exiſtentia & realitas in effectu. Ijs pro vtraque parte huius difficultatis adductis: meam mentem atque ſententiam explicando, ſub aliorum cenſura, vt tot & tantas opiniones, aliqualiter ad pacem, ſiue concordiam reducam, ſequentem ſtatuo concluſionem, quæ erit tertia in ordine.

Tertia Concluſio.

Milites, & equites, Diui Iacobi, & alij ſimiles, dicuntur religioſi non abſolutè, ſed cũ addito, militares.

MIlites equites & nobiles viri Ordinum militarium, Diui Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ & ſimilium, dici poſſunt religioſi, non quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum addito, militares, hoc eſt, ad prælium ſiue militiam ordinati. Hæc concluſio, meo quidem videri, eſt certa atq; tenenda. Ad quod dicendum moueor, propter ſequentem rationem. Nam etiam ijs equitibus prædictarum militiarum conueniunt circunſtantiæ & conditiones, neceſſariò requiſitæ ad rationem verę & proprię Religionis, & ad hoc, vt ipſi verè & propriè dici poſſint religioſi, quamuis cum addito, militares: neque eis quidquam deficit, præter hoc ſolum, quod prædicti milites, quamuis promittant obedientiam, paupertatem, & caſtitatem (quæ ſunt Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota) non id ipſum faciunt, aut id ita ſtrictè obſeruant, ac cæteri religioſi, ſed cum certis quibuſdam limitationibus & modificationibus. Non enim ita ſtrictè obſeruant, ſeu obſeruare tenentur paupertatem & obedientiam, ac alij religioſi aliarũ Religionum, & quantũ attinet ad caſtitatem, ex diſpenſatione Summorum Pontificũ, ducere poſſunt vxores. Sed nihilominus dico, quòd hoc non obſtat, quominus ipſi religioſi etiã dici poſſint, cum ſupradicta limitatione, militares, vt contra Sotum, latiſſime probat Nauarro loco ſupra allegato, de redditibus Eccleſiaſticis, quæſt. 1. monitione 55. num. 8. cum id faciant ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, non autem ex tenore ſuæ Regulæ, aut profeſsionis ſolius. Et quamuis aliqui id ipſum habeant, ex profeſsione ſuæ Regulæ, per Papam priuilegiatæ & moderatæ, talis diſpenſatio & moderatio (inquit Nauarro) non tollit ſimpliciter & abſolutè, votum continentiæ & caſtitatis, ſed ſolùm reſtringit illud, ne habeat locum in copula maritali, quod longe aliud eſt atque diuerſum. Non enim (ait) quis verè religioſus, deſinet eſſe talis, ex hoc quod à Summo Pontifice diſpenſetur cum eo, ſuper aliqua voti ſui parte: neque huiuſmodi milites eſſe deſinunt veri religioſi, ſaltim cum addito, militares, pro eo quod à Sede Apoſtolica, ſint diſpenſati, ſuper aliqua parte ſui voti, continentiæ, & caſtitatis. Hac de re, vltra omnes auctores ſuperius allatos videatur etiam Emanuel Rodericus, in ſuis quæſtionibus Regularibus, tom. 1. quæſt. 1. art. 6.

ARTICVLVS V.

Qui nam Monachi, dici debeant, ſeu quibus, verè & propriè Monachorum competat nomen?

Prima Concluſio.

Proprie, ſtrictè & in rigore loquendo, ij dumtaxat Monachi dicuntur, qui ſolitariam vitam agunt.

PRoprie, ſtrictè atque in rigore loquẽdo, ij dumtaxat dici deberent Monachi, qui à ſecularium tumultu, & communi hominum conuictu, conſortio, & conuerſatione ſemoti, in deſertis & ſolitudinibus, ſeorſum habitantes, prout nomen ipſum Monachorum ſonat, ſolitariam vitam agunt. Hęc concluſio eſt certa, quæ & multiplicibus rationibus, & auctoritatibus poteſt comprobari. Primo probatur ex ipſa nominis etymologia, & interpretatione vocabuli. Debent enim nomina eſſe rebus conſona, & à nominis interpretatione, & vocabuli etymologia, in iure deſumitur argumẽtum haud inualidum, vt habetur, *cap. ſi cupis. 16. q. 1. cap. clericus 12. quæſt. 1. cap. cleros 21. diſtinct.* & ſæpe alibi. Cum ergo Monachus, ſecundum Diuum Hieronymum, & alios, Græcè idem ſit, quod Latine, *ſolus ſiue ſolitarius*, ſingularis, & à communi hominum conuictu, & ſecularium conuerſatione & conſortio exẽptus, & ſeparatus; liquidum profecto fit, quod Monachi nomen, ſtrictè, proprie, & in rigore loquendo, ijs dumtaxat conuenit, qui in deſerto & ſolitudinibus, ſeorſum & particulariter habitantes, ſolitariam vitam agũt. Quod & confirmat Decretum Concilij Nicæni, quod habetur, *in cap. placuit 16. quæſt. 1.* vbi dicitur, pla-

Nota quod à nominis etymologia, in iure deſumitur argumentum.

placuit omnibus residentibus in hac sancta Nicæna Synodo, vt Monachorũ vita & conuersatio, secundũ sui nominis etymologiã, ab omnibus sit discreta atq; disiuncta. Et additur, oportet enim Monachum, per omnia singulariter agere. Quæ verba exponens glossa, & maximè verbum illud, *singulariter*, dicit idem esse, ac non seculariter, sed solitarie viuere. Iuxta illud, quod habetur etiam, *in cap. si clericatus, eadẽ causa & quæstione*, quod est Diui Hieronymi, in epistola quarta, ad Rusticum Monachum. Qui etiam scribens ad Paulinum, in alia sua epistola decimatertia in ordine, quæ est de institutione Monachi, & habetur, *in cap. si cupis, eadem causa, & quæstione* (inquit) *si cupis esse quod diceris, Monachus*, id est, solus siue solitarius, *quid facis in vrbibus? quæ vtique non sunt solitariorum habitacula, sed multorum.* Quæ omnia intelliguntur atque interpretanda sunt, de Monachis, stricte, proprie atque in rigore loquendo, ex suo instituto & professione, Monachalem & solitariam vitam agentibus. Qua de re innumera sunt in iure loca, quæ breuitatis gratia, facio missa. sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Loquendo de Monachis, nõ ita stricte neque cum tanto rigore, omnes communiter religiosi, qui tria Religionis emiserunt vota, generali ratione Monachi dicuntur.

LOquendo de Monachis, non ita stricte, proprie & in rigore, sed vt communiter loquuntur iura & doctores, Monachorum nomine, intelligendi etiam veniunt, omnes in vniuersum religiosi, qui per tria Religionis essentialia & substantialia vota, in Religione aliqua approbata emissa, specialiter se se deuouerunt Religioni alicui, siue habitent in desertis, & solitudinibus, siue verò in Monasteriorũ clausris, in oppidis, vrbibus atque ciuitatibus. Hæc conclusio habetur expressa, ex Syluestro, *Verbo Religio, septimo, quæstione prima*, vbi ait quod Monachi nomine, intelligendus venit omnis religiosus, eo modo quo Monachus est, proprie & in rigore, aut minus rigorose, ad sensum supradictum. Quod & generale esse dicit, in omni materia, nisi appareat specialis ratio differentiæ. Nomine etiam Abbatis, intelligendum esse dicit, quemcunque Prælatum, ordinarium & immediatum, cuiuscunque Monasterij, siue Conuentus religiosi, & nomine Monachæ siue monialis, omnis fœmina, quæ est religiosa proprie. Nomine etiã Monasterij, omnis cõuentus, siue locus, cuiuscunque Collegij religiosi, nisi appareat (vt dixi) specialis ratio differentiæ. Hæc omnia habentur, ex Syluestro, qui & ad suum propositum, citat Panor. *in cap. ex parte de postulando*, vbi tenet, quod constitutio quæcunque, emanãs respectu Religionis, licèt loquatur expresse de Monachis, extẽditur etiam ad omnes cõmuniter religiosos, nisi appareat specialis ratio diuersitatis, iuxta quem sensum, intelligenda sunt omnia iura & capita, quæ habentur in iure canonico, in distincte loquentia de Monachis, & religiosis. In decreto distinct. 58. & 16. causa quæst. 2. & 18. quæst. 1. & 2. per totas. In decretalibus autem lib. 3. titu. 31. & 35. In sexto verò lib. etiam 3. titul. 14. 16. & 17. quæ pro isto art. dicta sufficiant.

Constitutio emanans respectu Religionis, licèt expresse loquatur de Monachis, extenditur tamen ad omnes cõmuniter religiosos, nisi sit specialis ratio differentiæ.

(.2.)

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Canonici regulares, & religiosi viri Societatis Iesu, generaliter comprehendantur Monachorũ nomine?

QVæ ad hunc spectant articulum, iam vtcunque constare possent, ex dictis in supra positis: sed maioris distinctionis & claritatis gratia, hunc etiam libuit apponere, cui & resolutiue respondeo, per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Canonici Regulares, in pœnalibus & exorbitantibus, non comprehendũntur Monachorum nomine.

QVidquid sit de religiosis viris Societatis Iesu, nam de eis nihil libet in presentiarum determinatè dicere, sed consulantur propria ipsorum priuilegia & constitutiones, loquendo tamen de Canonicis regularibus, in pœnalibus & exorbitantibus, non ipsi veniunt intelligendi Monachorum nomine, nec communiter in iure comprehenduntur, eiusmodi appellatione. Hæc conclusio, est expressa Panormitani, *in cap. quod Dei timorem, de statu Monachorum, num. 2. quæst. 3.* & eam tenet Nauarro *in c. statuimus 19. q. 3. n. 14. & in cap. pœnæ de pœnitent. d. 1. & in cap. nullam, 18. quæst. 2. num. 40.* quam & multis iuribus atque rationibus comprobat, distinctionem constituens, inter prædictos Canonicos Regulares, & Monachos. Sed breuiter loquendo, suprapositæ conclusionis ratio in promptu est. Nam lex pœnalis, non debet excedere proprium casum, iuxta commune axioma, quod habetur in iure, *in cap. pœna, de pœnitẽtia, d. 1. & lege, interpretatio ff. de pœnis.* Ex quo fit consequens, quod leges, quacunque ratione exorbitantes, restringi potius quam extendi debeant, ad prædictos Canonicos Regulares. Quod intelligendum esse censeo, vt pluries dictum est, quando alias in Monacho, & Canonico Regulari, nõ militat eadem ratio, seu inest aliquid, in quo secundum ius inueniantur exequati, tunc enim verè fit extensio in eisdem, etiam in pœnalibus & exorbitantibus, vt resoluit Dominicus, *in cap. 1. de tempo. ordin. lib. 6.* & refertur, à Panormit. vbi supra. Vnde fit quod ius vetans Monachis postulare, *quale est c. nõ magnopere, ne clerici vel Monachi, & ca. alia est causa, ca. placuit, cap. Monachi, el 2. 16. q. 1.* comprehendit etiam Canonicos Regulares, vt habetur expresse in *capitulo ex parte, de postulando*, quod explicans glossa, & proponens casum, inquit, quod quidam Canonici Regulares, postulabant (hoc est aduocabant) & prætendebant posse se id facere, & aduocatorum officium, in causis Ecclesiasticis & forensibus exercere: quibus cum è contra obijceretur, non posse illos talia facere, cum id esset iure sibi prohibitum, ad suam defensionem allegabant, quod talia prohibentur Monachis, non autem ipsis Canonicis Regularibus. Qua de re consultus Pontifex Innocent. III. respondet in dicto *cap. ex parte*. Quod quoad hoc, idẽ

est

eſt iudicium de Canonicis Regularibus & de Monachis, licèt de Monachis in Canone, id ſpecialiter fuerit expreſſum. Ecce qualiter, etiam in pœnalibus & exorbitantibus facta fuit extenſio, de Monachis ad Canonicos Regulares, pro eo quod vtrobique eadem militaret ratio. Nam ratio & cauſa, ob quam Monachi in iure prohibentur poſtulare, ſeu aduocatorum officium exercere, vt conſtat *ex cap. de præſentium.* 16. quæſt. 1. funda tur in perfectione religioſi ſui ſtatus, & in abrenunciatione rerum temporalium, quæ quidem ratio, æque etiam militat in Canonicis Regularibus, qui pariter per tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, renuntiant rebus omnibus temporalibus, & habent perfectionis ſtatum, quemadmodum & monachi: vnde quantum ad hoc, iure optimo eſſe videntur exequati. Hæc de iſto articulo & tota quæſtione breuiter dicta ſufficiant. Videatur gloſſa dicto cap. *ex parte*, verbo *Eccleſiaſtici*, vbi dicitur, opprobrium eſſe dictis Canonicis Regularibus, ſi velint forenſium diſceptationum periti videri, pro quo allegat *legem conſulta. C. de teſti & legem appetita. C. de Epiſcopis & Clericis.*

QVAESTIO XI.

De monachis & religioſis, mendicantibus, & non mendicantibus, ſed proprium, & redditus annuos habentibus, in communi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm monachis ſiue religioſis, licitũ ſit mendicare, ſeu quod dicitur, de eleemoſynis viuere?

HAEC difficultas, & fere omnes quæ in tota hac quæſtione, in medium ad diſputandum proferentur, proponuntur à D. Thom. 2. 2. quæſt 187. ar. 3. 4. & 5. De cuius doctrina, prætermiſſis quibuſdam, quæ non tam ad noſtrum propoſitum, quam ad ſcholas & ſcholaſticorum exercitium pertinent, quæ tenenda atque dicenda ſunt, ſuccincte atq; reſolutiue pro meo more paucis exponam. Sed maioris claritatis & veritatis indagandæ gratia, eundem D. Thomam ſecutus, vt veritas hinc inde agitata, plenius eluceſcat, præterire non potui, quin pro parte contraria, aliqua argumenta, & rationes proponerem, quibus innixus cuipiã fortaſſis videri poſſet, monachis ſiue religioſis, non eſſe licitum mendicare, ſeu quod dicitur de eleemoſynis viuere. Et in primis ſunt ad id, auctoritates innumeræ. D. Auguſt. in lib. de operibus monachorum, cap. 28. quas breuitatis gratia hic referre omitto (quia ipſarum vt patebit, facilis erit ſolutio) quibus monachorum mendicitatem, reprehendere videtur. Id quod & feciſſe etiã videtur Apoſtolus Paulus, 2. ad Timotheum cap. 5. vbi ſtrictè præcipit, quod viduæ, quæ aliunde ſuſtentari poſſunt, nequaquam mendicent, aut viuant de eleemoſynis Eccleſiæ, vt ſufficiant pro illis, quæ verè viduæ ſunt. Quin verò, & Beatus Hieronymus, in epiſtola ad Damaſum Papam, & habetur *in cap. clericos* 1. q. 2. *& in c. quoniam.* 16. q. 1. inquit, quod qui de bonis atque opibus parentũ ſuorum ſuſtentari poſſunt, ſi petendo eleemoſynam, quod pauperum eſt accipiunt, furtum & ſacrilegium committunt, & per abuſionem talium iudicium ſibi manducant, & bibunt. Ex his auctoritatibus, clare (vt videtur) colligitur intentum, nempe monachis & religioſis, haud quaquã eſſe licitum mendicare, ſeu de eleemoſynis viuere.

Nocumenta, quæ proueniunt interdum, ex neceſſitate, & mẽdicitate.

Sed ſecundo ad probandum id ipſum, eſſe ratio appoſitiſſima videtur, nam mendicitas (vt apparet) innumeris eſt plena periculis, & multorũ malorum occaſio & cauſa. Multoties enim occaſionẽ prębet peccandi, atque impedit actũ ſiue exercitium virtutis, quæ omnia quam maximè monachos, & religioſos vitare oportet. Videmus namque, quod qui frequenter ad alienam menſam comedunt, otio & vitijs dediti, vt adulentur multoties neceſſum ſit ſe paſcentibus, vt tradit gloſſa, explicans illud Pauli, 2. Ad Theſſalonicẽ. cap. vltimo, vbi de ſe ipſo dixit: *Quod non inquietauit eos, neque gratis panem alicuius manducauit, ſed in labore & in fatigatione, nocte & die eſt operatus; ne quẽ quam ipſorum grauaret, & vt ſe ipſum formam præberet eiſdem.* Dicit gloſſa ibi & eſt B. Ambroſij, *quod comedere de alieno pane, multoties adulationis eſt cauſa & occaſio.* Præterea dicit Sapiẽs, Prouerb. 22. *Quod qui mutuum accipit, ſeruus eſt fœnerantis.* Pari ergo ratione dicẽdũ videtur, quod monachi & religioſi, dũ de eleemoſynis viuunt, aliorũ ſerui quodammodo fiunt, & ſuam propriam amittunt libertatem, quò dicere poſtea non audeant, ea quæ dicere forſan expediret quam maximè. Ad quod propoſitum facit etiam illud, quod habetur, Exodi. 23. *Non accipias munera, nam excæcant prudentes, & mutant verba iuſtorum.* Omitto plura alia, quibus mendicitas, virtuti eſſe videtur contraria, contrariũque proinde, bono & optimo monachorum & religioſorum ſtatui, mendicare, ſeu de eleemoſynis viuere. Quibus & accedit, quia id ſaltem turpiſſimum eſſe videtur, vt homines alias ſani & robuſti,

buſti, vt cunque dicantur religioſi, ſeu religioſorum glorientur nomine, in damnum & grauamẽ totius Reipublicæ, atque in præiudicium aliorum debilium, infirmorum, verorumque pauperum, abſq; verecundia, & pudore (quæ vt dicit Diuus Ioannes Damaſcenus lib. 2. cap. 15. ſunt deturpi actu) mendicare permittantur, & de eleemoſynis eo modo comparatis viuere, cum etiam in lege antiqua olim, prohibiti fuerint eiuſmodi mendici. *Omninò* (inquit Scriptura ſacra Deut. cap. 15.) *Non erit inter vos, mendicus & indigens.* Id quod & cautum eſt *lege etiam ciuili. 11. titulo 25. de validis mendicantibus*, vbi habetur, *quod validus mendicans acriter puniatur.* Quod & fieri debere, forſan dicẽt maledici, cum monachis & religioſis mendicantibus, ſeu quod dicitur de eleemoſynis viuentibus, vt pote operam dantibus rei turpi atque illi citæ. Hæc omnia diſeruiant pro ſecundo argumẽto, ſiue ratione dubitandi. Et tandem tertio ad idẽ poteſt ſic argumentari. Nam ſi mendicare & de eleemoſynis viuere, concedẽdum eſſe videretur alicui, vel aliquibus, maximè Prædicatoribus, & id muneris officium exercentibus, vel etiam cõfeſſoribus, peccatorum hominum ſcelera, in pœnitentiæ ſacramento audientibus, vt pote in vinea Domini ſtrenue laborantibus, ijs enim eleemoſynæ, & ſtipendia eleemoſynaria, aliqualiter iure & iuſte videntur debita, iuxta præſcriptum Chriſti Domini, & viuendi modũ, quem ipſe ſuis dedit Apoſtolis atque Diſcipulis, vt de fidelium eleemoſynis viuerent, & quæ ſibi apponerentur manducarent, *manducate* (inquit) *quæ apponuntur vobis. Operarius enim dignus eſt, mercede ſua.* Ijs licitum erit mendicare, & de eleemoſynis iuſto ſuo labore comparatis viuere: At dicet quiſpiam, neque ſine ratione prorſus vt apparet, homines alias ſani & robuſti, qui nec prædicant, neque laborant, neque pœnitẽtium confeſſiones audiũt, quonam iure, quáve ratione, licitum erit eis, aut ſibi vllo modo permittendum eſt mendicare, vt cunque ſint aut dicantur religioſi ſiue religioſorum glorientur nomine? Certe dicent aliqui, non hoc eſſe videtur iuſtum, aut rationi cõſonum. Fæ ſunt rationes, & argumenta potiſſima, quæ pro hac parte poſſunt adduci & afferuntur communiter à maledicis, ad probandum, monachorum ſiue religioſorum mendicitatem non eſſe licitam: neque congruũ aut Chriſtianę Reipublicæ expediens, quod eiſdem vllo modo permittatur mendicare, & de eleemoſynis viuere. Quibus tamen non obſtantibus; in contrarium eſt veritas, pro qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Matth. 10. Lucæ. 10.

Concluſio.

Licitum eſt Monachis, ſiue religioſis mendicare, ſeu quod dicitur, de eleemoſynis viuere.

MOnachis ſiue religioſis, nedum licitum eſt mendicare, ſeu quod dicitur de eleemoſynis viuere; imò verò conueuientiſſimum atque expedientiſſimum fuit, vt in Eccleſia aliqua eſſet Religio, ſiue Religiones, quæ profiterentur mendicitatem, ad exemplum & imitationem Chriſti Domini. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. vbi ſupra art. 5. Quam & probat, hac vnica & præſtantiſſima ratione. Nam licitum eſt (inquit) Monachis ſiue religioſis, viuere ad imitationem Chriſti, quin verò hoc eſt propriũ religioſorum omnium munus & officium; Chriſtum Dominum quam maximè fieri poterit imitari, ac ſi eorum cuilibet in particulari dictum fuiſſet: *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod in Euangelicæ perfectionis monte (vbi tota Chriſti vita continetur) monſtratum eſt*: Sed Chriſtus Dominus, in hoc mundo cum hominibus conuerſatus, vt tradunt omnes communiter ſancti, & ex multis ſacræ Scripturæ locis ſatis colligitur, mendicauit & de eleemoſynis emendicatis vixit: ergo id ipſum facere, licitum erit omnibus monachis & religioſis. Solummodo ſupereſt in præſentiarum, probare atque oſtendere, qualiter Chriſtus Dominus, in hoc mondo cum hominibus conuerſatus, mendicauerit, & an in ſacra pagina reperiãtur aliqua loca, & teſtimonia, quæ id ipſum videantur inſinuare? Ad hoc propoſitum affert Diuus Thom. loco citato, illud Pſalm. 39. *Egò autem mendicus ſum & pauper, & Dominus ſollicitus eſt mei.* Quæ verba explicans Gloſſa, & Caſſiodorus; inquiunt, ea dixiſſe Chriſtum Dominum, de ſe in perſona ſerui. Et mendici ac pauperis etymologiam, & ſignificationem exprimentes, dicunt, quod mendicus dicitur ille, qui ab alio petit: Pauper verò, qui ſibi non ſufficit. Quæ omnia Chriſtus Dominus vnigenitus Dei Filius, in natura humana, formam ſerui cum accepiſſet, pro nobis fieri dignatus eſt. Vt enim inquit, Diuus Paulus 2. Corinth. 8. *Cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, vt illius inopia, nos diuites eſſemus.* De hoc argumenti genere, & Chriſti Domini paupertate & mendicitate, plura à me dicta ſunt in libro quem inſcripſi, de perfectione Chriſtianæ iuſtitiæ. Et hac de re conſulatur noſter Caſtro, libro ſuo aduerſus hæreſes, Verbo, mendicitas, & Catherinus lib. ſecundo contra Caietanum, & Thom. Vvaldenſis lib. quarto doctrinæ fidei. capite 3. & 4. Albertus etiam Pighius libro quinto, contra Eraſmum, & Sixtus Senenſis lib. 6. ſuæ Bibliotehcæ. Quibus in locis, quamplurima eaque iucundiſſima atque notatu digniſſima, circa Chriſti Domini paupertatem & mendicitatem adinuenire licebit. Plura alia argumenta & rationes poſſem adducere, ad probandum licitum eſſe Monachis, ſiue religioſis mendicare, & de eleemoſynis viuere, ſed hæc conſultò reſeruantur, vt congruentiori loco dicantur, in ſolutione argumentorum, quæ pro veritate indaganda, pro alia in contrarium parte ſunt adducta, quibus reſpondetur per ordinem.

Exod. 25.

Ad primum continens auctoritates Diui Auguſtini, quibus reprehendere videtur Monachorum mendicitatem; dico cum Diuo Thoma quod ibi Diuus Auguſtinus, loquitur de Monachis olim, qui non ex neceſſitate, ſed ex cupiditate mendicabant, nec id habebant ex ſuo inſtituto, & profeſſione, vt ex ipſius doctrina expreſſe conſtat. Ad illud autem, quod dicitur de viduis, quibus iuxta præſcriptum Diui Pauli, non erat licitum mendicare, cum aliunde poſſent ſuſtentari & viuere: Reſpondetur ſimiliter, quod id fuit, præceptum, pro illo neceſſitatis tempore, quando eleemoſynæ, non adeò erant copioſæ, vt pro alijs ſufficerẽt, & qui veris

viduis

viduis atque pauperibus poſſet ſubueniri, tunc (inquit) tenebantur aliæ viduæ, non ita egeſtate oppreſſæ, ab eleemoſynis accipiendis abſtinere: quin verò & ſua propria, ſi quæ habebant & neceſſitas erat extrema, ad pauperum & aliorum egenorum ſuſtentationem elargiri; in quo etiam ſenſu, intelligendus eſt Diuus Hieronymus, vt ex ipſius doctrina, euidentiſſime & manifeſtiſſime poteſt colligi. Non autem reprehenderet (inquit Diuus Thomas) D. Hieronym. neque Auguſtin. aut Diuus Paulus, mendicitatem monachorum & religioſorum noſtri temporis, qui id ipſum ex ſuo inſtituto & profeſſione habent, & voluntariam elegerunt paupertatem, ad imitandum Chriſtum, neque habent vnde poſſint ſuſtentari, aliter quam mendicando, per quod fit ſatis propoſito argumento.

Ad ſecundum argumentum, quo mendicitatis pericula, damna atque incommoda enumerantur: Reſpondetur, dicendo, quod quamuis ea, quæ ibidem proponuntur, quadam ratione vera ſint, & mendicitas interdum non vacet periculis & inconuenientibus, & multoties aliquibus occaſionem præbeat peccandi: aliqualiter etiam videatur impedire, actum ſiue exercitium virtutis, ſcilicet, libertatem atque plenam facultatem, propalandi, & dicendi, plane & aperte, ſed maximè potentibus & diuitibus veritatem: omnia tamen iſta, vtcumque inconuenientia eſſe videantur, compenſari optime poſſunt, cum maximis commodis, fructibus atque emolumentis, quæ ex monachorum & religioſorum paupertate & mendicitate, in Dei Eccleſia proueniunt, & ſubſequuntur. Nam in primis ex hoc ipſi quam maximè humiliantur, atque ita abiecti conuerſantur inter homines, vt non ſolum ſint pauperes, verum in tantum egentes, quod præ nimia egeſtate compulſi, neceſſe habent mendicare, atque ab alijs per mendicationem victum quærere; quod quidem magnum ſacrificium eſt, vt de ſe patet, & quam maxima cauſa humiliationis, ſiue humilitatis. Quod cum libere & voluntarie fiat ad exemplum, & imitationem Chriſti Domini, manifeſte colligitur, quod ipſi laudabiliter mendicant, ſicut & laudabiliter multa alia religioſa faciunt exercitia, quæ ad humilitatem & abiectionem pertinent. Præterea prædicti monachi & religioſi, voluntariam paupertatem atque mẽdicitatem aſſumunt, tanquam medicinam pretioſiſſimam, & efficaciſſimam, contra ſuperbiam omnis peccati radicem quam in ſe ipſis, medijs huiuſmodi exercitijs, opprimere, & extinguere modis omnibus procurant. Debẽt enim cõtraria cõtrarijs curari, iuxta Ariſtotelẽ ac veram philoſophiam. Et ſicut infirmitas ſecundum medicos, quæ prouenit ex ſuperexceſſu caloris, congruentiſſime curatur, per alia quæ in frigiditate excedunt, ita & promitas ad ſuperbiam, efficaciſſime curatur, & ſanatur per paupertatem, & mendicitatem, & per ea quæ apud ſeculares homines eſſe videntur humilia, deſpecta, & abiecta. Efficaciſſimum quidem argumentum, & hac vel ſola ratione, licitum eſſet mendicare religioſis. Hanc ob cauſam vt ſatis cõſtat ex libris ſacris & Doctoribus ſanctis, humilitatis exercendæ gratia, & vt remedium efficax contrà ſuperbiã, & ad Chriſtum imitandum, vt etiam rem facientes maximi meriti, multi olim viri nobiles, diuites & locupletes, ſponte & voluntarie, diuitijs ſpretis mendicarunt, & multo tempore de eleemoſynis vixerunt. In primis legimus, quod Diuus Benedictus, cum eſſet diues, tribus annis in ſpelũca manens, de eleemoſynis vixit, & de ijs quæ à quodam monacho Romano, ſibi ſuppeditabantur, vt tradit D. Gregor. 2. lib. dialogorum cap. 10. Diuus etiam Alexius, qui etiam & prædiues erat, omnibus ſuis propter Chriſtum ſpretis atque dimiſſis, mendicauit; & refertur in propria ipſius hiſtoria, quod gaudebat etiam à ſeruis ſuis, eleemoſynam accipere. Quin verò & D. Hieronym. in epiſtola ad Oceanum, commendat Fabiolam, nobilem fœminam de hoc, quod optabat vt ſuis diuitijs, pariter pro Chriſto effuſis, ad Chriſti exẽplum ab aliquo ſtipem acciperẽt. De Beato Anſelmo, legitur etiam in vitis Patrum, quod gratias Deo agebat, pro eo quod neceſſitate compulſus, oportuit ipſum mendicare & eleemoſynam petere. Per quæ omnia ſatis mendicitas laudatur & commendatur: illa nimirum, quæ prouenit, non quidem ex cupiditate, ſeu alterius cuiuſque rei indecentis gratia, ſed ex vera neceſſitate, & voluntaria paupertate, aſſumpta ad exemplum atque imitationem Chriſti, & ad exercendam humilitatem. Sunt præterea multa alia bona, quæ ex religioſorum paupertate, & mendicitate ſubſequuntur. Nam præter deſpectum & vilipendiũ, temporalium omnium rerum (quod quidem virtutis quam maximæ, præclariſſimum atque efficaciſſimũ eſt argumentum) eiuſdem paupertatis & mendicitatis gratia, religioſi plura faciunt bona ad tõtius Eccleſiæ vtilitatem ſpectantia, quæ aliàs forſan, non eſſent facturi, & ad multas mũdi partes diuertuntur, ad quas nunquam fuiſſent ituri, aut peruenturi. Dum etiam ad mendicandum vadunt, ſimul prædicant, infirmos viſitant, Chriſti fidelium confeſſiones audiunt, pluraque alia bona efficiunt, quæ in præſentiarum recenſere longum eſſet nimis, ſicque breuitatis cauſa omittuntur. Illa verò inconuenientia atque incommoda, quæ in argumento enumerantur, haud quaquam credendum eſt, quod in viris perfectis & religioſis, locum habeant, aut quod propter mendicitatem, ſiue eleemoſynã receptam, quidpiam indebitum faciant, aut faciendum prætermittant, neque quod propterea libertatem, & facultatem perdant, dicendi, & propalandi etiam diuitibus & magnatibus ipſis veritatem. Leges etiã quæ mendicitatẽ prohibere videtur, intelligendæ ſunt, nõ quidẽ de pauperibus religioſis, & qui propter ſupradictas rationes & cauſas mendicant, ſed de viris quibuſdam ſecularibus, vulgò dictis, *vagabundos*, mendicantibus abſque neceſſitate, & abſque pudore & verecundia, nõ ex ſuo inſtituto, aut profeſſione, nec ex vera indigentia, ſed ex cupiditate & occaſione vagandi. Iuſtiſſimũ eſt, vt pœnis à iure poſitis, plectãtur atq; puniantur. Et per hoc fit ſatis omnibus incõuenientibus, adductis in prædicto 2. argumento.

Bona quæ prouenient, ex mendicitate & neceſſitate religioſorum.

Ad tertium reſpondetur, concedendo quod eleemoſynæ, peculiariter & ſpecialiter prę alijs, debentur concionatoribus, atque prædicatoribus, & monachis ſiue religioſis, qui fidelium confeſsiones audiunt, & in vinea Domini ſtrenue & indefeſſe laborant; cum hoc tamen ſtat, quod alijs etiam religioſis, qui ex proprio ſuo inſtituto & profeſſione ſunt pauperes, & propter Chriſtum voluntariam elegerunt paupertatem, mendicare liceat, & poſsint ipſi de eleemoſynis viuere, quæ propter eundem Chriſtum, & propter ſuam ſanctimoniam ac maximam vitæ perfectionem, à Chriſti Domini fidelibus ſibi fuerint elargitæ. Ac etiam propter alios quamplures reſpectus, & bona quamplurima, quæ in Eccleſia faciunt, vt pote, quia canunt in choris, quia orationi, meditationi & contemplationi incumbunt, infirmos viſitant, rem faciunt ſacram, pro tota Eccleſia, ſed maximè pro ſuis benefactoribus, indeſinenter orant. Neque id incongrue aut immerito fit, quamuis non ita, vt alij prædicent, ſiue confeſsiones audiant ſed cum maximo fructu & merito: cum benefactores ipſi, in hoc Deum remuneratorem habeāt. Quæ pro iſto articulo & difficultate, dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm monachis ſiue religioſis, licitum ſit, habere aliquid proprium in cōmuni, & an id diminuat à ſtatu & ratione perfectionis?

Argumenta quibus apparenter probatur quod monachis ſiue religioſis, poſſeßiones, & diuitias habere, etiam in communi, nō ſit licitum.

QVOD habere aliquod proprium etiam in communi, non ſit licitum religioſis, & diminuat id à ſtatu & ratione perfectionis, exinde poteſt apparenter colligi, quia Chriſtus Dominus, expoſtulante ab eo quodam iuuene, vt oſtenderet ſibi religioſum viuendi modum, qui communiter perfectionis ſtatus appellatur, reſpondiſſe fertur, vt ſi vellet eſſe perfectus, venderet omnia quæ poſsidebat, eaque pauperibus daret. *Si vis* (inquit) *eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Ex quo loco iuxta communem Doctorum ſententiam, nos neque incōgrue collegimus ſupra, paupertatem eſſe de eſſentia atque ſubſtantia Religionis, ſiue ſtatus religioſi. Ex quo etiam proinde nunc colligi poteſt, quod habere aliquod proprium etiam in communi; non conueniat, neque ſit licitum religioſis, idque facere, diminuat à ratione perfectionis, maximè cum & ipſi Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti Domini, hoc ipſum ſuo nos docuerint exemplo, de quibus in Euangelio habetur, Matthæi. cap. 14. *Quod ab eodem Chriſto, ad diuinum ſuum ſeruitium inuitati, & vocati, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.* Sit hoc primum argumentum.

Secundo probari poteſt id ipſum, nam ad religioſos & Euangelicam vitam profitentes, intrinſecè atque eſſentialiter pertinere videtur, omnem à ſe pellere rerum humanarum ſolicitudinem, & omnia, quæ quo vis modo, contraria eſſe poſſunt, quominus eorum animus totaliter feratur in Deum, expediteque aſcendere poſſint ad perfectionem, hac enim ratione Diuus Paulus, ſcribens ad Corinthios, conſiliumque eis de virginitate præbens, aiebat: *Quod volebat ipſos ſine ſolicitudine eſſe.* Quam etiam ſolicitudinem circa res temporales, ſuis Apoſtolis atque Diſcipulis, diſſuadens Chriſtus ipſe, dicebat, in Euangelio, Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*; ſed diuitiæ & poſſeſsiones, habitæ etiam in communi, ingerunt prædictam ſolicitudinem, vt de ſe patet, qua ſcilicet ratione & quomodo conſeruentur, ſeu potius augeantur: ergo eaſdem habere, non eſſe videtur licitum religioſis: quin verò ſatis apparenter dicitur, quod id ipſum diminuat à ſtatu & ratione perfectionis. 1 Corin. 7.

Tandem tertio & vltimo, ad idem ſic argumentari poteſt, & apparet argumentum, certè non inualidum, deſumptum ex doctrina & geſtis ſanctorum Patrum, & antiquorum monachorum. Nam D. Hieronym. ſcribens ad Nepotianum, reprehendens vt videtur monachorum poſſeſsiones, & proprietatem, inquit: *Quod ſunt quidam monachi, ditiores quam fuiſſent ſeculares, & diuites ſub Chriſto paupere, qui forent pauperes, ſub diabolo locuplete.* (Verba ſunt expreſſa D. Hieronym.) D. etiam Gregor. 3. lib. Dialogorum cap. 24. narrat de quodam olim ſanctiſsimo Monacho, nomine Iſaac, & laudat ipſum pro eo, quod cum ab eo ſui diſcipuli humiliter peterent, vt pro vſu monaſterij, poſſeſsiones quaſdam, quæ ſibi offerebantur acciperet, ille ſolicitus ſuæ paupertatis cuſtos, fortem tenebat ſententiam, dicens: *Monachus qui in terra poſſeſsiones quærit, monachus non eſt.* Ex his verbis, & alijs breuitatis cauſa omiſſis, plane colligi videtur intentum, nempe quod non ſit licitum neque congruū, monachos & religioſos, habere proprium etiam in communi, (nam in communi offerebantur dictæ poſſeſsiones prædicto monacho, pro vſu monaſterij) & quod id facere, diminuat à ſtatu & ratione perfectionis. Sed his argumentis non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Habere proprium aliquid in communi, non ſuperabundanter nimis, ſed moderate, licitū eſt religioſis, neque id diminuit à ſtatu perfectionis.

HAbere proprium aliquid in communi, non ſuperabundanter nimis, ſed moderate, & quantum ſufficit ad proprium cuiuſque ſtatum, & vitæ humanæ congruam ſuſtentationem, licitum eſt monachis & religioſis, neque id diminuit à ſtatu & ratione perfectionis. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ, ſecunda ſecundæ, quæſt. 188. articulo 7. vbi & ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſsima, quæ ipſe breuitatis gratia facio miſſa, & quia vtcunque, breuiter quidem, ſed compendioſe, dicentur in comprobatione ſuprapoſitæ concluſionis, & ſolutione argumentorum, quæ pro alia in contrarium parte ſunt propoſita. Probat D. Thom. prædictam ſuam concluſionem, primo ex auctoritate Proſperi libro ſecundo, quem inſcrip-

scripsit de vita contemplatiua, *cap. 9. & habetur in iure, 12. quæst. 1. cap. expedit.* vbi dicitur *debere propria, propter perfectionem contemni, & quod sine impedimento eiusdem perfectionis, Ecclesiæ facultates quæ sunt communes, iure optimo possunt possideri.* Verba sunt expressa dicti Prosperi, & quidem quam maximè notanda ad hoc propositum. Secundo probatur id ipsum ratione. Nam vt pluries iam dictum est, paupertas non est ipsa essentialiter perfectio, sed perfectionis instrumentum, nec perfectio formaliter, & essentialiter in paupertate consistit, sed in perfectissima charitate, sequela atque imitatione Christi Domini, quo fit vt paupertas & priuatio omnium rerum, & facultatum temporalium, eatenus & non amplius, ad perfectionem necessaria censenda atque existimanda sit, quatenus per hæc tolluntur & remouentur eiusdem perfectionis impedimenta: sed habere proprium in communi, non superabundanter, sed moderate (inquit Diuus Thom.) non est perfectionis impedimentum, quin verò vt sibi videtur, eiusdem quam aptissimum instrumentum, propter vitanda quamplurima alia perfectionis nocumenta, quæ ex contrario facto possunt prouenire, ergo id facere non est illicitum, imò verò licitum atque congruum, quibuscunque monachis & religiosis, qui contrarium non habet, ex suæ regulæ instituto & professione; nec id diminuit à statu, & ratione perfectionis. Hoc est certissimum saltim in via Diui Thomæ, & credo quod in omni via. Ad argumenta igitur & rationes in contrarium adductas, respondetur.

Ad primum, quod verba illa Christi Domini, intelligenda sunt, sicut communiter interpretantur à Doctoribus, de paupertate in particulari. Nam habere aliquid proprium in particulari vt pluries dictum est) contrarium est Religioni, & perfectionis statui. Non sic autem habere illud in communi, cum & ipse Christus, & sancti eius Apostoli atque Discipuli, in communi ferantur proprium habuisse & possedisse, vt in præsentiarum docet D. Thom. & satis probabiliter dicetur à nobis in sequenti articulo, vbi ad hoc propositum, & ex hoc nacta occasione, specialiter agemus, de paupertate Christi, & sanctorum Discipulorum & Apostolorum eius.

Abundans diuitiarum possessio, non conuenit religiosis, quia magnam solicitudinem ingerit.

Ad secundum respondetur, cum eodem Diuo Thom. quod quamuis abundans diuitiarum possessio, magnam solicitudinem ingerat, nec multũ conueniens sit monachis, siue religiosis, vt pote per quam ipsorum animus distrahitur, & impeditur, ne totaliter ferantur in Deum atque vti par est, ascendere possint ad perfectionem, attamen habere diuitias in communi, non abundantes nimis, sed moderatas, & in modica quantitate, quantum expedit, ad simplicem victum, & humanæ vitæ sustentationem & conseruationẽ, iuxta proprium cuiusque statum, non tantam solicitudinem ingerit vt impedimento esse possint Christianæ perfectioni. Non enim (inquit Diuus Thomas) omnis solicitudo, à Christo Domino reprehenditur, sed ea solummodo, quæ superflua & nociua est. Vnde & Diuus Augustinus, lib. 2. de verbis Domini, cap. 26. explicans illa verba Matthæi 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus* (inquit) quod non hoc dicitur, vt non procurentur, quæ necessaria sunt, sed vt euitentur superflua, seu, vt non ista ita quærantur, vt propterea non faciant, quod in Euangelij prædicatione facere iubentur. Et in libro de operibus monachorum, cap. 23. explicans illud: *Nolite solliciti esse in crastinum*, inquit, idem Augustinus, quod non sic hoc est intelligendum, vt nil in crastinum reponatur; nam non poterunt seruare istud, qui per multos dies à conspectu hominum separati, in montibus & speluncis se includunt, solitarie viuentes, in magna intentione orationum, sed tantum, vt omnis superflua atque nociua solicitudo tollatur. Et subdit, quod si monachi ex Euangelio vrgeantur, vt nihil omninò seruent, siue reponant in crastinum; respondere poterunt. Cur ergo & ipse Dominus, loculos habuit, vbi pecuniam collectam reponebat? Cur & tanto ante, fame imminente, frumenta sanctis Patribus sunt missa? Cur & ipsi Apostoli, indigentiæ sanctorum, necessaria procurarũt? Verba sunt expressa Diui Augustini. Ex quibus atque alijs, colligit D. Thom. quod non omnis solicitudo rerum temporalium, & quæ est circa possessiones, perfectioni contrariatur, aut monachorum & religiosorum statui; sed illa tantùmodo, quæ superflua est, nociua nimia, & de qua nihil libet in præsentiarum dicere, sed remitto in hoc lectorem, vt D. Thom. loco supra citato consulat, nam de monasterijs & religiosis abundantissimas diuitias plus nimio habentibus, dicit multa eaque notatu dignissima ad hoc propositum.

Quæ solicitudo in Euangelio sit prohibita, quæ verò non.

Ad tertium argumentum respondetur, quod etiam D. Hieronym. ibidem, non reprehendit siue condemnat, nisi superabundantes diuitias, & quæ habentur in magno excessu, aut possidentur à monachis in particulari, quasi propriè, vel per quarum abusum, etiam singuli de communitate superbiunt, aut forsan (quod absit) lasciuiunt. Hoc autem (inquit) non habet locum, in diuitijs moderatis & communiter conseruatis, ad solam vitæ humanæ sustentationem. Ad illud verò Diui Gregorij respondetur, quod ille Abbas, pro eo renuebat diuitias & possessiones accipere, quia timebat, ne per hoc, ad superfluas deueniretur, per quarum abusum, suis monachis siue religiosis, apponerentur virtutis impedimenta, & apud eosdem minueretur Religionis perfectio. Qua ratione subdit ibidem D. Gregor. quod sic metuebat paupertatem suæ securitatis perdere, ac solent diuites & auari, perituras diuitias custodire. Per hoc autem nõ legitur, quod renuerit accipere, aliquas possessiones moderatas, ad vitæ sustentationem necessarias & ad viuendum communiter. Per quod fit satisfactum ei, quod proponitur in supradicto articulo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus Dominus, & sancti eius Apostoli atque Discipuli, habuerint aliquid proprium in communi?

HAec quæstio & difficultas, celebris atque famosissima est, de qua multa referũtur ab scholasticis Doctoribus, quæ proinde in præsentiarum tractare, ad longum non libet, sed solummodo breuiter ac summatim dicere, quæ probabiliora videntur, & quæ tenenda sunt. Quod vt faciam, adnotare oportet, quod hac de re, duplex versatur opinio. Prima est asserentium, Christum Dominum & ipsius Apostolos atque Discipulos in hoc mundo, nihil habuisse proprium, neque in particulari, nec in communi. Hanc tenuit & secutus est olim, Nicolaus Tertius in cap. exijt de verbor. significat. in sexto, explicando nostram regulam fratrum Minorum. Sed contrariam, mordicus conatus est determinare ac defendere, Ioannes XXII. in extrauag. *Ad conditorem, & cum inter nonnullos, & in alia quæ incipit, quorundam, de verborum significatione.* Hic Summus Pontifex dixit, Christum Dominum, eiusque Apostolos atque Discipulos, in hoc mundo, rerum aliquarum habuisse dominium, & proprium aliquod in communi. Vtramque opinionem, pro sua cuiusque parte, etiam nunc conantur defendere, Doctores grauissimi & eminentissimi, in qua ego causa, nolo in præsentiarum iudicem agere. Vt tamen aliquid dicam, non quidem ex propria mea sententia, sed ex doctrina grauissimorum virorum, & sententias & piniones prædictas, aliqualiter ad pacem siue concordiam reducam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Nullatenus negari potest quod Christus Dominus et sancti sui Apostoli, per aliquod tempus vitæ suæ, nihil habuerunt proprij neque in particulari, neq; in communi.

IN quantum Christus & sancti sui Apostoli, fuerunt singulares personæ, quò viam alijs perfectionis ostenderent, & per aliquod tempus suæ vitæ, negari nullatenus potest, quod nullius rei habuerunt proprium, neque in particulari, neque in cõmuni: quin verò id quod Christus consulendo, pro perfectionis sectatoribus, docuit verbo, etiam firmauit exemplo & opere, quod & similiter, sancti sui fecerunt Discipuli atque Apostoli. Hæc conclusio est expressa supradicti Nicolai Tertij, & confirmata & approbata est huiusmodi sententia, à Clemente Quinto, in Concilio Generali Vienensi, *& habetur in clement. exiui. de verborum significatione.* Approbata est etiam postea, ab alijs quampluribus Romanis Pontificibus, imò verò (vt dicitur) ab eodẽ Ioanne XXII. licet post modũ propter quendam peculiarem respectum, de quo nihil libet in præsentiarum dicere, ipsam reprobarit, & contrariam definierit atque determinauerit. Habetque hæc sententia in sacra Scriptura, plurima eaque validissima fundamenta. Tale est illud quod habetur Matthæi 8. & Lucæ 9. vbi dicitur dixisse Christum de se. *Quod vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autẽ hominis, non habet vbi caput suum reclinet.* Sed præterea quod Christus, in initio vitæ suæ, tanquã pauper atque mendicus, & nullius rei habens proprium, mendicarit, ex eodem Euangelio superque satis colligitur, & ex actibus Apostolorũ, & ex epistolis Diui Pauli: multique tradunt Doctores sancti, & maximè contemplatiui (vt supra diximus) quod eleemosynam multoties petijt, atque de eisdem vixit. Ex quibus non incongrue colligitur, quod pro illo saltim tempore ac tali statu, nullius rei habuerit proprium, neque dominium, vt nostra dicit conclusio. Cuius etiam rei manifestissimum est indicium, quia vt dicitur. Matthæi 10. & Lucæ etiam 10. quando prædicare misit suos Apostolos, & Discipulos, misit eos: *Sine baculo, sine pera, sine calceamentis, tanquam veros pauperes,* dixitque illis: *Nolite possidere siue portare, aurum nec argentum, nec pecuniam in Zonis.* Ac innuens illis, qualiter de eleemosynis deberent viuere, subdidit: *In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui, et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos reuertetur. In eadem autem domo, manete edentes et bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Hic appositissimus est locus, ad comprobandam prædictam conclusionem, & insinuandam eximiam paupertatem Christi, & suorum Apostolorum, & Discipulorum, & qualiter per aliquod tempus vitæ suæ, & quatenus fuerunt singulares personæ, nullius rei habuerunt proprium, siue dominium, nec in particulari, nec in communi. Sed nihilominus sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Negari etiam nullatenus potest, quod Christus Dominus, et sancti eius Apostoli atq; Discipuli, aliquando siue per aliquod vitæ suæ tempus, habuerũt aliqued proprium in cõmuni.

IN quantum Christus, & sancti sui Apostoli atque Discipuli, fuerunt personæ publicæ, negari etiam nullatenus potest, quod aliquo tempore, & in quibusdam alijs casibus, siue occasionibus, cum debilibus, infirmis atque imperfectis se conformando, & vt verbis Nicolai Tertij vtar, infirmorum imperfectionibus consentiendo interdum, diuitias & loculos habuerunt, & aliquarum rerum proprium, & dominium, sed in communi. Hæc conclusio est sententia, quam olim mordicus defendit, & determinauit Ioan. XXII. & colligi potest, ex quampluribus Euangelij locis. Sed maximè ex illo Ioannis cap. 12. vbi dicitur: *Iudam eiusdem Christi Discipulum, habuisse loculos, quibus sibi oblata recondebantur, vt exinde postea necessaria emeret.* Quod etiam fertur postea factũ fuisse: *Et Discipulos abijsse in ciuitatem quandam, deserto loco proximam, vt cibos emerent.* Colligitur id præterea, ex eo quod Christus dixit ad Philippum, Ioan. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent isti?* Quæ omnia & plura alia, quę breuitatis gratia omitto, supponere videntur, Christũ Dominũ, & Discipulos suos, interdum siue pro aliquo tempore, habuisse denarios, quibus sibi necessaria emerẽt, & aliquarum rerum dominiũ in cõmuni. Quod & confirmat, id quod in Actibus Apostolorũ habetur, c. 4. vbi

Ioan. 4.

vbi de eisdē Apostolis dicitur: *Quod habebant, atque apud se reseruabāt, ea quæ à primitiuæ Ecclesiæ fidelibus afferebantur, vt in necessitates omnium expenderentur: et quod eorum erat cor vnum et anima vna, neque quispiam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Ex ijs atque alijs breuitatis causa omissis, satis probatur hæc secunda apposita conclusio. Et hoc modo ad pacem atque concordiam possunt reduci, supra positæ duæ opiniones, quæ alias videbantur contrariæ. Sic illas concordat doctissimus olim Cardinalis Turrecremata, lib. 2. suæ Summæ, cap. 122. doctissimus etiam magister Soto lib. 3. de iustitia & iure quæst. 1. art. 1. Illustrissimus & sapientissimus Cardinalis Bellarminus, lib. 4. de Summo Pontifice, cap. 14. Pater Suarez Societatis Iesu, tomo suo 2. in 3. part. quæst. 30. art. 3. disputatione 28. sectione 2. Et hæc breuiter dicta sufficiant, pro hac longissima difficultate & quæstione.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fuerit conueniens, quod in Ecclesia aliqua institueretur Religio, quæ nullum haberet proprium, nec in particulari, neque in communi?

HIC articulus proponitur, ad tractandum de perfectione nostræ Seraphicæ & Apostolicæ Religionis & Minorum fratrum sacro Ordine, qui in paupertate, summum apicē & culmen, præ omnibus alijs Religionibus in Ecclesia tenet. Cui quidem art. vt breuiter satisfaciam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Conueniētissimum fuit, vt in Ecclesia aliqua institueretur Religio, quæ ad perfectā Christi Domini imitationem, non haberet proprium neque in particulari, neque in communi.

CONuenientissimum fuit, multumque rationi consonum, vt in Ecclesia, aliqua institueretur religio, quæ ad perfectam Christi Domini imitationem, nullum haberet in terra proprium, nec in particulari, nec in communi. Hæc conclusio efficacissimo hoc vel solo argumento potest comprobari. Nam cum omnis omnium Religionum perfectio, consistat in perfecta imitatione Christi: Christus etiam Dominus (vt prædiximus in præcedenti articulo) saltim per aliquod vitæ suæ tempus, & vt erat particularis persona, nullum habuerit proprium, nec in particulari nec in communi: liquidum profecto fit, quod ad eundem imitandum atque repræsentandum, cōuenientissimum, & expedientissimum fuerit, vt aliqua in Ecclesia instituereturReligio. Sed probatur præterea eadem conclusio. Quia secundum Aristot. & veram philosophiam, in vno quoque genere, semper datur, debetque dari aliquid, quod supremum teneat apicem & culmen, respectu illorum, quæ reperiuntur in tali genere. Hoc patet exemplo & experientia, comprobarique potest inductione, in omnibus mundi rebus: nam in genere calidorum, datur aliquod supremum calidum, quod est ignis, & idem est iudiciū de alijs. Cum igitur omnes in vniuersum Religiones, conueniant & necessariò habeāt, conuenire, in imitanda Christi paupertate, vt pote quæ essentialis, & intrinseca est omni Religioni, & religioso statui: & absque defectu & diminutione perfectionis, vt dictum est omnes communiter Ordines & Religiones (licèt in communi) proprium habeant & habere possint, ratio ipsa expostulabat, fuitque id quam maximè rationi consonum, vt in hoc paupertatis genere, aliqua instituereturReligio, quæ supremū apicem & culmen teneret: cuius etiam alumni & professores, Christi Domini, & sanctorum Apostolorum, atque Discipulorum eius, paupertatē perfectius imitantes, nihil haberent proprium, neque in particulari, neque in communi. Sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Nostra sacra Minorum fratrum Religio specialiter est instituta à Christo et reuelata B. P. Francisco, ad reparandam conseruandā et memoria retinendam Apostolicam perfectionem

SAcra nostra Minorum fratrum Religio, à Christo Domino specialiter est instituta, & immediatè reuelata Beatissimo Patri nostro Francisco, ad reparandam, conseruandam atque perpetua hominum memoria retinendam, sed maximè in strictissima paupertate, Apostolicam perfectionem. Hæc conclusio expresse constat, ex multis quæ sparsim, diuersis in locis continentur, in nostri sacri Ordinis Chronicis & Monumentis, sed maximè ex illo, quod habetur in solemni officio sanctissimi nostri Patris, per sacram Ecclesiam approbato, & composito à Seraphico Patre nostro D. Bonauentura, quod canitur in solemnitate eius diei festi, in cuius quadam Antiphona, habentur hæc sequentia verba: *Crucis vox hunc alloquetur, ter dicens, tute præpara, vade Francisce, repara domum meam, quæ labitur.* Quæ verba à nostris sanctis Patribus, communiter explicantur, de præcepto, quod Beatissimus Pater noster accepit diuinitus, de reparanda Ecclesia, & instituenda sacra nostra Minorum fratrum Religione, in qua eiusdem alumni & professores, Apostolicam, Euangelicam, eximiamque paupertatem Christi profiterentur, vt vel sic, Ecclesia peccatorum pondere pressa, & perfectio Apostolica, quæ iam vtcunque ab hominum memoria, labi atque obliuioni tradi cœperat, in sacri nostri Ordinis professoribus & alumnis, repararetur & conseruaretur atque perpetua memoria retineretur. Quæ quidem ratione permotus, quidam doctissimus nostræ Religionis Pater, frater Ioannes de Bobadilla, Prouinciæ Castellæ, genere, literis, & Religione illustris, in florentissimo nostro regio Toletano Conuentu, sancti Ioannis Regum nuncupato, anno Domini 1582. in festo sancti Patris nostri, Seraphici Francisci, coram numerosa multitudine hominū & illustrium virorum, ac doctissimorum Doctorum, dicere atque affirmare ausus est, sacram nostram Religionem, specialiter medio Beatissimo Patre nostro Francisco, fuisse à Christo Domino diuinitus reuelatam, ab eoque institutā, eamq; proinde esse, quasi de iure diuino, siquidem institura & fundata fuit, ex Christi Domini speciali reuelatione, autentica & ab Ecclesia Romana approbata. Quibus specialibus reuelationibus, vt tradunt præstantissimi Doctores Theologi, sed maximè Corduba, eiusdem Prouinciæ

uinciæ Caſtellæ, in ſuo Quæſtionario magno, lib. primo quæſt. 44. contraire non licet, imò verò inquit; habent quadam ratione, vim & roburiuris diuini; dummodo ſint approbatæ ab Eccleſia ſub obligatione lethalis noxæ & peccati, vt credantur. Quod quamuis non fuerit expreſſe factum, de præfata Chriſti Domini reuelatione, facta noſtro Seraphico Patri Franciſco, ſat eſt quod in eius ſolemni officio per Eccleſiam approbato, dicatur id ipſum. Quod etiam dicunt, & referunt omnes Summi Pontifices, qui regulam ſacram noſtram, & noſtrum hunc Minorum fratrum Ordinem approbarunt, in eiuſdem confirmatione. Sed maximè ſanctiſſimus pariter atq; doctiſſimus, Nicolaus III. qui hac de re agens, in hæc ſequẽtia verba prorupit, & habẽtur *in cap. exijt qui ſeminat, de verborum ſignificatione in 6.* Hæc inquit Nicolaus Tertius: *Eſt apud Deum & Patrem, munda & immaculata Religio, quæ deſcendens à Patre luminum, per eius ſanctiſſimum Filium, exemplariter & verbaliter, Apoſtolis eſt tradita, ac demum per Spiritum ſanctum Beato Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata, ac proinde totius in ſe, quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Hæc eſt cui atteſtante Paulo, nemo debet eſſe moleſtus, quam Chriſtus paſſionis ſuæ ſtigmatibus confirmauit, inſtitutoremipſius volens, paſſionis ſuæ ſignis notabiliter inſigniri.* Hæc Nicolaus vbi ſupra. Eadem fere verba, dixit Clemens V. in explicatione, approbatione & confirmatione, eiuſdem noſtræ Regulæ, facta in Concilio Vienenſi, & habentur *in Clement. exiui de paradiſo. de verborum ſignificat.* vbi etiam hæc ſacra Religio, vocatur paradiſus ac cœleſtis vitæ forma, & multa alia in eius laudem dicuntur, quæ breuitatis cauſa facio miſſa ex quibus non incongrue, quin verò congruentiſſime colligitur, id quod in noſtra eſt concluſione dictum.

Galat. 1.

Tertia Concluſio.

Fratrum Minorum patrimonium, eſt mẽdicitas, ad imitationem Chriſti Domini, et ſanctorum Apoſtolorum.

MOdus viuendi Minorum fratrum, & portio & hæreditas, qua hæc illuſtriſſima atq; Religioſiſſima familia, nõ ſine diuino numine, in tanta amplitudine, & cum tanto fidelium omniũ fructu atque ædificatione conſeruatur, nutritur, & augetur, eſt proprium pauperum patrimonium, mendicitas qua Chriſtum Dominum, & ipſius Apoſtolos, atque Diſcipulos, in hac eximia & rigoroſa paupertate imitantes, huius diſciplinæ profeſſores & alumni viuunt, abſque eo, quod in terra quidpiam habeant proprium, nec in particulari, neque in communi. Hæc concluſio nulla indiget probatione, ſiquidem experientia ipſa conſtat, & ſatis de ſe patet. Sed quod hoc ſit patrimonium & hæreditas, quam Seraphicus noſter Pater Franciſcus, in ſua regula & teſtamento, quaſi hæreditaria ſucceſſione nobis reliquit, conſtat planiſſime & manifeſtiſſime ex eiſdem: poſt quam in regulæ cap. 6. adeò ſtricte ac firmiter præcepit. *Quod Fratres nihil ſibi appropriẽt, nec domum, nec locum, neque aliquam rem* Quæ verba iuxta Summorum Pontificum expoſitionem, inhibitorium continent præceptum, & intelliguntur de proprio, in particulari, & in communi. Et ſubdit: *Sed tanquam peregrini, et aduenæ in hoc ſeculo, in paupertate, et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter. Neque oportet* (inquit) *eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt* (ait) *illa celſitudo Altiſſimæ paupertatis quæ vos chariſſimos Fratres meos, hæredes et reges regni Cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectiſſimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis.* Verba ſunt expreſſa ſanctiſſimi noſtri Patris Franciſci, deſumpta ex c. 6. noſtræ regulæ. Ex quibus plane colligitur veritas ſupradictæ noſtræ concluſionis, & per hoc fit ſatis ſuprapoſito articulo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm monachi ſiue religioſi, teneantur proprijs manibus laborare, ac de fructu & labore manuum ſuarum victum quærere?

Argumenta quibus inſinuari videtur, quod religioſi tenentur, proprijs manibus laborare.

PRO parte affirmatiua, aliqua ſe ſe offerunt argumenta, & rationes dubitandi, quibus non incongrue id ipſum videtur inſinuari. Et primo, quia monachi, & religioſi, tenẽtur obnixe ſanctos Apoſtolos, & Patres antiquos, pro ſuo poſſe imitari: cum igitur ſancti Apoſtoli & antiqui Patres, ferantur proprijs manibus laboraſſe, & de fructu & labore manuũ ſuarã, multoties aut ſemper vixiſſe: liquidum proinde fieri videtur, quod monachi, & religioſi, etiam nunc teneantur id ipſum facere. Diſcurſus eſt optimus, neque primum ab aliquo poteſt negari, aut in dubium reuocari. Solummodo ſupereſt, vt probemus, Apoſtolos & antiquos Patres, proprijs manibus olim laboraſſe, & de fructu & opere manuum ſuarum vixiſſe. Quod certe aperte clamant, innumera Diui Pauli Apoſtoli teſtimonia; illud præſertim quod habetur 1. ad Theſſalon. c. 4. vbi hac de re agens, inquit: *Operamini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, vt honeſte ambuletis, ad eos qui foris ſunt, et vt nullius aliquid deſideretis* Quæ verba exponens ibi gloſſa inquit: quod opus agendum eſt, & non otiandum, quia hoc inhoneſtum eſt & peccatum, propter infideles, qui ex otioſitate quam plurimum ſcandalizantur. Et ne quis dicere poſſit, hoc eſſe intelligendum de labore ſpirituali, non autem de corporali, audiat Diuum Auguſtinum in lib. de operibus Monachorum, cap. 1. explicantem illa verba eiuſdem Pauli, 2. ad eoſdem Theſſalon. cap. 3. *Si quis non vult operari, non manducet. Dicunt quidam* (inquit Auguſtinus) *hoc Apoſtolum præcepiſſe, de operibus ſpiritualibus, non autem de corporalibus, in quibus agricolæ, et opifices laborant ſed ſuperflue conantur ei ſibi et cæteris caliginem adducere, vt quod viriliter monet charitas, non ſolum facere nolint, ſed neque etiam intelligere. Vult Apoſtolus, ſeruos Dei corporaliter operari, vnde viuant etc.* Et infra cap. 17. de eadem re agens, dicit idem Auguſtinus: *Quid agunt, qui operari corporaliter noluni, ſcire deſidero. Orationibus* (inquiunt) *vacamus, et pſalmis et lectionibus, et verbo Dei,* at quod per iſta non excuſentur, oſtendit diſcur-

discurrendo per singula, & primo de oratione dicit: *Quod citius exauditur vna obedientis oratio, quam decem millium contemptorum.* Illos vocans contemptores, & indignos exaudiri, qui proprijs manibus non laborant. Secundo, de diuinis laudibus, subdit, quod: *cantica diuina cantare, & simul manibus laborare, facile possunt.* Tertio de lectione etiam subiungit: *Quod autem dicunt, se lectioni vacare, nonne illic inuenient, quod præcipit Apostolus? Quæ est ergo ista veritas, lectioni nolle obtemperare, dum volunt ei vacare?* Et tandem quarto, de prædicatione vlterius subiungit: *Si autem alicui sermo eroganduſ est, & ita occupatur, vt manibus operari non valeat, nonne in monasterio omnes hoc possunt? Quando ergo non omnes hoc possunt, cur omnes sub hoc obtentu, vacare volunt?* Verba sunt expressa Diui Augustini, & quidem meo iudicio notatu dignissima, & quam maximè memoriæ commendanda, ex quibus facile licebit colligere, quantum doctor iste sanctus, otiositatem, quorumdam religiosorum exosam habuerit, quantumque voluerit, ac sibi visum fuerit, rationi consonum, quod monachi & religiosi, proprijs manibus laborarent, & non in monasterijs otio vacarent, sed de fructu & labore manuum suarum viuerent, vt adipiscerentur, & consequerentur benedictionem illam, quam pro omnibus sic laborantibus posuit olim Regius Psaltes Psalm. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Quod & confirmari potest, nam vt satis ex Scriptura sacra constat, hoc idem adimpleuerunt Apostoli sancti, in quorum omnium nomine, dixit Diuus Paulus:

1. Corint. 4. *Laboramus operantes manibus nostris.* Hoc etiam fecerunt antiqui Patres, vt fertur in ipsorum vera & autentica historia apud Cassianum, de vitis Patrum. Si igitur id ita est: cur non & idem facere par est nunc omnes nostri temporis religiosos & monachos, quò his sanctis exercitijs dediti, & in eisdem exercitati, hoc vel saltem consequantur vt otiositatem in se occidant, & totaliter extinguant, quæ omnium malorum est radix, & teste Salomone, multa semper mala docuit. Hæc sunt argumenta, quæ pro hac parte adducuntur, seu possunt adduci. Sed his non obstantibus, in contrarium statuitur conclusio.

Conclusio.

Nostri temporis monachi & religiosi, non tenentur proprijs manibus laborare, nisi forsã propter honestatem, aut nisi id habeant ex sua regula, instituto, & professione.

NOstri temporis monachi siue religiosi, nisi id ex suo instituto & regulæ professione specialiter habeant, non alio iure, siue præcepto, quam cæteri seculares, ni forsan propter decentiam, honestatem & bonum exemplum, tenentur proprijs manibus laborare, aut de fructu & manuum suarum labore viuere. Hæc conclusio est expressa D. Thom. 2. 2. quæst. 187. art. 3. vbi de hac re plura, eaque notatu dignissima dicit, & probat eandem, hac speciali ratione. Nam ad præcepta seruanda, quæ communiter omnibus in vniuersum Christianis proponuntur, non alia ratione; sed eodem pene modo, tenentur religiosi & cæteri seculares, nisi id specialiter habeant ex suo instituto, & regulæ suæ professione, aut sicut dictum est ex decentia honestate & congruentia: sed præcepta, si quæ sunt in sacra Pagina, de opere manuali, communiter omnibus proponuntur, neque ibidem specialis fit mentio de religiosis: Ergo nullatenus ipsi tenentur ad idē magis quàm seculares, nisi propter decētiam & cōgruentiam, & propter bonū exemplum, aut nisi id habeant ex suo instituto, & regulæ professione. Ratio quidem est efficacissima, & procul dubio concludit, loquendo de obligatione, quæ sit sub reatu peccati mortalis. Quando autem & quo tempore, sub hoc reatu & obligatione, seculares etiam teneantur proprijs manibus laborare, & ad quid institutus sit labor ipse manualis, quibus etiam rebus inseruiat, multis tradit D. Thomas in articulo supra citato, in corpore; à quibus nunc consultò supersedeo, vt pote quæ non sint præsentis speculationis, & quia si quæ sunt ibidem maiori consideratione digna, afferentur in argumenti in contrarium propositi solutione. Dico igitur ad argumentum, rationes atque auctoritates in contrarium propositas, quod quando testimonia adducta, aliquam ex se inducerent obligationem, adhuc monachi & religiosi, non tenerentur omnes & in vniuersum, proprijs manibus corporaliter laborare, maximè illi, qui vacant studio literarum, lectioni & prædicationi, seu fidelium confessiones audiunt, vel intendunt, occupantur, & exercentur in alijs rebus, quæ tanti sunt & maioris forsan meriti. Vnde ex doctrina eiusdem D. Thom. dico, quod sub nomine manualis operis, intelliguntur communiter, omnia officia humana, ex quibus homines licite victum lucrantur, siue manibus, siue pedibus, siue lingua id ipsum fiat. Nam certè vigiles & cursores, & alij huiusmodi, de suo labore viuentes, etiam dicuntur manibus laborare, & de laboribus manuum suarum viuere. Est enim manus teste Aristotele, organum organorum, & sic per opera manuum intelligitur omnis operatio, in qua quis studiose, & virtuose occupatur, aut de qua licite victum quærit. In hoc sensu loquendo, manibus operatur, inquit D. Thom. qui literis addiscendis dat operam, qui prædicationi incumbit, qui Christi fidelium confessiones audit, qui in Ecclesia & choris canit, qui rem sacram facit, seu in alijs similibus exercitijs occupatur, neque vllo modo sunt otiosi, vel diiudicandi, aut reprehendendi veniunt, ac si essent tales, vt recte tradit Diuus Augustinus, explicans illud Psalmi 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, non* (inquit) *est otiosus qui verbo Dei studet, nec pluris est æstimandus, qui extra operatur, quam qui in studio cognoscendæ veritatis exercetur.* Ex his colligit Diuus Thomas, quod monachi, siue religiosi, non tenentur ad opera manuum, magis quam alij seculares, ij vel maximè, qui in supradictis operibus exercentur & occupantur, nisi forsan (vt pluries iam dictum est) ob honestatē, & propter bonum exemplum, vel nisi id habeant ex suo instituto & regulæ professione. Neque testimonia in contrarium adducta, aliud concludunt, auctoritas enim Diui Augustini, quæ magis premere videtur, intelligenda est, de quibusdam monachis antiquis, qui vt otio vacarent, asserebant non esse licitum religiosis manibus laborare, aut de opere manuum suarum victum quærere,

Quinam dicātur proprijs manibus laborare.

rere, vt pote quibus à Christo Domino dictum erat: *Vt non essent soliciti animæ suæ, quid manducarent*. Non autem loquitur, de illis religiosis, qui
Matthæi. 6. orationi vacant, vel sunt in choro, aut lectionibus & verbo Dei, ad publicam vtilitatem dant operam, sed de aliis, qui tunc temporis erant vagi atque otio dediti, neque in his aut alijs similibus exercitijs, quibus nostri temporis religiosi exercentur, occupati, per quod fit satis proposito articulo.

ARTICVLVS VI.

Quotnam sint in Ecclesia, Ordines siue Religiones Mendicantes?

Religiosorũ, quidam sunt mendicantes, alij verò non mendicantes.

PRo huius tituli intelligentia, non incongrue præmittere libuit, quod omnes in vniuersum regulares, monachi siue religiosi, regularem vitam profitentes, & tria Religionis essentialia & substantialia vota, in Religione aliqua approbata emittentes, vt iam satis ex supradictis constat, in duplici sunt differentia, & bifariam sunt partiti atque diuisi. Nam eorum quidam sunt Mendicantes, alij verò non mendicantes. Et vt inquit Syluester in Summa, *verbo Mendicantes*, tales dicuntur, & præfato insigniuntur nomine, non quidem ab actu mendicandi, quia mendicare etiã possunt, & quandoq; mendicant non mendicantes (sicut & è contrario, ac viceuersa contingit, mendicantes non mendicare) sed ex eo quod secundum suam regulam, seu institutiones suas, non licet eis habere proprium, siue possessiones, aut redditus annuos etiam in communi, vt tenet Panormit. *in cap. nimis el 2. de excess. præla.* & Doctores communiter, *in cap. Religionum, de Reli. Domi. in 6.* Quò fit, vt etiam mendicantes sint bipartiti, nam alij sunt mendicantes ex regula, ij nempe, qui ex suo instituto, & regulę professione, strictam profitentur paupertatem atque mendicitatem, alij verò sunt mendicantes, non quidem ex regula, sed ex suis constitutionibus postea factis, aut ex aliquo priuilegio. Inter quos vt probe notat Marcus Antonius Cucus, clarus Iuris Consultus, Protonotarius Apostolicus, libro 3. suarum maio. inst. tit. 1. de reg. numer. 3. 4. 5. & 6. hoc versatur discriminis; quod illis, quibus ex primæua sua institutione & regula, onus strictæ paupertatis & mendicitatis incumbit, nullo modo licet, quidquam proprium habere, nec in
Mendicantiũ fratrum, quidam sunt ex regula & ex suo instituto, & professione: Alij verò ex priuilegio siue ex suis cõstitutionibus
particulari, neque in communi, neque eis fas est vllo pacto, tale præceptum violare, aut præterire, absque Summi Pontificis expressa dispensatione, & absque eo, quod talia facientes, obseruantium etiam amittant nomen. Illis verò quibus non ex regula, neque ex antiquis ipsorum primordijs, sed ex posterioribus suis constitutionibus, huiusmodi est præceptum impositum, aut id habent ex priuilegio, & ex posterioribus alijs constitutionibus, aut forsan ex longæua consuetudine, vel ex Summorum Pontificum placito, licitum est à talibus constitutionibus recedere, neque eis est interdictum, bona immobilia pro omnibus, inter se habere communia, proprietates, possessiones, & redditus annuos, quamuis omnes, tam isti quam illi, communi mendicantium appellentur nomine, & hoc sint insigniti honore, qui mendicantes sunt ex regula, & ex suo instituto & professione, & qui tales dicuntur non ex regula, sed ex priuilegio: vel ex suis statutis & constitutionibus. Hoc præmisso notabili, quæ ad hunc articulum spectant, sequentes explicabunt conclusiones.

Prima Conclusio.

Olim quatuor erant tã tum, Ordines Mendicãtes.

ORdines & Religiones Mendicantes, quæ ab initio & iam olim Mendicantium sibi vendicarunt nomen, de iure communi antiquo loquendo, quatuor sunt & præcipuæ: nempe Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum. Hæc conclusio, est omnium doctorum communis, & de ipsis in iure sunt plura loca, quibus Mendicantium insigniũtur nomine, & Mendicantes vocantur, quæ longum esset nimis, velle in præsentiarum recensere: ac propterea prætermittuntur.

Secunda Conclusio.

Aliæ sũt nũc Religiones mendicantes, tum ex regula, tum ex priuilegijs.

PRæter Ordines & Religiones supradictas, nunc nouissime sunt & aliæ Religiones mẽdicantes, etiam ex regula, siue constitutionibus; & plures, quæ Mendicantium insigniuntur nomine, ex priuilegijs eisdem concessis, & pro eo quod sibi concessum est, vt mendicare possint. Quænam sint istæ vel illæ, non est meum dijudicare, nec præsentis speculationis, non enim volo, cum aliquo seu aliquibus, super hac re habere quæstionem. Solummodo dico, quod inter hos & illos, hæc versatur differentia (vt dixi in initio huius articuli) quod qui mendicantes sunt ex priuilegio, siue ex constitutionibus postmodum factis, & non ex regula, neque ex suo instituto & professione, habere possunt proprium in communi, & de facto credo, quod illud habent omnes, quæ sunt in Ecclesia hodie. At qui mendicantes sunt ex regula, nullatenus id habere possunt, nisi ex dispensatione. At quidẽ ego hactenus non audiui, quod aliqui sint Mendicantes ex regula, nisi dumtaxat nos fratres Minores. Nam Prædicatores, quamuis Mendicantes sint ab antiquo, & in aliquibus Conuentibus (vt dicitur) proprium non habeant; id tamen habere possunt, & non sibi conuenit ex regula, & ex suo instituto & professione, sed ex constitutionibus postea factis, à Beatissimo Patre Dominico, eiusdem instituti fundatore. Quo fit, vt in Concilio Tridentino, Sessione 25. cap. 3. omnibus in vniuersum fratribus, monasterijs & domibus, tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium, libera concedatur facultas, proprium habendi in communi, nobis exceptis fratribus Minoribus, Capucinis, & ijs, qui de obseruantia nũcupantur, quæ pro isto articulo, & tota hac quæstione, dicta sufficiant.

Ex decreto Concilij Tridentini, omnes religiosi, habere possunt propriũ, exceptis Fratribus Minoribus, Capucinis, & de obseruantia nũcupatis.

(.?.)

QVAEST.

QVAESTIO XII.

De monachis & religiosis claustralibus, seu, vt communiter dicitur, Conuentualibus, & etiam de obseruantibus, in communi, in duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quinam monachi siue religiosi, dicantur Claustrales, atq; Conuentuales?

Prima Conclusio.

Claustrales, siue Conuentuales dicuntur, qui viuũt dispensati in suæ Regulæ Obseruantia.

CLaustrales siue Conuentuales dicuntur, monachi siue religiosi, qui in sua propria cuiusque professione, viuentes non strictè, sed laxe, ab ea defecerunt perfectione & rigore, quo ipsorum religiones sunt fundatæ, neque ad literam proprias suas obseruant regulas, sed illas habent dispensatas, modificatas atq; mitigatas, ex Romanorum Pontificum dispensatione. Hæc conclusio (quidquid sit de nomine) quantum ad rem attinet, credo quod sit vera, & paucis contineat, breuem sed nimis copiosam, monachorum, siue religiosorum Claustralium, siue Conuentualium diffinitionem, seu potius descriptionem. Consulantur hac de re, omnes omnium Religionum Chronicæ & historiæ, faciletque ibidem licebit adinuenire, qualiter omnes in vniuersum Religiones, structæ atque fundatæ fuerint, in magna perfectione & rigore, & in stricta propriæ cuiusque regulæ obseruantia, à qua breui temporis spatio, earum alumni & professores (quæ hominum natura est facilis & semper prona ad malum) deficientes, & non vti par erat, regulas suas strictè, sed laxe nimis obseruantes, Claustrales siue Conuentuales vbique sunt dicti, & nuncupati.

Secunda Conclusio.

In omnibus Ordinibus & Religionibus fuere olim Claustrales & Cõuentuales.

HIusmodi Claustrales, siue Conuentuales, quamuis diuersis temporibus, in omnibus fuerint olim Religionibus, Mendicantibus & nõ Mendicantibus, etiam in ordine D. Benedicti, & Eremitarum sancti Augustini, & apud Cistercienses, & in omnibus alijs, hac de re, non libet quippiam specialiter dicere, quia non in præsentiarũ officium ago Chronici, siue Historiographi. Consulantur, propriæ Religionum omnium chronicæ siue historiæ, vbi videre licebit quo tempore, qua ratione, quibus etiam de causis, ipsarum alumni & professores, laxius cœperint viuere, ac deficere, à stricta suę regulæ obseruantia. Sed specialiter videatur Hieronym. Roman. libro suo 6. de Republica Christiana, cap. 3.

Tertia Conclusio.

Qui dicantur Claustrales siue Conuentuales, in nostro Ordine Fratrũ Minorũ.

IN nostro sacro Minorum fratrum Ordine, Claustrales, siue Conuentuales dicuntur, qui ab antiqua sua perfectione, & regulæ stricta & rigorosa obseruantia deficientes, ex summorum Pontificum dispensatione, & speciali priuilegio, licentiam & facultatem habẽt quod bona immobilia, possessiones, & redditus annuos, studiorũ causa, seu quauis alia ratione, possint habere in communi. Hæc conclusio satis constat, ex prima parte chronicarum nostri sacri Ordinis. Fuit enim, vt omnibus peruium est, sacra nostra Religio, à Beatissimo Patre nostro Francisco, instituta & fundata, in stricta & arctissima paupertate, quam viuente eodem sacro Patre, obseruauerunt eiusdem alumni & professores; sed postmodum, vix trãsacto viginti annorum spatio, ita fuit per totum orbem propagata & dilatata, vt impossibile omnino quibusdam Ordinis Patribus videretur, sustentari posse, aut viuere, absque eo, quod saltim ex Summorum Pontificum dispensatione, proprium aliquod haberent in communi, propter augendũ diuinum cultum, & propter literarum studium, & exercitium; quò etiam Ecclesiam Dei, vtcumque iuuarent, & animabus Christi fidelium consulerent. Sic factum est, vt ab anno 1226. cũ dimidio, quò è vita decessit, atq; ad cælestia translatus est, Beatissimus, Seraphicus Pater noster Franciscus, vsque ad annum 1380. nulla fere esset domus in tota nostra Religione, quæ non iam ex Summorum Pontificum dispensatione, proprium atque diuitias, & prædia possideret in communi. Cœperuntque ædificari, propter multitudinem Fratrum, & ad hoc vt melius dare possent operam literis, desertis prioribus paupercu lis antiquis, aliorum Fratrum habitaculis, magna & magnifica ædificia, & ampla claustra. Qua ratione vt quibusdam placet, eiusmodi Fratres qui talia fecerunt, à magnis Claustris siue Conuentibus, Claustrales siue Conuentuales vulgariter sunt appellati, quod & tunc temporis, pro magno habuerunt honore, tali scilicet, Claustralium siue Conuentualium insigniri nomine. Sicque extat priuilegium quoddam Innocentij Quarti, quod vt dicitur, Assisijs in nostro magno Conuentu, vsque hodie reseruatur, & incipit:

Quo tempore in nostro sacro Ordine, cœpit deficere Obseruantia, & introducta est Claustralitas, siue Conuẽtualiũ status.

Cum tanquam veri & fideles Christi ministri, elegeritis

vobis in domo Domini manſiones, &c. Vbi concedit prædictus Pontifex, præfatis Fratribus Clauſtralibus, tanquam honorificum quoddam, vt ipſorũ domus, Conuentus nuncupentur. Ex quo, vt qui buſdam placet nomen Conuentualium, ſiue clauſtralium ortum & originem habuit. Videatur hac de re Petrus Rudolphus in ſua hiſtoria, quam inſtituit Seraphicæ noſtræ Religionis, lib. 2. in principio. Nam non vacat per tempus, hiſce de rebus plura dicere. Solũ modo dico, quod hi Clauſtrales ſiue Conuẽtuales, circa ſtrictã noſtræ Regulæ paupertatem diſpenſati, iam non reperiuntur in Hiſpania, ſunt tamen plures in Italia, & alijs partibus, & ipſorum quidam præ alijs reformati, de quorum reformatione, & aliorum, agendum erit in ſequenti articulo, loquendo de Fratribus obſeruantibus, & de ſtatu noſtro Regularis obſeruantiæ.

ARTICVLVS II.

Quinam monachi ſiue religioſi, dicantur obſeruantes?

Huic articulo, cum contrariorum, teſte Ariſtotele, eadem ſit diſciplina, facilis erit ſolutio, & reſpondetur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Monachi, ſiue religioſi Obſeruantes, cõmuniter dicũtur, qui ſuã regulam ad literam obſeruant.

OBſeruantes proprie loquendo, dicuntur illi monachi, ſiue religioſi, qui propriam cuiuſque ſuam regulam ad literam obſeruant, ſecundum ſuam verã, literalem & genuinam intelligentiam, abſque vlla prorſus diſpenſatione, mitigatione, ſeu modificatione, ſibi facta; neque ex Summorum Pontificum conceſſione, neque priuilegio, neque aliter. Cõcluſio de ſe patet; nam ex ſuppoſitione, quod Clauſtrales & Obſeruantes, in ſenſu, de quo loquimur, & iuxta ea, quæ in præcedenti articulo ſunt dicta, interſe opponuntur, & relatiuè ſe habent. Etenim ſi Clauſtrales dicuntur, qui ab antiqua ſua perfectione & ſtricta regulæ Obſeruantia, aliqua ex cauſa vtcumque defecerunt, & retroceſſerunt, obſeruantes proinde pari ratione dicentur, qui eandem Regulam ſtrictè obſeruant, & ſuum cuiuſque viuendi modum; quam maximè accommodant, ad antiquam ſuorum Patrum, & inſtitutorum perfectionem. Hoc dixerim non tam ſtando in verbis & nominibus, ſeu nominũ etymologijs, atq; ſignificationibus, quam in realitate & veritate, loquendo ex communi omniũ hominum opinione. Cum quo quidem ſtat, quod inter monachos & religioſos Conuentuales, ſiue Clauſtrales, quam plures in particulari reperiri poſſint, perfectiſſimi atque religioſiſſimi, ſuæ profeſſionis, & regularum ſuarũ ſtudioſiſſimi obſeruatores: & viceuerſa, inter obſeruantes multi, qui inſonitu viridantium glorientur foliorum, & ſolo religioſorum contenti nomine, in particulari ſuo viuendi modo, ample nimis & irreligioſe viuant, multumque ſint relaxati, & deficiẽtes à ſtricta ſuæ regulæ obſeruantia, & antiqua Patrum ſuorum perfectione.

Secunda Concluſio.

Iã omniũ Religionum ſtatus, ad ſuarũ Regularẽ obſeruantiam, reducti vbique ſunt.

HAEC regularis obſeruantia, ſeu obſeruantiũ ſtatus, Dei Optimi Maximi gratia in omnibus iam ordinibus & Religionibus reperitur, etiam in Ordine Diui Benedicti, ſancti Auguſtini, & apud Ciſtercienſes, qui alio nomine Diui Bernardi, nuncupantur, & in omnibus alijs Ordinibus. Nam omnes poſtquam ſemel, atque iterum, ab antiqua ſua perfectione defecerunt, & à ſtricta regularum ſuarum Obſeruantia, multorum perfectorum & grauiſſimorum Patrum diligentia, & induſtria, ad eandem redire compulſi ſunt, & vt id fiat ſemper procuratur in dies: ſed maximè peruigili Chriſtianiſſimorum Regum cura, & Summorum Pontificum ſummo zelo & induſtria. Huius concluſionis veritas, ſed maximè in noſtris Hiſpaniæ partibus ſatis cõſtat experientia ipſa, & hac de re conſulantur omnes propriæ religionum omnium chronicæ, & hiſtoriæ, quæ hoc reformationis & obſeruantiæ argumentum latiſsime ſemper proſequuntur, & de eo multis agunt; quod non eſt in votis in præſentiarum facere, cum non hiſtoriographi officium agam. Videatur ſpecialiter de hac re, iam prænominatus Frater Hieronymus Roman, in 1. par. lib. 6. cap. 3. agens de Republica Chriſtiana, vbi inuenire licebit multa, eaque notatu digniſſima, ad reformationis ſtatum religioſorum omnium ſpectantia. Sed vt de obſeruantia noſtri ſacri Ordinis, aliquid ſpecialiter dicamus, ſtatuitur tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Quo tempore in noſtro ſacro ordine cœperit Obſeruantiũ ſtatus.

CVM noſtri ſacri Ordinis Fratres, à ſua perfectione, & ſtricta ſuæ regulæ puritate, ſed maximè quoad ſtrictæ paupertatis obſeruantiam, vtcumque deficere cœpiſſent, ab anno 1226. vſque ad annum 1380. vel circiter, Diuino fauẽte numine, & ſancto flãte Spiritu factũ eſt, vt eodẽ tẽpore diligentia atque induſtria cuiuſdã Fratris laici, Paulus de Francis nuncupati, & multorum aliorum, qui ſeſe illi formandos, ſiue inſtruendos tradiderunt, ordo & religio noſtra, diuerſis in locis cœperit reformari, & ad priſtinum ſuum ſtatum, & antiquam perfectionẽ reduci, id quod & creuit in dies. Cuius reformationis partes, ad differentiam aliorum fratrum conuentualium ſiue clauſtralium, laxate & cum diſpenſatione viuentium, obſeruantes cœperunt nuncupari. Hæc cõcluſio ſatis conſtat ex noſtris chronicis, ſed qua ratione, quibus de cauſis, quo potiſſimum tempore, quorum induſtria, qualibus auxilijs, id factum fuerit, cum facile poſſem dicere, non libet in præſentiarum recenſere, cum non ſit mei propoſiti, nec præſentis ſpeculationis, & quia ad omnia in particulari, & ſpecialiter dicenda tempus enarrantem deficeret, videantur hac de re, noſtræ hiſtoriæ, atque chronicæ. Hoc tamen nolui præterire, quod quæſtio, quæ verſatur inter noſtri ſacri Ordinis obſeruantes, & eiuſdem Conuentuales ſiue Clauſtrales, qui in Italiæ Regnis degunt, & in alijs partibus mundi, & cum diſpenſatione viuunt, & ex ſummorum Pontificum Priuilegijs, licen-

licentiam & facultatem habent, quò redditus annuos, & proprium habere possint in communi, ut ne sint in conscientia & iusta cum causa dispensati, difficilis admodum atque intricatissima est; de qua videatur doctissimus quidam Doctor Parisiensis, nomine Ioannes Perrinus, ex nostri sacri Ordinis reformatis, cui ipsiusque conclusionibus & assertionibus, satisfacere obnixe est conatus, alius etiam doctissimus Pater, nomine Petrus Rudolfius, ex eiusdem ordinis claustralibus, siue conuentualibus, quibus in locis ad suum cuiusque propositum, vterque plura dicit, eaque notatu dignissima; quæ non etiam libuit in præsentiarum recensere. neque hac in re iudicis officium agere: dicta sufficiant, pro isto articulo & tota quæstione.

QVAESTIO XIII.

De prælatis regularibus in communi, quoad ipsorum omnium iurisdictionem: In sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quonam iure, regulares & religiosi, exempti sint a secularium iudicum iurisdictione? & eadem est difficultas de clericis, & Ecclesiasticis personis.

HIC se offerebat occasio, tractandi de Ecclesiasticis & secularibus iudicibus in communi, atq; vt in dubiũ reuocaremus, quot nam sint iudicum genera & quotuplex iudicandi potestas: penes quid etiam differat, potestas secularis & laica, à spirituali & Ecclesiastica, & an suprema potestas laica, resideat etiam in Romano Pontifice? Sed ab ijs omnibus quæstionibus & difficultatibus, consulto supersedeo, quia de illis latissimè egimus in libro nostro, cui titulus ordinis iudiciarij, & de modo procedendi in causis criminalibus, tam in foro Ecclesiastico, quam seculari agitandis. Eandem ob causam nolo agere, de diuersis speciebus diuersorum iudicum fori, tam Ecclesiastici, quam secularis, & de multis alijs, quę ad hoc propositũ possent adduci, circa iudices & prælatos, tam ordinarios quam extraordinarios, qui communi vocabulo dicuntur delegati. Nam de ijs omnibus, meo quidẽ iudicio, nisi allor, per plura, aut saltim ea, quæ scitu & cognitu visa fuerunt necessaria, luculẽter satis sunt dicta in supradicto libro, vbi per plures quæstiones & articulos, hoc argumẽtũ latissimè tum° prosecuti neq; libet quæ semel ibi dicta sunt, iterũ atque iterum in præsentiarũ repetere, seu quod dicitur hinc inde transcribere. Quod ad meũ præsens attinet propositum, solummodo est, inuestigare & inquirere, quonam iure, viri regulares & religiosi, exempti sint à secularium iudicum iurisdictione? Quæstio sanè celebris atque famosa, scituque dignissima, quæ vt dixi generaliter extendi potest, ad clericos & omnes communiter Ecclesiasticos, & qui tali insigniuntur nomine. Pro qua difficultate, vt in re adeò graui, ac difficili, magis ordinate atque distinctius procedamus, aliqua libuit præmittere fundamẽta. Primo oportet dicamus quidnã sit exẽptio, seu quid importetur exẽptionis nomine: qua de re agunt Doctores iuris periti, super *cap. cum personæ de priuilegijs. lib. 6.* & Syluester *verbo exemptio. 1. nu. 1.* de cuius mẽte & resolutione, Dico, quod exemptio communiter, & generaliter loquendo, est liberatio alicuius, à potestate alterius, cui alias erat iure subiectus, & hoc vniuersaliter, siue potestas sit secularis & laica, siue vero spiritualis & Ecclesiastica. Exemptus vero perinde dicitur, qui tali libertate, & exemptione fruitur, siue potitur, vel qui ex priuilegio aliquo, non subest iudicis ordinarij iurisdi tioni, siue ille sit laicus, siue vero Ecclesiasticus, respecti uè. Videantur hac de re Doctores, Iuris canonici periti, *super prædictum. cap. cum personæ, de priuilegijs, & in cap. 1 an. latione de officio delegati.* Vbi etiam dicunt, quod solus Papa (loquendo de exemptione Ecclesiastica) vel ipsius legatus à latere, potest cognoscere de causis contra exemptos (secus est de alijs legatis) & quod eximere, propriũ est sedis Apostolicæ, & ad solum spectat Romanum Pontificem; Vt habetur, *in cap frater. 16. q. 1. & in c. nunc. vero. 9. q. 3.* Omnia hæc, quam maximè memoriæ comendare oportet. Secundo præmitto, esse etiam certum atque indubitatum, clericos siue Ecclesiasticos, & pari ratione omnes in vniuersum religiosos & Monachos, qui diuino sunt seruitio mancipati, exemptos esse à secularium iudicum iurisdictione, quoad bona, quæ possident, & quoad proprias ipsorum personas, nec vllo modo licere secularibus iudicibus, de ipsorum personis, seu rebus iudicare aut cognoscere. Hoc stabilitum est multorum conciliorum, & summorum Pontificum decretis. *Ca diligenter, de foro competenti, cap. at si clerici. de iudicijs, & cap. 1. cum multis alijs sequentibus. 15. q. 1. & in authentico, statuimus de Episcop & cler.* quin vero, & iura ipsa Cæsarea, hoc etiam multis in locis decernunt, quæ cum facile possem adducere, breuitatis gratia facio missa, nec refero; quia de hoc nemo dubitare

Quid nam sit exemptio, seu quid importetur exemptionis nomine?

Omnes clerici, monachi & religiosi, exempti sunt à secularium iudicum potestate, & iurisdictione.

bitare poteſt. Sed difficultas eſt, quonã iure, hæc clericorum & Eccleſiaſticorum, ſimiliter & religioſorum exemptio, ſit facta à poteſtate, & iuriſdictione ſeculari? An ſcilicet ſit iuris humani, an vero diuini, ita vt nunquam fuerit licitum, Principibus & iudicibus ſecularibus, in clericos & Eccleſiaſticos, & ipſorum temporalia bona, iuriſdictionem exercere. Hac de re eſt magna lis & controuerſia inter Doctores, & communiter feruntur duæ contrariæ opiniones.

Prima opinio aſſerens, clericos ſiue Eccleſiaſticos, diuino iure, à ſecularium iudicum poteſtate, & iuriſdictione, eſſe exemptos,

Prima opinio eſt aſſerentium, clericorum & Eccleſiaſticorũ exemptionem à poteſtate ſeculari & laica, eſſe de iure diuino, & fundãtur in aliquibus ſacræ Scripturæ auctoritatibus, & ſacris canonibus. Ad hoc propoſitum, in primis facere videtur illud, quod dicitur Pſalm. 140. *Nolite tangere Chriſtos meos & in prophetis meis nolite malignari*: Hoc in ſacra pagina, honorifico inſigniuntur nomine atque honorificantur clerici & Eccleſiaſtici (Chriſti) id eſt, vncti, & etiam Reges, & prophetæ interdũ vocãtur. Facit etiã ad hoc, illud quod habetur. Matth. 17. Vbi Chriſtus Dominus, de hac (vt videtur) exemptione atque libertate loquês, dixit, *quod filij, liberi ſunt à poteſtate Regum & à ſoluendo quolibet tributo & cenſu.* Facit *& cap. Imperatores* 11. *q.* 3. *& cap. continua* 11. *q.* 1 *vbi* refertur hac de re, decretum Valentiniani, Theodoſij, & Archadij Imperatorum, quin vero & Conſtantini, aſſerentium & dicentium; clericos ſiue Eccleſiaſticos, à poteſtate ſeculari & laica, iure diuino exẽptos, & liberos eſſe, Et in capitulo; *ſacerdotibus eadem cauſa & quæſtione.* Id ipſum dicitur & multis probatur rationibus. Ad hoc probandum, etiam adduci poteſt, quod in primitiua Eccleſia olim non ſolum clerici, verum etiam omnes in vniuerſum Chriſtiani, non niſi ab eadem Eccleſia iudicabantur; vt innuere videtur Diuus Paulus, in Epiſtola. 1. ad Corinth. c. 6 dicens: *Audet aliquis veſtrum, habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* Vbi obiter annotare libuit, quod ſeculares olim iudices, iniqui; Eccleſiaſtici vero ſancti, ab Apoſtolo fuere nuncupati. Quod pro eo factum credo, nam ita certè eſſe deberet, quod ſancti ipſi forent, alijs non ita exiſtentibus, ſed de hoc alias. Referuntur prædicta verba in iure, *in cap. relatum.* 11. *q.* 1. Propter has cauſas, & ſupra dicta teſtimonia, tenet hanc partem, gloſſa *in cap. ſi Imperator. diſt. 96. verbo diſcuti*, vbi inquit, quod ante omnem humanam conſtitutionem, clerici & Eccleſiaſtici, exempti fuerunt, ab omni iuriſdictione ſeculari, & quod omnes conſtitutiones, quæ poſtea hac de re factæ ſunt & emanarunt, ſtabilientes, vt clerici non iudicentur, niſi ab Epiſcopis: ſolummodo fuerũt iuris diuini declarationes. Eandem ſententiam tenent plures, grauiſſimi iuris Canonici periti; Baldus *in cap. at ſi clerici de iudicijs.* Menchaca de ſucceſ. crea. §. 12. num. 58. Azeuedo *lib. nouæ compil. tit. 3. lib. 6. & alij* multi, quos breuitatis gratia omitto. Videatur hac de re Nauarr. *in cap. nouit. de iudicijs notabili. 6. n. 6. & Bellarminus. 1. to. lib. 1. de poteſtate Papæ. cap. 7.*

Secunda opinio, aſſerens clericorum & Eccleſiaſticorum exẽptionem, à poteſtate ſeculari, eſſe de iure humano.

Sed contrariam ſententiam, tenent alij non minoris ponderis & auctoritatis Doctores, quos refert Couar. *lib. 6. præct. qq. cap. 31. num.* 1. Qui dicunt clericos & Eccleſiaſticos ômnes, ac perinde Monachos & religioſos, exemptos eſſe à poteſtate ſeculari, & ſecularium iudicum iuriſdictione, non quidem diuino iure, ſed humano; quamuis eidem diuino, multum conformi. Hanc ſententiam tenent ex iure peritis innumeri, quos referre pro temporis anguſtia non licet, & ex Theologis D. Thomas, ſuper Epiſtolam ad Romanos, cap. 13. explicans illa verba: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & infra. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et Doctor Medina complutenſis. lib. quem ſcripſit de reſtitutione. quæſt. 5. in principio, & Pater Victoria lib. de poteſtate Papæ, cap. 16. num. 2. cuius ſententiæ & opinionis, hoc eſt potiſſimum, ac principaliſsimum fundamentum: Quod in nulla lege, quæ obliget ſeu obligare poſsit, reperitur talis clericorum, ſeu Eccleſiaſticorum exemptio. Quod ſit probant, quia nõ in lege naturali, cum hoc non ſit de illis primis principijs, quæ dicuntur communes conceptiones per ſe notæ, neque etiam eſt concluſio immediatè ab eiſdem principijs deducta, aut quæ elici & colligi poſſet: Nemo enim niſi lege humana, idipſum fuiſſet præfixum atque definitum, colligeret, clericos & Eccleſiaſticos à ſeculari iuriſdictione exemptos, & liberos eſſe debere: Nec præterea eiuſmodi exemptio, habetur ex lege ſupernaturali Euangelica: nam ea tantum continet, præcepta ſupernaturalia & moralia, quæ ad fidei articulos, & ad ſacramenta pertinent, in qua non reperitur huiuſmodi exemptio, neque aliquis eſt locus ibidem, vnde id neceſſario colligatur. Neque etiam dici poteſt, quod habeatur ex lege antiqua veteri, vbi continentur iudicialia & ceremonialia præcepta: nam illa per paſſionem Chriſti eſt abolita, & extincta, iuxta illud quod dixit Paulus ad Hebr. 7. quod *tranſlato ſacerdotio, neceſſe fuit, vt & legis trãſlatio fieret, & habetur in cap. vnico de purifica. poſt partum*, ergo dicendum eſt, non id eſſe de iure diuino, ſed de humano: quamuis (vt dictum fuit) eidem diuino multũ conformi. Fuit enim (inquiũt) quam maximè rationi atque diuino iuri conſonum, vt clerici & Eccleſiaſtici, honorificarentur, ſummoque à ſecularibus haberentur honore, & conſequenter proinde, quod exciperentur, & eximerentur ab eorũ iuriſdictione. Quod & fecerunt diuino zelo ducti, catholiciſsimi Imperatores, vt conſtat ex toto titulo de ſacroſanctis Eccleſijs, & titulo de Epiſcopis, & clericis, quorum priuilegia refert D. Gregor. *in cap. de perſona. 11. q. 1.* & habentur originaliter in authentico, quod incipit, *Vt clerici apud proprios Epiſcopos*, Vbi dicitur. *Quod ſummi Pontifices, hoc ab Imperatoribus expoſtulârunt, & quodijdẽ diuino zelo, & hac ratione ducti, præfatam exemptionem eiſdem conceſſerunt.* Hoc eſt vnicum atque potiſsimum fundamentum, cui innititur hæc opinio. Sed in hac tanta tantorum virorum, & Doctorum contrarietate, nolo ego iudicis perſonam agere, eoſdem tamen ad pacem, ſiue concordiam, vtcumque reducere curando, quod in hac difficultate, ſaluo meliori iudicio dicendum videtur, explicabitur per ſequentem concluſionem.

Prima

Prima Conclusio.

Clerici & Ecclesiastici quantum ad suas personas attinet, et quantum ad causas vere spirituales, exempti sunt iure diuino, à potestate seculari, sed quoad alia, non nisi iure humano positiuo, at diuino multũ cõformi.

SVpra dictæ duæ opiniones, quæ alias videntur contrariæ, cõcordari & ad pacem possunt reduci: dicendo clericos & religiosos, & Ecclesiasticos omnes, quantũ ad suas personas, & quãtum ad causas verè spirituales, seu ad res spirituales ordinatas, eisdemque annexas, liberos esse & exemptos, à iurisdictione & potestate seculari & laica iure diuino, at vero quantum attinet, ad causas temporales, quæ ex se & ex natura sua, non ordinantur ad aliquid spirituale, seu spirituali annexum, non iure diuino, sed humano & positiuo, at diuino multũ conformi. Hæc resolutio est grauissimorum Doctorum, quos breuitatis gratia referre prętermitto, habetque quam maximum fundamentum in iure. Facit ad hoc in primis *cap. cum ad verum, & cap. duo sunt dist. 96. et cap. solitæ de maiori. et obedientia.* Videatur hac de re Nauarr. *in cap. nouit de iudicijs*, notabili 6. num. 6. & Couarruu. libro practicarum quæstionum cap. 31. nume. 2. Potuit autem summus Pontifex, vtpote cui à Christo Domino, data est generalis & vniuersalis potestas, regendi atque gubernandi totam Ecclesiã, iure optimo, huiusmodi clericos & Ecclesiasticos, à secularium iudicum potestate & iurisdictione, excipere & liberare, atq; eximere & exẽptos & liberos ab eisdẽ esse declarare, & quod hoc etiam ipsi Christianissimi Imperatores facerent, quam maximè extitit rationi consonum. Primo, vt non Ecclesiastica & sacerdotalis dignitas, quã laicos oportebat venerari & summa reuerentia habere, exinde præ nimia consuetudine, fortassis quandoque vile fieret ac paruifieret. Secundo vt ne clerici & Ecclesiastici, qui animarum erãt parentes & magistri, à filijs siue discipulis, dijudicarentur, quod esse etiam videbatur cõtra omnem prorsus rationem. Et tandem tertio, vt ne ministri Ecclesiæ, & qui diuino erant seruitio mancipati, quos solũmodo Deo atque diuinis rebus vacare oportebat, apud seculares iudices, & tribunalia secularia vagarentur, & prophanis iudicijs obstricti, per potestates seculares à diuinis quandoque ministerijs alienarentur. hæc pro isto articulo, sic breuiter dicta sufficiant.

ARTICVLVS II.

Quonam iure, prælati regulares & religiosi, sint exempti ab Episcoporum, & aliorum prælatorum ordinariorum iurisdictione?

Prima Conclusio

Stando in re cõmuni antiquo, omnes monachi et religiosi, erant subditi Episcopis, intra quorum dioecesim sita erant ipsorum monasteria.

STando in iure communi antiquo, omnes olim monachi & religiosi, erant subditi & subiecti Episcopis, intra quorum dioecesim sita, atque cõstructa erant eorum monasteria. Hæc conclusio est certissima, & apud omnes compertissima. Et constat ex multis sacris canonibus, & concilijs. Ex concilio Toletano 3. ca. 5. & Toletano 4. c. 50. Ex Concilio Chalcedonensi, cap. 3. & 8. ex Concilio Aureliano, 1. cap. 21. & Arausicano cap. 6. & habetur *in cap. Monasteria, 10 q. 5. & in cap qui vere, cum alijs multis sequentib. 16. q. 1. & in c. 18. q. 2. per totam & in cap. viduitatis. 26. q. 1.* De re vidẽdus est Panor. & Innoc. *in c. porrectum, de Regul.* & Nau. *in cap. nullam.* 18 q. 2. n. 3. & lib. 1. Consiliorum Consilio. 8. num. 4. Itaque Episcopi illo tempore, in propria cuiusque dioecesi, erant quasi generales, & prælati ordinarij, omnium Monachorum atque religiosorum quoad omnia. Nam admittebant cõuersos in monasterijs ad professionem, vt constat ex Concilio Arausicano c. 27. & habetur *in præallegato. c. viduitatis. 27. q. 1.* item creabant Abbates pro monasterijs; & ex causa deponebant illos, vt constat *Ex cap. si quis Abbas. 18. q. 2.* Quo stante, prima Monachorum institutio, nihil omnino detrahebat Episcoporum iurisdictioni, vt tradit Marsilius de red. Eccles. 2. par. cap. 17. sed in omnibus & per omnia, Monachi & religiosi, eisdem erant subiecti. Hoc intelligẽdum est loquendo de iure communi antiquo: sed loquendo de iure nouo, speciali & particulari priuilegio, sit secunda conclusio.

quorũ dioecesim sita erant ipsorum monasteria.

Secunda Conclusio.

Loquendo de iure nouo speciali, et particulari priuilegio, iam omnes Monachi et religiosi, exempti sunt ab Episcoporum iurisdic.

LOquendo de iure nouo speciali & particulari priuilegio, iam nunc omnes Monachi & religiosi, exempti sunt, ab Episcoporum iurisdictione, nisi forsan, in certis quibusdam casibus, de quibus infra suo proprio loco, specialem faciemus mentionem. Hæc conclusio est etiam certa, nam licet (vt dictum est,) stando in iure communi antiquo, omnes Monachi, & religiosi subiecti olim fuerint Episcoporum, & prælatorum Ecclesiastico ordinariorum iurisdictioni, postea tamẽ procedente tempore, multa eisdem summi Pontifices Romani, concesserunt priuilegia, & inter alia, hoc quod est præcipuum, quod exempti essent, ab Episcoporum & aliorum prælatorum ordinariorum iurisdictione. Qua de re videatur, D. Antoninus. 3. par. suæ historiæ Ecclesiasticæ, titu. 16. c. 9. §. 2. & Panorm. *in cap. nimis el 2. de iure iurando.* Qui hac in re primus legitur, hanc exemptionem & libertatem, Monachis præstitisse, fuit S. Gregor. primus, alio nomine Magnus nuncupatus, vnus ex quatuor Ecclesiæ Doctoribus, qui fuit ordinis D. Benedicti. Hic cum præesset Ecclesiæ Romanæ, anno Domini 590. primitus eundem ordinem, auctoritate Apostolica confirmauit, vt tradit Illescas. 1. par. suæ historiæ Pontificalis libro 4. cap. 1. & tunc temporis exẽptionis priuilegium concessit eidem ordini, ab Episcopis & alijs ordinarijs, vt constat *ex cap. quam sit necessarium* 18. *q.* 2. quod decretum factum est in Concilio Lateranensi, pro quiete Monachorum, vt ibidem dicitur. Hoc fuit primum priuilegium, concessum pro exemptione & libertate Monachorum, quod quidem tempore procedente, alijs etiam summi Pontifices, cum alijs Religionibus fecerũt, prout videre licebit, in cuiusuis ordinis monumẽtis & suis priuilegijs. Nã omnes ex summorũ Pontificũ benignitate, exemptionis priuilegia ab eisdem impetrarunt, quin vero, vt rectè docet Magister Bañez. 2. 2. q. 1. ar. 10. Dubio 8. concluſ. 6. eo ipso, quo

Qui primus Pontifex, exemerit religiosos ab Episcoporum iurisdict.

quo aliquis ſummus Pontifex approbat, ſiue cõfirmat aliquam Religionem, conſequenter tribuit auctoritatem eiuſdem Prælatis, ſeipſos & omnes ſibi ſubditos regendi & gubernandi, & quod omnes eiuſdem alumni & profeſſores ſint ſubditi & ſubiecti eorum poteſtati & ditioni. Hac de re & de hac monachorum, & religioſorũ exemptione, ab Epiſcopis, & alijs ordinarijs prælatis, nulli eſt aut eſſe poteſt dubium, cum citra ipſum res omnibus cõpertiſſima ſit. Qua ratione nunc ijdem Monachi & religioſi, in iure communiter, ſed præſertim in Concilio Tridentino, paſſim vocantur exempti. De qua exemptione, ſpecialiter eſt videndus Nauarrus *in cap. non dicatis num. 63. & in cap. nullã 18. q. 2. num. 40. et ſequentibus*, in quo quidem capitulo, ſpecialiter fit mentio, de ordinaria iuriſdictione, quam habent Monachorum & religioſorum prælati, in ſuos ſubditos. In cuius finalibus verbis poſt alia quæ ſequũtur hæc habentur expreſſa verba, quod *Tota poteſtas Monaſterij, ad Abbatem pertinet.* Sed an ſummi Pontifices id iure potuerint efficere, & Monachos atque religioſos, ab Epiſcoporum & aliorũ prælatorum ordinariorum iuriſdictione eximere & liberare, dubitari à multis ſolet? A qua ego cõtrouerſia & diſputatione pro nunc conſultò abſtineo & pro illius vera reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Tertia Concluſio.

Iure optimo Põtifices ſummi, Monachos ſiue religioſos, excipere atque eximere potuerũt, ab Epiſcoporum iuriſdictione.

CErtiſſimum eſt & vt indubitabile tenendum, quod ſummi Pontifices optimo iure potuerunt, Monachos ſiue religioſos excipere atque eximere, ab Epiſcoporum, & Prælatorum ordinariorum iuriſdictione. Hæc concluſio, ab omnibus tenetur vnanimiter Doctoribus, & ad eam comprobandam facit in primis illud, quod habetur, *in cap. decimas. 16. q. 1.* vbi Monachi, & Canonici regulares, exempti ſunt à decimarum ſolutione, auctoritate ſummi Pontificis, Paſchalis ſecundi. Facit etiam illud, quod habetur, *cap. frater noſter. eadem cauſa, et q.* Eadem auctoritate, quidam Adrianus Thebanæ ciuitatis Epiſcopus, à iuriſdictione cuiuſdã Archiepiſcopi eſt exẽptus, & liberatus, iuſtis quibuſdãde cauſis, in eodẽ capitulo expreſſis, in cui⁹ ſummario inquit Gratianus, quod Apoſtolica authoritas, bene valet Epiſcopos, à iuriſdictione Archiepiſcoporum eximere. Eadem igitur ratione, potuerunt Romani Pontifices, Monachos & religioſos, iuſtis exiſtentibus cauſis, ſuprema ſua auctoritate, ab Epiſcoporum & aliorũ prælatorum ordinariorum, iuriſdictione & poteſtate liberare. Quod & præterea probari poteſt, hoc efficaciſſimo argumento, & ratione. Nam certum eſt, idque firma fide tenendum, quod ſummus Pontifex, eſt ſucceſſor Diui Petri, cui à Chriſto Domino totius eſt Eccleſiæ cura demandata, vt conſtat Ex Euangelio, in illis verbis Matt. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in cœlis*, cui etiam ſpecialiter præalijs Apoſtolis, dixit idem Chriſtus Ioan. 21. *paſce oues meas.* Vnde fit quod ſummus Romanus Pontifex, in terra eſt totius Eccleſiæ caput, & Paſtor ſupremus & vniuerſalis totius Eccleſiaſtici ordinis, ex quo tota Eccleſiaſtica, ſpiritualis iuriſdictio, atque poteſtas dimanat, & deriuatur in alios, miro quodam Hierarchico ordine, vt habetur expreſſè; *in cap. ita Dominus. 19. diſt.* ſi igitur id ita eſt, qua ratione negari vllo modo poterit, quod iuſtis exiſtentibus cauſis, potuerit Romanus Pontifex, ſicut & de facto, quam plures id ipſum fecerunt, Monachos ſiue religioſos qui in omnibus & per omnia ſibi ſunt ſubditi, & ſubiecti, quorum omnium etiam ipſe eſt vniuerſalis, & generalis ordinarius prælatus, eximere & liberare ab Epiſcoporum, & aliorum prælatorum, ordinariorum iuriſdictione, faciendo & ordinando, vt immediate ſibi eſſent ſubiecti, & reſeruando ipſos plenitudini ſuæ poteſtatis, eo modo, quo etiam de facto in iure, multoties reſeruãt ijdẽ Sũmi Põtifices ſibi caſus & cauſas graiores? Hoc certè nullo modo negari poteſt. Nã ſi caſus & cauſas, cur non & perſonas, etiam ſibi ex ſpeciali priuilegio reſeruare poterunt, atque immediatè ſibi ſubijcere, inhibendo Epiſcopos, & alios ordinarios, ne de cauſis, perſonis, ſiue negotijs eorundem Monachorũ & religioſorum cognoſcerent, & priuando ipſos vſu iuriſdictionis, quam alias in eoſdem habebant de iure communi? Non hac de re vlli eſſe poteſt dubium. Sed de cauſis & rationibus, quæ ad id ipſum faciendum & ordinandũ, extiterunt, nolo multis in præſentiarum agere. Quidam dicunt id factum fuiſſe in pœnam, pro eo quod Epiſcopi, & alij ordinarij prælati, monachos ſiue religioſos, quos alias oportebat ſumma reuerẽtia habere, atq; ſummopere diligere, vtpote qui diuino munere dati ſibi fuerãt in coadiutores ad eoſdẽ adiuuãdos, & ſubleuandos, & vt ſuarũ ouiũ ſaluti cõſulerent, exoſos interdũ habebant, & iniurias illis aliquas irrogabant, atq; inuitos ad ſua tribunalia ſæpiſſimè pertrahebant. Sed non eſt in præſentiarum mei muneris aut propoſiti, de huiuſmodi cauſis tractare, nec vero neceſſe eſt, ad culpam ſiue pœnam recurrere, vt dicamus Epiſcopos, & alios prælatos ordinarios iuſte, priuatos fuiſſe, ſupradicta iuriſdictione, cũ ad id faciendũ, ſuperq; ſatis fuerit ipſa Romanorũ ſummorũ Pontificũ voluntas, & ſedis Apoſtolicę ſumma atq; ſuprema poteſtas. Neque cauſæ innumeræ deficiebãt à prædictis. Sufficiebat enim, eorundẽ Monachorũ atq; religioſorum dignitas, & reuerentia, quæ ſibi debebatur, & vtilitas quã maxima, quã ex ſancta ſua, vita, religioſa, bona cõuerſatione, exẽplo, & ſingulari doctrina, atq; ex multis alijs, omni ſemper tẽpore cõſecuta eſt Eccleſia; quò honorificarẽtur hoc exemptionis priuilegio, exemptio enim, vt ait Baldus, ad honorem, fauorem & dignitatem pertinet. Vnde ſicuti nobiles, ex ſpeciali priuilegio honorario titulo, per Principes á tributis eximuntur: ita Monachi & religioſi in honorem ſuarum perſonarum, & earundem Religionum fauorem, eximi potuerunt, ob ordinaria Epiſcoporum & aliorum prælatorum iuriſdictione: expediebatque idipſum vt fieret à ſummis Pontifici-

De cauſis, quæ mouere potuerũt Põtifices ad eximendum religioſos ab Epiſcoporum iuriſdictione.

tificibus & afficerentur ipſi, perpetuo hoc exemptionis honore.

ARTICVLVS III.

An prælatorum regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos, dicenda ſit ordinaria, an vero delegata?

PRO huius articuli intelligentia præmitto, quòd in iure, iudex ordinarius dicitur, qui beneficio legis ſuam exercet auctoritatem, iuxta gloſſam *in cap. cum ab Eccleſiarum. de offic. iud ord.* Delegatus vero, qui illam habet, non beneficio legis, ſed ex alterius commiſſione, cuius vices gerit, *per leg. 1. ff. de offic. eius, cui demandata eſt; & rubrica de offi. iudi. delegat.* hoc ſuppoſito, quæritur, quænam horum ſit prælatorum regularium iuriſdictio. A qua difficultate breuiter me expediam, cum ea de re plura dixerim, longumque habuerim ſermonem, in libro noſtro ordinis iudiciarij. q. 2. a. 5. vbi hoc ipſum in quæſtionem atque controuerſiam adduxi, agẽdo de Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, in proprias cuiuſque diœceſes iuriſdictione. An ſcilicet dicenda eſſet ordinaria, an vero ſubdelegata. Recolantur, quæ ibidem à nobis ſunt dicta; nam & ex eorum reſolutione, propoſitæ huius difficultatis dependet reſolutio. Eſt enim de ſimilibus, iuxta præſcriptã iuris Regulam, ſimile iudicium, & prælatorum regularium iuriſdictio (Generalium, ſiue Prouincialium, quam maximè) eſt ſimilis, iuriſdictioni Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, nam etiam Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem ipſi, in iure iuriſdictionem dicuntur habere, vt latius infra dicemus. Omiſſis igitur ijs, & alijs, non enim libet eadem repetere, ſeu quod dicitur, hinc inde tranſcribere: vt propoſitæ difficultati ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Iuriſdictio prælatorum regularium, eſt ordinaria, & non delegata.

IVriſdictio prælatorum regularium, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentium, nempe generalium & prouincialium, omni proculdubio, dicenda eſt ordinaria, & non delegata. Hæc concluſio apponitur ſpecialiter, propter prædictos prælatos generales, & prouinciales, qui præfatam iuriſdictionẽ Epiſcopalẽ, vel quaſi Epiſcopalẽ dicũtur habere; nã de alijs inferioribus, infra ſuo proprio loco, particularẽ faciemus mẽtionẽ. Sed quod propoſita cõcluſio, ſic explicata vera ſit, exinde cõſtare poteſt: Quia huiuſmodi Generales & Prouinciales, vt cõmunis tenet opinio, & nos infra latius dicemus, vere ſunt Eccleſiæ Prælati, & in iure prælatorũ ſemper inſigniuntur nomine, quorum etiam iuriſdictio, vt decernunt multa iura, per quam ſimilis eſt iuriſdictioni Epiſcoporum & Archiepiſcoporum, vt conſtat ex, *cap. abbas. de priuil. lib. 6. in fine, & ibi gloſſa. Item ex gloſſa in Clement. 1. de rebus Eccleſiæ non alienand. verbo proprij.* Vbi & ad hoc propoſitum, plura etiam adducuntur iura. Quod & tradunt communiter Doctores, iuris canonici periti, dicunturque ipſi iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habere. Si igitur iuriſdictio Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, vt latè demonſtrauimus in libro noſtro ordinis iudiciarij. q. 2. articu. 8. ordinaria eſt & non delegata, ergo id ipſum dicendum erit, de huiuſmodi prælatis regularibus, generalibus ſeu prouincialibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus, neque hoc vllo pacto, aut ratione, in dubium ſiue controuerſiam poteſt adduci. Confirmatur prædicta concluſio, à diffinitione iuriſdictionis ordinariæ, ſuperius poſitæ, nã cũ eorum iuriſdictio competat eis ex beneficio legis, & nõ ex commiſſione dicẽda eſt ordinaria, & non ſubdelegata. Quod præmiſſum eſt, probatur ex decreto Pelagij Papæ, *in cap. nullam. 18. q. 1.* vbi dicit, quod in Religionibus tota iuriſdictio, pertinet ad Abbatem, vbi nomine Abbatis, omnes in vniuerſum intelliguntur prælati, maximè iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habentes.

Sed confirmatur præterea prædicta concluſio, alia ſpeciali ratione. Nam quamuis præfatorum prælatorum regularium iuriſdictio, non ſibi competeret ex iure diuino, ſed ſolummodo ex Papali humano, quod non eſt certum, imo contrariũ probabile multũ à pluribus exiſtimatur, adhuc tamẽ dico, quod illa eſſet dicẽda ordinaria, & non delegata, cum iuxta iuris præſcriptam Regulam, ſibi competat ex commiſſione perpetua, & non temporali, determinata ad certum aliquod & determinatum tempus. Quod autem iuriſdictio, cõpetens alicui ſeu aliquibus, ex commiſſione perpetua, & non temporali, dicenda ſit ordinaria & non delegata, communis eſt omnium Doctorum reſolutio. Ad quod faciunt, multa iura tradita, per Bart. *in l. 1. §. ſi plures. ff. de exer. act.* & Bald. *in l. vnica. ff. de officijs, & gloſ. in l. pluribus. ff. de procur. & gloſ. in cap. fin. de offic. ordin, ibi cum cõceſſum ſit in priuilegium perpetuum.* Quam etiam ſententiam tenet Panormit. *in cap. quoniam de offic. deleg. §. cæterum, num. 1.* & Nauar. *in Manual. cap. 27. nu. 42.* Neque aliquid eſt in contrarium, ob quod ſuprapoſitæ concluſionis veritas, in dubium debeat, aut poſſit in reuocari. Tandem dico, quod prædicta noſtra concluſio expreſſè eſt determinata, in quodam concilio Salmanticenſi, celebrato anno 1565. ſub Illuſtriſſimo Domino Domino, Gaſpare Aſtunigade Auellaneda, Archiepiſcopo olim Compoſtellano, vt refertur in lib. cui titulus: Manipulus fratrum, vbi dicitur, quod cum hæc difficultas fuiſſet propoſita, corã Patribus congregatis, in præfato concilio, an ſcilicet Prælatorũ regularium iuriſdictio, in ſuos ſubditos, ordinaria eſſet, an vero delegata: ſummo omnium conſenſu, decretum atque determinatum fuit, eam non eſſe tantum delegatam, ſed ordinariam, quin vero, & iure diuino ipſis tradita. Sed hoc vltimum, maiori indiget inueſtigatione. de quo ſequens inſtituetur articulus.

ART.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm aliqua ratione ſuſtineri poſsit, quod Prælatorum Regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos, ſit diuina & competat eis etiam de iure Diuino, & non ſolum ex Papali humano?

HAEC difficultas proponitur, magis exercitij & exercendi ingenij gratia, quam vt quidquam firmiter teneatur: ſeu de hoc certa atque indubitabilis ſit noſtra reſolutio: ad proponenda etiam cuiuſdam probabilis opinionis, præclariſſimorum atq; grauiſſimorum, antiquorum Doctorum fundamẽta, aſſerentium, Prælatorum Regularium iuriſdictionem eſſe Diuinam, ſibique competere de iure Diuino, & non ſolum ex Papali humano. Hanc ſententiam tenuit olim, Doctiſſimus pariter atq; grauiſſimus Pater, Frater Michael de Medina Complutenſis, prouinciæ Caſtellæ, noſtræ huius Religionis magnum decus & ornamentum, quam & ſcriptam reliquit lib. ſuo de indulgentijs; cap. 24. vbi & dicit, eandem fuiſſe grauiſſimorum Doctorum placitum. Et reuera quamuis certiſsimè tenendum ſit, quod prælatorum omnium regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos, competat eis de iure humano, & ex benignitate, & gratia Romanorum Põtificum, qui quidem (vt ſupra diximus) ex iuſtiſſimis cauſis, eoſdem ſuæ ditioni & poteſtati immediatè ſubiecerunt, eximendo illos à iuriſdictione Epiſcoporũ, quibus antea oẽs Religioſi, ſubditi atq; ſubiecti erant de iure communi antiquo, nihil tamen inconuenit, vt dicamus ſimul, quod etiam competat eis, de iure diuino, & quod quadam ratione ſit diuina præfatorum Prælatorum Regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos. Pro cuius maiori elucidatione, & propoſiti articuli reſolutione; ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Probabile eſt, quod Prælatorum regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos, ſit diuina & competat etiã de iure Diuino, et non ſolum ex Papali humano.

NIMIS probabiliter dici & ſuſtineri poteſt, quod Prelatorum Regularium iuriſdictio, in ſuos ſubditos, cõpetat etiã eis de iure Diuino, & non ſolum ex Papali humano. Hanc ſententiam, præter præfatum Michaelem de Medina, tenuit etiam olim, alius noſtræ Religionis grauiſſimus Pater, Frater Ioãnes de Bobadilla (de quo ſupra) Prouincialis dictæ Prouinciæ Caſtellæ: Vir genere, literis & Religione Illuſtris, quam & dicebat eſſe doctiſſimi Magiſtri Soti lib. 10. de iuſtitia, & iure, q. 1. ar. 4. & lib. 8. quæſt. 3. art. 1. & ſapientiſſimi Patris Fratris Franciſci de Victoria, in ſua relectione de poteſtate Eccleſiaſtica, quæſt. 2. num. 28. Doctiſſimi etiam Patris Fratris Ildefonſi de Caſtro, lib. 2. de iuſta Hæreticorum punitione, ca. 24. & contra Hæreſes *verbo Epiſcopus*. Qui quidem omnes affirmanter dicunt, quod ſubiectio religioſorum ad ſuos prælatos, quamuis vere ſit de iure Papali humano, & dependeat à ſummo Pontifice, quia re vera, ſine ipſius miniſterio & interuentione, præfati prælati regulares, nullam haberent iuriſdictionem, eo tamen non obſtante; dicunt ſupradicti Doctores, quod etiam eſt de iure Diuino, & Diuino iure ipſis tradita, cum vere ſint Eccleſiæ prælati, & proprias oues habeant ex Diuino placito atque diuina inſtitutione, quas regere & gubernare, vt de ſe patet, haud quaquam poſſent, ſine præfata iuriſdictione. Ad probandã & confirmandam, præfatã cõcluſionem, quã maximè faciunt, omnia ea quæ in noſtro Ordine iudiciario quæſt. 2. ar. 5. latè, & fuſe diximus, circa Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum iuriſdictionem. Vbi eandem etiam, diuinam eſſe affirmauimus atque commõſtrauimus; nec ſolum ſibi competere de iure papali humano, vtriuſque enim fundamenta ſunt eadem. Sed vt breuiter aliquid ex ibidem allatis modo dicamus, certũ eſt, quod Chriſtus Dominus Matth. 18. in illis verbis. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo.* Non cum ſolo D. Petro eſt locutus, aut cum ſolo ſummo Pontifice, eiuſdem D. Petri ſucceſſore, qui & in terris eiuſdem vicẽ gerit, ſed generaliter atque in vniuerſum, cum omnibus Apoſtolis, ac proinde cum Epiſcopis eorundem ſucceſſoribus: vt quam latiſſimè tradit & probat, Doctiſsimus Roffenſis, art. 9. contra Lutherum: vbi conſtantiſsimè dicit traditam ibi fuiſſe à Chriſto, Apoſtolis & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, ſpiritualem iuriſdictionem in vtroq; foro. Quod etiam doctiſſimè, & elegantiſſimè probat Soto, in quarto diſt. 20. q. 1. ar. 2. & multi alij, quos breuitatis gratia omitto. Dicendum igitur eſt, quod Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum iuriſdictio, in proprias cuiuſque Diœceſes, non tãtum eſt humana, aut competit eis ſolummodo de iure Papali humano, vtpote ſibi conceſſa à ſummo Pontifice; verum etiam & diuina, competens eis de iure Diuino, immediatè à Chriſto Domino ſibi commiſſa atque conceſſa, pro eo, quod futuri erant ſuæ eccleſiæ prælati, & paſtores, & rationem ſuorum officiorũ. Idem ergo dicendum eſt, applicando prædicta ad noſtrum propoſitum, de prælatis regularibus, epiſcopalem, vel quaſi epiſcopalem iuriſdictionem habentibus, & quod ipſorum iuriſdictio, eadem ratione ſit etiam diuina & competens eis de iure diuino. Conſequentia inde tenet: nã vt habetur iniure: de ſimilibus, ſimile eſt iudicium. His omnibus alia accedit ratio, & ea eſt, quod Religionis ſtatus, non ſicut docebat Lutherus, & alij multi Hæretici, perperam exiſtimarũt, penſandum eſt, quod fuerit aliquod ſomnium, ſeu aliquod humanum inuentum. Imo vero, vt ex multis conſtat, & tradunt Doctores grauiſſimi, & eminentiſſimi, Diuina eſt traditio, & ſpecialis quidam ſtatus, immediatè à Chriſto Domino inſtitutus, qui quidem vt de ſe patet, regi & gubernari minime poſſet, ſine proprijs, & competentibus ſibi prælatis. Cùm igitur hoc ita ſit, ac iuxta ſententiam Philoſophi, qui dat formam, dat etiam conſequentia ad formam, conſequens eſſe videtur, quod Chriſtus Dominus, qui voluit Religionis ſtatum in ec-

in eccleſia eſſe, voluit perinde Religioſos prædictos, paſtores & prælatos proprios, & ſibi competentes habere, eiſdéque ad immediatè gubernandos atque regendos proprios ſubditos, diuinitus iuriſdictionem conceſſit, ita quod non ſolummodo ſit ipſorum iuriſdictio humana, & à ſolo Summo Pontifice ſibi delegata, verum etiam diuina, à Chriſto eiſdem immediatè conceſſa, qua ratione ſunt prælati, competens illis ratione ſuorum officiorum. Hæc dicuntur nimis probabiliter, & vt videtur, ſine cuiuſpiam iniuria ſuſtineri poſſunt. Neque inconuenit, aut alicuius momenti eſt, quod à quibuſdam in contrarium adducitur, nempe, quod præfata iuriſdictio prælatorum Regularium, ſibi competat ex benignitate, priuilegijs, & conceſſionibus ſpecialibus, Romanorum Pontificum, qui exceperunt eos à iuriſdictione Epiſcoporum, quibus olim ſubditi, atque ſubiecti erant de iure antiquo, vt conſtat ex aliquibus iuribus, & innumeris priuilegijs, quæ ad hoc adducuntur: nam bene ſtat, quod vnum & idem, competat alicui pluribus titulis. Vnde & dici poteſt, quod prælatorum regularium iuriſdictio, ſimul competit eis, de iure Papali humano, & etiam de iure diuino, aut ſaltem eidem multum conformi. Non enim expediebat aut rationi erat conſonum, quod religioſi, alienos à ſe & à ſua profeſsione paſtores, & prælatos habuiſſent: quin vero oportebat quam maximè, prælatos & ſuperiores habere, eiuſdem profeſſionis, & inſtituti. Qua quidem ratione, in Concilio Viennenſi, *in Clementina prima de electione*, habetur, prohibitum fuiſſe olim, quod monachi alterius Ordinis, & ſeculares clerici, regularibus, ſiue religioſis, præficerẽtur. Verba ſupradicti Clementis V. libet referre, quia notatu ſunt digniſſima. *Cum rationi non congruat, quod homines diſparis profeſſionis vel habitus, ſimul ſocientur in eiſdem miniſterijs, firmiter prohibemus, ne religioſus aliquis alterius Religionis, vel habitus, de cætero in prælatum eligatur, & multo minus ſecularis.* Quod etiam expreſſe determinauit Innocentius Tertius, *in capitulo contracauſam, de electione*, vbi & dicit, id eſſe contra legem diuinam, & veluti ſimul arare in boue, & aſino: quæ verba explicans gloſſa ibi, inquit: Quod arare ſimul in boue, & aſino, nihil eſt aliud, quam homines diſparis, ſiue diuerſæ profeſſionis, in vno, & eodem officio, ſiue profeſſione ſociare. Hoc idem habetur *in capitulo. in noua. 16. quæſtio. 7.* Vbi ait D. Iſidorus, *quod in vno, & eodem officio, non eſſe debet diſpar profeſsio, cum lege diuina prohibente, & Moyſe dicente, ſcriptum ſit, Non ſimul arabis, in boue, & aſino, ideſt, homines diſparis, & diuerſæ profeſsionis, non in vno & eodem officio ſociabis.* Quæ omnia præcepta, non tam cæremonialia aut iudicialia, quam moralia, penſanda atque exiſtimanda ſunt: & quantum ad ſenſum, & moralem ſignificationem adhuc durant. Ex quibus omnibus, conſtare poteſt, quam fuerit iuri diuino, atque rationi naturali conſonum, vt viri regulares, & religioſi, proprios ſuos haberent prælatos & paſtores, eiuſdem inſtituti & profeſſionis: vtpote quibus diuino iure, à Chriſto Domino, collata atque conceſſa fuit, eoſdem regendi, & gubernandi facultas & poteſtas & conſequenter nihil eſſe inconuenientis dicere, quod iuriſdictio, quam prælati Regulares habent in ſuos ſubditos, ſit non ſolum humana, verum etiam diuina, & competens eis de iure diuino.

ARTICVLVS. V.

Quantum ſe extendat poteſtas, atque iuriſdictio prælatorum regularium, in ſuos ſubditos?

Concluſio.

VM prælati regulares (ſicut præmiſſum eſt) vere ſint Eccleſiæ prælati, atque in ſuos ſubditos ordinariam habeant iuriſdictionem, conſequẽter dicendũ videtur, quod ſi nõ fuiſſent prohibiti, à iure, Papa, vel Eccleſia, poſſent in ſibi ſubditos, quidquid Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuas Diœceſes, imò verò & quidquid Summus Pontifex in tota Eccleſia. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Franciſci de Victoria, in relectione ſua de poteſtate Eccleſiæ, quæſtione 2. numero 28. & eãdem tenet Soto in 4. diſtinctione. 27. quæſtione 1. articulo 4. & ex nouiſſimis, affirmanter tenuit eam Pater Frater Ioannes de Bobadilla, in ſuo Enchiridione, ſiue Catechiſmo, quem inſcripſit, licet non ipſum typis mandauerit, & Emanuel Rodericus, 1. tomo quæſtionum Regularium, quæſtione 27. articulo 6. Ratio eius in prõptu eſt: nam, vt de mente Ariſtotelis diximus ſupra, qui dat formam, dat etiam conſequentia ad formam. Cum igitur Chriſtus Dominus voluerit Religiones & religioſorum ſtatum in Eccleſia eſſe, ſitque de iure Diuino, vel ſaltem eidem multum conforme, quod religioſi habeant, ſeu habere deberent prælatos & ſuperiores, eiuſdem inſtituti & profeſſionis, conſequenter dicendum videtur, quod plenariam autoritatem, facultatem atque poteſtatem in eoſdem, Chriſtus ipſe præfatis Prælatis contulerit, ad regendum, & gubernandum ipſos, in omnibus, in quibus iuſta exiſtente cauſa, à iure, Papa, vel ab Eccleſia, non fuiſſent prohibiti, eo modo, quo hoc ipſum diximus in noſtro Ordine iudiciario, quæſtione 2. articulo 8. dum ageremus de Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum iuriſdictione. Aduertendum eſt tamen, quod multa ſunt in iure, iſtis atque illis prohibita, & ſolummodo ſummi Pontificis ditioni, ſiue iuriſdictioni reſeruata, de quibus in ſecundo tomo, huius noſtri Manualis, agemus latiſſimè. Sed an id iure, vel iniuria factum fuerit, & ſummus Pontifex potuerit reſtringere, atque limitare prædictorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & perinde prælatorum regularium iuriſdictionem; dicemus in ſequenti articulo.

Prælati regulares, de iure poſſunt circa ſuos ſubditos, omnia in quibus non ſunt prohibiti.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Summus Pontifex, potuerit limitare atque reſtringere, ordinariã prælatorum regularium iuriſdictionem.

HAEC eadem difficultas, iam vtcumque explicata & abſoluta eſt à nobis, in noſtro ordine iudiciario, quęſtione 2. art. 8. vbi hoc ipſum, in controuerſiam adduximus, de Archiepiſcopis & Epiſcopis. Et prima facie videri forſan poſſet cuipiam, quod non, cum, ſicut præmiſſum eſt, horum omnium iuriſdictio, non tam ſibi conueniat, ex iure Papali humano, quam de iure ſupernaturali, & diuino, & immediatè fuerit illis collata à Chriſto Domino. Ex quo videtur, quod non potuerit à Papa, ſiue Summo Pontifice limitari, atque reſtringi: ſed hoc non obſtante, in contrarium eſt veritas, de qua ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Nullatenus dubitari poteſt, quod potuit Summus Põtifex, limitare & coarctare, prælatorũ regulariũ, & aliorum iuriſdictionem.

NVllatenus dubitari poteſt, quod ſummus Põtifex, iure optimo potuit, limitare atque reſtringere, ordinariam prælatorum regularium iuriſdictionẽ: & idem dico de Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & quod de facto, vtrorumque poteſtas, in multis eſt limitata, & iure coarctata, à Sũmis Põtificibus. Hæ cõcl. tenẽda eſt de fide: nam de fide eſt, quod Summus Pontifex iure Diuino, eſt ſummũ atque ſupremũ totius Eccleſiæ caput, & generalis atq; vniuerſalis prælatus, cui proinde tenentur omnes obedire, eodem diuino iure, in omnibus, quæ non ſunt in Eccleſię deſtructionẽ, ſed potius in ædificationem. Ei enim ſpecialiter, in perſona Diui Petri dictum eſt generaliter, vt paſceret Dominicum gregem. Ioann. XXII. *Paſce oues meas*: quod & dictũ illi eſt, abſq; vlla prorſus limitatione: ergo bene potuit, prædictus Pontifex ex cauſa, cum expediens ac congruum ſibi viſum fuiſſet, in ordine ad hunc ouium ſuarum ſpiritualẽ paſtũ, reſtringere atq; limitare, omnium aliorũ prælatorũ inferiorũ, iuriſdictionẽ. Quod & confirmatur hac ſpeciali ratione. Nam quamuis Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum & ſimili quadam ratione, prælatorum regularium poteſtas, atque iuriſdictio, (vt præmiſſum eſt) immediate ſibi fuerit cõceſſa, & collata à Chriſto Dño, & ſit in eiſdẽ ordinaria, ſibi cõpetens de iure diuino, cum tamen collata ipſis fuerit: vt tenent omnes vnanimiter Doctores, ordine Hierarchico, nec independenter, ſed dependenter ab eodem ſummo Pontifice, Diui Petri ſucceſſore, qui in tota Eccleſiaſtica Hierarchia, primum locum & principatum obtinet, nullatenus negari poteſt, quin ipſe potuerit, & poſſit iure optimo, ex cauſa, cum ſibi congruum viſum fuerit, coarctare, limitare, atque reſtringere, ordinariam horum omnium iuriſdictionem, ſpeciales ſibi caſus, & cauſas reſeruando. Id quod nunc denuo, definitum atque determinatum eſt, in Concilio Tridentino. *ſeſſ. 14. cap. 7. can. 11.* vbi anathematis damnantur, aſſerentes, fieri non potuiſſe huiuſmodi reſeruationes: quo circa hac de re, iam nulli poteſt eſſe dubium.

QVAESTIO XIIII.

De Prælatis regularibus, quantum ad ipſorum diuerſitatem & differentiam, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quotnam ſint Prælatorum regularium genera, ſiue ſpecies in Eccleſia?

Prima Concluſio.

Generalis, atque vniuerſalis omniũ religioſorum prælatus, eſt ſummus Pontifex in Eccleſia.

CErtiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, & de quo nulli poteſt eſſe dubiũ, quòd vniuerſalis atq; generalis, religioſorũ omniũ prælatus in Eccleſia, eſt Sũmus Põtifex, cui & ſpeciali ratione obedire tenentur omnes in vniuerſum religioſi. Hæc concluſio eſt certa, & conſtare poteſt ex innumeris capitulis, quæ habentur in iure; vbi hoc ipſum expreſſe definitur, atque determinatur: qua de re videndus eſt Soto lib. 8. de iuſtit. & iure, q. 3. art. 1. Vbi doctiſſime hoc argumẽtum proſequitur: & docet, quod ſummus Pontifex, non ſolum iure diuino, eſt totius Eccleſiæ caput, cui proinde omnes fideles obedire tenentur, verum etiam ipſe eſt, generalis atq; vniuerſalis omniũ religioſorũ prælatus, potiori ratione generalis, Prouincialis Guardianus, ſiue Prior, quã vllus alius eſſe poſſit. Nã omnia iſthæc munera & officia, ſpeciali ratione, eidem ſummo Pontifici conueniũt, cũ ab eo Religiones omnes, habeant quod tales ſint, & eiuſmodi ſortiantur nomẽ, nec vlla Religio, aut religioſorũ ſtatus, ſtare vllo modo poſſit, ſine ipſius licentia, permiſſione, & approbatione. Ex hoc inferunt præclari quidam Doctores, religioſos omnes in ſuis obſeruantijs regularibus, ex æquo teneri, ratione ſui ſtatus regularis, parere atque obedire ſummo

ſummo Pontifici, ac ſi per ſpeciale obedientię votum, ſe ſe illi conſecraſſent & aſtrinxiſſent, quod faciunt religioſi Societatis Ieſu, qui vltra tria eſſentialia Religionis vota, aliud ſpeciale emittunt, quo ſe profitentur in ſuis miſſionibus, ſemper ſummo Pontifici obedire. Idem etiam facimus nos minores fratres, ex noſtræ Regulæ præſcripto. In cuius primo capitulo, hæc ſpecialiter habentur expreſſa verba. *Frater Franciſcus, promittit obedientiam, & reuerentiam, Domino Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus eius Canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ: & alij fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius ſucceſſoribus obedire.* Quæ dum explicant Doctores, & expoſitores dictæ Regulæ, ſed maximè Corduba ſuper caput primum q. 4. inquit. Quod Seraphicus Pater Noſter Franciſcus in ijs verbis omnium ſuorum filiorum nomine, ſpeciale atque perpetuum emiſit votum, obediendi Romano Pontifici. Sed quamuis hoc ſpeciale votum, quā maxime commendandum ſit, quia vt dicitur abū dans cautela non nocet, dicunt tamē, vt dixi, multi auctores, hoc eſſe omnibus religioſis, & religionibus commune, nam omnes ex ſua profeſſione, & ratione ſtatus regularis, ex æquo tenentur ſummo Pontifici obedire, tanquam ſuo generali atque vniuerſali prælato: cui magis propriè prælati competit nomen, quam cuilibet Generali, Prouinciali, Guardiano, ſiue priori, aut cuipiam alteri Prælato, competere vlla ratione poteſt, cū ab illo, depēdeat obedientia, & tota obſeruantia Regularis, nec vlla religio aut religioſorum ſtatus in Eccleſia eſſe poſſit, abſque ipſius permiſſione, licentia & approbatione. Sed præter hunc adeò eximium, excellentem atque vniuerſalē prælatū, & totius Eccleſiæ paſtorē, præter primates etiā, Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, cæteroſq; prælatos, qui ſunt in Eccleſia, de quibus nihil libet in præſentiarū, dicere, nam non id ad noſtrum attinet propoſitum, ſunt etiam in Religionibus, plures prælatorum ſpecies, de quibus ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Omnes omniū religionū prælati, aut ſunt Generales vel Prouinciales, aut locales.

OMnes omnium Religionum prælati, ad tres ſpecies reducuntur, & in triplici ſunt differentia, nam vel ſunt Generales, vel Prouinciales, aut locales. Hæc concluſio, non tam probanda, quam explicanda eſt. Et dico, quod omnes omnium Religionum Prælati, vel ſunt Generales, qui Ordinibus, & Religionibus in totū præficiūtur, totalemque, plenariam, & abſolutam in eiſdem iuriſdictionem habent, vt præferat ipſum Generalium nomen. Vel ſunt prouinciales, qui præſunt Prouincijs, ſub eorundem generalium iuriſdictione. Aut tandem ſunt Prælati locales, & Conuentuales, vtriſque, ijs nempe atque illis ſubiecti, qui in diuerſis Religionibus, diuerſimode nuncupantur, alibi Abbates (vt in Religionibus Monachalibus) alibi Priores, non nunquam Guardiani, ſiue miniſtri, præpoſiti atque Rectores, apud alios cōmendatarij, vt omnia ſimul comprehendantur. Omnes tamen iſti ſunt prælati immediati locorum, & Conuentuales, Prouincialibus & Generalibus prædictis ſubiecti, ſiue hoc ſiue illo appellentur nomine. De quorum omnium poteſtate, & iuriſdictione, & quid horum ſinguli facere poſſint, aut non poſſint, in proprio cuiuslibet diſtrictu, ſiue iuriſdictione, in ſecundo tomo noſtri huius directorij ſpecialem facturi ſumus mentionē. Nunc progrediamur ad alia, & dicamus ſpecialiter, de prælatorum differentia, quæ reperitur in ſacro noſtro minorum fratrum Ordine. De quo ſit ſecundus articulus.

ARTICVLVS II.

De Prælatorum differentia, quæ ſpecialiter reperitur, in ſacro minorum Fratrum Ordine.

Concluſio.

Noſter ſacer minorū ordo, ad inſtar Romanæ Eccleſ. & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ eſt inſtitutus, & diuerſas Prælatorum ſpecies in ſe continet.

SAcer noſter minorum fratrum ordo, ad inſtar Romanæ Eccleſiæ, ſpecialiter eſt inſtitutus, & diuerſas Prælatorum ſpecies in ſe continet. Probatur ſeu potius explicatur, & declaratur hæc concluſio. Nam ſicuti in Eccleſia, & tota Eccleſiaſtica Hierarchia ab imis ad ſumma vſq; aſcendendo, reperiuntur ſimplices ſacerdotes, deinde cōfeſſores, qui ex Eccleſiæ cōceſſione & permiſſione, fidelium audiunt confeſſiones, poſtmodum ſunt curati ſiue presbyteri Parochiales, qui ſuorum parochianorum confeſſiones audiunt ex iure, & quandoque illorum incumbunt inſtructioni, atque prædicationi, quibus quodam modo ſunt ſuperiores Archipresbyteri, deinde etiam ſunt Epiſcopi, poſtmodum Archiepiſcopi, Patriarchæ & primates, qui omnes in vniuerſum, ſummo omnium conſenſu, vni obediunt Romano Pontifici, eidemque in omnibus ſubduntur: ita etiam & in ſacro noſtro minorum Ordine, iuxta præſcriptum noſtræ Regulæ, & ea quæ in eadem continentur, inuenire licebit, quoſdam ſimplices ſacerdotes, & alios confeſſores, quibus in dignitate & gradu ſuccedunt prædicatores, poſtmodum ſunt Guardiani, qui ſunt veluti curati, & prælati quidam locales, ſiue conuentuales, quibus in Eccleſia correſpondent presbyteri parochiales: ſupra quos reperitur, & aliud quoddam prælatorum genus, qui apud nos & in noſtro ſacro Ordine, dicuntur cuſtodes, quibus etiam in Eccleſia, Archipresbyteri correſpondent (nam ſicuti Archipresbyterium vulgo dictum, *Arcipreſtazgo*, conſtituitur, ex quam pluribus locis, ſiue Eccleſijs curatis parochialibus, ſic & cuſtodia apud nos, conſtituitur ac veluti conflatur, ex pluribus conuentibus: & continet quam plura Monaſteria cum ſuis proprijs Guardianis, quorum omnium, iuxta præſcriptum noſtræ Regulæ, cuſtos quadam ratione cenſetur ſuperior, & quaſi prælatus ordinarius.) Deinde ſubſequuntur Prouinciales miniſtri, quibus in Eccleſia correſpondent Epiſcopi. Poſtmodum generales, quibus correſpondent Archiepiſcopi, & ipſorum iuriſdictio, Archiepiſcoporum iuriſdictioni, quā ſimillima eſſe pronūciatur, ſupra hos omnes fuit.

Beatiſſimus, Seraphicus Pater noſter Franciſcus, qui in noſtro ſacro Ordine, quaſi primas, ſiue Patriarcha exiſtimatur. Primas enim, & Patriarcha, ſolum nomine differunt, vt docet Anacletus *in cap. Prouinciæ. 99.* Vnde & ipſe proprijſſimè ac iure optimo, in eiuſdem officio, à nobis, quin vero & à tota Eccleſia, pauperum Patriarcha nuncupatur, non ſolum quia inter Euangelicos & voluntarios pauperes, in paupertate ſupremum apicem, atq; primatum tenuit, verum etiam, quia & ipſe dum vixit, ratione quadam ſuperior fuit ad noſtri Ordinis Generalem miniſtrum, qui vt dictum eſt, quaſi Archiepiſcopalem iuriſdictionẽ habet. Certum eſt autẽ in iure, quod qui in maiori, altiori ſeu eminentiori, quam Archiepiſcopali gradu, conſtituitur in Eccleſia, primas ſiue Patriarcha nuncupatur. Hi omnes vno animo ac ſummo conſenſu, vni obediunt Romano Pontifici, & vt ſupra diximus, iuxta præſcriptum noſtræ Regulæ ſpecialiter eidem tenentur obedire. Ex dictis omnibus conſtat clariſſime atque manifeſtiſſime, qualiter ſacer noſter ordo, mirifico quodam modo, quaſi Hierarchico Ordine, ad inſtar Romanæ Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, à Beatiſſimo Patre noſtro Frãciſco, nõ quidẽ abſque diuina inſpiratione, atque ſuperno lumine fuerit fundatus, fabrefactus & conſtitutus, in quo etiam reperiuntur tot ac tantæ prælatorum ſpecies quales in præſenti noſtra concluſione dictæ ſunt, & enumeratæ.

QVAESTIO XV.

De Prælatis Regularibus, quantum ad facultatem admittendi & recipiendi nouitios, in proprium ſuum cuiuſque Ordinem reſpectiuè, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quinam prælati in Religionibus, facultatem habeant, admittendi & recipiendi nouitios?

QVidam ad ius ſolum modo commune antiquum attendentes, dicunt facultatem, admittendi & recipiendi nouitios in Religionibus, penes Abbates abſolute conſiſtere, idque probare conãtur, *ex cap. ad apoſt. de Regul. & cap. porrectum eodem titulo & cap. nullam. 18. quæſt. 2.* vbi tanquam certum id ipſum ſupponi videtur. Sed eo non obſtante, quod hac in re tenendum eſt, ſequentibus explicabitur concluſionibus.

Quantũ ad facultatem recipiendi nouitios, attendẽda & reſpiciẽdaeſt, cuiuſq; Religionis conſuetudo, cõſtitutiones & præcepta, ſiue etiam priuilegia.

Prima Concluſio.

QVantum attinet ad facultatem, admittendi & recipiendi nouitios, ad quem libet Ordinem ſiue Religionem, generaliter & vniuerſaliter loquendo, primo reſpicere oportet, ad conſuetudinem, conſtitutiones, & præcepta, ſiue etiam priuilegia, quæ hac de re in particulari, ſingulæ habent Religiones. Hæc concluſio eſt expreſſa Panorm. *in c. ad Apoſtolicam. de Regula.* In cuius confirmationem allegat, *cap. fin. de Reg lib. 6.* vbi ſummus Pontifex Bonifac. VIII. ſimili cuidam difficultati, & quæſtioni Reſpondens, remittit ſe ad conſuetudinem. Incipit capitulum, *ſi ad ſolum Abbatem*, & verba eiuſdem cap. ſunt quæ ſequuntur. *Si ad ſolum Abbatem pertinet creatio Monachorum, eo defuncto nequibit nouus Monachus à Cõuentu creari, aliàs poterit, ſi eorum creatio ſpectet ſimul ad vtrumque.* Quæ verba exponens gloſſa ibi, dicit intelligenda eſſe, de conſuetudine præſcripta, iure vel priuilegio, nam alias de iure communi loquendo, Monachorum creatio, ſimul pertinet ad vtrumque, hoc eſt, ad Abbatem, & ad Conuẽtum ſimul. De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

De iure communi nouo creatio monachorum, ſpectat ad prælatum & ad conuentum ſimul.

DE iure communi nouo loquendo, creatio monachorum, & facultas admittendi, & recipiẽdi nouitios, ad ordinem ſiue Religionem, ad Abbatem, ſiue præfectum conuentus, & ad conuentum ipſum ſimul ſpectat, ita quod neque conuentus ipſe ſine Abbate aut ſolus Abbas, ſiue præfectus ſine conuentu, de iure communi nunc monachos creare, & religioſos ad ordinem ſiue Religionem poteſt admittere. Hanc concluſionem expreſſe tenet gloſſa in præallcg. *c. fin. de regu. lib. 6.* Vbi hoc ipſum præſupponitur, tanquam certum, atq; indubitabile. Ad quod etiam facit, *cap. nouit. c. quanto. cap. cã noſcitur, de his, quæ fiunt à prælatis.* In quo prædicto *cap. quanto*, Alexander III. modũ atque formã præſcribens cunctis prælatis, præcipit vt ſine cõſilio ſui capituli, nihil audeãt inſtituere, vel deſtituere, neque aliqua Eccleſiæ ſuæ negotia tractare, maxime ſi negotium fuerit graue. Quod autẽ creatio & receptio monachorũ, ſiue religioſorũ ad ordinẽ, ſit ex grauioribus, quæ eiſdẽ poſſunt occurrere, adeò certũ eſt, vt in controuerſiã nullatenus poſſit adduci. Ex quibus ſatis cõſtat ſupra poſitæ concluſionis veritas Naua. in conſilijs, libro 1. de conſt conſ. 9. & lib. 3. de regul. conſi. 62. hanc concluſionẽ expreſſe tenet, & pro-

& probat eam ex multis iuribus quæ ibi allegat, quæ ego breuitatis gratia omitto. Sed loquendo de consuetudine, quam omnes communiter obseruant Religiones, sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

De communi consuetudine loquendo, receptio monachorum, atq; religiosorum, pertinet ad prælatos immediatos siue locales cõuentuum cum cõsensu sui capituli.

LOquendo etiam de consuetudine, quam omnes communiter obseruant Religiones, non solum prælati generales, siue prouinciales? Verum etiam & omnes alij prælati immediati, locorum siue conuentuum particularium, de consilio siue consensu capituli, facultatem habent admittendi, & recipiendi nouitios, ad proprias ipsorum Religiones, nisi idipsum, ex propria sua Regula, priuilegio, siue ex constitutione aliqua prohibente, in contrarium sibi fuerit ordinatum. Hæc conclusio est expressa Doctoris Nauarro loco prælegato. Vbi assueueranter dicit, quod facultas admittendi & recipiendi nouitios ad ordinem, non spectat etiam ad ministros generales, sine conuentu, & quod communis omnium Religionũ obseruãtia, quas ipse vidit & sua ætate tractauit, hoc habet, vt receptio monachor, siue nouitiorum, fiat à prælatis immediatis locorum, siue conuentuum particularium, cum maiori parte capituli, conformiter ad ius commune, non vero ab alijs prælatis superioribus. Ad quod allegat *glossam in cap. fin. de regul. lib. 6. verbo pertineat*, quam, vt dicit, sequuntur Archidiaconus, Ioannes Andreas, Lapus & Ancharranus, Dominicus, & Philippus Francus, & ante omnes alios, Ioannes Monachus, qui dixit, quod de iure communi loquendo, creatio Monachorum, pertinet ad immediatum Abbatẽ & conuentum simul. Et prædictus Lapus allegatione, 32. loquendo de monasterijs monialium, inquit, quod creatio monialium, adeò pertinet ad Abbatissam, & conuentum monialium simul, quod Episcopus, etiam si sit ipsarum superior, non potest per se, nec vllus alius prælatus, etiam generalis, recipere & creare moniales, sine conuentu, neque præcipere Abbatissæ, aut conuentui, vt ipsis inuitis, aliquam monialem recipiant, quod si facerent, ab eis inquit iuste posset appellari. Idem tenet Calderinus consilio. 16. de regularibus, allegando ad hoc, prædictum Ioannem Monachum, consilio 3. de sententia excommunicationis. Idem tenet Archidiaconus, & Cardinalis à Turrecremata *in c. fi. 16. q. 7.* Pro qua etiam conclusione facit, *cap. cum Ecclesia Volterrana. de electione*, quatenus ibi declarat Papa, nullam iniuriam feciſſe canonicos, cuidam Episcopo, eo quod noluerunt recipere quosdam canonicos, ab eodem solo creatos, ea ratione, quia hoc pertinebat ad conuentum etiam, siue capitulum; nam inquit, qui iure suo vtitur, nulli facit iniuriam. Videatur Nauarrus loco supra citato vbi hac de re multa dicit. Et in confirmationem supra positæ conclusionis, adducit fundamentum omnium (vt ipse existimat) neruosissimum, *cap. vlt. 16. q. 7.* quod incipit: *Congregatio*, quod est Concilij Toletani, vbi expresse dicitur, non posse Abbatem, monachos creare, sine consensu Fratrum suorum. An vero ad id præcise sit necessarius consensus, an vero sufficiat consilium, & an Abbas, siue Prælatus teneatur sequi illud, maiorem habet difficultatem, de quæ dicemus in sequenti articulo, sit modo quarta conclusio.

Nota hoc val de pro monasterijs monialium.

Quarta Conclusio.

Ex vi nostræ regulæ, receptio nouitiorũ ad generales, & prouinciales pertinet.

LOquendo de iure speciali nostri sacri Ordinis, & de eo quod obseruari habet ex vi nostræ Regulæ; receptio monachorum, siue nouitiorum, pertinet ad ministros dumtaxat Prouinciales, siue generales. Hæc conclusio est certa & manifesta. Nam nostræ Regulæ expressa verba, sunt quæ sequuntur. *Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros prouinciales, quibus solummodo, & non alijs, recipiendi fratres, licentia concedatur.* Habentur in cap. 2. Super quæ verba nonnulla veniunt notanda, quæ maxima sunt animaduersione digna. Et primo, quod per illam exclusionem, aliorum à ministris Prouincialibus, quando dicitur: *Quibus solummodo, & non alijs, recipiendi Fratres, licentia concedatur*, non excluduntur, nec intelligendum est, quod excludantur generales ministri. Imo vero ipsi sunt, quibus primo & per se, quasi originaliter, ac veluti in suo primo fonte, competit nouitiorum receptio ad ordinem, vt definiuit atque determinauit olim Gregorius Nonus, in explicatione & declaratione, quam supra eandem nostram Regulam edidit, quæ incipit. *Quo elongati a seculo.* Cuius quidem rei & specialis ratio est, cum & ipsi generales ministri, vt ibidem dicitur, concedere & negare possint, licentiam & facultatẽ eisdẽ Prouincialibus ministris, recipiẽdi nouitios: ipsamq; illis pro libito, & prout sibi expediẽs visum fuerit, restringere, limitare atq; coarctare. Quo fit, vt illa verba: *Quibus solummodo & non alijs recipiendi Fratres licentia concedatur* non sic sunt intelligenda, ac si ex vi verborum, prædictis ministris Prouincialibus, recipiendi nouitios, ex ipsa Regula facultas tantummodo sit cõmissa siue concessa: sed sensus illorum est, quod talis facultas recipiendi nouitios, à ministris generalibus, concedatur solummodo ministris Prouincialibus, & non alijs. Ex quibus clare patet nostrum intentum, nempe, quod illa dictio exclusiua, *solummodo*, non excludit generales ministros, à facultate recipiendi nouitios, imo vero ipsi sunt, apud quos huiusmodi facultas primo, per se, originaliter, & veluti in suo primo fonte residet, qui etiam ex vi Regulæ, non alijs ipsam possunt concedere, quam ministris Prouincialibus. Sic intelligit & explicat prædicta verba, doctissimus Pater Corduba in sua explicatione, super caput 2. quæstione 7. allegans ad id prædictam explicationem Gregorij Noni, art. 7. vbi hac de re agens, inquit: *Quod nec ipsis ministris Prouincialibus ex vi regulæ, recipere nouitios permittitur, nisi eis super hoc, specialis licentia concedatur à ministris generalibus.*

Explicantur illa verba nostræ regulæ, quibus dicitur quod solũmodo ministris Prouincialibus, recipiẽdi nouitios licẽtia cõcedatur.

In nostro ordine ministri generales et prouinciales, habent auctoritatem ordinariã recipiendi nouitios, cæteri vero, si qui illã habẽt, subdelegatam.

Secundo est notandum circa prædicta verba, quod quamuis hoc ita sit, adhuc licentia & facultas recipiendi nouitios, in supradictis ministris Prouincialibus, est ordinaria & non subdelegata, cum sit commissio perpetua, & sibi competens iam ratione suorum officiorum, & non temporalis, concessa ad certum

aliquod & determinatum tempus. Et præterea, quia eiſdem ad hoc ipſum, expreſſa eſt iam facultas & licentia conceſſa, per Nicolaũ III. in expoſitione, quam etiam edidit ſuper prædictam noſtrã regulam, quæ habetur in corpore iuris, *in c. exijt, de verbo. ſignifi. lib. 6.* In cuius articulo 7. agendo de facultate recipiendi nouitios, inquit: *Liceat non ſolum Generali, ſed etiam Prouincialibus miniſtris perſonas fugientes à ſeculo, in fratres recipere, quæ Prouincialium miniſtrorum licentia, per generalem ipſum poſſit coarctari, ſicut ſibi videbitur expedire.* Cum igitur hæc facultas habeatur iam in corpore iuris, quia ſic ſummo Pontifici Nicolao Tertio conueniens fuit viſum, ſicque voluit decernere, ſtatuere, atque ordinare: neceſſario dicendum eſt, quod prædicta facultas, recipiendi nouitios, in Prouincialibus miniſtris, eſt iam ordinaria, & non ſubdelegata, nam ius commune planum eſt, quod tribuit auctoritatem ordinariam. Vnde modò prædicta poteſtas, & facultas ordinaria recipiendi nouitios, in ſacro noſtro Ordine, tantum reſidet, penes Generales & Prouinciales miniſtros, cæteri autem ſi quiſ illam habent, ſolummodo tenẽt eam ex commiſſione, ſibi delegatam. Ita tenet expreſſe præfatus Corduba, allegans in id ipſum, doctiſſimos Patres, Fratrem Hugonem, & Fratrem Bartholomæum de Piſa, in expoſitionibus, quas fecerunt ſupra noſtram regulam, cap. 2. D. Bonauentura, in explicatione etiam ſua quam fecit, rationem reddens præfatæ huius reſtrictionis & coarctationis, circa facultatẽ, admittendi & recipiendi nouitios, inquit: *Quod ex eo huiuſmodi autoritas, reſeruata eſt prædictis tantummodo, quia nempe Seraphicus Pater noſter Franciſcus, magis de ipſorum prudentia ac prouidentia præſumpſit, quod ſcirent, ad modum artis piſcatoriæ, hominum (inquam) piſcatorum, piſces bonos (hoc eſt perſonas noſtro Ordini conuenientes & congruentes) in vaſa (hoc eſt ad eundem Ord nem recipere) alios vero non ita idoneos, foras mittere*, quod nec modicum adnotare expedit. Aduertendum eſt tamen, quod quamuis hoc propter Fratrum paucitatem, & raritatem venientium ad ordinem, in ipſius initio optime obſeruari potuerit, ordine tamen iam dilatato, ac tempore procedente, non ita. Quapropter per ſupradictos, Gregorium Nonum, & Nicolaum Tertium & alios, poſtmodũ conceſſa eſt licentia & facultas prædictis miniſtris Generalibus & Prouincialibus, hanc ſuam auctoritatem & facultatem, ſubdelegandi & cõmunicandi, etiam alijs, prout ſibi videretur expedire. Primo fuit hoc conceſſum, per Gregorium Nonum, dumtaxat Generalibus miniſtris, non autem Prouincialibus. Poſtmodum vero, per Nicolaum Tertium vtriſque; adiungendo & dicendo, quod Vicarij miniſtrorum Prouincialium, ex officio ſuæ vicariæ, nouerint hanc ſibi licentiam eſſe interdictam, niſi hoc per eoſdem miniſtros Prouinciales, ſpecialiter ſibi fuerit conceſſum, atque commiſſum. Concedit tamen ibi, quod poſſint ipſi, hanc tribuere facultatem, prædictis ſuis vicarijs & alijs; admonendo tamen, ne hoc paſſim aut indiſcrete fiat, ſed maxima cum conſideratione, prædictam ſuam auctoritatem, & facultatem committant; illis dumtaxat, de quibus ſperetur, quod in omnibus diſcrete procedant. Ita vt non omnes indifferenter admittantur ad ordinem, ſed illi ſolummodo, de quibus ſuffragantibus literatura, idoneitate & alijs circunſtantijs, ſperari poſſit, quod ſibi per vitæ meritum, & alijs proficere poſſint, per bonum exemplum, & etiam vtiles futuros eſſe eidem Ordini. Verba ſunt expreſſa Nicolai III.

Quare Seraphicus P. N. Frãciſcus, ſic limitauit & coarctauit, facultatem recipiendi nouitios.

Ex cõceſſione Nicolai. III. Prouinciales poſſunt ſubdelegare ſuã facultatẽ, recipiendi nouitios, at Vicarij Prouinciales, illam non habent, niſi ſibi cõcedatur.

Tertio circa eadem verba, aduertere oportet, quid modo in praxi obſeruari habeat, iuxta noſtras generales conſtitutiones. In quarum primo capitulo, agendo de receptione nouitiorum ad ordinem, ſequentia habentur verba. *Declaramus, quod ſecundum noſtram Regulam, ſolummodo miniſtri Generales & Prouinciales, authoritatem habent ordinandi, recipiendi nouitios ad ordinem. Et cum ex decreto Nicolai Tertij, miniſtri Generales, & Commiſſarij etiam generales, limitare poſſint facultatem, quam ad id habent miniſtri Prouinciales, decernimus, quod miniſtri Prouinciales, non poſſint committere Guardianis, neque alijs quibuſcumque religioſis, facultatem prædictam recipiendi nouitios; imo vero declaramus, Prouinciales miniſtros, teneri in conſcientia, per ſeipſos, eoſdem nouitios perſonaliter examinare, de omnibus conditionibus, & qualitatibus ad noſtrum Ordinem requiſitis.* Hæc ſunt verba quæ habentur in noſtris generalibus conſtitutionibus, & hoc eſt, quod modo communiter, ſaltem in Hiſpania obſeruatur in praxi, niſi forſan in magnis quibuſdam conuentibus, vbi ſtudia ſunt generalia, in quibus iuxta placitum Seraphici Patris noſtri Bonauenturæ, quam maximè fuit rationi conſonum, vt fieret ſuper hoc aliqualis diſpenſatio. Et inquit, fuiſſe in id à Domino Papa olim, licentiam & facultatem conceſſam, ad hoc nempe, quod in talibus ſtudiorum generalium locis, conuentuũ Guardianis, ſeu alijs diſcretis viris & fratribus, recipiendi nouitios licentia concedatur. Hoc dicit Diuus Bonauentura in ca. 2. expoſitionis noſtræ Regulæ: non tamen dicit quinam fuerit Pontifex, qui hoc conceſſit. An vero ſupradicti omnes, ſeu ipſorum aliquis, per ſe ſolos recipere valeant nouitios, ſine conſilio, ſiue conſenſu conuentus, & aliorum Fratrum, maiori indiget inueſtigatione, de quo ſequens inſtituetur articulus.

Nota quod per ordinationes & conſtitutiones noſtras generales prohibitum eſt prouincialibus miniſtris, ſubdelegare auctoritatem ſuam, ad recipiendum nouitios.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Prælati regulares, ſine conſenſu, aut ſaltem conſilio capituli ſiue conuentus, recipere & incorporare poßint nouitios ad Ordinem?

QVæſtio ſane difficilis, & quam maxima diſcuſſione digna, vtpotè, de qua magna eſt iis, & controuerſia inter Doctores, Canonici iuris peritos. Ex qua etiã multæ aliæ graues emergunt difficultates, de quibus omnibus agendũ eſt à nobis, in hoc articulo. Et quamuis hæc difficultas cõmuniter adducatur à Doctoribus, circa nouitiorũ receptionem

ptionē ad professionē, hoc est circa monachorum perfectā creationē, quæ fit in professione, & penes hoc maiorem difficultatem habeat, placuit tamen ipsam hic apponere, quò ordinate magis procedamus, & vt vtrumque simul explicemus, nempe, & receptionē nouitiorum ad ordinem, & eorundem postmodum ad professionem, ne hanc tāti ponderis ac momenti difficultatem, vlla ratione prætermisisse videamur, aut etiam iterum atque iterum, eadem dicere ac repetere cogamur. Et pro maiori huius difficultatis intelligentia, vt etiam paremus viam ad ea, quæ in subsequentibus sunt dicenda, circa explicationem tituli libuit in præsentiarum præmittere, non casu, sed cum consilio atque ex proposito, appositā à me fuisse illa duo verba, *sine consensu, aut saltim consilio capituli*, nam inter hoc & illud, est quam maxima differentia. Stat enim atque secundum ius euenire optime potest, vt non valeat prælatus quidpiam facere sine consilio capituli, quod quidem bene possit sine consensu. Est enim aliud consilium, aliud vero consensus, aliud consiliari, seu consilium sumere aut exposcere, aliud vero consilium eiusmodi, à maiori parte adhibitum sequi, quod est aliquid cum consensu facere. Ob id igitur à me, ex proposito appositā sunt illa verba, *sine consensu, aut saltim consilio capituli*. Quo præmisso atque præsuppositō: Dico quod hac de re, est duplex solemnis opinio.

Prima opinio Panor. dicētis quod prælatus in receptione Monachorum ad ordinē, siue professionē, quāuis teneatur agere cū consilio, non tñ tenetur sequi consilium, neque expectare consensum.

Prima est Panormit. *in capit. ad Apostolicam de regul.* vbi postquam dixit, in his omnibus, primo & principaliter, spectandam atque inspiciendam esse consuetudinem Religionis cuiusque, standumque eidem, iuxta, *cap. fin. de regul. lib. 6.* ea tamen non stante (inquit) quod prælatus, quamuis teneatur, monachos siue religiosos, ad ordinem cum consilio sui capituli recipere, ipsumque consilium à Monachis siue Fratribus expostulare, atq; exposcere, non tamen tenetur eorum sequi consilium, neque ipsos nouitios recipere cum consensu maioris partis Capituli. Primam partem suæ opinionis, nempe quod Abbas siue Prælatus, circa recipiendos nouitios, teneatur consilium requirere, & à suis subditis expostulare; probat Panormitanus, ex eo, quia hoc est de grauioribus negotijs & causis, quæ sibi vel suo conuentui possunt euenire, in quibus Prælati, tenentur semper agere cum consilio, iuxta tex. *in cap. nouit. cap. quanto, cap. ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælatis.* quibus in locis, & maximè *in cap. nouit.* inquit glossa, quod Prælati & Abbates, maiora & præcipua negotia conuentus, debent expendere cum consilio sui capituli: & addit quod si tale cōsilium non requiratur, actus erit omnino nullus, neque valebit Monachorum receptio. Nam iuxta iuris Regulam vbi à iure requiritur consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus, iuxta tex. & glos sam in prælallegato *cap. nouit.* Sed secundam suæ opinionis partem, nempe, quod non tenentur sequi ipsum consilium, neque expectare respōsum, siue consensum conuentus, sed sat sit ipsum expostulasse, & requisiuisse; probat idem Panor. per tex. & glos. *in cap. cum in veteri de electione, cap. cum olim de arbitris* & hoc dicit esse de iure communi, nam qui tenetur requirere consilium, non necessario tenetur sequi illud, neque ex consilio ad id faciendum, quispiam obligatur, iuxta tex. *in cap. quisquis, 18. q. 1. & cap. denique 4. dist.* Tandem dicit hanc sententiam & opinionem, esse Bart. *in l. 11. §. si plures. ff. de exercitatoria actione.* Hæc Panormitanus.

Nota quod vbi à iure requiritur cōsilium, nisi adhibeatur, actus est nullus

Sed contrariam sententiam mordicus tenet, & defendit Nauarr. in suis consilijs, lib. 1. de const. consi. 9. & lib. 3. de regul. consi. 36. & 62. & sæpe alibi. Dicit Nauarro quod de iure cōmuni, & anti qua consuetudine, quæ vim legis habet, receptio & creatio monachorum, ita pertinet ad Abbatem siue Prælatum, & ad cōuentum simul, quod neuter sine alio, nouitios ad Religionem possit creare aut recipere. Vnde & addit, quod Abbas, siue Prælatus, in his non solum tenetur agere cum consilio, aut solummodo consilium requirere: verum etiam & expectare consensumin, aioris partis capituli & sequi ipsum. Probat suam sententiam ex multorum Doctorum iurisperitorum auctoritatibus, & quam pluribus capitulis, quæ ibi allegat, & sunt ea, quæ nos in præcedenti articulo in 3. concluf. latè tradidimus. Tandem dicit hanc opinionem & sententiam, esse Bart. *in l. 11. §. si plures, ff. de exerci. n. 7.* (quidquid dicat Panormitanus.) Vbi inquit, non solū esse requirendum consilium, verum expectandum, & etiam sequendum ipsum, quando est requirendum ab alio, tan quam à concollega, & comparticipe officij, quales (inquit Nauarro) sunt Abbates & Prælati, in prædicto casu, de receptione nouitiorum, & in expediendis præcipuis negotijs sui conuentus. quæ omnia facienda sunt, non solum de consilio verum etiam ex consensu capituli, seu maioris partis ipsius. Videatur Nauarro locis supracitatis, vbi ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima. Quibus præmissis, ad propositum articulum respondetur, per sequentem conclusionem.

Secunda opinio Nau. dicētis quod nouitiorum receptio, facienda est, non solum cū consilio Monachorum, verum etiam cū consensu maioris partis capituli.

Conclusio.

In receptione nouitiorū ad habitū, et multo magis et potiori ratione ad profes sionē, procedere debet prælat⁹, non solum cū consilio, verū etiam cum cōsensu capituli

IN nouitiorum receptione ad habitum, & multo magis atque potiori ratione ad professionem, Prælati non solum tenentur, de sumere suorum subditorum consilium, verum etiam expectare; & sequi ipsum, & in his agere cum consensu maioris partis Capituli. Ad tenendam hanc conclusionem moueor, propter fortissima fundamenta Nauarri, cuius sententia multo magis arridet, quam opinio Panormitani, vtpote rationi, & iuri communi conformior quam & præter ea, quæ dicta sunt, confirmo hac peculiari ratione. Nam in receptione nouitiorum ad habitum, & multò magis ad professionem, certum est, quod interuenit mutus quidam contractus, & mutua quædam & reciproca obligatio, inter nouitium qui recipitur, & conuentum, qui ipsum recipit, qui quidem, vt de se patet obligantur adinuicem; quò fit, vt nullo pacto, iuri communi neque vero rationi naturali sit consonum, quod prædicti, ad habitum, siue professionem admittantur, aut recipiantur, per solam voluntatem Prælati, absque consensu & voluntate sui capituli, cum ipsi sint,

qui mutuo atque adinuicem obligentur. Ratio hęc fortiſſima quidem eſt, & fundatur in *Gloſſa capituli finalis, de regularibus*, vbi fit mentio huius mutuæ atque reciprocæ obligationis. Et vt nulla ſubſit cauſa dubitandi, aduerto hoc eſſe intelligendum, non ſolum de receptione nouitiorum ad profeſſionem, verum etiam ad habitum: nam de hoc expreſſe loquuntur iura ibi, & circa hoc eſt lis & controuerſia, inter prædictos Nauarrum & Panormitanum. Nam verba Panorm. ſunt iſta, in quæſtione quam mouet. *Numquid ſolus Abbas ſine capitulo ſuo, poſſit recipere aliquem in monachum & incorporare eum monaſterio?* Et verba Nauarr. omnino ſunt ſimilia: nam reſpondens, in ſupradicto cõſil. 9. cuidam quintę difficultati, ex ijs quę ſibi fuerunt propoſitæ, inquit: *Quod communis obſeruantia omnium Religionũ, quas ipſe vidit hoc habet, quod Prælati cum maiori parte capituli, Monachos, ſine nouitios recipiant, & ipſos induant habitum Religionis.* Ecce qualiter, vterque expreſſe loquitur de receptione ad habitum, & non ſolum de receptione ad profeſſionem. In noſtro autem ſacro ordine, hoc etiam expreſſe eſt obſeruari mandatum. Nam in conſtitutionibus generalibus, cap. 1. agendo de receptione nouitiorum ad ordinem, ſequentia ponuntur verba: *Poſtquam miniſtri Prouinciales, venientes ad ordinem, miſerint ad aliquem Conuentum, Guardianus conuentus, teneatur eoſdem ad minus tribus diebus, detinere in habitu ſeculari, intra ipſius conuentus clauſuram, vt interim nouitiorum magiſter, induendum inſtituat, & Guardianus & diſcreti Conuentus, eundem rurſus examinent per ſeipſos, & pro ſua virili inquirant, an deſit illi aliqua conditio ex ſupradictis, qua deficiente, habito prius recurſu ad miniſtrum, poterunt illi noſtræ Religionis habitum denegare.* Ecce qualiter etiam iuxta prædictas conſtitutiones, nouitiorum receptio, non ad ſolum Prælatum ſpectat, verum & ad Conuentum ſimul ſeu ad eiuſdem Conuentus diſcretos, per ipſius tacitum compromiſſum. Id quod & ſtrictius præcipitur, quando agitur de receptione eorundem nouitiorum ad profeſſionẽ. De quo habentur ibidem poſt alia, quæ ſequuntur verba: *Et tandem tertio, per ſcrutinium tribus religioſis ad hoc electis, poſt vndecim menſium curriculum, ad recipiendos nouitios ad profeſſionem, Conuentus ſuffragia petantur verbo tenus. Etſi maior pars non fuerit pro nouitio ſuffragata, quando publice vel ſecrete vota petuntur, ſtatim nouitius ſine recurſu eijciatur.* Sed dices, quid ſi his non obſtantibus, nouitius à Prælato ad profeſſionem admittatur, eritne profeſſio ipſo iure nulla? Quidam dicunt quod non, ſed tantum quod declarabitur nulla, ſi conſtiterit iuſte, maiorem partem conuentus tali profeſſioni minime conſenſiſſe. Ita tenet Emanuel Rodericus. 3. tomo. qq. regul. ar. 7. in fine. Sed contrariũ eſſe credo probabilius, & quod erit ipſo facto & iure nulla, per ſupradicta, & per illud q̃ habetur *in cap. nouit. de his, quæ fiunt à prælatis.* Vbi ad ſimile propoſitum, hęc quæ ſequuntur habentur verba, *Nam no. tales inſtitutiones, & deſtitutiones, robore firmitatis carere decernimus.* Et in ſequenti *cap. quanto eodem tit. & cap. ea noſcitur*: hoc ipſum definitur, *& gloſ. in prædicto cap. nouit. verbo carere*: poſtquam ſimilem quæſtionem propoſuit, *Nunquid ipſe iure tales conſtitutiones irritæ ſint?* Reſpondet, quod ſic, quod & probat ex eo, quod factę ſunt contra ius, contrarium factum, ipſo facto irritans & annullans, *per legem non dubium, C. de legibus*, quæ omnia multum ſunt memoriæ commendanda.

Quid ſit obſeruandum in receptione nouitiorum in noſtro ſacro Minorum Ordine.

QVAESTIO XVI.

De nouitijs, ante ſuſceptionem habitus, ſeu antequam Religionem ingrediantur, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ingreſſus Religionis, magnam requirat deliberationem?

HANC difficultatem tractat D. Thom. 2. 2. quæſtione 189. articulo 10. proponitque ipſam ſub hac verborum forma. Vtrum ſit laudabile, quod quiſpiam abſq; multorum conſilio, & diuturna præcedente deliberatione, ingrediatur religionem? Et pro ſuo more, pro ratione dubitandi, & ad hoc vt veritas ex oppoſitione falſi ſiue ſui contrarij plenius eluceſcat, aliqua proponit argumẽta, quorum eſt primum.

Nam in rebus magnis, arduis & dubijs, qualis eſt mutatio ſtatus, iuxta mentem, & ſententiam Ariſtot. 3. Ethicorum cap. 3. magna eſt opus deliberatione, eo vel maxime, cum neſciat homo, nec ſibi certo conſtare poſſit, an ipſius vocatio ad Religionem, ex Deo ſit necne? Non enim omnes apti & conuenientes ſunt ad Religionem, ſeu ad perfectionis ſtatum. Nec videtur, quod omnes ad id à Deo vocentur, cum multoties contingat, & experientia ipſa conſtet, quod multi poſtea degenerant, atq; retrocedũt à ſua vocatione, & profeſſione, quibus & iuſte illud Diui Petri. 2. cap. 2. applicari poteſt: *Quod facta ſunt illis poſteriora, deteriora prioribus, meliuſque ipſis fuiſſet, viam iuſtitiæ nõ agnouiſſe, quam poſt agnitam retrocedere, ſiue retrorſum conuerti.* Ergo ingreſſus Religionis, magnã requirit deliberationem. Secundo ſic argumentatur D. Thom. ad idem: Quia Chriſtus Dominus (vt vidētur) ſuo facto & doctrina, id ipſum nos docuit, nempe

nempe quòd non expediat ſtatum mutare, aut quempiam, rem aliquam magnam efficere, neque Religionem ingredi, abſque magna præcedente deliberatione & diuturna conſideratione. Ad quod propoſitum facit, quod dicitur Lucæ 14. *Vbi inducit ſimilitudinem, de homine volente turrim ædificare, qui ſi prudens eſt, prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquã poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes, hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Quod etiã & Dauid Regius Pſaltes, cum adhuc eſſet in minimis, ſuo nos docuit exemplo; ſiquidem de eo dicitur 1. Regum 17. *Quod congreſſurus bellum cum Goliath, prius indutus eſt armis Saul quã id ipſum faceret, vt tentaret, an armatus incedere poſſet*, in quo vt videtur magnæ prudentię ſpecimẽ dedit: Ergo non etiam expedit, quod quis fidelis, cum diabolo cõgreſſurus bellum, ſtatum perfectionis aſſumat, ſeu Religionem aliquam ingrediatur, priuſquam ſui ipſius experimentum faciat, & abſque diuturna, & magna conſideratione ac deliberatione. Hæc ſunt præcipua argumenta, quæ diſputationis gratia ibidem adducuntur à D. Thom. Quibus non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur cõcluſio.

Concluſio.

Ad ingreſſũ Religionis, non opus eſt multorũ conſilijs, aut diuturna deliberatione.

MVltorum conſilia & diuturna deliberatio, non ſunt multum neceſſaria ad ingreſſum Religionis. Hanc concluſionem tenet expreſſe D. Thom. vbi ſupra, quam & probat in primis, exemplo Diui Petri & Andreæ, qui à Chriſto Domino vocati ad diuinum eius ſeruitium, ſtatim atq; continuo vt dicitur Matt. 4. *Relictis retibus, ſecuti ſunt eum.* Super quæ verba, hoc approbans factum D. Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matth. Homil. 14. inquit: *Quod talem obedientiam Chriſtus quærit à nobis, vt vocati, nec inſtanti temporis remoremur.* Notanda quidem verba. *Nec inſtanti temporis remoremur*, non igitur imprudentiæ, ſiue vitio, cuipiam erit tribuendum; ſi iuxta conſilium Chryſoſtomi, & talium ac tantorum Apoſtolorũ factum, penes hoc quiſpiam, eoſdem D. Petrum & Andream imitetur, & ad diuinum vocatus ſeruitium, ſtatum perfectionis aſſumat, abſque multorum conſilijs, & magna præcedente deliberatione. Sed præterea probat D. Thom. hoc ipſum, alia ſpecialiſſima & efficaciſsima ratione, quæ & ſimul erit ſolutio primi argumenti in contrariũ propoſiti. Nam quamuis (iuxta ſententiam Philoſophi) diuturna deliberatio & multorum conſilia, neceſſaria ſint in rebus magnis, & quando res ſunt dubiæ, aut dubium eſt, quid agẽdum ſit: at vbi res ſunt certæ & determinatæ, non talis requiritur deliberatio, neque eiuſmodi requiritur conſilium. Hoc ſuppoſito dicit D. Thom. tria, ex quibus conſtare videtur, quod ad ingreſſum Religionis, non ſit neceſſaria diuturna deliberatio, nec multorum conſilia. Primo, quia ſi conſideretur ingreſſus ipſe Religionis in ſe: adeò certum eſt quod talis ingreſſus eſt bonus, vt de hoc qui dubitaret, quantum eſt in ſe, iniuriam Chriſto Domino irrogare videretur, qui de tali ingreſſu conſilium dedit, vt pote de aſſumendo ſtatu perfectionis. Quocirca habito eiuſmodi conſilio, alterius opus non eſt, & in tali caſu alium conſulẽti, optime applicari illud poſſet, quod dixit Auguſtinus olim, ſerm. 7. de verbis Domini: *Vocat te Oriens (ideſt Chriſtus) & tu reſpondes ad Occidentem, ideſt ad hominem mortalem errare potentem?*) Quaſi dicat, non hoc rationi conſonum eſt, nam qui ſuper hac re à Chriſto conſilium habet, alterius ſibi opus non eſt. Secundo inquit D. Thomas ad idem propoſitum, quod ſi reſpiciatur ingreſſus ipſe Religionis, per comparationem ad vires eius, qui ingreſſurus eſt Religionem, nec ſic eſt locus dubitationi de tali ingreſſu, aut ſibi opus eſt ad id multa conſultatione & diuturna deliberatione: nam qui ingrediuntur Religionem (inquit) non confidunt in virtute ſua, neq; in multitudine virium ſuarum, ſe poſſe ſtare & ſubſiſtere, ſed in Deo & in auxilio virtutis diuinæ, quod quidẽ omnibus præſto eſt, ſperantibus in eum: iuxta illud Iſaiæ: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Quo fit, vt timor quorundam, circa ingreſſum Religionis, quodammodo reprehenſibilis atque irrationabilis ſit, vt ingenue probat etiam idem D. Thom. auctoritate prædicti D. Auguſt. lib. 8. ſuarum confeſsionum cap. 11. Vbi de ſe ipſo fatetur, quod ante tempus ſuæ conuerſionis, dum ſui ſtatus mutationem pertimeſceret, ac multũ formidaret, videns tot pueros, puellas, & iuuentutem multam, & homines omnis ætatis, viduas graues, & virgines Deo deſeruire, anus quædam irridere ſibi videbatur, irriſioni quadam hortatoria, ac ſibi dicere: *Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo? Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum, noli metuere? Non te ſubtrahet, vt cadas. Proijce te ſecure, ipſe accipiet te, & ſaluabit te.* Ex hoc colligit D. Thom. non eſſe formidandum de ingreſſu Religionis. Iſai. 40.

Tandem tertio, dicit D. Thom. quod ſi propter aliquod impedimentum, vt putà, infirmitatis corporalis, vel alterius cuiuſque rei, conſultatione opus eſt, ad ingreſſum Religionis; & conſilium deſumendum, non ab alijs eſt petendum, quam ab ijs, de quibus certo ſciamus & ſperemus, quod poſſunt prodeſſe & non obeſſe, rectéque conſulere, circa ea quæ perfectionis ſunt, & homini conueniunt, non verò è contrario impedire. Ad quod propoſitũ adducit illud Eccle. 37. vbi ironice, quaſi contrarium innuere velit, dicitur: *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia.* Quaſi dicat, non hoc vllo modo facias, neque enim expedit, ſeu rationi conſonum eſt. Ideòque ſequitur ibidem. *Non attendas his, in omni conſilio tuo, ſed cum viro ſancto, aſſiduus eſto, & cum eo, quem cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius etiam anima ſit cum anima tua.* Omnia iſta, ſunt quam maximè pẽſanda atq; cõſideranda & notatu digniſsima. Ex quibus infert Diuus Thomas, non eſſe opus, multorum conſilio aut diuturna deliberatione, circa ingreſſum Religionis, ſed penes hoc ſolummodo, quam quis ingredi debeat Religionem. Hoc (inquit Diuus Thomas) quam maximè penſandum eſt, & ad id interdum neceſſaria ſunt multorum conſilia, & magna deliberatio: non

verò circa ingreſsum Religionis in ſe.

Ad argumenta in contrarium propoſita, ex dictis patet ſolutio, & ſiqua ſuperſunt dicenda, videantur apud eundem D. Thom. loco vbi ſupra: nam non poſſumus in omnibus his rebus, amplius immorari.

ARTICVLVS II.

Vtrùm licitum ſit, quempiam inducere & perſuadere, ad ingreſſum Religionis?

HANC difficultatem excitat etiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 189. art. 9. de cuius doctrina & reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Inducere alios ad ingreſſum Religionis, ſi debito modo fiat, ſanctum atq; laudabile eſt, & multum meritorium.

INducere aliquem, ſiue aliquos, ad Religionis ingreſſum, dummodo id debite fiat, ſanctum atque licitum eſt, & talia facientes, magnum apud Deum promerentur præmium. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. Quam & probat: primo auctoritate Diui Iacobi in ſua Epiſtola, cano. cap. vlt. vbi dicitur: *Qui qui conuerti fecerit peccatorem, ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum ſuorum.* Secundo probat id ipſum, ex Daniele capit. 12. vbi habetur: *Qui qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates.* Ac tandem tertio, ex illo quod habetur, Exodi 26. 35. & 36. quibus in locis dicitur, ex diuino præcepto, in ornatum antiqui tabernaculi, quaſdam olim Moyſem cortinas feciſſe, tali ordine diſpoſitas atque connexas: *Vt cortina cortinam traheret.* Quo facto (inquit Diuus Thomas) in ſymbolum, ſeu figuram datum fuiſſe intelligi, quod ille, qui iã eſt quaſi cortina in Dei Eccleſia, ſiue Religionis tabernaculo, etiam diuino ſeruitio mancipatus, ſuo exemplo & cohortatione, ad ſimile curare debet, alios reducere, atq; attrahere. Adquod etiã eſt appotiſſima ratio, nam id facere, eſt alios promouere ad bonum ſibi cõueniens, & ad Euangelica conſilia ſequẽda, quod quam bonum ſit, nulli eſſe poteſt dubium. Sed adnotare oportet, hoc opus adeò pium, licitum atque laudabile, ſimul & meritorium, veſtiri debere, quibuſdam circunſtantijs & conditionibus, quibus deficientibus erit omninò illicitũ & vituperabile, quin verò & peccatum, id quod alias erat ſanctum. Iſtæ autem circunſtantiæ ſunt tres. Prima conſideratur ex parte perſonæ, quæ inducitur ad Religionem. Secunda ex parte ipſius perſonæ inducentis, & tandem tertia, ex parte Religionis, ad quam quiſpiam inducitur. De quibus omnibus per ordinem quid ſit dicendum, ſequẽtes explicabunt concluſiones. Sit igitur ſecunda concluſio, de prima circunſtantia.

Secunda Concluſio.

Ad Religionem, non debet quis violenter induci, neque cogi.

EX parte perſonæ, inductio ad Religionem, fieri poteſt illicita & inordinata, ſi quis violenter ad Religionem inducatur, minis, fraudibus, ſeu alio modo illicito. Hæc concluſio probatur, primo ex eo quod habetur in decreto, *cap. præſens.* 20. quæſt. 3. Vbi hoc ipſum ſtrictè prohibetur. Secundo probatur, quia quod iuſtum eſt, iuſſe etiam eſt exequendum, vt habetur Deuter. 16. An verò votum violenter, & non per media licita de Religione emiſſum, & factum per vim, ſiue metum, in conſcientia teneat & obliget; alibi dicetur infra: non enim eſt præſentis ſpeculationis, neque oportet rerum immutare debitum ordinem. Sit tertia concluſio, de ſecunda circunſtantia.

Tertia Concluſio.

Ad religionẽ nõ debet quis induci ſiue recipi, muneribus datis, ſeu acceptis.

ETiam fit illicita & inordinata talis inductio, ex parte perſonæ inducentis, quando quis ſimoniace, & muneribus datis ſeu acceptis, inducit, ſeu trahit quempiam, ad ſuam Religionem. Hæc concluſio probatur. Quia id etiam eſt prohibitum in decreto, *in cap. quam pio, 1. q. 2. & cap. nullus Abbas*, quibus in locis expreſſe habetur: Quod ab his, qui conuertuntur ad Religionem, nihil omninò eſt exigendum, neque pretio aliquis, ad Religionem inuitandus. Videantur hæc duo capitula, quæ ſunt notatu digniſſima. Sit quarta concluſio, de tertia circunſtantia.

Quarta Concluſio.

Nõ etiam debet quis induci, ad Religionem deformatam.

EX parte Religionis, fit etiam quandoque talis inductio illicita & inordinata, ſi inducatur quiſpiam ad Religionem deformatam, & in qua non reformate & exemplariter viuitur, ſed tepide, & inter maiores & minores, eſt multa & communis relaxatio. Hæc concluſio etiam de ſe patet: & ratio ad id eſt potiſſima; propter periculum quod habebit ſic inductus, ſe ſcandalizandi & nullo modo proficiendi in tali Religione, poſtquam intrauit ibidem, credens atque exiſtimans, ſe ad ſtatum perfectionis induci; poſtea verò ingreſſus, inuenit intus tantam remiſſionem, vt iuſte ſe deceptum fateri poſſit. Hac de re videatur Dominus Caietanus, explicans prædictũ articulũ D. Thom. vbi plura dicit ad hoc propoſitum, notatu quã maximè digna, ſed ſpecialiter videatur Corduba, ſuper regulam noſtram, cap. 2. quæſt. 2. Vbi multa ad hoc propoſitum dicit & allegat, aſſerendo peccare mortaliter eum, qui inducit alterum, ad Religionem deformatam, & vbi non reformate & religioſe viuitur. Ad quod propoſitum adducit illud, quod dixit Chriſtus Dominus olim, Matth. 13. loquendo de Phariſæis: *Væ vobis Phariſæi, & Scribæ, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum Proſelytum, qui cum fuerit factus, facitis filium Gehennæ, duplo magis quam vos.* Dicit ibi Pater Corduba, quod hæc dictio *væ*, vbicunque in ſacra Scriptura reperitur, pro talia facientibus, deſignatur, peccatum mortale, & quod ipſum incurrunt abſque dubio, omnes inducentes alios, ad Religionem non reformatam. Quæ autem Religio dicenda ſit reformata, vel deformata, late tractat ibidem prædictus Corduba, de quo nos infra etiam aliquid ſuo proprio loco dicemus. hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſit illicitum atque peccatum, quempiam ab ingreſſu Religionis retrahere, & quænam ſit id ipſum facientis pœna?

QVæſtionem hanc, ſatis dilucide, docte & abundanter tractat Soto, lib. 4. de iuſtitia, & iure, quæſt. 6. art. 3. in ſolutione ſecundi argumenti. Vbi & refert opinionem, multorum grauiſſimorum doctorum, aſſerentium, quod qui quempiam ab ingreſſu Religionis retraxit, ſeu inde iam factum religioſum extrahit, tenetur eidem perſuadere, vt eandem ingrediatur, ſeu ad ipſam reuertatur, quod ſi facere non potuerit, aut non voluerit, debet alterum loco ipſius ſubſtituere, aut idem ipſe intrare, dummodo poſſit. Hanc ſententiam tribuunt Doctores communiter, Scoto in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. & Ricardo eadem diſt. quæſt. 2. art. 4. quem ſequitur Paludanus ibidem. Hoc ipſum tenuit olim Adrianus in 4. in materia de reſtitutione, quæſt. 2. de bonis animæ reſtituendis. Quin verò in eandem ſententiam ſubſcripſit, Diuus Antoninus de Florentia 2. p. tit. 2. cap. 2. Et præter fortiſſimas rationes, quæ ad hoc, ab ipſis ibidem adducuntur, quas ego breuitatis gratia omitto, remittẽdo lectorem, vt videat ipſas apud Scotum loco ſupracitato, & apud Sylueſtrum, *verbo reſtitutio. 3. q. 1.* Probant prædicti Doctores hoc ipſum, exemplo & facto, B. Raymundi Ordinis Prædicatorum, Generalis olim celeberrimi, nunc autem iã ſanctorũ catalogo aſcripti, qui eandem ob cauſam, habitum eiuſdem Religionis (vt dicitur) aſſumpſit, quia nempe ab eo perperam quempiam alium retraxerat. Sed quidquid de hoc ſit, quod verius eſt atque tenendum, ſequentes explicabunt concluſiones.

Prima Concluſio.

Qui bono animo, & recta intẽtione, retrahit aliquẽ ab ingreſſu Religionis, non peccat, quin verò promeretur.

QVi bono animo & recta intentione, quempiam ab ingreſſu Religionis retrahit, ea ratione, quia ſibi viſum fuit, quod talis ſtatus propter aliquas particulares rationes, cauſas, & circunſtantias, nõ illi eſt conueniens, non ſolũ non peccat, quin verò benefacit & promeretur. Hæc concluſio eſt certa, quam tenet expreſſe Gerſon in ſuis regulis moralibus, alphab. 24. & 67. conſideratione ſecunda, agendo de Religionis perfectione, & eſt communis doctrina omnium ſummiſtarum, nec opus eſt vlla maiori probatione. Nam licet profeſſio monachatus, ex genere conſilium Euangelicum ſit, & bonum quoddam in communi (maius forſan quocunque alio particulari) attamen quod iſte vel ille, modo, & exiſtentibus talibus circunſtantijs, huiuſmodi inſtitutũ, & ſtatum ſuſcipiat, res eſt aliquali conſultatione digna. Et qui viſis omnibus, recte alteri hac de re conſulit, nulli eſt obnoxius peccato, quin verò bene facit: & adeò certum eſt, quod non peccat, vt potius promereatur, dummodo, vt dixi, recta intentione id faciat. Sed aduerto, quod hac in re, maxima cautela & modeſtia in diſſuadenda Religione adhibenda eſt, & in re dubia, declinandum eſt potius in fauorem Religionis, quam in contrarium.

Secunda Concluſio.

Qui iniquo animo, à Religione quempiam retrahit, quamuis non teneatur ad reſtitutionem lege iuſtitiæ, tenetur tamen lege charitatis.

QVi iniquo animo, & peruerſa intentione quempiam retrahit ab ingreſſu Religionis, & ſtatum monachorum ſiue religioſorum illi diſſuadet, quamuis de rigore iuſtitiæ, non ſit obnoxius alicui reſtitutioni, faciendæ eidem, neque conuentui, aut Religioni; tenetur tamen lege charitatis, & correctionis fraternæ, virili conatu, damnum illatum reſarcire, quantum ſibi fuerit poſſibile. Hæc concluſio eſt expreſſa magiſtri Soti vbi ſupra, cuius primam partem probat. Nam vbi nullum inuenitur inuoluntarium, ſed aliquid ſponte, & propria voluntate ab aliquo detrahitur, nulla ſubeſt iniuſtitia, neque reſtitutionis obligatio: ſed in propoſito caſu, quamuis quiſpiam aliquem, iniquo animo & deprauata intentione retrahat, & diſſuadeat illi, quo minus monachatum ſuſcipiat, & Religionem aliquam ingrediatur: ipſe tamen eſt, qui ſponte & propria voluntate id facit, ergo nulla ibi interuenit iniuſtitia, neque reſtitutionis obligatio, cum neque vi cohibitus, nec aliqua fuerit fraude circunuentus. Sed quod oriatur obligatio correctionis fraternæ, ex lege charitatis, & prædicta facere ſit graue peccatum, commiſſum contra charitatem (quod continebatur in ſecunda concluſionis parte) multis probat prædictus Soto, & certe adeò clarum atque perſpicuum eſt, vt nulla indigeat probatione. Sat ſit hic regulam appoſuiſſe, atque adduxiſſe generalem, quod qualem radicẽ quodlibet peccatum habuit, hoc eſt, vel contra iuſtitiam, vel contra charitatem, talis inde emendatio atque compenſatio ſibi competit. Sicque qui contra charitatem in proximum peccauit, illi diſſuadẽdo, ſtatũ Religionis ſibi cõuenientẽ, præterquã, quod cõmiſſit peccatũ grauiſſimũ, propter graue damnum, eiuſdem charitatis præcepto, pro ſua virili tenetur conari, eundem ad Religionem & ad viam perfectionis reducere. Aduerto tamen, quod poteſt Religionis ingreſſus, multipliciter impediri, & diſſuaderi alicui, plures adducendo cauſas, ſiue rationes, vt pote Religionem aliquam vituperando, ſeu ad id, minis ſeu fraudibus aliquibus vtendo. In quo caſu proculdubio, contra iuſtitiam omninò fit, hominem inuoluntarie remouendo. Ad quod damnum reparãdum, tenetur qui talia perpetratus eſt, lege iuſtitiæ fraude detecta, veritatem dicere, & deceptum ipſum edocere, vim, fraudes & minas amouere, ijſque alter libere poſſit redire. Sed tamen quamuis adhuc ille de facto non reuertatur, non tenetur ex eo, alium ſubſtituere, neque ipſe in eãdem Religionem intrare, vt dixere Doctores ſuperius citati, cum nulla ſit lex, aut ratio, quæ illum ad talia obliget, niſi forſan ex conſilio. Imò verò videtur, hoc eſſe quodammodo contra libertatem voti, & contra rationem ſtatus Religionis, qui libere, & ſpontanee, & non aliqua ratione coacte & inuite, ab homine debet aſſumi. Rationes

Nota hanc Regulam generalem, pro materia reſtitutionis.

autem

autem quæ hinc inde, pro alia in contrarium parte adducuntur, videantur apud prædictum Sotũ, & Syluestrum locis supracitatis, vbi hac de re agunt latissime. Ad exemplum verò adductum, B. Raymundi, Respondeo dicendo, fuisse id ab eo sanctissime factum, eritque laudabile consilium, quod qui quempiam ab ingressu Religionis retraxit, eundem penes hoc ipsum imitetur; non tamen ad id tenetur ex præcepto, aut ex obligatione iustitiæ, sed ex consilio (vt dictum est) qua de re videatur etiam Nauar. in suo Manuali cap. 14. num. 32. vbi ad hoc propositum dicunt plura, eaq; notatu digniſſima.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm omnes in vniuersum, venientes ad Ordinem, & Religionis habitũ expostulantes, sint recipiendi?

Conclusio.

Non omnes venientes ad Ordinem, & Religionis habitum expostulãtes, sunt recipiẽdi absque delectu & discrimine.

NON omnes in vniuersum, venientes ad ordinem, & religionis habitum expostulantes, sunt recipiendi absque delectu & discrimine. Hæc conclusio quantum ad sacrum nostrum Ordinem attinet, est expressa D. Bonauenturæ, in libello quem edidit, cui titulus; determinationes multarum quæstionum, super regulam Diui Francisci, quæst. 10. & 15. in quarum altera, quæsitum fuit ab ipso, quare non omnes in vniuersum, ad nostrum ordinem venientes reciperet? Cui quæstioni satisfacere volens, respondet. Id neutiquam expedire, neque Ecclesiæ Dei, nec verò nostro sacro Ordini. Non quidem Ecclesiæ Dei: nam præter hoc, quod ex tanta Monachorum atque religiosorum multitudine, Christianus populus grauaretur nimis, nullumque ex eo commodum, siue vtilitatẽ reciperet, Ecclesiæ etiã Dei nõ vtile est (inquit D. Bonauent.) quod omnes ad Religiones admittantur, absque delectu & discrimine, sed ij dumtaxat, qui per vitæ meritum, & bonæ conuersationis exemplum, & etiam doctrinæ scientiã, illi possint esse vtiles, qui & valeant in spiritualibus satisfacere, ijs quæ temporaliter pro sua temporali sustentatione recipiunt. Sed quod neque hoc conueniat nostro sacro Ordini; probat euidentissime idem D. Bonauen. ex eo, quod non nobis omnes conueniunt, qui expostulant nostræ sacræ Religionis habitum. Sunt enim multa, varia atq; diuersa hominum ingenia, conditiones, mores & qualitates, & si id (inquit) fieret, multos sæpissime reciperemus imbecilles, & qui non possent nostri Ordinis sustinere rigorem, multos pauperes, qui non propter Deum, aut diuinum eius seruitium, sed pro sua sustentatione, nobiscum vellent viuere, multos item, moribus incompositos, quos vix pro praua & malasua consuetudine, corrigere & emendare valeremus, per quos Ordinis disciplina dissolueretur, & profectus aliorum impediretur: Et præterea, populus fidelis, non posset nos & illos sustentare & alere, neque inter nos ipsos inuenirentur, qui illis vellent inseruire. Tandem si id fieret, nostra sacra Religio, corpore simul & spiritu, quasi multitudo confusa periret. Id quod dicit D. Bonauent. de Religione nostra, potest intelligi pariformiter de omnibus alijs Religionibus. Ex quibus manifeste colligitur, id quod in conclusione est dictũ, nempe, neque Ecclesiæ Dei, neque Ordinibus, siue Religionibus, vtile atque proficuum esse, quod omnes in vniuersum venientes, & earundem habitum expostulantes, recipiantur, & admittantur, sine delectu & discrimine. Multo enim melius est (inquit D. Bonauentura) paucos & raros religiosos esse, quam multiplicari ipsos, & ad Ordinem interdum recipere, qui religiosorum solo contenti habitu & nomine, irreligiose viuant, & per suam malã atq; peruersam vitã, alios scandalizent. hæc in quæst. 10. In quæstione autem 15. interrogatus prædictus D. Bonauent. cur in contrarium, quandoque aliquos inutiles, & non conuenientes, ad ordinem siue Religionem reciperet, Ecclesiam & fidelem populum, onerando & grauando, religioni etiam suæ damnum inferendo, quia multitudo incomposita, causa est multorũ malorũ, & magnæ cõfusionis? Respondet, & dicit, quod nos sciẽter, inutiles nullo modo recipimus; sed illud omninò nobis, præter spem contingit. Et addit, quod quatuor de causis solemus ad ordinem superuenientes recipere; ex quibus etiam prouenit, quod aliquãdo aliqui inutiles recipiantur. Primo, propter profectum Ordinis, sperantes aliquos vtiles eidem esse futuros, sua scientia, industria, morum venustate & grauitate. Secundo, propter aliorum ædificatiõnẽ, quãdo scilicet veniunt aliqui, qui aliquo modo in seculo sunt famosi, quib alij de talium conuersione ædificentur, siue eorum incitentur atq; prouocentur exemplo. Tertio, propter compassionem quandoque perditionis ipsorum, qui ad Religionem veniunt, de quibus credimus & speramus, quod proficient in melius, & iustissime timemus, quod extra ipsam in seculo existentes, vix aut nullatenus poterunt saluari. Tãdem quarto, inquit, id facimus, propter magnam precum instantiam, quam aliqui pro se, seu pro alijs faciunt, vt recipiantur, sicque nimia sua importunitate, quandoque obtinẽt, aliquos in Religione recipi, quibus, vt videtur, iuste id non poterat denegari. Eæ sunt causæ, inquit D. Bonauent. quibus inducti, multos interdum ad Religionem admittimus, quorum aliquos inutiles esse contingit, sperantes nos ipsos futuros esse vtiles. Neque id incongruum omninò est, aut contrarium prorsus rationi, cum ex exemplo & doctrina Christi Domini, Agricola etiam & qui seminat, & plantat, spe ductus quod omnia coalescant, nõ recte semper metit, aut colligit, imò verò: dũ seminat semẽ suũ, vt in quadam Euangelij Parabola habetur, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud, aliud supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorẽ, aliud inter spinas, & simul spinæ exortæ suffocauerunt illud: aliud tandem in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplũ, &c. Sic & nos (inquit D. Bonauent.) sæpe seminamus, & plures

Quatuor de causis recipiũtur venientes ad ordinẽ secundum D. Bonauent.

sulcos

sulcos emittimus, sperantes quod omnia conualescant, in religiosis ad Ordinem nostrum receptis, si tamen id præter omnem spem nostram, nō ita sæpe fit, id non vitio nobis tribuendum est, neque ipsos ad Religionem recepisse, aliqua est ratione carpendum, siue reprehendendum. Prædicta omnia, notatu sunt dignissima, quæ pro isto articulo, breuiter dixisse sufficiat.

QVAESTIO XVII.

De nouitijs, quantum ad conditiones & qualitates, quas ipsos de iure communi oportet habere, in octo Articulos diuisa.

Conditiones requisitæ de iure communi, pro recipiendis nouitijs.

MVltæ sunt in nouitijs recipiendis, qualitates & conditiones requisitæ, quas omnes antequā recipiantur ad habitum, oportet inuestigare & inquirere. Quædam enim sunt necessariæ de iure communi, aliæ ex nostra regula, aliæ ex nostris constitutionibus generalibus, de quibus omnibus in præsentiarum per ordinem est agendum. De iure communi, septem aut octo conditiones siue qualitates sunt requisitæ. Prima, vt is qui ingressurus est Religionem, non sit vxoratus, siue matrimonio ligatus atque coniunctus. Secunda, quod sit conditione liber, & sui iuris, non verò seruus. Tertia etiam, quod non sit Episcopus, seu in aliqua dignitate constitutus. Tales enim sine expressa licentia Summi Pontificis, ad Religionem non possunt admitti. Quarta, vt is qui ingreditur Religionem, non sit vi vel metu compulsus. Quinta, quod non etiam sit impubes, mente captus, aut furiosus. Sexta, quod non sit obligatus ratiocinijs publicis, siue perpetuis. Septima, quod non sit onustus, siue grauatus debitis. Ac tandem vltima (& hæc potius est de iure naturali) quod non habeat parentes extreme indigētes, seu in extrema necessitate constitutos. De ijs omnibus qualitatibus & conditionibus, agendū est à nobis in præsenti quæstione, per octo articulos. Postmodum verò in sequentibus per ordinē, agemus de alijs conditionibus, siue ex regula nostra, seu ex nostris constitutionibus generalibus requisitis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vxoratus, & qui matrimonio est ligatus siue coniunctus, sine licentia vxoris, ad Religionem possit admitti?

QOngissima est materia præsentis articuli, & circa quam, innumeræ atq; grauissimæ emergunt difficultates, quas ego in præsentiarum breuiter perstringam. Et præmissa distinctione de matrimonio, rato & non consummato, & de matrimonio consummato; proposito articulo. Respondeo per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Si matrimonium est ratum, & non cōsummatū, liberum est cuilibet coniugum, altero etiam inuito, ad Religionē transire.

SI matrimonium est ratum & non consummatum, liberum est cuilibet coniugum, altero etiam inuito, ad Religionem transire, & in eadem potest admitti. Hæc conclusio est expresse determinata atque definita, in multis capitulis, quæ habentur, *in decretalibus toto titulo de conuer. coniugat.* sed præsertim *in cap. ex publico*, vbi & exempla Beati Macarij atque Alexij referuntur, qui hoc ipsum fecerunt, estque communis sententia omnium Doctorum, tam Canonistarum, quam Theologorum, quod matrimonium ratum, & non consummatum, dissoluitur per ingressum Religionis. Videatur hac de re Syluester, *verbo Religio, 2. quæst. 9. & verbo matrimonium, 8. quæst. 12.* & aduerto quod in tali casu, facta iam coniugis professione, in seculo manens, poterit matrimonium contrahere: nam professio est quædam mors ciuilis, vt definitum est in prædicto, *cap. ex publico. de conuers. coniugatorum.*

Secunda Conclusio.

Si matrimoniū est ratū, simul & cōsummatū, nulli coniugum licet Religionem ingredi, altero inuito.

SI matrimonium est ratū, simul & consummatum, nulli coniugum licet, altero inuito, Religionem ingredi. Hæc conclusio definita etiam, atque determinata est, in multis iuribus & capitulis, quæ habentur *in prædicto titulo de conuersione coniugatorum*. Et etiam est communis Doctorum resolutio; quod matrimonium ratum & consummatum, non dissoluitur per ingressum Religionis, nec sic ligati atque coniuncti, possunt Religionem ingredi, altero coniuge inuito, nisi cum certis quibusdam conditionibus, de quibus statim dicemus. Hac de re videatur etiam Syluester vbi supra.

Difficultas, qua ratione matrimoniū ratum, non consummatū non impediat Religionis ingressum, consummatū verò sic.

Sed difficultas insurgit, nec parua, quin verò maxima, quo pacto seu qua ratione, matrimoniū ratum, & non consummatum, non impediat Religionis ingressum, imò verò per ipsum dissoluatur, consummatum verò sic, cum in essentialibus, hoc est in mutuo consensu, æqualia omninò sint, mutuusque consensus æqualiter vtrobique interueniat, nec in eorū altero aliquid deficiat, nisi sola consummatio, & carnalis copula, quæ cum accidentalis sit, neque ad essentiam matrimonij pertineat; non paruam circa hanc rem ingerit difficultatem: quomodo, quod accidentale est, essentiale ita mutet, & variet, vt in vno casu,

Reli-

Religionis ingreſſus non impediatur; quin verò matrimonium diſſoluatur, in altero verò non, & qua id auctoritate fiat? Cui grauiſſimæ difficultati & quæſtioni, Reſpondeo per ſequentem concluſionem, quæ erit tertia in ordine.

Tertia Concluſio.

Matrimonium ratum, & nõ conſummatũ, diſſoluitur per ingreſſum Religionis, nõ auctoritate humana ſed ordinatione diuina, traditione conſtante, à tempore Apoſtolorum

COmmunis eſt Doctorum ſententia, quod matrimonium ratum & non conſummatum, diſſoluitur per ingreſſum Religionis, non quidem auctoritate humana, ſed ordinatione diuina, ex voluntate diuina, conſtãte à tempore Apoſtolorũ & Eccleſiæ antiquiſſima traditione, in diuina etiã ſcriptura fundata. Hæc concluſio eſt certa, & reperitur expreſſa in multis capitulis, quæ habentur, *toto titulo de conuerſione coniugatorum, ſed maxime in cap. expublico, & in cap. ſcripſit*, 27. q. 2. Ac demum nuperrimè, hoc ipſum definitum atque determinatum eſt, in Concil. Trident. Seſſione 24. cap. 1. Canone. 6. Sed quod id ipſum fiat, non aliqua auctoritate humana, ſed ex ordinatione & voluntate diuina; ex multis probant Doctores, ſed maximè ex eo, quod habetur in præallegato, *cap. ſcripſit*, quod eſt Nicolai Papæ. Vbi poſt alia, quæ ſequũtur habentur verba. *Licet ſcriptum ſit, quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: Deus tamen & nõ homo ſeparat, quãdo diuini amoris intuitu, ex conſenſu vtriuſq; coniugis, matrimonia diſſoluuntur.* Verba ſunt expreſſa, & ſit ſermo, vt videtur de matrimonio rato & non conſummato. Quo quidem caſu, nõ tam diſſolui, quam perfici, matrimonium eſt dicendum, atque in melius commutari auctoritate Dei, dum per Religionis ingreſſum, quis deſponſatus, aut quæ erat deſponſata creaturæ, per mutationem ſtatus, de nouo ſponſatur Creatori, quo ſolo caſu licet, quemlibet illorum, coniugem deſerere, nõ auctoritate humana, ſed diuina, vt dictum eſt. Ad auctoritatem quæ in contrarium adduci ſolet, ex verbis Chriſti Domini, Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quæ & referuntur à Diuo Paulo, 1. Corinth. cap. 7. Vbi de hoc argumento multis agit, Reſpondetur, ſicut reſpondit ſupradictus Papa Nicolaus, in prædicto capitulo ſcripſit: Quod Deus & non homo ſeparat, quando intuitu diuini amoris & ad ingrediendam Religionem matrimonia diſſoluuntur.

Sed ſit caſus, quod matrimonium ſit ratum, ſimul & conſummatum, habebuntne coniugati aliquod remedium, quò ambo, ſeu alter illorum, Religionem ingrediatur? Reſpondetur, & ſit quarta concluſio.

Quarta Concluſio.

Conditiones requiſitæ, ad ingrediendũ Religionem, poſt matrimonium conſummatum.

SI matrimonium eſt ratum, ſimul & conſummatum, ad hoc vt quiſpiam coniugum, Religionem ingredi poſſit, neceſſum eſt, quod alter etiã monaſterium ingrediatur, aut ſaltem quod licentiam ſibi dederint, auctoritate Dioceſani Epiſcopi, voto continentiæ iam emiſſo, & illius ſint ætatis ambo, quod de eis non poſſit oriri ſuſpicio. Hæc concluſio eſt certa, & expreſſe determinata, *in capitulo. cum ſis præditus, de conuerſione coniugatorum, & in cap. Agatoſa*, 27. q. 2. & eſt communis omnium Doctorum reſolutio. Sed curioſitatis gratia quæro vlterius, an qui viri ſiue vxores, cum ſupradictis qualitatibus & conditionibus. Religionem ingrediuntur, poſt votum iam emiſſum & factam profeſſionem, ſint verè vxorati, & verè maneat inter ipſos matrimonij vinculum? Cui difficultati breuiter reſpondeo, Eſſe communem omnium Doctorum reſolutionem, quod matrimonij vinculum adhuc durat inter eos. Nam cum ſemel fuerit validum, poſtquam vt ſupponitur fuit ratũ ſimul & conſummatum, & per ingreſſum Religionis non diſſoluatur, verè remanent vxorati, neq; impediuntur, niſi ſolummodo quantum ad vſum (nempe copulam) & quantum ad cohabitationẽ, petitionem, & ſolutionem debiti, propter emiſſum ſolemne caſtitatis & continentiæ votum. Secus eſſet, ſi votum fuiſſet ſimplex, & non in aliqua Religione approbata emiſſum: tunc enim matrimonium, per votum ſimplex poſtea emiſſum non diſſolueretur; ſed propter periculum incontinentiæ, opus illis eſſet, vt peterent diſpenſationem, à Domino Papa, quò poſſent inuicem copulari, quam & faciliter ipſe Summus Pontifex præſtabit. Secus eſt autem cum votum fuerit ſolemne, & in Religione approbata emiſſum, quo quidem caſu, Summus Pontifex, ſecundum veriorem Doctorum ſententiam, diſpenſare nequaquã poteſt, niſi forſan in aliquo caſu, raro & extraordinario, propter commune bonum, & communẽ Eccleſiæ vtilitatem, vt latiſſimè tradunt Doctores, agentes de voti ſolemnis diſpenſatione, ſed de hoc aliàs.

Matrimonij vinculum, etiam durat, inter vxoratos, qui adimpletis iuriscõditionibus, ingreſſi ſunt Religionem.

Quæro vlterius, quid faciendum ſit, ſi alter cõiugum noluerit ingredi Religionem, ſed ſolummodo conſenſum præſtare, vt alter ingrediatur, eritne hoc ſufficiens? Reſpondeo, & ſit quinta cõcluſio.

Quinta Concluſio.

Quid ſit faciendum, quando alter coniugum noluerit ingredi Religionem, ſed ſolũmodo cõſenſum atque licentiã præſtare, quò alter illam ingrediatur.

SI alter coniugum noluerit ingredi Religionem, ſed ſolummodo licentiam atque conſenſum præſtare, quò alter illam ingrediatur, id optimè fieri poterit, dummodo fiat de licentia Epiſcopi, voto continentiæ iam emiſſo, & illius ſint ætatis, vir ſiue vxor, quod non poſſit de eis oriri ſuſpicio. Hæc concluſio etiam habetur expreſſa, *in cap. ſi vir. 27. q. 2. & in cap. cum ſis præditus de conuerſ. coniug.* quòd ſi quidpiam in contrarium fiat, & abſque ijs conditionibus requiſitis, Religionem aliquam quiſpiam ingrediatur, communis eſt omnium Doctorum reſolutio, quod profeſſio facta, erit ipſo iure nulla, nihilque valebit, & extrahi poterit, qui talem profeſſionem emiſit ab altero coniuge. Hoc habetur expreſſe in præallegato, *cap. cum ſis præditus, & in c. præterea, cap. quidam. de conuerſ. coniug.* & quod amplius eſt, ſic extractus, mortuo iam coniuge, ſiue complice, poterit etiã matrimonium contrahere, nec teneretur iterum ingredi Religionem, cum votum fuerit in ſe nullum atque inualidum, ſine ſupradictis conditionibus & requiſitis, quæ ſunt de iure communi, non ſolum prohibentibus, verum etiam contrarium factum irritantibus. Videaturhac de re gloſſa in prædicto, *ca. præterea de conuerſ. coniug. verbo reuocari*. Vbi ad hoc propoſitum quam plura adducuntur iura.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm seruus, & qui non est sui iuris, neque conditione liber, ad Religionem possit admitti?

HANC difficultatem mouet Syluester, *verbo Religio.* 2. quæst. 3. de cuius doctrina & resolutione, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

Seruus nisi de licētia sui Domini, ad Religionem non debet admitti.

SEruus, nisi de licentia sui Domini, ad Religionem non debet admitti. Hæc conclusio, est omnium Doctorum cōmunis, & habetur expressa, *in cap. si seruus, cap. generalis* 54. *dist.* & expressius *in cap. si quis incognitus.* 17. quæst. 2. & ratio ad id est, appositissima. Quia seruus sui Domini est: non verò sui iuris, quo fit, vt ipse de se nullatenus possit disponere; neque ab alijs in Religione aliqua admitti, sine voluntate & consensu Domini, quatenus res aliena est: alias enim ex vtraque parte esset furtum, vt de se patet, cum sit contrectatio rei alienæ, inuito Domino.

Secunda Conclusio.

Si seruus Religionem ingrediatur, & repetatur à Domino suo, erit sibi restituēdus, dummodo repetatur intra triēnium, non verò postea.

SI seruus Religionem aliquam ingrediatur, & repetatur à Domino suo, erit sibi restituēdus, cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de eius impunitate, dummodo repetatur intra triēnium, non autem postea, nisi Dominus esset tam longe, quod verisimiliter nō posset inueniri. Hæc conclusio habetur expressa in præallegato, *cap. si quis incognitus*, & est communis omnium Doctorum. Sed glossa prædicti *cap. verbo intra triēnium*, acutam quandam difficultatem excitat, quo nam modo, prædictus seruus, qui sui corporis furtum fecit, triennij temporis spatio, rē furtiuam vsucapere potuerit, cum neque longiori tempore, seruus fugitiuus posset prescribi, vt habetur *in leg.* 1. *C. de seruis fugit.* Cui difficultati respondet, fuisse hoc concessum, sicque ordinatum in fauorem Ecclesiæ, atque status religiosi: pro quo facit, *authēt. de monachis.* §. *de singulis*, similisque fauor reperitur Ecclesiæ factus, *in ca. quæsisti.* 17. q. 4. quāuis nō desint qui dicāt, quod in tali casu, licet monasterium transacto triennio seruum non restituat, recompensauit tamen damnum domino, iuxta id, quod habetur determinatum, *in cap. comperimus.* 14. q. 6. quod est multum notandum ac memoriæ commendandum.

Tertia Conclusio.

Si seruus de facto profiteatur, & in sua receptione vsus est fraudibus, quamuis sit religiosus erit nihilominus Domino

SI seruus de facto profiteatur, & in sua receptione, vsus est fraudibus, vt putà probando per falsos testes, se esse liberum, non obstante professione, domino erit restituendus, & restitutus, erit nihilominus religiosus, & Religioni quantū in ipso est obnoxius. Hæc conclusio colligitur expresse *ex cap. de seruorum, de seru. non ordi. ibi, quadam calliditate, vel fraude.* 27. q. 1. Et est argumentum desumptū, *ex cap. de viduis.* Vnde manumissus contrahere non poterit. Ita tenet expresse Syluester ex multorum Doctorum opinione, vbi supra, & hoc dicit esse in pœnam sui sceleris, quia vsus est fraudibus.

suo restituendus, & dimissus contrahere non poterit.

Quarta Conclusio.

Si seruus pro fiteatur, de consensu monasterij, & monasterium fuit in culpa, manebit in Relig. & monasterium satisfaciet Domino.

SI seruus Religionem aliquam ingrediatur, ibique profiteatur, & monasterium fuit in culpa, vtpote quia sciebat eum esse seruum, vel si neglexit inquirere, cum esset incognitus, remanebit in Religione, sed monasterium satisfaciet Domino damnum, secundum æstimationem boni viri. Hæc conclusio habetur expressa, *in cap. si seruus.* 54. *dist.* Neque obstat, *cap. quidam de conuer. coniug.* quatenus habet, quod habens vxorem, ea inuita castitatem seruare non potest, & quod si de facto profiteatur, eidem restituitur. Ex quo colligi videtur, quod idem dicēdum sit de seruo, quod inuito Domino, non possit esse religiosus, & eidē est restituendus. Nam est multum dispar ratio, vt dicit Syluester loco supra citato, in qua diuersitate explicanda plura essent dicenda, quæ prudens prætereo, propter breuitatem nimiā, cui studeo. Sed quia superius in prima conclusione diximus, quòd seruus à Domino suo, intra trienniū repeti potest, nō verò postea, aduerto quod quamuis sit differētia inter Doctores, circa quod tempus huiusmodi incipiat triennium, affirmantibus quibusdam, quod à tempore ingressus; dicentibus verò alijs, quod à tempore scientiæ Domini; hoc vltimum magis arridet Syluestro, ac dicit prædicta omnia esse vera, in omni seruorum genere, siue sint Coloni, siue originatij, siue verò adscriptitij, quæ pro isto articulo dicta sufficient.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Episcopus, & qui in aliqua est dignitate constitutus, sine expressa Papæ licentia, ad Religionem possit admitti?

Prima Conclusio.

Episcopus absque licentia Papæ, non potest Religionem intrare, neque ibidem debet vllo modo admitti.

CErtissimum est, quod Episcopus, & in Episcopali dignitate constitutus, Religionem non potest intrare, neque ad ipsam debet admitti, absque expressa licentia Papæ. Hæc conclusio est expressa Innocentij Tertij, *in cap. nisi cum pridē de renunciatione.* Vbi cuidam Archiepiscopo Calaritano, sibi poscenti, vt ad Religionem liceret transire, respondit Pontifex, Quod si talibus moueturde causis, quæ continentur ibidem, de licētia Apostolica id faciat, sin autem, auctoritate Apostolica, sibi nouerit esse penitus interdictum. Et addit quædam notanda verba, quia (inquit) & si pennas habeat sicut Aquila, quibus fatagat, & desideret in solitudinem aduolare, ita tamen adstrictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum nō habeat, absque sua permissione volatum. Et ponit Pontifex in prædicto capitulo, sex causas, ex quibus Episcopus, potest petere, & Romanus Pōtifex

Causæ sufficientes ad cedendū Episcopatui.

Ad de relinquendũ Epiſcopatum, non ſufficit licentia a Papa petita, ſed neceſſarium eſt, quod ſit obtenta.

tifex cõcedere licentiam conſueuit, ad cedendum Epiſcopatui, & ingrediendã Religionem, quę cauſæ ſequentibus verſibus comprehenduntur. *Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis; Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit*, quæ quidẽ cauſæ latiſſimè à gloſſa explicãtur ibidẽ. Sed aduerte, quod ad id, non ſufficit licentia Papæ petita, quin vero neceſſum eſt, quod habeatur expreſſe cõceſſa, vt recte probat & tenet Panorm. *in cap. licet. de regularibus.* Vbi id ipſum inſinuari, ſeu potius expreſſe affirmari videtur, quãdo dicitur: *Quòd nullus abſque Romani Pontificis licentia, occaſione quacumque, debet deſerere præſulatum.* Cuius rationem reddit ibi Pontifex, dicens. *Quod ſicut maius bonum, minori bono præponitur, ita & communis vtilitas, ſpeciali vtilitati præfertur: in quo quidem caſu, recte præponitur doctrina ſilentio: ſolicitudo, contemplationi: & labor, quieti.* Videatur hoc capitulum, cum gloſſa, vbi continentur plura, eaque notatu digniſſima. Hac etiam de re, videatur Nauarro lib. 1. conſiliorũ, conſil. 1. & 4. de renuntiatione. Vbi ad hoc propoſitum plura etiam adducit, ad oſtendendum, quod non deceat, aut liceat Epiſcopo, renũtiare Epiſcopatui, & dignitati, ſi adhuc eſt corpore ſanus, & animi viribus præditus, & cum fructu, munus ſuum poſſit exequi. Ad quod probandum affert, *capit. 1. de renunciatione*, vbi Alexander III. cedendi denegauit licẽtiam cuidam Epiſcopo, qui propter nimiã ſenectutẽ, illã expoſtulabat: & adducit ſupradictũ *cap. niſi cum pridem, eodem titulo*, & alia multa dicit notatu digna, quæ per tempus, ſi liceret lubẽs dicerem. Tandem ſuprapoſita noſtra concluſio, probatur ratione. Nam derelinquere Epiſcopum, ſuum Epiſcopatum, etiam ad ingrediendum Religionem, re vera eſſet deſcendere; cum ſtatus Epiſcoporum, altior & perfectior ſit, ſtatu religioſorum quorumcumque, vt recte probat D. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 7. vbi hanc difficultatem in medium producit, & dicit de mẽte D. Dionyſij, quod Epiſcopi, ſunt in ſtatu perfectorum, ac proinde perfecti iam ipſi dicuntur (tales enim eſſe debẽt) religioſi autem in ſtatu perficiendorum. Quò fit vt ipſorum ſtatus perfectior ſit: nam vt inquit Auguſt. lib. 12. cap. 16. ſuper Geneſ. ad literam, ſemper agens præſtantius eſt patiente. Cum hoc tamen ſtat ſecundum eundem D. Thom. vbi ſupra, quæſt. 185. art. 4. quod Epiſcopus iuſta interueniente cauſa, licite poſſit derelinquere Epiſcopatum, vt ſe ad Religionem transferat, dummodo id fiat (vt dictum eſt) de licentia Romani Pontificis, petita, ſimul & obtenta. Quod & ita fuiſſe præceptum, rationi fuit quam maxime conſonum: & vt qui curam alicuius regiminis ſiue Præſulatus ſuſcepit, per prouidentiam ſuperioris prælati, non niſi de illius licentia, & auctoritate, illam deſerat: & hoc etiam fieri debet, ex iuſtis interuenientibus cauſis, quæ ibidem adducuntur & numerantur à D. Thom. Sed aduerto cum eodem, quod qui petunt à Papa licentiam cedendi Epiſcopatui, ſeu à cura Epiſcopali, illamque obtinuerunt ad cedendum compelluntur, vt habetur expreſſe, *in cap. quidam, de renuntiatione* quod eſt Concilij Lateranenſis, cap. 28. Vbi dicitur; *quod qui petit cedendi licẽtiam ex quo illam obtinuit, cedere compellatur*, quod eſt valde notandum, & hoc quantum ad Epiſcopos. Quantum vero attinet ad alios prælatos, in minori dignitate conſtitutos, ſit ſecunda concluſio.

Epiſcop' qui petit licentiã cedendi Epiſcopatui, ea oõtenta cedere tenetur.

Secunda Concluſio.

Cuilibet prælato, Epiſcopo inferiori, licitũ eſt prælaturã dimiſſa, ingredi Religionem.

CVilibet prælato citra Epiſcopum, in quacumque dignitate, vel cura conſtituto, licitum eſt, dimiſſa prælatura, Religionem intrare, & ad ipſam petita licentia, quamuis non obtenta poterit admitti. Hæc concluſio, eſt expreſſa, Panormitan. *in capit. quòd Dei timorem, de ſta. mo.* Et quamuis quibuſdam videatur, quod non id poſſunt facere prædicti, ſine licentia Epiſcopi, petitã & obtenta; ſufficit tamen illam petiuiſſe, quamuis non illam obtineant. argumento *capit. licet quibuſdam de regul.* Imò verò D. Thom. 2. 2. quæſtio. vltima artic. 7. inquit, quod Epiſcopo etiam inuito, hoc poſſunt facere archidiaconi, & presbyteri curati. Ad quod propoſitum, dicit Sylueſter *verbo Religio. 2. quæſtio* 8. quod idem eſt iudiciũ de præpoſitis, decanis, Archipresbyteris, & de omnibus inferioribus Epiſcopo, pro quo facit, *cap. duæ ſunt leges. 19. quæſt. 2.* adductum etiam à D. Thom. in præallegato articulo, vbi circa has duas concluſiones, plura dicit, eaque notatu digniſſima. Sed aduerto, quod in caſu, quò aliquis ex prædictis, Religionem intraret, beneficia & dignitates eorum, non ipſo facto vacarent, neque vlli debent conferri, niſi poſt profeſsionem factam, tacitam vel expreſſam; vt habetur expreſſe *in capit. beneficium. de regul. & tranſeunt. ad Relig. lib. 6.* vbi etiam dicitur, quod ipſorum loco, debet ſubſtitui atq; aſſignari alius, qui pro ingreſſo deſeruiat, cui & dari debet debita portio: reliquum verò, vel erit eius: vel tradentur bona Monaſterio, ne ei ſit oneroſus; vt habetur *in capit. delapſis. 16. quæſt. 6.* Interim tamen remanent ſupradicti, in ſuis dignitatibus, & ſunt vere Archidiaconi, Decani, Canonici, ſiue Curati, ſicut prius, vt dictum eſt. Qua de re videatur Sylueſter verbo, *religio. 2. quæſtio. 8. numero. 8.* vbi ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſsima.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ille, qui eſt vi, vel metu compulſus, ad Religionem poſsit admitti: & in quam pœnam incidant talia facientes?

Prima Concluſio.

Qui vi, vel metu, creditur eſſe compulſus, nullatenus eſt ad Religionẽ admittendus.

QVi vi vel metu, crẽditur eſſe compulſus; nullatenus ad Religionem debet admitti. Hæc concluſio eſt certa, & omnium Doctorum communis, quæ vt dicit Sylueſter *verbo votum. 2. quæſt. 12.* intelligenda eſt, de vi, & metu extrinſecus ab homine illato: nam votum ex tali metu factum, non obligat. vt amplius dicit idem Sylueſter *verbo metus. §. 8.* & ſi eſt iuſtus, excuſat ab obligatione cuiuslibet contractus, quia eſt ipſo iure nullus, maxime in illis

con-

contractibus, in quibus liber conſenſus requiritur, qualis eſt contractus voti ſiue Religionis. Videatur hac de re Syluester locis ſupradictis, vbi ad hoc propoſitum, plura dicit eaque notatu digniſſima. Sed quod ad votum, ſiue Religionem, nullus ſit vi, vel metu compellendus, nec huiuſmodi ſint ad habitum, ſiue Religionem admittendi, probatur ex multis iuribus, & primo *ex ca. puella. 20. q. 2. & ex capit. vltim. 22. quæſt. 2.* quod eſt deſumptum ex Concil. Toletat. 3. canon. 10. Idem habetur, *in capit. integritas. 22. quæſt. 1.* vbi habetur, *quod virginitas ſuaderi quidem poteſt, imperari autem non poteſt, eſt enim res magis voti quam præcepti.* Quæ verba exponens Gloſſa, inquit. Quod eſt res, magis liberæ voluntatis, quam exactionis, ſeu ad quam quiſpiam cogi poſſit. Quod probat argumento deſumpto, *ex capit. Epiſcopus, & ex capit. Geſta. 64. dict. & ex cap. præſens. 20. quæſt. 3.* Quod adeò verum eſt, vt ad faciendum votum, ſeu recipiendam Religionem, non ſufficiat qualis qualis voluntas, ſeu quilibet conſenſus, imò verò oportet, quod ille ſit omnino liber à metu, per *capit. 1. de his, quæ vi, metus ve cauſa fiunt*, à metu (inquam) etiam reuerentiali, vt tenet *Gloſſa in præallegato, capit. præſens. 20. quæſt. 3.* Hac de re videatur Nauarr. *in cap. ſtatuimus, à numer. 71. vſque. 74.* & in Conſilijs, lib. 3. de Regularibus, conſil. 5. Vbi explicat decretum *Concil. Trident. ſeßione 25. capit. 18.* & agit etiam de pœna, in quam incidunt talia facientes. De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Qui vi, vel metu cogunt aliquos, ad hoc, vt aliquã Religionẽ ingrediantur, vel non ingrediãtur, peccant mortaliter, & ſunt excommunicati ipſo facto.

QVI vi vel metu cogũt aliquos, ad hoc vt Religionem aliquam ingrediantur, præterquam, quod peccant mortaliter, ſunt ipſo facto excommunicati. Hæc concluſio eſt determinata in præallegato Concilio Tridentino ſeſſio. 25. vbi hac de re agens, ſequentia ponuntur verba. Præmittitur titulus ad capit. 18. contra eos, qui cogũt mulieres ad Religionem, vel ſine iuſta cauſa, impediunt volentes, & inquit concilium. *Anathemati ſancta Synodus ſubijcit omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, ſeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam (præterquam in caſibus à iure expreſsis) ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſsionem. Quique conſilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſsionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque Anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo (ſine iuſta cauſa) impedierint. Eaque omnia & ſingula, quæ ante profeſsionem, vel in ipſa profeſsione fieri oportet, ſeruentur non ſolum in Monaſterijs ſubiectis Epiſcopo, ſed & in alijs quibuſcumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes, aut conuertitæ appellantur, in quibus conſtitutiones earum ſeruentur.* Hactenus Concilium. Circa quæ verba, plura veniunt notanda, eaque maxima animaduerſione digna. Et primo, quod licet qui cogit fœminã Religionem intrare, aut volentem impedit, ſit excommunicatus ipſo iure, per prædictum concilium, ſiue ille ſit pater, aut mater, aut magiſtratus, vt tradit Nauarr. in prædicto ſuo Manual. cap. 14. nume. 17. non tamen in eandem incidit, qui cogit virum ſiue puerum, cum nõ ibi expreſſe habeatur, quamuis peccet mortaliter. Cuius ratio eſt, quia leges non ad ſingularia & particularia, ſed ad frequentiora reſpiciunt, *iuxta legem, nam ad omnes. ff. delegat*, & viri etiam pueri, non ita facile coguntur, ſemperque leges, maxime pœnales, debent mitius interpretari, & potius reſtringi quam ampliari, *iuxta capit. in pœnis, de regulis iuris lib. 6.* Vbi habetur, *quod in pœnis ſemper eſt, benignior interpretatio facienda.* Vnde cum Concilium expreſſe, non faciat mentionem, de cogentibus viros ſiue pueros, faciat autem illam de puellis, ſiue fœminis, dicendum videtur, quod quamuis hæc facientes grauiter peccent, non tamen ſunt per prædictum decretũ excommunicati. Similiter dico, quod conſulentes, fauentes, & conſilium præſtantes, in dicto decreto nominati, quin vero, & ipſi cogentes puellas, ad ingrediendum, vel non ingrediendum Monaſterium, ob eandem rationem, & cauſam, non in excommunicationem incidunt, ſi non ſortiatur effectus, nam coactio effectum quidem dicit, neque cogens ingredi, ſeu quod coegerit, dici poteſt quiſpiam, niſi ſubſecuto ingreſſu; non enim excommunicantur ibi, conantes cogere, ſed vere cogentes ingredi: aliud eſt etiam cogere, aliud verò cogere conari. Vnde certum eſſe credo, cogentem cum effectu ſolummodo eſſe per prædictum capitulum excommunicatum; non autem eum, qui conatus eſt cogere, non verò coegit de facto, neque conſulentes, fauentes, ſiue auxilium præſtantes, effectu non ſubſecuto. videatur circa hoc Nauarro lib. 5. Conſiliorum titul. de ſentent. ex communi conſil. 19. & 20. & in Man. cap. 27. nume. 51. Secundo aduerto, circa prædicta verba Concilij Tridentini, quod debent intelligi, quando Pater, aut mater, ſiue quiſpiam alius, impedit puellam à voto, ſiue ingreſſu Religionis, *iuxta cap. puella 20. quæſt. 2. & capit. vltim. 32. quæſt. 1.* quod ius antiquum, Concilium Tridentinum, ibidem de nouo innouat: quæ iura loquuntur, quando ſit ſine iuſta cauſa; ſecus autem eſſet, ſi ad id interueniret cauſa iuſta, & pater aut mater, impediret hoc alicui puellæ, quia indigens eſt, aut ex defectu dotis, ſiue ſalutis, ſeu alterius qualitatis, vt tenet D. Thom. 2. 2. quæſt. 101. artic. 4. & quæſt. 189. artic. 6. ad tertium, & clarè hoc inſinuatur in eodem Cõcilio: ibi, *præterquam in caſibus in iure expreſsis*, quod quidem dicit, quia olim detrudebantur mulieres; ad agendam pœnitentiam in Monaſterijs, vt habetur *in capit. de lapſis, cap. Epiſcopo 16. quæſt. 6. & cap. impudicas, cap. ſi homo 27. quæſt. 1.* Et idem dicendum etiam videtur, quando aliqua alia cauſa iuſta, impediuntur, ſiue conſtringuntur à Parẽtibus, quamuis non ſit ex iure expreſſis. Tertio noto circa viros, ſiue pueros, vi & coacte ſeu non ſponte, Religionem intrantes, & de quibus probabilis habetur ſuſpicio, quod blanditijs, fraudibus, ſiue precibus ſunt ad Religionem inducti, in Hiſpaniarum partibus poſitum eſſe in praxi, quod prouiſione regia, è Conuentibus extrahãtur, & in loco tuto:

Leges pœnales potius debent reſtringi, quam ampliari.

Notanda circa præfatũ decretum Concil. Trident.

faltim per triduum ponantur, ad ſciendam & explorandam ipſorum voluntatem, libere ne, an coacte habitum aſſumpſerint, id quod quandoq; fieri, eſt maxime rationi conſonum. Nam ſtatus Religionis, non precibus, vi, aut metu eſt aſſumendus, ſed cum maxima libertate. In calce autem huius artic. libuit aduertere, quod etiam ante præfatum Concilium Tridentinum. *Eugenius IIII. protulit ſententiam excommunicationis, ipſo facto incurrendam, in omnes cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis extiterint, qui perſonas alias idoneas, & quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, à ſeculo fugientes, & Religionem ſancti Benedicti intrare cupientes, verberibus, aut violentijs quibuſcumque, impedire vel prohibere auſi fuerint, ipſis aut Monaſterijs, eoſdem recipientibus iniurias irrogando, vel moleſtando.* Quę Bulla ſeu Breue Apoſtolicũ, refertur in compendio mẽdicantiũ, *verbo nouitius.* §. 28. & hoc priuilegio, per communicationem, iam omnes potiuntur ordines, & Religiones, priuilegium habentes communicationis. A qua prædicta excommunicatione, dicitur ibi, quod præterquam in mortis articulo, niſi per Sedem Apoſtolicam, non poſſunt abſolui. quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrùm impubes, furioſus, ſiue mentecaptus, ad Religionem poſsit admitti?

Prima Concluſio.

Impuberes, ſine conſenſu, et voluntate ſuorum parẽtum, ſiue tutorum, ad Religionem nõ poſſunt admitti.

CErtum eſt, quod impuberes, ſine conſenſu, & voluntate ſuorum Parentum, ſiue tutorum, ad Religionem non poſſunt admitti. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri *verbo Religio. 2. quæſt. 11.* & probatur, nam iure ſtatutum eſt, quod huiuſmodi non poſſunt propria auctoritate Religionem intrare, quia quo ad diſpoſitionem ſuarum perſonarũ nõ ſunt ſui iuris, vt conſtat *ex capit. ad noſtram de Reg. & ex capit. ſignificatum eo. titulo.* vbi dicit Panormit. quod ſi impuberes ſine oblatione parentum id fecerint, poſſunt exire ante profeſſionem, quando voluerint, & extrahi à patribus ſiue tutoribus, niſi per annum & diem diſſimulando conſenſerint, iuxta capitulum *puella. 20. quæſt. 2.* Tunc enim nec ipſi exire, neque alij eos extrahere poſſunt; quod intelligendum eſt, ſecundum Syluestrum, vbi ſupra, niſi poſtquam iam peruenerint ad legitimam ætatem. Argumento deſumpto *ex cap. de illis, extra de deſponſatione impuberum*, quòd & expreſſe tenet *Gloſſa, in prædicto capit. puella, verbo. neque* ipſa, allegando prædictum *capitulum de illis*, & intelligendus eſt annus & dies, à die ſcientiæ parentum ſiue tutorum, ſecundum gloſſam Raymundi, argum. deſumpto, *ex cap. ſi quis incognitus. 17. q. 2.*

Ex conſenſu et voluntate parentũ, impuberes bene poſſunt Religionẽ intrare

Secunda Concluſio.

EX conſenſu & voluntate parẽtum, aut tutorum, bene poſſunt impuberes Religionem intrare, neque vlterius eos poterunt reuocare. Hæc concluſio eſt certa, atque vt talis præſupponitur, *in cap. addidiſtis et in cap. quicumque, 20. quæſt. 1.* Sed aduertendum eſt, quod quamuis in caſu primæ concluſionis, parentes ſiue tutores, facultatem habeant, extrahendi filios, ſiue pupillos ſuos impuberes à Religionibus, non tamen id poſſunt facere propria auctoritate, ſed id fieri debet, auctoritate poteſtatem habentis in Monaſterio. Nam licet alias in ipſorum domibus, in eos manus valeant iniicere, ipſoſque poſſint diſciplinare, & inuitos, trahere abſque peccato, & abſque excommunicationis pœna (quamuis ſint clerici) non tamen id facere poſſunt, dum ſunt in Monaſterio, neque valent ipſos corrigere, alijs iniuriã inferendo, quod fieret, ſi ipſorum habitum diſrumperent, aut eos vi educerent de Monaſterio, auferendo ab eo, quòd iam poſitum erat in ſua poteſtate. Hoc notat bene Syluester vbi ſupra, de mente Archidiaconi, & aliorum. Sed quid de furioſis & de mentecaptis dicendum? Reſpondetur, & ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Furioſi et mẽtc capti, in Religionibus non debent admitti.

CErtiſsimum etiam eſt, quod furioſus & mentecaptus, in Religione nõ poteſt admitti. Hęc concluſio eſt omnium Doctorum communis, & fundatur *in cap. ſicut Tener. de Regul.* & Ratio eius in promptu eſt. Quia huiuſmodi nullatenus poſſunt profiteri, etiam ſi per centum annos in Religione ſteterint; & ſi de facto profiteantur, profeſſio eorum erit omnino nulla. Non enim poſſunt profiteri, ſicuti nec matrimonium contrahere iuxta *l. furor. ff. de ſponſ.* Nec verò matrimonium ratificatur per ratihabitionem, poſtquam fuerint ſanæ mentis, ſicut nec profeſſio facta, ante annos pubertatis valet, aut ratificari poteſt, niſi poſtquam fuerint ſanæ mentis, aut iam puberes, de nouo per profeſſionem nouam, tacitam, vel expreſſam, ad Religionem ſe obligauerint, *per cap. 1. de voto lib. 6.* facit & prædictum, *cap. ſicut tenor*, & idem dico de furioſis. Qua de re plura dicit Sylueſt. *verbo Religio. 5. quæſt. 2.* vbi agit vtrum furioſus, ſiue mente captus, eſſe poſſet nouitius; & reſpondet quod nõ, ex prædictis. videatur ibidem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm obligatus ratiocinijs, ad Religionem debeat, aut poſsit admitti?

Nota quod ratiocinia ſunt in duplici differentia, alia publica, alia particularia.

PRo intelligentia huius articuli, oportet aduertere, ex Syluestro *verbo, ratiocinium, numero. 1.* Quòd ratiocinia ſunt in duplici differentia, quædam ſunt publica, ſiue perpetua, quibus tenentur, & obligantur officiales curiæ, ex adminiſtratione ſuorum officiorum, & rerum ad Rempublicam pertinentium, de quibus habetur *in l. officium. C. de Epiſcop. et clericis.* Alia ſunt priuata & particularia, quibus tenentur homines, ex adminiſtratione rerum priuatarum & particularium, vtpote tutores curatores, actores & procuratores, teſtamentorum & vltimarum voluntatum executores, de quibus loquitur, *capit. vnicũ de obli. ad ratiocin.* Hoc præmiſſo, dico, quod circa difficultatem præſentis articuli, eſt duplex ſententia. 1. opinio eſt, quam ſequitur,

ſequitur, & tenet Syluester. *Verbo Religio 2. q. 6.* & dicit eſſe Raymundi, vbi inquit, quod ſi ratiocinia ſunt Reipublicæ, non poteſt qui ad ipſa eſt obligatus Religionē intrare, nec debet recipi, niſi prius ſe expediat, iuxta textum, *in cap. legem d. 53.* Si vero ratiocinia ſunt priuata, & particularia priuatorū hominum, quamuis honeſtum ſit, vt prius ſe expediat, non tamen id inquit Syueſter, eſt omnino neceſſarium, imo poteſt Religionem intrare, & poſtea ratiocinia reddere. Sed alia eſt aliorum ſententia, afferentium, quod in omni euentu, ratiocinijs obligatus, neceſſum eſt, vt ab ipſis ſe expediat, priuſquam Religionem ingrediatur. Et hæc opinio eſt magis certa & ſecurior, quinuero & nunc neceſſario ſequenda, poſt conſtitut. Sixti V. Pont. Max. De qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Ratiocinijs obligatus, non poteſt Relig. ingredi, niſi prius ſe expediat, iuxta conſt. Sixti V.

Concluſio.

IN omni tēpore, ſed maxime nūc poſt cōſtitutionem Sixti Quinti, ratiocinijs obligatus, & qui ita ipſis teddendis eſt obnoxius, vt ex eius ingreſſu in Religionem, quælibet lis, iniuria ſiue moleſtia timeatur, nullatenus poteſt Religionem ingredi, neque in ipſa profiteri, & ſi in contrarium fiat ipſius profeſsio erit omnino nulla. Hæc concluſio quoad primam partem, non melius poteſt probari, quam ex ijs quæ tradit Syueſter vbi ſupra, & latius verbo ratiociniū q. 1. & 2. Sed quoad ſecundam partem, probatur ex verbis contentis in prædicta conſtitutione, ſiue motu proprio, Sixti V. qui incipit. *Cū de omnibus.* Cuius verba, quæ ibi ad hoc propoſitū ponuntur, ſunt, quæ ſequuntur: *Auctoritate Apoſtolica perpetuo ſtatuimus & ordinamus, vt huiuſmodi ingenti ære alieno, ſupra vires facultatum ſuarum grauati, vel reddendis ratiocinijs obnoxij & obligati, nullatenus recipiantur, & ſuper hoc fiat informatio, &c. & omne in contrariū factū, irritamus & annullamus, viriūſq; & effectu, carere decernimus.* Hoc præcipuè fundamento innixi, dicūt nūc Doctores prætatæ ſecundæ opinionis, huiuſmodi ratiocinijs publicis, ſiue priuatis obligatos, nullatenus ad Religionē eſſe admittendos, ſiue recipiendos, niſi prius ſe expediant, & ratiocinia ipſa actu reddant. Quod & fuiſſe ordinatum ſiue ſtabilitum, quam maxime fuit rationi conſonum, cum & ipſi in iure ordinari prohibeantur, vt habetur *in c. 1. de obligatis ad ratiocinia*, & facit ad idem, *cap. Præterea, diſt. 51.* Hac de re videatur Nauarr. lib. 3 conſil. de Regul. conſ. 4. n. 7. qui in quadam alia ratione, ad idem dicendum fundatur, & ea eſt, nam iuxta commune axioma iuriſconſultorum, qui obligatus eſt ad aliquid faciendum, prius debet illud facere, quam Religionem ingrediatur. Quibus & accedit, quod neque ipſis Religionibus conuenit illos recipere, pro quibus poſtea neceſſarium ſit creditoribus, pro rationijs petendis, ad Eccleſiaſtica ſeu etiam ſæcularia tribunalia confugere, & illuc eoſdem trahere, quod in maximum vergeret dedecus, atque præiudicium ipſarum Religionum. Hac etiam de re, videatur Corduba, ſuper noſtram Regulam, cap. 2. quæſt. 5. Vbi ad hoc propoſitum videre licebit multa, eaque notatu digniſſima.

ARTICVLVS VII.

Vtrum onuſtus, ſiue grauatus debitis, ad Religionem poſsit admitti?

Opiniones diuerſæ, circa ſolutionē debitorū, prius quā quiſpiam religionem ingrediatur.

CIrca hanc quæſtionem atque difficultatem, magna fuit olim lis, & controuerſia inter Doctores, & fuerunt hac de re duæ extremæ opiniones. Prima opinio fuit Raymundi doctoris grauiſsimi, de quo ſupra, quam refert. Syueſter, verbo Relig. 2. q. 4. afferentis, quod grauatus & obligatus debitis quibuſcūque, poteſt nihilominus Religionem intrare, ſi ad id mouetur ex inſtinctu Spiritus ſancti. Neque in hoc (inquit) cuipiam facit iniuriam, cum ad hoc, ex decreto eiuſdem Spiritus ſancti, ſit liber. Hoc dicit Raymūdus eſſe verum, etiamſi promiſsione vel iuramento, ad ſoluenda debita fuerit quiſpiam obligatus, modo id faciat feruore charitatis. Ad quod probandum, adducit, *cap. licet de reg. et duæ ſunt 19. q. 2.* Et certe hæc opinio, videtur eſſe D. Th. 2. 2. quæſt. vltima art. 6. in ſolutione ad 3. vbi dicit quod tali debitis grauato, atque obligato ad ſoluendum debita, ſufficit cedere bonis, cum perſona liberi hominis, ſecundum iura ciuilia, non obligetur, ſed neque obligari poſsit, propter pecunia, ſed ſolummodo eius res. Addit tamen Raymundus, quod Monaſterium tenetur ſatisfacere creditori, ſeu creditoribus, de his quæ ipſe contulit Monaſterio, iuxta textum, *in cap. nuda Mulier, 19. quæſt. 3.* vel de his, quæ Monaſterium poſt ipſius ingreſſum, & eius occaſione acquiſiuit, ſucceſsione, donatione, vel teſtamento, quantum talia ſe extendunt, & non plus: argumento *dicti c. ſiquis Mulier.* Et inſuper dicit, quod ipſe in monaſterio exiſtens, ſi poteſt ſcribere, vel aliquid honeſte operando, lucrari ad ſe liberandum, tenetur id facere, modo non negligat officium diuinum, iuxta textum *in cap. clericus 12. quæſt. 1.* nec impediatur in aliquo ab aliqua obſeruantia regulari, & ab obſequijs ſuæ Regulæ, cui ſemper debet eſſe aſtrictus. Neque (inquit) de lucro, deducendæ ſunt expenſe quas facit, cum deſeruiat altario, & qui altario deſeruit, de altari viuere debeat; iuxta ſententiam D. Pauli 1. Corint. 9. & habetur *in cap. ex his 12. quæſt. 1.* Hæc fuit olim opin. Raymundi, nec etiam defuerunt Grauiſsimi Doctores antiqui, qui dixerunt huiuſmodi, non teneri ad manibus laborandum, vt debita perſoluant, niſi forſan ratione ſcandali, cum profitendo ceſſerint bonis, & iam non habeant velle neque nolle. Quod dicebant eſſe verum (vt diximus) etiam ſi ad ſoluendum debitum, adſtricti fuiſſent iuramento, argumento deducto ex ſupra allegato, *cap. licet de reg.* vbi dicitur, *quod qui ſpiritu Dei aguntur, iam non ſunt ſub lege, ex D. Paulo ad Galat. 4.* qui etiam 2. Corint. 3. inquit, *quod vbi ſpiritus, ibi libertas.* Hæc ſunt fundamenta opinionis ſupra dictæ.

Sed alia fuit opinio, huic oppoſita in altero extremo, Ioann. Gerſonis alphab. 59. littera, x. & in 2. par. ſummæ, & Gab. in 4. d. 38. q. 1. & aliorum quos refert Cordub. ſuper cap. 2. noſtræ Regul. q. 5. qui dixe-

dixerunt, quod obligatus debitis, ſiue alicui certæ perſonæ, ſiue vero communitati, ratione furti, mutui ſiue contractus, non poteſt Religionem intrare, neque voluntarie reddere ſe impotentem, adſoluenda talia debita, niſi prius ſatisfecerit creditori, ſeu creditoribus, ſeu alius pro illo ad id faciendum ſe obliget, aut conuentus id faciat, & quod alias peccat intrando mortaliter, & omnes eum admittentes, & recipientes, cooperando ipſius peccato, qui etiam ad reſtitutionem & ad ſatisfaciendum, manent pariter obligati. Huius opinionis potiſſimum, ac præcipuum fundamentum fuit, quia non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona, vt dicit, D. Paulus ad Roman. 3, & quia adimpletio diuinorum conſiliorum, non eſt bona nec laudabilis, quando fit contra Dei præcepta, nam quod iuſtum eſt, iuſte eſt exequendum, vt habetur Deuteronom. capit. 16. Vnde & dicunt Doctores prædictæ opinionis, quod ſi huiuſmodi obligatus debitis, Religionem ingreditur, Fratribus ignorantibus, & ipſo mentiente, vtpote quia quando factæ ſibi ſunt ſolitæ interrogationes, an ſcilicet ſit conditione liber, expeditus debitis, tantum reſpondet quod ſic, & celauit quod fateri debebat; tunc (inquiunt) vltra peccatum mendacij, peccauit peccato furti, & poteſt & debet, etiamſi ſit profeſſus, à Religione eijci, ad tempus ſeu ad ſemper, quò operando, & laborando proprijs manibus, ſeu alio ſibi modo poſsibili & conuenienti, creditori ſeu creditoribus ſatisfaciat. Si autem Conuentus hoc ſciente, & prædictam eius obligationem, eum ad profeſsionem recipit, tunc dicunt, quod non ipſum poteſt eijcere, neque ipſe egredi, ſed conuentus vltra hoc quod peccauit recipiendo, ſi non id cum animo ſatisfaciendi fecit, tenetur ſatisfacere, aut dare illi licentiam, ad hoc vt intra ordinem laborando ſatisfaciat, ſalua ſemper regulari diſciplina, viuendo eiuſdē conuentus expenſis. De hac opinione videatur Corduba, loco ſupracitato, vbi ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſsima, quibus ſic præmiſsis, quod hac in re, nunc tenendum eſt, ſpecialiter poſt conſtitutionem prædicti Sixti V. de qua ſupra, explicabitur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Onuſt' & grauatus debitis; non poteſt ad Relig. admitti niſi cum certis cōditionibus, & limitationibus,

SEmper fuit verum ſed maxime nunc poſt conſtitutionem Sixti V. quod onuſtus ſiue grauatus debitis, non poteſt aliquam Religionem intrare, neque in ipſam recipi, niſi in caſibus, & cum circunſtantijs inferius aſsignandis, etſi recipiatur receptio & profeſsio erit omnino nulla. Hæc concluſio, quoad primā partem probatur ex ijs, quæ latiſsime tradit Syluester vbi ſupra, quoad ſecundam vero eſt expreſſa Sixti V. in dicta ſua conſtitutione, vbi hac de re agit, quæ incipit vt diximus ſupra. *Cum de omnibus*, cuius verba, quantum ſpectat ad hoc propoſitum, ſunt quæ ſequuntur: *Auctoritate Apoſtolica, perpetuo ordinamus & ſtatuimus, vt ingenti ære alieno ſupra vires facultatium ſuarum grauati, nullatenus recipiantur, &c. & omne in contrarium factum irritamus, & annullamus, viribusque & effectu carere decernimus.* Circa quam conſtitutionem, non-

Debita incerta & indeterminata, quorum dñs ſciri, & inueniri non poteſt, nō impediunt ab ingreſſu Religionis.

nulla veniunt adnotanda & conſideranda. Primo, quod hæc conſtitutio intelligi debet de illo qui eſt onuſtus & grauatus debitis certis, & determinatis, alicui certæ & determinatæ perſonæ, ſiue communitati, ratione furti, mutui ſiue contractus, ſecus tamen eſt de debitis incertis, vagis & indeterminatis, quorum etiam Dñs eſt incertus, & indeterminatus. Et quod hoc ita ſit, patet ex verbis eiuſdem extrauagantis, ibi: *Quorū Dominus, facta diligenti inquiſitione, poteſt ſciri.* Nam prædicta conſtitutio, facta eſt ſecundum antiqua iura, & ſecundum ius cōmune bona incerta & indeterminata, non impediunt debitorem ab ingreſſu Religionis; cum ſecundum eadem antiqua iura, in pios vſus debeāt commutari, nec aliquid eſt, in quod melius cōmutari poſsint, quam in bonum ſpirituale, eiuſdē qui ingreditur Religionē. Quod vt quidā dicunt fieri debet auctoritate epiſcopi, vel eius qui geritcurā Reipublicæ, & boni cōmunis. Sed nos hac de re, habemus ſpeciale priuilegium Clem. IIII. conceſſum nobis fratribus Ordinis Minorū, & habetur in cōpendio. *Verb. nouitius, §. 2. quod bona incerta aliquorū, quæ debentur ab aſſumentibus noſtrum habitum quorū proprij Domini ſciri, & inueniri non poſſunt, à miniſtris, & prælatis ordinis, poſsint in aliquos pios vſus commutari.* De quo priuilegio, meminit etiam Nauarr. in ſuo Man. c. 17. n. 22. & eſt multum notandum, atque memoriæ commendandum. Secundo circa eādem conſtitutionem, eſt aduertendum, quod etiā nunc poteſt ingredi Religionē, qui eſt onuſtus, & grauatus debitis, ſi id fiat de voluntate, & conſenſu creditorum, atque etiā ipſis inſcientibus & renuentibus (ſecundū D. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.) cedēdo omnibus bonis ſuis, & omnia bona ſua renunciando illis. Quam opinionem, etiam tenet Innoc. *in Rub. de cōſt. ad ratioc.*, & Anton. *in c. 1. eod tit.* Quæ ſententia vera eſt & ſequenda, quando debitor, neq; in toto, neq; in parte, poteſt aut præſumitur quod poſsit, creditori, ſeu creditoribus ſatisfacere, & quando eſt vera & realis impotentia. Secus autē ſi talis ceſsio bonorū eſſet fraudulenta, iuxta, *l. iunta Gl. ſ. in l. vlt. §. vlt. ff. quæ in fraudem cred. fiunt*, & Iaſon *in §. item ſi quis in fraud. num. 29.* & Soto lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. art. vlt. tenet hoc idem. Videatur hac de re Nauarr. *in c. cui portio 12. q. 1. num. 8.* & lib. 3 conſiliorum conſil. 1. de regularib. nu. n. 8. & 9. & Emmanuel Rodericus to. 3. quæſtionum Regul. q. 10. art. 9.

Qui grauatus eſt debitis. & omnibus ſuis cedit bonis, bene poteſt intrare Religionem.

Qui condemnatus eſt ad aliquid ſoluendū in pœnam, & qui aliquā cognouit carnaliter, eidē promittendo quod ipſam duceret in vxorem, nō poteſt Religionem ingredi, niſi prius ſatisfaciat.

Tertio circa eandem conſtitutionem noto, quod debitorum nomine, quoad effectum impediendi ingreſſum Religionis, intelliguntur non ſolum debita realia, verum etiam & perſonalia. Vnde qui condemnatus eſt propter aliquam cauſam, adſoluendam aliquam pœnam, non poteſt Religionem ingredi, quouſque ipſam ſoluat, cum huiuſmodi pœna debitum ſit, vt latiſsime tradit, & probat, Enriquez lib. 7. de indulgentijs, cap. 13. nu. n. 6. allegando ad id aliquas rationes, quas ego breuitatis cauſa omitto. Item & qui promiſit puellæ, eam ducere in vxorem, vt conſentiret cū eo in carnalem copulam, quod & illico fecit, & ob idipſa manet infamata, non etiam poteſt Religionem ingredi, niſi eidem prius ſatisfaciat, vt tenet Nauar. *in dicto c. cui portio. 12. q. 1. n. 8. & lib. 4. conſ. tit. de ſpōſ. conſ. 21.* Qualiter autem huiuſmodi ſatisfa-

tisfactio facienda ſit, videatur apud Doctores Sũmiſtas, non enim id eſt præſentis ſpeculationis, neque in tam breui ſummario, ita ad vnguem dici omnia poſſunt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm qui habet parentes in extrema neceſsitate conſtitutos, ad Religionem debeat, aut poſsit admitti?

HAnc difficultatem elegantiſſime, pro more ſuo tractat D. Thom. 2. 2. quæſt. 101. artic. 4. & quæſtio. 189. artic. 6. in cuius prima parte, inquirit, an occaſione Religionis, ſint officia pietatis in parentes prætermittenda, in alia vero, an propter obſequium ipſorum parentum, debeant aliqui retrahi ab ingreſſu Religionis. Et argumentis hinc inde propoſitis, ad inueſtigandam veritatem, dicit plura, eaque notatu digniſſima, de cuius ego doctrina & reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Parẽtibus in neceſsitate cõſtitutis, ita quod eis abſque filiorũ obſequio ſubueneri non poſsit, non licet filijs Religionem ingredi.

PArentibus in neceſſitate conſtitutis, ita quod eis aliter commode, quam per filiorum obſequium ſubueniri non poſſit, non licet filijs, prætermiſſo parentum obſequio, Religionem intrare. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. loco ſupraciato, & quodlibeto 3. articulo 16. Et fundatur in illo, quod dixit Chriſtus Dominus olim, Matthæi 15. reprehendens Phariſæos, qui quaſi cõtrarium dicebant, in alio ſimili caſu, & populum decipiebant. *Hypocritæ, qui dicitis munus quodcumque ex me eſt, tibi proderit, & non honorificatis patrem veſtrum, & matrem veſtram, &c.* Vbi redarguit eos, eo quod intuitu Religionis, ſeu oblationum & eleemoſynarum, parentum debitum honorem ſubtrahebant, atque ſubtrahere illi filios ſuos poſſe docebant. Super quæ verba, videndus eſt ſpecialiter Nicolaus de Lyra, & Gloſſa ordinaria. Facit & ad hoc, *capit. ſi qui filij diſtinct.* 30. relatum à D. Thom. vbi ſupra, & ratio etiam ad id eſt appoſitiſſima, quia opera præcepti (qualis eſt honos parentum) propter nulla opera conſilij (etiam Religionis) ſunt prætermittenda, neque facienda mala vt inde veniant bona, vt dixit D. Paul. ad Roman. 3. Et intelligenda eſt concluſio, etiam ſi quis filius voto, aut iuramento ſe obligaſſet ad ingreſſum Religionis, nam ſi vouit illum exiſtente prædicta neceſſitate parentum, tale votum fuit illicitum & nullum, & per conſequens non implendum, ſi autem fuit ante prædictam neceſſitatem, eadem etiam exiſtente, iam illius redditio ſeu adimpletio, eſt omnino illicita, nec fieri debet, quouſque ceſſet prædicta obligatio, prouidendi parentibus. Nam obligatum vni, ſi promittatur alteri, non ei debet tradi, iuxta omnes Doctores communiter, & obligatio poſterior, non præiudicat ſeu præiudicare poteſt, obligationi priori maxime maiori, *iuxta capit. veniens, & capit. interdictũ de iureiurando.* Facit etiam ad idem *capit. venientes eodem titulo.* Pro quo & eſt ſpecialis ratio: nam in ſecundo caſu, eſt mutata omnino conditio vouentis ſiue iurantis, & venit ad caſum, in quo id ipſum vouere, ſiue iurare non poterat, cum ei ſuperuenerit noua obligatio. Qua de re videatur Corduba ſuper Regul. capite ſecundo quæſtio ne ſexta. Sed aduerto ex Sylueſt. *verbo Religio, 2. quæſtione ſeptima,* quod neceſſitas parentum, debet eſſe magna, ita quod aliter eis commode ſubueniri non poſſit: nam ſi non ſunt in tali neceſſitate, vt filiorum obſequio multum indigeant: tunc prætermiſſis parentibus, prædicti filij bene poſſunt Religionem intrare, neque in hoc facient contra præceptum de honore parentum. Nam poſt annos pubertatis, quilibet ingenuus, libertatem habet, quantum ad ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus & ſuæ perſonæ, præſertim in his, quæ ſunt diuini obſequij. Et in tali caſu, magis eſt obtemperandum patri ſpirituum (ſcilicet Deo) vt viuamus, quam parentibus carnalibus, ne moriamur, vt dicit Apoſtolus ad Hebræos 12. Hæc omnia, habentur ex D. Thom. vbi ſupra quæſtio. 189. articulo ſexto in corpore, vbi etiam dicit, quod in ſimili caſu, Chriſtus Dominus Matth. 8. & Lucæ 9. reprehendit quendam, eo quod nolebat cum ſtatim ſequi, intuitu paternæ ſepulturæ. *Dimitte,* inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Super quæ verba, dicit Chryſoſtom. quod id circo reprehendit eum, quia ipſius cura, non erat parentibus, quam maxime neceſſaria, & quia erant alij, per quos opus illud poterat expediri. Hæc ſunt maxime notanda, & valde memoriæ commendanda, vt liquidum atque perſpicuum fiat, in quo caſu, parentum obſequium & remedium obliget filios, & impediat eos ab ingreſſu Religionis. Aduerto tamen, quod quamuis neceſſitas debeat eſſe magna, ad ſenſum ſupradictum, hoc eſt, quod per alium expediri non poſſit, non tamẽ requiritur, quod ſit extrema, ſed ſat eſt, quod ſit maxima ſuæ perſonæ, ſiue decẽtiæ ſeu ſtatus, vtpote, ſi propterea parẽtes oporteret mendicare, vel ſeruire alijs, cum magna & notabili indecentia ſui ſtatus, ſiue conditionis. Qua de re videatur Diuus Thomas quodlibeto tertio, articulo 16. & Alexander de Ales, tertia parte quæſtione 33. membro quarto. Sed pro maiori præcedentis concluſionis intelligentia, ſecundam ſtatuo concluſionem.

Secunda Concluſio.

Si excohabitatione filiorũ cum ſuis parẽtibus, ſibi immineat periculum peccandi mortaliter ipſis relictis poſſunt Religionem intrare.

SI ex huiuſmodi ſeruitio, & parentum obſequio, filijs imminet notabile diſpendium ſpiritualis ſalutis, & probabilis occaſio peccati mortalis, in tali caſu, relicta parentum neceſſitate, animæ ſuæ eſt prouidendum, & intrare poſſunt Religionem. Hæc concluſio, eſt expreſſa Diui Thomæ 2. 2. quæſtione 101. articulo quarto, ad quam probandam, adducit auctoritatem Diui Ambroſij ſuper Lucam, capit. 9. & capit. 12. vbi agens de ſpirituali intellecta eius, quod dixit Chriſtus, *ſine mortuos, ſepelire mortuos ſuos,* inquit, *Quod neceſsitudini generis, diuinæ Religioni pietas anteferatur.* Adducit & aliam auctoritatem D. Hieron. in Epiſt. prima ad Heliodorũ, vbi agens de vtilitate vitæ ſolitariæ, inquit,

Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis euola, nam ſummum genus pietatis eſt, in hac re fuiſſe crudelem. Ex quibus auctoritatibus, infert prædictus Diuus Thomas, quod ſi cultus parentum, abſtrahit nos à cultu Dei, iam non eſt pietas parentum, inſiſtere tali cultui contra Deum, & ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſſima, demonſtrando qualiter, nulla virtus alij virtuti contrarietur, aut contrariari poſſit, cum virtutes omnes bonæ ſint, & bonum (teſte Ariſtotele) bono contrarium non eſſe poſſit. Quò fit, vt Religio & pietas, quæ ſunt duæ virtutes, quarum prior Deum, altera parentes reſpicit, mutuo ſe non impediant. ita vt per actum vnius, alter excludatur, ſed cuiuslibet virtutis actus, veſtiri debet debitis circunſtantijs, quibus limitatur, quas ſi prætereat, iam non erit virtutis actus, ſed vitij. Ex dictis omnibus ſatis colligitur, id quod in concluſione eſt dictum, quod ſi ex ſeruitio & parentum obſequio, filijs imminet notabile diſpendium ſalutis ſpiritualis, aut periculum peccati mortalis, quod in tali caſu, relictis parentibus poſſunt Religionem intrare. Quando autem eueniat talis caſus, multis tradit D. Thom. loco ſupra citato videatur ibidem, & ſpecialiter Caieta. ipſius commentator, differentiam conſtituens, inter occaſionem, prouocationem & inductionem ad malum, & abſolute dicit, quod quando parentes ſunt inducentes, aut prouocantes ad malum, tunc ſunt ſimpliciter deſerendi, & ad Deũ eſt confugiendũ nã plus, inquit, homo tenetur ad Deum colendũ, quam ad parentibus ſubueniẽdum. Sed dices, quid ſi è contrario, filijs in extrema neceſſitate conſtitutis atque derelictis, parentes Religionem vellent intrare, ſiue ingrediantur, currit ne ſimilis ratio, aut erit hoc licitum, reſpõdeo & ſit tertia concluſio.

Ariſto. cap. de oppoſitis.

Tertia Concluſio.

Non licet alicui patri, filios habenti, in neceſſitate cõſtitutos præ termiſſa filiorum cura, Religionem ingredi.

NOn licet etiam alicui patri, filios habenti in neceſſitate conſtitutos, Religionem intrare, prætermiſſa ſuorum filiorum cura, & non prius prouiſo qualiter ipſi debeant educari. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2.2. quæſt. 186. artic. 6. quam & probat Primo auctoritate D. Pauli 1. ad Timoth. 5. vbi dicit, *quod ſiquis ſuorum, & maxime Domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Secundo probat id ipſum ratione. Quia nempe maior eſt obligatio, quam habent parentes ad ſuos filios, quam è contra habeant filij, erga proprios ipſorum parentes, ſi ergo filij parentibus in neceſſitate conſtitutis, Religionem non poſſunt intrare, vt dictum eſt in prima concluſione, multo ergo minus, patres ſiue parentes, id ipſum poſſunt facere, exiſtentibus filijs in eadem. Diſcurſus eſt optimus, & conſequentia legitima. Sed quod parentes maiorem obligationem habeant erga filios, quam è contra, probat D. Thom. ex eo quod parentes habent rationem principij, inquantum huiuſmodi, vnde & per ſe eiſdem competit, filios ſuos alere, & ipſorum curam habere. Filijs autem (inquit) non id conuenit, niſi peraccidens, vt adiuuentur ab illis, inquantum ſunt in neceſſitate conſtituti. De hac mutua obligatione parentum in filios, & filiorum erga parentes, videatur Barthol. *in l. ſi quis à liberis. & parens. ff. de lib. agno.* Videatur etiam Sarmiento, de reddit Eccleſ. 3. part. capit. 4. num. 7. & Caſtro, de iuſta hæretic. puni. lib. 2. capit. 26. & D. Thom. 2.2. quæſt. 26. art. 9. & loco ſupra citato, vbi plura dicuntur, & ab omnibus reſoluitur, quod obligatio parentum erga filios, eſt maior quam ſit filiorum erga parentes. Nam illa eſt ſibi communis ab ipſa natura, etiam cum brutis animalibus, hoc enim natura ipſa docet atque influit ipſis animalibus, filios ſuos educare & procreare, atque illis alimenta præſtare: illud autem, quod eſt ſubuenire parentibus, competit hominibus, nõ inquantũ ſunt animalia, ſed in quantũ ſunt rationales, & rationis dictamẽ ductu ducuntur. Qua ratione dixit D. Tho. quod illa competit parentibus, quatenus ſunt filiorum principium & quaſi per ſe, hæc autem filijs, in quantum ſunt ab ipſis, quaſi per accidens, neque filij parentibus debent theſaurizare, ſed è contra parentes filijs, vt inquit, D. Paulus 2. Corinth. 12. ex quo etiam conſtat, quod eorum ſit maior obligatio.

Quarta Concluſio.

Si filius parẽtibus in extrema neceſſitate conſtitutis, vel è contrà, Religionẽ ingrediatur profeſſio erit valida, ſed peccabit mortaliter, qui idipſum fecerit.

SI de facto filius, parentibus in extrema neceſſitate conſtitutis vel è contra, parentes filijs exiſtentibus in eadem, Religionem ingrediantur, & profiteantur, profeſſio & votum emiſſum, valebit quidem, quamuis vtrique peccent mortaliter. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri libro tertio de Regul. conſilio. 26. Vbi hac de re peculiarem quæſtionem facit, & inquit, quod profeſſio facta ob eam cauſam, non poteſt irrita & nulla declarari. Quod & probat, quia etiam profeſſio facta ab excommunicato valet, iuxta *capit. cum illorum, de ſententia excommunicationis*, licet ſit prohibita, & profitendo peccet. Item ſecundum iura antiqua, profeſſio facta à debitore magnæ quantitatis, ſeu ratiocinijs obligato valet, iuxta *capit. 2. de obligatio. ad ratiocin.* quamuis ſit prohibita, & ſic profitendo peccent: ergo etiam in ſimili caſu, idem omnino eſt dicẽdum. Sed aduerto (vt ſupra diximus) quod nunc ex determinatione, & conſtitut. Sixti Quinti, profeſſio facta à debitore magnæ quantitatis, ſeu ratiocinijs obligato, iam non valet, imò verò nulla eſt, atque vt talis declaratur, niſi forſan in certis quibuſdam caſibus, ibidem expreſſis. Hoc autem non contingit in præſenti caſu, etiam poſt prædictam conſtitutionem Sixti Quinti, circa intrantes Religionem, parentibus ſiue filijs in neceſſitate conſtitutis, nam licet vtrique debitores quodammodo ſint, & illos alere, ſiue ſuſtentare teneantur, non tamen hoc eſt, ex debitis intentis à Sixto Quinto, vt conſtat ex ipſius conſtitutione, vbi expreſſe loquitur de debitis ciuilibus, & de grauatis ære alieno, propter retentionem bonorum alicuius, ſupra vires & facultates ſuas, non autem de debito naturali: filiorum erga parentes, ſeu è contra. Videatur prædicta conſtitutio.

QVAEST.

QVAESTIO XVIII.

De conditionibus, & qualitatibus requiſitis, pro recipiendis nouitijs, ex vi Regulæ Seraphici Patris noſtri Franciſci ſpecialiter, in duos articulos diuiſa.

Conditiones requiſitæ, ex vi noſtræ regulæ, pro recipiendis nouitijs.

DVæ ſunt qualitates & conditiones, ex vi noſtræ Regulæ, ſpecialiter requiſitę, pro recipiendis nouitijs. Prima eſt, quod ſint fideles & catholici, & de nullo errore ſuſpecti. Secunda vero, quod vxores non habeant, vel ſi habent, quod non recipiãtur, niſi cum certis quibuſdam conditionibus, & limitationibus, de quibus per ordinem, in præſentiarum agendum eſt à nobis.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit prima conditio, ſpecialiter requiſita, ex vi Regulæ Seraphici Patris noſtri Franciſci, pro recipiendis nouitijs, & qualiter ſit intelligenda?

Concluſio.

Prima conditio requiſita, pro recipiendis nouitijs, ex vi noſtræ Regulæ, eſt quod ſint fideles atq; catholici, & de nullo errore ſuſpecti.

PRIMA conditio ſpecialiter requiſita, ex vi noſtræ Regulæ, pro recipiendis nouitijs eſt, quod ſint fideles & catholici, & de nullo errore ſuſpecti. Hæc concluſio conſtat ex capite. 2. eiuſdem Regulæ, vbi agendo de his, qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, præcipitur quod mittant eos ad ſuos miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodo & non alijs, recipiendi fratres licentia concedatur. Et ſubdit Seraphicus Pater noſter Franciſcus, quòd *Miniſtri diligenter examinent eos de fide Catholica, & de Eccleſiaſticis ſacramentis. Et ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare* (concurrentibus alijs, de quibus dicemus ſtatim) *tunc eos recipiant, & non aliter.* Circa quæ verba, quando dicitur eſſe neceſſario requiſitum, quod recipiendi ad ordinem, ſint fideles atque catholici, & de nullo errore ſuſpecti; Ad notandum eſt, primo, quod huiuſmodi conditiones, & aliæ, quæ circa id ipſum, in prædicto ſecundo noſtræ Regulæ capite ponuntur, quamuis omnes, aut ſaltim aliquæ ipſarum, de iure diuino, ſeu Eccleſiaſtico etiam requirantur: nobis tamen per noſtram Regulam, ſpecialiter ſunt obligatoriæ, per determinationẽ expreſſam, & explicationẽ factã, eiuſdem noſtræ Regulæ, à Clemente Quinto in Concil. Vienn. vt habetur, *in clem. exiui de Paradiſo, de verborum ſignificatione, artic.* 1. vbi dicit Pontifex, omnia contenta in dicto ſecundo capitulo noſtræ Regulæ, ad nouitios ſpectantia, eſſe obligatoria. Fideles dicuntur, qui habent rectam & firmam fidem, ad quam pertinent etiam omnia, quæ ad ipſam fidem ſubſequuntur, vt dicit Seraphicus Pater noſter Diuus Bonauentura in expoſitione eiuſdem Regulæ, adnotando, fuiſſe à Serafico Patre noſtro Franciſco dictum, quod *ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare*, quia nempe iuxta mentem atque ſententiam Diui Pauli, ad Roman. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* Et addit prædictus D. Bonauentura quod recipiendi ad ordinem debẽnt eſſe animo parati ad Martyrium, ac propterea fuiſſe dicta verba illa, *& vſque in finem firmiter obſeruare*, nam præmium non tribuitur, niſi ſolummodo, perſeuerantibus vſque in finẽ. Præterea inquit, cum eſſe debeant catholici, neceſſum eſt quod venerẽtur, atq; reuereãtur, ore, opere, ac ſignis, Eccleſiaſtica ſacramenta, cũ eorum vnũ in altero includatur. Additur etiã, quod de nullo eſſe debẽt errore ſuſpecti, neque de aliqua re mala: nam requiritur, quod ingreſſuri ſacrã noſtrã Religionẽ, bonũ teſtimoniũ habeãt ab his, qui foris ſunt, iuxta ſentẽtiam D. Pauli 1. Timot. 3. vt non in opprobrium incidant & in laqueum diaboli, vt etiam non blaſphemetur ſeu potius vituperetur, miniſterium noſtrum; vt dicit idem ipſe 2. Corinth. 6. Voluit itaque Seraphicus Pater noſter Franciſcus, remouere omnem ſiniſtram ſuſpicionem, de ordine noſtro circa fidem & quodcumque aliud, quod ipſum poſſet fœdare. Qua ratione in eadem Regula, appoſuit etiam peculiaria præcepta, de non habendis ſuſpectis conſortijs, & conſilijs mulierum, & de non ingrediendo monaſteria monacharum, ad prouidendum communi fidelium ſcandalo, quod ex tali ſuſpicione, & ſuſpecto conſortio poſſet exoriri. Vnde qui de aliquo errore, ſiue aliqua re tali fuerit ſuſpectus, non poteſt licite, in Ordine noſtro recipi, etiam ſi alias eſſet vere fidelis & catholicus, quouſque remoueretur talis ſuſpicio de eo apud homines. Nam remotio cuiuſque prauæ ſuſpicionis de aliquo errore, eſt ſpecialiter nobis præcepta, ex vi noſtræ Reg. Videatur etiam hac de re expoſitio, quæ communiter circunfertur ſine tit. & Corduba in ſua expoſitione, capit. 2. quæſt. 4. circa examen prædictæ conditionis, qua dicitur, quod examinent eos, de fide Catholica, & Eccleſiaſticis ſacramentis.

Ex mente D. Bonau. recipiendi ad noſtrum ordinẽ debẽt eſſe animo parati ad martyrium.

Quantum voluerit noſter Pater S. Frãciſcus, remouere à noſtra Religione omnem cuiuſuis mali ſuſpitionem.

Vbi & ait, quod eiuſmodi examen, ſecundum noſtram Regulam, fieri debet per ipſos Prouinciales miniſtros, aut ex ſua Commiſsione, per illos quibus fuerit commiſſa eorundem nouitiorum receptio. Sed adnotare oportet, ſecundum D. Bonauenturam vbi ſupra, quod huiuſmodi examen, tunc tantum fieri, & non aliter, ex vi noſtræ Regulæ, in obligatione eſt, quando contingit in aliquibus partibus, hæreticos aliquos inueniri, & ſecundum Cordubam, quando omiſsio talis examinis, ex iuſtis aliquibus & rationabilibus cauſis atque circunſtantijs, ordini videretur eſſe damnoſa, & periculoſa, alias non eſt neceſſaria, talis examinatio ſpecialis, de fide Catholica, ſed ſufficit id, quod communiter fit, in nouitiorum receptione, nempe, quod recipiendi ad ordinem, cum alijs circunſtantijs, generaliter interrogentur, an ſint fideles & catholici, & in fide Catholica velint firmiter permanere, eo modo, quo interrogantur, an ſint corpore ſani, debitis expediti, non matrimonio ligati, &c. Et hæc de iſto articulo, & prima noſtræ Regulæ conditione, dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit ſecunda conditio, pro recipiendis nouitijs, ſpecialiter etiam requiſita, ex vi noſtræ Regulæ, & qualiter intelligatur?

Concluſio.

Secunda conditio ſpecialiter ex vi noſtræ Regulæ, requiſita eſt, quod nouitij non habeant vxores, vel ſi illas habẽt, quod iã Monaſterium intrauerint vxores.

SECVNDA conditio, ſpecialiter ex vi noſtræ Regulæ requiſita eſt, quod recipiendi ad ordinem, vxores non habeant, vel ſi illas habent, quod iam monaſterium intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ iam emiſſo: & illius ſint ætatis vxores, quod de eis non poſsit oriri ſuſpicio. Hæc concluſio habetur expreſſa in prædicto capit. ſecundo noſtræ Regulæ. Circa quam pauca aut nulla, ſeſe offerunt de nouo dicenda, præter ea, quæ diximus ſupra quæſtion. præcedenti, articulo ſecundo, agendo de conditionibus de iure communi requiſitis, vbi & in particulari, omnes iſtæ conditiones ſunt explicatæ, & declaratæ. Nam omnes ſunt etiam de iure communi, & explicantur, & continentur in toto titulo, de conuerſione coniug. ſed maxime *in capite cum ſis Præditus, & capite ex publico. capite. Agatoſa.* De quarum explicatione videndus eſt ſpecialiter Sylueſter *verbo Religio. ſecunda quæſtione nona*, & latius *verbo matrimonium octauo, quæſtione.* 12. vbi innumeras proponit atque diſſoluit difficultates, & varias refert diuerſorum Doctorum opiniones, circa ea, quæ hac in re obſeruanda ſunt de iure communi, nempe, quod matrimonium, ad hoc, vt ingreſſum Religionis impediat, debet eſſe ſimul ratum, & conſummatum, quod non fiat, niſi hoc, aut illo modo, & cum talibus, vel talibus conditionibus, & circunſtantijs, & multa alia. Circa hoc præceptum noſtræ Regulæ, hoc tantummodo eſt à nobis ſpecialiter obſeruandum, quod omnes conditiones ſuprapoſitæ, vt in concluſione iacent, ſunt expreſſe, atque ad litteram adimplendæ, in noſtro ſacro minorum Ordine, ita quod quamuis ſecundum ius commune, ſint aliquæ opiniones, & varietates inter Doctores, qualiter ipſæ veniant intelligendæ, & an ſi aliqua, ex dictis conditionibus deficiat, ingreſſus Religionis ſit validus, necne? Nos tamen Minores Fratres, ex vi ſpeciali noſtræ Regulæ, tenemur illas omnes, ad litteram obſeruare, & ſic, & non aliter nouitios recipere, cum nobis hoc imponatur per Regulam obligatorie. Et maioris explicationis gratia, pono exemplum, in muliere, ſiue vxore iuuene, quæ propter aliquam cauſam, & præſertim propter adulterium, cogitur ad diuortium, & vt det viro licentiam, intrandi in Religionem, faciente ipſa votum continentiæ, & manendo in ſeculo. Dico quod licet ſecundum ius commune, ſit inter Doctores differentia, & controuerſia, an forte hoc ſufficiat, vt vir intret Religionem, & maneat religioſus, & an valeat talis profeſſio, etiam vxore reclamante; nos tamen fratres minores, peccaremus mortaliter, huiuſmodi recipiendo, & vir etiam intrando, inuita tali vxore, etiam ex ſua culpa, ſi ſuſpicio incontinentiæ eſſet talis vxoris, remanendo in ſeculo, quamuis profeſsio facta, de iure communi eſſet valida. Nam totum hoc, contentum in prædicto ſecundo capitulo noſtræ Regulæ, quo ad modum receptionis nouitiorum ad Ordinem, & ad Profeſsionem, eſt (vt dictum eſt) obligatorium ex vi noſtræ Regulæ, ſecundum Clementem Quintum, loco ſupra citato. Vnde & ſeruandus à nobis litteram ad eſt modus hic in Regula taxatus, neque prætermitendus, quamuis quo ad aliquam, ſeu aliquas conditiones, aliud forſan fieri poſsit licite, in alijs Religionibus loquendo de iure communi, quamuis etiam profeſsio facta in noſtra, prætermiſſo tali modo, ſecundum ius commune, valida ſit, vt dictum eſt. Videatur hac de re Corduba, capit. ſecundo quæſtione quarta noſtræ Regulæ. Et hactenus de hoc articulo, & tota quæſtione.

QVAES.

QVAESTIO XIX.

De conditionibus & qualitatibus, requiſitis ex noſtris conſtitutionibus generalibus, pro recipiendis nouitijs, in octo Articulos diuiſa.

Conditiones requiſitæ ex noſtris conſtitutionibus, pro recipiẽdis nouitijs.

SEptem ſunt conditiones & qualitates requiſitæ, ex noſtris conſtitutionibus generalibus, pro recipiendis nouitijs, quibus dum additur alia, quæ requiritur peculiariter, ex motu proprio, ſiue conſtitutione Sixti V. octo hæc quæſtio, in ſe continebit articulos. Prima conditio eſt, quod recipiendus ad ordinem, ſit animo promptus & bene diſpoſitus. Secunda, quod ſit corpore ſanus, non infectus lepra, aut aliqua alia infirmitate contagioſa, ſeu morbo caduco. Tertia, quod ſit legitime natus. Quarta, quod non ſit aliqua infamia vulgari notatus. Quinta, quod ſit ſufficienter literatus. Sexta, quod ſit ætatis ad minus, ſexdecim annorum. Septima, quod ſit bono genere natus; hoc eſt, non deſcendens ex conuerſis Iudæis, ſeu Mahometanis, vel Hæreticis, quantumuis remotis, aut ex Gentilibus modernis. Tandem vltima, & Octaua, quod non aliquod crimen, ſiue delictum commiſerit, quod ſit deductum, ſeu deduci poſſit in iudicium. De quibus, omnibus agendum eſt à nobis in præſentiarum, per ordinem.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit prima conditio, ex noſtris generalibus conſtitutionibus requiſita, pro recipiendis nouitijs, & qualiter debeat intelligi?

Concluſio.

Prima conditio, quam habere debet nouitius, ex noſtris conſtitutionibus, eſt quod ſit animo prõptus.

PRima conditio requiſita, ex noſtris conſtitutionibus eſt, quod veniens ad ordinem, expoſtulãs habitum, atque nouitius eſſe volẽs, ſit animo promptus, ac bene diſpoſitus. Hæc conditio conſtat, ex eiſdem conſtitutionibus cap. 1. titu. de qualitatibus recipiendorum. Circa quam concluſionem, hoc ſolum occurrit notandum ex Caietan. 2. 2. q. 189. ar. 10. quod bona diſpoſitio, volentis ingredi Religionem, ea eſt, vt omnem ſuam fiduciam in Deo ponat, & propter ipſum velit in Religione eiuſdem ſuſtinere labores. Et addit, quod non ſunt neceſſaria multa conſilia, circa ſufficientiam virium, vt expreſſe etiam tenet D. Thom. ibidem, in non habentibus ſpeciale aliquod impedimentum: quia ſi natura non deficit in neceſſarijs, mater etiam potens & ſciẽs, non deficit in filiorum ſuorum neceſſitatibus, multò minus inquit Caietan. credendũ eſt, quod Deus auctor eiuſdẽ naturis cũ ſit adeò bonus & pius, pluſquẽ pater & mater, deficiet in neceſſarijs, aut obliuiſcatur eorum, qui ſperant in eo, & iactant cogitatum ſuũ in ipſum. Neq; vllo modo his obſtat illud ꝙ per ſimilitudinẽ dixit Chriſtus Dominus olim. *De volente ædificare turrim, qui ſedens prius computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendam, ne poſtea inſultetur ei, &c.* Nam hæc, inquit Caiet. inquiſitio facienda eſt, non tam penes ſufficiẽtiam virium, (quas proculdubio præſtabit Deus, volẽti ſibi deſeruire, & omnibus ſperantibus in eũ) quã penes diſcuſſionem & examinationẽ: An ſcilicet recto quis interiori moueatur affectu, an id faciat propter inanẽ gloriã, ſiue propter honorẽ, vel propter carnẽ & ſanguinẽ, (quod ſolẽt multi) aut propter aliquem aliũ temporalẽ reſpectũ. In hoc (inquit) conſiſtit hæc prouida cogitatio, hominis volentis ædificare turrim, ſeu ingredi Religionẽ, quod eſt idem, quod eſt valde notandum ac memoriæ commendandũ. Quod & ſpecialiter dixerim, propter Cordubam, qui in quæſtione 2. expoſitionis noſtræ regulæ, cap. 2. de mente Gerſonis, adeò timide & ſcrupuloſe loquitur in hac materia, vt iuxta ipſius mentem atque ſententiam, nullus omnino in toto mundo reperiretur, qui conuenienter, & ſufficienter, videatur eſſe diſpoſitus ad ingrediendam aliquam Religionem. Debet enim (inquit) prius experiri & attendere, num talis habeat complexionem & inclinationem oppoſitam obſeruantijs religionis? Sit ne à natura leuis vel inconſtans? Hæc & plura alia dicit, quæ breuitatis cauſa omitto, quæ ſi eſſent neceſſario ſpectanda omnia, nullus omnino vnquam fieret religioſus, neque ad Religionem videretur eſſe conuenienter diſpoſitus. Dico igitur concludendo ad propoſitum, quod ille eſt animo promptus, qui voluntariè & prompte, & non coacte aut propter aliquem ſiniſtrum, ſiue humanum reſpectũ, habitum Religionis aſſumit: & quod in hac parte non eſt nimis inhærendum Gerſonis ſcrupuloſis dictis, relatis ab eodẽ Corduba, ſed inſiſtendum ſolemni doctrinæ D. Thom. & ipſius cõmentatoris Caietani, loco ſupracitato: & ſecundum ipſos dicendum, quod bona diſpoſitio hominis volentis ingredi Religionem, ea eſt, quod ſit animo promptus ad ſenſum ſupradictum, & quod ſperet in Domino & confidat in ipſo, quod dabit, illi vires ad Religionis labores & rigores perferendos. Neque diffidendum eſt de ipſis, quantum

Quæ ſit bona diſpoſitio, hominis volẽtis intrare Regionem. Lucæ. 14.

uis quiſpiam ſit delicatus, aut conditione & complexione debilis; quia Deus neminẽ obligat, neque votum aut profeſſio, obligare poteſt, ſupra id, quod quis ſecundum vires ſuas poteſt facere & præſtare. Neque, vt inquit D. Thom. q. ſupradicta art. 1. per totum, vllo modo eſt neceſſum, vt qui volunt ingredi Religionem, ſint prius per aliquod tempus, in obſeruantia diuinorum præceptorum exercitati: cum experientia ipſa conſtet, maximos peccatores, & nimium in mundo ſceleribus repletos, diuina præuẽtos gratia atq; inſpiratione, ad Deum fuiſſe conuerſos, & poſtea perfectiſsimos in Religionibus extitiſſe. Qua de re videndus eſt etiam Nauarr. *in cap. cui portio, comment. 1. de Regula. nume. 8.* vbi agit de hac bona diſpoſitione volentis ingredi Religionem, vbi plura dicit, eaque notatu digniſſima, circa eos, qui deſumunt Religionis habitum, aliqua ſiniſtra & deprauata intentione, qua de re nos etiã multa diximus in expoſitione noſtræ Regulæ, agendo de huius argumenti genere.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit ſecunda conditio requiſita, ex noſtris conſtitutionibus generalibus, pro recipiendis nouitijs, & qualiter intelligi debeat?

Concluſio.

Secunda cõditio, ex noſtris Conſtitutionibus requiſita, pro recipiẽdis nouitijs, eſt, vt ſint corpore ſani.

SEcunda conditio, ex noſtris generalibus conſtitutionibus requiſita, pro recipiendis nouitijs eſt, vt ſint corpore ſani, non infecti lepra, ſeu aliqua alia infirmitate contagioſa, aut morbo caduco. Hæc concluſio habetur expreſſa, in conſtit. gener. ca. 1. de nouitiorum receptione, ſub titulo de qualitate recipiendorum. Circa quam concluſionem, hoc ſolummodo occurrit notandum, quod qui volens recipere habitum alicuius Religionis, & interrogatus generaliter, de conditionibus & qualitatibus requiſitis vt fit apud nos, an ſcilicet, ſit promptus animo, veniatque ſpontaneus, non vi aut metu coactus, & an ſit corpore ſanus, &c. ſi falſum dicit & Veritatem negat, peccat mortaliter, decipiendo recipientes, & Ordinem ipſum. Circa quod nulli eſt dubiũ. Solũmodo eſt difficultas, an profeſſio poſtea facta ſit nulla, præſertim in illis Religionibus, quæ habẽt ſtatutũ Papale, ſeu cõfirmatũ auctoritate Apoſtolica, quod annullet profeſsionem, prædicto modo factam? Cui difficultati communiter reſpõdetur, quod talis profeſſio, in eo caſu erit nulla. Secus eſt autem, ſi Religio non habet huiuſmodi ſtatutum, confirmatũ à Papa, ſed tantum procedatur attento iure communi, in quo caſu licet peccet mortaliter, qui ficmentitus eſt, profeſſio tamen facta, erit valida. Nam ſtando in ſolo iure communi, nulla ægritudo (etiam mortifera) annullat profeſſionem, neque eſt aliquis textus, aut capitulum, quod hoc dicat, aut de eo mentionem faciat. Quin verò cõtrarium de iure communi videtur dicendum, cũ collatio facta criminoſo, quamuis prohibeatur, non tamen annulletur, ſed potius regulariter loquendo valeat; iuxta Felinum *in cap. poſtulaſti, de reſcriptis.* Neque obſtat, quod profeſſio facta, ſine conſenſu Conuentus non valet, vt dicitur *in cap. vlt. iuncta gloſſa, de regu.* & quod ſi Conuentus ſciuiſſet, talem recipientem habitum, ſeu profitentem, illo morbo laboraſſe, non illum admitteret aut reciperet, neque in eiuſdem profeſſionem conſenſiſſet: nam dico, quod quamuis verum ſit, quod non conſenſiſſet, at poſtquam iam de facto conſenſit, profeſſio procul dubio erit valida, ſiquidem interuenerunt omnia alia, ad validitatẽ talis actus, ſiue contractus requiſita. Sicut valet & tenet matrimonium illius, qui duxit aliquam in vxorem, credens atque exiſtimans, illam eſſe diuitem, & de facto non ita eſt; quin verò repertum eſt, eam fuiſſe pauperem, quod ſi ipſe ſciret, non illam ſibi in vxorem aſſumeret: quo nihilominus non obſtante, certum eſt, quod ſi conſenſus fuit aliàs legitime præſtitus, matrimonium valet, vt dicit Nauarr. in Manual. cap. 32. num. 22. & Ledeſma de matrimonio, cap. 24. quæſt. 53. a. 1. & Couarr. de ſponſ. 2. parte & habetur in quadã lege partitarum. l. 10. tit. 2. parti. 4. Idem ergo dicendum eſt in propoſito. An verò is ſic profeſſus, propter huiuſmodi mendacium, & in pœnam talis deceptionis, puniri poſſit, & habitu Religionis ſpoliari, & priuari, maiorem difficultatem habet; de qua dicemus, quãdo agemus de eiectis, aut forſan de pœnis correſpondentibus omnibus delictis. Videatur hac de re Corduba, in Expoſitione noſtræ Regulæ. cap. 2. quæſt. 4. & de laborante morbo gallico Emanuel Rodericus, to. 3. quæſt. 17. art. 9. & Nau. lib. 3. conſ. de regul. conſ. 48.

Nota hoc val de, pro nouitiorum receptione, quod, de iure communi, nulla ægritudo, etiã mortifera profeſsionem factam, irritat ſiue annullat.

ARTICVLVS III.

De tertia conditione ex noſtris conſtitutionibus generalibus requiſita, pro recipiendis nouitijs, nempe, quod ſint legitime nati?

MAtiſſima eſt huius articuli materia, & plures in ſe quęſtiones atque difficultates continet. Nam cum per hanc cõditionem, qua dicitur, quod recipiendi ad ordinem ſint legitimè nati, omnes in vniuerſum illegitimi excludantur, ſeu excludi videantur, ipſique ſint in multiplici differentia, & circa eoſdem, diuerſis temporibus, diuerſorum ſummorum Pontificum emanauerint conſtitutiones, multa ſeſe offerunt dubia, & difficultates, quas omnes nos in præſentiarum, explicare oportebit. Et vt clarius atq; diſtinctius procedamus, libuit prius aliquot fundamenta præmittere, ſum mopere neceſſaria, pro his quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda.

Quiſnam dicatur legitimus ſeu legitime natus?

Primo præmitto, ex Sylueſtro, *verbo, legitimus. num. 1.* Quod ille dicitur legitimus filius, ſecundum Raymundum, qui de legitimo matrimonio eſt natus, aut ſaltim de eo, quod legitimum reputabatur, licet intereſſet aliquod impedimentum,

ex cap.

ex c. cum inter, qui filij ſunt legitimi. Et hoc ſiue ambo in facie Eccleſiæ, coniuncti fuerint bona fide, credentes ſe legitime copulatos, cum tamen re vera non fuerint, ſiue alter tantum hoc crederet, quia etiam ſic eſt legitimus filius, & vtrique parenti ſuccedit, *per capit. ex tenore eodem titul.* Secus eſt ſi clandeſtine contraxiſſent, quia tunc videretur eſſe ignorantia affectata, quæ non excuſat, quin potius (vt dicitur) accuſat, & multo magis, ſi ambo impedimentum ſcientes, publice contraxerunt, *per capit. cum inhibitio, de clandeſtin. deſponſa.* Plura ad hoc propoſitum Sylueſter dicit, quæ ego breuitatis cauſa omitto. Et cum contrariorum eadem ſit diſciplina, illegitimus ſecundum eundem Syluestrum, dicitur qui de legitimo matrimonio non eſt natus, de quibus, & ipſorum multiplici differentia, plura etiam dicit, *verbo illegitimus, & verbo filius num.* 1. quæ omnia prudens omitto, quia eorum multa non ſunt præſentis ſpeculationis, neque in votis eſt, tot multiplices explicare opiniones, & filiorum illegitimorum differentias, quæ verſantur apud doctores. Quantum vero ad rem atti net, & ad propoſitum noſtri propoſiti articuli, omnes illegitimi ſunt in quincuplici differentia. Quidam enim ſunt inceſtuoſi, illi nempe, quorum parentes, conſanguinitate vel affinitate, intra quartum gradum, inuicem erant coniuncti. Alij ſacrilegi, nempe illi, quorum parentes, aut ipſorum alter, ſolemniter caſtitatem Deo vouerunt. Alij dicuntur adulterini, quorum pater & mater, ſeu ipſorum alter, natiuitatis ſuæ tempore, erat vxoratus ſiue matrimonio ligatus. Alij ſpurij ex incertis & ignotis parentibus nati. Et tandem alij naturales, qui orti ſunt ex viro & muliere ſolutis. Multa alia poſſent hac de re dici, ſed hæc breuiter dixiſſe ſufficiat. Modo dico, quod per illam particulam ſiue conditionem, qua dicitur quod recipiendi ad ordinem, ſint legitime nati, ex vi noſtrarum generalium Conſtitutionum, omnes ſupradicti illegitimi, videntur excludi à receptione noſtri habitus. Sed aduerto, vt dicit in præſenti loco Corduba quæſt. 4. ſuper capit. 2. noſtræ Regulæ, quod hæc conditio communiter, non eſt obſeruata in noſtro ſacro ordine, neque erat conſuetudo apud nos olim, quempiam propter talem illegitimitatem repellere: Imo vero dicunt aliqui, quod indifferenter recipiebantur ad ordinem, omnes illegitimi, & per eundem Religionis ingreſſum legitimabantur.

Quiſnam dicatur filius illegitimus?

Omnes illegitimi, ſunt in quincuplici differẽtia, inceſtuoſi, ſacrilegi, adulterini, ſpurij & naturales.

Legitimare autem ex Syluestro, *verbo, legitimus num.* 2. eſt aliquem ex gratia habilitare, & de illegitimo legitimum facere, ad illos actus, ad quos ex illegitimitate alias erat inhabilis. Et ponit triplicem modum legitimationis, quorum ſecundum, de mente Paludani, dicit fieri per ingreſſum Religionis, cum effectu profitendo, quo legitimabantur olim ingredientes, quo ad omnes ordines, non autem quo ad aliquam dignitatem proprie dictam, neque ad hoc, vt eſſe poſſent Prælati per electionem. *Iuxta cap.* 1. *de filijs presbyterorum*, quia curam animarum iure ordinario, per electionem ſeu vt quibuſdam placet etiam per commiſſionem, habere non poterant. Hæc omnia ſunt valde memoriæ commendanda.

Quidnã ſit legitimare aliquem.

Nota quod olim per ingreſſum Religionis, illegitimi legitimabantur, quoad omnes ordines, licetnõ quoad dignitates.

Secundò præmitto, quod rebus in hoc ſtatu exiſtentibus, Sixtus Quintus Pontifex Maximus, anno Incarnationis Dominicæ, 1587 ſexto Calendas Decembris, Pontificatus ſui anno tertio, motus quibuſdam de cauſis, ibidem expreſsis, contra præfatos illegitimos, ſequentem edidit Conſtitutionem.

Incipit conſtitutio, ſiue motus proprius, Sixti V. circa illegitimos.

Sixtus Epiſcopus &c. *Cum de omnibus &c.* & infra. *Ne igitur contingat illegitime genitos, qui vt plurimum parentum ſuorum vitia, & incontinentiam imitari ſolent, nec pietatis ſtudio, ſed temporalium commodorum intuitu (quia nempe hæreditates maiorum, aut dignitates aliquas conſequi non poſſunt) ad religionem confugiunt, vitam quam animo à Religione alieno, ſuſceperunt, ab inſtitutis religioſis alienam, plerunque cum dedecore, & propriæ ſalutis diſpendio ducere ſolent, ſuiſque corruptis moribus, & malis exemplis, quietum ſtatum & cæterorum Deo famulatum perturbare, & hac quaſi fæce & colluuie, ipſarum Religionum honorem & exiſtimationem lædi, vt denique omnes qui ad filios ſpurios, & in peccato gignendos ſunt propenſiores, eo magis abſtineant ab huiuſmodi carnis flagitijs, quo ſuæ proli hoc quoque refugium præcluſum viderint &c. Hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione, diſtricte interdicimus & prohibemus, ne illegitime procreati, ex inceſtu aut ſacrilegio, quorum ſcilicet parentes conſanguinitate vel affinitate, intra quartum gradum inuicem coniuncti fuerunt, vel quorum alteruter parens, caſtitatem Deo vouerit, etiam Apoſtolica; Imperiali, vel Regia, aut quauis alia auctoritate legitimati, aut natalibus reſtituti, ad aliquam quorumcunque ordinum, etiam Mendicantium, & non Mendicantium, Fratrum, Monachorum & Eremitarum, vel Canonicorum, nec Clericorum Regularium Congregationum, aut Hoſpitalium Religionem, nec ad habitum, nec profeſſionem, regulares recipi vel admitti quoquo modo poſſint. Quod ſi eorum quiſpiam, habitum poſt publicationem præſentis Conſtitutionis, in futurum receperit, ſeu profeſſionem poſt hac emiſerit, decernimus habitus ſuſceptionem, & profeſsionem, ex nunc prout ex tunc, irritam, nullam & inualidam, nullius que roboris vel momenti fore, & nullum exinde, aut ex huiuſmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri poſſit, quinimo illos habitu Regulari, ad quem reaſſumendum perpetuo inhabiles ſint, quamprimum exui, & ab ipſa Religione eijci, exterminarique debere, & nihilominus, quicumque ſuperiores, tam monaſteriorum, prioratuum, præpoſitorum, domorum, collegiorum, & locorum Regularium, quam etiam præfatorum ordinum, congregationum, hoſpitalium, & quarumcunque Religionum Prouinciales, vel Generales, quonis nomine nuncupati, qui ex prædictis inceſtu vel ſacrilegio genitos, poſt dictam publicationem, ad habitum receperint, vel ad profeſſionem admiſerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua nemo eorum, niſi in articulo mortis conſtitutus, ab alio, quam à Romano Pontifice, abſolutionis remedium valeat obtinere. Sed ne his, qui in humilitatis ſpiritu, Deo, & Religioni ſeruire, & pœnitentiam agere, intra monaſteria, vel domos regulares cupiunt, ad ſanctum huiuſmodi propoſitum, via penitus præcludatur, permittimus,*

Prohibet inceſtuoſos atque ſacrilegos, in Religionibus ad habitum, ſiue profeſsionem vllo modo recipi.

Concedit licẽtiã inceſtuoſis atq; ſacrilegis, vt in Religionibus eſſe

poſsint cõuer ſi, ſeu qui cõ muniter dona ti dicũtur, aut tertiarij.

mus, vt præfati illegitimi, ex dictis inceſtu & ſacrilegio geniti, ad habitum conuerſorum, ſeu famulorum, in monaſterijs vel domibus regularibus ſeruientium recipiantur, & in ipſis monaſterijs, ſeu domibus regularibus, ad ſeruilia miniſteria, viliora obſequia, humiles functiones, atque alia ſeruitia admitti poſsint; ea tamen conditione, vt ad habitum religioſorum, vel ad profeſſionem, quam religioſi emittere ſolent, emittendam, necnon ad omnes, non modo ſacros, ſed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta eccleſiaſtica officia, & functiones, & ad aſcendendum ad altiores gradus, ſint eis portæ perpetuo clauſæ, & obſeratæ.

Concedit licẽtiã atq; facultatem, vt alij illegitimi præterdictos inceſtuoſos, & ſacrilegos, in Religionibus recipi poſsint, cũ certis conditionibus, et limitationib

Quoad reliquos vero, non ex inceſtu præfato, nec ſacrilegio, ſed ex quouis alio minus legitimo thoro natos, ſpurios vel naturales, etiam vt præfertur, vel alias illegitimos, ſeu legitimatos, qui vt meliorem vitæ frugem, Religionem ingredi cupiunt; ſtatuimus & ordinamus, eos ad Religionem admitti non poſſe, aut debere, niſi prius illorum vita & moribus diligenter cognitis, & circunſtantijs vniuerſis, quæ circa idoneitatem perſonæ attendendæ erunt conſideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina, fide dignis teſtimonijs, adeo commendati fuerint, & adeo bonam indolem & ſpecimen virtutis præſeferant, ac tot meritis eis ſuffragentur, vt defectum natalium ſuppleant, eorumque receptio, vniuerſæ Religioni, commodo & vtilitati, profutura videatur, & ſub hoc ipſo, in generali vel prouinciali capitulo, matura deliberatione habitis, Generalis, vel Prouincialis, ſeu Superioris ac definitorum vnanimi conſenſu approbati, & ad habitum regularem admiſſi extiterint, & tamen ij ſic recepti, ad gradus & honores, & dignitates, ſui ordinis obtinendas, perpetuo inhabiles, & illorum incapaces remaneant, niſi ſuper hoc, cum eis fuerit auctoritate Apoſtolica ſpecialiter diſpenſatum. Si quis autem eorum, aliàs quam vt præfertur, recipiatur, profeſsio ſimiliter nulla ſit, atque ipſi habitu priuari, & de Religione eijci debeant, eorumque receptores excommunicatione, vt ſupra innodati, ipſo facto exiſtant. Hactenus Sixtus Quintus, in prædicto motu proprio, quantum ad hoc propoſitum attinet. Reliqua enim quæ ibidem dicuntur, ad ſceleratos & criminoſos, atque onuſtos debitis, & ad ratiocinia obligatos ſpectantia, iam ex parte ſunt dicta, & ſuis proprijs locis inferentur. Poſt hanc conſtitutionem, idem Sixtus Quintus, anno Domini. 1588. Pontificatus etiam ſui anno tertio, quandam conceſsionem fecit, quoad iuuenes, tranſire volentes, ad Religionem noſtram Fratrum Minorum de Obſeruantia, quod ſcilicet poſſent recipi extra capitulum, & incipit. *Nuper quidem*, &c. quam non libuit in præſentiarum afferre, quoniam iam non eſt ad propoſitum, nam cuncta ſunt poſtmodum innouata. Poſtea eodem anno, etiam edidit, quandam declarationem, ſuper dubijs emergentibus, ex prædicta ſua Conſtitutione, circa admittendos ad habitum & profeſsionem, quæ incipit, *ad Romanum Pontificem ſpectat*, &c. quæ etiam non apponitur, quoniam nimis longa atque prolixa eſt, & quia iam non eſt in vſu, nam tam hæc, quam illa ſuperius dicta, modificata eſt per aliam Gregorij XIIII. in

Prohibet illegitimos quouis modo natos, ad dignitates in Religionibus, ſine diſpenſatione promoueri.

Alia Conſtitutio Sixti V. Concedit Sixtus V. quod iuuenes innoſtra Relig. de Obſeruãt. recipi poſsint extra capitulum.

ſequenti notabili ponendam, & ſi quidpiam aliud hac in re, ex illis fuerit deſiderandum; ſuo proprio loco in compendio, ſiue in ſubſtantia dicetur.

Conſtitutio Greg. XIIII. circa Nouitiorum receptionem, in qua moderãtur cõſtit. Sixti V.

Tertio præmitto, quod Gregorius XIIII. anno 1590. Pontificatus ſui anno primo, ſupradictas Conſtitutiones, prædeceſſoris ſui Sixti Quinti, volens moderare, aliam edidit, & eſt hæc quæ ſequitur. *Gregorius Epiſcopus*, &c. *circunſpecta Romani Pontificis prouidentia* &c. Et infra: *Nos igitur ea, quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe conſtituta confirmare, quæ vero moderatione aliqua indigere moderari volentes; ac dictarum Conſtitutionum, & inde ſecutorum quorumcunque, tenores earum veriores, præſentibus pro expreſsis habentes, habita cum venerabilibus Fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negotijs & conſultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorumdem conſilio prædictas Conſtitutiones in ea parte, qua cauetur: Ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato thoro, vel complexu, ad quamcumque Religionem, neque ad habitum, aut profeſsionem regulares, ſed tantum ad habitum conuerſorum, aut famulorum, in monaſterijs, alijsque locis Regularibus ſeruientium admittantur, & ſi poſt dictam Conſtitutionem, profeſsionem emitterent, voluit eam nullius eſſe momenti: Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſos, vigore priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumue ſuperioribus, in genere, vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſis per ingreſſam Religionis, vel per eoſdem ſuperiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcumque, tam antiquis, quam alijs, priuilegijs, literis Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus, non obſtantibus, excludi, atque diſpenſationes quaſcumque aut legitimationes, non ſuffragari, nec in futurum cum his, niſi a Sede Apoſtolica, priuilegijs quibuſcumque non obſtantibus, diſpenſari poſſe voluit: Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, ad terminos iuris reducimus & moderamus, ac omnes diſpenſationes, & habilitationes, priuilegiorum vigore, aut indultorum Apoſtolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumue ſuperioribus, in genere, vel in ſpecie, vt præfertur conceſſorum, quæ tempore Conſtitutionum huiuſmodi, vſu receptæ & non ſub illis aut alijs reuocationibus comprehenſa erunt, per quoſcumque eorum ſuperiores factas, in priſtinum ſtatum & validitatem, in quibus ante ipſas Conſtitutiones exiſtebant reſtituimus, & reintegramus: Volentes (iiſdem Conſtitutionibus non obſtantibus) eos qui quouis modo illegitime procreati fuerint, ad habitum & profeſsionem regularem admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant, ſi ſupradictæ Conſtitutiones editæ non fuiſſent; ita tamen, vt cum de recipiendis quomodo cumque illegitime natis, ad habitum & profeſsionem ſpenſatio, circa ordinum quorumcunque agetur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia, de quibus ex dictarum Conſtitutionum præcepto, circa quoſcumque etiam legitimos, perquirere debent, diligenter vitam eorum, & mores inquirant, & ita demum eos recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, aut*

Nota quod Greg. XIIII. ad terminos Iuris communis, reduxit ea, quæ Sixtus V. ſtatuerat, circa ſacrilegos, atq; inceſtuoſos.

Nota qualiter fieri debeat diſpenſatio, circa illegitime natos.

Nota quod filius illegitimus, non esse potest Frater, in Religione, in qua sit pater suus, ipso viuente.

Cõcedit facultatem Generalibus, & Prouincialibus, vt cum supra dictis illegitimis possint dispensare, vt ad dignitates & officia promoueantur.

Quoad Ordines Monachales, & qui nõ habent Comitia generalia siue prouincialia ordinaria, quid seruandum sit.

tot eis meritis suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio, Religionis commodo & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso, ij, ad quos (vt dictum est) pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint & iudicauerint, dummodo tamen filius illegitimus, in Religione in qua pater, siue ante siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente, non admittatur, quod expresse prohibemus. Volumus quoque, ac statuimus, licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, ante Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ solummodo quatenus vsu recepti, neque alias sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidamus, cum illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Prouinciales, cum Generali, Prouinciali, seu intermedio Capitulo (& non alias) suffragantibus meritis, dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde sequuta quæcumque, vt antea valere & tenere, perinde ac si supradictæ Constitutiones, non emanassent. Cæterum cum acceperimus, nonnullarum Religionum & Ordinum (præsertim monachalium) monasteria, ita instituta esse. vt in eis perpetua quidem filiatio constituatur, ideoque receptio nouitiorum in vnoquoque monasterio, ad superiorem Prælatum, & capitulum eiusdem monasterij tantum pertineat, quæ etiam monasteria, vt plurimum inter se longe distant, nec generalia, prouincialia, aut intermedia capitula, nisi per raro celebrare solent, ideo statuimus, vt superiores illorum monasteriorum, de consensu sui Capituli, præhabita simul cum eis, de quibus in vna quaque Religione, aut Monasterio, iuxta eius constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super ijs, quæ in dictis Constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dummodo tamen antequam ad professionem admittantur, plenaria & eo modo prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quæ postea ab eis, à quibus examinari solent, diligenter examinentur & approbentur, & demum omnium, dicto capitulo coram superioribus referantur. Volentes quod superiores prædicti, cum eorum capitulo, aut vbi mox non fuerit celebrandi capitula, cum tribus, aut quatuor ad id in generali congregatione, per vota secreta deputatis, seruatis eorum regularibus institutis, ac supradictis omnibus, eandem in recipiendis nouitijs, habeant auctoritatem, quæ per dictas Constitutiones, prouincialibus capitulis est attributa, decernentes sic & non alias, per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Romanæ curiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Hæc Gregorius Decimusquartus, in prædicta sua Constitutione, & sic suo tempore fuit obseruatum. Sed quia etiam tunc variæ emergebant difficultates, difficileque erat supradicta omnia ad vnguem obseruare, Clemens Papa Octauus, hanc etiam Constitutionem, per aliam suam explicauit & moderauit, prout dicetur in sequenti notabili.

Clemes VIII. moderauit, seu potius declarauit, Constitutiones Sixti V. & Greg. XIIII. circa nouitiorum receptionem, extra capitulum.

Quarto præmitto, quod Clemens Octauus, anno 1592. die 14. Aprilis Pontificatus sui anno 1. pro moderandis, seu potius explicandis, prædictis Constitutionibus, Sixti Quinti, & Gregorij Quartidecimi, aliam edidit tenoris sequentis. *Clemens Papa Octauus, &c. Altissimæ pauperatis viam, quæ ducit ad vitam, quam Domini vestigijs illustratam Seraphicus ille, Beatus Franciscus, diuino spiritu ductus secutus est, cupientibus ingredi, Apostolicæ Sedis prouidentia circumspecta, debito consueuit adesse præsidio. Dudum siquidem fœlicis recordationis, Sixtus Papa Quintus Prædecessor noster, statuit & ordinauit, iuuenes in aliquam Religionem recipi non posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria & anteacta vita & moribus, diligenter inquiratur, ac compertum sit, eos deuotionis & pietatis fructuose vitam religiosam, & ex animo elegisse, & quod de his in generalibus, vel prouincialibus capitulis, plena & indubitata fides fieri debeat, prout in literis dicti prædecessoris, 6. Calend. Decembris, Pontificatus sui anno tertio, confectis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus, prædicta capitula, non nisi sexennij, vel triennij spatio celebrari soleant, animaduertentes, tanti temporis mora, posse professi voluntatum mentes tepefieri, & à tanto proposito adimplendo, forsan etiam abstrahi, nos ad ea remouenda, quæ religiosum eorum propositum impedire, quoquo modo possint intenti, harum serie tantum concedimus, Ministro & Commissario Generalibus, ac etiam Ministris Prouincialibus dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obseruantia nuncupatorum, quod extra Capitulum, quocumque tempore possint, & valeant recipere iuuenes ad habitum, de consensu quatuor definitorum, vel de consensu quatuor Fratrum, ex antiquioribus illius domus, in quam iuuenes recipiendi sint. Concedimus quoque, quod ipsi coram Notario, vel per eos ad hoc deputatos, possint ac debeant ad inquisitionem huiusmodi faciendam, vocare testes, & ab eis recipere iuramentum. Quod si à prædictis superioribus dicti Ordinis, ac Fratribus per superiores, vt præfertur deputatis, in præmissis contrafactum fuerit, voce activa & passiua, necnon officijs, gradibus & honoribus, & dignitatibus quibuscumque, per eos obtentis, eo ipso in perpetuum priuati, & tam ad illa, quam ad alia quæcumque in posterum obtinenda, perpetuo inhabiles & incapaces, ac excommunicationis sententia innodati ipso facto existant, decernentes susceptionem habitus & professionem ac inde sequenda, quæcumque valere proinde, ac si iuxta tenorem dictæ Constitutionis facta fuissent, non obstantibus dicta, & alterius illius declaratoria, fœlicis recordationis Sixti Quinti, Constitutionibus necnon moderatione fœlicis recordationis Gregorij Decimiquarti, Prædecessorum nostrorum, quas in omnibus alijs subpœnis in illis contentis, obseruari prorsus volumus, & mandamus, ac quibuscumque alijs, in contrarium facientibus, &c.* Durauit hæc moderatio & constitutio, vsque ad annum 1602. quo idem Clemens Octauus

uus aliam Conſtitutionem edidit, de qua etiam dicetur in ſequenti notabili.

Nota valde quod Clemẽs VIII. reduxit omnes ſupradictas Sixti V. & Greg. XIIII. Conſtitutiones ad terminos iuris cõmunis.

Quinto præmitto, quod præfatus Clemens Papa Octauus, anno 1602. die 2. Aprilis, Pontificatus ſui anno 11. videns innumera inconuenientia atque difficultates, quæ adhuc ex prædictis Conſtitutionibus exoriebantur, iuſtiſſimis motus de cauſis, omnes illas reduxit ad terminos iuris communis, & ſacrorum canonum, quoad nullitates profeſſionum, ſaluis ſemper pœnis, contra ſuperiores ordinum, in receptione religioſorum peccantes infligendis, quæ quidem conſtitutio, tenoris eſt ſequentis. *Clemens Papa Octauus, &c. In ſupremæ Eccleſiæ Apoſtolicæ ſpeculi, meritis licet impariibus, diuina prouidentia diſponente conſtituti, omnibus incommodis, quæ in eadem Eccleſia, non ſine fidelium animarum periculo, & detrimento oriri poſſunt, ob variam & ſiniſtram Conſtitutionum, Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quas iuſtis de cauſis ediderunt interpretationem, pro noſtri paſtoralis officij munere, conamur prouidere, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum igitur felicis recordationis Sixtus Papa Quintus, Prædeceſſor noſter, ad integritatem & candorem in regularibus & religioſis ordinibus, in Eccleſia ſancta inſtitutis, retinendam & conſeruandum, quadam ſua quæ incipit. Cum de omnibus Eccleſiaſticis ordinibus, ſub Dat. 6. Calend. Decembris, Pontificatus ſui anno tertio, nonnulla circa modum, formam & qualitates, admittendi religioſos, ad quoſuis regulares ordines, decreuerit, & deinde alia ſimili, quæ incipit. Ad Romanum ſpectat Pontificem, ſub Dat. 12. Calendas Nouembris, Pontificatus ſui anno tertio, quædam dubia ſuper dicta priori Conſtitutione exorta declarauerit, & præterea piæ memoriæ Gregor. Papa XIIII. etiam Prædeceſſor noſter, alia ſua perpetuo valitura Conſtitutione, quæ incipit. Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia, ſub Datis Idibus Martij, Pontificatus ſui anno primo, reſpectiue edita, Conſtitutiones Sixti prædeceſſoris ſui ſupradictas, quoad illegitimos moderatus fuerit, prout in eiſdem Conſtitutionibus plenius continetur: Tamen, quia longo vſu, & experientia compertum eſt, ex nimia facilitate, & multitudine caſuum, in quibus profeſſio à ſuſcipientibus habitum, alicuius regularis ordinis, à dicto Sixto prædeceſſore, nulla declaratur, multos hac occaſione arrepta, fraudulenter petiiſſe, & in dies petere, vt profeſſio, quam in aliquo regulari ordine emiſerunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum, regulares ordines, & inſtituta ſub hoc prætextu deſeruerunt, & idcirco prædictis in locis, maxima incommoda & ſcandala exorta fuerunt, nos ea ſcandala & incommoda, quantum in Domino poſſumus remouere, & ne in poſterum alia huiuſmodi, hac de cauſa exoriantur, opportuna ratione prouidere cupientes, ſingularum Conſtitutionum prædictarum tenores, preſentibus pro expreſſis habentes, matura ſuper iis cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negotijs Epiſcoporum & regularium deputatis, conſultatione præhabita, ex illorum ſententia & voto, Conſtitutiones prædictas Sixti prædeceſſoris, quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eiſdem Conſtitutionibus præſcriptam, de cætero non ſeruauerint, & quoad alios etiam caſus ibi expreſſos, in quibus receptorum, in quibuſcumque etiam Mendicantium Ordinibus, profeſſio nulla declaratur, ad terminos iuris & ſacrorum Canonum, perinde ac ſi prædictæ Conſtitutiones, in illa parte editæ non fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium reducimus. Cæterum pœnas contra ſuperiores quorumcumque ordinum, etiam Mendicantium huiuſmodi, qui in admittendis regularibus ad habitum & profeſſionem, earumdem Conſtitutionum formam non ſeruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, in illis Conſtitutionibus inflictas, ſaluas eſſe volumus & ſtatuimus. Sicque & non aliter, in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus, non obſtantibus præfatis Conſtitutionibus, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque, &c.* Ex ſunt Conſtitutiones, atque decreta, quæ hucuſque à Sede Apoſtolica emanarunt, circa nouitiorum receptionem, de quorum omnium reſolutione, quod obſeruatum olim fuit, atque obſeruari nunc habet in praxi, per ſequentes explicabitur concluſiones.

Prima Concluſio.

Inceſtuoſi atque ſacrilegi, tempore Sixti V. non admitebãtur ad Ordinem, niſi ad habitũ conuerſorum tantum.

INceſtuoſi & ſacrilegi, tempore Sixti Quinti, ſtando in ſua Conſtitutione, in nulla Religione poterant recipi aut admitti, nec ad habitum, nec ad profeſſionem: & ſi reciperentur, ipſorum receptio & profeſſio, erat irrita & nulla, & vt talis declarabatur, & nullius roboris atque momenti, præceptumque erat, vt ſic recepti & profeſſi, ſtatim ejicerentur, & ſuperiores, qui ipſos admitterent, erant ipſo facto excommunicati. Hæc concluſio conſtat clare, ex eadem Conſtitutione Sixti Quinti, ab illis verbis. *Hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione*, vſque ad illa, *excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant, à qua eorum nemo, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio quam à Romano Pontifice, abſolutionis beneficium valeat obtinere.* Concedebat tamen Sixtus Quintus, prædictis inceſtuoſis atque ſacrilegis, vt in Religionibus eſſe poſſent conuerſi, ita tamen quod ad altiorem gradum numquam aſcenderent. Hoc habetur ab illis verbis. *Sed ne his*, vſque ad illa, *ad aſcendendum ad altiores gradus, ſint eis portæ perpetuo clauſæ & obſeratæ.* Hoc eſt certum, & abſque vllo dubio, & ſic fuit communiter practicatum illo tempore.

Secunda Concluſio.

Tempore Sixti V. alij illegitimi, præter inceſtuoſos & ſacrilegos, nempe ſpurij, ſiue naturales, ex quouis alio minus legitimo thoro nati, vel alias legitimati, tempore prædicti Sixti Quinti, & ſtãte ſua Conſti-

OMnes alij illegitimi, præter inceſtuoſos & ſacrilegos, nempe ſpurij, ſiue naturales, ex quouis alio minus legitimo thoro nati, vel alias legitimati, tempore prædicti Sixti Quinti, & ſtãte ſua Conſti-

sacrilegos, cũ certis cõditionibus atque limitationibus, ad Religionẽ poterant admitti.

Constitutione, ad habitum & professionem, in Religionibus poterant admitti, seruatis quibusdam clausulis & conditionibus, quæ ibidem ponuntur, & facta prius informatione de ipsorum vita, & moribus eorum diligenter cognitis, & circunstantijs vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ, attendendæ erunt consideratis, ac si de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina, fidedignis testimonijs, adeò commẽdati fuissent, & adeò bonam indolem, & specimẽ virtutis præseferrẽt, ac tot merita eis suffragarentur, vt defectum natalem supplerent, & eorum receptio vniuersæ Religionis commodo & vtilitati, profutura videretur: Et positæ erant pœnæ contra aliud facientes, & receptio & professio, eius qui aliter, quam vt præfertur fuisset receptus, nulla esse declarabatur; iubebaturque ipsum, habitu priuari, & à Religione ejici, & receptores erant ipso facto excommunicati. Hęc etiam conclusio, habetur expressa in prædicta Constitutione, ab illis verbis. *Quoad reliquos vero, non ex incestu præfato, nec sacrilegio,* vsque ad illa, *vt supra innodati, ipso facto existant.* Sicque ad literam suo tempore fuit obseruatum in praxi.

Tertia Conclusio.

Tempore Gregorij XIIII. incestuosi, & sacrilegi, recipi poterant in Religionibus, cũ illis conditionibus, quibus admittebãtur alij illegitimi tempore Sixti V.

TEmpore tamen Gregorij XIIII. supradicti incestuosi & sacrilegi, bene poterant ad habitum, siue professionem admitti, & hoc eis ex sua benignitate cõcessit, sua Constitutione, quam fecit, moderando præfatam Sixti V. hac lege, vt seruarentur cum eisdem, conditiones quas idem Sixtus V. obseruari præcepit, cum alijs non incestuosis neq; sacrilegis, sed alias illegitimis, spurijs, & naturalibus, & ex quouis alio minus legitimo thoro natis. Hæc conclusio habetur expressa in præfata Gregorij Constitutione, ab illis verbis: *Nos igitur,* vsque ad illa, *quod expressè prohibemus.* In qua constitutione, vt ex verbis ipsius, constare potest cuilibet, quod solum fecit Gregorius, fuit modificare præfatam constitutionem Sixti V. quoad prædictos incestuosos, siue sacrilegos, & reducere illam, ad hoc, vt seruetur cum ipsis, quod obseruari præcipiebat Sixtus, in sua Constitutione, cum alijs illegitimis, & nõ amplius. Sed addidit, vt hoc fieret hac lege & conditione, vt filius illegitimus, non reciperetur in ea Religione, in qua Pater suus, siue ante siue post natiuitatem dicti filij, fuisset professus, ipso patre viuẽte, quod expresse prohibuit, in illis verbis, ibidem contentis. *quod expresse prohibemus.* Solummodo erat difficultas hoc tempore, an receptio prædictorum incestuosorum & sacrilegorum, aliter facta, quam in præfata Constitutione præcipitur; hoc est sine vllis præcedentibus, & suffragantibus meritis, supplentibus defectum natalium, stante dicta Constitutione Gregorij quarti Decimi, esset nulla & irrita ipso facto, & vt talis deberet declarari, & iudicari? Quam quæstionem, tangit Emanuel Rodericus in suis Quæstionibus Regul. 3. tomo, quæst. 10. ar. 5. & parti adhæret negatiuæ, hac motus ratione, quia prædictus Gregorius, in illa vltima clausula quam apposuit, ne liceret filius in ea Religione admittatur, in qua esset ipsius pater, non apposuit clausulam irritantem, nec voluit irritare professionem illius, qui taliter reciperetur, quamuis expresse id prohibeat. Ex quo collegit, quod non voluit irritare professionem prædictorum incestuosorum, atq; sacrilegorum, qui reciperentur, seu admitterentur ad ordinem, siue professionem, absque præcedentibus & suffragantibus meritis, supplentibus natalium defectum; sed tantum voluit horum meritorum inquisitionem siue iudicium fieri. Quæ sententia satis mihi placuit, non obstante illa particula, quæ ibidem ponitur, *tamen*, quæ quidẽ iuxta Bartolum, Iasonem, & alios iuris consultos, est restrictiua, & inducit conditionem & formam præcise obseruandam, & videtur esse annullatiua actus, cui apponitur. Nam ex quo prædictus Gregor. non id ibi expressit, neque in illa alia, sua noua Constitutione, quæ præcipit, quod filius non admittatur in ea Religione, in qua esset ipsius pater, cum etiam hoc esset odiosum, & potius deberet restringi, quam ampliari, iuxta cõmunem iuris regulam, maximo cum fundamento dictum fuit, quod illorum receptio & professio, quamuis fuerit prohibita, non tamen erat irrita, eo vel maximè, quia ipse Gregorius, modificans Constitutionem Sixti V. in hac sua noua Constitutione, non præcipit, quod alia in Constitutione Sixti posita, quantum ad hoc ad vnguem deberẽt obseruari, seu quod in suo robore manerent, vt patet ibidem. Sed hæc iam nõ sunt ad propositũ: veniamus ad alia, quæ sunt præsentis temporis, de quibus sit quarta conclusio.

Difficultas, an professio illegitimorum aliter facta, quam hic præcipitur, hoc tẽpore esset irrita, & nulla?

Quarta Conclusio.

Post Constitutionem Clem. VIII. professio quorũcũq; illegitimorũ est valida, & reducta ad terminos Iuriscõmunis, saluis semper pœnis in prædictis eõstitutionibus appositis.

HOdie vero post Constitutionem Clementis VIII. superius positam, receptio & professio illegitimorum quorumcumque, quoad nullitates professionum, reducta est ad terminos iuris communis & sacrorum Canonum, & iudicandũ est in hac parte de illis, ac si Constitutiones Sixti V. & Gregorij. XIIII. nunquam editæ fuissent, saluis semper pœnis ibidem appositis, infligendis contra superiores Ordinum, in receptione & professione Religiosorum, in ipsas peccantes. Hæc conclusio constat expresse, ex prædicta Constitutione Clementis VIII. ab illis verbis: *Constitutiones prædictas Sixti prædecessoris, quo ad illam partem, &c.* vsque ad illa: *Auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus.* Et ab illis: *Cæterum pœnas ibidem inflictas, sicuti esse volumus, & statuimus.* Hoc est certissimũ, & sine vllo prorsus dubio: ita quod hoc tempore, & stante prædicta Clementis Constitutione, quæ facta fuit 2. die Aprilis, anno 1602. Omnes professiones, factæ cõtra formam prædictarum Constitutionum, sunt veræ ac validæ, quamuis superiores, pœnis ibidem constitutis, alioquin debeant plecti atque mulctari.

A 2. die Aprilis anni 1602 omnes professiones factæ, etiam contra formam prædictarum constitutionum sunt validæ, quamuis superiores id facientes, pœnis ibidem appositis debeãt mulctari.

Sed notandum est, quod non per hoc, voluit Clemens VIII. professiones antea factas, ante datam prædictæ Constitutionis, quæ alias erãt nullæ, ratificari; nam leges solummodo respiciunt futura, & cõtractus ob defectum consensus alias nullus, non potest etiam per Papam reualidari, sicut nec matrimonium clandestinum, ipso iure nullum

nullum, ob defectum conſenſus legitimi, aut propter inhabilitatem contrahentium. Hoc eſt valde memoriæ commendandum. Nam Pontifex in ſua Conſtitutione (vt ex ipſius verbis conſtat) tantummodo intendit, damna, ſcandala & incõmoda, quæ ex prædictis Conſtitutionibus oriebãtur remouere, & prouidere ne hac de cauſa, ſimilia alia in poſterum naſcerentur, reducendo prædictas Conſtitutiones ad terminos iuris communis, & ſacrorum Canonum, iuxta quos, non inhabilitatur illegitimorum profeſſio. Nec obſtat ſupradictæ noſtræ reſolutioni, quod Sixtus V. in ſuis Conſtitutionibus, non ſolum irritauit profeſſiones huiuſmodi, verum etiam & ipſam ſuſceptionem habitus, ex quo datur intelligi, quod irritauit etiam annum probationis prædictorum, antea factæ, ſiue vt communiter dicitur, ſui nouitiatus, ſine quo ſecundum ius non poterant profiteri, & profeſſio alter facta, eſt nulla & irrita, & nullius valoris, atque momenti, ex quo videtur colligi, quod etiam qui eo tempore, erant in ſui nouitiatus anno, per profeſſionem poſtmodum factam, non ſunt verè profeſſi; nam dico, quod Sũmus Pontifex ibidem, quaſi implicite ratificauit, & eſt viſus reualidare ſuſceptionem habitus, & probationis annum, reſpectu eorum, qui profeſſionem nondum emiſerant, & illam fecerunt, poſt datam præfatæ ſuæ Conſtitutionis, à die 2. menſis Aprilis anno 1602. Vnde vt huic articulo vltimam imponam manum, dico, quod profeſſiones factæ à præfata die, etiam contra formã prædictarum Conſtitutionum; ſunt validæ, eo modo quo ſecundum ius commune, & iuxta ſacros Canones validæ fuiſſent, ſi ſupradictæ Conſtitutiones nunquã fuiſſent editæ: quamuis ſuperiores illas non ſeruantes, & contrarium facientes, incurrant, ſeu potius incurrerint, pœnas ibidem contentas, quæ ſunt excommunicatio maior ſummo Pontifici reſeruata, & priuatio omnium actuum legitimorum, & officiorum ordinis, & omnium graduum atque dignitatum, & inhabilitatio ad ipſas in poſterum obtinendas.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS IIII.

De quarta conditione, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus requiſita, pro recipiendis nouitijs, qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem, non ſint aliqua infamia vulgari notati.

Concluſio.

Ad Religionẽ non poſſunt, aut debent admitti, qui aliqua infamia vulgari nota ſi fuerint, et maculati.

SEcundum ſacri noſtri ordinis generales Conſtitutiones, ad Religionem non poſſunt, nec debent admitti, qui aliqua vulgari infamia, fuerint notati & maculati. Habetur hæc concluſio in earundẽ Conſtitutionum cap. 1. agendo de nouitiorum receptione, titulo de qualitatibus recipiendorum. Pro cuius concluſionis intelligentia; adnotare oportet, quod omnes infames, ſecundum leges ciuiles, de quibus tractat Bartolus *in l. 1. C. ex quibus cauſis infamia irrogetur*, etiam ſecundum ſacros Canones, ſunt irregulares, vt colligitur *ex cap. omnes cap. nulli, cap. infames. 6. quæſt. 1.* vbi & ſpecificantur varia crimina, & delicta, ex quibus oritur, ſiue incurritur infamia. Idem habetur *in cap. infamibus de reg. iuris lib. 6. & in cap. tantis Daniel. 81. diſt. & in cap. Deus omnipotens, & cap. qualiter & quãdo, de accuſationibus.* Et generaliter loquendo, ſecundum ius Canonicum, cenſentur infames, omnes qui pro ſuis culpis, ad ordines prohibentur promoueri, de quibus latiſſimè agit Panormit. *in cap. ex diligenti, de ſimonia.* Qua de re videatur etiã *Sylueſter. verbo, infamia, num. 1. 2. & 3.* vbi latiſſimè tractat, quid ſit infamia, & dicit, quod dicitur, ab *in* quod eſt *non*, & *fama*, hoc eſt ſine fama. Eſt autem (inquit) infamia, læſæ dignitatis qualitas, vita & moribus reprobata, per argumentum à contrario ſenſu: quia fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vt dicit idem ipſe Sylueſter, verbo, *fama, num. 1.* Quibus in locis multis agit de fama, & infamia multipliciter diſtinguens hanc & illam, & tradẽs quot modis vtraque incurratur, vbi & ait, quod infamis dicitur, cuius ſtatus, vita & moribus eſt reprobatus, vt colligitur ex leg. *Sed ſi hac lege. §. prætor. ff. de in ius vocan. et leg. honori. et lege, licet. ff. de obſe. a libe. et ibi gloſ.* Quibus ſic præmiſſis, cæteris habitis pro expreſſis; vt breuitati ſtudeam, dico, quod ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, & ſecundum iura Canonica huiuſmodi infames, prædicta infamia læſi, & maculati, ſiue illa ſit iuris, ſiue vero facti, ad noſtram Religionem non debent admitti, aut recipi, quæ pro iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat: reliqua enim congruenti loco, & tempore dicenda reſeruantur.

Nota valde, qui nam ſint infames.

Quidnam ſit fama, ſiue infamia; et qui bus modis incurratur.

ARTICVLVS V.

De quinta conditione, requiſita ex noſtris generalibus Conſtitutionibus, pro nouitijs recipiendis, hoc eſt, quod ſint competenter literati, & qualiter debeat intelligi.

Concluſio.

Recipiẽdus ad ordinem, eſſe debet competẽ ter literatus.

QVinta conditio ex noſtris generalibus Conſtitutionibus requiſita, pro nouitijs recipiendis, eſt, quod venientes ad ordinem, & expoſtulantes habitum, ſint ſufficienter literati. Hæc concluſio habetur expreſſa in prædictis Conſtitutionibus, ca 1. tit. de qualitatibus recipiẽdorum: vbi id ipſum ſpecificando dicitur, ad minus eſſe requiſitum, quod aliqualem habeant Latinæ linguæ cognitionem. Hæc conditio ſiue conſtitutio, nimis iuſtificata eſt, ac rationi valde conſona, multumque expediens, quod ad Ordinem noſtrum, non admittantur ad ſtatum clericorum, quo nomine ſecundum noſtram Regulam nuncupantur, qui ad

Idiotæ de iure sunt irregulares, neq; ad sacros ordines possunt promoueri.

ad chorum, atque ad diuinum cultum, sunt deputati & mancipati, nisi iuuenes qui sufficienter & competenter sint literati, & saltem habeant aliqualem Latinæ linguæ cognitionem, non autem totaliter idiotæ & ignari, cum & ipsi secundum ius commune sint irregulares, & ad sacros ordines haud quaquam possint promoueri, vt constat, *ex cap. illiteratos. distinct. 36. ex cap. in singulis distinct. 77.* Quæ iura nuperrime approbata atque innouata sunt, per sacrum *Conc. Trident. sessione 23. cap. 11. et 15.* Et licet omnibus in Religionibus, hoc in vniuersum obseruari deberet, quod tamen in nostra sacra, id strictius fuerit præceptum, summoque studio seruetur, quam maximè est rationi consonum, vtpotè qui secundum nostram Regulam, incapaces omnino sumus, bonorum omnium temporalium, quæ à nouitijs afferuntur. Iustissimumque proinde est, vt eorundem tantummodo, personas, mores, ingenuam indolem, parentum nobilitatem, in literis debitam sufficientiam & eminentiam, eiusque generis alia considerantes, quasi iure hæreditario, in his bonis eis succedamus, & hæc sit nostra portio & hæreditas, ne dum contrarium facimus, & plures ignaros, atque idiotas recipimus; nosmetipsos & Ordinem nostrum, ac totam Ecclesiam grauemus, nihilque ex illorum receptione fructus, siue vtilitatis consequamur, ac gementes rectè cum Isaia Propheta, dicere possimus, quod ille ad simile propositum: *Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam.*

Isai. ca. 9.

Isai. ca. 9.

ARTICVLVS VI.

De sexta conditione, ex nostris Constitutionibus generalibus requisita, nempe, quod recipiendi sint. 16. annorum.

Prima Conclusio.

Secundũ nostras Cõst. recipiẽdi ad ordinem, ad minus esse debẽt 16. annorum.

SExta conditio ex nostris Constitutionibus generalibus requisita est, q̃ recipiẽdi ad Ordinẽ, ad minus sint ætatis, 16. annorũ. Hæc cõclusio habetur expressa, in cap. 1. tit. de qualitatibus recipiendorum, vbi & præcipitur, quod habeant hanc ætatẽ completam. Pro cuius conclusionis intelligentia; dico, quod olim de iure communi, secundum Syluest. *verbo religio. 2. quæst. 12.* tam pueri, quam puellæ (etiam parentibus prohibentibus) intrare poterant Religionem quamlibet, completo anno suæ pubertatis, quæ in pueris adimpletur anno 14. incipiente 15. in puellis autem anno 12. incipiente. 13. Quod & esse verum constat, ex quam pluribus iuribus atque decretis, *ex cap. puella. 20. quæstione 2. & ex cap. ad nostram, cap. significatum, cap. cum virum, cap. cum simus, de regu.* Et dixi fuisse necessarium, vt prædictum pubertatis annum adimpleuerint, nam in hoc malitia non supplebat ætatem, vt multis probat Glossa *in cap. firma. 20. quæstione. 1.* & Ioannes Andreas, *in Clementina, eos, de regu.* Et dicit ibi Glossa, quod hic vnus est casus ex ijs, in quibus annus inceptus, non valet pro completo. Hac de re & circa hanc difficultatem, in quibus scilicet casibus, malitia suppleat ætatem, aut annus inceptus non valeat pro completo: de qua magna olim fuit, estque hodie quæstio & controuersia inter Doctores, multa ibidem dicuntur à Glossa, & quidem notatu dignissima, quæ tamen ipse breuitatis gratia facio missa, hoc solummodo contentus dixisse, quod pueri & puellæ, intrare poterant Religionem quamlibet olim, etiam inuitis & renuentibus suis parentibus, de iure communi, post completum suæ pubertatis annum, ad sensum supradictum. Sed nihilominus quamuis hoc ita esset, sacræ nostræ Religionis Patres, iustissimis moti de causis, in multis capitulis generalibus statuerunt & ordinarunt, vt nullus reciperetur ad nostrum Ordinem, nisi post 16. annum expletum. In quo etiam conueniunt multæ aliæ Religiones, quæ simile statutum habent; quin verò quædam maiorem requirunt ætatem; circa quod variæ atque diuersæ reperiuntur, diuersarum Religionum Constitutiones, secundum quod magis vel minus, sibi visum fuit expedire, quò nouitij in eisdem recipiendi, ferre & sustinere possent Religionum ipsarum difficultates & asperitates.

Secundũ Ius commune, olim pueri & puellæ, intrare poterãt Religionẽ, etiã inuitis suis parentibus, cõpleto suæ pubertatis anno

In quibus casibus malitia non suppleat ætatem, neq; annus inceptus habetur pro completo.

Sed difficultas est, an id modo sit necessario obseruandum, conueniatque obseruari: quod recipiendi ad Ordinem habeant, adimpleuerintque saltim 15. ætatis suę annum, quo expleto anno suæ probationis, siue nouitiatus, iuxta decretum & definitionem Concilij Tridentini, 16. anno expleto, statim possint profiteri. Et ratio dubitandi specialis est, in nostro sacro Minorum Ordine, postquam in secundo capitulo nostræ regulæ, habetur expresse: *Quod nouitij finito anno probationis, recipiantur ad obedientiam, & professionem faciant, promittentes vitam nostram, & Regulam obseruare*: quod quidem neutiquam secundum dictum Concilium facere possent, expleto probationis anno, non assumpto habitu, post prædictum 15. annum expletum: vt enim iam diximus, professio facienda est, in 16. etiam expleto. Et addo, quod hęc ratio dubitandi generaliter etiam videtur, omnes in vniuersum Religiones comprehendere, cum de omnibus in generali, Concilium Tridentinum prædictum dicat: *Quod finito tempore nouitiatus, superiores Ordinum, nouitios quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eijciant.* Ex quibus verbis colligi videtur, quod saltem eam ætatem (iuxta prædictum Concilium) supradicti nouitij recipiendi, debent habere, quò possint finito probationis, siue sui nouitiatus tempore, statim profiteri. Sed his rationibus non obstantibus, in contrarium statuitur conclusio.

Difficultas. An recipi possint ad Ordin. minores 16. annis. Conc. Tri. sess. 25. ca. 15. & 16.

Conc. Tri. vbi su. c. 16.

Secunda Conclusio.

SEmper fuit vsu receptum, atque in communi praxi obseruatum, quin verò & visum rationi consonum, quod aliquando iustis interuenientibus causis, in sacro nostro Minorũ Ordine, & vt credo, in omnibus, aliqui nouitij re-

Hæc cõditio. 16 annorum non fuit recepta, aut vſu practicata, ſed contrariũ omnino, in noſtro ſacro ordine.

ciperentur minores 15. annorũ. Hæc cõcluſio non aliter probari poteſt, quam ex ipſa experientia, aut forſan conuenientia, qua religionũ ſuperioribus expediẽs ſemper fuit viſum, vt nõ practicare tur, & reſpondendo & ſatisfaciendo ad rationes, quæ poſſent in contrarium adduci. Et de experientia certum & manifeſtum eſt, neque vlla indiget probatione: nam & mihi contigit. Pro conuenientia autẽ facit, quam maximè illud, quod dicit D. Th. 2. 2. q. 189. artic. 5. vbi interrogando, an pueri ſint recipiendi in Religionibus? reſpondet, concluſionem adhibendo affirmatiuam, quam & probat, primo auctoritate Chriſti Domini dicentis: *Matth. 19.* *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere, venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum.* Secundo probat id ipſum, auctoritate Origenis, Hom. 7. in Matthæum. vbi explicãs prædicta verba, inquit: quod diſcipuli olim Chriſti, priuſquam diſcerent rationem iuſtitiæ, prohibebant pueros ad Chriſtum venire, & reprehendebant eos, qui pueros & infantes offerebant eidem: ipſe autem in prædictis verbis, exhortatur illos, in hoc condeſcendere eis propter vtilitatem puerorum. Et ſubdit Origenes. Hoc ergo debemus attendere, ne æſtimatione ſapientiæ excellentioris, contemnamus quaſi magni puſillos Eccleſiæ, prohibentes pueros venire ad Ieſum. Verba ſunt Origenis expreſſa, & quidem notatu digna. Tandem tertio, probat idipſum D. Thom. exemplo ſancti Ioannis Baptiſtæ, qui vt habetur in Euangelio, & propria ipſius hiſtoria, in tenerrima ætate, ad diuinum venit ſeruitium, dicitur enim Lucæ. 1. *Quod erat in deſertis, & creſcebat, & confortabatur ſpiritu.* Probat & id exemplo D. Benedicti, de quo etiam dicitur in eiuſdem hiſtoria, quod in tenera ætate, Monachalem aſſumpſit habitum, & de eodem, ac *Grego. lib. 2. dialog.* alijs generaliter, dicit D. Greg. lib. dialog. *Quod olim Romani nobiles, filios ſuos in Religionibus enutriendos, omnipotenti Deo dare & offerre conſueuerant.* Tandem quarto & vltimo, probat Diuus Thom. idipſum fuiſſe expediens, & quam maximè rationi conſonum, ex illo Threnorum 3. vbi dicitur: *Bonum eſſe viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Et ſubdit *ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſe ſupra ſe.* Ex his omnibus colligit D. Thom. conuenientiam atque congruentiam, vt pueri etiam minores quindecim annorum, in Religionibus recipiantur. Poſſet etiam idipſum comprobare, exemplo ſui ipſius, qui & vt eiuſdem narrat hiſtoria, cum puer eſſet quinque annorum non amplius, Monachis ſancti Benedicti Caſſinatibus, à proprijs parentibus enutriendus & cuſtodiendus fuit traditus. Quibus ego rationibus addo, negari haud quaquam poſſe, eiuſmodi pueros eſſe faciliores, & maioris diſpoſitionis, ad hoc vt percipere & apprehendere poſſint, ea quæ pertinent ad diuinum cultum, & ad obſeruantiam Religionis, ſeu ſtatus religioſi. Meliuſq; eſſe Religionibus, quod huiuſmodi pueri in eiſdem recipiantur, quam alij ætate maiores, peccatis & malitia imbuti, atq; in vitijs enutriti, adeò vt in illis iamveluti radices fixerint. Pueri etiam id quod ſemel in Religionibus acceperint, tenacius tenebunt & conſeruabunt, & iuxta Horatij præſcriptum,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem, Teſta diu. *Horat. lib. 1. epiſ.*

Ad rationes autem incontrarium adductas, facile reſpondetur dicendo, non eſſe in iure, Textum aut Canonem præcipientem: vt non recipiatur ad ordinem, minor. 15. annis. Imo verò ſecundum ius commune (vt ſupra diximus) ſufficiebat ſuperque ſatis erat, impleuiſſe 14. ſuæ pubertatis annum, neque ex Concilio Tridentino prædicto, aut ex noſtra Regula, colligi poteſt contrarium. Nam licet vtrobique dicatur, quod no uitij expleto probationis anno, ad profeſsionem admittantur & recipiantur aut verò eijciantur, licet etiam huiuſmodi probationis terminus (iuxta noſtram Regulam, & idem Concilium) diminui non poſſit; poteſt tamen augeri, atque profeſſio nouitiorum, iuſtis exiſtentibus cauſis dilatari, vt infra dicemus ſuo proprio loco, quando hac de re ſpecialem fecerimus mentionem.

ARTICVLVS VII.

De ſeptima conditione requiſita, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus, qua dicitur, vt recipiendi ad Ordinem, ſint bono genere nati, non deſcẽdentes ex conuerſis Iudæis, ſeu Mahometanis, vel Hæreticis quantumuis remotis, neque ex Gentilibus modernis.

Latiſſima eſt materia huius articuli, & quæ multas in ſe continet difficultates, quas, vt debite explicemus, agẽdũ ſimul eſt à nobis, de ſtatutis, quæ cum auctoritate Apoſtolica, aut ſine illa, facta reperiuntur in quibuſdam Religionibus, prohibentia & vetantia, ne huiuſmodi ex infecto & maculato genere nati, ad ipſas admitti vllo modo poſſint. Et vt hac in re, pro more noſtro, clarius atque diſtinctius procedamus, libuit aliquot prius proponere fundamenta, ex quibus conſtabit, dicendorum vera reſolutio.

Chriſtiani noui qui dicantur, in rigore loquendo?

Primo præmitto quod quamuis communiter & regulariter loquendo, ex Iudæis ſeu Mahometanis conuerſi ad fidem, in quocumque gradu ſint, Chriſtiani noui nuncupentur, propriè tamen & in rigore, ſtando in proprietate vocabuli, non oẽs iſti Chriſtiani noui ſunt dicẽdi, ſed ſolũ modo Neophyti, hoc eſt, ex his ſeu ex illis, aut ex Gẽtilibus, de nouo ad fidẽ conuerſi. Hi (inquam) propriè ſunt Chriſtiani noui, non verò alij. Quod conſtare facile poteſt, ex ipſa vocabuli etymologia, quam adducit Sylueſt. *verbo neophytus*, vbi inquit, neophytos eſſe dictos, à verbo, *neos* (quod eſt *nouus*) & *phytos* (quod *eſt fides*) inde *neophyti*, quaſi noui in fide. De quibus loquitur, *cap. quoniam, &c. ſicut neophytus 48 diſtinctione*: & iſti ſolum modo ſunt, qui olim prohibebantur ordinari, & promoueri, etiam ad Minores Ordines, & tonſurari vt habetur ibidem, & *in capite Monaſterijs, 19 quæſtione. 3.* Cuius quidem rei, cauſa reddi-

redditur, ne iuxta mentem, atque sententiam Diui Pauli: *In superbiam elati, in iudicium inciderent, & in laqueum diaboli.* Hoc dixit Diuus Paulus olim de Neophytis, & denuò ad fidem conuersis, siue ex Iudaismo siue vero ex gentilitate, & de eisdem loquuntur expresse prædicta iura, vbi dicuntur ad hoc proposito aliqua notatu dignissima. De his etiam loquitur Innocentius Papa, in Epistola 12. ad Aurel. & habetur *in capit. miserum, distinctione* 61. vbi inquit: *Miserum esse, quempiam fieri Magistrum, qui necdum didicit esse discipulus.* Sed quamuis hoc ita sit, stando in rigore sermonis, & proprietate vocabuli, iam tamen communis vsus habet, vt omnes ex Iudæis seu Mahometanis, ad fidem conuersis descendentes, in quocumque gradu sint, Christiani noui nuncupentur. De quibus inter Doctores Iurisperitos, magna est lis & controuersia, vtrum ad officia publica & dignitates, debeant & possint assumi? Qua de re videatur Otalora de nobilitate, prima parte capite septimo, & Auendaño in suo dictionario *verbo, Iudæus*, & nunc nouissime Heredia, in suo libello, nuncupato *dechado de Iuezes, question, si el Iudio puede ser Iuez*, de quo etiam nos in secundo tomo, aliqua quin vero multa dicemus.

An fieri possit aut potuerit, aliquod statutum iustum, prohibēs Christianos nos, ab ingressu Religionis.

Secundo præmito, esse etiam maximam litem & controuersiam, inter eosdem Doctores Iurisperitos, vtrum auctoritate aliqua, quæ non sit Apostolica, fieri potuerit aliquod statutum iustum, excludens supradictos ex infecto, atque maculato genere descendētes, à Religionibus, Confraternitatibus siue Collegijs, alijsque eiusmodi rebus. Quidam enim tenent partem affirmatiuam, alij vero negatiuam. De qua lite & controuersia, videndus est supradictus Otalora de nobilitate, loco supracitato, numero 26. & doctissimus Doctor Simancas, de Cathol. institutio. titulo 47. numero 84. & in alio suo libello, nuncupato defensio statuti Toletani, & Didacus Perez *in l. 9. titulo nono, libri primi ordinament. & in lege prima, titulo primo, libro quarto*, & Nauarro libro tertio Consiliorum titulo de Regul. consilio 26. vbi doctissime & latissime, hinc inde hanc quæstionem difficultat, de quorum omnium sententia & resolutione, dico breuiter duo. Primo quod auctoritate Papæ, & propter aliquas causas & rationes licitas, Summi Pontificis animum mouentes, bene potest licite fieri prædictum statutum, excludens huiusmodi ex maculato, & infecto genere descendentes, à Religionibus, Confraternitatibus siue Collegijs, cæterisq; alijs huius generis rebus. Sicque videmus in Ecclesia, esse aliquas Religiones, Ecclesias atque Collegia, secularia & regularia, habentia huiusmodi statuta, quæ sine magna temeritate, affirmari non posset, esse iniusta, & nulla atque inualida, cum facta fuerint auctoritate Apostolica, & ob iustissimas causas. Secundo dico, cum supradicto Nauarro, quod eiusmodi statuta essent nulla, si fierent aut facta fuissent, sine prædicta auctoritate Papæ: nam nullum capitulum quantumuis graue, cuiuscuis Religionis, Ecclesiæ siue Confraternitatis, sine ipsius auctoritate, potest statuere siue ordinare, vt non ibidem recipiantur, huiusmodi descendentes ex prædictis infidelibus, dum tamen sint ipsi fideles. Cuius ratio est, quia nullus inferior Papa, potest aliquid statuere, contra ius commune Canonicum, vt habetur, *in capit. quod super his, de maior. & obedientia*, & certum est, quod prædictum statutum, esset contra ius commune. Nam iure communi Canonico, omnes Christiani & fideles (etiam ex infidelibus descendentes) sunt apti & idonei, ad intrandam & profitendam quamcumque Religionem, à Sede Apostolica approbatam, si non obest eis aliquod Canonicum impedimentum, quod non est prædicta generatio, siue descendentia ex prædictis infidelibus: nam id nullo jure cauetur. Imò verò iure ipso diuino, vnde totum ius canonicum exhauritur, *iuxta cap. qualiter, & quando el segundo de accusa*, id expresse conceditur. Nam Apostoli, cum essent Iudæi, facti sunt Christiani, vt habetur *in cap. in nouo. 21. distinct.* & D. Paulus ex iudaismo Conuersus, solos *neophytos*, ideſt, *in fide nouos*, seu ad fidem nouiter conuersos, ab ordinibus dicit debere remoueri. Quin etiam & Alexander III. *in cap. eam te, de rescriptis*, decreto quodam suo declarauit ac dixit, *non debuisse quempiam, à quodam canonicatu repelli, pro eo quod antea fuisset Iudæus.* Imò verò vt dicit Glossa ibidem, *propterea debuit potius laudari & commendari.* Prædictis omnibus accedit, quod iuxta mentem atque sententiam D. Pauli, ad Roma. 3. & 10. *Post promulgatum Euangelium, iam non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium Deus, diues in omnes qui inuocant illum, & omnis quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Ex quibus omnibus colligitur, quod quamuis auctoritate Papæ, fieri potuerit aliquod tale statutum, non tamen sine illa, & si fiat, erit ipso iure nullū, etiamsi alioquin prætendatur, quod sit confirmatum à Papa, aut auctoritate ipsius data in communi factum. Nam tales confirmationes, & auctoritas quæ communiter atque vniuersaliter conceditur, ad condenda statuta, semper intelligenda est, vt dicit Nau. vbi supra, quatenus sunt licita & honesta, & dummodo non sint contra ius commune, & cōtra sacros Canones. In proposito autem, prædictum statutum, iā satis constat, quod esset contra supradicta iura.

Tertio præmitto, quod Clemens VII. Pontif. Maxim. anno Domini 1525. die 10. mensis Martij, iustis quibusdam de causis permotus, constitutionem quādam fecit, contra Iudæos & Hæreticos, atq; ab ipsis descendentes, vsque ad quartā generationem, prohibens omnes qui eiusmodi essent, à susceptione & receptione habitus nostri, & religiosos iam professos, ab obtentione officiorum quorumcumque ordinis, & quarumcumque dignitatum. Quamquidem Clementis constitutionem, postea Iulius III. alijs motus causis, reuocauit, cassauit & annullauit, anno Domini 1550. decima die Octobris. Sed postmodum Paulus Quartus, anno Domini 1558. 24. die Aprilis, Pontificatus sui anno quarto, præfatam constitutionem Clementis VII. à Iulio Tertio reuocatam, alia sua confirmauit, ac veluti de nouo edidit, & in suum robur, vigorem atque in pristinum statum reduxit, quæ tenoris est sequentis. *Paulus Quartus ad perpetuam rei memoriam. Cum ex Apostolatus officio,*

Clemen. VII. fuit, qui primus fecit statutum, contra descendentes ex Iudæis Mahometanis, atque Hæreticis ne reciperentur in Relig. Minorū, quod postea Paul. IIII. & Pius IIII. confirmarunt.

nobis, meritis licet imparibus diuinitus credito, cura Dominici gregis nobis immineat generalis, ad ea libenter intendimus, per quæ Religionis puritatem, ab omnibus his, quæ illi detrimentum aliquod afferre possunt, quantum cum Deo possumus tueamur, & Religioni deditos, sed præsertim ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, qui mundo mortui, solo Deo viuunt, ab omnibus his, quæ eorum pias mentes aliquando subuertere possunt, ita custodiamus, vt crescente in eis quotidie, Dei obsequij zelo, vberes fructus in vinea Domini afferre valeant, neque ex ministrorum, aut aliorum quorumcumque culpa, aut indecentia grauamina, & dispendia patiantur. Cum itaque felicis recordationis Clemens Papa Septimus, prædecessor noster, considerans ministros prouinciales Fratrum Ordinis Prædicti de Obseruantia, in suis prouincijs speciali priuilegio, tanquam Inquisitores hæreticæ prauitatis, suorum subditorum existere, & in ipsos subditos, officium Inquisitionis exercere, volensque à personis Religiosis, præsertim ab ijs præsidentibus, quæ contraria fidei, honestati & ordini existerent, ad Dei Laudem, & Religionis decentiam, & animarum salutem submouere, Motuproprio & ex certa scientia, auctoritate Apostolica, perpetuo statuerit & ordinauerit, quod de cætero (in regnis Hispaniarum tantum) aliqui fratres Minoris Ordinis de Obseruantia, à Iudæis seu hæreticis, quorum parentes & progenitores, paterni seu materni, viuentes seu defuncti, vsque ad quartam generationem inclusiue, hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi, seu eorum corpora, & ossa, vel statuæ, igni tradita fuerint, originem trahentes, seu descendentes, etiam ad quascumque dignitates, & officia Ecclesiastica obtinenda & exercenda, præmissis non obstantibus sufficienti dispensatione, seu indulto suffulti, in ministros Prouinciales, seu Guardianos, neque etiam seculares simili modo a Iudæis, seu hæreticis originem trahentes seu descendentes, in fratres Ordinis obseruantiæ huiusmodi, nullatenus eligi, assumi & recipi, nec Prouincialatus, aut alia officia quæcumque gerere, & exercere quoquomodo possent, districtius inhibens, Generalibus & Prouincialibus ministris, aut Guardianis, & fratribus eiusdem ordinis & obseruantiæ, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna (eo ipso si contra fecerint incurrenda) ne aliquos ex dictis Iudæis, seu Hæreticis, vsque ad quartam generationem, originem trahentes, seu descendentes (vt præfertur) in ministros Prouinciales, seu alia officia, nec de cætero seculares, in fratres dicti Ordinis eligere, assumere, recipere, vel admittere, seu electos confirmare, & instituere quomodolibet præsumerent, decernens irritum, & inane, quidquid secus attentari contigisset, prout in eiusdem prædecessoris nostri literis, in forma breuis expeditis sub dati die 19. Martij 1525. plenius continetur, quas tamen literas cum omnibus, & singulis inde sequutis, tum ex certis, tum ex expressis causis, felicis recordationis Iulius Tertius prædecessor noster, ex certa eius scientia, & auctoritate Apostolica, reuocauerit, cassauerit & annullauerit, illasque nullius roboris, & momenti, ac pro infectis voluerit haberi, ac nulla originis, seu status consideratione habita, quoscumque fratres in ministros, siue Guardianos assumi, & seculares in fratres eiusdem Ordinis, recipi libere, & licite posse voluerit, cum decreto irritante, & alijs clausulis, prout latius in literis eiusdem Iulij prædecessoris nostri, in forma breuis expeditis, die decima Octobris 1550. continetur, nos considerantes, non solum eos, qui orthodoxæ fidei contemptores existunt, à sacris canonibus, pœnis grauissimis plecti, verum etiam eos & eorum descendentes à dignitatibus, officijs & beneficijs Ecclesiasticis arceri, & quod non decet eos, qui ad docendum alios verbo & exemplo, in ministros assumuntur, vel ad obsequium Deo præstandum, in ordinem fratrum Religionis sancti Francisci, quæ (vt præfertur) soli Deo viuunt, & pro vniuersali Ecclesia preces ad Deum effundunt recipiuntur, suspicione aliqua laborare, vel quod ipsi mala imbuti doctrina, vel vitiorum parentum imitatores existant, vnde alios fratres dicti ordinis eorum labe, maximo cum scandalo, & periculo inficere possint, volentes vbi maius est periculum, ibi plenius prouidere, temores & compendia literarum supradictarum, tam fælicis recordationis Clementis, quam Iulij prædecessorum nostrorum, vt præmittitur, omniaque & singula in eis contenta, pro plene, & sufficienter expressis habentes. Motu proprio & ex certa scientia, & Apostolica auctoritate, eadem literas Clementis, non obstante reuocatione, cassatione & annullatione Iulij prædecessoris præfati, approbantes & innouantes, ac perpetuo obseruare volentes, & in viridi obseruantia reponentes & reducentes, literasque eiusdem Iulij prædecessoris, præfatarum literarum Clementis reuocatorias, reuocantes, cassantes & annullantes, illasque nullius roboris, & momenti, ac pro infectis quò ad omnia haberi, pleniusque in præmissis prouidere volentes, motu, scientia, & auctoritate prædictis, tenore præsentium, perpetuo statuimus & determinamus, quod de cætero, nullus secularis, qui ex Iudæis, seu Hæreticis, quorum parentes, seu progenitores, paterni siue materni, viuentes seu defuncti, vsque ad quartam generationem inclusiue, Hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi seu eorum corpora & ossa, vel statuæ igni traditæ fuerint, originem trahat, seu ex descendentibus, prædictorum Iudæorum, & Hæreticorum vsque ad quartam generationem, inclusiue fuerit, vel sit in totius Ordinis Fratrum Sancti Francisci, Fratrem dicti Ordinis, in quibuscumque locis, & mundi partibus, vbi Religio, & ordo Fratrum huiusmodi fuerit, aliquo modo sub quouis prætexiu, & quæsito colore, sub pœnis infrascriptis, eo ipso per recipientes & admittentes, absque declaratione aliqua incurrendis, recipi & admitti possit, & si aliqui tempore datæ præsentium, inter Fratres Minores totius dicti Ordinis Sancti Francisci, in quibuscumque locis, & mundi partibus, vbi Religio et ordo Fratrum huiusmodi similiter fuerint, qui olim Iudæi, seu Hæretici fuerint, seu à similibus Iudæis, seu Hæreticis, quorum similiter parentes et progeniteres, paterni seu materni, viuentes seu defuncti, vsque ad quartam generationem inclusiue, Hæretici declarati, et vt tales condemnati, ac illi, seu eorum corpora et ossa, vel statuæ igni traditæ fuerint, originem trahentes, seu descendentes, vsque ad quartam generationem inclusiue, etiam ad quascumque, dignitates, beneficia, et officia Ecclesiastica, obtinendæ et exercenda, præmissis non obstantibus, sufficienti dispensatione, seu indulto suffulti reperiantur, in Ministros Generales,

vales, ſeu Prouinciales, ac Commiſſarios Generales, ſeu quoſcumque alios Commiſſarios, ſeu Guardianos, aut Prædicatores, etiam ſi alias ſ. lti fuerint ad huiuſmodi officia, Generalatus, Commiſſariatus generalis, & cuiuſcumque alterius Commiſſariatus, Prouincialatus, ſeu Guardianatus, & prædicationis eligi, & aſſumi, nullatenus de cætero eligi, aſſumi ſeu recipi poſſint, electioque & aſſumptio, ſeu receptio de illis facta, ad officia prædicta (ſi fieri contigerit de facto) nullius ſit roboris vel momenti, & pro non facta habeatur, nec vigore electionis, aſſumptionis, ſeu receptionis prædictæ, illi ſic electi, aliquid adminiſtrare, ſeu prædicare poſſint, ſed omnia & ſingula per eos ſic electos, & aſſumptos, de facto adminiſtrata & geſta, viribus careant, & nullam prorſus firmitatem obtineant, neque ius alicui tribuant, nullique fratres totius dicti Ordinis Sancti Franciſci, etiam ſi eos, in Generales Miniſtros, Commiſſarios Generales, & alios quoſcumque Commiſſarios, Prouinciales, vel Guardianos, & Prædicatores elegiſſent, ſeu recepiſſent, eiſdem ſic contra mandata noſtra electis, & aſſumptis obedire, ſed in continenti ab eorum obedientia recedere, eiſque prædicationis officium interdicere, & ad alios in miniſtros Generales, Commiſſarios etiam Generales, & alios quoſcumque Commiſſarios, Prouinciales Miniſtros, Guardianos & Prædicatores, loco prædictorum eligendos procedere, perinde ac ſi prædicti nullatenus electi, ſeu aſſumpti forent, ſub pœnis infraſcriptis teneantur & debeant. Et vlterius ſi contigerit tempore datæ præſentium, aliquem ex dictis olim Iudæis, ſiue Hæreticis exiſtentibus, ſeu à Iudæis, ſeu Hæreticis vſque in quartam generationem, incluſiue (vt ſupra) deſcendentibus, in aliquibus ex dictis officijs, Generalatus, Comiſſariatus Generalis, & alterius cuiuſcumque Commiſſariatus, Prouincialatus, ſeu Guardianatus, vel prædicationis electum & aſſumptum, confirmatum & inſtitutum, etiam in quaſi poſſeſſione dictorum officiorum exiſtentem reperiri, ilicſic electus, aſſumptus, confirmatus & inſtitutus, & quaſi in poſſeſſione exiſtens reperius, vigore præſentium intelligatur, & ſit eo ipſo & abſque aliqua deſuper declaratione facienda, dictis officijs deſtitutus & priuatus, nihilque vigore dictorum officiorum, gerere ſeu adminiſtrare, vel etiam prædicare poſſit, geſtaque & adminiſtrata per ipſum, poſt præſentium publicationem, in Capitulo Generali dicti Ordinis faciendum, viribus careant, nullamque prorſus obtineant firmitatem. Nullique fratres in dictis Officijs, contra huiuſmodi mandata noſtra exiſtenti obedire, ſed in continenti quam primum potuerint, poſt præſentium publicationem, in dicto Capitulo generali, vt ſupra faciendam, ab eorum obedientia recedere, illiſque prædicationis officium interdicere, & ad alium loco prædicti, in aliquo ex dictis officijs exiſtentis, eligendum tanquam ad officium vere vacans procedere, ſub pœnis infra ſcriptis teneantur & debeant. Diſtrictius inhibentes Generali Miniſtro, Commiſſario Generali, aliiſque Commiſſarijs quibuſcumque, Prouincialibus Miniſtris, ac Guardianis, & Fratribus totius dicti Ordinis, in quibuſcumque mundi partibus, & locis exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis, Generalatus, Commiſſariatus Generalis, & alterius cuiuſcumque Commiſſariatus, Prouincialatus, & Guardianatus, aliorumque officiorum, & dignitatum dicti Ordinis, & inhabilitatis ad illa in perpetuum obtinenda, pœnis eo ipſo, ſi contrafecerint incurrendis, ne aliquos ex dictis, qui olim Iudæi, ſeu Hæretici fuerint, ſeu à dictis Iudæis & Hæreticis, vt præfertur vſque in quartam generationem incluſiue, originem trahentes, ſeu deſcendentes exiſtant, in Fratres totius dicti Ordinis, in quibuſcumque locis, & mundi partibus, ſeu in Miniſtros Generales, Commiſſarios Generales, & alios quoſcumque Commiſſarios, Prouinciales miniſtros, ſeu Guardianos, vel Prædicatores recipere, admittere, eligere, ſeu aſſumere, ſeu electos confirmare & inſtituere, vel etiam tempore datæ præſentium electis, aſſumptis, inſtitutis & confirmatis, & iam quaſi in poſſeſſione dictorum Officiorum, ſeu alicuius ipſorum exiſtentibus, obedientiam aliquam præſtare, ſeu à tali obedientia non recedere, & ad alios vt præmittitur loco prædictorum eligendos non procedere, illiſque officium prædicationis interdicere, vt præfertur, quomodolibet ſub quouis quæſito colore, & prætexu audeant, vel præſumant. Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, à quocumque, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, ſicque per quoſcumque, quauis auctoritate fungentes, Iudices & perſonas, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, iuramento ac confirmatione Apoſtolica, ſeu quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac dictis literis Iulij Tertij prædeceſſoris noſtri, vt præmittitur in forma breuis expeditis, præfato ordini conceſſis, necnon priuilegijs, & indultis, & literis Apoſtolicis Ordini, Miniſtro Generali, Commiſſario Generali, & alijs quibuſcumque Commiſſarijs Prouincialibus, Miniſtris, Guardianis, & Prædicatoribus, Fratribus præfatis, ac eijs qui olim Iudæi, & Hæretici fuerint, ſeu deſcendentibus à præfatis, & alijs quibuſuis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſcumque clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & decretis etiam motu ſimili conceſſis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus etiam ſi de eis, & alicuius eorum, & cuiuſcumque eorum toto tenore, habenda eſſet mentio ſpecialis, ſeu indiuidua de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, eorum omnium veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ad effectum præſentium hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, illaque aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim, ab Apoſtolica ſede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 24. Aprilis 1558.

Hæc conſtitutio Pauli Quarti, extracta eſt à ſecretaria Apoſtolica & domeſtica ipſius, auctoritate Sanctiſſimi Papæ, Pij Quarti, ad inſtantiam Miniſtrorum Prouincialium, Fratrũ Minorum Sancti Franciſci de obſeruãtia, vt cõſtat ex literis ipſius Pij Quarti, quæ incipiunt, *Prouiſionis noſtræ*, & habẽtur in monumentis Ordinis, Datis Romæ apud Sanctũ Petrũ, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Decembris

Hæc Conſtit. Pauli Quarti cõfirmata eſt à Pio Quarto & Gregor. XIII. qui & extendit eam ad deſcendentes ex Sarracenis.

bris 1564. Pontificatus sui anno quinto. Cuius Pauli Quarti Constitutionem, idem Pius Quartus ad literam confirmauit anno prædicto. Sed postea Pius Quintus anno Domini 1571. quadam sua extrauaganti quæ incipit, *Pastoralis officij, &c.* ipsam restrinxit, vsque ad secundam generationem ex parte patris, & primam ex parte matris, sicut restrinxerat eam antea Iulius Tertius. Sed Gregorius XIII. anno Domini 1574. alia sua extrauaganti, quæ incipit. *Consueuit*, reuocans constitutionem Pij Quinti, confirmauit ac de nouo statuit, vt seruaretur prædicta constitutio Pauli Quarti, & Pij Quarti, & præcepit quod extenderetur etiam, ad descendentes è Sarracenis vsque ad quartam generationem inclusiue. Verum tamè est, quod non desunt aliqui Patres nostræ Seraphicæ Religionis, qui audeant affirmare & dicere, præfatam constitutionem Pauli Quarti & Pij Quarti, esse reuocatam, à Sixto Quinto Pontifice Maximo, ac præceptum, vt Constitutio Iulij Tertij, & Pij Quinti seruaretur, & dicunt hanc reuocationem esse scriptam in libro Ordinis, qui habetur Romæ, in Conuentu Aracæli, in Archiuio Procuratoris Generalis. Sed tamen alij contrarium omnino tenent, & cum hoc non habeatur authenticum; & in forma qua firma fides ei præstari debeat, standum firmiter est in supradictis, & omnino seruanda Constitutio Pauli Quarti, & Pij Quarti, siquidem confirmata, & roborata de nouo est à Gregor. XIII.

Quarto præmitto, quod circa præfatam Constitutionem Pauli Quarti & Pij Quarti, approbatam & confirmatam à Gregor. XIII. & veram atque genuinam eiusdem intelligentiam, & qualiter debeat obseruari & practicari, est magna lis & controuersia inter Doctores Iurisconsultos, & multos patres nostræ Seraphicæ Religionis, quosnam comprehendat præfata constitutio, & qui per eam excludantur, à receptione habitus nostri, & ab officijs Ordinis. Qua de re, sunt duæ opiniones.

Prima opinio Quidam enim dicunt, quod illa verba, in prædicta constitutione posita, *quorum corpora & ossa fuerint cremata, &c.* æqualiter respiciunt atque determinant Iudæos & Hæreticos, & non dumtaxat Hæreticos. Itaquod hac constitutione, non omnes descendentes ex genere Iudæorum maculato, indistincte comprehenduntur, & excluduntur à susceptione nostri sacri habitus, sed illi dumtaxat, quorum progenitores, seu alicuius ipsorum corpora aut ossa, vsque ad quartam generationem, fuerunt concremata & igni tradita. Et aiunt, quod etiam si aliqui descendant, ex prædictis Iudæis, intra quartum gradum, & quartam generationem inclusiue, non comprehenduntur in dicta constitutione, nisi etiam simul eorum corpora, & ossa fuerint concremata & igni tradita. Huius opinionis, fuisse fertur olim, Doctiss. Doctor Grado, primarius Cathedraticus iuris Canonici, in inclyta Salmaticensi Academia. Item & Doctissimus Doctor Solis, sequentibus temporibus, iuris ciuilis etiam Cathedraticus primarius, & Reuerendissimus Pater Frater Franciscus à çamora nostri Sacri Ordinis, quondam Generalis Minister, qui hac de re, fertur fuisse interrogatus, & consultus à Patribus nostræ Prouinciæ Sancti Iacobi, existentibus in quodam Capitulo Prouinciali, vbi circa præfatam constitutionem, & ipsius obseruantiam, & qualiter deberet practicari, fuere sibi proposita aliquot dubia, quorum fuit primum, quos nam comprehendat hæc constitutio Pauli Quarti, & Pij Quarti, & quales per ipsam sint exclusi? Cui dubitationi respondisse dicunt, comprehendere tantummodo eos, qui descendunt ex Iudæis, quorum corpora & ossa, vsque ad quartam generationem inclusiue, fuerunt concremata & igni tradita, non vero alios. Et idem dicendum esse dixit, de descentibus ex Hæreticis, quorum corpora & ossa, vsque ad quartam generationem inclusiue, fuissent concremata, & igni tradita. Eandem sententiam & opinionem tenet, probat ac multis defendit, noster Emmanuel Rodericus, in 1. tom. suarum Quæstionum Regularium, quæstione 14. articulo primo, secundo & tertio. Et tertio tomo, quæstione 11. articulo quarto, & in summa secunda parte, capit. quinto, *verbo, nonitius*, nec desunt pro hac opinione multa fundamenta, & variæ rationes, quas qui videre voluerit, consulat ipsum locis supra citatis, vbi etiam argumentis in contrarium adductis respondet, ac satisfacere conatur pro viribus.

Sed secunda sententia & opinio, est Nauarri libro tertio consiliorum, de Regula. consilio 26. & libro quinto consiliorum, titulo de Iudæis, & Sarracenis, consilio primo, & titulo de Hæreticis consilio 22. qui affirmiter tenet, omnes ex Iudæis descendentes, vsque ad quartam generationem inclusiue, absque aliqua limitatione, in præfata constitutione comprehendi, quamuis nulla progenitorum suorum, corpora aut ossa, igni fuerint tradita aut concremata. Hanc sententiam tenent etiam multi grauissimi Doctores moderni, propter ipsius fortissimas rationes & argumenta, quibus innixus, eidem & ipse adhæreo, prout latius patebit, in sequentibus conclusionibus. *Secunda opinio.*

Prima Conclusio.

Secundū nostras Generales Constitutiones, nullus ex infecto genere natus, descendens ex conuersis Iudæis, vel Mahometanis, aut Hæreticis quantumuis remotis, vel etiam ex gentilibus modernis, potest recipi ad habitum, nec ad professionem in nostro sacro minorum Ordine.

SEcundum nostras generales Constitutiones, nullus ex infecto genere natus, descendens ex conuersis Iudæis, vel Mahometanis, aut Hæreticis quantumuis remotis, vel etiam ex gentilibus modernis, potest recipi ad habitum, nec ad professionem in nostro sacro minorum Ordine. Hæc conclusio habetur expressa, in dictis constitutionibus, capit. 1. titulo de qualitatibus recipiendorum. Et vt clare patet, hæc constitutio est strictior atque rigorosior, quam constitutio Pauli Quarti, & Clemen. VII. Pij Quarti, & Gregor. XIII. & quorumcumque aliorum Pontificum, postquā per eā excluduntur, à receptione nostri habitus, & professione nostræ Regulæ, non solum descendentes ex Iudæis vel Mahometanis, vel Hæreticis intra quartum gradum, seu intra quartam generationem (vt fecit Paulus Quartus & alij) verum etiā & quicumque alij, ex talibus descendentes, quantūuis remotis. De cuius statuti & cōstitutionis iustificatione, iustane an iniusta sit, & qua ratione fieri potue-

potuerit, fuſior à nobis erit ſermo infra in 2. tomo; cum de alijs ſtatutis fecerimus mentionem. Hoc ſolummodo ſit ſatis in præſentiarum dixiſſe, quod ad meliorem præfati ſtatuti atque conſtitutionis Pauli Quarti & Pij Quarti obſeruantiam, ſtatutum atque præceptum eſt ibidem, vt ante profeſſionem cuiuſcunque nouitij, fiat eidem proteſtatio, quod ſi ipſi in noſtro ordine profeſſionem fecerit, & ſit deſcendens intra dictum quartum gradum, ex prædictis Iudæis, aut Mahometanis, vel Hæreticis damnatis, quod eiuſmodi ſua profeſſio, erit irrita & nulla, atque adeò, quod quotieſcumque certò conſtiterit, de veritate talis defectus, ſtatim ab ordine expelletur & eijcietur. Hoc ſtrictè præcipitur obſeruari ibidem, vt melius præfatæ conſtitutiones Apoſtolicæ ſeruentur, circa deſcendentes, ex parentibus infecti generis. Et iubetur, quod ſcribatur in aliquo Conuentus libro, qui fiat hac de re, & quod huiuſmodi proteſtatio manu ſua, & aliorum duorum teſtium ſit ſubſcripta. Sed aduertere licet, quod quamuis præfata conſtitutio, prohibeat quoſcumque deſcendentes ex conuerſis Iudæis, aut Mahometanis, vel Hæreticis, quantumuis remotis, vel ex gentilibus modernis, recipi in noſtro ſacro Ordine, non tamen irritat factum, neque irritam eſſe dicit, profeſſionem aliter factam, niſi tantum reſpectu eorum, qui ex eiſdem deſcendunt, intra quartum gradum, ſeu intra quartam generationem, iuxta conſtitutionem Pauli Quarti, & Pij Quarti: quo fit, vt ſolummodo horum profeſſio ſit, ipſo facto irrita, & nulla, & de hoc tantum fit proteſtatio: & iſti etiam ſunt duntaxat expellendi & eijciendi, ſi reperiantur tales, non vero alij: quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum.

De proteſtatione, quæ fieri debet, in noſtro ſacro ordine, à nouitijs antequam faciãt profeſſionem.

Nota hoc valde, et quorum profeſſio tantum prohibetur, quorum verbo irritatur.

Secunda Concluſio.

Profeſſio cuiuſcunq; deſcẽdẽtis, ex Iudæis, Hæreticis aut Saracenis intra 4. gradũ, eſtipſo iure nulla, etiamſi ipſorũ corpora, non fuerint concremata.

SIquis deſcendens ex parentibus Iudæis, vel Hæreticis, aut Saracenis, intra quartam generationem incluſiue, ad receptionem noſtri habitus, ſiue profeſſionem noſtræ Regulæ admittatur, ipſius receptio, & profeſſio eſt ipſo facto irrita & nulla, & nullius valoris atq;, momẽti, neq; ad hoc neceſſum eſt, quod ſimul ipſorũ Iudæorũ, aut Saracenorum oſſa, & corpora fuerint igni tradita, & concremata: nam hoc ſolummodo locum habet, in deſcendentibus ex Hæreticis. Hæc concluſio eſt expreſſa doctiſſ. Doctor. Nauarr. qui in Conſilijs ſupradictis, argumentis quibuſdam propoſitis, pro parte contraria, tandem huic adhæret ſententiæ & opinioni: & dicit, quod licet contraria de æquitate poſſet ſeruari, in deſcendentibus ex Iudæis, ſeu Mahometanis, qui ſponte ſua, nulla vi & metu coacti, fidem & baptiſmum ſuſceperunt, hæc tamen ſententia, ſtando in rigore iuris eſt verior, & determinationi, atque conſtitutioni Pauli Quarti, & Pij Quarti, & Gregorij Decimitertij multo conformior: idque probat ex multis rationibus. Et primo ex præadducta extrauaganti, atque conſtitutione Pauli Quarti, vbi ſæpiſſimè fit mentio, de Iudæis, & de deſcendentibus ex Iudæis: & ſi ſpectandum eſſet (inquit) Nauarro, ad hoc vt ipſorum corpora & oſſa, intra quartam generationem eſſent concremata, & igni tradita, ita vt illa verba. *Quorum corpora, & oſſa fuerint concremata, & igni tradita; in prædicta conſtitutione poſita*, referenda eſſent, non ſolum ad hæreticos, verum etiam ad Iudæos, nihil omnino operaretur verbum illud (*Iudæis*) ibidem poſitum: ſiquidem per talem conſtitutionem, nec ipſi primum conuerſi Iudæi, nec vlli alij deſcendentes ab ipſis, inhabilitarentur, niſi eſſent etiam Hæretici, vel deſcendentes ab Hæreticis. Quoniam Iudæi conuerſi & filij eorum, ſi relabantur, & à fide ſemel cæpta retrocedant, ita vt ipſi, vel ſua oſſa & corpora concrementur, certum eſt, quòd iam ſunt Hæretici & computantur inter Hæreticos, non vero ſolum inter Iudæos. Et ſic ſuperflueret, eſſetque omnino otioſum verbum illud (*Iudæis*) certum eſt autem, quod verba in iure poſita, ſemper debent aliquid operari: vnde neque dubium, quod huiuſmodi Iudæi, abſolutè & abſque aliqua limitatione, comprehenduntur in dicta conſtitutione & hoc eſt primum argumentum.

Probatur hæc ſententia multis rationib⁹. 1. Ratio.

Secundo probat id ipſum Nauarro. Nam etiam certum (inquit) eſt, quod præfata Breuia Clementis Septimi, Pauli Quarti, & Gregorij Decimitertij, aliquam intendunt ponere differentiam, inter Iudæos noue conuerſos & deſcendentes ex eis, & inter Chriſtianos antiquos & deſcendentes ex eis: at ſi prædicta verba, ſic intelligerentur, quod non comprehenderent, niſi dumtaxat Iudæos, quorum corpora & oſſa, intra quartam generationem, propter perfidiam & propter relapſum, eſſent concremata & igni tradita (quod re vera eſt, ipſos fuiſſe Hæreticos) nulla eſſet prorſus differentia, inter præfatos Iudæos, noue cõuerſos & deſcendẽtes ex eis, & inter Chriſtianos antiquos & deſcendentes ex eis: quod dicere, re vera, nulla ratio permittit, quod & patet, nam etiam iſti, ſi propter perfidiã, eorũ oſſa & corpora fuiſſent igni tradita, & concremata, eſſent ad Religionem, & Religionis officia inhabiles, & deſcendentes ex eis: ergo dicendum eſt, quòd non fuit intentio Summorum Pontif. quam dicunt Doctores contrariæ opinionis, ſed potius noſtra: aliàs enim nulla eſſet omnino differentia, & verbum appoſitum (*Iudæis*) totaliter eſſet ibi otioſum. Hæc ratio non eſt minoris efficaciæ atque momenti, quam prima ſupra adducta. 2. *Ratio.*

Sed tertio probat id ipſum, Nauarr. ex reitera tione & frequenti poſitione, verbi illius, *Iudæi*, toties in præfatis extrauagantibus, & conſtitutionibus appoſiti & repetiti, quod (inquit) ſemper in diſpoſitione iuris, aliquod myſterium innuit atque deſignat, iuxta Gloſſam ſingularem, communiter receptam, *in Clementina ſecunda, de iure patronatus, verbo diœceſanis.* Ex hoc colligit Nauarr. quod voluerunt proculdubio, prædicti Summi Pontifices ibidem, ſpecialiter Iudæos prædictos, intra quartam generationem comprehendere, & deſcendentes ex eis, etiam ſi eorum corpora & oſſa, non eſſent concremata, aut igni tradita; aliàs enim nullum myſterium ibidem ſignificaretur. Eæ ſunt rationes, 3. *Ratio.*

quas affert Nauarr. Quibus & ego addo, quod quando circa verum atque legitimum ſenſum, literarum Apoſtolicarum, eſt aliquod dubium, aut aliqua ſeſe offert difficultas, & dubitandi ratio, circa verba propoſita, quid nam ſignificent, quidue velint dicere, ſemper recurrendum eſt, & recurrere oportet, ad rationes decreti, ſeu decretalium huiuſmodi, & ad mentem, quam ſummi Pontifices in eiſdem videntur habuiſſe: ſed in propoſito, ſi penitus inſpiciatur intentio Clementis Septimi, & Pauli Quarti, facile conſtabit, fuiſſe præfatos Iudæos, ſeu ex ipſis deſcendentes, intra quartum gradum, & intra quartam generationē, à receptione noſtri habitus, & ab officijs Ordinis remouere, vtpotè quia non ſibi videbatur, quod tales eſſent diſpoſiti & congrui, ad gerenda ordinis officia: nā (inquiūt) ꝙ prælati Ordinis reſpectu ſuorum ſubditorum erant Inquiſitores, (licet modo non ſint) & rationi congruum non ſibi videbatur, vt denuo conuerſi, ſeu ab ipſis intra quartam generationem deſcendentes, fidei eſſent Inquiſitores, propterea enim addūt ibidem quod oportebat eos, qui ad docendos alios, verbo & exemplo in prælatos aſſumuntur, omni ſuſpicione carere, ne forte mala doctrina imbuti; parentum ſuorum imitatores exiſtentes, noſtri ſacri Ordinis fratres, aliqua labe poſſent maculare, & inficere: ſignum igitur eſt, quod voluerunt omnes huiuſcemodi, à receptione noſtri habitus, & ab obtentione officiorum quorumcumque, noſtri Ordinis remouere, etiam ſi parētum ſuorum corpora, intra quartam generationem, non fuiſſent igni tradita & concremata.

Nota hoc valde.

Sed probatur præterea, quod talis fuerit prædictorum ſummorum Pontificum, mens & intentio. Nam eorum voluntas fuit (vt ex ſupradictis ſatis conſtat) præfatos Iudæos, ſeu ex ipſis intra quartam generationem deſcendentes, à receptione noſtri habitus, & ab officijs Ordinis remouere: ex eo etiam, quia ipſi ſunt, vt plurimū, inquieti, ſeu, vt ita dicam, ſeditioſi, & ad noſtrum ſacrum Ordinem non apti, congrui, atque diſpoſiti: quin potius quam maximè incongrui atque indiſpoſiti, vtpote qui iuxta mentem, & ſententiā D. Pauli, interdum, quin vero multoties, ſeu potius frequentiſſimè ſint ſuperbi, vaniloqui, & ſeductores & vniuerſas domus ſubuertunt, quibus verbis generaliter comprehendit, vt ipſe ibidem dicit, omnes qui de circunciſione ſunt: ſed hæc ratio æque militat in eis, etiam ſi progenitorum ſuorum corpora & oſſa, intra quartam generationem, propter perfidiam ſiue relapſum, non fuerint igni tradita, aut concremata, atque militat in alijs: dicendum ergo eſt, quod omnes indiſtinctè & abſque vlla prorſus limitatione ſiue modificatione, intra quartum gradum, ſiue intra quartam generationem, à præfatis Iudæis deſcendentes, in prædictis conſtitutionibus comprehenduntur, & excluduntur, à receptione noſtri habitus, & ab officijs noſtri Ordinis: imò verò neque Prædicatores, iuxta prædictas conſtitutiones eſſe poſſent, vt ex ipſimet conſtat. Idem dicit Nauarr. vbi ſupra, eſſe intelligendum de deſcendentibus ex Mauris ſeu Mahometanis, iuxta bullam & extrauagantem Gregorij Decimitertij, quod (inquit) fecit Summus Pontifex, quia raro, aut nunquam reperiuntur tales, qui intra quartam generationem à prædictis Iudæis, Hæreticis, ſeu Mahometanis deſcendant, & ſint veri & firmi Chriſtiani: atque ita oportet eos, per aliquod tempus probari, & experiri, ſint ne iam ſuo natiuo humore exſiccati, iuxta id quod ad idem propoſitum habetur, *in cap. ſicut neophytus, diſtinctione, 84.* vbi ſequentia habentur verba. *Sicut ædificati parietes, non prius tignorum pondus accipiunt, quam à nouitatis ſuæ humore exſiccentur, ne ſi ante pondera, quam ſolidentur accipiant, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant: ſic etiam huiuſmodi, ſunt probandi, et expectandum, vt per aliquot annorum ſpatium, et aliquas generationes, à ſuo natiuo humore exſiccentur, atque experientia fiat de eis.* Dicendum ergo eſt, quod iuxta conſtitutiones Clementis Septimi, Pauli Quarti, Pij Quarti, & Gregorij Decimitertij, nullus deſcendens ex ſupradictis Iudæis, & Saracenis, intra quartam generationem, in noſtra Religione eſt recipiendus, aut admittendus, etiam ſi progenitorum ſuorum corpora, ſiue oſſa, non fuerint igni tradita, & concremata: & quod ſi aliquid in contrarium fiat, eorum profeſſio, ſiue receptio, nulla & irrita erit: eo modo quo receptio & profeſſio, deſcendentium ex Hæreticis, quorum corpora intra dictum quartum gradum, & intra quartam generationem, fuerunt igni tradita, & concremata. Notandum eſt hoc valde. Sed ſupradictis omnibus adijcere libuit, quandam aliam rationem ſpecialem; & ea eſt.

Nota hoc valde.

1. ad Tim. 3. et 5. ad Tit. 1

Quod etiam ſtando in alia explicatione, quæ ab alijs Doctoribus adducitur, circa prædictas conſtitutiones, receptio & profeſſio deſcendentium ex Iudæis, Saracenis vel Hæreticis, intra quartum gradum, ſiue intra quartam generationum, eſt ipſo iure nulla, ſpeciali alia ratione, nempe propter defectum conſenſus, eoſdem recipiē tium ad ordinem, & propter proteſtationem, quæ hac de re fit eiſdem, cum profitentur, ex vi noſtrarum conſtitutionum, quæ eſt ſententia, & reſolutio expreſſa Doctoris Nauarr. libro 3. conſilio de Regul. conſilio 26. Vbi agens de alio ſimili ſtatuto Ordinis Minimorū, quod quia factum erat auctoritate ordinaria, & ſine auctoritate Apoſtolica, dicit eſſe nullum; ac propterea non eijciendos eos, qui contra prædictum ſtatutum eſſent recepti, & profeſſi (quia cum ſit nullum, ex nihilo nihil fit.) Addit tamen, eoſdem re vera eſſe eijciendos, ex eo quod non interuenerit legitimus conſenſus, ex parte recipientium; & quia illi, qui ad talem profeſſionem fuerunt recepti, admiſſi ſunt, præmiſſa proteſtatione tacita, vel expreſſa, quod non haberentur pro profeſſis, ſi deſcenderent ex huiuſmodi infidelibus, & quod poterūt eijci ſi inueniā tur ab ipſis deſcendere. Vnde inquit, quod huiuſmodi fratrum profeſsio, erat omnino nulla, non quia facta eſt contra ſtatutum, quod de ſe erat omnino nullum, ſed quia fuit facta, ſine conſenſu legitimo, ex parte recipientium, cum fuerit facta per conſenſum conditionalem, ſi non deſcendiſſent ex infidelibus, ob defectum cuius conditionis, illa profeſſionis acceptatio fuit

Quarta ratio fortiſſima.

Alia ratio ſpecialis, de nullitate profeſſionis prædictorum, eſt defectus conſenſus.

Nota quod dispositio cõditionalis, non existente conditione, nihil operatur.

fuit nulla, cum iuxta dispositionem iuris, *in cap. si pro te de rescriptis lib. 6. et capit. præterea. l. 2. de appellationibus*, dispositio conditionalis, non existente cõditione, nihil operetur. Hæc omnia verba, sunt expressa Doct. Nauarr. vbi supra. Quod si hoc dicit ipse, agendo de statu Ordinis Minimorũ, quod quia factum erat contra dispositionem iuris, & auctoritate ordinaria, non vero Apostolica; ex præmissis constat esse omnino nullum; quid ipse dicam in proposito, de talium professione, facta in nostro sacro Minorum Ordine, non solum contra ordinationes & statuta nostra, verum etiam contra expressum statutum Apostolicum, à tot Summis Pontificibus innouatum, confirmatum, & approbatum, præmissa etiam expressa protestatione, quæ eisdem fit, cum recipiuntur ad professionem, ex vi nostrarum constitutionum? Dico igitur, & affirmanter quidem: quod quamuis explicatio, & explanatio, quę circa prætatum statutum ab alijs adducitur, vera esset atque veritatem cõtineret, & iuxta ipsam, non comprehenderentur, in dicta constitutione, neque excluderentur, nisi descendentes ex supradictis infidelibus, Iudæis, Saracenis, siue Hæreticis, quorum corpora, & ossa intra quartã generationé, simul fuerint cõcremata & igni tradita: adhuc tamen ipse nõ video, quo modo horum professio, ab ipsis intra quartum gradum descendentibus facta, contra prædictam expressam protestationem, & absque legitimo consensu ex parte recipientium, imò verò contra expressum consensum, & contra expressam appositam conditionem, sit valida & non potius irrita & nulla, & nullius roboris, atque momenti. Et vlterius dico, quod non video, aut vllo modo caperé possum (fateor libenter insufficientiam meam) quonã pacto, qua ve ratione, qui huiusmodi sunt, tuti, atque securi sint in conscientia, persistendo in Religione nostra, & ingerendo se officijs Ordinis. Quod quidem non dico, ex mea tantummodo

Nota hoc valde, pro descẽdentibus ex Iudæis, Saracenis, ac hæreticis, intra quartum gradum.

sententia, sed ex sententia, & mente præfati Doctoris Nauarr. qui hoc ipsum ibidem pluries expresse dicit, loco vbi supra. Quinimo & ipse Emmanuel Rodericus hoc expresse fatetur, in 3. tomo suarum Quæstionum Regul. quæst. 11. artic. 1. ab illis verbis, *verum est tamen*, vlq; ad finem eiusdem articuli, agendo de Nouitijs, & in sua summa 2. part. capit. 5. de ijsdem nouitijs. Quibus in locis omnia, quæ à me dicta sunt, expresse dicit, allegando ad id plura iura, & plures rationes, verbis desumptis ab eodem Doctore Nauarr. vt patebit intuenti: quamuis ipse aliàs (vt dictum est) alterius sit opinionis, quãtum attinet & spectat, ad explicationem & declarationem, præfati Apostolici statuti. Huic fortissimæ, atq; efficacissimæ rationi, dicere & respõdere, audio eos qui in alia versantur opinione, quod in supradictorum professione, neque consensus deficit, ex parte recipientium, cum absolute & non sub aliqua conditione præstetur, neque protestatio facta illis obest: nam hæc, inquiũt, etiam intelligẽda est, ad sensum prædictæ suæ opinionis: *si ex talibus intra quartum gradum descendant, et simul fuerint eorum corpora concremata, et igni tradita, etc.* Sed ego nihil tale video in nostris ordinationibus, sed quod absolutè fit supradicta protestatio, *si intra quartum gradum ex talibus descendãt, etc.* Qui pertinaciter adhuc persistunt, seu in his ignorantiam affectant, ipsi sibi videant, hæc pro nũc circa istum articulum dicta sufficiant, nam cætera, quæ hic desiderari possunt circa remedium quod habebunt huiusmodi, & quid sit faciendum ab ipsis in isto casu, vt sint tuti & securi in conscientia, dicemus infra, cum de statutis, & de prælatis regularibus, & qualitatibus in eisdem requisitis, specialem mentionem fecerimus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm homicidæ, & qui existentes in seculo, delictum aliquod commiserunt, ad Religionem possint admitti?

DIro resolutione præsentis Articuli, & vt liquidò constet, quinam in ipso comprehendantur, oportet apponere verba Sixti Quinti, in prædicta sua Constitutione, quæ incipit, *cum de omnibus*. Postquam apposuit alia decreta, ad incestuosos & sacrilegos, & ad illegitimos spectantia, vt prædictum fuit in tertio articulo, veniens ad homicidas, & facinorosos, in sequentia verba prorumpit. *Cæterum quoniam sæpe se vitia ingerunt, & esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni aut interuersam alienam pecuniam, eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant; alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliaue facinora patrata, etiam banniti, aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum, & Iudicium seueritatem, quia tuto in seculo viuere non possunt, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, vnde sub habitu, & nomine religiosorum, animum Religioni inimicum, & inueterata vitia retinent; neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille diuinis obsequijs insistere, in grauem Dei offensam, Religionis opprobrium, et scandalum plurimorum; vt ijs, quoque subterfugij, et impunitatis spes omnis tollatur, aucto-*

Quid contineat Constit. Sixti V. circa criminosos & facinorosos.

ritate Apostolica, et tenore præsentium, etiam perpetuo statuimus, et ordinamus, iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquem Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque antedicta vita et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione, et fidedigna relatione, compertum et exploratum sit, eos nec aliquorum criminum (qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora) reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno, supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, quod inferatur: nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, et pietatis feruore, vitam religiosam, sponte et ex animo elegisse, deque his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo, plena et indubitata fide facta, tã superioris generalis, seu Prouincialis, quam Diffinitorum consensu approbati, et ad habitum Re-

De informatione faciẽda pro Religionem intrare volentibus, existentibus maioribus 16 annorum.

Quinã approbare debeant prædictam informationẽ, recipiendorũ ad ordinem.

gularem admiſiſi fuerint. Omnes autem, & quoſcumque (vt dictum eſt) criminoſos, vel ſuſpectos, aut æri alieno, vt diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus; & ſi qui eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temere admittentur, tam ſuſceptionem habitus quam profeſsionem, & exinde ſecuta, ex nunc prout ex tunc, pari modo irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu carere decernimus ac iubemus, & eos qui ſic de facto recepti erunt, habitu ſpoliari, & à Religione expelli; & nihilominus ſi expulſi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, huiuſmodi ſuſceptionem, & profeſsionem penitus nullam eſſe, & cenſeri. Ac propterea attenta nullitate habitus & profeſsionis, licere quibuſcumque Iudicibus, & curijs (etiam ſecularibus) ad quos, ſeu ad quas ſpectat, contra eos vt prius, iuris & facti remedijs opportunis, ex officio, vel ad cuiuſcumque inſtantiam aut querelam ciuiliter, vel criminaliter, aut miſtim procedere. Quare volumus, vt cuiuſcumque iuuenis, aut viri maioris ſexdecim annis, à ſeculo ad Religionem tranſeuntis, approbatio, admiſsio, et receptio, in Generali vel Prouinciali Capitulo (vt ſupra ordinatum eſt) pro tempore fiat, necnon religioſi ſic recepti, nomen et cognomen, quibus in ſeculo vtebantur, et patria in actis ipſius Capituli deſcribantur, et notentur; et inſuper quoſcumque religioſos, eorumque ſuperiores, qui aliquas perſonas (vt dictum eſt) inhabiles poſt hanc Conſtitutionem publicatam, receperint, voce activa, et paſsiua, necnõ officijs, gradibus, honoribus, et dignitatibus quibuſcumque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum priuamus, et tam illis priuatos, quam ad illa, et alia quæcumque in poſterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus, et declaramus. Hactenus Sixtus V. quantum ad præſens attinet propoſitum: alia vero in prædicto Motuproprio contenta, iam ſupra ſunt allata, vel etiam ſuo proprio loco afferentur infra.

Annullatur, & irritatur ſupradictorũ profeſsio, et datur facultas Iudicibus, vt contra ipſos procedãt, ac ſi profeſsi non fuiſſent.

Nota quãgrauis ſit pœna, recipientium huiuſmodi criminoſos, ſine facinorioſos ad ordinẽ, ſine prærequiſitis in iſta Cõſtitutione contentis.

Quo ſuppoſito Decreto, huic Articulo reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Qui ante ſuſceptionem habitus, homicida fuit, ſeu aliquod delictum commiſit, ad Religionẽ non poteſt aut debet admitti.

NVllus homicida, neque qui exiſtẽs in ſeculo, ante ſuſceptionem habitus, aliquod delictũ punitione dignum commiſit, ad Religionem debet, aut poteſt admitti. Hæc concluſio probatur expreſſe, ex præfata Conſtitutione Sixti Quinti, ex illis verbis *cæterum quoniam ſæpe*, vſque ad illa, *ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus*, & ſubdit, *quod ſi aliqui eorum, temere, contra præfatam Conſtitutionem fuerint admiſsi: tam ſuſceptio habitus, quam profeſsio, et omnia inde ſecuta, ex nunc prout ex tunc, ſint nulla et irrita, viribuſque atque effectu omnino careant.* Ad cuius meliorem obſeruantiam, præcipit ipſe Summus Pontifex, quod iuuenes & viri adulti, maiores ſexdecim annis, non in aliquam Religionem recipiantur & admittantur, niſi prius de eorum parentibus, patria, & anteacta vita, & moribus diligenter fuerit inquiſitum, & ex accurata informatione, & fidedigna relatione, compertum & exploratum, eos nulla crimina commiſiſſe, homicidia, furta, & latrocinia, & alia ſimilia, aut grauiora, nec reos, vel ſuſpectos exiſtere, vt propterea damnati ſint, aut ne damnentur formident. Et hoc idem præcipit obſeruari, in his qui ingenti ſunt grauati ære alieno, vel reddendis ratiocinijs obnoxij, & qui ſecus de facto recepti fuerint, præcipit habitu ſpoliari, & à Religione expelli, & quod ſic expulſi, attenta nullitate habitus & ſuæ profeſsionis, poſſint puniri à quibuſcumque Iudicibus, & curijs etiam ſecularibus, ad quos ſpectat punitio talium delictorum. Hanc ſuam Conſtitutionem explicare, & declarare volens poſtea, præfatus Sixtus Quintus, in illa alia, quam adhunc effectum edidit, quæ incipit *Ad Romanum Pontificem*, in hæc, quæ ſequuntur verba prorupit. *Contra criminoſos vero, quorum profeſsio in eadem Conſtitutione noſtra, irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, & curijs ſecularibus, procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum ex actis publicis conſiterit, ipſos Iudices & Curiam ſecularem, ante ſuſceptionem habitus, de ipſo crimine aduerſus eos, accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe.* Ex quibus verbis ſatis conſtat, in quo ſolummodo caſu, horum profeſſio nulla, & irrita declaretur, & ſic profeſſi, iubentur iudicibus, & Curiæ ſeculari tradi, quando ſcilicet talia crimina & delicta, ante ſuſceptionem habitus deducta fuerunt in iudicium, non vero aliter. Quæ conſtitutio ſic explicata, & declarata, ſummopere eſt iuri ipſi communi ac rationi conformis, & ijs quæ traduntur à Doctoribus, circa clericos ſiue religioſos, qui poſt commiſſum à ſe delictum, fiunt tales, & clericatum ſeu Religionem ſuſceperunt, in fraudem declinandæ iuriſdictionis, qui in cauſa criminali, puniri poſſunt à iudice ſeculari, vt eleganter tradit Couarru. lib. practic. qq. quæſtio. 32. num 4. & quæſt. 33. num. 2. tom. 2. & Syluester *verbo Iudex. 1. quæſt. 6.* vbi dicit, hoc eſſe intelligendum, ſi antequam quiſpiam horũ, fieret clericus aut religioſus; contra illũ factus fuiſſet proceſſus, vel inquiſitio, aut lata ſententia, quod eſt idem omnino, quod in hac ſua declaratione, dixit Sixtus Quintus. Nam ſi iuuenis, qui in ſeculo commiſit aliquod delictum, antequam de eo cognoſcat Iudex ſecularis, Religionem fuerit ingreſſus, non poterit de eo poſtea cognoſcere, neque ipſius receptio, & profeſsio irrita declaratur: quod eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum. Et inſuper, quod per iſtam Sixti Quinti conſtitutionem, neq; etiam ſtando in iure communi, non repellitur à ſuſceptione habitus, & facienda profeſſione, ille qui exiſtens in ſeculo, aliquod commiſit delictum, à quo per ſententiam definitiuam totaliter fuit abſolutus & liberatus, ſicut nec abſolutè repellitur ab eiſdem, qui ære alieno, & debitis eſt onuſtus, atque grauatus, niſi id ſit ſupra vires & facultates ſuas, neque qui eſt paratus ſoluere, & habet vnde ſoluat. Non (inquam) omnes illi, per præfatam conſtitutionem, à receptione habitus, & profeſsione repelluntur, imò verò optime poſſunt admitti, quia re vera, nec dici poteſt quiſpiam commiſiſſe delictum, cum ab eo per ſententiam definitiuam fuerit iudicialiter abſolutus, nec etiam onuſtus, ſiue grauatus debitis, qui debita ſoluit, aut paratus eſt ſoluere, & habet vnde ſoluat. Et hæc de iſto articulo, ac tota quæſtione dicta ſufficiant.

Qualiter Sixtus V. modificauit, ſeu potius declarauit prædictã ſuam conſtitutionem.

Nota valde, in quo caſu locum habeat huiuſmodi cõſtitutio.

QVAESTIO XX.

De Nouitijs, qui ante quam susciperent habitum, Religionis votum emiserunt, in decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm possit quispiam, voto aut iuramento, ad Religionis ingressum se obligare?

Duplex est votum, quoddã simplex, aliud verò solẽne.

PRo huius articuli intelligentia, libuit præmittere ex D. Tho. 2.2. q. 88. art. 6. & 11. & q. 189. art. 2. quod duplex est Religionis votum; alterum solemne, & est illud quod facit hominem Monachum, & exemptum à seculari iurisdictione, & vere Fratrem alicuius Religionis, quod vocatur professio, quia solummodo fit in professione Religionis approbatæ, vt habetur *in cap. vnico, de voto, & voti redemptione, l. b. 6.* Aliud est votum simplex, ex quo emisso in seculo, aliquis non statim fit Monachus siue religiosus, sed solummodo obligatus ad Religionis ingressum, quod est quædam confirmatio suæ voluntatis ad meliora. De voto solemni agemus infra, cum de religiosorum professione fecerimus mẽtionem: nunc autẽ tãtũmodo est quæstio de voto simplici, de quo quærimus: vtrũ tali voto possit quispiam, ad Religionis ingressum se obligare? & an id facere, sit conueniens siue licitum? cui difficultati respondeo, per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Licitum est, sanctum atq; meritorium, cũ debitis circunstantijs, voto, seu iuramento ad Religionis ingressum quẽpiam se obligare.

LIcitum est, sanctum & meritorium, voto aut etiam iuramento, cum debitis circunstantijs, ad Religionis ingressum quempiam se obligare. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ vbi supra, quam & probat, autoritate psalmistæ dicentis Psal 75 *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Super quæ verba inquit D. Aug. quod vouere, seu quod idem est votum emittere, diuinum est consilium, & post alia, quæ non faciunt ad nostrum propositũ addit, quod quædam sunt vota propria singulorum, vt castitas atque virginitas & alia huiusmodi, ad quæ vouenda, inuitat nos hic Scriptura sacra. Secundo probat id ipsum D. Thomas Quia votum semper est, & esse debet de meliori bono, non enim (inquit) inuitat nos sacra Scriptura, nisi ad id quod de se melius est, & certum est, quod vnum & idem opus factum ex voto, laudabilius est quam si fieret sine illo, tunc quia vouere est actus Religionis, quæ inter virtutes morales maximam habet excellentiã, tum etiam, quia per votum firmatur hominis voluntas ad faciendum bonum, & sicut peccatũ est grauius, ex hoc quod procedit ex voluntate obstinata in malum; ita & bonum opus, est laudabilius ex hoc, quod procedit ex voluntate per votũ confirmata in bonum. Ex his omnibus colligit. D. Thom. quod voto siue iuramento, obligare se quẽpiam ad Religionis ingressum, secundum se, est opus laudabile, bonum, sanctum atque meritoriũ, si alias sit ornatum atque vestitum debitis circunstantijs Plura ad hoc propositum dicit D. Thom. hinc inde agitando hanc difficultatem, quæ quidẽ notatu sunt dignissima: sed à me breuitati studente, cõsulto in præsentiarũ prætermittuntur; quia non sunt præsentis speculationis, vt ad alia progrediamur. Videatur etiam hac de re Sylu. verbo Religio. 2. q. 14. & verbo votum. 1. q. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrum licitum sit, aliquos inducere ad faciendum votum Religionis?

Conclusio.

Non semper expedit, quẽpiam inducere ad faciẽdũ Religionis votum.

QVamuis licitum sit, alios inducere ad Religionis ingressum, vt potè, tanquã ad actum ex genere suo bonum, laudabilem, sanctum, atq; meritoriũ, non tamen expedit, semper quempiam inducere per votũ, ad se obligandum ad Religionis ingressum, imo verò oportet, quod id fiat non leuiter, sed cũ magna deliberatione. Hæc conclusio, quantum spectat ad eius primam partem; est expressa D. Thom. 2.2. q. 189. art. 9. Quantum verò ad secundam, est Caietani. 2.2. q. 189. art. 2. vbi proposita difficultate, vtrũ debeant aliqui voto, ad Religionis ingressum se obligare, postquam respondet; quod vouere Religionis ingressum, est bonũ atq; laudabile, nõ tamẽ laudat, quod aliquis sit facilis ad vouẽdũ talẽ ingressum: quinuero addit, quod quamuis sit laudabile, aliquos inducere ad Religionis ingressum, non tamen laudat talem inducentem ad votum, propter periculum adimplerionis quod inest, & quia votum, quod fit ex inductione alterius, nõ videtur esse omnino liberum, aut propria sponte factum. Testatur enim (inquit Caietanus) id experientia, omnium rerum Magistra. Nam si minus lætè tota vita agitur, cum recolit mulier, non spõte neque ex proprio affectu, sed ex aliorum inductione, maritum talem aut talẽ suscepisse siue acceptasse: quanto magis id timendum erit, de eo vel ea, qui vel quæ non libere & spontè, sed ex alienatione, per votum ad Religionis ingressum se obligauit, ad agẽdam semper vitam, in carne præter carnem, quod (teste D. Hieron.) non humanũ, sed Angelicum est? Magnum certe ait periculum est, quod huiusmodi ab itinere semel cæpto retrocedant, & ab adimpletione voti, & quod iam effecti religiosi, in malam & prauam declinent vitam,

cum

cum magno damno, & incommodo propriæ salutis, nec immodico cuiuslibet Religionis. Circa hoc quam maxime aduertẽdum est, quod fratres Mendicantes specialiter tenentur, abstinere ab inductione ad talia vota, per quæ renuntietur seculo, ante annos probationis, *per cap. non solum cum sequentibus, de Regul. lib. 6.* qua de re videatur Syluest. verbo Relig. 2. q. 14. & D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrùm qui per votum se obligauit, ad ingressum alicuius Religionis teneatur necessario illam intrare?

HAnc etiam quæstionem, mouet D. Thomas 2. 2. quæst. 189. artic. 3. de cuius doctrina & resolutione, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

Qui per votũ se obligauit, ad ingressum alicuius Religionis, tenetur illam intrare.

QVi per votum se obligauit, ad ingressum alicuius Religionis, tenetur illam intrare. Hanc conclusionem probat D. Thom. auctoritate Ecclesiastici cap. 5. vbi ait. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio,* Secundo probat id ipsum, ex auctoritate glossæ, quæ explicans verba illa Psalmi 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro, inquit: Quod vouere, voluntati conceditur, sed posti voti promissionem, redditio necessario exigitur.* Hoc idem habetur, *in cap. litteræ vniuersis, & cap. magnæ deuotionis, de voto & voti redemptione.* Tandem vltimo probat D. Thomas, prædictam conclusionem ratione. Nam votum vt de se patet, est promissio Deo facta de meliori bono, & de his quæ ad Deum pertinent, & ad diuinum cultum ordinantur, sed inter homines bonæ fidei, contractus qui fiunt, nulla ratione possunt dissolui, saltem sine consensu alterius partis, imo vero semper debent impleri, vt dicit D. August. in epistol. 50. quæ est ad Bonifacium: Ergo votum, seu pollicitatio, quæ fit per votum, cum ad Deum pertineat, absq; peccato & absque culpa, solui non poterit. Quod autem ingressus Religionis, quam maxime ad Deum pertineat, probat idem D. Thomas, ex eo quod per hoc homo, totaliter diuinis mancipatur obsequijs, vt latius tradit 2. 2. q. 186. art. 1. ex quo infert: Quod ille, qui per votum se obligauit, ad Religionis alicuius ingressum, tenetur eandem ingredi, secundum quod per tale votum intendit se obligare. Ita quod, si absolute intendit se obligare, tenetur quam citius poterit ingredi, legitimo impedimento cessante. Si autem ad certum atque determinatum tempus, vel sub certa conditione, tenetur id facere tempore adueniente, vel conditione existente. Multa alia ad hoc propositum dicit, D. Thom. & eiusdem commentator Caietanus, quæ magna sunt animaduersione digna, sed à me in præsentiarum breuitatis causa, omissa. Ibi videatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ille, qui per votum se obligauit aliquam Religionem intrare, teneatur ibidem perpetuo permanere.

DIfficultatem hanc, mouet etiam D. Thom. loco supracitato, art. 4. & aduertendum est, quod loquitur de illo, qui per votum simplex se obligauit, ad ingressum certæ cuiusdam Religionis, de quo quærit, an teneatur ibi perpetuo permanere? Etenim si fuisset votum solemne, emissum in professione alicuius Religionis, nulla de hoc erat seu esse poterat ratio dubitandi, vt dicemus infra, cum agemus de voti solemnis obligatione, perpetuitate atque indispensabilitate: Sed loquendo de voto simplici, est aliqualis difficultas, cui respondetur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Voti cuiuslibet obligatio, ex vouentis voluntate dependet, & ad id tantum se extendit, ad quod quispiam intendit se obligare.

VOti cuiuslibet obligatio, ex vouentis voluntate dependet, & ad id tantum se extendit, ad quod quispiam intendit se obligare. Vnde si vouens aliquam Religionem intrare, intendit se obligare, non solum ad ingressum, sed etiam ad perpetuo manendum in ea, tenetur ibidem perpetuo permanere, si autem solum modo intendit se obligare, ad Religionis ingressum, causa experiendi ipsius asperitates, & cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod non tenetur permanere. Hæc conclusio, est expressa Diui Thomæ vbi supra, quam & probat auctoritate Diui Augustini super Psalm. 75. dicentis, *quod vouere voluntatis est, non vero necessitatis.* Ex quo infert Diuus Thomas, quod in tantum fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas, & intentio ipsius vouentis. Hoc idem habetur in substantia, *in c. licet vniuersis & c. magnæ deuotionis, de voto & voti redẽptione.* Et addit D. Th. vnum valde notabile, & illud est, quod si quis in vouendo, simpliciter de ingressu Religionis cogitauit, absque eo quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad talem ingressum, secũdum formam iuris communis, quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis, ad experiendum difficultates & asperitates. Vnde inquit, quod iste talis, non teneretur perpetuo in Religione permanere. Hoc tamen intelligendum est, cessante fraude, nam ille qui vouet & intrat, vt statim exeat, non videtur voto suo satisfeciisse, quia ipse in vouendo non hoc intendit. Tenetur ergo mutare tale propositum, & Religionem intrare, animo vt saltem experiatur, An expediat sibi, perpetuo in tali Religione permanere. Quod si viderit non expedire, poterit egredi, nec per hoc intelligetur retrocedere, aut retro aspicere, aut non aptus Regno Dei. Iuxta illud quod dixit Christus Dominus, Lucæ 9. *Quod nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, est aptus regno Dei.* Nam hoc (inquit) non est retro aspicere, neque retrocedere. Ne-

Nota valde Quod qui ad ingressum Religionis se obligauit nihil de libertate exitus, seu obligatione remanendi cogitans, censetur obligari secũdum formam iuris communis, nẽpe vt

detur ſibi animus ad experiendũ difficultates.

re. Neque etiam de illo dici poterit, quod de quibuſdam dixit olim D. Petr. 2. c. 2. *Quod melius illis erat, veritatem non agnouiſſe, quam poſt agnitam retrocedere.* Quorũ ratio eſt, quia iſte talis, nihil prætermittit facere, ad quod in principio intendit ſe obligare, lias, quicumque per aliquod tempus facit aliquod opus bonũ, ſi nõ ſẽper illud faciat, eſſet ineptus regno Dei, quod eſt falſum. Et addit D. Thom. quod quãuis exeat, adhuc melius illi fuit Religionẽ intrare, animo probandi & experiendi eã, quã ſi penitus non intraſſet. Nam per hoc quod intrauit, ſaltem quantum eſt ex parte talis actus: diſponitur ad perpetuo ibi remanendum, ſi expediret. Neque ex eo, quod Religionem egreditur, (præſertim ſi exeat ex aliqua iuſta & rationabili cauſa) generatur ſcandalum, ſeu alijs malum præbetur exemplum, & ſi quiſpiam ex hoc ſcandalizatur, illud certe erit ſcandalum phariſæorũ, paſſiuum & ex parte recipientis, non vero actiuum ſeu datum ex parte exeuntis. Hæc omnia ſunt D. Tho. de quibus videndus eſt ſimul Caietanus, pulchra & mira de ijs dicens, quæ ibidem videri poterunt. Videatur etiam hac de re *Syluester verbo, Religio. 2. q. 19*

ARTICVLVS V.

Vtrùm pueri impuberes, voto poſſint ſe obligare, ad Religionis ingreſſum?

Ex duplicitate prouenire poteſt, quod puerorum votum efficaciam nõ habeat, neque robur eorum obligatio.

PRo huius difficultatis reſolutione, oportet præmittere ex D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 9. & q. 189. art. 1. quod ex duplici capite, poteſt prouenire, quod votum ſimplex puerorum, efficaciam non habeat, nec vim aut roburipſorum obligatio. Primo ex defectu rationis, eo modo quo & a mẽtes atque furioſi, propter defectum deliberationis, dum ſunt in ſua amẽtia, ſiue furia, voto ſe non poſſunt ad aliquid obligare, nec ſua vota ſunt obligatoria, vt habetur expreſſe *in c. ſicut tenor, extra de regu. & tranſeuntibus ad Religionem*, & eadem eſt ratio de pueris, qui nondũ habent debitum vſum rationis, per quem ſint doli capaces. Quem quidem frequentius pueri, circa 14. annum habere ſolent, puellæ vero, circa 12. qui dicuntur pubertatis anni in eiſdem, licet verum ſit, quod in quibuſdam, eiuſdem rationis vſus anticipatur, in alijs vero retardatur, ſecundum diuerſam naturæ ſuæ diſpoſitionem. Alio modo impeditur in pueris efficacia ſimplicis voti, ob defectum poteſtatis, quia nempe ipſi non ſunt ſui iuris, nec in ſua propria poteſtate, quoad diſpoſitionem ſuarum perſonarum, eo modo, quo votum ſeruorum, etiam ſi verum habeant vſum rationis, nullum eſt, ſi fiat contra voluntatem ſuorum dominorum, & ſi de facto ingrediantur Religionem, poſſunt ab eiſdem reuocari, prout habetur expreſſe, *in c. frequens, & in cap. ſi ſeruus, el 2. 54. diſt.* Hoc præmiſſo notabili de mente. D. Thom. propoſitæ difficultati, Reſpondetur, per duas Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si pueri, vel puellæ deli ſint capaces, & plenũ habeant vſum rationis, bene poſſunt voto ſimplici ſe obligare, ad ingreſſum Religionis, quamuis non peruenerint ad annos pubertatis.

SI pueri, vel puellæ ſunt doli capaces, bene poſſunt voto ſe obligare, ad ingreſſum Religionis, cum plenum habeant vſum rationis, quamuis non peruenerint ad annos pubertatis. Hæc concluſio eſt expreſſa, D. Tho. locis ſupra citatis, quam etiã tenet Sylueſter, *verbo, religio, 2. q. 15.* & adducit pro hac ſententia Panormitanum *in c. 2. de voto, iuncta gloſſa.* Et quamuis inter Doctores ſit differentia, in determinando tempore, quo pueri vel puellæ, dicantur doli capaces, & plenum habere vſum rationis; affirmantibus quibuſdam, quod poſt 7. annum, negantibus vero alijs, atque dicentibus quod maius tempus requiritur: hanc litem, & controuerſiam, in præſentiarũ ego dirimere ſiue diſſoluere nolo, ſed tantum breuiter cũ D. Tho. dicere, quod quando pueri vel puellæ ſunt doli capaces, & plenum habent vſum rationis, ſit hoc vel illo tempore, bene poſſunt emittere votum, & ſemel ab eis emiſſum, quantum eſt in ſe, eſt obligatorium, licet alias poſſit reuocari à parentibus, ſiue tutoribus, vt dicetur ſtatim in ſequenti concluſione, vbi agemus de patria poteſtate, circa pueros vel puellas, quæ nondum peruenerunt ad annos pubertatis. Sed vt etiam modo aliquid dicamus, circa ætatem qua pueri, vel puellæ, voto poſſunt ſe obligare, dico, quod tunc quo ad hoc, plenũ rationis vſum dicuntur habere, quando etiam poſſunt peccare, & hæc ſit generalis regula, & eſt ſententia omnium Doctorum communis. Non enim maius tempus requiritur, ad hoc vt quiſpiam per votum, diuino ſe poſſit ſeruitio mancipare, quam vt per peccatum, ad dandum & tradendum ſe diabolo, & ipſius poteſtati & iuriſdictioni ſe ſubijciendũ, quod fit per peccatum mortale: Quæ regula eſt certa, & multum notabilis, ad hoc propoſitum, de qua videndum eſt, *cap. mulier. 32. quæſt. 2. & ibi gloſſa, & Nauar. lib. 3. conſ. de voto, conſ. 3.*

Quicũq; puer habet vſum rationis, vt poſſit peccare, poteſt etiã voto ſe obligare.

Secunda Concluſio.

Votũ emiſſũ à pueris, ante annos pubertatis, poteſt à parẽtibus, ſiue tutoribus irritari, et reuocari.

VOtum emiſſum à pueris ſiue puellis, ante annos pubertatis, poteſt à parentibus ſiue tutoribus, irritari & reuocari. Hæc concluſio eſt etiam expreſſa D. Thomæ, & probat eam hac ratione. Nam quamuis (vt ſupponitur) pueri vel puellæ doli ſint capaces, plenumque habeant vſum rationis, non tamen per hoc, ante annos pubertatis, eximuntur à cura parentum ſiue tutorum, quibus per leges humanas ſunt ſubiecti, quæ quidem leges humanæ, reſpicientes ad id, quod frequentius accidit, habent circa hoc tempus determinatum, atque præfixum, in pueris 14. in puellis autem 12. annorum completorum, licet aliquando (vt dictum eſt) propter diuerſam ſuæ naturæ diſpoſitionem, hic rationis vſus, in aliquibus ſoleat anticipari, in alijs vero dilatari. Ex dictis colligit D. Thom. quod quia pueri vel puellæ, infra annos pubertatis, naturaliter per leges, ſunt in poteſtate parentum ſiue tutorum, quantum ad diſpoſitionem vitæ ſuæ, poſſunt huiuſmodi, vota ſua reuocare, vel acceptare ſi placuerit ſibi, iuxta illud, quod de muliere dicebatur olim in lege antiqua,

Num.

num.30. De hac irritatione, siue acceptatione voto rum; variæ traduntur à Doctoribus difficultates, & quidem notatu dignissimæ, quas omnes ego breuitatis causa omitto, cum non sint præsentis speculationis, & vt plenius videantur apud Sylue strũ loco supracitato, vbi ad hoc propositũ multa pulchra & mira dicũtur. Hoc tamen solummodo in præsentiarum adnotare libuit, vt huic articulo vltimam imponam manum, de mente D. Thom. quod supradicta omnia, circa facultatem emittendi votum, in pueris siue puellis doli capacibus, intelligenda sunt de voto simplici, non autem de solemni, per quod vere & realiter, fit quispiam ipso iure & facto, monachus & Religiosus indispensabiliter, propter solemnitatem quam habet annexam, nam hoc voto solemni, quod fit per professionem Religionis, non se possunt pueri, vel puellæ obligare, ante annos pubertatis, quantumcunque habeant plenum vsum rationis, dolique sint capaces. Hoc dicit D. Thom. 2.2. q. 189. art. 5. in corpore, loquendo de iure communi antiquo, quod etiam multo certius est, & magis verum habet, nunc loquẽdo de iure nouo, specialiter innouato per Concilium Tridentinum, *sess. 25. c. 15.* iuxta quod professio, in quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum, fieri non potest, ante 16. annum expletum. Vt suo proprio loco dicemus.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm parentes, voto possint obligare filios suos, ad ingressum Religionis.

Prima Conclusio.

De iure antiquo, olim pueri & puellæ impuberes, deuouebantur à parentibus, ad ingressum Religionis.

Tando in iure communi antiquo, certissimum est, quod pueri siue puellæ impuberes, poterant olim deuoueri à parentibus siue tutoribus, ad ingressum Religionis. Hæc conclusio est certa, & manifesta, qua de re in iure habentur multa capita, sed quàmaxime faciunt ad hoc, *c. firma, c. addidistis, c. monachum, c. quicumque* 20. *q.* 1. Facit etiam, *et c. puellæ eadẽ causa, & quæst. & c. illud, & cap. præsens* 20. *q.* 3. *& c. cõsimus, de regul.* quibus omnibus in locis, id tamquã certum præsupponitur. Qua de re videatur Syluester, *verbo, Religio, 2. q.* 10. *et* 13. Vbi dicit B. Benedictum, multoties huiusmodi pueros, à parentibus oblatos, olim in sua Religione recepisse. Quod etiã dicit D. Th. 2.2. q. 189. art. 5. & in quodlibetis, quodlibet, 3. q. 5. & dicit Sylu. vbi supra hoc esse licitũ, nisi constitutione alicuius Religionis prohibeatur. Addit tamen, quod experientia docuit, id modo non expedire, secundum Archidiaconum, & omnes communiter Doctores, vnde & hoc obseruant nunc, omnes communiter Religiones, siue illud facere possint siue non.

Sed circa facultatem atque potestatem, faciendi huiusmodi puerorum oblationem, magna erat olim lis & controuersia inter Doctores, quinam, cui essent præferendi, pater, matri, parentes, tutoribus, an viceuersa. De qua difficultate, nihil etiã, libet in præsentiarum dicere, quia longam requirebat disputationem, neque iam deseruit ad propositum. videatur Syluester loco supracitato.

Secunda Conclusio.

Pueri vel puellæ olim, Religionibus à parẽtibus oblati & ipsas ingressi, cũ peruenissent ad pubertatis annos, interrogabantur vellent ne annõ, quæ facta erat acceptare.

HIuiusmodi pueri vel puellæ impuberes; olim à parentibus siue tutoribus Religionibus oblati, postquam peruenissent ad pubertatis annos, parentum siue tutorum suorum factum, acceptare poterant vel reuocare, positumque id erat in sua ipsorum potestate. Hæc conclusio constat ex omnibus supra præallegatis iuribus, in quibus hoc expresse habetur, & dicitur quod habebant libertarem, ibidem remanendi, vel exeundi, & quod super hoc debebat interrogari puer, cum peruenisset ad annos 15. qui erat tunc annus faciendæ professionis, & puella, cum peruenisset ad annos 13. Videantur prædicta iura, cum suis glossis, vbi ad hoc propositum dicuntur plura, eaque notatu dignissima. Et quamuis, *cap. addidistis, & cap. monachum, cap. quicumque* innuere videantur, quod isti paruuli à parentibus oblati, nõ poterãt exire, intelligenda tamen sunt, si post adultam ætatem, consensum præstiterunt, & ita ea intelligit glossa ibi. Non desunt ex doctoribus antiquis, qui dicant, quod si huiusmodi pueri vel puellæ, ipsis renuentibus, à parentibus siue tutoribus offerebantur, quocũque tempore vellent, poterant exire, at tamen si ipsi sua sponte atque voluntate ingressi fuissent, exire non poterant, antequam venirent ad legitimam ætatem, nam postquam semel consenserunt, licet consensus præstitus ante annos discretionis, alias non teneret, tenebat tamẽ, quãtum ad hoc, ad instar carnalis matrimonij, argumento desumpto, *ex cap. de illis, ei. 1. de desponsa, impub. & cap. illud* 20. *q.* 1. Sed hac de re nihil etiam libet, in præsentiarum dicere, quia iam hoc non est ad propositum, & omnia ista longissimam requirebant tractationem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vouens ingredi certam aliquã Religionem, si ibi non recipiatur, teneatur alteram intrare?

MVltæ ac variæ difficultates, simul veniunt explicandæ, in præsenti articulo, pro quarum omnium maiori intelligentia, ac pleniori resolutione, oportet breuiter præmittere aliqua notabilia, quæ etiã parabunt viam ad ea quæ in subsequentibus sunt dicenda.

Vouere voluntatis est, et votum pendet à voluntate.

Primo præmitto ex D. Thom. 2.2. quæst. 189. artic. 4. quod iuxta mentem, atque sententiam D. Aug. vt iã supra diximus, & habetur, *in c. licet & in c. magnæ, de voto, & voti redẽp.* Vouere voluntatis est, non necessitatis aut coactionis. Ex quo infertur, quod obligatio voti, in tantum & non amplius se extendit, in quãtũ se extendit volũtas & inten-

intentio ipſius vouentis, quod eſt id, quod communiter dicitur à iureperitis. *Quod actus agentium non operantur nec ſe extendunt, vltra intentionem, & voluntatem ipſorũ.* Habetur *in l. nõ omnis. ff. de rebus creditis, leg. & voluntarij. C. de execu. tuto. & leg. fin. C. ne vxor ſolut. matrim. & in cap. finali, de præbendis.*

Notá quod actus agẽtium, non ſe extendũt vltra voluntatem ipſorum.

Religionẽ vouens, dupliciter ſe poteſt ad eam obligare.

Secundo præmitto, quod vouens Religionis ingreſſum, dupliciter poteſt ſe obligare & adſtringere. Vno modo in genere, promittendo abſolutè Religionem ingredi; ita quod iſte tantum ſit illius principalis finis, mundũ, atq; ſeculũ deſerere, & Religionem intrare, quamuis ex conſequenti, inclinetur in hanc vel illam Religionem, quaſi magis ſibi congruentem. Alio modo poteſt vouere Religionem in ſpecie, ſpecificando & determinando aliquam in particulari, ita quod iſte ſit finis illius principalis, propter ſpecialem ipſius complacentiam & deuotionem, & peculiarem quendam reſpectum, vt, ſi quis diceret, verbi gratia, promitto intrare Religionem Diui Franciſci, ſeu ſancti Dominici, &c. His præmiſſis notabilibus, propoſitæ difficultati Reſpondetur, per duas ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Qui abſolutè & in genere, Religionẽ intrare promiſit, ſi in vna non recipiatur, tenetur aliam requirere.

QVi ſimpliciter & abſolutè, vouit ſeu promiſit, Religionem intrare, ſi in vna aut altera, nolunt ipſum admittere, tenetur aliam ſeu alias requirere, vbi recipiatur.

Hæc concluſio eſt expreſſa, D. Thom. 2. 2. quæſtio. 189. artic. 3. & 4. & tenet eam Sylueſter *verbo Religio. 2. quæſt. 16. & 17.* Et ratio concluſionis eſt, quia obligatio non fuit certæ ſpeciei; ſed Religionis in genere, & ſicut promittens dare equum, licet non intenderet emere alienum, ſed dare ſuũ, ſi omnes ſui pereant, tenetur alienum emere, vt promiſſum adimpleat; ita & in propoſito, qui ſimpliciter & abſolutè, Religionem promiſit intrare, quamuis in vna, vel altera non recipiatur, tenetur aliam quærere. Addit tamen Sylueſter, nõ hoc eſſe intelligendum, ita quod teneatur diſcurrere per totum mundum, vt inueniat ſe recipientem, quia non eſt veroſimile, quod id intendit, ſeu ad id voluiſſet ſe obligare; imò verò neque tenetur ingredi, vnam vel aliam (etiam ſi inueniat, quę velint ipſum recipere) ſi ſint ex ijs, de quibus credit probabiliter, quod ſi cogitaſſet, non ſe obligaſſet, propter fundamentum propoſitum, quia nempe vouere voluntatis eſt, & actus agentium, non ſe extendunt, vltra volũtatem eorum. Hoc eſt valde notandum, & memoriæ commendandum.

Nota hoc valde.

Secunda Concluſio.

Qui promiſit Religionis ingreſſum, in ſpecie et determinate, ſi ibidem nõ recipiatur, non tenetur aliã intrare.

QVi vouit ſiue promiſit, Religionis ingreſſum, non ſimpliciter & abſolutè, neque in genere, ſed in ſpecie & determinatè, in hac aut illa, ſi ibidem non recipiatur, non tenetur aliam intrare. Hæc concluſio eſt etiam D. Thomæ, & Ricardi, & Archidiaconi, quos refert Sylueſter, vbi ſupra, contra Paludanum dicentem, quod ſi iſtam intrare non poteſt, obligatur ad aliam, quia quaſi ex conſequenti deuouit dimiſſionem ſeculi, cum non ſtet nec ſtare poſſit, vita ſeculi cum ſuo voto. Sed contrarium eſt verius atque tenendum, & dicendum, quod ſicuti effectus non excedit ſuam cauſam, ita neque votum, extenditur vltra intentionem vouentis, cum ab ea deſumat virtutem: neque ille talis abſolutè vouit dimittere ſeculum, ſed præciſe vt conſequitur ad ingreſſum huius, vel illius Religionis. Si autem dubitat, quã habuerit intentionem: tunc debet tutiorem viam eligere, cum in rebus dubijs tutior pars ſit eligenda. Pro his concluſionibus videatur *Nauarr. lib. 3. conſiliorum de voto conſil. 21. 22. 23. 24. 25. & 26.* quibus in locis breuiter ſed compendioſe, plura dicit, quæ valde faciunt ad noſtrum præſens propoſitum. Et tandem vt huic articulo vltimam imponam manum, de mente & ſententia ſupradicti Sylueſtri, Dico, quod quamuis quidam dicant, de eo qui ſimpliciter & abſolutè, atque in genere, vouit ſeu promiſit Religionem intrare, quod ſi in nulla recipiatur, erit religioſus in genere, remanebitq; ſub obedientia Epiſcopi, & erit ipſius monachus; contrarium tamen eſt verius, & tenendum: imò verò talis poterit nubere & vxorem ducere: quia ſicut ſe habet pars ad partem, ita & totum ad totum. Vnde ſicut qui determinatè vouit hanc Religionem intrare, ſpecialiter & in ſpecie (quæ eſt pars Religionis in genere) ſi nulli bi recipiatur, poterit nubere, ita & qui vouit intrare Religionem in genere, nubere poterit, ſi vniuerſalitas Religionũ, nolit eundem recipere. Quæ doctrina eſt maxime notanda: nam ſecũdum Archidiaconum, *in cap. fecimus. 12. quæſt. 1.* ſemper in voto Religionis, ſubintelliguntur iſtæ duæ cõditiones (ſi poſſum) & (ſi volunt me recipere) quibus non exiſtentibus, non tenet votum.

Nota valde, pro votis, de intrãdo Religionem quæ interdũ fiũt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm qui determinate vouit vnam Religionem, poſsit induci & perſuaderi ad alteram.

Concluſio.

Qui determinate promiſit vnam Religionem, ſi alia ſit perfectior, bene poteſt induci ad illam.

SI alia Religio eſt maior, ſeu ſtrictior, & maioris perfectionis, bene poteſt quis induci, & perſuaderi ad illam, quamuis determinatè emiſerit votum alterius Religionis. Hæc concluſio eſt expreſſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 189. artic. 9. in ſolutione ad tertium, quam & probat hac ratione, quia nempe in maiori includitur, id quod minus eſt. Vnde tradit pro generali regula, quod qui voto vel iuramento, eſt obligatus ad ingreſſum minoris Religionis, poteſt licite induci & perſuaderi ad hoc, quod ad aliam maiorem tranſeat, niſi ſit aliquid ſpeciale, quod illum impediat vtpura infirmitas, vel ſpes maioris profectus in minori Religione. Circa quæ verba notat acutiſſimus Caietanus, quod de maiori vel minori Religione, non eſt loquendum in abſtracto, ſed in concreto, conſiderando & aduertendo, an quæ perfectionis ſunt, in tali Religione, debite & bene obſeruentur. Nam (inquit)

(inquit) si minus bene seruantur, frustra atque in debite gloriantur aliqui, de maioritate suæ Religionis in abstracto: hac enim in re, ad maiorem & perfectiorem de facto obseruantiam, oportet aspicere, non verò ad aliud. Verba sunt valde notãda & ponderãda. Simul oportet aduertere, quam maxime ex doctrina eiusdem, & etiam D. Thom. 2.2. quæst. 188. artic. 6. ad 3. & quæst. 189. artic. 8. in corpore, quod maior perfectio alicuius Religionis, non simpliciter & absolutè desumenda est, ex arctitudine maiori vel minori, sed ex alijs, de quibus suo loco dicemus.

Maior Religionis perfectio simpliciter, non sumitur ex maiori arctitudine, sed ex alijs.

In calce huius articuli, libuit aduertere, ex eodem D. Thom. vbi supra quæstio. 189. artic. 9. ad 3. quod qui voto vel iuramento est obligatus, ad ingressum maioris Religionis, non potest licite induci ad hoc, vt intret minorem, nisi ex aliqua speciali causa euidenti, & cum dispensatione superioris id potentis facere. Si tamen de facto ingrediatur, & profiteatur, professio tenet, *iuxta cap. qui post votum, de regul. lib. 6.* Peccauit tamen, & fuit transgressor voti simplicis, licet postea maiori, nempe voto solemni, teneatur. Videatur hac de re Syluester *verbo Religio. 2. quæst. 18.*

Qui voto se obligauit, ad ingressũ maioris Religionis, si minorem de facto profiteatur, factum tenet, quamuis peccauerit.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm qui emisit Religionis votum, si eligatur in Episcopum, eo non obstante, teneatur Religionem intrare?

Nota pro ratione dubitandi.

ET seruiat pro ratione dubitandi, ad probandum quod non, nam certum est vt tenet Diuus Thomas. 2.2. quæst. 184. art. 7. & cum eo omnes Doctores communiter, quod status Episcoporum est altior atque perfectior, statu religiosorum. Sũt enim Episcopi in statu perfectorum actiue, vt scilicet alios perficiant: religiosi verò, in statu perficiendorum passiue, vt perficiantur. Certũ est etiam, quod votum, non dicitur infringere, imò verò perfectissime adimplere, qui ipsum in aliquid melius commutat, vt habetur *in capit. peruenit, de iure iurando, capit. scripturæ, de voto, & capit. licet, eodẽ titulo, & capit. beatus. 22. quæst. 2. & quæst. 4. capit. mulier.* Nam si promisit quispiam (verbi gratia) centum aureos, & reddat in duplum, plus satis votum adimplet. Cum igitur status Episcoporum, sit altior atque perfectior, & ipsorum vinculum maius, vinculo cuiuscunque voti simplicis, & adeò obligatorium, vt Episcopis de iure communi, sine expressa Papæ licentia, non liceat de Episcopatu ad Religionem transire: dicendum videtur, quod qui ingrediendi Religionem simplex emisit votum, si assumatur ad Episcopatum, non tenetur illud adimplere, cum ipsum iam in aliquid melius commutarit.

Quod & confirmatur, ex eo quod habetur *in capit: Gonzaldus 17. quæst. 2.* vbi dicitur, quod quidam presbyter, nomine Gonzaldus, infirmitatis passione oppressus, monachum se fieri repromisit, at postquam conualuit, monachum se fieri velle negauit. Qua de re consultus Pontifex Alexander Secundus, respondit, prædictum presbyterum, super adimpletione sui voti, non debere inquietari & molestari, quasi innuens atque significare volens, non ipsum fuisse talis voti vinculo adstrictum & licentiam eidem indulsit, vt quiete & pacifice in suo posset beneficio permanere: ergo multo melius id ipsum dicendum erit, de Episcopo, qui post votum simplex Religionis à se emissum, assumptus est ad Episcopatum, ac proinde, quod non tenebitur tale votum adimplere, cum (vt dictum est) ipsius status sit altior, atque perfectior, & inter prædictum presbyterum, & Episcopum, tanta & tam longa versetur differentiæ ratio. Hæc sunt, quæ adduci possunt pro ratione dubitandi, quibus non obstantibus, in contrarium statuitur conclusio.

Conclusio.

QVi post emissum Religionis votum, eligitur in Episcopum, priusquam Episcopatum assumat, Religionem tenetur intrare. Hæc conclusio est expresse determinata, *in capit. per tuas, de voto & voti redemptione.* Vbi proposito simili casu; de quodam electo Episcopo, ad Ecclesiam Geuenensem, qui prius Religionis votum emiserat, consultus ab eodem Innocentius Tertius, quid facere deberet, in hæc verba prorupit. *Nos igitur, tuæ discretioni consulimus, vt si tuam sanare conscientiam desideras regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua.* Et subdit. *Quod si capitulum eiusdem Ecclesiæ, te post modum Canonice duxerit eligendum, electionem poteris recipere de te factam.* Ex qua determinatione, colligunt Doctores, quod qui post votum Religionis emissum, eligitur in Episcopum, renuntiare tenetur Episcopatui, & votum adimplere. Hanc etiam conclusionem tenet expresse D. Thom. 2.2. quæst. 189. artic. 3. in solutione ad primum, & ibidem Caietanus & Syluester *verbo Religio. 2. quæst. 20.* fundati omnes in præallegato capitulo, circa cuius intelligentiam magna est lis, & controuersia inter Doctores iuris peritos, vt videre est apud Panormitanum, *in dicto capitulo per tuas.* Et quod difficultatem auget, est argumentum à nobis propositum, in initio huius articuli, cum sua confirmatione, quibus vt respondeat Caietanus, plura dicit, eaque notatu dignissima. De cuius doctrina, ad argumentum dicitur, quod de iuris rigore, ille Episcopus, non tenebatur deserere Episcopatum, vt adiret Religionem, sed tantum pœnitentiam agere coram Deo, violati à se voti: quia nempe illud non adimpleuit suo tempore, cum adimplere tenebatur. Tamen ex quo habebat rationabilem causam dubitandi, & petendi licentiam cedendi Episcopatui, & consulendi super eo Sedem Apostolicam (vt re ipsa fecit) si negata sibi fuisset talis licentia, tutus etiam in Episcopatu posset permanere. At postquam eidem fuit concessa, debuit Religionem adire, & votum suum adimplere. Hæc Caietanus, & addit, quod per istam decretalem, iure nouo, factum est statutum, vt cæteri Episcopi in simili casu idipsum faciant, quod & facere possunt ex solo decreto istius statuti, absque aliqua

Qui post emissum Religionis votum, in Episcopũ eligitur; antequã assumat Episcopatũ, tenetur Religionem intrare.

Nota bene hanc solutionem pro supradicto capitulo, per tuas de voto & voti redẽpt.

qua alia licentia, quod aliàs facere non poterant, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ expreſſa, abſque iſto nouo iure. Et ad rationem incõtrarium factam, dicit idem Caietanus, quod quamuis vera ſint quæ ibidem adducuntur, & quod ſi Papa non eidem Epiſcopo licentiam indulſiſſet, tranſeundi ad Religionem, haudquaquam illud facere poſſet, cum maiori eſſet vinculo obligatus & adſtrictus, at poſtquam ſemel illã ſibi conceſſit, & Papa eundem non retinuit, imò vero ipſe, qui ſolus plenariam auctoritatem habet, totius Eccleſiæ in communi, & cuiuslibet in particulari, facultatem illi præbuit, & vinculum quod inerat inter talem Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam (vt pote quod de ſe ex conſenſu Eccleſiæ erat diſſolubile) de facto diſſoluit, diſſoluto iam vinculo, neceſſitatem (inquit) incurrit adimplendi votum, & ſic conſuluit illi Pontifex, vt ipſum adimpleret, ſi vellet conſcientiam ſuam ſaluam facere. Et per iſtam decretalem, qua promulgatus eſt generalis conſenſus Eccleſiæ (dicit Caietanus) quod impoſita eſt neceſſitas, cæteris Epiſcopis idipſum faciendi in foro conſciẽtiæ. Supradicta omnia ſunt ſubtiliſſimi Caietani, & quidem notatu digniſſima. Ad confirmationem dicit, quod potuiſſet Alexander Secundus, melius reſpondere illi presbytero, quàm reſpondit, dicendo, quod dimitteret curatum, vt dixit Innocentius Tertius prædicto Epiſcopo, quod deſereret Epiſcopatum, & votum adimpleret, ſed tamen quamuis minus bene, non tamen omnino male reſpondit: quia non dixit, quod non tenebatur voto ſimplici, quod emiſerat, ſed tantũ quod nõ deberet cogi. In quo quidem verum dixit, nam certum eſt, quod aſtrictus monaſterio voto ſimplici, ſi illud ingrediatur, nõ tenetur remanere in monaſterio; ſed poteſt infra annum probationis exire, nec iure poteſt cogi ad remanendum tanquam monachus. Hoc ſolummodo eſt, quod Alexander Secundus, ſuo illo decreto dixit, non vero amplius, inquit Caietanus, & in hoc non male dixit.

ARTICVLVS X.

Vtrùm qui emiſit votum, de non intrando aliquam Religionem, tenea tur ipſum adimplere?

Concluſio.

VOtum emiſſum de non intranda aliqua Religione non tenet, imò verò eſt nullius valoris atque momenti. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. artic. 10. ad 3. & quæſt. 189. artic. 2. & Sylueſtri. *verbo, Religio. 2. quæſt. 21.* & omnium Doctorum cõmunis: cuius ratio in promptu eſt, quia ſicut illicitum eſt iurare quempiam, quod non faciet aliquod bonum, & iuramentum hac de re emiſſum, eſt nullius valoris atque momenti, vt conſtat ex innumeris iuribus atque capitulis, quæ habentur in titulo de iureiurando: ita etiam & in propoſito, votum emiſſum de non intranda aliqua Religione, non valet, quia iuxta communem doctrinam, votum eſſe debet, non de malo, ſed de bono, imò verò de meliori bono. Hac de re videantur Doctores ſcholaſtici, in materia de voto, & D. Thom & Sylueſter locis ſupracitatis, vbi ad hoc propoſitum mira & pulchra dicuntur, quæ ipſe, vt breuitati ſtudeam, omitto, non enim in tam breui compendio, poſſunt omnia dici. hactenus de iſto articulo, & tota quæſtione.

Votum emiſſum, de nõ intrãda aliqua Religione, nõ tenet, imo eſt nullius valoris atque momenti.

QVAESTIO XXI.

De Nouitijs, quantum ad informationem de ijſdem faciendam, iuxta Conſtitutiones Sixti Quinti Gregorij XIIII. & Clementis VIII. in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Nouitiorum informationes, ſint faciendæ, examinandæ, & approbandæ, ante quam recipiantur, & admittantur ad habitum?

Primo nota quòd virtute cõſtitutionis Pauli Quarti

PRO huius articuli intelligentia, ſunt aliqua notanda & primo. Quod quamuis Paulus Quartus, & ante ipſum Clemens Septimus, per ſuas Conſtitutiones, quas appoſuimus ſupra quæſt. 19. artic. 7. cauerint, atque ſtricte prohibuerint, vt Iudęi, & Hęretici, & ab illis deſcendentes, intra quartam generationem, nullatenus ad Religionem noſtram poſſent admitti, quam Cõſtitutionem poſtea Gregorius XIII. confirmauit, atque intelligi voluit, etiam de deſcendentibus intra eundem quartum gradum, ex Saracenis: non tamen aliquod tempus ſtatuerũt, ſeu aliquid definierũt quantum ad informationem, circa hanc rem de eiſdem faciendam, nec vllam de hoc mentionem fecerunt, ſed relinquebatur Fratrum, & Prælatorum arbitrio, qua ratione deberet conſtare, de eiuſmodi inhabili-

& Clemẽtis Septimi, nulla præcepta erat fieri Nouitiorum informatio, antequam reciperentur ad habitum.

bilitate ſiuè impedimento, an inſtrumento aliquo iuridico, an vero alia ſuper ea re facta informatione, quæ tunc temporis fiebat ſolummodo, quando in aliquem effectum, ſiue ad repellendum quempiam, exterius opus erat conſtare, atque in publicum produci. Non tamen apud nos moris erat tunc temporis, ante Nouitiorum receptionem, aliquam his de rebus facere informationem, vſque ad tempus Sixti Quinti, qui ſua Conſtitutione, de qua diximus ſupra quæſtione 19. articulo 3. præcepit, ne vlli illegitimi aut debitis onuſti, ratiocinijs obligati, ſcelerati, criminoſi & facinoroſi, reciperentur ad Ordines, ac voluit de ijs omnibus rebus, in receptione Nouitiorum eorumdem, antequam reciperentur ſeu admitterentur ad habitum, fieri inquiſitionem & informationem, prout plenius in præfata Sixti Quinti Conſtitutione continetur. Fuitq; in principio ipſius decretum nimis rigidum, nam nullius iuuenis à ſeculo ad Religionem tranſeuntis, maioris 16. annorum, receptio, admiſſio, & approbatio fieri poterat, niſi in Capitulo generali, vel Prouinciali, & niſi prius per Prælatos & ſuperiores Ordinis, facta de eo fuiſſet informatio, de rebus ibidem contentis, & eiuſmodi informatio in Capitulo generali aut Prouinciali, præſentata, & approbata ſimul fuiſſet per Definitores. Sed poſtea ex ſpeciali benignitate, pro nobis dumtaxat Fratribus Minoribus de Obſeruantia, conceſſit, vt Nouitiorum receptio, fieri poſſet non ſolum in Capitulo generali aut Prouinciali, ſed etiam extra capitulum, auctoritate Miniſtri prouincialis ſeu Cuſtodis, de vnanimi voto, quatuor Fratrum in Capitulo prouinciali ad hunc effectum deputatorum, prout plenius continetur in ſuo Breui, quod incipit: *Nuper quidem*, de quo infra in prima concluſione largiorem faciemus mentionem. Poſtmodum vero, videns quod ex præfata ſua Conſtitutione, in alijs etiam Religionibus innumera ſequebantur inconuenientia, nam in quibuſdam Capitula generalia, raro aut nunquam celebrabantur, Prouincialia vero in alijs, non ita ſæpe ſed rarius quam pro recipiendis Nouitijs expediret, & quod quædam monaſteria in remotiſſimis Regionibus ſita erant, nonnulla etiam in terris Hæreticorum & infidelium, &c. Propter hæc & alia, prædictam ſuam mitigare atque modificare volens Conſtitutionem, in alia quadam, quæ incipit: *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, ſtatuit, vt in qualibet prouincia ſaltim duo, & ſi commode fieri poſſet, tria aut plura deputarentur monaſteria, quorum ſuperiores infra annum ſaltim congregarentur, ad faciendam inquiſitionem ſuper Nouitijs, & ad ipſos in religioſos ſuſcipiendos, iuxta formam ſuæ prætatæ Conſtitutionis, & ad alia peragenda quæ ibidem continentur. Et addidit, quod ſi paucitas aut nimia monaſteriorum diſtantia, neque idipſum facere permitteret, ſaltem tribus antiquioribus Patribus, vnius monaſterij, Domus, ſiue Prouinciæ, huiuſmodi facultas, & auctoritas per Capitulum generale Monachorum, vel prouinciale Mendicantium, & reliquorum regularium demandaretur & concederetur; & alia ad hoc propoſitum ſtatuit, quæ ibidem continentur. Sed Gregorius XIIII. amplius volens, eandem Sixti Quinti Conſtitutionem declarare & ampliare, circa Nouitiorum receptionem, nouam quandam fecit Conſtitutionem, quæ incipit: *Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia*, qua ſtatuit, vt ſuperiores Monaſteriorum, de conſenſu ſui Capituli, præhabita ſimul cum his, de quibus in vnaquaque Religione aut monaſterio, iuxta eiuſdem Conſtitutiones, recipiendus interrogari ſolet aliquali informatione, ſuper ijs quæ in dictis Conſtitutionibus continentur, ad eorumdem Nouitiorum receptionem procedere valerent, dum tamen antequam ad profeſſionem admitterentur, plenariam de eiſdem facerent inquiſitionem. Quæ plenaria informatio, præſentaretur, examinaretur, & approbaretur ab illis; à quibus in prædictis monaſterijs examinari & approbari ſolet. Hæc Gregorius in prædicta ſua Conſtitutione, ab illis verbis: *Ideo ſtatuimus, vt ſuperiores, vſque ad illa, in dicto capitulo coram ſuperiore referantur.* Sed aduertendum eſt, quod hæc Gregorij XIIII. Conſtitutio (prout ex ipſius verbis conſtat) facta fuit pro illis ſolummodo Religionibus, in quibus erant perpetuæ filiationes, qualia ſunt dumtaxat monaſteria Ordinum Monachalium, ex quo videbatur aſſerendum, quod non extendebatur ad alia monaſteria, aliarum Religionum, in quibus non eſt perpetua filiatio, cum non militaret eadem ratio, poſita in dicta Conſtitutione, & per conſequens, quod in eiuſmodi Religionibus, fieri debebat informatio Nouitiorum vt prius, antequam reciperentur ad probationis habitum, iuxta modum præfixum à Sixto Quinto in prædicta declaratione ſuæ primæ Conſtitutionis, aut ſaltim iuxta formam præſcriptam in illo alio Breui, ſiue priuilegio, conceſſo pro nobis dumtaxat Fratribus Minoribus, quo fruebantur frui atque potiri poterant cæteri Ordines qui priuilegium habebant communicationis. Quo nihilominus non obſtante, informatio debebat fieri, ante quam Nouitij reciperentur ad habitum, ſicque fuit eo tempore obſeruatum & practicatum.

Tempore Sixti V. cæperũt fieri Nouitiorum informationes.

Conſtitutio Greg. XIIII. quid continebat, circa Nouitiorum receptionẽ, & eorundem faciendã informationem.

Aduertẽdum eſt, quod prædicta Conſtitutio Gregor. XIIII. tantũ data fuit pro Religionibus Monachalibus.

Secundo eſt notandum, quod rebus ſic exiſtentibus, pro parte religioſorum, illuſtriſſimi atque religioſiſſimi Conuentus ſancti Stephani Salmanticenſis, Ordinis Prædicatorum, fuit ſupplicatum Clementi VIII. vt amplius ſuper his prouidere dignaretur, atque opportunum aliquod præberet remedium, ad hoc, vt iuuenes prædictum Conuentum ingredi volentes, & ipſorum habitum recipere: commodius atque facilius, ibidem admitterentur, & recipi & admitti poſſent, non expectata ſupradicta informatione, ſed medio ſolummodo quodam præſtito iuramento, quo affirmarent ſe non eſſe criminoſos, debitis onuſtos, ratiocinijs obligatos, à quibus non poſſent faciliter expediri, nec delicta aut crimina aliqua commiſiſſe, ex his, quæ continentur in dicta Conſtitutione Sixti Quinti, & quod poſtea infra annum probationis & ante profeſſionem, fieret plenior informatio de eiſdem. Quorum pijs precibus & ſupplicationibus inclinatus, præfatus Clemens VIII. eidem Conuentui Bullam atque priuilegium dedit, tenoris ſequentis.

Secũdo nota, ſupplicationẽ factã, Clementi VIII. pro parte Cõuentus ſancti Stephani Salmanticenſis.

Clemens

Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla cõceſſa à Clem. VIII. Conuentui S. Stephani Salmanticenſi.

IN his quæ ad Religionum propagationem ſpectant, auctoritatis noſtræ partes libenter interponimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Alias ſiquidem fel. rec. or Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, iuſtis tunc ſuadentibus rationibus ductus, ſua perpetuo valitura Conſtitutione, quæ incipit: Cum dè omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, ſub Dat. 6. Calend. Decembr. Pontificatus ſui anno 3. emanata, inter alia ſtatuit & ordinauit, vt iuuenes 16. ætatis ſuæ annum excedentes, aliquam Religionem ingredi volentes, non prius ad habitum recipi, & ad profeſſionem admitti poſſent, quam de eorum anteactæ vitæ, ac morum honeſtate, ac de legitimis natalibus, aliiſque eorum qualitatibus tunc expreſſis, conſtaret iuridice, ita vt inſtrumenta deſuper formanda, coram teſtibus & notario, ad Capitula generalia vel prouincialia, in quibus per Definitores Capituli approbarentur, deferri deberent conſtitiſſet, prout in eadem Conſtitutione latius continetur, quæ cum difficile adimpleri poſſe experientia poſtmodum compertum exiſtiſſet, eandem Conſtitutionem Sixti prædeceſſoris, felicis recordationis Gregor. Papa XIIII. & prædeceſſor noſter moderatus fuit, vt huiuſmodi receptiones & approbationes, per Priores quatuor Domorum fierent, ita vt qui ad Religionem admitti vellent, ad quatuor eiuſdem Religionis quam elegiſſent domos accederent, & ab eorũdẽ Prioribus approbationem deferrent, vt in aliqua ipſarum domorum recipi poſſent. Idemque Sixtus V. Ordini Fratrum Minorum conceſſit, vt huiuſmodi recipiendorum approbationes, per quatuor Fratres ex antiquioribus eiuſdem domus, in qua habitum peterent, à Definitoribus nominatos fieri poſſent, ipſique quatuor antiquiores nominati, ad inquiſitionem faciendam procedere, & ad hunc effectum teſtes vocare, & ab eis iuramentum recipere coram tabellione, & alia requiſita facere valerent, prout in diuerſis prædeceſſorum literis plenius continetur. Cum autem ſicut pro parte dilectorum filiorum, Prioris, & Conuentus domus ſancti Stephani Salmantic. Ordines Prædicatorum, nobis expoſitum fuit, eiſdem Priori & Conuentui per dictum Sixtum prædeceſſorem, ad petitionem & ſupplicationem bonæ memoriæ Antonij tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Presbyteri Cardinalis, Gaſſæ nuncupati, viuæ vocis oraculo, indultum fuerit, vt inſtrumenta per tabellionem coram teſtibus facta, ſuper qualitatibus inuenum in dictum Conuentũ ad habitum recipi petentium, per Priorem ſeu Præſidentem ac Suppriorem, Magiſtrum Nouitiorum, & Magiſtrum Studentium eiuſdem domus, iuridice approbari, vel reprobari deberent, cumque huiuſmodi receptionis forma, facilior, & commodior exiſtat, quam aliæ ſupradictæ, nihilominus hanc etiam multa incommoda pati compertum eſt, multosque à Religionis ingreſſu diuerſis rationibus propterea arceri, atque à propoſito abduci, & ea de cauſa religioſorum numerum in dies minui. Quod ſi eiſdem Priori & Conuentui licitum eſſet, iuuenes huiuſmodi Religionis habitum ibi ſuſcipere volentes, præuio tantum iuramento, ſe non eſſe criminoſos, rationibus obligatos, à quibus non poſſint facilitèr expediri, nec furto, latrocinio, aut homicidio notatos, nec alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis detineri, ad habitum admittere, poſteà intra tempus probationis de eiſdem qualitatibus inquiſitionem & indagationem iuxta indulta Sixti Quinti prædictum, viuæ vocis oraculo cõceſſum facere, ex hoc profecto domus prædicta, quæ valde inſignis extitit, priſtino ſplendori, cum religioſorum propagatione, & diuini cultus augmẽto reſtitueretur. Ideo nobis dictorum Prioris & Conuentus nomine fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui religioſorum propagationem, & diuini cultus augmentum, quantum cũ Domino poſſumus, libenter procuramus, ſingularum literarum prædictarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, ac Priorem & Conuentum prædictum, & ſingulares perſonas, a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilis Fratris noſtri Michaelis Epiſcopi Alban. Cardinalis Alexandrini nuncupati, Ordinis Prædicatorum Prætectoris conſilio, eiſdem Priori & Conuentui nunc & pro tempore exiſtentibus, vt quoſcumque iuuenes etiam 16. ætatis ſuæ annum excedentes, ad habitum in eodẽ Conuentu admittere petentes, recepto ab eis iuramento, quod criminoſi, rationibus (vt præfertur) obligati, furto latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti Quinti contentis, detenti non ſint, recipere ac poſtea per aliquem eiuſdem Conuentus religioſum ad hoc deputatum, ad inueſtigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum & reliquorum præmiſſorum, abſque ſtrepitu iudiciario, ſed per ſcrutinium ſecretum procedi facere, qui ad hoc deputatus, proceſſum & informationem cœptam dictis Priori, ſeu Præſidenti, ac Superiori, & Magiſtro Nouitiorum & Studentium, à quibus approbari, & reprobari poſsit, referre fideliter debeat, libere & licite poſsint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes literas, &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo piſcatoris 10. Septembris 1597. Pontificatus noſtri anno vj.

Quinam fruãtur, prædicto priuilegio Cõuentus S. Stephani Salmãticenſis.

Tertio eſt notandum, quod huiuſmodi priuilegio potiuntur, & frui poſſunt Religiones omnes, quæ priuilegium habent communicationis, cum prædicto Prædicatorum Ordine: quales ſunt omnes communiter Mendicantes, virtute cuiuſdam Priuilegij, Leonis X. tenoris ſequentis.

Leo X. Ad perpetuam rei memoriam.

Priuilegium Leonis X. ſuper communi catione, omnium Priuilegiorũ, conceſſorũ omnibus ordinibus Mẽdicantibus.

DVdum per nos accepto, quod Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, aliqui ad Minorũ, alij vero ad Eremitarũ Sancti Auguſtini, alij vero ad Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Reliqui ad Prædicator Ordinum, Fratres & Domus, iuxta ipſorum vota, deuotionis affectum gerentes, illorũ ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones & Indulgentias, peccatorũ remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, ac dona tam ſpiritualia, quam temporalia, per diuerſas ipſorum litteras reſpectiue conceſſerunt. Nos ad ſingulos Ordines prædictos, ſingulasque ipſorum Ordinum Domos, vbi Religioſe viuitur indifferenter, abſque acceptione perſonarum, deuotionis affectum æqualance gerentes, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, Indulgentias peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia,

qualiacumque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Seruorum Beatæ Mariæ, ac Minimorum Fratrum, in domibus & illorum Eccleſijs, Oratorijs, & Eccleſias ipſas & Oratoria pro tempore viſitantibus, cuiuſcumque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuẽtibus, necnon Domibus & Præſidentibus, non ſolum Generalibus & Prouincialibus, Fratribusque & Sororibus, necnon Monialibus, & Conuerſis, Oblatis, atque vtriuſq; ſexus perſonis, de pœnitentia, ſeu tertij habitus nuncupatis, à dictis Prædeceſſoribus, aut à nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut alias auctoritatẽ habentibus, cõiunctim vel diuiſim in genere vel in ſpecie, conceſſa fuerint, aut in poſterum concedentur, illa & omnia ſingula ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis hãc habentes ſingulis Ordinibus prædictis, aliorumque ſingulis Eccleſijs Oratorijs, & Eccleſias ac oratoria viſitantibus, cuiuſcum que ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon Domibus, & Connẽ tibus, Fratribus etiam, & Sororibus, vel Monialibus, Conuerſis quoque & oblatis, ac vtriuſque ſexus perſonis, de pœnitentia nuncupatis, & alijs ſingulorum Ordinum prædictorum, Motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia & liberalitate, de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicamus, illaque omnia & ſingula, inter prædictorum Ordinum perſonas, pariformiter communia eſſe, fuiſſe & eſſe volumus. Prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur. Non obſtantibus &c. Dat. 10. Decembris anno 1519. Pontificatus noſtri anno iiij.

Nota, quod Priuilegium cõmunicationis, extẽditur ad Priuilegia conceſſa, et cõcedenda, per illa verba: cõceſſa & in poſterum concedenda.

Ex hac conceſſione Leonis X. clare conſtat, quod omnia & ſingula priuilegia, hactenus conceſſa, vel in poſterum concedenda, vni Ordini vel domui cuius libet Ordinis Mendicantium, cenſeri debent conceſſa, omnibus prædictis Ordinibus & ipſorum Domibus, & per conſequens, quod prædicto indulto & priuilegio Clemẽtis Octaui, conceſſo Conuentui Sancti Stephani Salmanticẽſis Ordinis Prædicatorum, potiuntur & perfruuntur, ac potiri & perfrui poſſunt, omnes Ordines Mendicantes, & ipſorum domus, & etiam aliorũ Ordinum, qui priuilegium habent, vt potiantur, & perfruantur, priuilegijs conceſſis, & concedendis, Ordinibus Mendicantibus. Vnde ſicut Priori, & Conuentui prædicti S. Stephani, nunc & pro tẽpore exiſtentibus, conceſſum eſt, vt quoſcumque iuuenes, etiam 16. ætatis ſuæ annum excedentes, in eodẽ Conuentu ad habitum admitti petentes, recipere poſſint, recepto ab eis prius iuramento, quod criminoſi non ſunt, nec debitis aut rationibus obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, nec detenti alijs impedimentis, quæ in dicta bulla Sixti V. continentur, & quod poſtea per aliquem eiuſdem Conuentus religioſum ad hoc deputatum, ad inueſtigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum & reliquorum præmiſſorum abſque ſtrepitu iudiciario, per ſecretum ſcrutinium procedere poſſint, qui ad hoc deputatus, proceſſum & informationem prædictam, eiſdem Priori, ſeu Præſidenti, ac Suppriori, & Magiſtro Nouitiorum & Studentium, fideliter referre debet, vt abipſis approbetur, ſeu reproberur: ita etiam in monaſterijs aliarum Religionum, & Ordinum, Prælati eodem modo, ad receptionem Nouitiorum procedere poſſunt, cum eodem perfruantur priuilegio, & etiam in alijs monaſterijs, militet eadem omnino ratio, quæ militat in prædicto Monaſterio S. Stephani. Certum enim eſt quod omnia incommoda in dicto priuilegio relata, quæ militant in dilatione recipiendi Nouitios, reſpectu monaſterij ſancti Stephani Salmanticenſis, militant & in alijs. Etenim ſi expectandum eſſet, vt Nouitiorum fieret informatio, ante quam admitterentur ad habitum, cum id non eſſe poſſet ſecretum, multi ab ingreſſu Religionis retraherentur, ab eorum parentibus amicis, ſiue cognatis. Quæ quidem ratio æque ſeu potius magis militat, in alijs monaſterijs & locis, vbi Nouitij recipiendi ſunt naturales, de quibus ſi quælibet informatio fiat hac de re, ſtatim in publicum prodibit, & impedietur forſan recipiendorum iuuenum feruor & ſpiritus, quod forte nõ ita fieret in prædicta Salmanticenſi Academia, vbi cum omnium fere Nationum, vt plurimum reperiantur ſcholaſtici recipiendorum conterranei, facile ab eiſdem deſumi poſſet informatio, duorum aut trium teſtium, ſicque ad habitum recipi & admitti, priuſquam eiuſdem rei notitia, ad aures parentum & conſanguineorum peruenire. Cum igitur eadem militet ratio, dicendum proculdubio eſt, quod omnes in vniuerſum Religiones, habentes priuilegium communicationis, quale habent vt dictum eſt omnes Mendicantes, & ſi quæ ſunt aliæ quæ ſimilem habent gratiam, potiri poſſunt ſupradicto priuilegio, & eodem modo ſe habere in Nouitiorum receptione. Vt autem conſtet, qualiter huiuſmodi receptio, olim fieri conſueuit, tẽpore Sixti V. & Gregorij XIIII. & nunc facienda ſit, vtendo prædicto priuilegio Clementis VIII. ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Quomodo & quo tempore, fieri conſueuerint informationes, ex decreto Sixti V.

TEmpore Sixti V. Nouitiorum receptio, fieri nõ poterat, niſi in Capitulo generali, ſeu prouinciali, & habita prius informatione, iuuenis maioris 16. annorum, à ſeculo ad Religionem tranſeuntis, de rebus in ſua Conſtitutione expreſſis, atque in eodem generali, vel prouinciali Capitulo, admiſſa & approbata ſupradicta informatione. Hæc concluſio habetur expreſſa in dicta Conſtitutione Sixti V. ab illis verbis: *Et ſuper hoc, in ipſo generali, vel prouinciali capitulo,* vſque ad illa, *perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus & declaramus.* Sed poſtmodum idem Sixtus Quintus, vt conſtat ex alia ſua Conſtitutione, cuius facta fuit mentio in primo notabili, priorem illam modificauit, ſtatuens vt in qualibet Prouincia ſaltem duo, vel ſi commodè fieri poſſet, tria aut quatuor deputarentur monaſteria, quorum ſuperiores, ſemel ſaltem infra annum, congregarentur ad huiuſmodi Nouitiorum inquiſitionem faciendam. Quod ſi paucitas, aut nimia diſtantia Monaſteriorũ, ne id quidem pateretur, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus, vnius Monaſterij, vel domus illius Prouinciæ, huiuſmodi facultas & auctoritas, in Religionibus Monachalibus, per Capitulum generale, in Mendicantibus autem, & reliquis Regularibus, per Prouinciale concederetur, prout plenius ibidẽ continetur. Reſpectu tamẽ noſtri ſacri Ordinis

Mino-

Minorum de Obſeruantia in Hiſpania, conceſſit idem Sixtus (vt etiam ſupradictum eſt) quod receptio Nouitiorum & approbatio & admiſſio ſuarum informationum, fieret per quatuor Fratres ex antiquioribus Domus, ſiue Conuentus, in quo Nouitij expoſtularent habitum, qui quidem quatuor Fratres, à Definitoribus nominarentur, poſſentque ipſi ſic nominati, ad præfatam inquiſitionem faciendam procedere, & ad hunc effectum teſtes ſeculares vocare, & ab eiſdem iuramentum coram tabellione recipere, & alia requiſita facere, prout plenius in ſuis literis continetur, poſitis in eodem primo notabili. Semper tamen fieri debebat Nouitiorum informatio, ante eorum receptionem.

Secunda Concluſio.

Quid ſtatuerit Gregor. XIIII. pro Religionibus monachalib⁹.

TEmpore Gregorij XIIII. in Religionibus monachalibus, Nouitij recipiebantur, per Conuentuum Superiores, de conſenſu Capituli, habita prius aliquali informatione, ſuper rebus contentis in Conſtitutione Sixti Quinti, dum. Do antequam reciperentur ad profeſſionem, plenaria & aliqua maior informatio fieret: reliquæ verò Religiones obſeruabant ea, quæ in præcedenti concluſione ſunt dicta, ex decreto eiuſdem Sixti Quinti. Hæc concluſio conſtat ex Conſtitutione eiuſdem Gregorij, ab illis verbis: *Cæterum cum acceperimus, nonnullarum Religionum, &c.* vſque ad illa, *Diligenter examinetur & probetur.* Circa quam concluſionem, nihil peculiare occurrit notandum, præterquam quod, prædicto Gregorij priuilegio, non potiebantur nec perfrui, aut potiri poterant cæteræ Religiones, quia (prout ex eodem conſtat) dumtaxat fuit conceſſum, pro Religionibus monachalibus, in quibus ſunt perpetuæ filiationes, & in quibus non ita crebro fiebant Generalia, aut Prouincialia Capitula. Vnde & eo tempore in alijs Religionibus, Nouitiorum informationes, fieri debebant, antequam reciperentur ad probationis habitum, iuxta modum & formam præſcriptam à Sixto Quinto, poſitam in ſupradicta prima concluſione. Sed circa aliqualem illam informationem, quæ (vt præfertur) fieri debebat in Religionibus monachalibus, ar te Nouitiorum receptionem, aduertere licet, quod hæc aliqualis informatio, quæ fieri præcipiebatur, condiſtinguebatur contra plenam, ſiue plenariam fieri præceptam, antequam admitterentur ad profeſſionem. In qua aliquali, ſeu ſummaria informatione, vnus tantum teſtis ſufficiebat, & ſufficit ſi plene deponat de facto, & facit probationem, iuxta mentem atque ſententiam Bartoli, *in l. 2. §. ſi vero. C. vbi in rem actio*, & Iaſonis *in l. admonendi, de iureiurando, num.* 187. Quod non contingit in plenaria informatione, quæ neceſſario facienda eſt, teſtimonio duorum vel trium teſtium. Quæ etiam non neceſſum erat, vt fieret cum citatione partium, & cum ſtrepitu & figura iudicij, ſed ſatis erat, & eſt, quod ſecrete fiat & (vt dicitur) ſimpliciter & de plano, ſola veritate inſpecta, iuxta Religionum omnium priuilegia. Quæ nihilominus plenaria dicitur, pro eo quod fit ac fieri debet, pleno ac fidedigno duorum vel trium teſtium teſtimonio.

Quid eſſet intelligendum, per aliqualē informationem.

Nota hoc val de.

Tertia Concluſio.

Quid nunc facere debeant, qui perfruuntur, priuilegio ſancti Stephani Salmāticenſis, ante Nouitiorum receptionem.

QVi priuilegium habent communicationis, & perfruuntur ac potiri poſſunt, indulto cōceſſo prædicto Conuentui ſancti Stephani Salmanticenſis, hoc ſe debent habere modo, in nouitiorum receptione: quod Prior, ſiue Guardianus, vel quicunque alius Præfatus Monaſterij, ſiue Cōuentus, priuſquam nouitius recipiatur ad habitum, ab eo debet deſumere iuramentum, in forma ſequenti.

Forma iuramenti, præſtāda à iuuenibus, Religionem aliquam intrare volētibus, ante eoram facta informationē.

Ego Frater N. Guardianus, ſiue Prior, talis vel talis Conuentus, N. nomine meo, ac nomine omnium fratrum ibidem commorantium, iuramentum deſumpſi à N. ſuſcipere volente, ſacræ noſtræ Religionis habitum, quò veritatem dicat, *an aliquod commiſerit delictum, quod deducatur in iudicium. Sit ne legitimus, & de legitimo matrimonio natus. Habeatne debita, quæ non poſſit ſoluere. Sit obligatus ratiocinijs reddendis. Super quibus in aliquo ſit, vel timeatur.* In noſtro ſacro Minorum fratrum ordine additur. *An etiā ſit mūdus, & omni generis infectione carens, non deſcendens ex Iudæis, Mahometanis, ſiue Hæreticis, ſaltem intra quartum gradum, ſeu quartam generationem.* Quibus omnibus iureiurando adſtrictus, cum verum ſe dicturum affirmaſſet, reſpondit ac dixit, nullatenus ſe eſſe comprehenſum in prædictis, neque ad illum vllo modo pertinere. Quod quia verum eſt, prædicto ſuo ſubſcripſit nomine, & ego N. identidem ſubſcripſi, coram teſtibus N. tali, die, talis menſis, & anni. Quod quidem iuramentum debet ſubſcribi, in aliquo eiuſdem Conuentus libro ad hoc deſignato. Circa hoc iuramentum, nonnulla breuiter venunt notanda. Et primo, quod non eſt deſumendum ab his, qui non ſunt maiores 16. annorum: quod patet eſſe verum: quia de his tantum loquitur Sixtus Quintus in prædicta ſua Conſtitutione ibi: *Quare volumus vt cuiuſcumque iuuenis, aut viri maioris 16. annorum, &c.* De his etiam loquitur expreſſe Clemens Octauus in prædicto indulto, conceſſo Conuentui ſancti Stephani, vt patebit intuenti, ibi: *Vt quoſcumque iuuenes etiam 16. annum ætatis ſuæ excedentes.* Secundo, quod quamuis quibuſdam videatur, nō eſſe dandum iuramentum, iuuenibus Religionem noſtram intrare volentibus, ſuper qualitatibus generis, nec quærendum ab eis, ſintne bono & non ex infecto genere nati, aut deſcendentes ex Iudæis, Saracenis, & Hæreticis, ſaltem intra quartum gradum, ſeu intra quartam generationem, propter periculum periurij, & quia Clemēs Octauus, ſolummodo præcepit huiuſmodi iuramentum, debere præſtari & deſumi, ſuper impedimentis contentis in Bulla, ſeu Conſtitutione Sixti Quinti, ſed nihilominus, contrarium communiter à nobis obſeruatur in praxi, & quod de his qualitatibus ſimul interrogentur, vt latius patebit ex dicendis in ſequenti articulo. Placuit enim hæc omnia ſubdiuidere, ne dum ſimul dicuntur, confundantur.

Notanda circa prædictum iuuentum iuramentum.

ARTICVLVS II.

De quibus rebus, faciendæ ſunt Nouitiorum informationes?

QVAM vtcumque, quod in præſenti articulo quæritur, conſtat ex ſupradictis; ſed de nouo propoſitur, vt plenior de hoc, atque diſtinctior habeatur notitia, & vt capitula & interrogationes omnes quæ fieri debent, etiam ſimul habeantur. Pro quo dico, quod quamuis in rigore loquendo, & ſtando in ſupradictis Sixti Quinti, & aliorũ Pontificum Conſtitutionibus, informationes dumtaxat fieri debeant, de contentis in ſuis Bullis, ſed nihilominus ab illo tempore, iam apud nos conſuetudine eſt obſeruatum, & in communi praxi poſitum, quod alia etiam ſimul inquirantur, ſpectantia ſiue ad ius commune, ſiue ad particulares aliorum Pontificum Conſtitutiones, & noſtras generales conſtitutiones. Vnde interrogationes omnes, quæ de Nouitijs prædictis, apud nos communiter fiunt ac fieri debent, præter generales de quibus nihil libet in præſentiarum dicere, ad ſex tantum capita reducuntur, de quibus ſex ſequentes ſtatuuntur interrogationes.

Prima interrogatio. PRima interrogatio, circa Nouitios à teſtibus facienda eſt, an ipſi cognoſcant N. cognouerintque ipſius patrem & matrem atque auos, & ſciant omnes illos, bono eſſe genere natos, nõ infectos aut maculatos, nec deſcendentes ex Iudæis, Mahometanis, ſiue Hæreticis, ſaltem intra quartum gradum, & quartam generationem.

Secunda interrogatio. An ſciant, N. qui vult recipere habitum, filium eſſe legitimum prædictorum, & vt talem ſemper, ab eiſdem fuiſſe habitum & nuncupatum.

Tertia interrogatio. An ſciant, N. eſſe liberum, vt diſponere poſſit de ſe & perſona ſua, non ligatum matrimonij vinculo, ſaltem conſummato.

Quarta interrogatio. An ſciant, N. qui vult recipere habitum, virum eſſe probum, & bonis imbutum moribus, neque ipſum commiſiſſe aliquod delictum, furtum, latrocinium, aut homicidium, quod fuerit deductum in iudicium, aut ſuper eo aliqua facta inquiſitio.

Quinta interrogatio. An ſciant, N. non eſſe debitis onuſtum, vltra facultates ſuas, quæ non poſsit perſoluere, & ab ipſis ſe faciliter expedire.

Sexta interrogatio. An ſciant, N. non habuiſſe alicuius rei adminiſtrationem, publicam, aut priuatam, neque eſſe ratiocinijs obligatum, ſiue obnoxium, ita quod ſuper illis aliqua lis, aut moleſtia illata ſit, vel timendum ſit, quod inferatur.

Notanda circa prædictas interrogationes. Ad hæc 6. capita (præter generales) reducuntur interrogationes omnes, quæ fieri debent à teſtibus, in Nouitiorum informationibus. Circa quas nihil peculiare occurrit notandum, præterquam quod (vt dictum eſt ſupra) informatio, circa contenta in Conſtitutione Sixti Quinti, ſpectantia ad criminoſos, facinoroſos, ſeu debitis & ratiocinijs obligatos, non neceſſario fieri debet, niſi de his dumtaxat, qui adimpleuerunt ætatis ſuæ 16. annum, non vero de alijs, quia foret ſuperfluum. Item quod ij, qui de partibus ſunt longiſſimis, & remotiſſimis, ab Infidelibus ſeu Hæreticis occupatis, ad habitum atque etiam ad profeſſionem poſſunt admitti, abſque eo quod de ſupra dictis, ita plenarie conſtet, dummodo facta diligenti inquiſitione, non conſtet contrarium. Hoc ſuam priorem Conſtitutionem modificando, conceſſit Sixtus Quintus, in illa ſecunda declaratione prioris, quæ, vt diximus, incipit, *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, in illis verbis, *Ij autem, qui in locis à ſua patria remotiſſimis.* Tandem aduerto, huiuſmodi informationem, non eſſe neceſſario faciendam, de illis religioſis, qui cum ſuorum Prælatorum licentia ſiue ex priuilegio, ex vna Religione ad aliam tranſeunt, nam Sixtus Quintus, non loquitur, niſi dũtaxat de ſecularibus, ſeu de clericis aut Eccleſiaſticis, qui de nouo ex ſeculo ad Religionem conuertuntur, non verò de alijs, & odioſa potius debent reſtringi, quam ampliari. Non deſunt qui dicant, fieri etiam debere aliquas alias interrogationes, an ſcilicet ſint animo prompti, veniantque ad Religionem, & ad deſumendum Religionis habitum, deuotionis cau[illegible], & non humana aliqua ratione: id quod & innui videtur, in illis verbis Sixti Quinti, poſitis in eadem ſupradicta Conſtitutione: *Niſi denique conſtet, ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantum deuotionis, & pietatis feruore, vitam religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe:* Sed quamuis hoc ita ſit, non tamen poſitum eſt in conſuetudine, vt hac de re à teſtibus interrogationes fiant. Nam hæc omnia reducuntur ad interrogationes ſuprapoſitas, ac veluti idem pollent.

Nota pro his, qui ſunt de partibus longiſſimis, & remotiſſimis –

Nota pro illis, qui de vna in aliam transferũtur Religionem.

ARTICVLVS III.

A quibus ſiue per quos, faciendæ ſunt huiuſmodi Nouitiorum informationes?

Prima Concluſio.

STANDO in prima Conſtitutione Sixti Quinti, quæ incipit, *Cum de omnibus*, Nouitiorum informationes, fieri debebant in Generali, vel Prouinciali Capitulo, & approbari vnanimi conſenſu Definitorum. Hæc concluſio conſtat ex expreſsis verbis ipſius conſtitutionis, ibi: *Et ſuper hoc ipſo in Generali, vel Prouinciali Capitulo.* Sed poſtea ad inſtantiam Miniſtri Generalis, noſtri Sacri Ordinis Minorum, ſancti Franciſci de Obſeruãtia, in alia ſua quæ incipit: *Nuper quidem*, conceſſit idem Sixtus Quintus, vt Nouitij ſeu iuuenes, ad noſtrum Sacrum Ordinem tranſire volentes, recipi poſſent extra Capitulum, de vnanimi conſenſu, & voto quatuor Fratrum in Capitulo Prouinciali, ad hunc effectum deputandorum, quibus perinde conceſſiſſe viſum fuit, quod facere poſſent prædictas informationes. Habetur in illis verbis, *non tantum in Capitulo Generali, aut Prouinciali.* Hoc priuilegium exhibitum fuit 30. Martij, anno 1588. Pontificatus ſui anno 3. Et ſecunda die Octobris, Pontificatus ſui anno quarto, modificare volens Priorem ſuam Conſtitutionẽ, in alia, quæ incipit.

Nouitiorũ informationes, à quibus ſiue per quos fieri debebãt tempore Sixti Quinti.

Ad

Ad Romanum ſpectat Pontificem: generaliter ſtatuit, quod in qualibet Prouincia ſaltem duo, & ſi commode fieri poſſet, tria aut quatuor deputarentur Monaſteria, quorum ſuperiores, ſemel ſaltem infra annum, congregarentur ad faciendam Nouitiorum informationem & Inquiſitionem. Et addidit, quod ſi ne id quidem paucitas, aut nimia Monaſteriorum pateretur diſtantia, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus, vnius Monaſterij, aut Domus eius Prouinciæ, huiuſmodi facultas & auctoritas, per Capitulum Generale, in Religionibus Monachalibus, per Prouinciale autem in Mendicantibus, & reliquis regularibus demandaretur. Habetur in illis verbis: *Vt in qualibet prouincia ſaltem duo, & ſi commode fieri poterit tria, aut plura Monaſteria.* Quod quidem fuit obſeruatum & practicatum, tempore eiuſdem Sixti Quinti. Sed credo, quod etiam hoc tempore, fieri conſueuerunt informationes prædictæ, coram Iudicibus ſecularibus, & Notario publico, vt poſtea in Capitulo Generali vel Prouinciali vel extra examinarentur, ſeu approbarentur, ab illis quibus hoc ipſum fuerat commiſſum, id quod & colligi videtur, ex Bulla Clementis VIII. conceſſa Fratribus Cõuentus ſancti Stephani Salmanticenſis, in illis verbis: *In iudice, ita vt inſtrumenta deſuper formanda, cõram teſtibus & Notario, ad Capitula Generalia vel Prouincialia deberent referri.*

Secunda Concluſio.

A quibus ſiue per quos, Nouitiorum informationes, fieri conſueuerunt, tẽpore Gregor. XIIII.

TEmpore Gregorij XIIII. informationes fieri conſueuerunt pro Nouitijs, eo modo & ordine, quo dictum eſt in præcedenti concluſione, de tempore Sixti Quinti. Nam prædictus Gregorius in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia*, nullam hac de re mentionem fecit: neque Sixti Quinti prædictas Conſtitutiones reuocauit, ſed tantum ſtatuit pro Religionibus Monachalibus, modum & formam, qua nouitij facilius reciperentur, præmiſſa aliquali informatione, facta coram ſuperioribus Monaſteriorum, de vnanimi conſenſu Capituli, dummodo antequam ad profeſſionem admitterentur, plenaria fieret ab illis, quibus aliæ Nouitiorum qualitates, ſolerent examinari & approbari.

Tertia Concluſio.

A quibus, ſiue per quos, informationes prædictæ, fieri conſueuerunt, tempore Clemẽtis VIII.

TEmpore Clementis VIII. alia ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Altiſsima paupertatis via. Dat. 14. Aprilis. 1592.* conceſſum eſt, nobis Fratribus Minoribus de Obſeruantia, in Hiſpania tãtum, quod quocumque tempore, etiam extra Capitulum, poſſemus recipere nouitios, & iuuenes ad noſtrum Ordinem venientes, de conſenſu quatuor Definitorum, vel de conſenſu quatuor Fratrũ ex antiquioribus illius Domus, in qua iuuenes erant recipiendi. Conceſſum eſt etiam, vt coram notario, vel per Fratres adhoc muneris deputatos, prędictam inquiſitionem facere poſſemus, vocando teſtes, & ab ipſis iuramentum recipiendo. Habetur in illis verbis: *Harum ſerie concedimus in Hiſpanijs tantum*, ſicque apud nos vſu fuit receptum, & practicatum. Circa hanc conſtitutionem fuit difficultas, an perfruerentur dicto priuilegio, aliæ Prouinciæ exiſtentes in Gallia, Anglia, Flandria, & Alemania, quin vero & ſpectantes ad familiam Vltramontanam: de qua difficultate & quæſtione, videndus eſt Emmanuel Rodericus, in ſuis Quæſtionibus Regular. *tom. 3. quæſt. 10. artic. 2. & 3.* & in ſua ſumma 2. part. capit. 4. Verbo, *nouitius, num. 3.* ſed ego nihil in præſentiarum, de ea ſtatuere aut definire volo. Ratio difficultatis eſt, dictio illa excluſiua, *tantum*, ibidem appoſita, dum dicitur *in Hiſpanijs tantum*. Multi ſunt in ea opinione, vt dicant, quod eodem perfrui & potiri poſſunt, Prouinciæ pertinẽtes ad ciſmontanã familiã, quæ priuilegium habent communicationis, vt ibidem dicit præfatus Emmanuel Rodericus. Sed an eodem potiri & perfrui poſſint, aliæ Prouinciæ ſupradictæ, ad Vltramontanam familiam pertinentes, cum idem habeant priuilegium, aliorum eſto iudicium, non enim hac in re, iudicem agere volo.

Difficultas.

Quarta Concluſio.

A quibus, ſiue per quos, ſint faciendæ nouitiorũ informationes, vtendo priuilegio Conuẽtus ſancti Stephani Salmãticenſis.

VTendo & perfruendo priuilegio, conceſſo à Clemente VIII. Conuentui ſancti Stephani Salmanticenſis, nouitiorum informationes, fieri poſſunt & debent, vel coram Iudice & Notario publico, vel coram aliquo alio fratre, ad id muneris deputato, abſque omni ſtrepitu iudiciario, ſed ſolummodo ſimpliciter & de plano. Hoc conſtat ex prædicta bulla, in illis verbis. *Ac poſtea per aliquem eiuſdem Conuentus religioſum, ad hoc deputatum*: per quod non prohibet, quod etiam fieri poſſint, ab aliquo notario, & coram ſeculari iudice. Sed aduertendum eſt, quod in prædicta informatione, deſumendum eſt à teſtibus iuramentum, cum teſtis non iuratus nullam faciat fidem, nec valeat, vt habetur *in capit. nuper nobis, de teſtibus.* Et quamuis iuxta quorundam opinionem, iuramenta remitti poſſint per partes; in hoc tamen caſu prætermitti non poterit, cum non deſumatur, aut deſumi iubeatur, ob fauorem partium, ſed potius ob fauorem Religionis, cuius iuri renuntiari non poteſt, nec debet; aliàs informationes factæ, non erunt validæ.

Nota quod iuramentum deſumi debet à teſtibus.

ARTICVLVS IIII.

A quibus ſunt examinandæ & approbandæ, prædictorum Nouitiorum informationes.

Prima Concluſio.

De tempore Sixti V.

IVXTA Conſtitutionem Sixti Quinti, & ipſius modificationem & conceſſionem peculiariter factam, nobis Fratribus Minoribus de Obſeruantia, ad eoſdem pertinebat Nouitiorum informationes videre, examinare & approbare, ad quos & eoſdem nouitios recipere, vt conſtat ex prædictis Conſtitutionibus, atque ex dictis compendioſe, in præcedentis Articuli, prima poſita Concluſione.

Secunda Concluſio.

De tempore Greg. XIIII

TEmpore Gregorij XIIII. nihil ſuper hac re fuit innouatum, niſi ſolùm quantum ad Religiones Monachales. Vnde omnes aliæ Religiones, circa informationem, examen & approbationem nouitiorum, obſeruare tenebantur, quod præceptum erat, tempore Sixti Quinti iuxta ipſius conſtitutiones.

Tertia Concluſio.

De tempore Clementis VIII.

TEmpore Clementis VIII. Nouitiorum informationes, videndæ, examinandæ & approbandæ erant, per 4. Definitores, vel per 4. Fratres ex antiquioribus illius Conuentus, ſiue Domus, in qua Nouitij, ſiue iuuenes erant recipiendi. Hæc concluſio conſtat ex dictis in tertia concluſione, præcedentis Articuli. Sed tamẽ aduertere libet, quod non per hoc, ſupradicti Patres Definitores; aut Fratres antiqui ad id muneris deputati, facultatem habebant ſeu habent recipiendi Nouitios, aut ipſos admittendi, ſeu incorporandi ad Ordinem, imò adhuc idipſum conuenit illis, ad quos ſpectat de iure. Nam poteſtas & facultas, illis à Clemente VIII. conceſſa, tantum ſe extendit ad videndas, examinandas, & approbandas informationes. Nouitiorum autem receptio, pertinebit ad Prælatum Generalem, ſiue particularem, de conſilio ſiue conſenſu Capituli, vt ſupradictum eſt à nobis, quæſt. 15. artic. 1. & 2. cum hac de re fecimus mentionem. Nec etiam per hoc, quod in prædicta Conſtitutione Clementis dicitur, quod prædicti Patres, ſint ex antiquioribus, intelligendum id eſt, de ætate annorum ſolummodo, imò verò intelligi debet, de antiquitate in Religione, ſeu in dignitate & præeminentia regulari, ſicque communiter fuit obſeruatum in praxi.

Qui dicantur antiquiores, ad videndas informationes nouitiorum.

Quarta Concluſio.

Quod practicatur hoc tẽpore, vtendo priuilegio S. Stephani Salmantic.

SEcundum conceſſionem, factam à Clemente VIII. Conuentui ſancti Stephani Salmanticenſis examinatio & approbatio informationum Nouitiorum, pertinet ad Priorem, ſeu Præſidentem, & ad Subpriorem, & Magiſtrum Nouitiorum, atque ſtudentium. Hæc concluſio conſtat ex præfata Bulla, in illis verbis. *Qui ad hoc deputatus, proceſſum et informationem captam, dictis Priori ſeu Præſidenti, ac Subpriori, et Magiſtro Nouitiorum, et ſtudentium fideliter referre debeat, à quibus approbari, vel reprobari poſſint.* Circa quam Conſtitutionem notandum ſupereſt, quod quamuis Clemens VIII. non ſpecialiter commiſiſſet, huiuſmodi Patribus Conuẽtus ſancti Stephani, vt deputare poſſent aliquem eiuſdem Conuentus Religioſum, qui prædictas faceret informationes, adhuc ipſi idipſum facere, & ſubdelegare poſſent, cũ eſſet nudũ miniſteriũ ſubdelegabile, & quod ſubdelegari ab eis optime potuit. iuxta id quod habetur *in Clementina vnica de officio, et poteſtate Iudicis delegati, iuncta Gloſſa*, non autem id poſſent facere, circa examen prædictarum informationũ, hoc enim prædicti patres, nullatenus alij ſeu alijs poſſent committere, quia hoc non eſt nudum miniſterum ſubdelegabile, vt habetur in loco prælegato. Et aduerto, quod eiuſmodi Frater, ad id muneris deputatus, quamuis prædictam informationem debeat facere (vt dictum eſt) abſque omni ſtrepitu, & figura iudicij, ſolummodo ſimpliciter & de plano, debet tamen illam efficere, vel coram Notario publico, ſeu alio eiuſdem Ordinis religioſo, qui officium gerat Notarij, vt fidem faciat, *iuxta capit. quoniam contra, de probationibus.* Et dico quod ſufficit, vt ſit religioſus aliquis eiuſdem Ordinis, qui officio fungatur Notarij: nam hoc verbum Notarius, abſolutè pro latum, intelligi debet, iuxta materiam de qua agitur, & cum hæc ſit materia religioſorum, non eſt neceſſum, requirere publicum aut ſecularem Notarium, qui apud ipſos hoc fungatur miniſterio, ſed ſatis ſuperque eſt, vt ad hoc munus, vnus Fratrum fidedignus eligatur, vt latius dicemus in ſecundo tomo, quando mẽtionem faciemus de prælatis, & ſuorũ munerũ & officiorum executione.

Informationes fieri debent, vel coram Notario publico, ſeu alio religioſo ad id deputato.

Tandem vltimo, vt huic Articulo vltimam imponam manum, dico quod quãuis Religiones omnes, priuilegium habentes communicationis (vt dictum eſt) frui poſſint, prædicto indulto & priuilegio ſancti Stephani Salmanticenſis, in Nouitiorum ſuorum receptione, recipiendo ipſos ſolum medio præſtito ſupradicto iuramento, & non præmiſſa ſeu expectata prius aliqua informatione, tamen quantum attinet ad examen & approbationem informationis ſupradictæ, non omnes Religiones eodem priuilegio vtũtur, ſeu vti poſſunt, cum non in omnibus Regionibus, & ſingulis Monaſterijs, ſint ſtudia aut Collegia, in quibus reperiatur Magiſter Scholaſticorum, ſeu ſtudentium, qui cũ alijs ſupradictis, videre, examinare, & approbare poſsit factas Nouitiorum informationes. Sed hoc parum aut nullum inconueniẽs eſt, quod ipſi hac in re partim vtantur prædicto indulto, ſiue priuilegio ſancti Stephani, quãtum attinet ad Nouitiorum receptionem, ſolo medio præſtito iuramento, & non alia expectata informatione: partim vero vtantur priuilegijs alijs, conceſsis vel à Sixto V. in ſua ſecunda Conſtitutione, modificati ùa prioris, ſeu in illa alia ſpecialiter conceſſa, noſtro Sacro Minorum Ordini, vel ab alijs Summis Põtificibus, locis quibus agunt de approbatione prædictarũ informationũ, dicendo & ſtatuẽdo, ad quos earũ approbatio ſeu reprobatio debeat pertinere.

Nota quod commiſsio faciendi Nouitiorũ informationes, poteſt ſubdelegari atque alijs cõmitti, nõ aũt ipſarum approbatio.

ARTICVLVS V.

De his, quæ debent adnotare & aduertere, ij ad quos ſpectat, approbare ſeu reprobare, Nouitiorum informationes?

RAmuis quod proponitur in præſenti Articulo, ſatis conſtare poſſet ex ſupradictis, in ſuis proprijs locis, vt tamen hic omnia præ manibus habeantur, libuit breuiter ac reſolutiuè dicere, quæ aduertenda & quam maxime notanda ſunt, ab ijs ad quos ſpectat approbare, vel reprobare ſupradictas Nouitiorum informationes, de quibus iuxta ſex ſuprapoſitas interrogationes, totidem ſtatuentur concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Quid ſit aduertendum, circa primam interrogationē

CIrca primam interrogationem, qua dicitur quod ad Religionem recipiendi, ſint bono genere nati, non infecti, aut maculati, neque deſcendentes ex Iudæis, Mahometanis, ſiue Hæreticis, ſaltim intra quartum gradum, & quartam generationem; Dico quod quamuis ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, huiuſmodi maculati & infecti, & à talibus quantumuis remotis deſcendentes, ad noſtrum Ordinem non ſint recipiendi, vt ibidem præcipitur, quod non recipiantur; ſed tamen quia non ibi apponitur clauſula, irritans factum contrarium, nec credo quod à partibus potuerit apponi, ſine ſpeciali auctoritate Summi Pontificis, cum ſit contra ius commune, vt dictum eſt ſupra, & dicetur amplius infra, cum agemus de ſtatutis, factis ſiue faciendis, auctoritate Apoſtolica, vel ſine illa: ideò conſulto à me prætermiſſa fuerunt verba illa, in prædictis Conſtitutionibus apposita, *quantumuis remotis*, & poſita tantum illa alia, *intra quartum gradum, ſeu intra quartam generationem*. Hoc enim iuxta Conſtitutionē Pauli Quarti, & Clementis VII. & aliorū Summorum Pontificum, de quibus ſupra, quæſt. 19. art. 6. adeò neceſſarium eſt, quod ſi recipiendi, penes hoc fuerint comprehenſi, nullo pacto debent admitti; & ſi admittantur & recipiantur, irritum & nullum erit omnino factum; & omnes eos admittentes & recipientes, ſunt ipſo facto excommunicati, prout plenius in præfata Bulla Pauli Quarti, & Clementis Septimi continetur. Neque ſpectandum eſt (vt quidam volunt) quod ſimul fuerint, eorum oſſa & corpora concremata, ſiue igni tradita, vt ibi latius diximus: nam hac de re, non fit mentio in ſupradictis noſtris generalibus Conſtitutionibus, quando fieri iubetur prædicta proteſtatio, ante profeſſionem, ſed abſolutè dicitur, quod ſiquis deinceps in noſtro Ordine, fecerit profeſſionem, qui ſit deſcendens intra quartum gradum, ſeu intra quartam generationem, à Iudæis, vel Mahometanis, vel Hæreticis damnatis, quod huiuſmodi profeſſio ſit irrita & nulla, atque adeò quotieſcunque certò conſtiterit, de veritate huius defectus, ſtatim prædictus religioſus ab ordine expellatur. Hoc eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum.

Secunda Concluſio.

Quid ſit aduertendū, circa ſecundā interrogationem.

CIrca ſecundam interrogationem, qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem ſint legitimi; etiam eſt aduertendum, quod quamuis olim ex prima Conſtitutione Sixti V. inceſtuoſi, atque ſacrilegi, ad nullam Religionem poterant admitti, niſi ad habitum Conuerſorum, ſed tamē Gregorius XIIII. alia ſua Conſtitutione, facta admodificandum Conſtitutiones Sixti Quinti conceſſit & ſtatuit, vt prædicti inceſtuoſi & ſacrilegi, recipi poſſent & admitti, ad habitum & ad Profeſſionem in Religionibus, cum illis Conditionibus & circunſtantijs, quibus tempore Sixti Quinti recipi & admitti poterant, quicumque alij illegitimi, ſpurij, ſiue naturales, & ex quouis alio minus legitimo thoro nati; hoc eſt, conſideratis Religionis zelo, pietate, integritate, & quod fide dignis teſtimonijs, adeò ſint commendati, quod bonam indolem, & ſpecimen virtutis præſeferant, & tot merita ei ſuffragentur, vt defectum Natalium ſuppleant, eorumque receptio, vniuerſæ Religionis commodo, atque vtilitati profutura videatur, prout latius diximus ſupra, quæſtione 19. artic. 3. Addidit tamen Gregorius de nouo, quod Nouitius illegitimus, religioſus eſſe non poſſet, in ea Religione qua eſſet ipſius pater, & irritauit in contrarium factū. Sed nunc profeſſio quorumcumque illegitimorum, poſt Conſtitutionem Clementis VIII. valida eſt, & redacta ad terminos iuris communis, ſaluis tamen ſemper pœnis, in prædictis Conſtitutionibus appoſitis, contra tranſgreſſores, quæ ſunt excommunicatio maior, ſummo Pontifici reſeruata, priuatio omnium actuum legitimorum & officiorum Ordinis. In quas pœnas ipſo facto incidunt, admittentes & recipientes prædictos illegitimos, ſine præfatis Conditionibus, Circunſtantijs & limitationibus, quamuis aliàs profeſſio ſit valida, vt dictum eſt. Videāt ergo illi, ad quos ſpectat approbare, ſiue reprobare huiuſmodi informationes, qualiter cum huiuſmodi illegitimis diſpenſent: & aduertant quod maior cauſa diſpēſationis requiritur, ad diſpenſandum cum inceſtuoſis & ſacrilegis, quàm ad diſpenſandum cum alijs naturalibus, ſeu ex minus legitimo thoro natis, quæ omnia ſunt valde notanda atq; memoriæ mandanda.

Quid obſeruādum eſt, nunc poſt clemētis VIII. cōſtitutionem.

Tertia Concluſio.

Quid ſit notādū, circa tertiā interrogationem.

CIrca tertiam interrogationem, qua dicitur, quod recipiendi ad ordinem, debent eſſe liberi, & non ligati matrimonij vinculo: aduertendū eſt, id eſſe intelligendum de vinculo matrimonij rati & conſummati, & non aliàs, vt latiſſimè diximus ſupra, quæſtione 17. art. 1. & quæſt. 18. art. 2. nam per ingreſſum Religionis, diſſoluitur matrimonium ratum, non conſummatum: & ſi quæ alia circa hanc rem, notāda atq; conſideranda ſunt, videantur in locis ſupracitatis.

Quarta Concluſio.

Quid ſit notādū, circa quartam interrogationem.

CIrca quartam interrogationem, qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem ſint viri probi, bonis moribus imbuti: non criminoſi, aut facinoroſi, &c. aduertantur quæ dicta ſunt, à nobis quæſtio. 19. ar. 8. & quod non ſufficit, quod teſtes dicant, quempiam eſſe bonæ indolis ſeu bonæ famæ, quietum, manſuetum, &c. ſed neceſſarium eſt, quod in ſpeciali dicant, ipſum non aliquod delictum commiſiſſe, quod ad eorum notitiam peruenerit, & quod ſi id ita eſſet, non ipſos poſſet latēre, quia nempe cum ipſo fuerunt conuerſati. Stat enim vt fuerit quiſpiam bonæ indolis, & bonæ famæ, & quod caſu quodam fortuito, aliquod commiſerit delictum quod ſit deductum in iudicium, ſeu de quo ab aliquo Iudice cæpta fuerit inquiſitio, & ille talis non etiam poteſt, aut debet ad Religionem admitti.

Quinta Concluſio.

Quid ſit notã dũ, circa quintam interrogationem.

CIrca quintam interrogationem, qua dicitur, quod recipiendus ad Ordinem non eſſe debet, debitis onuſtus, &c. videãtur quæ dicta ſunt à nobis ſupra, quæſt. 17. art. 7. latiſſimè, atque ita exacte, vt pro nunc nihil aliud dicendum occurrat,

Sexta Concluſio,

Quid ſit notã dũ, circa ſextam interrogationem.

CIrca ſextam interrogationem, qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem, non ſint ratiocinijs obligati, videantur etiam quæ dicta ſunt à nobis ſupra eadem, q. 17. art. 6. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

De modo & formã, qua formandæ & faciendæ ſunt Nouitiorum informationes.

A quibus fieri ſoleant Nouitiorum informationes, & qualiter ſint faciẽdæ.

VIlum eſſe vellem reliquum ignorantiæ locũ, in fratribus ſacræ noſtræ Religionis, neq; ipſam apud quempiam noſtrum, in re tanti ponderis ac momenti verſari. Quapropter vtile ac rationi conſentaneũ duxi, paucis hic breuiter dicere, qualiter formandæ & efficiendæ ſunt, huiuſmodi Nouitiorum informationes. Quod vt plenius notũ fiat, præmitto quod præfatæ informationes, quãdoque fiunt à Iudicibus ſecularibus, coram Notario publico, ad petitionem partis, illius nempe iuuenis, qui recipi deſiderat, & admitti ad habitum alicuius Religionis. Secundo fieri poſſunt & ſolent, ex ſpeciali commiſſione, facta alicui ex fratribus Monaſterij illius, in quo quiſpiam deſumpſit habitum, & oportet de eo informationem etiam fieri, vt valeat profeſſionem efficere. Et tãdem tertio, per requiſitorias ſeu literas, miſſas ad aliquem iudicem ſecularem, ſiue Prælatum quẽpiam alicuius Conuentus, de loco ſeu diſtrictu, vnde Nouitius aliquis, iam receptus ſiue recipiẽdus eſt naturalis. Et vt in proptu ſit, ac præ manibus habeatur, praxis & forma, qua formandæ & efficiendæ ſunt huiuſmodi Nouitiorum informationes, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

QVI ſecularis iuuenis, recipi & admitti deſiderat, ad habitum alicuius Religionis, & coram aliquo iudice ſeculari prius vult ſuam informationem efficere, per ſe ſiue per ſuum Procuratorem, coram tali Iudice comparere debet, ac dicere.

Forma petitorij, circa faciẽdam informationem, Nouitij alicuius.

Petrus, vel Ioannes. N, meo nomine, ſeu nomine alterius, N. dico quod ad me ſpectat, multumque mea intereſt, informationem præſtare iuridicam, qua conſtet, me ſeu illum, non fuiſſe homicidam aut facinoroſum, quin vero bonis moribus imbutum, nihilque obſtare quo minus deſumere queam habitum talis, aut talis Religionis. N. Dominationis veſtræ officium imploro, quatenus iuxta præſens interrogatorium, deſumere eandẽ dignetur, ſeu alicui committere Tabellioni, teſtes ibidem poſitos examinando, & quod mihi præſtetur in forma conſueta, ita vt vbique fidem faciat, nã & in eo iuſtitiã miniſtrabit, & me ſuo ſeruitio deuinciet, &c. Tũc Iudex dicit, ſe recipere oblatam petitionem, & præcipit tali, vel tali Tabellioni, vt eandem informationem deſumat, à teſtibus per eundem præſentatis, medio præſtito iuramento, ſed quod vocentur ad iurandum coram ipſo, &c. Hæc ſunt quæ communiter obſeruantur in praxi in ſeculari foro. Debentque præfati Iudices, vt ſuo rectè fungãtur munere, & officio, ſi Tabellionibus committant prædictã facere informationem, (quod propter bonum commune, ac publicum, ſatius atque vtilius foret, per ſeipſos efficere, vt ne locus daretur fraudibus) ſaltẽ præcipere, quod teſtes veniant ad iurandum, & ſe ratificandum coram ipſis. Hoc inquam ad minus, efficere debent Iudices, expeditque quam maximè vt faciant, in re tanti momenti, ne locus detur fraudibus atque mendacijs, & falſis informationibus, quæ multoties fieri ſolent, quod multum eſt notandum.

Secunda Concluſio.

Nota valde. Qualiter ſit facienda commiſſio, ad deſumendam informationem alicuius Nouitij.

SI huiuſmodi informatio, committenda eſt alicui Fratri, exiſtenti in eodem Conuentu, vbi receptus eſt, ſeu recipi deſiderat Nouitius, Prælatus Conuentus debet efficere, quandam Commiſſionem in ſequenti forma,

N. Guardianus, aut Prior, talis vel talis Conuentus, N. Reuerendo Patri. N. ſalutem. Quoniã in hoc Conuentu, eſt quidam Nouitius, aut aſſumere vult ſacræ noſtræ Religionis habitum, quidam iuuenis, oriundus ex tali, vel tali loco. N. filius. N. N. vtque id facere atque profiteri poſſit, neceſſum eſt informationem facere, de eodem iuxta ſummorum Pontificum Conſtitutiones, & noſtras Generales: quam multis occupationibus prepeditus, per me metipſum efficere non valeo, de veſtra fidelitate, vti par eſt, in Domino confidentes, præſentium tenore, eandem vobis committimus, vt noſtro nomine coram publico aliquo ſcriba ſiue Notario, aut quopiam noſtri ſacri Ordinis religioſo fide digno, prout à ſummis Põtificibus nobis eſt conceſſum illam faciatis, examinando, medio præſtito iuramento, tres aut quatuor teſtes, aut plures, ſi opus fuerit, iuxta tenorem præſentis interrogatorij, nam & in eum finem, plenariam noſtram auctoritatem vobis concedimus, qualis de iure requiritur. In cuius fidẽ, &c. Poſt quæ prædicta verba, Prælatus ſe debet ſubſcribere, & inferius apponere interrogatorium, iuxta cuius tenorem, deſumendi & examinandi ſunt teſtes, ad modum quo dictum eſt in ſecundo præcedenti Articulo, præmittendo generales interrogationes, quæ dicuntur de iure communi, nempe, cognitionem partis, teſtificantis ætatem, & quod non comprehenditur in generalibus, nam vel non eſt eiuſdem conſanguineus, aut etiam ſi ſit, non propterea dicet minus veritatem.

Tertia

Tertia Concluſio.

Forma ſeruãda, in literis requiſitorijs ad faciendam Nouitij alicuius informationem.

SI nouitius fuerit naturalis alicuius ciuitatis, ſiue loci, extra quem ſuſcepit habitum, facienda eſt eiuſdem informatio; per literas requiſitorias, tranſmiſſas & directas ad Guardianum, Priorẽm, ſiue Prælatum talis loci, quod fit in ſequenti forma.

N. Guardianus, aut Prior talis Conuentus. N. Reuerendo admodum Patri, Guardiano, ſiue Priori. N. ſalutem in Domino, &c. Quoniam in hoc noſtro Conuentu, N. noſtræ Religionis aſſumpſit habitum. N. qui & oriundum ex ea Ciuitate ſiue loco ſe eſſe dixit, filium N. & N. & vt emittere poſſit profeſſionem, de eodem neceſſum eſt conſuetam facere informationẽ, de ipſius vita, moribus, alijſque qualitatibus requiſitis, iuxta ſummorum Pontificum conſtitutiones & noſtras generales, Paternitatem veſtram obnixe rogo, & quatenus opus fuerit, pro debito ſui officij, præſentibus peto, expoſtulo atq; requiro, per ſe aut per alium, eandem vt facere dignetur, iuxta infraſcriptum interrogatorium, examinando tres, aut quatuor teſtes, medio præſtito iuramento, prout à ſummis Pontificibus nobis eſt conceſſum. Nam & in eo me ſuo ſeruitio deuinctum facient atque obligatiſſimum, & paratiſſimum inueniet, ſibi vt ſeruiam in alio ſimili caſu. Datum in noſtro Conuentu N. tali die, &c. Debetque inferius ſe ſubſcribere, & ponere prædictum interrogatorium, in cuius capite, ſequentia verba debent apponi.

Forma Interrogatorij exhibendi.

PEr has interrogationes, examinentur teſtes, præſentati in informatione, quæ deſumenda eſt, de vita & moribus, alijſque qualitatibus N. oriundi ex tali loco. N, nunc autem Nouitij in tali, vel tali Conuentu. N. & interrogationes ponẽ dę ſunt, vt ſupra in ſecundo articulo.

Quarta Concluſio.

Forma ſeruãda, in Nouitio

HIS prædicto modo conſtitutis, ille cui commiſſum fuerit, vt deſumat prædictam informationem, debet illam ſequenti modo facere. In ipſius initio debet incipere ac dicere. *rũ faciẽdis informationib⁹*

Tali die N. talis menſis, & anni, N. ego N. prædicator, ſiue confeſſor, &c talis loci, aut Guardianus vel Prior, &c. Procedẽs ad faciendã informationem, de vita & moribus, alijſque qualitatibus requiſitis in, N. Nouitio, talis vel talis Conuentus, iuxta Commiſſionem mihi traditam, à Patre N. de qua ſupra, iuramentum dedi, N. incolæ talis loci, talis, ſeu talis qualitatis. Qui quidem poſtquam in forma conſueta iurauit, ac in omnibus ſe dicturum veritatem repromiſit: interrogatus circa Generales; Circa primam dixit, &c. Circa ſecundam, dixit, &c. Circa verò alias, etiam affirmauit, quod non ipſum communes exceptiones comprehendunt, aut quod etiam ſi illius ſit conſanguineus, non propterea minus dicet veritatem.

Interrogatus autem, iuxta prædictum interrogatorium, ad primam dixit, &c. ad ſecundam dixit, &c. & ſic de alijs, eodem ordine, dicendo diſtinctè, clare atque in particulari, quod ſcit & vnde illud nouit, & ſui dicti claram reddendo rationem. Et poſtmodum, qui officio fungitur Secretarij debet dicere, eundem affirmaſſe ſupradicta omnia eſſe vera, ſub iuramento à ſe præſtito, & quod in eo ſe ratificauit, poſtquã ſibi extiterũt prælecta, quæ ab eodem fuerunt dicta. Debetque ſe ſubſcribere, & ſimiliter Secretarius aut Notarius; aut dicere, quod quia ille neſciebat ſcribere, rogauit alium, quod pro ipſo id ipſum faceret.

In omnibus informationibus, ad minus deſumẽdi ſũt duo, vel tres teſtes, qui cõcludãt, & ad interrogata reſpondeat.

Prædicto modo, formãda eſt Nouitiorũ informatio, in qua ad minus deſumendi ſunt duo, vel tres teſtes, qui concludant, & deponant de facto, & ſic facta debet præſentari ante illos, ad quos ſecundũ ſupra dicta, ſpectat eiuſmodi informationes probare, vel reprobare. Et hac informatione præmiſſa, & non aliter, recipiendi ſunt Nouitij ad profeſſionem. Hactenus de iſto articulo, & de tota hac quæſtione.

QVAESTIO XXII.

De Nouitijs, quantum ad tempus ſuæ probationis, ſiue approbationis, in decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm pro Nouitijs, præfigi debuerit aliquod probationis ſiue approbationis tempus.

Concluſio.

cõuenientiſſimum fuit,

CONuenientiſsimum fuit & quam maximẽ rationi conſonũ, vt pro Nouitijs Religionẽ aliquam profiteri volentibus, præfigeretur aliquod probationis ſiue approbationis tempus. Probatur hæc concluſio. Primo: nam contra omnem prorſus erat rationem, vt quiſpiam de nouo profitere tur vitam, quam nõdum didiciſſet, fuiſſetque aliquo modo expertus. Poſſet enim poſtea, pæniten tia ductus, reclamare ac retrocedere dicendo, deceptum ſe fuiſſe, & quod non id credebat ipſe, aut quidquam tale cogitauit. Hinc eſt quod ab Eccleſiæ naſcentis exordio, & ex quo in eadem Religiones eſſe cœperunt, ſemper fuit vſu receptum, *ẽ ratione quã maximè cõſonũ vt pro Nouitijs ante profeſſionẽ, cõſtitueretur aliquod tempus ſuæ probationis, ſiue approbationis.*

Nota circa tẽpus probationis, quid obſeruatũ ſemper in Eccleſia fuerit.

ptum, & conſuetudine poſitum, vt Nouitijs Religionem aliquam profiteri volentibus, daretur aliquod probationis tẽpus, quò eiuſdẽ Religionis difficultates & aſperitates poſſent experiri. Hoc patet ex multis decretis, & ſacris Canonibus qui habentur in iure, quibuscõſtat ad id præfixum fuiſſe, aliquando vnius anni tempus, vt habetur *in cap. Conſaldus. 17. quæſt. 2. & in cap. ad Apoſtolicam de regul.* vbi vtrobique videnda eſt Gloſſa, ibi, verbo *vnius anni*. Aliquando iubebatur dari, bienium probationis tempus, vt conſtat *ex cap. monaſterijs, 19. quæſt. 2.* Aliquando verò triennium, pro illis qui erant inſulani, & de terris & Regionibus valde longinquis, iuxta *cap. ſiquis incognitus 17. q. 2.* quibus omnibus in locis, de hac diuerſitate & differentia, à proprijs Gloſſis, congruæ adducuntur rationes. Sed Generalis ratio, præſtituti temporis huius probationis, adducitur *in dicto cap. ad Apoſtolicam de regul.* vbi Innocentius Tertius inquit, *hoc fuiſſe determinatum, atque ſtatutum à ſanctis Patribus, non ſolum in fauorem Conuerſi, ſiue Nouitij, verum etiam & in fauorem Monaſterij, atq; Religionis, vt ille iſtius aſperitates, iſthæc vero illius mores, valeret probare & experiri*, qua etiam ratione, congruentiſſimo vocabulo, hoc temporis ſpatium, probationis ſeu approbationis nuncupatur. Vtrumque enim eſt ac vere & propriè dici poteſt, appobationis quidem reſpectu monaſterij, probationis autem reſpectu Nouitij, cũ detur in fauorem vtriuſque, vt videre & experiri poſſit Nouitius, Religionis & Ordinis, quem aſſumere vult difficultates & aſperitates, Monaſterium verò vice verſa, ipſius mores & conditiones. Hãc etiam ob cauſam in omnibus bene ordinatis Religionibus, in praxi & conſuetudine eſt poſitum, vt Nouitij non quidem delicate aut blande, quin verò rigoroſe ac ſtrictè probẽtur, & vt non recipiãtur niſi in illis Conuentibus & Monaſterijs, vbi eorundem ſtrictior, & maior obſeruantia viget, vt proprijs ipſi oculis videant, quæ in poſterum ab eiſdem ſunt obſeruanda, ne poſtea pœnitentia ducti, retrocedant, ac dicere valeant, non ſe talia expertos fuiſſe, non id cognouiſſe aut quidquam tale excogitaſſe. Hac de re Caietan. 2. 2. quæſt. 189. ar. 5. & 10. ad 5. plura dicit, quæ quam maximè obſeruari oporteret, circa Nouitiorum educationem, & Monaſteria non niſi valde reformata, vbi ijdem Nouitij recipi atque educari deberent, non verò alibi: quæ cum facile referre poſſem, breuitatis gratia facio miſſa: videantur ibidem.

Annus nouitiatus, quare dicatur tẽpus probationis, ſeu approbationis.

ARTICVLVS II.

Quantum durare debet huiuſmodi probationis tempus.

Prima Concluſio.

Olim de iure antiquo, varia atque diuerſa erãt cõſtitutatẽpora ad nouitiorũ ſiue conuerſorũ probationem.

Diura reſpiciendo antiqua, varia atq; diuerſa olim erãt conſtituta tempora, ad Conuerſorum ſine nouitiorum probationem. Hæc Concluſio iam ſatis conſtat: nam vt diximus in præcedenti Articulo, aliqua inueniuntur iura, quibus dicitur, Conuerſos ſiue Nouitios ad profeſſionem nullatenus debere admitti, ante vnius anni probationem, vt habetur *in cap. Conſaldus 17. quæſt. 2. & cap. ad Apoſtolicam de reg.* & idem dicitur *in cap. ijs qui, cap. non ſolum cap. Conſtitutionem, eodem tit. lib. 6.* Alia etiam reperiuntur, quibus biennium, ad Conuerſorum & Nouitiorum probationem præfigitur, vt conſtat ex *cap. Monaſterijs, 19. quæſt. 2.* quod eſt deſumptum ex quadam Epiſtola D. Gregorij, ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum, & eſt epiſt. 23. libro. 8. Pro incognitis autẽ, & ſecundum quoſdam; etiã pro militibus, ſtatutũ erat triennij temporis ſpatium, vt habetur *in cap. ſi quis incognitus. 17. q. 3.* quod eſt decretum Papæ Bonifacij. Cuius diuerſitatis ratio, adducitur à Gloſſa *in dicto c. Conſaldus & cap. Apoſtolicam*, dicendo, quod triennium probationis tempus, dabatur pro incognitis, ad experiendum, ſerui ne eſſent, an liberi, & quærerentur à ſuis Dominis. Et idem ſecundum quoſdam, fieri debebat cum militibus, ad probandum ipſorum ſpiritum, & experiendum quo animo, quo fine, quave intentione, ad Religionem venirent. Bienium autem, dicit fuiſſe ſtatutum, pro laicis notis probandis, & pro clericis ignotis; neque id quidem, ſine magno fundamento & ratione, cum iuxta mentẽ & ſententiẽ, D. Ioann. 1 c. 4. *non facile ſit credendum omni ſpiritui, ſed probandi ſunt ſpiritus, an ex Deo ſint an non*. Sed vnius anni ſpatium inquit Gloſſa fuiſſe conceſſum, pro clericis notis, de quibus nulla eſſe poterat ſiniſtræ ſuſpicionis ratio. Quãuis tamen hoc ita eſſet, at regulariter loquendo probationis tempus, tantum durabat per annum, & quandoque minus. nam cum hoc fieret, in fauorem religionis ſimul & Conuerſi, ſiue nouitij, vt ſe mutuo experirentur, de conſenſu præfati Nouitij, & Prælati cum Conuentu, nouitiatus ſiue probationis annus, minui poterat & etiam infra annum, poterat nouitius profiteri, & profeſſio ab eo facta tenebat, vt habetur *in d. c. ad Apoſtolicam*: quamuis male facerent Prælati, ſi id fieret abſque rationabili cauſa. Eratque adeò poſitum, in nouitij & Monaſterij poteſtate, huic iuri ſuo renunciare, vt aliquando nõ expectato vnius anni probationis tempore, intra paucos menſes aliqui profiterentur. Quin verò fiebat quandoq; profeſsio, in ipſa receptione ſiue ſuſceptione habitus, vt dicit Sylueſt. *verbo religio. 3. q. 3. & religio. 5. quæſt. etiam 3.* & interdum aliqui profitebantur, habitu etiam non ſuſcepto, vt conſtat *ex capite cõſtitutiones de reg. lib. 6.* ibi (*etiam ſeculari habitu nõ mutato*) *& ex cap. Sicut nobis, & ex cap. porrectum eodem tit.* Qua de re videndus eſt Sylueſter, locis ſupracitatis, & etiam *verbo religio. 1. q. 1.* vbi & ad hoc propoſitum allegat Innocentium, *in cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes, & Bart. in Authentica ingreſſi C. de ſacroſanctis Eccleſijs*: & Panorm. *in cap. ex publico, de Conuerſione coniugatorum*. Sed tamen aduertit & bene, hæc locum non habuiſſe in Mendicantibus, de quibus diuerſa erat ratio, aliudque iudicium. de quibus ſit ſecunda Concluſio.

Ratio diuerſitatis quæ ex antiquo iure erat in nouitiorum ſeu Cõuerſorũ probatione. Probationis tempus de iure antiquo minorari poterat ex cauſa.

Secunda Concluſio.

Fratres Mendicãtes, olim non poterant

FRatres Mendicantes olim, ex Decreto Alexãdri IIII. & Bonifacij Octaui, non poterant quempiam, ad ſui Ordinis Profeſſionem recipere, niſi

quempiam infra annum recipere ad profeſſionem.

niſi poſt expletum probationis annum. Hæc concluſio, eſt expreſſe determinata, in dicto capit. *non ſolum, de reg. & tranſeuntibus ad Relig. lib. 6.* quo loco dicitur, hoc primo decreuiſſe Alexandrum Quartum, pro Fratribus dumtaxat Minoribus & Prædicatoribus, irritando contrarium factum, aut ſaltim ſtatuendo, quod ſic receptus infra annum probationis ad profeſſionem, non eſſet ligatus ipſorum Ordini, ſed tantum Religioni in communi, & ipſum recipientes eſſent ſuſpenſi, à receptione profeſſionis aliorum, & puniendi ea pœna, quæ in talibus Religionibus, pro grauioribus culpis conſueuit apponi. Sed poſtea prædictus Bonifacius Octauus, vt habetur *in capit. conſtitutionem eodem titulo*, eandem conſtitutionem, extendit ad omnes Mendicantes, de alijs vero nihil ſtatuit, ſed ſtandum eſſe dixit iuri communi, ſicque per multum temporis fuit obſeruatum, vt conſtat ex Sylueſtro locis ſupracitatis, & ex prędictis iuribus, in quorum Gloſſis aliqua notatu digniſſima ad hoc dicuntur propoſitum, quæ breuitatis gratia, omitto in præſentiarum dicere. Sit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

De iure nouo innouato per Concil. Trid. probationistẽpus, durare debet per annũ integrum.

DE iure nouo, innouato per Concil. Tridentinũ iam nunc probationis tempus, durare debet per integrum annum, & profeſſio antea facta, eſt irrita & nulla, & nullius valoris atque momenti. Hæc concluſio habetur expreſſa, in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ one 25. capit. 15.* vbi agendo de tempore profeſſionis, hæc quæ ſequuntur verba ponuntur. *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum, profeſsio non fiat, ante 16. annum expletum, neque qui minori tempore quam per annum, poſt ſuſceptum habitum, in probatione ſteterit, ad profeſsionem admittatur. Profeſsio autem antea facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicuius Regulæ vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Super quæ verba, & maxime ſuper illa, *ſit nulla nullamque inducat obligationem*, aduertunt quidam grauiſſimi Doctores moderni, quod profeſſio aliter facta, quam in prædicto decreto ſtatuitur, nullam vim habet, nec valet etiam in vim ſimplicis voti. Qua de re videndus eſt Caietan. 2. 2. quæſtione 88. articulo nono, verſu, tertio eſt notandum, vbi ad hoc propoſitum dicit, quod votum Religionis ſolemne, quod propter aliquem defectum, non valet pro ſolemni, nec etiam valet in vim voti ſimplicis, hoc ſtatuente & declarante Eccleſia, *in cap. 1. de regularibus in 6.* vbi habetur, quod profeſſus ante completum annum 14. quia profeſſio non erat valida, libere poterat redire ad ſeculum. Quod in quit, non diceret Eccleſia, ſi talis quantum erat in ipſo, remanſiſſet obligatus, ad Religionem ſiue ad continentiam ſeruandam voto ſimplici. Nota hoc valde: nam per hoc Concil. Tridentin. decretum, abrogatum fuit, priuilegium Leonis X. quod habetur in Supplement. folio 94. Conceſ. 295. quo, conceſſerat, pro Fratribus alterius Ordinis, venientibus ad noſtrum, vt profiteri poſſent ante expletum annum probationis, vt refertur etiã in Compend. *verbo, Nouitius* §. 27. Nam quamuis Pater Bobadilla in ſuo Manuali ſiue enchiridione, dicat non fuiſſe eiuſmodi priuilegium per dictum Concilium reuocatum, contrarium tamen eſt verius, atque tenendum, & ſic obſeruat hodie communis praxis. Nam nulli etiam alterius ordinis profeſſo, in ſacrum noſtrum pro nouitio admiſſo, profeſſio dãtur, niſi poſt expletum vnum integrum probationis annũ.

Nota valde, quod votum, quod non valet ſolemne, neque etiam valet, pro voto ſimplici

ARTICVLVS III.

Quandonam incipiat, huiuſmodi probationis annus, & qualiter debeat computari?

PRo huius articuli intelligentia, præmitto ex Sylueſtro, *verbo, Religio, quinto, quæſtione tertia*, quod olim probationis tempus, in puberibus incipiebat ab hora impoſitionis habitus, ſeu ab ipſa hora pubertatis, ſi antea illum aſſumpſerant. Circa quod olim, quid fieri atque obſeruari conſueuerat, dictũ fuit à nobis ſupra, quæſtione 17. articulo quinto, nempe, quod impuberes ante prædictum annum pubertatis, niſi de conſenſu & licentia, ſuorum parentum ſiue tutorum, non aliquam poterant intrare Religionem, *per capit. ad noſtram de Regul. & capit. firma, cum multis ſequentibus, 20. quæſtione prima*, neque quantum ad hoc, malitia puerorum ſupplere poterat ætatem. Incipiebat igitur olim probationis tempus, in maſculis ſaltim expleto anno 14. incipiente 15. & in fœminis expleto 12. incipiente 13. vt Maſculorum profeſſio fieri poſſet, expleto anno 15. fœminarum vero expleto 13. vt latius dicemus infra, quando agemus de eorundem profeſſione.

De his autem, qui ad habitum recipiebantur in Inſulis, quia non poterant profiteri, niſi poſt 18. annum expletum, *iuxta capit. quia in inſulis, de Regul.* inquit idem Sylueſter, loco vbi ſupra, quod incipiebat in ipſis probationis tempus, à puncto incipientis anni 18. vt poſt illum expletum profiteri poſſent, ad quod probandum adducit, *prædictum capitulum, quia in inſulis.* Sed quamuis hoc ita, in conſuetudine poſitum fuerit olim, iam nunc per Concil. Trident. (vt diximus in præcedenti articulo) omnia iſta ſunt innouata & mutata, & in nulla Religione, virorum aut mulierum, profeſſio fieri poteſt, ante 16. annum expletum, nec maius tempus requiritur, etiam ſi habitus ſuſcipiatur ad profitendum in inſulis. Quo ſuppoſito atque præmiſſo, tanquam certo & indubitato, quæritur in præſenti articulo, quonam tempore, ſeu in quo puncto, incipiat probationis tempus, an ſcilicet incipiat, tam in viris quam in mulieribus, poſt expletum annum 15. vt in 16. valeant profiteri, an vero incipiat, ſeu incipere poſſit ante. Et nec otioſa quidẽ eſt huius difficultatis reſolutio: nam quamuis ſiue hoc ſiue illud dicatur, ante 16. annum expletum profiteri non liceat, multum tamen intereſt ſcire, quando incipiat, vel adimpleatur probationis prædictum tempus, propter plures caſus & difficultates, quę ex hac re ſolent exoriri, & ſimiliter oportet noſſe quamplurimum, qualiter huiuſmodi annus debeat computari. Pro quorum omnium reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Probationis annus, incipit in die ſuſceptionis habitus, in his qui ſequuntur communem aliorum religioſorum vitam, & portant Religionis aſperitates.

PRobationis annus ſiue in pueris, ſiue in fœminis, incipit modo à die ſuſceptionis habitus, ſiue ab eo die, quo communem ſequuntur aliorum religioſorum vitam, & incipiunt experiri Religionis aſperitates. Hæc concluſio ponitur, propter eos ſiue eas, qui vel quæ poſt expletum ſuæ probationis annum, non poſſunt emittere profeſſionem, ob defectum ætatis, de quorũ numero magna Dei gratia fui ego, qui ante is annum, habitum ſacræ huius Religionis aſſumpſi. De his igitur dico, quod ſi per annum integrum (ad ſenſum infra dicendum) ſteterunt in probatione, experiendo & portando Religionis aſperitates, & poſtea aliqua iuſta de cauſſa, eorum profeſſio dilatetur, ſiue ob infirmitatem aliquam, non derelicto habitu, è Monaſterio egrediantur, in omni opinione, dum ad idem reuertuntur, profiteri poſſunt virtute ſupra dicti anni ſuæ probationis; quamuis circa alios, qui foras egrediuntur, habitumque dimittunt, diuerſæ ſint ſententię & opiniones, quia re vera iam per annum integrum ſteterunt in probatione, & à tempore ſuſceptionis habitus in eiſdem, incepit probationis annus, ſi ſimul (vt dictum eſt) cœperunt agere vitam communem, & experiri Religionis difficultates & aſperitates. Neque ex prædicto Concilio Tridentnio, colligi vllo modo poteſt contrarium: nam quamuis ibidem dicatur, *vt nemini liceat profiteri, ante 16. annum expletum, neque qui minor: tempore, quam per annum poſt ſ. ſ. ceptum habitum, in probatione ſteterit ad profeſſionem admittatur, &c.* non tamen dicitur, aut exinde poteſt colligi, quod probationis tempus ſiue annus, incipiat in 15. anno expleto, ſicut neque inde congruenter colligitur, quod non liceat alicui puero ſiue puellæ, ante huiuſmodi tempus, habitum Religionis aſſumere, vt quidam perperam dicere voluerunt, imò verò id iure optimo, ac congruentiſſime facere poſſunt, propter rationes à nobis dictas, ſup. quæſtio. 19. art, 6. qua de re videatur Nauar. lib. 3. Conſiliorum de Regularibus, Conſ. 29. & conſil. 30. agendo, an Nouitiorum profeſſio poſſit differri & dilatari. Videatur etiam Emmanuel Rodericus, tomo 3. Quæſt. Regular. quæſt. 15. art. 2. ibi, *& aduertendum quod Concil. Trident. dicit*, quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum.

Secunda Concluſio.

Nouitiorum profeſſio, expleto probationis anno ſie ri poteſt, neq; expectandus eſt alter dies.

HIuiuſmodi probationis annus, de rigore loquendo, à momento in momentum poteſt & debet computari, nec expectandus eſt alter dies, vt profeſſio poſt annum emitti poſſit. Hæc concluſio eſt certa, & quæ communiter tenetur à Doctoribus tam antiquis quã iunioribus, pro qua dico, quod circa communis anni computationem, fuit olim inter antiquos Doctores, magna lis & controuerſia, affirmantibus quibuſdam, quod annus erat computandus à momento in momentum, dicentibus vero alijs, quod expectandus erat vnus dies. Quos alij concordare volentes, aſſerebant vnum eorum habere locum in odioſis & pœnalibus, alterum vero in fauorabilibus ſiue gratioſis. Ex quo etiam alia & nec minus perplexa, exorta fuit quæſtio, an ſcilicet religionis ingreſſus, eſſet ex his aut ex illis, & inter fauorabilia an vero inter odioſa & pœnalia deberet cõputari, à quibus quæſtionibus, pro nunc conſulto abſtineo, vt breuitati ſtudeam, & quia non ſunt præſentis ſpeculationis. Vnde reſolutiue dico, quod profeſſio fieri poteſt, poſt expletum probationis annum, ipſum computando à momento ſuſceptionis habitus, in his qui ad id iam plenam habent ætatem, nec expectãdus eſt alius dies. Qua de re videatur Henriquez, ſecundo tomo, libro 13. de excommunicatione, capit. 14. numero ſecundo, & Palatios in quarto diſtinctione 28. quæſtione prima, & Emmanuel Rodericus, tomo tertio Quæſtionum Regularium, quæſtione 15. articulo quarto, vbi ad hoc propoſitum multa etiam dicunt, & plures alleganr Doctores. Nec dictis obſtat, *capit. puella, 20. quæſtione. 2.* quatenus ibidem præcipitur, quod pro puellarũ conſenſu, expectetur annus & vnus dies, intra quod tempus reclamare poſſint, & extrahi à parentibus ſiue tutoribus. Nam dico, quod eſt diſſimilis ratio & caſus, & Concil. Trident. tantum requirit, integrum probationis annum, neq; expoſtulat diem, quod ſi vellet vt vltra annum, dies vnus expectaretur, id ipſum procul dubio expreſſiſſet, ſicut expreſſum eſt *in dicto capit. puella*, quod loquitur de poteſtate patris ſiue tutoris, potentis puellam impuberem à Monaſterio reuocare, quod cum non faciat, ſtandum eſt firmiter in prædictis. In calce huius articuli, & pro maiori ſua prædictæ concluſionis intelligentia, libuit aduertere, quod in computatione prædicti anni, in anno biſſexto, duo dies pro vno debent computari, cuius ratio eſt: nam cum hæc ſit materia ciuilis & politica, politice etiam & ciuiliter, de eo loquendũ eſt, neque conſiderandum quod ſit iam expletus annus naturalis ſiue ſolaris, qui continet 365. dies & 6. horas, ſed expectandus eſt annus politicus & ciuilis, pro tali inter ciues computatus. Probationis enim annus, eſſe debet annus à Republica taxatus, atque vt talis declaratus, iuxta id quod cõmuniter ſeruatur in alijs negotijs, & commercijs humanis. Hinc eſt quod noſtris temporibus, anno 1582. quo tempore, auctoritate Summi Pont. Gregor. XIII. ab anno dempti ſunt 10. dies, hoc eſt à quinta die Octobr. vſque à 16. cum dubitatum fuiſſet apud quoſdam, vtrum in his qui ſacris Ordinibus erant initiandi, ille annus deberet integer reputari, vt dicerentur ſeu dici poſſent, habere legitimam ætatem ad id requiſitam? Reſponſum incunctanter ab omnibus fuit, præfatum annum debere integrum reputari, neque expectandos eſſe illos decem dies: nam quamuis non fuerit integer naturaliter & ſecundum curſum ſolarem, fuit tamen integer ciuiliter, ſiue politice. Idem ergo dico in propoſito de anno biſſextili, in quo quamuis videatur, quod vnus ſuperſit dies, & re vera ita ſit, quantum ad curſum ſolarem, quantum tamen attinet ad noſtrum præſens propoſitum probationis non ſupereſt, imò verò illi duo dies, pro vno debent computari, & neque ante profeſſio debet fieri, quod multum oportet memoriæ commendare.

(**)

ART.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum probationis annus, eſſe debeat continuus, an vero ſufficiat quod ſit interpolatus?

Irca materiam huius articuli, magna olim fuit lis & cõtrouerſia, inter Doctores iuris peritos, affirmantibus quibuſdam, quod ſufficit probationis annus interpolatus, aſſerentibus verò alijs, quod non ſufficiebat, imò neceſſariò eſſe debebat cõtinuus, de qua quæſtione videndus eſt Panorm. *in cap. ad Apoſtolicam, de regu.* vbi diſputatiuè tenuit ſufficere, quod annus eſſet interpolatus, & idem tenet Gloſſa *in Reg, cum qui, de reg. iur. lib. 6.* quia (inquit) ſatisfactum videtur eſſe iuri, ex quo quis ſtetit in probatione per annum, & ſi non fuerit per annum continuum. Hanc etiam opinionem, tenuerũt olim grauiſſimi Auctores, quos refert Sylueſter. *verbo, religio. 5. q. 4.* quos ego breuitatis cauſa omitto, & quia contraria ſententia eſt verior & tenenda: pro ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Probationis annus, neceſſario debet eſſe continuus. neq; ſufficit, quod ſit interpolatus.

PRobationis annus, neceſſariò eſſe debet continuus, neque ſufficit, quod ſit interpolatus. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſt. vbi ſupra: quam etiam eſſe dicit Panorm. loco ſupracitato, licet diſputatiuè & vt probabile, contrariũ antea affirmauerit: & pro hac concluſione, ſunt appoſitiſſimæ rationes. Primo, quia vt conſtat *ex dicto ca. ad Apoſtolicam de reg.* probationis annus, inſtitutus eſt ab Eccleſia, ad hoc vt nouitius experiatur Religionis rigores & aſperitates, quod maximè in continuatione cõſiſtit: nã certè qui difficulter ieiunaret 40. dies cõtinuos, facile quidẽ id poſſet efficere, ſi inter diẽ & diem ieiunij, aliquem vnũ refectionis interpolaret, dicendum eſt ergo, neceſſariò eſſe requiſitum, vt probationis annus ſit continuus, quò nouitius omnes Religionis difficultates, rigores atque aſperitates experiatur & probet, eo modo, quo continue in Religione experiri ſolent, ac poſtea experiendæ ſunt. Secundo probatur idipſum, quia dicendo prædictum Capitulum indefinite, aſperitates & auſteritates, omnes in vniuerſum comprehendit (vt dicunt omnes communiter Doctores) atque adeò conſultiſsimè ſtatutum eſt, vt nouitij per annum integrum ſint in probatione, quò experiantur omnes omnium temporũ mutationes. Hyemis propter frigus, æſtatis, propter calorem, ieiunium Aduentus, ieiunium etiam Quadrageſimæ, idemque eſt iudiciũ de alijs religioſis exercitijs. Alioquin dari poſſet caſus, quo quis exiſtens in probationis anno, neque Aduentum, neque verò Quadrageſimam ieiunaret, quod quidem rationi non fuiſſet conſentaneum. Tertio & vltimo probatur id ipſum, nam ſemper, quando iura loquuntur de annali ſpatio, vel de alio ſimili tempore, de continuo ſunt intelligenda, vt tenet Gloſſa ſuper *Rubricam. ff. de vari. tempor. præſcript.* vbi dicitur regulariter loquendo, omne tempus debere eſſe continuum. Idem dicit Ioannes Andreas *in cap. 1. de electione lib. 6.* Eandem etiam opinionem tenet Bartolus *in l. interdum, §. quoties. ff. de publi.* per illum textum, *vbi ſeruus dicitur veteranus, qui anno cõtinuo ſeruiuit.* Videatur hac de re Sylueſter, vbi ſupra, qui & ad hoc propoſitum, plura dicit eaque notatu digniſſima. Videatur etiam Nauarr. in Cõſilijs, lib. 3. de regul. conſilio 37. vbi aſſerit, hoc etiam eſſe dictum & determinatum, in ſacro foro Pœnitentiariæ, quod probationis annus eſſe debet continuus, & quod hoc eſt de iure communi.

Difficultas, An ſit aliquod priuilegium, quo dari poſsit profeſsio alicui nouitio, cum probationis anno, non continuo, ſed interpolato?

Sed de iure ſpeciali, eſt difficultas, an habeatur aliquod priuilegium, quo poſſit alicui dari profeſſio, etiam ſi ipſius probationis annus, non fuerit continuus, ſed ob aliquam rationem & cauſam interpolatus? Quidam dicunt, quod ſic, & afferunt priuilegium Iulij Secundi, de quo fit mentio in compendio noſtrorum priuilegiorum, *verbo Nouitius. §. 23.* & habetur in monumentis Ordinis 2. impreſ. fo. 127. cõc. 283. *vbi dicitur quod Iulius II. conceſſit, quod cum aliqui fratres, in Ordine Minorum annum probationis inceperint, ac deinde habitum dimiſerint, ſed poſtea ad ipſum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus, cum tempore poſterioris ſibi computari, vel non computari poſsit, iuxta diſcretionem, & determinationem ſuorum ſuperiorum.* Quod quidem priuilegium dicunt non eſſe reuocatum per Concilium Trident. *ſeſſ. 25. c. 15. de regu.* nam in eo tantũ definitur, quod probationis annus eſſe debeat integer, non tũ dicitur, q; eſſe debeat continuus. Imò verò inquiunt prædicti Doctores, quod id reliquit Concilium ſub opinione, ſicut antea erat. Conſequenter dicunt, profeſſiones factas in noſtra Religione Fratrum Minorum de Obſeruantia poſt annum probationis integrum, quamuis diſcretum & nõ cõtinuum, eſſe ſemper q; fuiſſe valid as, atque ita fuiſſe practicatum & in quibuſdam caſibus declaratum. Et loquuntur de diſcontinuatione anni probationis, quæ fit per dimiſſionem habitus, nam de iſta expreſſe loquitur præfatus Iulius II. vt conſtat ex ipſius verbis, ibidem poſitis, *ac deinde habitum dimiſerint.* Sed reuera, quãuis hoc fuerit olim grauiſsimorum virorum placitum, qui hac de re conſulti ſunt, vt dicit Emanuel Rodericus in ſuis Quæſtionibus Regul. to. 3. quæſt. 15. arti. 8. ego tamen non auderem, quicquam tale dicere aut conſulere, non tam propter decretum ſiue ſtatutum, Generalium noſtrarum Cõſtitutionum, vbi expreſſe atque ſtrictè, contrarium præcipitur: nam hoc forſan facillimam haberet ſolutionem, vt ſtatim dicemus, quam propter ſupradictum decretum Concilij Tridentin. Nam quamuis non dicatur expreſſe, quod annus eſſe debet continuus, ſed tantummodo definiatur, quod probationis tempus, durare debeat per annum integrum, implicite tamen inſinuatur, quod eſſe debeat annus cõtinuus, ad ſenſum opinionis communis, & vt annus communiter intelligitur. Iã enim ſupra diximus, quod cum iura loquuntur de annuali ſpatio ſiue tempore, intelligenda & interpretãda ſemper ſunt de continuo, non vero de interpolato. Quibus omnibus addo, quod etiam crediderim, ſupra dictum Iulij Secũdi priuilegium, eſſe reuocatum per præfatum Concilium

Difficultatis ſupra poſitæ ſolutio.

lium Tridentinum, vt constare potest *ex cap. 22. eiusdem sessionis 25.* vbi declarans, quos & qualiter sua decreta obligent, inquit: *Hæc omnia & singula, superioribus decretis contenta, obseruari sancta Synodus præcipit, in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs cuiuscumque Ordinis, Mendicantium, & non Mendicantium, vel aliorum Regularium, Monachorum, aut Canonicorum quorumcunque non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegijs, sub quibuscumque formulis verborũ conceptis, ac Mare magnum appellatis.* Qua propter verissimè credo, nõ posse vti nos Minores Fratres, nũc tẽporis tali priuilegio, nec vero aliæ Religiones, quãuis priuilegium habeant cõmunicationis. Secus est de eo, qui tempore probationis, de licentia Prælati & cum habitu, aliqua iusta causa data, extra Monasterium egreditur, & per aliquid temporis siue anni suæ probationis, in domo parentum, seu alibi foras commoratur, de quo sequens instituetur articulus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ille, qui de licentia Prælati & cum habitu, intra annum probationis, aliqua iusta de causa, extra Monasterium egreditur, ibique per aliquod tempus commoratur, annum dicatur habere continuum, & possit profiteri?

Difficultas præsentis articuli, est scitu dignissima & multũ necessaria, vtpotè quæ multoties potest euenire, & nec sua ambiguitate caret, & pro parte negatiua sunt aliquæ retiones efficacissimæ.

Primo, quia Concilium Tridentinum, vt dictũ est in præcedenti articulo, expostulat integrum probationis annum: nec videtur, quod talis sit illius, qui per aliquod temporis spatium, extra Monasterium commoratur, quamuis id fiat cum habitu, & de licentia sui Superioris siue Prælati: nã cum nec ipse, tunc probet Religionis asperitates & difficultates, nec probetur à Religiosis, vt experimentum faciant suæ conditionis, incongrue atque impropriè dici potest probationis annus.

Secundo probatur idipsum, & est confirmatio prioris rationis. Nam ad id, non verò ad quippiã aliud magis, datus fuit atque institutus prædictus probationis annus, vt constat *ex cap. ad Apostolicam de regul.* & hoc est, quod facit professionem validam, probatio scilicet, qua nouitius probat atque experitur, rigorem regulę quam habet profiteri, & viceuersa, monasterium illius mores & conditiones, an sibi conueniant: sed in proposito casu, neque nouitius probat Religionis rigorem, nec Monasterium illius mores: ergo tali deficiente probatione, quæ est causa validitatis professionis, & faciendi professionem validam, & iustificandi ipsam, professio aliter facta erit omnino nulla.

Tertio ad idem sic arguitur, nam *in cap. 1. de regul. lib. 6* expresse datur intelligi, quod probationis annus, agi debet intra Monasterium, & quod nouitius per totum annũ, in Monasterio necessariò debet commorari, ad hoc vt per vnum annum censeatur habitum detulisse, in illis verbis ibidem positis: *Si per totum sequentem annum, in Monasterio permanserit*, quæ verba sunt Innocentij Quarti: ergo si per aliquam anni partem manserit foris, dicendum erit, quod interrumpitur probationis annus, neque coniungi possunt illæ duæ partes interruptæ; quin verò necessarium erit, quod integre à principio, eiusmodi nouitius inciat probationis annum. Propter hæc argumẽta, grauissimi Doctores partem tenent negatiuam, inter quos est Ancharranus & Panorm. *in dicto ca. ad Apost. de regu.* quam dicunt esse communẽ. Eandem etiam sequuntur atque obseruare iubent, generales nostræ Constitutiones, cap. 1. vbi agendo de nouitiorum receptione, & approbatione, ponuntur, quæ sequuntur, verba: *Vt nouitij ad professionem admitti valeant, debent esse in approbatione, neq; qui minori tempore quam per annum, post susceptũ habitum in probatione steterint, ad professionem admittantur. Nam professio antea facta, est irrita & nulla, vt decernit Concilium Tridentinum. Ad cuius Concilij puriorem obseruantiam, statuimus, vt Nouitij per annum continuum in probatione permancant, ita quod si aliqua ex causa Conuentum exeant, cũ habitu, vel sine illo, nisi ratione translationis ad alium Conuentum, & postea redierint, non computetur eis tempus, quo antea in probatione steterunt, sed denuo annum probationis incipiant.* Hæc sunt expressa verba nostrarum generalium Constitutiõnum. Sed quamuis hoc ita sit, in contrarium est aliorum multorum grauissimorum Doctorum sententia & opinio, de qua sequens statuitur conclusio.

Pro hac sentẽtia & opinione nota verba illa, cum habitu, vel sine habitu.

Secunda sententia.

Conclusio.

Qui intra annum probationis, cũ habitu & licẽtia Prælati, extra Monasteriũ aliqua iusta causa egreditur, non dicitur discontinuare annũ, & professio ab eo facta tenet.

QVI de licentia sui superioris atque Prælati, aliqua iusta de causa data cum habitu intra annum probationis, extra Monasterium egreditur, quamuis ibidem per aliquod tempus commoretur, non per hoc discontinuari dicetur probationis annus; imò verò potest licite profiteri, & professio ab eo facta tenet. Hæc conclusio est expressa Doctoris Nauarro lib. 3. Consiliorum, de reg. consi. 42. in cuius fine dicit, Congregationem Cardinalium, hoc idem censuisse ac respondisse, cuidam simili præpositæ difficultati, de quodam Canonico regulari, qui per sex menses anni sui nouitiatus, intra sepra Monasterij resedit, & totũ residuum illius anni, in quadam curia cum habitu de mandato sui Prælati, ad quædam magni põderis negotia, & in fine anni professionem fecit, de quo postea dubitatum fuit, an professio facta valeret, & dicit, quod Cõgregatio Cardinalium, ad illum hanc difficultatem remisit, ac ipse dixit valere, propter rationes, quas habebat fortissimas statim dicendas, & quod congregatio Cardinalium, idem dicendum esse censuit.

Prima ratio, qua ad id dicendum, motus fuit prædictus Nauarro, est quia præfatus Nouitius, semper detulit habitum suæ Religionis, per totum vnius anni spatium, quamuis partim intra

tra Monaſterium, partim verò extra, ſemperque manſit ſub obedientia ſui Superioris, & cum eius licentia iuſta de cauſa data, & faciens ipſius præcepta & mandata; & hoc dicit ſufficere, ad implendum annum ſuæ probationis ſiue nouitiatus. Quia (inquit) nullo iure cauetur, quod Nouitius debeat ſemper manere, & continuè exiſtere per totum annum, intra Monaſterium, & vt habetur *in capite. conſuluiſti. 2. quæſtione 4.* quod Patrum ſanctionibus ſtatutum non eſt, ſuperſtitio ſa inuentione non eſt præſumendum. Hæc Nauarrus vbi ſupra.

Secunda ratio eſt, quia vt dixit Abbas (quem vocat Abbatem antiquum) *in capite. cum illorum, de ſententia excommunicationis*, relatus per Panormitanũ (quem vocat Abbatem iuniorem) *in capite. ex reſcripto. de iureiurando*, religioſus manens extra Monaſterium, ſub obedientia ſui Superioris & de ipſius licentia, reſidere dicitur intra illud. Et addit Nauarro, quod quamuis prædictus Abbas illud nõ dixiſſet nec vllus alius, ratio ipſa id ipſum videtur expoſtulare, alioquin multa ſequerẽtur inconuenientia, quæ ipſe ibidem adducit, & quidẽ magna, quæ & ego vt ad alia procedam breuitatis cauſa omitto. Ex quibus tandem concludit, quod qui de licentia ſui Prælati & ſuperioris, cum habitu extra Monaſterium manet, intra illud reſidere dicitur. Quod etiam probat, *per caput. inſinuãte, qui clerici vel vouentes, matrimonium contrahere poſſunt*, vbi inſinuatur, quod nouitiatus annus, extra Monaſterium, de licẽtia Superioris, iuſta de cauſa data, peragi & adimpleri poteſt, in illis verbis: *In domo propria, cum omni ſua ſubſtantia remanere, et in eiuſdem Ordinis habitu biennio poſt permanſit.* Alias adducit rationes Nauarro, quas dicere omitto, quia dicentur, ſatisfaciendo rationibus adductis, pro contraria opinione.

Ad primam igitur reſpondet, concedendo, ſecundum Concilium Tridentinum, eſſe neceſſarium, probationis annum integrum, & quod profeſſio aliter facta non valet, negando tamen, eum de quo in præſenti caſu loquimur, non ſtetiſſe in probatione, per annum integrum, quamuis partim fuerit intra Monaſterium, partim verò extra, poſtquam, vt ſupponitur, ſemper ſtetit ſub obedientia ſui Superioris & Prælati, & de ipſius licentia, & cum Religionis habitu, quod ſufficit propter rationes dictas, etiã ad hoc, vt dici poſſit ſtetiſſe ſemper in Monaſterio. Nam inquit nullo iure ſtatutum eſt, vt Nouitius probet, ſiue experiatur, omnes Monaſterij auſteritates in eodem, neque verò in indiuiduo ſiue in ſpecie, ſed ſufficit, vt ipſas experiatur & probet in genere, exiſtendo per totum annum ſub obedientia ſui Prælati. Etenim ſi Nouitius aliquis, ſtatim poſt ſuſceptum Religionis habitum, ægrotare inciperet, & per quatuor, ſex, aut decẽ menſes, in infirmaria intra Monaſterium, aut verò extra in aliquo Hoſpitali, æger ſub obedientia ſui Prælati maneret, in fine anni, abſque dubio, ſecundũ omnium Doctorũ mentem, profiteri valeret, etiam ſi in Hoſpitali prędicto in indiuiduo non fuerit expertus, aſperitates omnes Monaſterij, nec erit qui cõtrarium vllo modo audeat aſſerere: ergo neque id dicendum eſt, in propoſito caſu. Per hoc etiam reſpondetur ad ſecundam rationem, negando, quod in propoſito caſu, non præceſſerit ſufficiens probationis tempus, & ea quæ de iure neceſſaria eſt probatio, ad profeſſionis validitatem.

Ad tertiam ſimiliter reſpondetur, per ea quæ dicta ſunt in probatione concluſionis, nempe, quod ſatis dicitur in Monaſterio manere, imò verò intra Monaſterium, qui manet extra ipſum, ſub obedientia Prælati, & de eius licentia, iuſta de cauſa data, & cum habitu probationis, qui ferri conſueuit in tali Religione. Ad id verò quod dicitur, de noſtris Conſtitutionibus generalibus, facillimo negotio poteſt reſponderi, dicendo, illud, ſanctiſſimè quidem fuiſſe conſtitutum, ad maiorẽ obſeruantiam Concilij Tridentini prædicti, ac vetitũ proinde, contrarium omnino facere; non tamen ibi irritatur factum; quin verò, neque vt credo, à noſtris Patribus potuit irritari, cum nullum ſtatutum poſſint facere (vt ad aliud propoſitum iam diximus ſupra, dicemuſque amplius infra,) quod ſit contra ius commune. Vnde cum ius commune ſupradictum iudicet & decernat, eſſe continuum & ſufficientem probationis annum, ex hoc quod ab aliquo contrarium fiat, poterit quidem Prælatus talia faciens, à Superiori puniri, attamen profeſſio ſic facta, erit nihilominus valida, & non irrita aut nulla. Præcipiunt ergo generales noſtræ Conſtitutiones, quod Nouitij intra probationis annum, non Monaſterium egrediantur, neque cum habitu nec ſine illo, ad meliorem ſupradicti Concilij obſeruantiam, & quod aliàs tempus anteactum, non illis computetur, ſed quamuis impediant ſeu vetent, aliter profeſſionem fieri, non tamen eandem irritant, aut reuocant, quod ſolummodo Papa, aut Concilium poſſet facere, quod quidẽ eſt valde notandũ. Nec dictis obſtat, quod ſupradictæ Cõſtitutiones, ſint etiam per Papam confirmatæ & approbatæ: nam Papa vt in alio ſimili caſu dicit Nauarro, & nos etiam ſupra diximus, ſolummodo confirmat & approbat, eiuſmodi ſtatuta, quatenus iuſta & licita, & quatenus non ſunt contra ius & contra Sacros Canones. In iure autem non reperitur, quod in propoſito caſu, eiuſmodi profeſſio, non fieri poſſit, aut quod huiuſmodi annus, non dici debeat integer, & continuus; imò verò ex eo, ſatis apertè colligitur contrarium, vt dictum eſt. Alij reſpondent, ſupradictæ Conſtitutioni, dicendo quod intelligi debet, tantum de illis, qui cum habitu vel ſine illo, ſine licentia Prælati aliqua de cauſa egrediuntur Monaſterium, non autem de his, qui cum licentia Prælati & cauſa iuſta, per aliquod temporis ſpatium, foris in domo parentum ſuorum, ſeu in aliqua infirmaria, aut hoſpitali commorantur. Ij enim in probatione ſemper ſunt, & eſſe dicuntur per annum integrum, & non diſcretum ſeu interpolatum, & ſic eorum profeſſio facta valet.

Difficultas. Sed difficultas modo eſt, quinã poſſint huiuſmodi licentiã, ad exeundũ præſtare? Cui reſpõdeo, & dico, quod Miniſtri Prouinciales, quibus ſolum modo hoc ipſum, & alia ad Nouios ſpectãtia, conceſſa eſſe videntur, per ipſas ordinationes gene-

rales,cap.1.cum conſenſu Diſcretorum,ibi,*de diſpenſatione cum Nouitijs, &c.* At in ipſorum abſentia,& quando facilis ad eoſdem non habetur recurſus,vrgetque neceſſitas,crediderim idipſum poſſe facere Guardianos & alios Prælatos Conuentuales, niſi aliqua ordinatione generali,ſeu prouinciali,aut particulari mandato id ſibi fuerit interdictum, in qua etiam ſententia & opinione eſt Emmanuel Rodericus tomo tertio, Quæſtio. Regul.q.15.ar.10.

ARTICVLVS VI.

An ſit de eſſentia anni probationis, quod deferatur Regularis habitus à Nouitijs, & probentur in habitu illius Religionis, quam habent profiteri?

CIRCA præſentis articuli difficultatem, refertur particularis quædam opinio Panormitani, aſſerentis non eſſe neceſſariò requiſitum, quod in probatione portetur habitus illius Religionis, quam Nouitius intendit profiteri; imò verò ſufficit, quod Nouitius probetur, ſiue probare ipſe poſſit,regulam alicuius Religionis,in habitu proprio,hoc eſt in habitu ſeculari. Hoc tenet in *c.ſuper eo,de regula.* Et *in cap. porrectum eo. titulo* dicit, quod habitus non eſt de ſubſtantialibus, ſed de accidentalibus regulæ: nam habitus non facit Monachum: & quod Monachus profiteri poteſt, abſque eo quod ſuſcipiat habitum, licet poſtea dicat,in hoc ſtandum eſſe conſuetudini. Qua de re videndus eſt Syluester, *verbo, Religio. 1.quæſtione 1.& 5.quæſtione 5.* vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima, circa aliquas antiquas conſuetudines, faciendi & emittendi profeſſionem,ſine vlla ferè probatione, & quandoq;etiã abſq; ſuſceptione habitus.Sed hæc iam non ſunt in vſu, vnde illis non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

De eſſentia, & ſubſtantia anni probationis, eſt quod habitus regularis à Nouitijs deferatur

QVOD Regularis habitus à Nouitijs deferatur, eſt de eſſentia, atque ſubſtantia, anni probationis, & ſaltem hoc tempore profiteri nullus poterit, qui exiſtens in probatione, non ſuſceperit & per annum detulerit habitum illius Religionis,quam intendit profiteri.Hæc concluſio eſt Syluestri, *verbo Religio, 5. quæſtione 5.* quam & probat *ex gloſſa in dicto capite ſuper eo.de regu.* ibi *in eadem veſte*,vbi hac propoſita difficultate dicit, probationem debere fieri in habitu Monachali, & citat, *cap. ſtatuimus,infra eodem titulo.*alioquin (inquit) non poſſet probare auſteritatem Monachalem, quæ magna ex parte in veſtibus conſiſtit. Secundo probatur concluſio:nam contra omnem eſt prorſus rationem, atque irrationabile omnino videtur, quod probatio fiat, & non in illius Religionis habitu, quam quis intendit profiteri: nam ſi probatio neceſſaria eſt,vt experiatur Nouitius id quod habet profiteri, quonam pacto & delatio habitus,non erit neceſſaria,cum & id ipſum ſit etiam profeſſurus. Tertiò probatur ex conſuetudine,quæ (ſecundum Doctores) eſt optima legum interpres,*Iuxta legem,ſi de interpretatione,ff.de legibus*: & certè communis conſuetudo hoc habet, vt qui in alicuius Religionis probatione eſt,eiuſdẽ deferat habitum, ita quod non ſufficit, quod deferat habitum Religionis alterius, ſecundum gloſſam *in dicto capite.ſuper eo*; neque extra Monaſterium, quinimo neceſſarium eſt, vt etiam deferat ipſum in monaſterio: adeò quòd delatio extra monaſterium, nunquam induceret profeſſionem tacitam, vt dicitur *in Clement.eos. de regu.* ergo delatio habitus in probatione omnino neceſſaria eſt. Tandem quarto probatur eadem Concluſio, per Concilium Tridentinum *ſeßione 25.cap. 15.* vbi habetur, *Quòd in nulla Religione virorum aut mulierum profeſſio fiat ante 16.annum expletum, neque qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum,in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur.* Notanda ſunt verba illa, *Minori tempore,quam per annum poſt ſuſceptum habitum, in probatione ſteterit.* Ex quibus clare colligitur,delationem habitus eſſe de eſſentia atque ſubſtantia anni probationis.Quo fit,vt in noſtra ſacra minorum Fratrum Regula,pro Nouitijs determinatæ ſint veſtes:quibus probari habent:quod ſimiliter, & verum eſſe credo in omnibus Religionibus,quamuis in aliquibus,Nouitiorũ habitus non ſit patenter diſtinctus ab alijs. Vltimo addo quod *in l.3.partitarum tit.7.par.1.* expreſſe dicitur,vt qui aliquam ingreditur Religionem, eiuſdem induatur habitu, cum aliàs rectè eiuſdem aſperitates probare non poſsit,& maxima pars aſperitatis conſiſtat in veſtibus.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondeo,quòd ſi quæ ſunt capita in iure, quæ videantur dicere,aut inſinuare contrarium, & quod Nouitij probari poſſunt in veſte laicali,quale eſt,*cap. legem,diſtinctione 18.caput. multos. diſtinctione 54. & caput.ſi quis incognitus,16.quæſtione 2.* dicendum eſt, quod iam non ſunt in vſu vel quod non loquuntur de veſte laicali, propriè & in rigore ſumpta, ſed de veſte quadam Nouitiorum, qui erant in probatione poſiti.Ita tenet *gloſſa in dicto capite.ſuper eo,de regu.* quæ(inquit)veſtes,differebant ab illis,quæ dabantur profitentibus,pro quo citat, *ca. ſtatuimus, poſitum infra eodem titulo.* Videatur hac de re Syluester vbi ſupra in fine, vbi etiam dicit, quod quamuis,ex cauſa profeſſio & probatio ſaltim ſemiplena,olim fieri poterat ſine habitu (vt ipſe alibi dixerat) re tamen vera, talis profitens nunquam fuit Nouitius, nec propriè poſitus in probatione;& abſolutè aſſerit,quod hoc nullatenus fieri poteſt. Quod ſi hoc dixit ille,de eo tẽpore quo prædicta non ita ſtrictè obſeruabantur, multo minus licebit hodie poſt Concilium Triden. quippiam tale facere,

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nunc Nouitij, de Conuentus conſenſu; renuntiare poſſint probationis anno?

RATIO dubitandi circa hanc difficultatem eſt, nam vt habetur *in capite. ad Apoſtolicam, de regu.* probationis annus, à ſanctis Patribus fuit introductus, & in fauorem Monaſterij & Conuerſi, propter rationes ſuperius dictas, vnde de conſenſu partium poterat olim renunciari, & profiteri quiſpiam, ante probationis tempus regulariter præfinitum, *iuxta legem, ſi quis inconſcribendo, C. de pactis, et cap. gratum, de officio delegat.* Nam quod ob fauorem introductum eſt, in ipſius odium retorqueri non debet iuxta *c. quod ob gratiam, de regu. iuris, libro 6. & leg. quod fauore, C. de legibus.* Quod & adeò olim erat poſitum in cõſuetudine, quod Nouitij & conuerſi, multoties profitebantur, alij intra vnam hebdomadam, in aliquibus Religionibus, pro conſequendis eorum bonis temporalibus, alij verò intra vnum vel duos menſes, vt & ipſi Nouitij, ad dignitates, vel ad beneficia aliqua promouerentur, quibus ſimiles multæ olim fiebant abuſiones. Qua de cauſa non immerito, quin verò meritiſſime, nunc per Cõciliũ Tridentinũ ſublata fuerunt omnia iſta. Sed diſputationis gratia tantùm quæritur, atque in contrauerſiam adducitur, an idipſum hodie vllo pacto fieri poſſit, & Nouitij renunciare præfinito ſuæ probationis anno, & ipſo non finito profiteri, an verò id per Concilium Tridentinum ſit iam abrogatum? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Nota quod il lud, quod ob gratiam alicuius introductum eſt, in ipſius odiũ retorqueri non debet.

Concluſio.

Poſt Cõc. Tri. nullus poteſt profiteri, niſi poſt expletũ probationis ſuæ annum.

POST Concilium Tridentinum, nullus vnquam poteſt profiteri, niſi poſt expletum ſuæ probationis annum, neque huiuſmodi terminus & probationis tempus, etiam ex conſenſu partium, poteſt renunciari aut remitti. Probatur hæc concluſio. Primo, nam in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 15.* parificantur, atque æquiparantur, profeſſio facta ante 16. annum expletum, & ante expletum probationis annum, in illis verbis: *Profeſſio non fiat ante 16. annum expletum, neque qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione fleterit, ad profeſſionem admittatur.* Sed nemo audebit dicere, quod profeſſio facta de cõſenſu partium (hoc eſt, Nouitij & Monaſterij) ante 16. annum expletum, ſit valida; ergo neque in propoſito caſu, audebit dicere, quod ſit valida, ante expletum probationis annum, etiam de conſenſu partium. Conſequentia eſt legitima; nam de ſimilibus ſtmile eſt iudicium, per *leg. final. ff. de manda. et capite. licet ex quadam. de teſtibus. cum ſimilibus.* Secundò probatur idipſum; nam mens & intentio præfati Concilij, *in* loco prælegato, fuit obuiare prædictis abuſionibus, quæ olim fieri conſueuerant, in aliquibus Religionibus, admittendo Nouitios ad profeſſionem, propter diuerſos reſpectus, abſque vlla ferè probatione: ſed ſi huiuſmodi terminus etiam nunc vt olim, renuntiari poſſet ex conſenſu partium, ſupradicta verba in Concilio poſita, fruſtrarentur, & nullius eſſent prorſus valoris atque momenti: dicendum ergo eſt, quod huic probationis termino, etiam ex conſenſu partium, neutiquam nunc poteſt renuntiari. Conſequentia patet, quia mens & ratio legis, ſunt anima legis, *per caput. finale, de reg. iuris libro ſexto, et caput. Marchion. 1. quæſtione 1. et leg. non dubium, C. de legibus.* Quod & hac peculiari ratione confirmatur: nam Concilium Tridentinum, penes hoc decretum, exæquare voluit omnes in vniuerſum Religiones, Mendicantes & non Mendicantes, vt ex ipſius contextu, cuiuis facile conſtare poteſt: ſed Religiones Mendicantes iam olim, nullum ad Religionem poterant admittere, ante expletum probationis annum, etiam ex conſenſu partium, *per caput. non ſolum. et caput. conſtitutionem. de regu. in 6.* In quorum primo Alexander Quartus hoc præcepit Fratribus Prædicatoribus & Minoribus; in ſecundo verò Bonifacius Octauus idipſum extendit, atque intelligi voluit, de omnibus in vniuerſum Religionibus Mendicantibus: dicendum ergo eſt, quod Concilium hoc idem obſeruari voluit, vniuerſaliter in omnibus Religionibus. Vnde vt huic articulo finem imponam, dico, quod quamuis olim (vt dictum eſt) huic iuri, de probationis anno, ex conſenſu partium, renunciari poſſet, quia cenſebatur & exiſtimabatur, eſſe ius particulare & priuatum Nouitij, & Monaſterij, nunc tamen ex decreto præfati Concilij Tridentini, & ipſa edocente experientia, quæ eſt omnium rerum magiſtra, non cenſetur, neque exiſtimatur, bonum priuatum & particulare alicuius; imò verò vniuerſale totius Eccleſiæ, & omnium religionum, id eſſe determinatum. Quo fit, vt tali iuri communi; renunciari non poſſit, etiam ex conſenſu partium, *per caput. ſi diligenti, de foro competenti*, nam quamuis, hoc in præfato Concilio non exprimatur, aut expreſſe ſit prohibitum; colligitur tamen ex ipſius verbis, & eorum tenore, ſed maximè ex illis, *profeſſio antea facta, nulla ſit, nullamque inducat obligationem, ad alicuius Regulæ, vel Religionis, ſeu Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Vnde nec valebit in vim ſimplicis voti, prout ſupra diximus, de mente Caietani, 2. 2. quæſtione 88. articulo 9. verſiculo 3. eſt notandum. Qua de re videatur Nauarr. libro 3. conſilio titulo de regu. conſilio 33. & Emmanuel Rodericus tomo tertio Quæſtionum Regul. quæſtione 15. articulo 7.

Nota quod Iuri particulari renũtiarè poteſt, nõ autẽ communi, etiam ex conſenſu partiũ.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Nouitij intra annum probationis, libere poſsint exire, atque ad ſeculum redire?

RATIO dubitandi eſt, nam in iure reperiuntur aliqua capita, quibus dicitur, aut ſaltim inſinuari videtur, Conuerſis ſiue Nouitijs, poſt ſuſceptum alicuius Religionis habitum, non eſſe licitum exire, ſeu ad ſeculum redire, ſi euidenter apparuit, eos vitam mutare abſolutè voluiſſe. Habetur in *capite, ſtatuimus, de Regu. et capite, non ſolum eo. titulo libro ſexto, et in capite beneficium de regu. et tranſeuntibus ad Religionem eodem libro ſexto*. Sed ijs non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Licitũ eſt Nouitijs, intra annum probationis à Monaſterio exire, et ad ſeculum redire.

NOVITIIS intra annum probationis, licitum eſt è Monaſterijs exire, atque ad ſeculum redire. Hæc concluſio eſt Sylueſtri, *verbo Religio, 5. quæſtione.* 8. & Panormitani. *in capite, ſtatuimus de regu.* vbi & ponderat verba illa, *ad priorem ſtatum infra annum, libere poſſe redire.* Ex quibus etiam infert, quod idipſum facere poſſunt, ſine petita licentia ab aliquo: nam id ſonat verbum *libere*, vt habetur *in capite, licet Epiſcopis, et in capite. de multa. de præbendis.* Et dicit Syluester, quod neque tenetur ſoluere expenſas, factas ſibi à Monaſterio, quod probat *per caput. non ſolum, de regu. libro ſexto.* verbo, *aliquatenus impedire*, & dicit quod egrediendo etiam ſine licentia, non incurrunt aliquam inhabilitationem ad ordines, vel ad beneficia Eccleſiaſtica, ſiue ſecularia, iuxta *caput. poſtulaſti. de regu.* Enumerat autem idem Syluester, de mente Panormitani, vbi ſupra, quatuor exceptiones, ſiue quatuor fallentias, in quibus fallit & non tenet ſupradicta generalis regula, qua dicitur, quod Nouitij intra probationis annum, libere & licite poſſunt exire. Primus caſus eſt, ſi intra annum fecit profeſſionem. Secundus, ſi intra annum ſuſcepit habitum profeſſorum. Tertius, ſi euidenter appareat, eum abſolutè mutare vitam voluiſſe. Quartus, ſi detulit per annum habitum indiſtinctum. Sed quia de his omnibus infra, particularem facturi ſumus mentionem, & ſpeciales proponendæ ſunt à nobis difficultates, cum agemus de eorundem profeſſione, tacita vel expreſſa, ab ijs pro nunc conſultò abſtineo, vt cuncta dicatur congruentiori ordine.

(?)

ARTICVLVS IX.

Vtrum Nouitij, infra annum probationis, ordinari ſeu ad aliquas dignitates promoueri poſsint.

Huic articulo reſolutiuê reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nouitij infra annum probationis ordinari nõ poſſunt.

NOVITII infra annum probationis, ordinari non poſſunt, etiam prima tonſura. Hæc concluſio eſt Syluestri *verbo Religio, 5. quæſtione* 10. quam & probat *per caput. Monaſterijs 19. quæſtione.* 3. & etiam auctoritate Raymundi & aliorum multorum Doctorum. Nec prædictis (inquit) obſtat, verbum, *Biennium*, in eodem capite appoſitum: nam etiam poſt biennium; ſi adhuc ſunt Nouitij, ordinari non poſſunt, niſi ſimul concurrat aliquid, per quod habeantur pro profeſſis; tunc enim bene poſſent Ordines recipere, vt dicunt fere omnes Doctores communiter, quod & probat Syluester, *per caput. Gonſaldus 17. quæſtione 2. et cap. ſi quis incognitus, ead. cauſa et quæſtione.*

Secunda Concluſio.

Nouitij infra annum probationis, nõ poſſunt ad Abbatias, ſeu dignitates promoueri, bene tamen ad Epiſcopatum.

QVAMVIS huiuſmodi Nouitij, infra annum probationis, ſi eligantur ad Epiſcopatum poſſint aſcendere, non tamen ad Abbatias ſeu ad aliquas præfecturas, vel prælaturas eiuſdem Religionis. Hæc etiam concluſio eſt Syluestri, vbi ſupra quæſtione 9. quam & probat *per caput. nullus. de electione. libro. 6.* vbi tota hæc concluſio ad literam habetur expreſſe. Et ſi quæratur, cur potius ad Abbatias, ſiue alias præfecturas, quam ad Epiſcopatum prohibeantur aſcendere & promoueri? Reſpondeo & dico, id eſſe factum, quia multi olim, ambitione moti, & vt promouerentur ad Abbatias ſiue Prælaturas, ingrediebantur Religionem, & necdum profeſſi, efficiebantur Abbates, ſiue Prælati, & Religionum Magiſtri, qui nondum fuerant diſcipuli, cum magno damno, & dedecore ipſarum Religionum, ac propterea hoc illis prohibitum fuit meritiſſimè. Nec currebat eadem ratio de Epiſcopatu, vt de ſe patet. In calce huius articuli, libuit aduertere, quod Nouitius, etiam ſi ſit Canonicus, vocari non debet ad electionem Epiſcopi, vbi conſuetudo eſſet, quod fiat per electionem, quod tenet expreſſè Syluester, *verbo religio 5. quæſtione* 11. adducendo ad hoc Ioannem Andream, *in capite, beneficium. de regu. libro ſexto.* & dicit ſecus eſſe, ſi talis Nouitius eſſet patronus, & ad ipſum aliqua electio pertineret, non iure collegij, ſed iure ſingulari, tunc enim deberet vocari, quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ART.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Nouitij in aliquo casu, intra annum probationis, possint profiteri?

NAM hæc difficultas, simpliciter & absolute loquendo, superius diffinita atque decisa est, sed iterum mouetur, ad ponendum quoddam Priuilegium, Pij V. de quo sit Conclusio.

Conclusio.

Ex priuilegio Pij V. Nouitij intra annũ probationis, in articulo mortis existẽtes, possunt profiteri.

EX Priuilegio Pij Quinti P.M. Nouitij in articulo mortis existentes, ante expletum probationis annum, vt lucrentur, atque consequantur Indulgentias, possunt profiteri. Hæc conclusio, non aliter potest aut debet probari, quam adducendo præfatam Pij Quinti concessionem, cuius tenorem refert Parasellus, Generalis olim Ordinis Minimorũ, in compendio Priuilegiorum eorundem, *verbo, Nouitius*, quod præfatum Pij V. Priuilegium, specialiter fuit concessum Sanctimonialibus Ordinis Sancti Dominici, & sic incipit.

Pius Quintus ad perpetuam rei memoriam, &c. Summi Sacerdotij cura, &c. & infra. *Sanè exhibita nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum, Monialium Ordinis sancti Dominici, Fratrum Prædicatorum petitio continebat, quod quoniam aliquando accidit, vt illæ, durante tempore probationis illarum, ad emittendam professionem regularem, ante illius emissionem, ab hac vita migrant, & in dicto tempore probationis, obstantibus Constitutionibus, siue statutis, & ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam professionem emittere, carent cælesti merito, quo ex dono & benignitate Sedis Apostolicæ, cæteræ dicti Ordinis Moniales professæ, in dicta professione decedentes gaudent; quare nobis humiliter supplicare fecerunt, vt sibi in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem animarum dictarum Monialium nouitiarum, etiam ante professionis emissionem, & durante tempore probationis earundem decedentium sincero desideramus affectu, ipsasque Moniales nouitias, &c. harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Monialibus nouitijs, nunc & pro tempore existentibus, & earum singulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum professa, de alicuius medici consilio, ab hoc seculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ, professionem prædictam ante tempus requisitum, (quatenus tamen in ætate legitima constitutæ sint) ad illam emittendam in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel alterius Superioris Nouitiarum ipsius Monasterij, seu Domus; ita tamen, quod ipsæ Moniales Nouitiæ, sic decedentes, indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales vere professæ decedentes consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis, libere & licite valeant, Apostolica auctorita-*

te tenore præsentium perpetuo concedimus & indulgemus. Necnon eisdem Monialibus Nouitijs, ita tunc professis decedentibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem in forma Iubilei misericorditer in Domino eisdem auctoritate, & tenore elargimur; non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 23. Augusti 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

Circa quam concessionem, nonnulla veniunt notanda, & primo, quod eo potiuntur nouitiæ, existentes intra annum probationis, si contingat constitui in mortis articulo ante professionẽ, habentes tamen legitimam ætatem ad profitendũ, per illa verba in eadem concessione posita, *Quatenus tamẽ in ætate legitima constitutæ sint.* Nec reuocata est huiusmodi concessio, per Gregorium Decimumtertium, per suam illam Constitutionem, quæ incipit, *in tanta negotiorum mole*, qua reuocauit, quidquid concesserat Pius Quintus, super statu & regimine Monachorum & Sanctimonialiũ, contra ius & contra decreta sancti Concilij Tridentini: nam potest dici primo, quod non est reuocata quoad forum cõscientię; vel secundo, quod Gregorius Decimustertius, non loquitur de ijs gratijs & indulgentijs, & maximè concessis in mortis articulo, Monachis & Sanctimonialibus; sed tantummodo de alijs gratijs & priuilegijs, spectantibus, ad statum & regimen eorundem Monachorum, aut ipsarum Monialium.

Notãda circà dictũ priuilegium.

Primo notã, quod prædictum Priuilegium Pij V. nõ est reuocatũ per Grego. XIII.

Secundò circa eandem concessionem, aduerto, quòd virtute huius concessionis, & professionis sic factæ, Monasterium non potest succedere, in bonis Nouitiæ sic professæ, in præiudicium suorum hæredum, & aliorum venientium ab intestato: nam, vt ex ipsius verbis constat, summus Pontifex non id intendit, vt patet intuenti: sed tantummodo hoc concessit, propter solatium & consolationem spiritualem, ipsarum Monialiũ nouitiarum, ne carerent merito, siue beneficio Indulgentiarum: neque vnquam Pontifices, in suis literis & priuilegijs, derogare aut præiudicare intendunt, iuri quæsito alterius, nisi hoc expresse ibidem contineatur, & in præfata concessione nullum tale apponitur verbum. Dixi virtute illius professionis sic factæ, in articulo mortis: nam si Nouitia viuat, & postea expleto probationis anno, expressam professionẽ emittat, seu potius de nouo profiteatur, primam ratificando, aliud est iudicium, & contrarium omnino est dicendum, prout amplius dicetur in sequenti quæstione, agendo de Nouitiorum bonis temporalibus.

Secũdo notã.

Tertiò & vltimo noto, circa eandem concessionem, quod ea potiuntur, vti & potiri possunt, non solum Nouitiæ, prædicti Ordinis sancti Dominici, verum etiam Nouitij & Nouitiæ, cuiuscumque alterius Ordinis & Religionis, Priuilegium habentis communicationis: quod, credo, iam omnes communiter habere Religiones.

Tertio notã.

QVAESTIO XXIII.

De Nouitijs, quantum ad diſpoſitionem bonorum ſuorum temporalium, in decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Nouitij, cum primum ingrediuntur Religionem & ſuſcipiunt habitum, diſponere debeant, aut poſſint, de ſuis bonis temporalibus.

RAtio dubitandi eſt, nam vt legitur Matthæi cap. 19. adoleſcenti cuidam, veniéti ad Chriſtum Dominum, & eundem interroganti, quid facere deberet, quò vitam æternam conſequeretur, reſpondiſſe fertur, quod diuina ſeruaret mandata. Vlterius autē quærenti ac ſciſcitanti, quid adhuc ſibi deeſſet, poſtquam iam illa omnia, à ſua iuuētute ſeruauerat, vt perfectus eſſe poſſet, ſeu ad perfectionem aſcenderet, dixit illi: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & tunc veni, ſequere me.* Cum igitur hoc exemplo, omni procul dubio, delineatus, atque deſcriptus fuerit, religioſorum omnium ſtatus, conſequenter dicendum videtur, quod ad Religionem venientes, & ipſarum habitum expoſtulantes, cū primū & antequā ſuſcipiāt habitum, iuberi debēt, vt vadant & vendant omnia quæ habent, eaque pauperibus diſtribuant, & poſtmodū per Religionis ingreſſum, Chriſtum Dominum ſequantur. Id quod & ſpecialiter, facere iubentur Nouitij noſtri ſacri Ordinis Minorum, pro quibus in cap. 2. noſtræ regulæ, omnibus præcipitur Prælatis, vt venientibus ad ſe, & noſtræ ſacrę Religionis habitum expoſtulantibus, poſt alia dicant illis verbum ſancti Euangelij, nempe, quod *vadant, & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare*, & additur, *quod ſi id facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas.* Ex his omnibus locis colligi videtur, quod diſpoſitio bonorum temporalium, à Nouitijs cunctis ſed ſpecialiter in noſtro ſacro Minorum Ordine, fieri debeat, cum primum Religionem ingrediuntur, ſeu potius antequam ſuſcipiant habitum. Ijs tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Diſpoſitio bonorum temporalium, fieri nō poteſt nūc poſt Cōc. Trid. à Nouitijs, cum primum recipiunt habitum, ſed intra duos menſes ante profeſſionem.

DIſpoſitio bonorum temporalium, nullatenus fieri debet, aut poteſt, nunc poſt Conci. Trident. à Nouitijs, cum primum Religionem ingrediuntur, neque antequam ſuſcipiant habitum. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Concil. Trid. *ſeſſ. 25. c. 16.* vbi agendo de renuntiatione bonorū temporalium, eorum qui Religionem aliquam ingrediuntur, & an renuntiatio facta ante profeſſionem valeat, ponuntur quæ ſequuntur verba: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione; aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renūtiatione iurata fiat, ſit irrita & nullius effectus.* Hæc Concilium. Cuius mens & intentio in hoc decreto, ea procul dubio fuit, vt ſi Nouitij aliqua de cauſa, poſtea è Religionibus egrederentur, non remanerent depauperati, & egeſtate oppreſſi, inuiti ac contra ſuam ipſorum volūtatem, profiteri cogerentur. Quod Concilij decretum, quantum attinet ad diſpoſitionem bonorum temporalium, non in ſeculo ſeu ante quam Nouitij Religionem ingrederentur faciendam, multum conforme eſt communi iuri, & ijs quæ pro Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ſtatuerat atq; ordinauerat olim Alexander Quartus *in c. non ſolum, de regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem lib. 6.* quod & Bonifacius VIII. *in c. conſtitutionem eo. tit.* poſtea extendi voluit, ad omnes communiter Ordines Mendicantes, & vtrobique præcipitur, quod nullius ad Religionem venientis, in ſeculo renuntiationem factam recipiant, ſub pœnis ibidem conſtitutis. Sed quia frequentiſſimè, contra leges & ſtatuta, vtcumque legitimè facta, innumeræ excogitantur cautelæ, circa præfatum Concilij Tridentini decretum, atque Nouitiorum bonorum ſuorum temporalium diſpoſitionem, non nullæ ſeſe offerunt difficultates, de quibus in ſequentibus agendum eſt à nobis per ordinem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm valeat donatio ſeu renuntiatio bonorum temporalium, facta ab aliquo volente intrare Religionem, antequam ſuſcipiat habitum, cum pacto quod in quocumque euentu, quo prædictus ante profeßionem è Monaſterio exeat, eiuſmodi donatio non ſit valida?

AEc quęſtio difficillima eſt, & de qua magna lis eſt & cōtrouerſia inter Doctores iuris peritos, affirmātibus qui buſdā, quod valet prædicta donatio, negan-

negantibus verò alijs. Et vt ex oppoſitione falſitatis, veritas plenius eluceſcat, pro parte affirmatiua, ſic argumentor & probo, quod talis donatio valeat, & quod decretum Concilij Tridentini *ſeſſione 25. capite. 15. de regularibus*, non ſit intelligendum de ea, neque extendatur ad caſum propoſitæ difficultatis. Et primo, nam vt ex præallegato Concilio, conſtare facile poteſt, non loquitur de huiuſmodi donationibus, factis à viris, ſiue mulieribus ſecularibus, ante ingreſſum Religionis, ſed de Nouitijs, ijs aut illis, iam ingreſſis, vnde & præfata Conſtitutio ponitur ſub titulo de Regularibus. Et certè quod de eiſdem duntaxat, intendat loqui Concilium, non verò de alijs, conſtare etiam poteſt, ex illa coniunctione, *quoque*, poſita in loco præallegato, quando dicitur, *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio ante facta valeat*, &c. per quam prædictam coniunctionem, poſteriora cum prioribus coniunguntur, ex quo fit conſequens, quod in huiuſmodi decreto, non comprehendatur donatio, de qua in præſentiarum eſt ſermo; neque generaliter loquendo, omnes quæ fiunt non à Nouitijs iam Religionem ingreſſis, ſed à viris mere ſecularibus, in ſeculo exiſtentibus, ante Religionis ingreſſum. Hoc fortiſſimum reputant argumentũ, Doctores contrariæ opinionis; id quod & dixiſſe, ſeu potius declaraſſe feruntur, Illuſtriſſimi Cardinales regularis congregationis, reſpondendo ſimili cuidam ſibi propoſitæ difficultati, die 22. Octobris anno 1563. vt refert Paraſellus in ſuo compendio Priuilegiorum, *verbo, Nouitius*, circa finem.

Secundò pro eadem parte, ſic arguitur, nam iuxta *legem finalem, ff. de de manda. & cap. licet ex quadam. de teſtibus*, nihil refert, quod de æquipollentibus idem fiat, ſed æquipollentia eſſe videntur, donare intra duos menſes ante profeſſionem, cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, & donare ante ingreſſum Monaſterij, cum pacto vt non valeat donatio, in nullo caſu, quo ingreſſus à Monaſterio exierit: quia vtrobique eadem remanet libertas, exeundi ſi voluerit, quæ fuit finalis cauſa ſupradicti decreti, dicendum ergo eſt, quod præfata donatio, non comprehenditur in ſupradicto Concilij Tridentini decreto.

Tertiò & vltimo ſic argumentor ad idem: nam ſecundum iuris regulam *in cap. plus continet, de regu. iuris lib. 6.* quod plus eſt, continet in ſe illud, quod minus eſt: ſed plus prodeſt, aut ſaltem prodeſſe videtur, ingreſſuris Monaſterium, quod præfata donatio fiat, cum pacto quod non valeat, in caſu quo donans è Monaſterio egrediatur, quam quod fiat intra duos menſes ante profeſſionem, & de licentia Epiſcopi ſeu ipſius Vicarij, vt in præfato decreto habetur; quia facta poſteriori modo, in nullo caſu videtur poſſe reuocari, in alio verò ſic, quandocumque exierit: quin verò videtur, quod per ſolum exitum, iam ſit ipſo facto reuocata; ergo dicendum eſt, quod Concilium Tridentinum in prædicto ſuo decreto, non intẽdit huiuſmodi donationes cum talibus clauſulis factas reuocare, ſed alias, quæ fieri ſolebãt à Nouitijs, intra annum probationis, multo tempore ante profeſſionem. His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, pro qua ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Donationes facta a Nouitijs, antè duos menſes, ante profeſſionem ſunt nullæ.

DOnatio ſupradicta, & omnes aliæ, etiam cum ſimilibus clauſulis, factæ à viris, ſiue puellis, aut mulieribus in ſeculo exiſtentibus, ac Religionem intrare volentibus, ſunt per Concilium Tridẽtinum reuocatæ. Hanc concluſionem tenet Nauarro libro 3. conſilio de regul. conſilio 82. quam & probat, multis atque fortiſſimis ratiõnibus: & primo, *nam iuxta legem, non cluet, ff. de legatis 3. & cap. tua, de ſponſ. libro*, à propria verborum ſignificatione, & legislatoris diſpoſitione, non eſt diſcedendum ſine cauſa, & niſi valido aliquo fundamento, videatur tenendum contrarium; ſed in præallegato Concilio Tridentino, expreſſe inſinuatur quin vero dicitur, quod omnes donationes, & renuntiationes aliter factæ, quam vt ibidem exprimitur ſint inualidæ, & nullius roboris atque momenti; ergo id ipſum de ſupradicta iudicandum eſt, non verò contrarium.

Secundò ad idem ſic argumentor. Nam lex pœnalis & exorbitans, bene extenditur atque extendi debet, ad alium caſum ſimilem, ad quem ſi non extenderetur, intentio legislatoris fruſtraretur, *iuxta textum, in cap. ſi ciuitas, de ſententia excommunicationis lib. 6. & cap. 2. de vſuris eodem lib. iuncta gloſſa, verbo teſtamenta facta*: ſed ſi præfatum Concilij decretum, non extenderetur ad propoſitum caſum, & ad ſupradictas donationes, ipſius intentio fruſtraretur, remanerentque Religionem ingreſſuri depauperati, & iam præ nimia egeſtate, quodammodo compulſi, ad profitendum, velint, nolint, obligati; dicendum ergo eſt, quod intentio Concilij, etiam ad huiuſmodi donationes extenditur.

Tertiò & vltimo probatur eadem concluſio, nam actus factus contra formam ſubſtantialem à lege præſtitutam, non valet, vt dicitur *in cap. cum delicta, de reſcriptis*; imò verò nec factus præter formam ſubſtantialem, vt habetur *in cap. prudentiam, de officio delegati*. Sed donationes ſupradictæ, etiam cum illis conditionibus & limitationibus factæ, non ſolum ſunt præter formam, verum etiam & contra formam, in ſupradicto Concilio Tridentino poſitam: ergo cenſendæ ſunt irritæ & nullæ, atque inualidæ prorſus diiudicandæ & declarandæ. Quod autem forma in Concilio poſita pro ſuo intento, ſit ſubſtantialis & eſſentialis, & non leuis, neque vt talis cenſenda aut exiſtimanda, exinde patet, quia ponit clauſulam irritantem quod fieri non conſueuit, niſi vbi forma eſt ſubſtantialis, & non leuis, *arguimento legis, non dubium, C. de legibus*, ex quo ſequitur intentum, & ſupradicta omnia vera eſſe, eo vel maximè, quia argumenta in contrarium adducta, nihil obſtant, quibus & reſpondetur per ordinem.

Ad primum dico, quod quamuis Concilium, præfatum decretum ponat, *ſub titulo de regularibus*: re tamen vera, loquitur de omnibus in vniuerſum Religionem intrare volenti-

bus, cum ipſius intentio fuerit, obuiare fallacijs atque fraudibus, & quod Nouitij ſeu Religionem intrare volentes, ante profeſſionem, vel circa, intra duos menſes, non expropriarentur bonis ſuis temporalibus, neque eã ob cauſam impoſſibilitarentur, ad hoc vt poſtea ſi voluerint poſſint exire. Sed nec ratio adducta in ſecundo argumento, quidquam valet, quia non æquipollentes ſunt ſupradictæ donationes, & donatio quæ iuxta formam Concilij Tridentini fit, intra duos menſes, de licentia Epiſcopi. Nã quamuis, vt ibi dicitur, eadem vtrobique remaneat libertas, quantum attinet ad facilitatem exeundi è monaſterio; non tamen vtrobique eadem eſt libertas, quantum ſpectat ad facultatem diſponendi de bonis ſuis temporalibus. Nam ante ingreſſum Religionis, perdunt huiuſmodi Religionem intrare volentes, & tales donationes facientes, facultatem donandi alijs, quam proprijs ſuis parentibus ſiue cognatis, præ nimia parentum ſuorum importunatione, aut forſan propter timorem ipſorum reuerentialem, quod poſt ingreſſum Religionis, non ita eſt: nam in Monaſterio conſtituti, ad id ipſum manent liberiores, quin vero & ſunt iam ſapientiores, habentque plures & meliores conſultores, perſonas, ſcilicet, religioſas & ſpirituales, de quorum conſilio, de bonis ſuis poſſint diſponere, prout ſibi ſecundum Deum, melius videbitur expedire. Per quod etiam reſpondetur, ad tertium argumentum, dicendo, quod non plus valet ingreſſuris Religionem, ſupradicta donatio, facta etiam cum tali clauſula, & cum tali limitatione, vt non valeat in quocumque caſu, ſiue in quocumque euentu, quo donans exeat à Religione, quam valeret illa; quæ fieret, iuxta formã prædictam in dicto Concilio Tridentino; nam quamuis ita ſit (vt præmittitur) quod poſſit eam reuocare; imò verò ipſo facto, in eodem Religionis exitu, videatur iam eſſe quodammodo reuocata, nihilominus tamen, cum iam ille, cui facta fuit donatio, conſtitutus ſit in bonorum poſſeſſione, à qua non multum faciliter eijciuntur homines, nam iuxta commune prouerbium, turpiùs eijcitur, quam non admittitur hoſpes, multo melius eſt, & magis vtile Religionem intrare volentibus, non dediſſe, neque donaſſe, quam donare poſſe, iuxta Concilium, intra duos menſes ante profeſſionem. Videatur hac de re Nauarr. vbi ſupra & Emanuel Rodericus, in ſecundo tomo ſuarum Quæſtionum Regularium, quæſtione 47. articulo 8. & in Summa prima parte, capite 90. numero 1. & 2. parte capite 7. vbi ad propoſitum de mente eiuſdem Nauarri, & aliorum plura dicit maxima animad uerſione digna.

ARTICVLVS III.

Vtrum valeant huiuſmodi donationes, factæ ab eo qui vult intrare Religionem, ſi ſint ex illis, quæ dicuntur inter viuos, & iuramento firmatæ?

RAtio dubitandi eſt, nam huiuſmodi donationes, propriè loquendo, non poſſunt dici renuntiationes, neque obligationes, de quibus duobus expreſſe loquitur Concilium Tridentinum, loco ſupra citato, ibi, *nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta*, & certum eſt, quod facientes huiuſmodi donationes, quæ inter viuos nuncupantur, ex tunc ipſo facto, exonerantur & expropriantur talibus bonis, libere ea dimittendo, nec relinquendo quidpiam, quod renunciationis ſiue obligationis rationem habere poſſit: imo eſt libera & mera donatio, ex tunc inter ipſos facta, ex quo colligi videtur, quod valebunt tales donationes. *Conc. Tri. ſeſſio. 25. ca. 16.*

Secundò, quia non videtur, quo pacto aut iure, libertas auferri poſſit ab aliquo, faciendi de rebus & bonis ſuis, quidquid ſibi fuerit placitum, etiam ſi intrare velit Religionem; maximè cum bona ipſa ſint laicalia, ſuper quæ ſummus Pontifex, non videtur habere iuriſdictionem. Nec paruam vim argumẽtum deſumit, ſi fuerint eiuſmodi donationes iuramerto firmatæ, cum iuramentum Deo fiat, & neceſſariò debeat adimpleri, & neque etiã ipſe ſummus Pontifex, huiuſmodi obligationem tollere poſſit. Hæc ſunt, quæ hanc quæſtionem difficilem reddunt. Sed ijs non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Donationes inter viuos, factæ à Nouitijs Religionem intrare volentibus, ſunt etiã nullæ, nõ ſeruata forma Concil. Trid.

NVlla donatio etiam inter viuos, facta ab eo qui vult Religionem intrare, & hac occaſione & cauſa, eſt valida; imò verò omnes huiuſmodi donationes, factæ in fraudem præfati Concilij Tridentini, & quæ contraueniunt intentioni prædicti decreti, ſunt omnino nullæ, & nullius valoris atque momenti, etiam ſi ſint iuramento firmatæ. Hæc concluſio, eſt ſententia expreſſa Doctoris Nauarro vbi ſupra & aliorum grauiſſimorum Doctorum: cuius & ratio in promptu eſt; nam vtrobique eadem militat ratio, & vt dicitur de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Etenim mens & intentio præfati Concilij ea fuit, vt in nullo caſu atque in nullo euẽtu, nouitij, ſeu ij, qui Religionem aliquam vel lent intrare, exproprientur bonis ſuis, niſi iuxta præſcriptum & formam in prædicto decreto traditam, ne fortè poſtea depauperati, compellantur ad profitendum inuiti, quod erit contra bonũ ipſorum, imò verò & contra bonum Religionum earundem & contra voti libertatem. Vnde ad argumenta

gumenta in contrarium adducta reſpondetur.

Ad primum, quod quamuis vt argumentum & adducta ratio dubitandi prętendit, Concilium nõ expreſſe loquatur, niſi de renunciationibus & obligationibus, quæ communiter fiunt à Nouitijs ſeu volentibus Religionem intrare, implicite tamen & in reiveritate, intendit loqui, de omnibus alijs bonorum donationibus, ſeu alienationibus, quæ ſimilem rationem habeant, vtcunique nominentur & pallientur, & talis eſt præfata donatio, quæ dicitur inter viuos.

Ad ſecundum argumentum reſpõdetur, quod bene potuit Summus Pontifex & Concilium, prę fatum decretum ſtatuere, neque id fuit vim alicui inferre, ſeu adimere ab eo ſuam libertatem, imò verò ipſam conſeruare, & præcipere vt nullo modo, etiam quocumque quæſito colore, deperdatur & amittatur, Nouitijs ſeu religionem intrare volentibus. Neque his obſtat, quod bona ipſa ſint laicalia, & talis donans, donationis tempore vere laicus: nam Summus Pontifex & Eccleſia, poteſtatem habet, ſuper laicis & bonis ſuis laicalibus, in ordine ad finem ſpiritualem & ſupernaturalem, vt tenet communis Doctorum reſolutio, & tradit latiſſime Nauarr. *in capit. nouit, de iudicijs, notabili 3. num. 96.* & nos etiam tradidimus in noſtro libro *Ordinis Iudiciarij, quæſt. 2. artic. 3.* Vnde & bene potuit Concilium, irritare atque annullare, prædictas donationes, factas à Nouitijs, ſeu Religionem intrare volentibus, ante ingreſſum earũdem Religionum, in ordine ad finemquem habẽt ſpirituale, vt ſcilicet Nouitij huiuſmodi, paupertate forſan oppreſſi & coacti, non profiteantur Religionem, quam minime vouerent, ſi huiuſmodi donationes ab ipſis non fuiſſent factæ. Nec etiam obſtat, quod tales donationes fuerint iuramento firmatæ: nam quamuis lex ciuilis non poſſit annullare iuramenta, aut prohibere, ne fiat aut adimpleatur donatio iurata, prout tenet magis communis opinio, cum iuramentum Deo fiat, & per ipſum homo ei obligetur, cuius reſpectu ius ciuile, vtpote infimum, facultatem non habet diſponendi aliquid; ſecus tamen eſt de poteſtate eccleſiaſtica, ab ipſo eodem Deo, Eccleſiæ & Summo Pontifici tradita, ad eandem gubernandam, qui iuſtiſſimis motus de cauſis, ad obuiandum fraudibus, huiuſmodi bonorum alienationes, quocumque homine nũncupentur, irritas & nullas eſſe optime decernere potuit; ita quod ex eis nulla exoriretur obligatio, nec ciuilis, nec naturalis, aut diuina.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm huiuſmodi Concilij decretum, locum habeat in teſtamentis, ſeu in donationibus, quæ fiunt cauſa mortis?

PRo ratione dubitandi, faciunt argumenta, quæ in contrarium fieri poſſunt, & ſunt hæc, quæ ſequuntur.

Primo: nam verba illa poſita in Concil. Tridentin. ſeſſio. 25. cap. 16. *nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta*, etiam videntur comprehendere teſtamenta, & quamcumque donationem, etiam mortis cauſa factam: ergo idem eſt vtrobique iudicium.

Secundo, nam de contractibus ad teſtamenta, valet argumentum communiter, vt decernunt aliquæ leges, *l. fina. C. de rebus Eccleſiæ non alienandis, l. ſiquis prior. §. cæterũ. C. de ſecund. nupt. & gloſſa in l. 1. §. item ſacramenta. C. de pace iuramento firmata*: ſed per præfatum decretum Concilij Trident, prohibentur omnes contractus, renuntiationes & obligationes, quæ non fiunt iuxta formam ibidem præſcriptam; ergo & teſtamenta & donationes quæcumque, etiam mortis cauſa factæ, cenſentur prohiberi.

Tertio probatur id ipſum, *ex capit. quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* vbi hoc inſinuari videtur, & etiam in quadam, *l. partitarum, l. 17. tit. 1. part. 6. in principio*, vbi dicitur, quod Religionem ingredientes, teſtari non poſſunt. Ijs tamen non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſit concluſio.

Concluſio.

Nullo iure eſt prohibitũ, vt qui Religionem ingreditur, poſsit facere teſtamentum.

NVllo iure eſt prohibitum, vt qui Religionem ingreditur, ſeu intrare intendit, teſtari poſſit: neque Concilium prædicto ſuo decreto, irritare & annullare voluit, bonorum alienationes, quæ ex teſtamento, ſiue mortis cauſa fiunt. Probatur hæc concluſio primo: nam ante ingreſſum Religionis, libera eſt cuilibet teſtandi facultas, vt probat Panormita. *in capit. in præſentia, de probationibus, num. 49.* ex multis iuribus, *ex authentico. ſi mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſi. & in §. illud, authentico, de Monachis, & ex capit. quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* quod vel maxime verum habet, ſi per huiuſmodi teſtamenta, non fiat neque contraueniatur, menti & intentioni Concilij Trident. ſed ita eſt in propoſito caſu; nam Concilium Tridentinum (vt patẽre facile poteſt intuenti) tantum loquitur, atque intendit prohibere, illas renunciationes, obligationes, & bonorum alienationes, per quas Nouitij, ſeu Religionem intrare volentes, depauperantur, & in eum ſtatum conſtituuntur, quo poſtea inopia & egeſtate oppreſſi, profiteri coguntur inuiti: quod non contingit in teſtamentis, & donationibus mortis cauſa factis, cum ante profeſſionem & mortem, reuocari optime poſſint: ergo intentum. Et Confirmatur concluſio: nam dictio illa excluſiua, *nulla quoque renunciatio, &c.* ſicut excludit extranea termino, cui apponitur, ita includit, atq; cõprehendit, quæ illi contraria non ſunt; ſed donatio quæ fit per teſtamentum, ſiue mortis cauſa, non eſt contraria, menti & intentioni præfati Concilij: ergo tales donationes, per ipſum non excluduntur. Sed aduerto, hoc eſſe verum & intelligendum, ea lege & pacto, vt in præfato teſtamento, ſeu donatione mortis cauſa facta, non fiat generalis donatio, aut renunciatio bonorum omnium. Tunc enim atque in tali caſu, iam non videtur licitum eſſe, talia condere teſtamenta: nam huiuſmodi donationes mortis cauſa facere, præſumeretur idque merito, factas eſſe in fraudem præfati decreti Concilij Tridentini, & eſſe quaſdam renunciationes, ſeu donationes pallia-

tas nomine teſtamenti, quod eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum.

Ad rationes & argumenta in contrarium addu cta, reſpondetur. Ad primum, quod Concilium in illis verbis, non intendit annullare & irritare teſ tamenta, ſeu donationes mortis cauſa factas: nam ſolummodo loquitur, de renũciationibus & obligationibus & ſimilibus: at obligationis verbum, nullo modo poteſt aptari ad teſtamentum, ſeu ad prædictas donationes mortis cauſa factas, cum ex eis nulla naſcatur obligatio, & *l. 20. ff. de verborum ſignificatione*, expreſſe habeatur, quod verba contractionis ſeu obligationis, nullo modo pertinẽt ad teſtamentum, ſiue ad huiuſmodi donationes cauſa mortis factas.

Ad ſecundum reſpondetur, quod quamuis verum ſit, quod interdum de contractibus ad teſtamentum, valeat argumentum, quando in omnibus eadem militat ratio, non tamen, cum ratio eſt omnino diuerſa, vt contingit in propoſito caſu, vbi (vt diximus) teſtamentum libere poteſt reuocari ante profeſſionem, quæ eſt quædam mors ciuilis, ſeu ante mortem ipſam naturalem, vt enim ad Hebr. 7. inquit Diuus Paulus. *Teſtamentum tantum in mortuis confirmatum eſt, nec valet dum viuit qui teſtatus eſt.* Neque eſt eadem ratio, de illis donatio nibus, quas poſuimus in ſecundo & tertio articulo, nam illæ irreuocabiles ſunt, cum inter viuos fuerint factæ, etiam quacumque appoſita conditione ſiue limitatione, ex qua irreuocabilitate cõtingere & prouenire poſſet, vt dictum eſt, quod Religionem intrare volentes, profiteri cogantur inuiti, videntes ſe omnino eſſe bonis ſuis temporalibus deſtitutos, quod in noſtro caſu non contingit, cum libere atque faciliter, teſtamentum factum & donationes cauſa mortis factas, reuocare poſſint. Et certe ſi Concilium, annullare & irritare vellet, huiuſmodi teſtamenta & donationes, id ipſum expreſſiſſet, & minime ſubticuiſſet, cum ſciret magnam in iure eſſe differentiam, inter renunciationem & obligationem, & teſtamenta & donationes prædictas, cauſa mortis factas.

Ad tertium & vltimum, Reſpondetur dicendo, quod in illo capitulo, & illa partitarum lege, non fit ſermo de religioſis, ſeu Religionem intrare volẽtibus, ante profeſſionem, ſed poſt profeſſionem factam, in quo quidem caſu, verum eſt quod teſtari non poſſunt, vt latius dicemus infra articulo octauo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm habens beneficium Eccleſiaſticum, & maxime illud, cuius titulo ſuſcepit Ordines, ante receptionem habitus, renunciare illud poſsit?

Concluſio.

Renuntiatio beneficij Eccleſiaſtici, ante ſuſceptionem habitus, eſt inualida & nulla.

RENunciatio beneficij Eccleſiaſtici, cuius titulo quiſpiam eſt ordinatus, facta ante ſuſceptionem habitus, eſt omnino inualida, & per ſupradictum Concilium reuocata. Et idem dico de renuntiatione patrimonij, cuius titulo quiſpiam ordinatus eſt, niſi ſimul habeat alia bona, de quibus è Religione egreſſus, ſe ſuſtentare & viuere poſſit. Hæc concluſio fundatur in ſupradictis, quia eadem omnino eſt vtrobique ratio, quod eſt verum, niſi beneficij renuntiatio, fiat intra duos menſes ante profeſſionem, & cum ſolemnitate requiſita, poſita in Concilio Tridentino, loco vbi ſupra *ſeſſion. 25. capite. 16. de regul.* & præter omnia ſupradicta, certe videtur, quod huiuſmodi beneficij Eccleſiaſtici renuntiatio, ad cuius titulum quiſpiam ordinatus eſt, quadam ratione redoleat ſimoniam, ſeu potius quod vere ſit ſimoniaca, maxime ſi fiat cũ pacto, expreſſo aut tacito, quod in quocunque euentu, quo renuntians non profiteatur, aut Religionem egrediatur, ille in cuius fauorem fuit facta, reddet ei iterum præfatum beneficium, quæ omnia procul dubio ſimoniaca ſunt. Videatur hac de re Emmanuel Roderic. 1. tom. Quæſtionum Regularium, quæſt. 37. artic. 2. & in ſumma. 2. *part. capit. 7. num. 2. & 3.* Et hæc breuiter de iſto articulo dixiſſe ſufficiat.

nem habitus, eſt inualida & nulla.

ARTICVLVS VI.

Quænam ſolemnitates, ſint neceſſario requiſitæ, in renuntiationibus ſeu obligationibus, iuxta formam a Cõcilio Tridentino præſcriptam?

VT plenius huius difficultati reſpondeamus, præmittere oportet, atque ad literam referre præfatum Decretum Concilij Tridentini *ſeſſion. 25. capit. 16.* cuius hæc, quę ſequuntur, ſunt formalia atque expreſſa verba. *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta* (& loquitur de profeſſione) *etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur ſuum effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione. Aliter vero facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione, etiam iurata, ſit irrita & nullius effectus, &c.* Quo præmiſſo Decreto, ex ipſo ſequentes eliciuntur concluſiones.

Prima Concluſio.

Prima conditio, in renunciationibus, pro Nouitijs requiſita eſt, vt fiat intra duos menſes proximos, ante profeſsionem, & non antea.

QVod primo requiritur, in eiuſmodi renunciationibus ſeu obligationibus, eſt vt fiant intra duos menſes, proximos ante profeſſionem, & non antea. Per hoc irritantur & annullantur, omnes illæ donationes, de quibus ſupra dictum eſt, artic. 2. & 3. cum in eiſdem contraueniatur menti & intentioni Concilij Tridentini. Non autem teſtamenta aut donationes, factæ cauſa mortis, de quibus diximus in artic. 4. cum de illis ſit diſparatio. Et præterea prohibetur renunciatio beneficij, cuius titulo quiſpiam eſt ordinatus, niſi habeat ſufficiens patrimonium, vnde renuncians viuere & ſuſtentari poſſit. Renunciatio etiam beneficij, cuius titulo non eſt ordinatus, niſi fiat intra duos

duos menses, & cum omni solemnitate requisita, vt dictum est in præcedenti articulo.

Secunda Conclusio.

Secunda conditio est, vt tales renunciationes fiant, de licētia Episcopi, siue eius Vicarij.

SEcunda solemnitas, in præfatis renunciationibus & obligationibus requisita, est vt fiāt cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij. Quod quidem statutum est à Concilio, vt non locus detur fraudibus, quarum cum præsentia iudicis cessat omnis suspicio, iuxta *l. vltim. ff. de eo, quod metus causa.* Estq; meo quidē iudicio, necessaria præfata licentia Episcopi, seu ipsius Vicarij, in omnibus & quibuscumque Monasterijs, subiectis eisdem Episcopis, & etiam in exemptis (quidquid alij dicant) quotiescumque à Nouitijs sunt faciendæ, huiusmodi renūciationes seu obligationes, adeo quod sine hac solemnitate sunt inualidæ, & omnino nullæ, etiam si sint iuratæ, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, & cum expressa renunciatione iurata præfati fauoris, cui renuntiari non potest. Sed aduerto, quod quamuis hoc ex præfato Decreto, sit necessarium & requisitum, in renunciationibus & obligationibus, non tamen in testamentis seu donationibus, quæ ab eisdem Nouitijs fiunt causa mortis, intra prædictos duos menses vel aliter, quia in ipsis non currit eadem ratio, propter rationes & causas suprapositas in articulo quarto.

Tertia Conclusio.

Tertia conditio est, quod huiusmodi renunciationes, non fortiantur effectum, nisi sequuta professione.

TErtia solemnitas requisita est, quod huiusmodi renunciationes & obligationes, secuta professione, & non alias, suum sortiri intelligantur effectum. Vnde si quacumque ratione, professio nō subsequatur, aut subsequuta propter aliquam causam, nulla & irrita declaretur, professione nulla existente, etiam omnes prædictæ renunciationes & obligationes, sunt nullæ & inualidæ, per prædictum Decretum, quacumque solemnitate sint factæ atque firmatæ. Hinc fit, vt qui ante legitimam ætatem sexdecim annorum, facta bonorū suorum renunciatione, emisit professionem, si intra quinquennium reclamet (quod tempus ab eodem Concilio præfixum est, vt reclamare possit, vt suo loco dicemus) & propter hāc seu propter aliam quandam similem rationem, ipsius professio declaretur nulla, eo ipso etiam declaratur, ac declarari debet nulla, quæcumque renunciatio ab eo facta. Quod si forsan è contrario, postquam reclamauit, professio dicatur esse valida, consequenter & validitatem, atque firmitatem habebit, renunciatio prædicta, de quo communis est omnū Doctorum resolutio. Nam finis & intentio præfati Concilij, est prouidere libertati professitentium, & quod inopia siue egestate oppressi, non compellantur profiteri, inuiti atque coacti. Quando igitur Concilium dicit, quod sequuta professione & non aliàs, huiusmodi renunciationes & obligationes, suum habere intelligantur effectum, intelligendum est, de professione valida, non autem de professione inualida, argumento deducto *ex capit. Religioso, de sententia excommunicationis.* In calce huius articuli aduertere libuit, quod prædictum Decretum intelligendum est, de renunciationibus & obligationibus, quæ fiunt à quibuscumque Nouitijs, seu religionem intrare volentibus, maioribus siue minoribus 16. annorum, sine solemnitate hic apposita: nam inter ipsos penes hoc, nulla est differentiæ ratio, cum vtrobique eadem militet prorsus, vt contra Menochium aduertit Ioannes Gutierrez lib. 2. qq. Canonicarum cap. 1. num. 44.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm licitum sit Nouitijs siue Conuersis, Religionem intrare volentibus, dare, vel religiosis ipsis recipere, aliquid pro ingressu Monasterij?

HAEC difficultas mouetur à Gratiano in Decreto, prima causa quæstione secunda, per totam, sub ijs verbis, *an pro ingressu Monasterij, pecunia sit exigenda, vel exacta persoluenda?* Quam, & maioris claritatis gratia, hinc inde difficultat, siue exagitat, & testimonijs vtriusque testamenti, probare contendit, vtrumque licite fieri. De cuius doctrina, & aliorum etiam resolutione, breuiter nos in præsentiarum dicemus, saltim ea, quæ ad nostrum præsens propositum, cognitione necessaria visa fuerint. Et quidem quod pro ingressu Monasterij, aliquid iustum sit dare, vel recipere, exinde patet, nam 1. Regum. 1. legitur de Anna Samuelis matre, *quod postquam ablactauerat filium, attulit ipsum ad Heli Sacerdotem, in tribus vitulis & tribus modijs farinæ, & amphora vini, & sic adduxit illum in domum Domini, in Silo.* Verba sunt expressa nec tamē propterea à Domino legitur fuisse reprehensa, quin vero laudata: Heli etiam reprehensus non est, pro eo quod recepit huiusmodi dona & munera, pro paruulo in templum recipiendo: licitum ergo erit, etiam hoc tempore idipsum facere.

Secundo probatur, ex eo quod habetur, in Actibus Apost. cap. 4. vbi dicitur, quod *multitudinis credentium, erat cor vnum & anima vna, neque aliquid eorum quæ possidebant, quispiam proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia, et singuli vendebant prædia sua, et ponebant pretia eorum ante pedes Apostolorum.* Et additur, quod cum ipsorum vnus, Ananias nomine, partem sibi agri cuiusdam venditi reseruasset, cum vxore sua Saphira, sententia maledictionis accepta, ante pedes Apostoli Petri cecidit mortuus, vt habetur in eisdem Actibus cap. 5. licitū ergo erit, hoc tempore facere id ipsum. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ affert Gratianus pro parte affirmatiua disputationis gratia, & ad veritatem indagandam: sed nihilominus in contrarium est veritas, de qua sit prima Conclusio.

Prima Conclusio.

Pro ingressu Monasterij, hoc est pro habitu siue professione, non

PRo ingressu Monasterij, siue pro habitu aut professione, neutiquam licitum est, aliquid tanquam pretium, offerre, exigere vel recipere. Hæc conclusio est omnium Doctorum communis, quā & probat prædictus Gratianus, ex multis iuribus,

sed

est licitũ, aliquid tãquam pretium offerre, exigere vel recipere.

sed maxime *ex capit. quam pio, capit. nullus Abbas. 1. q. 2.* & probari etiam potest, *ex capit. cum in Ecclesiæ, capit. veniens, c. quoniam simoniaca, de simonia, et per cap. eos qui. 1. q. 1. et c. si quis præbendas. 2. q. 3.* vbi ad hoc propositum, multa notatu digna dicuntur, & sunt ad id in iure, innumera capitula, quæ longum esset nimis, in præsentiarum velle recensere. Videatur hac de re D. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 3. ad vltimum, & Syluester *verbo. simonia. quæst. 15.* & Soto lib. 9. de iustitia & iure quæst. 6. artic. 2. ad quartum, & Nauarr. de redditibus Ecclesiasticis, quæst. 1. monitione 62. & in Manuali, capit. 27. num. 106. Et ratio conclusionis est potissima, nam Religio & Religionis professio, est quid spirituale, & donum quoddam desuper acceptum, sed dona spiritualia, emi aut vendi, omni iure est prohibitum, quia gratis sunt conferenda, iuxta præscriptum Christi Domini Matth. 10. *quod gratis accepistis gratis date*: ergo pro Religionis ingressu, tanquam pretium, nihil omnino offerri, dari, aut recipi potest. Ad quod propositum quam maxime facit, illud quod habetur, *in capit. eos qui. 1. quæst. 1.* de quo supra, vbi simoniaci, Hæretici vocantur, & ipsorum hæresis, dicitur cæteris esse damnabilior, & quod tolerabilior esset hæresis Macedonij & aliorum, quam simoniacorum. *Nam* (inquit textus) *Macedonij, si Spiritum sanctum, creaturam et seruum Patris et filij delirando esse dicebant, simoniaci peius multo, eũdem spiritum efficiunt seruum suum, et vt quippiam tale illum esse arbitrantur, si quidem tanquam seruum et tanquam mancipium, quandoque emunt, quandoque vendũt. Nam certum est, quod Dominus, illud quod tanquam suum habet, si vult vendit, et qui emit volens esse illius Dominus, per pecuniæ pretium aliquid emit.* Verba sunt expressa prædicti Capituli, & quidem ad nostrum propositum notatu dignissima. Sed quamuis omnia superius dicta vera sint, statuitur nihilominus secunda Conclusio.

Nota hoc val de contra simoniacos.

Secunda Conclusio.

Licitum est, pro ingressu Monasterij, aliquid non tanquam pretium, sed do no et gratiose recipere, nullo præcedẽte pacto.

PRo ingressu Monasterij, siue pro habitu, siue pro professione, licitum est aliquid dare, exigere, vel recipere, non tanquam pretium, sed tanquam eleemosyna gratis data & exhibita, nullo præcedente pacto, expresso vel tacito. Hæc conclusio, constat ex multis iuribus, & ex omnibus supra allegatis, quæ sic explicantur & exponuntur ab eorundem Glosis, estque expressa sententia Diui Thomæ, Syluestri ac Magistri Soto, & Nauarr. locis supradictis, & peculiariter tenet eam prædictus Nauar. in Commẽtario, de datis & pro missis, pro iustitia & gratia obtinendis, nume. 31. ibi, *sed his non obstantibus*, & D. Thom. vbi supra expresse dicit, quod vbi Monasteriũ est adeo tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, licet gratis quidem, ante ingressum Monasterij, exigere, exhibere, & simul accipere, aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, maxime si ad id non sufficiant ipsius Monasterij opes. Et addit, quod etiam licitum est, facilius in Monasterium aliquem recipere, pro eo, quod largas eleemosynas erogando & faciendo, suam deuotionem erga idem Monasterium ostendit, quam alium, qui non id ipsum faciat: nec hoc esse dicit simoniacum, dummodo ex pacto, pro ingressu Monasterij, nihil omnino detur aut recipiatur, pro quo citat *capit. quam pio, supra allegatum, positum 1. quæst. 2.* Et Soto vbi supra generaliter dicit, quod pro victu atque vestitu, aliquid recipere, nulla prorsus est simonia: ad quod probandum, adducit exemplum de matrimonio, nam licet pro matrimonio (qua ratione sacramentum est) nihil omnino possit vir ab vxore recipere, potest tamẽ pro ipsius sustentatione, victu & vestitu, & ad sustentanda matrimonij onera. Ex quo etiam infert, neque etiam esse simoniacum, si inter Moniales illa libentius recipiatur, quæ non ex pacto nec tanquam pretiũ, sed ex sua deuotione, maiores eleemosynas Monasterio fuerit elargita. Sed de hoc aliàs in tractatu de monialibus.

Nota hoc vel de pro vitandis scrupulis

Tertia Conclusio.

Non est licitũ religiosis, minis siue promissionibus, Nouitios ad aliquid sibi dandum inducere.

QVamuis vera sint omnia, quæ in præcedenti Conclusione sunt dicta, non tamen est licitum religiosis, Nouitios seu Religionem intrare volentes, aut professionem emittere, blanditijs, minis, siue importunis precibus, inducere ad hoc vt bona sua temporalia, ipsis donent, siue testamẽto relinquant. Hæc conclusio, est non minus certa, quam præcedentes, & communis omnium Doctorum resolutio, super *capit. sane, de simonia*, & talia facere, in iure quidem odiosissimum est, prout habetur in multis Capitulis, sed maxime *in dicto capit. sane, et in capit. cum detestabile, de simonia*, inter communes, circa quod postea exijt quædam Gregorij XI. decretalis extrauagans, quæ incipit *Tenorem*, vbi ad hoc propositum, dicuntur plura eaque notatu dignissima. Aduerto etiam, quod nobis Fratribus Minoribus, specialiter ex nostra Regula est prohibitum, non id solum, verum etiam, & habere solicitudinem, de bonis temporalibus Nouitiorum, aut quippiam facere, quo ipsorum voluntas impediatur, quominus de ipsis libere possint facere, quidquid Dominus inspirauerit eis, vt habetur in 2. capit. nostrę Regulę. Qualiter autẽ id veniat intelligendum in expositione eiusdem Regulæ latissime diximus. Ad argumenta proposita in initio huius articuli, Respondetur, cum eodem Gratiano, ad primum, quod aliud est sua sponte & voluntate, quempiam Monasterio aliquid offerre, quod licet, vt habetur expresse, *in capit. si qua mulier 19. quæst. 3.* aliud vero id tãquam pretium exigere. Ad propositam autem auctoritatem, ex primo libro Regum, dicit Gratianus, quod Anna Samuelis mater, non coacta neque cõpulsa aut etiam petita sed sua sponte & voluntate, præfata munera Heli sacerdoti obtulit, quod & ipsam facere, eundemque recipere, licitũ fuit, & modo etiam licet, sed non tanquam pretium, inuitè atque coactè, prout in suprapositis Conclusionibus est dictum.

Nota pro nobis Minorib⁹ Fratribus.

Ad secundum respondetur similiter, quod credentes olim, sua sponte offerebant Apostolis, illa munera, vt indigentium necessitatibus deseruirent, vendebantque prædia, quia instante persecutione infidelium, non permittebatur, aut licebat eis illa possidere. Et talia recipere, licitum fuit, vt ex se patet: Ananias autem non ideo damnatus

natus fuit, quia ſua nollet offerre, ſed quia fuit proprietarius, & cũ vt ipſe volebat oſtendere, gratuitò ad pedes Apoſtolorum ea attuliſſet, defraudauit de pretio agri, & mentitus eſt Spiritui ſancto, vt ibidem dicitur. Ex hoc autem non licet inferre, quod ab ingredientibus Monaſteria, licitum ſit tanquam pretium aliquid exigere, bene tamẽ ſponte & gratuitò oblata recipere, & maxime ob cauſas, & rationes poſitas in ſecunda Concluſione.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Religionem ingreſſus, poſsit facere teſtamentum, & an teneatur aliquid donare Monaſterio?

Difficultas præſentis articuli latiſsima eſt, & circa quam variæ ac pene innumeræ verſantur difficultates, de quibus inter Doctores iuris peritos, magna eſt lis & controuerſia. Nã præſuppoſito (vt dictum eſt) quod volens Religionem intrare, poſsit facere teſtamentum, difficultas ſeſe offert, an in ipſo teneatur neceſſario Monaſterio aliquid donare, maxime ſi cogitabat de Religionis ingreſſu, & an aliàs teſtamentum ſit nullum, ſeu annullandum & rũpendum? Item ſi non fecit teſtamentum ante ingreſſum Religionis, an poſsit poſtea illud facere, hæc eſt ſecunda difficultas. Præterea, qualiter huiuſmodi teſtamentum ſit condendum, ſi religionem ingreſſus filios habet, & hæredes legitimos, & etiam in caſu quo ipſos non habet, & quid iuris ſi moriatur in Monaſterio, antequã profiteatur? Aliæ etiam innumeræ, hac de re ſeſe offerunt difficultates, pro quibus explicandis atque elucidandis, iuriſperiti Codices & membranas adimplent, variaſque adducunt diuerſorum Doctorum opiniones & ſententias, quas longum eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere. Quod conſultò, omitto facere, cum nõ ſit mei muneris, atque propoſiti: & ad propoſitam difficultatem breuiter, & reſolutiue reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Qui Religionem ingreditur, condito ante teſtamẽto, in quo nihil Monaſterio reliquit, ſed hæredem extraneum inſtituit, ſi tempore ingreſſus expreſſe Monaſterio cõtulit bona ſua per hoc tacitè ipſi bona ſua nec proinde bona ipſa erunt Monaſterij, ſed præ- *ligitur rũpi & annullari*

SI quis ingreditur Religionem, condito antea teſtamento, in quo nihil Monaſterio reliquit, ſed hæredem extraneum inſtituit, & tempore ingreſſus, nulla facta mentione de priori teſtamento, expreſſe omnia contulit bona ſua ipſi Monaſterio, rumpi cenſetur teſtamentum, & bona eius ipſius Monaſterij. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo Religio. 6. quæſt. 1. in 3. dicto*, quam & eſſe dicit Anton. *in capit. in præſentia, de probationibus*, quamuis ipſe ſub diſtinctione loquatur: nam inquit, quod ſi id fecit incontinenti, poſt teſtamentum conditum, non videtur reuocaſſe illud, per talem bonorum collationẽ, quamuis expreſſam, ſumitur illa collatio facta ad tempus vitæ ſuæ, quia non videtur quis incontinenti, neque in tam breui temporis ſpatio, animum & primam voluntatem mutare voluiſſe, argumento. *l. non ad ea. ff. de condit. et demonſtrat.* Attamen ſi hoc fecit exinteruallo; poſt conditum teſtamentum, præſumitur animum mutaſſe in fauorem Religionis, & ſic rumpitur teſtamentum, & bona erunt ipſius Monaſterij. Pro cuius concluſionis maiori intelligentia aduerto, conſultò à me dictum fuiſſe in concluſione, *facta bonorum ſuorum expreſſa collatione*, quæ fit quando in ipſo Religionis ingreſſu, teſtator nõ ſolum ſeipſum, ſed etiam omnia ſua bona, expreſſe Monaſterio donauit: nam non idem eſt iudiciũ, ſi tacite tantum dicauit, quia per tacitam dedicationem, non videretur priorem expreſſam voluntatem mutare voluiſſe. Vnde dicunt Doctores iuris periti, quod in tali caſu, ab ipſomet teſtatore, iam Religionem ingreſſo, imò & profeſſo, deſumẽdum eſt iuramentum, ad hoc vt dicat, intenderit ne an non, voluntatem priorem mutaſſe, & reuocaſſe antiquum teſtamentum, & ipſius confeſſione deſumpta, & iuramẽto firmata, illi (inquiunt) erit ſtandum, ſaltim in foro conſcientiæ. Videatur hac de re Bart. *in Authenti. ſi qua mulier, de ſacro ſanctis Eccleſijs num. 52.* & Couarr. *cap. 2. de teſtament. num. 5. & 6.* & Didacus Perez, *l. 1. tit. 2. lib. 5. ordi.* & Molin. 2. 2. tractatu ſecundo, diſputatione 139. Nauarr. *in capit. non dicatis num. 44. & 45.* quibus in locis, ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notata digniſſima, quæ breuitatis cauſa facio miſſa.

prius factum teſtamẽtum.

Secunda Concluſio.

Qui poſt cõditum teſtamẽtum, Religionem ingreditur, nulla facta donatione tacita neque expreſſa, bonorum ſuorũ Monaſterio, teſtamentum valebit, neq; rumpetur, niſi forte quantum ad illam partem, quæ pertinere poſſet Monaſterio.

QVi poſt conditum in ſeculo teſtamentum, Religionem ingreditur, nulla facta collatione ſeu donatione, expreſſa nec tacita, bonorum ſuorum Monaſterio, teſtamentum factum valebit, nec rumpetur, niſi forte quantum ad illam partẽ, quæ pertinere poterit Monaſterio. Hæc concluſio eſt etiam Syluеſtri vbi ſupra, & adducit in contrarium opinionem Panormita *in capit. in præſentia. de probationibus num. 62.* aſſerentis, quod in tali caſu, Monaſterium non poteſt petere portionem ſuam, quia ſecundum iura, teſtator libere potuit, diſponere de rebus ſuis vt voluerit, & Monaſteriũ non computatur inter liberos, niſi quando ante non diſpoſuit, *iuxta authenticum, ſi qua mulier. C. de Epiſcopis, & Clericis.* Sed dicit Syluеſter, quod hæc opinio Panormitan. vera licet ſit de ſubtilitate iuris, aliud tamen erit dicendũ, de æquitate, vt etiã tenent multi alij Doctores contra Panormitanum. Vel concordari poſſunt huiuſmodi opiniones, dicendo, quod aut cogitabat tunc temporis, quando teſtamentum condidit, de ingreſſu Monaſterij, an vero non. Si de Monaſterio cogitauit, & nihil Monaſterio reliquit, tunc non rumpitur teſtamentum, quo ad aliquam partem, nec monaſteriũ poteſt illam petere, nam præſumitur quod teſtator, nihil illi voluit relinquere ſiue donare, quod cũ fecerit, eo tempore, quo liberam habuit teſtandi poteſtatem, nemo poteſt illi inficias ire. Si vero de Religionis ingreſſu, nihil cogitabat, tunc profeſſione ſequuta, rumpitur teſtamentum, quoad portionem legitimam, eidem monaſterio competentem, quando eidem non fuit relicta talis legitima portio, quia præſumitur, quod ſi meminiſſet & de ingreſſu cogitaſſet, id ipſum feciſſet, vt ceſſaſſet

ſaſſet cauſa iuſta, Monaſterium ſe querelandi. Per quod ad concordiam reduci poſſunt diuerſæ hac de re Doctorum opiniones, de quibus videantur Doctores ſupra citati, in adductis locis.

Tertia Concluſio.

Qui ingreſſus Religionē, & filios & hæredes legitimos habens, teſtamentum condit, debet ipſum facere, forma ſequēti.

QVi ingreſſus Religionē, & filios atque hæredes legitimos habens, aut non habens, cōdit teſtamentum, debet ipſum efficere, iuxta formam præſcriptam, *in Authentic. ſiqua mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſi. & in Authent. Nunc autem. C. de Epiſcopis, & Clericis, relatā in capit. ſiqua mulier. 19. quæſt. 3.* quæ omnia vt præ manibus habeantur, libuit hic ad literam apponere. *Siqua mulier aut vir, monaſticam vitam elegerit, & intrauerit Monaſterium, liberis non extantibus, Monaſterio quod ingreditur res eius competere iubemus. Sed ſi perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, Monaſteriū intret, liceat ei poſtea inter eos diuidere, legitima portione nulli diminuta, & quod eis non dedit, competat Monaſterio. Sed ſi omnem ſubſtantiam inter filios diuidere voluerit, ſua perſona ſuis filijs connumerata, partem ſibi retineat, quæ Monaſterio competere debeat. Sed ſi poſt ingreſſum, moriatur antequam inter eos diuidat, filij legitimam portionem percipiant, reliqua ſubſtantia Monaſterio competente.* Hæc in ſupradicto Authentic. *ſiqua mulier*, ſequitur modo Authentic. Nunc autem. *Nunc autem cum quis Monachus factus eſt, hoc ipſo res ſuas omnes obtuliſſe videtur, ſi prius teſtatus non ſit. Exinde (iudicio eius ceſſante) lege diſponitur, vt ſi liberos habeat, in quos aut nihil, aut minus legitima portione, quoquo donandi titulo contulerit, eatenus ſubſtantia Monaſterio deſtinata detrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquum.* Circa

Ponuntur aliqua notabilia circa prædictas concluſiones.

quas Conſtitut. *& d. capit. ſiqua mulier aut vir*, multa ſeſe offerunt notanda, & primo quod cum ibi dicitur, ſi aliqua mulier ſiue vir, liberis non extantibus, Monaſterium ingreditur, quod omnes eius, res ſtatim in ipſo ingreſſu, competant Monaſterio, Nauarr. *in capit. non dicatis, num. 48.* dicta verba explicando, inquit, quod verbum illud *intrauit, ſeu intrauerit* intelligi debet, non de primo ingreſſu Monaſterij, per ſuſceptionem habitus, ſed de ſecundo ingreſſu in ipſum per profeſſionem, ac proinde verba illa tantum valere, atque ſi dixiſſet, ſiqua mulier, aut vir monaſterium intrauit, hoc eſt, ſolemniter profeſſus fuerit. Quod probat, per Gloſſam receptam *in authentico ingreſſi. C. de ſacroſan. Eccleſijs*, vbi illi verbo, *ingreſſi* additur *irreuocabiliter*, quod non fit, niſi ſolemniter profitendo. Per quod inquit excluduntur, neque comprehenduntur, in ſupradictis verbis, Oblati, Donati, & Conuerſi, ſeu Nouitij, ante profeſſionem ſolemnem, ij enim omnes libere condere poſſunt teſtamentum, & non ſtatim ipſo ingreſſu, res omnes ipſorum, competunt Monaſterio, ſic autem aliorum, poſt profeſſionem ſolemnem, ſi fiat ab eis, nullo condito teſtamento. Tunc enim competunt, & quoad dominium, & quoad poſſeſſionem. Quod etiam intelligendum eſt, ni forte ante dictam profeſſionem, aliter diſpoſuerunt, quod facere ante profeſſionem potuerunt, non autem poſt ipſam, tacitam ſiue expreſſam, vt ſtatim dicemus. Pro quo faciunt multa iura, quibus dicitur, quod Religionem ingreſſi, ſe & ſua omnia Deo dedicant, & quod omnia eorum bona, Monaſterio intelligantur eſſe collata. *Authenti. ingreſſi. C. de ſacroſanctis Eccleſijs, & cap. quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* vbi dicitur, *quod poſt Monaſterij ingreſſum, nulli relinquitur teſtandi licētia*, quæ verba, & omnia ſimilia iura, intelligenda ſunt, de ingreſſu per profeſſionem (vt dictum eſt) & non aliter, nam ingreſſi per ſolam ſuſceptionem habitus, vt ſint Nouitij, optime teſtari poſſunt, ac diſponere de ſuis bonis, vt voluerint.

Primo nota.

Secundo circa prædictas conſtitutiones, eſt notandum, quantum illud quod ibi dicitur, *quod ſi qua mulier aut vir, qui Monaſterium ingreditur, liberos habeat, poteſt res ſuas inter ipſos diuidere, legitima portione nulli diminuta & illud quod eis non dederit, totum rēmanebit penes Monaſteriū.* Quod circa eiuſmodi verba, inſurgit maxima quædam difficultas, an ſcilicet, verbum illud *ingreditur*, ſeu *intrauerit*, ſit etiā ſimiliter intelligendum, de ingreſſu per profeſſionem ſolemnem, vt in præcedenti notabili eſt dictum; an vero etiam de ingreſſu per probationem Religionis, quo conuerſi & ſic ingreſſi dicuntur Nouitij. Et ratio dubitandi eſt, nam ſi intelligenda ſunt, de ingreſſu per profeſſionem, quonam pacto mulier aut vir, iam Religionem profeſſi, condere poſſunt teſtamentum, cum omni iure ſit idipſum Religionem profeſſis interdictum? Si vero ſit ſermo, de ingreſſu Religionis, ſolummodo per probationem, quonam pacto in prima prædicta parte huius authentici dicitur, quod bona eorum ſtatim in ipſo ingreſſu, competant Monaſterio, cū certum ſit, quod Conuerſorum, & Nouitiorum bona, ante profeſſionem tacitam vel expreſſam, non eidem Monaſterio competunt? Propter hoc argumentum, & rationem fortiſſimam, dicūt quidam, quod in prædictis locis, non ſit ſermo de ingreſſu per profeſſionem ſolemnē, ſed de ingreſſu per ſuſceptionē habitus, hoc eſt per probationē, quo quidem tempore, certiſsimum eſt, quod Nouitij, libere poſſunt condere teſtamentum, cum ſint poſiti infra annum probationis, atque ita libere poſſunt teſtari ac ſi eſſent extra Monaſteriū, & meri ſeculares, neque tenentur quidquam monaſterio neceſſario relinquere, ſi nolint, cum ad id nullo iure Cæſareo, vel Pontificio ſint aſtricti. Et quò ſatisfaciant, alij propoſitæ difficultati, dicunt, quod etiam bona Nouitij ingreſſi Monaſterium, liberos non habentis, aut mortui ſine teſtamento, etiam profeſsione non ſequuta, & ante profeſsionem, per ſolam ſuſceptionem habitus, & probationem debentur Monaſterio. De quorū opinione, videndus eſt Nauarr. in præallegato *capit. non dicatis, num. 49.* quamuis ille, cum eiſdem non teneat, neque conſentiat vllo modo, ſed firmus ſtet in hoc, quod vtrobique fit ſermo de ingreſſu per profeſsionem ſolemnem, ad modum quo dictum eſt, in præcedenti primo notabili, & in hoc eſt ſtandum. Et ad argumentum, ſeu obiectionem in contrarium adductam, quando dicitur, quod Religionem ſolemniter profeſſus, teſtari non poteſt, Reſpondetur, id quidem verum eſſe de iure, & generaliter loquendo, vt latius infra dicemus in articulo ſequenti. At in caſu propoſito huius authentici, quod ibidem dicitur, de viro aut muliere filios habente, non tam teſtamentum quam diſpoſitio iuris nuncupanda eſt, & facultas

Secūdo nota.

diui-

diuidendi bona, inter filios & Monaſterium, quod & verum eſſe exinde patet: nam id facere nō poſſunt aliter quam prædictum eſt, niſi forte dicere velimus, quod hic eſt vnus & ſpecialis caſus, in quo ſolemniter profeſsi, poſſunt condere teſtamentum, ſeu potius explicare ſuam mentem & voluntatem, ac bona ſua inter filios diuidere, de quo caſu latius dicemus ſtatim, in articulo ſequenti.

Tertio nota. Tertio circa ſupradictas conſtitutiones, eſt notandum, quod quamuis ibidem expreſſe ſermo fiat, de perſona habente liberos in plurali, idem omnino iudicium eſt, ac fieri debet, de habentibus vnum tantum filium in ſingulari, argument. *textus in l. non eſt ff. de verborum ſignificatio.* vbi dicitur, *quod non videtur eſſe ſine liberis, qui vnicum tantum habet* filium. Quin vero & lex pœnalis, vtens verbo pluralis numeri, locum etiam habet, in vno & ſingulari numero, modo adſit eadem ratio, iuxta *l. 2. §. ſed ſi vnus ff. vi bonorum raptorum.* Per quam dicit ibi Bart. quod ſtatutum puniens producentes falſos teſtes, comprehendit etiam producentem vnum tantum falſum teſtem.

Sed circa verbum illud, *liberos*, eſt magna lis & controuerſia inter Doctores: an intelligi debeat de legitimis tantum, an vero etiam de naturalibus, ſeu legitimatis: & an extendatur, extendiq; debeat ad aſcendentes? Quas omnes difficultates facile licet poſſem reſoluere, breuitatis tamen cauſa facio miſſas, quia non ſunt præſentis ſpeculationis, nec vacat per tempus, magnam enim atque longinquam requirerent diſputationem. Neque etiam immorari volo, in facienda bonorum partitione ſeu diuiſione, & dicendo qualiter facienda ſit, hoc ſolum contentus dixiſſe, quod Monaſterium (vt ibidem dicitur) debet computari, quaſi eſſet vnus ex filijs, & tantum haberet in ſupradictis bonis, quantum pater aut mater, dederit filiorum cuilibet. Hoc dico, de Monaſterijs hæreditantibus, ſeu hæreditatis capacibus, ſecus tamen eſt in nobis Minoribus Fratribus, hæreditatis incapacibus. Vnde dico, quod ſi ingreſſus Monaſterium, liberos habet legitimos, portio ſeu legitima, debita Monaſterio, erit quintum, & reliquum erit filiorum, quod probatur ſpecialiter, ex legibus noſtri regni, *l. 12. tit. 6. lib. 5. nouæ recopi. & l. 8. tit. 8. eodem libro*, vbi id expreſſe habetur, & dicitur quod vltra illam partem, filij per parentes non poſſunt grauari, neque etiam in tertio. Nam quamuis per alium, *l. 2. tit. 6. lib. 5. nouæ recop.* liceat patribus, inter filios meliorationem facere, & Monaſterium habeatur loco filij, iuxta quod dicendum videretur, quod melioratio etiam illi fieri poſſet, contrarium tamen eſt aſſerendum atque tenendum. Nam dictæ leges ſolummodo locum habent, in filijs veris, non autem in filijs fictis, ſiue repræſentatiuis quale eſt monaſterium, vt probe notat Tiraquellus *l. ſi vnquam. C. de reuoc. donat. num. 43. & 44.*

Quarto nota. Quarto & vltimo, circa ſupradictas conſtitutiones, oportet aduertere, quoad illud, quod ibidem dicitur, *ſi pater aut mater moriantur, poſt ingreſſum Relig. & antequam bona ſua inter filios diuidant, filij habebunt tantum ſuam legitimā, & reliqua ſubſtantia pertinebit ad Monaſteriū.* Quod circa hac verba, dicunt quidam Doctores, quod patre aut matre viuentibus vita naturali, licet mortuis per profeſsionem morte ciuili, filij ab eis nihil omnino petere poſſunt, quouſque moriantur naturaliter. Qua de re videndus eſt Bartol. *in dicto authent. ſi qua mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſi.* quia inquit, legitima non debetur filijs, niſi poſt mortem naturalem patris, iuxta *l. 1. §. ſi impuberi. ff. de coll. bono.* Sed contrariam ſententiam tenet Bald. in dicto authentic. & hæc eſt tenenda, & ſequenda: nam quamuis contraria iuri Cæſareo ſit conformior, hæc tamē eſt æquior de æquitate Canonica, & iure Pontificio, quod multis probat Couarru. capit. 2. de teſt. nume. 7. & eandem ſententiam tenet Sylueſ. *verbo, Religio. 6. quæſt. 1. dicto. 1.* Cuius rationem affert, vt ne filij cogantur, alimēta petere à Monaſterio, & quia æque ceſſat pater adminiſtrare & alere, per profeſsionem, ac ſi mortuus fuiſſet naturaliter. Videatur hac de re Nauarr. in præallegato *capit. non dicatis, num. 48. & num. 54.* Multa alia, circa prædictorum bonorum diſpoſitionem, diuiſionem, ac præfatorum authenticorum explicationem, dici poſſent, quæ non libet afferre, pro temporis anguſtia, & breuitate, cui tantopere ſtudeo: ſed vt videantur, Lectorem remitto, & conſulat prædictos Sylueſtrum, Nauarr. Couarruu. locis citatis, vbi ad hoc propoſitum habentur omnia, quæ hic deſiderari, aut dici poſſunt. Sic explicata prædicta Concluſione, tranſeamus ad aliam, de filijs familias, qualiter etiam de ſuis bonis poſsint diſponere, & qualiter ſe habere debeant reſpectu parentum ſuorum: de quo fit concluſio.

Quarta Concluſio.

Si filius familias, ſine teſtamento monaſteriū fuerit ingreſſus teſtari poteſt de bonis ſuis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrēſibus, & ſecundū quoſdam, etiā de aduentitijs.

SI filius familias, Monaſterium inteſtatus fuerit ingreſſus, & intra probationis annum, ſiue ante profeſsionem teſtamentum condere voluerit, poterit quidem diſponere de ſuis bonis, peculij caſtrenſis, vel quaſi caſtrenſis: & ſecundum quoſdam, etiam de aduentitijs. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo, Religio. 6. quæſt. 1.* in quinto dicto, quam & probat ex Panormitan. *in capit. in præſentia, de probat. & per l. pen. C. qui teſtamenta facere poſſunt.* De bonis aduentitijs, eſt inter Doctores aliqualis cōtrouerſia: ſed communior opinio eſt, quod poſſunt filij poſt religionis ingreſſum, etiam in vita Patrum, de eiſdem diſponere, & quod ſtatim per talem ingreſſum, gaudent illo priuilegio, *authentici, Presbyteros. C. de Epiſcopis, & Clericis*, vbi dicitur, *quod illud, quod laicis eſt aduentitium, clericis eſt quaſi caſtrenſe*, ac proinde priuabitur pater in vita ſua, vſufructu illorum bonorum, & pariformiter de alijs aduentitijs, aduenientibus poſt Religionis ingreſſum. An verò teneatur neceſſariò aliquid relinquere monaſterio, controuerſia eſt inter Doctores, de qua nihil in præſentiarum libet de nouo dicere, cum iam conſtet ex ſupradictis. In calce huius Concluſionis, placuit aduertere, quod quamuis aliàs, filij exhæredari poſſent à parentibus, propter vitium ingratitudinis, non tamen poſſunt, propter ingreſſum religionis: imò verò propter eundem ingreſſum, tollitur huiuſmodi vitium, iuxta *caput. nō liceat. 19. quæſt. 3. Iuncta gloſſa, & caput. ſi qua mulier*, multoties allegatum, *eadem cauſa & quæſt.* & habetur *in leg. de nobis. C. de Epiſ-*

Nota hoc valde, pro religioſis, quod à parentibus, exhæredari non poſſunt.

Episcopis & Clericis, vbi expresse dicitur, *Religiosos in bonis parentũ succedere, nec vllo modo, exhæredari posse, propter vitium ingratitudinis in seculo commissum, ne que propter ingressum Religionis.*

Difficultas quid sit faciẽdũ de bonis nouitiorũ morientium ante professionem.

Videatur hac de re Syluest. *verbo, Religio. 3. quæst. 24. & 6. quæst. 1. in 7. dicto.* Solummodo superest, vt nihil deficiat proposito articulo, explicare ac discere, quid Iuris, seu quid faciendum sit, de bonis nouitij, si existens in probatione, & antequam expresse, aut tacitè profiteatur, moriatur. Circa quã difficultatem, quidam dicunt, quòd omnia bona sua, spectant ad monasterium, si de illis non condidit testamentum. Nam ibi moriendo, videtur mori velle, quasi monachus, & quod idem sit iudiciũ de suis bonis, ac de bonis alterius monachi. Alij verò, dicunt contrarium: sed pro hac differentia componenda, possumus nos distinctione vti, dicendo cum Panormitan. *in capit. in præsentia. de probationibus*, quod si intrando, expresse bona sua contulit monasterio, & expresse non reuocauit, videntur esse monasterij, & ad ipsum pertinere: at si non expresse contulit, sed simpliciter intrauit causa probationis, non succedet monasterium sed proximiores, cum re vera iste talis, cum effectu nunquam fuerit religiosus, per capitu. *cum religiosos, de sentent. excommunicat. lib. 6.* nec sit aliquid, per quod tacite neque expresse, bona illa transierint in dominium monasterij: & facultatẽ ipse habuerit testandi si vellet, vt & posset quidẽ, nisi morte fuisset præuentus. Hæc omnia dicũtur, vt iam iterum supra diximus, de monasterijs bonorum capacibus, & quæ hęredes esse possunt, nõ autem, de nostris minorum fratrum, qui hæredes esse, ab intestato saltim nõ possumus. Quid autem sit dicendum, de alijs bonorum donationibus, factis à Nouitijs, in ipso religionis ingressu, multis tradit Syluester *verbo, Religio. 5. quæst. 12.* videantur ibidem; nam non omnia dici aut explicari hic possunt, ob breuitatem cui studemus tantopere.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Nouitij ante professionem, testamento sibi ipsis, aliquot bona possint relinquere, seu præcipere, vt sibi dentur post factam professionem?

NOn loquor de legatione annuali, qua institui hæres quispiam potest, vt detur sibi certum quid, in singulos suæ vitæ annos; nam hac de re maior est & specialior difficultas, an religiosi professi, huiusmodi donationum, seu legationũ sint capaces? De qua difficultate postmodum, suo proprio loco dicemus, quãdo agemus de voto paupertatis, & de his, quę ad ipsam paupertatem spectant, quam religiosi cuncti, sed maxime nostræ Religionis sacræ, stricte tenentur seruare. Sed an possit quispiam, cum adhuc est Nouitius, & testamentum vult ante professionem condere, præcipere vt quippiam tale sibi detur post ipsam. Sit exemplum: est aliquis Nouitius (v.g.) ingenioſus, habilis, & aptus ad studẽdum & dandam operam literis, cui proinde & necessarij erunt libri, nec de præsenti habet denarios, quibus ipsos emere possit, habet tamen vineam, siue hæreditatem quandam, quæ quingentis nummis æstimatur aureis, & postmodum diuẽdi potest. Quæritur nunc, an iste talis ante professionem, testamentum possit condere, quo fratri, siue amico suo, vel alij cuipiam extraneo, prędictam hæreditatem donet, ea lege & pacto, vt det sibi postmodum, post factam professionem, centum ducatos, ad emendum libros. Circa hanc difficultatem, varij & dubij sunt Doctores, nostræ regulæ expositores, affirmantibus quibusdam, negãtibus vero alijs, ac dicentibus hoc facere esse proprietarium, & nullo modo licitum alicui nouitio, emissuro professionem. Sed re vera, quamuis isti Doctores verum dicant, loquendo de æquitate, congruentia & decentia: nam magis decens, congruũ atque conueniẽs erit, vt præfati libri aliqua via, aut pacto, ante professionẽ emantur: & certe contrarium facere, vt in præsenti casu proponitur, proprietatem quadamtenus redolet, & illius aliqualem apparentiam præsefert, re tamen vera & hoc negotio penitus considerato, stando iuris, in rigore, ipse non video aut inuenio, rationẽ & causam, ob quam idipsum facere, Nouitio prædicto non sit licitum, vnde & in contrarium sequentem statuo conclus.

Conclusio.

Nouitij ante professionẽ, bene possunt aliquid sibi testamento relinquere, vt sibi detur post modum.

NOuitij ante professionẽ, bene possunt sibi aliquid testamento relinquere, vt detur sibi post ipsam, nec hoc facere, proprietarium, vlla ratione dici potest. Pro huius conclusionis intelligentia, simul & probatione, libuit iterum aduertere, quod non loquor de conuenientia & congruẽtia: nam certum est, quod magis congruum atq; conueniens est, & melius cunctis parebit, vt præfati libri seu quippiam aliud, Nouitio alicui necessarium, ante professionem sibi ematur, quacumque via & ratione id commode fieri possit, quam vt testamento sibi relinquatur (de hoc enim nulli est dubium) sed quod in prędictarũ dicitur est, quod in rigore & puncto iuris stando, nullo sit modo sibi illicitum, facere contrarium, nec vlla ratione respectu eiusdem Nouitij dici possit, hoc esse proprietarium. Quod & probo hac speciali ratione. Nam proprietarius nõ est, nec dici vllo modo potest, nisi ille qui aliquid sibi appropriat, dũ id est sibi prohibitũ, & pro illo tempore quo habere propriumest sibi prohibitum: sed in proposito casu, quando prædictus Nouitius, huiusmodi legatum, seu donationem sibi relinquit, quoad dispositionem suorum bonorum temporalium (vt pluries dictum est & amplius infra dicemus) est, ac si esset mere laicus & secularis, & quasi omnino esset extra monasterium: ergo si quilibet alius in seculo existens, posset sibi seu alteri, illam donationem centum aureorum facere, ipsumq; hæredem constituere, præfatæ hæreditatis, valentis quingẽtos aureos, cum pacto & grauamine, vt detur centũ præfato Nouitio iam professo ad emendos libros, etiã ipsemet Nouitius in Monasterio existens, ante professionem, testamento id ipsum poterit statuere atque ordinare. Consequentia, meo quidẽ vide.

videri legitima est & ratio eadem vtrobique. Cui addo, & erit Conclusionis suprapositæ confirmatio. Nam quæro, qua ex parte id facere sit illicitū? An ex parte dantis siue donantis, an vero ex parte recipientis? Nō ex parte donantis, quia (vt prę-missum est) quando donat nouitius sibi ipsi præfatos libros, aut ipsorum valorem, quantum ad dispositionem suorum bonorum temporalium est, ac si esset mere secularis, & potest facere, quod quilibet alius in seculo existens. Neque vero ex parte recipientis: nam si alius illos eidem donasset, aut testamento suo quippiam tale præcepisset, præfatus Nouitius, iam postmodū factus professus, prædictum legatum, seu donationē posset recipere, & seruatis seruandis acceptare, vt de se patet: ergo id nulla ex parte est illicitum. Dices forsan esse illicitum, quia inter donantem, & illum cui fit donatio, debet esse distinctio, nam nullus dicitur donare sibi quippiam, neque vnquam iure consuetū aut visum est, quod tales donationes fiant, quod & ipse libenter fateor, at in proposito casu, prædicta donatio, directe & quasi ex principali intentu, non fit ipsi Nouitio, sed alteri, cum supradicto grauamine, dicēdo, Dono hoc (v.g.) Petro, hac lege & pacto, &c. Dices iterum, id ipsum esse illicitum: nam religiosus professus, facultatem non habet, nec legitimam personam (maxime si sit nostræ sacræ Religionis) comparendi in iudicio, & expostulandi vt soluatur sibi tale debitum, hoc etiam ipse libenter cōcedo, & verum esse fateor, de Fratribus professis nostri sacri Ordinis Minorum, & forsan etiam de alijs, quoad comparendū in iudicio proprio suo nomine (secus est nomine Monasterij.) Sed quid obstat, quo minus id ipsum Syndicus efficiat, nomine Sedis Apostolicæ, sicut & eodem nomine petuntur alia debita & dona. Et in religiosis aliorum Ordinum, quid etiam obstat quominus petantur à Conuentus Procuratore? Certe re penitus introspecta ac intime considerata, neque deest ius, nec facultas & potestas petendi, & quamuis hoc vltimum deficeret, saltem non deest alteri obligatio adimplendi, & soluendi in conscientia id, quod est testamento ordinatum, atque fieri mandatum, & hoc sufficit ad nostrū propositum & intentum probandum, quantum ad id quod quæritur in præsenti articulo. Quæ vt prędictum est, intelligenda sunt stando in rigore iuris: nam secus est loquendo de decentia & congruētia.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Nouitius iam professus, generaliter loquendo, testamentum possit condere, seu ipsum explicare & declarare, & voluntatem qua habuit, in testamēto à se facto ante solēnem professionem, aut post illā reuocare?

MVlta se se offerunt dicenda, circa difficultatem, seu potius difficultates, in præsenti Articulo propositas. Sed non id fert temporis angustia, & nimia abundantia & copia, eorum quę à nobis discutienda & disputanda sunt, vnde & ad ipsas breuiter, atq; resolutiue, per sequētes Conclusiones respōdetur.

Prima Conclusio.

Nouitij infra annū probationis, et ante professionē possunt testamentum condere, non vero post professionem.

QVamuis Nouitij ante professionem, & infra annum probationis, libere de bonis suis possint disponere, & testamentum facere, non tamen post solemnem professionem. Hæc conclusio compertissima est apud omnes Doctores, de qua videndus est Nauar. *in cap. non dicatis, à num. 43. vsq; 56.* & Couar. *cap. 2. de testamen. num. 5. et 9.* vbi ad hoc propositum videre licebit, plura eaq; notatu dignissima, tam quoad facultatem testandi Nouitiorum, infra annum probationis, & ante professionem, quam quoad prohibitionem, siue impossibilitatem post ipsam. Et de potestate testandi, dicit Philip. Francus *in authentic. si qua mulier, num. 67.* non referre, an Monasterium in quo est Nouitius, sit Ordinis Mendicantium (etiam Franciscanorū,) aut non Mendicantium: nam cuiuscumque sit, qui ingressus est illud, tam libere potest testari ac si esset extra ipsum, imò nec tenetur quidquam Monasterio relinquere si nolit, cum nullo iure Cæsareo, aut Pontificio ad id sit astrictus. Quantum vero attinet ad prohibitionem, & impossibilitatem testandi post professionem, faciunt ad hoc quam multa iura, sed maxime, *cap. perlatum. cap. quia ingredientibus 19. quæst. 3.* & ratio etiam huius in promptu est: nam religiosi professi, nihil proprium habent, sed neque habere possunt, & sunt omnino positi sub alterius potestate, nec habent velle aut nolle, quin vero religiosus professus, æstimatione iuris, est vere mortuus, atq; ita reputatus mortе ciuili, ac si iam obijsset morte naturali, & in omnibus & per omnia æquantur, & comparantur seruis; imò verò arctius subijciuntur prælatis, quam serui suis Dominis, vt expresse habetur *in cap. multos 54. d. 4.* Quę pro hac conclusione dicta sufficiāt. Sed difficultas est, an præfati Nouitij, post professionem, possint mentem, voluntatem, atque intentionem suam explicare, quam habuerunt in testamento à se condito, ante professionem, pro quo sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Religiosus professus, nō potest mentē et intentionē suam, quā in testamento habuit explicare, nisi in vno aut altero casu.

REligiosis iam professis, non est licitum, nisi solum in vno, aut altero casu, mentem & intentionem suam explicare, sed testamenta ab ipsis facta in casu dubij, explicāda & interpretāda sunt, iuxta dispositionem iuris communis. Hæc conclusio est etiam omnium Doctorum cōmunis, de qua videndus est Nauar. & Couar. vbi supra: sed specialis casus, in quo religiosis iam professis conceditur, mentem & intentionem suam explicare, habetur in prædicto *authentic. si qua mulier. C. de sacrosanctis Ecclesijs, & in authentic. nunc autem. C. de Episcopis, & Clericis*, quæ referuntur. 19. quæst. 3. de quibus iam plura diximus supra, art. 8. & est, quando mulier seu vir, per solemnem professionem Religionē intrauerit, non condito testamento, propter obliuionem, inaduertentiam, aut ignorātiam, filiosque habuerint. In tali casu conceditur sibi facultas, suam intentionem, & voluntatem explicandi & declarandi, & bona sua inter filios diui-

dendi, forma qua ibi præſcribitur, qualiter id ipſum debeant facere, non vero alia. Præter hunc caſum, ſeu quempiam alium eidem ſimilem, non eſt in iure ciuili aut Canonico locus, ex quo poſſit deduci aut inferri, quod religioſi iam profeſsi, teſtamentum condere poſsint, neque mentem & intentionem ſuam, quam in teſtamento condito habuerunt explicare. Sed quid de reuocatione voluntatis? Reſpondeo, & ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Religioſi iã profeſsi, non poſſunt teſta mentũ prius à ſe conditũ, reuocare aut mutare.

NOuitij iam profeſſi, non poſſunt teſtamentum prius à ſe conditum, reuocare aut mutare. Hanc etiam concluſionem tenent expreſſe Nauar. & Couarru. locis ſupra citatis, pro qua faciunt innumera iura, & ſunt ea omnia quę verba faciũt, de prohibitione condendi teſtamenta facta à religioſis, & omnes ſupra adductæ rationes, faciunt etiam pro hac concluſione. Sed præter ſupradictos Nauar. & Couar. videatur etiam hac de re Sylueſter *verbo, Religio. 6. quæſt. 4.* & Cordoua ſuper cap. ſecundum noſtræ Regulæ, quæſt. 9. in fine. 4. puncti, vbi inuenire licebit multa notatu digna, quæ dicere omitto breuitati ſtudens.

QVAESTIO XXIIII.

De Nouitijs, quantùm ad ipſorum profeſsionem, tacitam ſeu expreſſam, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit Profeſsio expreſſa, & quibus modis fiat?

QVam apud omnes eſt compertum, quod duplex eſt profeſſio. Quędam expreſſa, alia vero tacita ſeu interpretatiua, de quibus fit mentio in innumeris capitulis, quæ habentur in decretalibus, toto tit. de regul. Sed in præſentiarum futurus eſt ſermo, non quidem de tacita profeſſione religioſorum, ſed de expreſſa, & de his quæ ad eam pertinent, poſtmodum vero agemus de tacita, ſiue interpretatiua. Vt igitur propoſitæ difficultati ſatisfiat, Reſpõdetur huic articulo, per ſequẽtes cõcluſiones.

Prima Concluſio.

Diffinitio profeſsionis expreſſæ, & conditiones, quæ ad ipſam debent concurrere.

PRofeſſio expreſſa eſt illa, quæ fit ab aliquo legitimam ætatem habente, poſt probtionis annum in manu prælati incorporare potentis, vel de ipſius licentia, in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, cum conſilio ſiue conſenſu Capituli, ſecundum aliquam certam & determinatam Regulam, vouendo & promittendo, tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota. Hæc cõcluſio, eſt omnium Doctorum communis, & profeſsionis expreſſæ, ampliſſima exactaq; diffinitio, ſeu potius deſcriptio, qua ſimul breuiter & compendioſe, comprehenduntur omnia, ad eandem requiſita, quæ ſunt ſex. Primo, vt fiat ab habente legitimam ætatem. Secundo, quod fiat poſt expletum probationis annum, cui & addendum eſt, quod huiuſmodi annus ſit cõtinuus. Tertio quod fiat in manu prælati, & illius qui poteſt religioni incorporare, vel de ipſius licentia. Quarto quod talis prælatus, requirat conſilium, quin vero & conſenſum maioris partis Capituli. Quinto, quod fiat in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, & ſecundum aliquam certam atque determinatam Regulam. Et tãdem Sexto, quod talis profeſſus, promittat tria Religionis eſſentialia, & ſubſtantialia vota, in quibus conditionibus explicandis in præſentiarum non immoror, quia de eis omnibus, in particulari conſtituẽdi ſunt à nobis ſpeciales articuli. Sit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Profeſsio expreſſa quibus modis fiat.

HVIuſmodi expreſſa profeſſio, fieri poteſt dupliciter, verbo aut ſcripto, vel vtroque modo ſimul. Hæc etiam concluſio, eſt omnium Doctorum communis, *ſuper cap. ad Apoſtolicam de Regul.* & dicitur expreſſa, vt diſtinguatur contra profeſſionem tacitam, quæ neque verbo fit, neque ſcripto, ſed ſolummodo actibus aliquibus, de quibus poſtmodum ſuo proprio loco ſumus dicturi, qua etiam ratione dicitur tacita ſeu potius interpretatiua, per illam generalem Regulam, qua dicitur, quod qui tacet conſentire videtur.

Sed eſt aduertendum ſecundum Panorm. *in cap. porrectum, de Regul.* quod valet huiuſmodi expreſſa profeſsio, per quæcumque verba fiat, etiam nõ ſeruata regulari forma, ſeu quæ ſit tradita in aliqua Regula: nam cum obligatio fiat Deo, & diriga tur in ipſum, defectus formæ traditæ aut conſtitutæ, actum vitiare non poteſt, nec debet, ſicut patet in excommunicatione, quæ per quæcumque verba poteſt ferri, *iuxta cap. ſacro de ſentent. excommunicat.* Videatur hac de re Sylueſter *verbo, Religio. 3. quæſt. 1. ibi, ſed aduerte primo, & Gloſſa in cap. dudum, de conuer. coniugatorum, verbo, ſubſtantia veritatis,* vbi loquendo de Tabellione dicitur, quod an Tabellio in tertia perſona inſtrumentum conficiat, an vero in prima, nihil intereſſe videtur, dummodo non mutetur ſubſtantia veritatis. Super quæ verba inquit prædicta Gloſſa, *quod nihil refert dicendi ſine narrandi diuerſitas, vbi eadẽ dicuntur.* Ad quod propoſitum allegat, *cap. nihil obſtat, de verborum ſignificatione,* ſuper quod *alia gloſſa, verbo, diuerſitas,* horum omnium rationem reddens, affert ex Ariſtotele, *quod nomina & verba, etiam tranſpoſita idem pollent, atque ſignificant.* Ex quo in iure non inualidum argumentum

Ariſtot. 1. peri.

mentum desumitur, pro testibus aliquod factum diuerso modo narrantibus, dum tamen in substantia facti non discordent, iuxta textum, *in cap. cuncta de testibus, & cap. in scripturis. 8. quæst. 1. & cap. quotidie, de Consecratione distinctione secunda, & cap. pericu loso, de pœnitentia. distinct. 1.* Ex ijs etiam infert Doctores iurisperiti, pro testamentis, quod quolibet loquendi genere, formata institutio valet, si modo per eam liqueat testatoris intentio, iuxta textum, *in l. quoniam indignum. C. de testamentis.* Ex quibus omnibus etiam colligitur, quod professio expressa (vt dictum est) valet per quæcumque verba fiat, etiam non seruata regulari forma, dum tamē non mutetur aut varietur verborum substantia, & eorum significatio genuina.

Tertia Conclusio.

Professio expressa, in absentia, & per procuratorē fieri potest.

HIuiusmodi professio expressa, in absentia & per procuratorem fieri potest. Hæc conclusio est expressa Syluestri *verbo, Religio. 3. quæst. 15.* & id tanquam certum atque indubitatum præsupponit Nauar. in Consilijs libro. 3. de regul. consil. 32. agēdo de quodam Nouitio Canonico, qui per sex menses mansit intra septa Monasterij, & per alios sex foris, de licentia sui prælati, & postea (inquit) quod dum esset absens, professionem emisit per procuratorem, ad id specialiter deputatū. Et certe secundum ius, quilibet actus qui non sit expresse à iure prohibitus, expleri potest per procuratorem, *iuxta l. 1. §. vsus. ff. de procuratoribus*, & regulam *potest quis, lib. 6. de regulis iuris*, & adhuc in iure nullus est locus, quo præcipiatur expresse, vt professio non fiat per procuratorem, vt patebit discurrenti per singula, legēdo textus, & glossas vtriusque iuris, sed maxime, *l. Pomponius. ff de procuratoribus, & capit. quid agendum eod. tit. lib. 6. iuncta Glossa*, vbi quam plures casus excipiuntur, qui per procuratorem fieri non possunt, non tamen excipitur iste, de quo in præsentiarum. Sed præterea, quod professio facta per procuratorē, teneat & valeat, constare etiam potest, argumento deducto à matrimonio, quod quamuis sit sacramentum, confici potest per procuratorem, vt tenet communis omnium Doctorum resolutio, contra Caietanum. De qua difficultate & quæstione, videatur Ledesma, in suis additionibus ad tertiam partem quæst. 42. quę est de matrimonio, articulo primo, in septima difficultate. Si id igitur ita est, quid obstat, quominus & professio expressa, fieri etiam possit per procuratorem? Videatur etiam hac de re, Emmanuel Rodericus, tomo tertio, Quæstionum Regular. quæst. 17. art. 13.

ARTICVLVS II.

De ætate requisita ad professionem expressam?

Prima Conclusio.

Post Concil. Trid. nulli licet profiteri, expresse neq; tacitè, ante decimumsextum annum expletum.

POst Concilium Tridentinum, nulli licet profiteri, expresse nec tacite, ante decimumsextum annum expletum, & professio antea facta, est ipsofacto irrita & nulla. Hæc conclusio, habetur expressa in prædicto Concilio, *sessione 25. de regul. cap. 15.* vbi sequentia ponuntur verba: *In quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat, ante decimumsextum annum expletum. Professio autem antea facta, nulla sit, nullamque inducat obligationem, ad alicuius regulæ vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.* Super quæ verba, dicunt Doctores communiter, quod professio antea facta, non valebit etiam in vim simplicis voti, vt etiam nos diximus supra, agendo de anno probationis, de mente Caietani 2. 2. quæst. 88. art. 9. verbo. 3. est notandum. Circa quam conclusionem, & præfati Concilij decretum, adnotare libet, quod olim professio, poterat fieri post decimumquartum annum expletum in masculis, & in fœminis post duodecimum etiam expletum, *iuxta cap. primum de regu. lib. 6. & Glossam in cap. etiam 1. 20. quæst. 1. & Clementinā eos de regul.* Quod est intelligendū, quando ingrediebantur Religionem, ex consensu & voluntate suorum parentum, siue tutorum. Tunc enim poterant prædicto tempore, atque in prædictis annis, explicite, & expresse profiteri. Nam tunc probationis annus, in pueris erat tertiusdecimus, vsque ad quartumdecimum, in fœminis vero vndecimus, vsque ad duodecimum, post quos expletos, poterant profiteri. At si non ingrediebantur ex consensu, & voluntate parentum, cum adhuc essent impuberes, nec facultatē haberent disponendi de se ipsis, & contra suam ipsorum voluntatem, Religionem intrare non possent, vt etiam supra diximus, nisi post annos pubertatis, qui in pueris, est quartusdecimus, & in fœminis duodecimus, vtroque expleto, in tali casu (quo si antea ingrederentur, à parentibus siue tutoribus extrahi poterāt) probationis annus, non incipiebat in eis, nisi postquam iam erant impuberes, vt post ipsum profiterentur pueri, in anno decimoquinto expleto, puellæ autem, in decimotertio etiam expleto. Qua de re videatur Syluester *verbo, Religio tertio. quæstione secunda* in fine. Videndum est etiam prædictum *cap. non solum, de regul. lib. 6. & capit. 1. 20. quæst. 1.* cum ipsorum glossis, vbi ad hoc propositum dicuntur plura, eaque notatu dignissima. Hoc igitur olim generaliter obseruabatur, eratque positum in consuetudine, præterquam in Religionibus Mendicantibus, quæ quidem hac de re, habebant aliud ius speciale, vt puerum nullum recipere possent ad professionem, ante 15. annum expletum, *iuxta capit. non solum, & capit. constitutionem, de regu. lib. 6.* cum huiusmodi pueri ante 14. annum expletum, Religionem intrare non possent, vt dicitur in eisdem capitulis, *& in cap. ad nostram eod. tit.* & idem, suo quoque modo, decretum erat de puellis, *iuxta cap. puellæ 20. quæst. 1. & cap. addidistis, & capit. quicumque eadem causa, & quæstione.* Nam & ipsæ ante annum 12. Religionem intrare non poterant. Qui autem desumebant habitum in insulis, aliud etiam habebant ius speciale: nam non poterant ipsum recipere, ante 16. annum expletum, vt profiterentur in 18. anno, *iuxta capitulū, quia in insulis de regularibus*, vbi hæc expressa habentur. *Quia in insulis, dura est congregatio Monachorum, pueros in eorum Monasterijs ante 18. annum suscipi prohibemus.* Quæ verba ex-

plicãs ibi gloſſa inquit, *verbo, decimumoctauum*, hoc eſſe ſpeciale propter locorum aſperitatem: nam aliàs regulare & generale erat, quòd poſt tempus pubertatis, tam maſculi quam fœminæ, poſſent profiteri, pro quo adducit, *cap. 1. 20. quæſt. 1. & cap. ſi in qualibet, & cap. ſi puella. 20. quæſt. 2.* Sed circa explicationem præfati capituli, *quia in inſulis*, inſurgit difficultas, quam tangit Syluеſter *verbo, Religio 3. quæſt. 2.* qualiter huiuſmodi capitulum intelligi debeat, & an modo etiam obſeruandum ſit. Circa quod refert opinionem Ioannis Andreæ, quem citat Panormit. *in dict. cap. quia in inſulis*, qui dicebat ſuo tempore, huiuſmodi capitulum, nũquam fuiſſe in aliqua inſula obſeruatum. Quin vero & Doctores arguendo ex ratione literæ dicunt, quod ſi in inſula, non eſt congregatio durior quam alibi, non habet locum prædictum capitulum, & è contra, ſi extra inſulas ſit congregatio durior, quod ibi habebit locum, debebitque obſeruari. Qua de cauſa ſupradictus Panormitanus, extendit præfatam prohibitionem, ad nos Fratres Minores & Prædicatores apud quos (inquit) congregatio eſt magis dura, & quælibet diſpoſitio iuris, ampliari debet, vel reſtringi, ad terminos rationis expreſſæ, etiam ſi id verba non patiantur, iuxta textum *in l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronatus, & l. cum pater. §. dulciſſimus. ff. de legatis 2.* hæc dicit Panormitanus. Sed his non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Difficultas circa cap. qui in inſulis quæ liter intelligatur, & an modo etiam obſeruari habeatur.

Secunda Concluſio.

Poſt Concil. Trident. profeſſio expreſſa, facta poſt 16. annũ expletum, eſt valido, etiam in inſulis.

POſt Concilium Tridentinum, quælibet profeſſio expreſſa, facta poſt 16. annum expletum, eſt valida, in quacunque Religione, etiam in inſulis, & vbicumque congregatio durior eſſe videatur, propter aſperitatem regulæ, ſiue loci. Hæc concluſio, meo quidem iudicio, eſt veriſſima, atque certiſſima. Primo, quia vt dicit Syluеſter vbi ſupra, prædictum capitulum, *quia in inſulis*, eſt abrogatũ per contrariam conſuetudinem, cum nullibi ſeruetur à tempore Ioannis Andreæ, quin vero & multo ante, vt ipſe dixit, imò ſecundum Archidiaconum, & Petrum Paludanum, eſt reuocatum, per proœmium ſexti, in illis verbis, *aliquibus, vel in toto, vel in parte mutatis.* Secundo, quia quamuis non ita eſſet, nec de eo ſpecialis mentio fiat, in prædicto decreto Concilij Tridentini, virtualiter tamẽ & implicite, reuocatum eſſe videtur, per ſupradicta verba. Nam quo pacto & qua ratione, iam non licet ante 16. annum profiteri, quamuis contrariũ antea fieret de iure communi, abſq; reuocatione expreſſa ſupradictorum iurium, quibus id permittebatur ſeu vero potius erat ſtatutum: eadẽ prorſus ratione omnino, dicendum eſſe videtur, quod ad profitendum etiam in inſulis, non ſit aliquod maius tempus neceſſario requiſitum. Hæc mihi ratio videtur fortiſſima, necvnquam poſt præfatum Concilium Tridentinum, hoc audiui dubitatum. Dixi autem in concluſione, idem eſſe tenendum, atque dicendum, in omnibus Religionibus, & Ordinibus, nempe quod profeſsio in ipſis poſt 16. annum expletum ſit valida: nam quamuis feratur, quod in Ordine Minimorũ, ſeu ſancti Franciſci de Paula, ſit ſtatutum quo cauetur, ne quis ante 18. ætatis ſuæ annum, ad profeſsionem admittatur, de quo videndus eſt Nauarro lib. 3. conſilio. de regu. conſ. 22. & conſil. 34. & 35. ego tamen crediderim, quod per tale ſtatutum, quamuis prohibeatur id fieri, non annulletur, ſiue irritetur factum, & iuxta iuris regulam, multa fieri prohibentur; quæ facta tenent, & eſt caſus expreſſus, *in cap. ad Apoſtolicam, de regularibus*, vbi tenet profeſsio facta, infra tempus probationis, Papa & Regula id prohibente. Idipſum experimur in matrimonio, cuius vinculum ex ſimplici prohibitione non impeditur; imò verò tenet, licet aliàs contrahentes mortaliter peccent, veniantque puniendi. Sic ergo dico, de profeſsione facta in prædicto Ordine ante 18. annum, quod meo iudicio erit valida, quamuis ad ipſam recipientes, per Prælatos poſtmodum poſſint puniri. Neque vero ijs obſtat, id quod (vt dicitur) continetur in Regula, eiuſdem ſanctiſsimi Patris Franciſci de Paula, nam etiam ibi non annullatur, neque irritatur factum, ſed ſolummodo fieri prohibetur; nec vllum eſt in ipſa verbũ, ex quo quidpiam aliud colligatur; imò verò expreſſe colligitur contrarium, in illis verbis ibidem poſitis, in cap. 2. vbi dicitur: *Quicumque contra ſupradictam formam fuerint recepti, approbandi reſeruentur, Correctori generali*, & infra. *Poſtmodum approbentur, & eorũ receptio acceptetur & confirmetur.* Circa quæ verba notandum eſt, quod non dicit vt prædicta profeſsio ratificetur, nam ratificare eſt, aliàs irritum atq; inualidum, ratum facere: ſed dicit, acceptetur & confirmetur. Acceptare autem & confirmare (vt de ſe patet) eſt aliquid quod aliàs de ſe erat validum, à ſuperiori firmitatem & confirmationem accipere, ac tale illud ſemper fuiſſe, explicare & declarare. Neque etiam prædictis obſtare poteſt, ſtatutum ſeu generalis conſtitutio, ſiqua facta eſt in prædicto Ordine, quæ dicat, huiuſmodi profeſsiones factas ante 18. annum eſſe nullas: nam omnia ſtatuta (etiam generalia) ſunt inferiora Papa, nec poſſunt aliquid ſtatuere ſeu ordinare, quod ſit cõtra ius commune, vt iam pluries dixi. Et quamuis ſint per Papam confirmata, ſeu de illius licentia & auctoritate facta, Papa non confirmat neq; confirmare videtur, aut facultatem præbet condendi ſtatuta, niſi quatenus ſunt licita & honeſta, & non contra ſacros Canones, aut contra ius commune. Vnde nulla Capitula generalia, quantumuis Papæ auctoritate facta, auctoritatem habent, irritandi profeſsiones alicuius, ſeu aliquorum, qui aliàs ſunt habiles ad profitendum, ſecundum ius commune, vt quam doctiſsime docet & probat Nauar. libro. 3. conſiliorum conſil. 26. agens de alio eiuſdem Ordinis ſtatuto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſit neceſſarium, quod profeſsio expreſſa, fiat in manu Prælati, & illius, qui Religioni poteſt incorporare, aut de ipſius licentia?

SEcunda conditio, ad profeſsionem expreſſam requiſita (vt diximus) eſt, vt fiat poſt probationis annum: ſed quia de

de hac particula, & de his quæ ad hoc propoſitum ſpectant, plura diximus ſupra queſt. 22. agentes de Nouitijs, quantum attinet ad tempus ſuæ probationis ſiue approbationis, vbi per plures articulos monſtrauimus, qualiter eiſdem debuerit dari & præfigi, aliquod probationis tempus & explicauimus ampliſſime & copioſiſſime, quantū huiuſ modi probatio durare debeat, vbi incipiat, quando finiatur, & alia multa quæ ibidem videri poterunt; conſulto ab explicatione præfatæ particulæ ſeu conditionis, in præſentiarum abſtinemus. Cū haudquaquam neceſſarium eſſe videatur, eadem ſemel dicta, iterum atque iterum repetere, ſeu quod dicitur, hinc inde tranſcribere. At quamuis etiam, de propoſiti articuli difficultate, qua dicitur, quod profeſſio expreſſa, neceſſario fieri debet in manu Prælati, ſiue de ipſius licentia, aliqua ſint à nobis dicta, ſupra quæſt. 15. dum ageremus de facultate & auctoritate, admittendi & recipiendi, Nouitios ad Ordinem, in cuius articulo ſecundo diximus, Prælatos regulares per ſe ſolos, & ſine conſenſu aut ſaltim conſilio, ſiue Capituli ſiue Cōuentus, non poſſe recipere eoſdem, nec ipſos Religioni incorporare, non incongruum viſum fuit, pauca quædam in præſentiarum dictis ſuperaddere, de hac tertia conditione profeſſionis expreſſe, de qua ſit concluſio.

Concluſio.

Profeſsio expreſſa, neceſſario debet fieri, in manu Prælati, ſeu alterius ad id licentiam habentis.

AD profeſſionē expreſſam, neceſſum eſt quod recipiatur à Prælato, & fiat in manibus eius, ſeu alterius, ad id eius licentiam, & auctoritatem habentis. Hæc concluſio eſt Innocentij & Panormit. & fere communis, *in cap. porrectum, de regu.* vbi Pontifex Clemens III. agendo, de cuiuſpiam profeſſione dicit, *receptam eam fuiſſe ab Abbate*: imò verò addit, *quod iunctis manibus illam fecit, ſeque illi tradidit in Monachum, atque Fratrem.* Circa quæ verba Doct. iuriſperiti, ſuprapoſitam noſtram difficultatem mouent, eamque exagitant, vtrum ſcilicet, ad validitatem profeſſionis expreſſe, ſit neceſſarium, quod ſit aliquis qui ipſam recipiat, & an iſte talis neceſſario debeat eſſe Abbas, ſiue Prælatus, qui Religioni poſſit incorporare, vel quiſpiam alius de ipſius licentia & auctoritate? Cui difficultati Innocentius, & Panormi. concluſionem adhibēt affirmatiuam, adducentes ad id aptiſſimam rationem, & differentiam facientes atque conſtituentes, inter votum ſimplex & ſolemne, quod ſit per huiuſmodi profeſſionem expreſſam. Nam quāuis (inquiunt) votum ſimplex, etiam continentiæ & quodlibet aliud, fieri poſſit abſque eo quod recipiatur ab aliquo, iuxta *capit. ex parte, de cenſibus, & capit. quod Deo. 32. quæſt. 5. & iuxta l. 2. ff. de pollicit.* quia fit ſolummodo Deo, cui vouens obligatur. & obligatio dependet à ſola vouentis voluntate; at vero in voto ſolemni & profeſſione expreſſa, eſt quidpiam aliud ſpeciale: quia per ipſum, vouens non ſolum obligatur Deo, ſed etiam Monaſterio, & viciſſim Monaſterium obligatur eidem, ad alendum ipſum, & conſtituendum cum illo vnum corpus & vnum Collegium. Vnde & oritur ex dicta profeſſione, quidam contractus, & vtriuſque reciproca quædam obligatio, quæ fieri non poteſt, ſine conſenſu vtriuſque partis, ſicut patet in alijs contractibus & obligationibus, quæ non poſſunt ſtare, aut conſiſtere, ex conſenſu vnius tantum, ſed amborum, *iuxta legem, in omnibus. ff. de actionibus & obligationibus, & l. ſicut. C. eod. titul.* Ex his atque alijs colligit Panormit. in voto ſolemni & profeſſione expreſſa eſſe neceſſum, vt ſit quiſpiam, qui ipſam recipiat, & ſtunc fore dicit Abbatem ſiue Prælatum, qui poſsit quempiam Religioni incorporare, & quod non ſufficit receptio particularis Monachi, niſi id faciat de conſenſu, mandato & auctoritate Prælati. Sed quod id fieri poſsit, præcipiente & mandante Prælato, ſeu de ipſius licentia, expreſſe conſtat *ex cap. cum ad Apoſt. de regu.* vbi Innocent. III. mentionem facit, de quodam qui profeſſionem emiſit, Abbate per ſe, ſeu per alium illam recipiente. Et iuxta hunc ſenſum intelligēda ſunt iura, quæ quandoque mentionem faciunt de Presbytero, in receptione profeſsionis *quale eſt capit. conſuluit, qui clerici vel vouentes, matrimonium contrahere poſſunt*: nam omnia illa, cum facta fuerint, abſque legitima auctoritate, poteſtatem habentis incorporandi in Religione, ſunt & fuerunt vota ſimplicia & non ſolemnia. Quapropter in caſu prædicti *Capituli, conſuluit*, votum cuiuſdam nobilis mulieris, emiſſum in manu presbyteri, nō ad id auctoritatem habentis, dicitur quod impedit quidem matrimonium contrahendum, at non dirimit contractum. Sed aduerto, quod ad huiuſmodi profeſſionem expreſſam, vt dicitur in concluſione, ſufficit quod fiat in manibus alicuius Religioſi, à Prælato ad id auctoritatem habentis, aut quod poſtea ratificetur, & pro rata habeatur. Qua de re vide Sylueſtrum *verbo, Religio 3. q. 16.* vbi hoc multis iuribus, & capitulis probat. Videatur etiā Corduba ſuper Regulam noſtram cap. 2. quæſtio. 12. & Emmanuelē Rodericū in Quæſt. Regu. 3. tomo quæſt. 17. artic. 12.

Nota hoc vel de.

Difficultas.

Sed hic ſolet tangi quædam difficultas, quam etiam mouet præfatus Panormitanus. An ad profeſsionem expreſſam, ſufficiat quod votum recipiatur ab Epiſcopo? Quam etiam difficultatem tractat Syluester *verbo, Religio 3. quæſt. 18.* & adductis, hinc inde varijs ſententijs & opinionibus, quas ego omnes breuitatis gratia omitto, tandem concludit, quod non ſufficit vt votum recipiatur ab Epiſcopo, aut fiat in manibus eius, niſi ſit reſpectu illorum, qui ſunt ſibi ſubditi, & quorum reſpectu ipſe eſt verus atq; legitimus Prælatus. Nam aliàs extra territorium ſuum ius diceret, quod eſt contra omne ius, *cōtra leg. fin. ff. de iuriſdict. omnium iudicum, & capit. 2. de conſtitutionibus lib. 6.* Et ſi quę iura ſiue capitula, reperiantur in iure, quæ contrarium dicere videantur intelligenda ſunt, de Monaſterijs ſibi ſubiectis, vti erant olim fere omnia (vt ſupra diximus) de iure communi, & habetur *in capit. Abbas, & capit. Abbatem 18. quæſt. 2.* Concludit ergo Panormit. quod votum receptum ab Epiſcopo, in Religione non ſibi ſubiecta, ſeu non de licentia & conſenſu Prælati, auctoritatem habentis, non eſt ſolemne, vt dirimat ſeu dirimere poſsit matrimonium poſt contractum, *iuxta capit. vnitam, de voto lib. 6.* & quod ille talis in materia ſtricta, & ſtricte atque in rigore loquendo, non erit verè & propriè religioſus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ad professionem expressam, sit necessarium, quod Prælatus vt ipsam recipiat, requirat consilium suorum subditorum, aut quod id fiat cum consensu maioris partis Capituli?

AB hac etiam difficultate breuiter me expediam, quia supra quæst. 15. art. 2. hac de re, meo quidem videri, plura dixi; quin vero omnia, quæ ad hoc propositum possent desiderari. Sed nihilominus, vt proposito articulo, aliqualiter satis fiat, sit conclusio.

Conclusio.

Professio expressa, fieri debet, de consensu maioris partis Capituli.

AD professionē expressam, necessum est quod Prælatus, non solum requirat consilium, verum etiam & expectet consensum sui Capituli, & de consensu Prælati, simul atque Capituli, huiusmodi professio recipiatur & fiat. Hæc conclusio ponitur contra Panorm. qui vt latissime diximus in prædicto articulo, quamuis teneat, quod Prælatus tenetur requirere consilium sui Capituli, non tamē (inquit) tenetur expectare & sequi illud, & multo minus consensum. Quin verò Nouitios potest ad professionem recipere per se solum, non expectato consilio, aut consensu Capituli. Hoc dicit Panorm. *in cap. ad Apost. de regu.* & loquitur, vt expresse constat ex ipsius verbis de receptione Monachorum, non solum ad habitum, verum etiā & ad professionem. Nos verò supra, contrarium constanter affirmauimus, & fortissimis ductis rationibus, idipsum nunc denuo tenemus: quod in Nouitijs recipiendis, non solum ad professionem, verum etiam ad habitum, tenentur Prælati, non solum requirere consilium, verum etiam & expectare ipsum; quin verò & sequi consensum maioris partis Capituli, seu illorum, qui ipsum Capitulum repræsentant, & ipsius personam gerunt, qui in diuersis Religionibus, diuersimode nuncupantur, quandoque Discreti, alibi Cōsiliarij, &c. Imò verò dico & addo cum Nauarro, in suis consilijs lib. 3. de regul. consil. 62. num. 2. & super capit. statuimus, de regu. numer. 74. quod nullus Prælatus quantumuis generalis, per se solum & inuitis Fratribus, potest quempiam ad habitum, & multo minus ad professionem recipere. Nam creatio Monachorum, spectat de iure ad Abbatem siue Prælatum, & ad Conuentum simul, quidquid dicat Panorm. Et non solum requirendum est consilium, verum etiam expectandus est consensus maioris partis Capituli, & contrarium facere, esse videtur contra omnem prorsus rationem. Cuius quidem hæc est fortissima, & vt mihi videtur inuincibilis ratio. Nam, vt pluries dictum est, & in iure passim reperitur, in creatione Monachorum, & receptione eorum, maxime ad professionē, inuenitur quidam contractus, & reciproca quædam obligatio, qua professus Monasterio obligatur, & Monasterium vicissim ipsi professo, eundem alendi & sustentandi, & cum ipso vnum corpus & vnum collegium efficiendi atque constituendi, vt latissimè diximus in prædicto articulo, de mente Panormitani, ex quo plane sequitur, quod vtriusque partis requiritur consensus: & sicut professio esset nulla, deficiente consensu professentis, ita & nulli ter facta censenda atque existimanda est, deficiēte consensu Monasterij, & maxime contradicente capitulo, quidquid alias præcipiat Prælatus. Videatur hac de re Nauar. etiam in consil. 9. de const.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ad professionem expressam, requiratur quod fiat in Religione aliqua, per Sedem Apostolicam approbata, & secundum aliquam certam, atque determinatam regulam?

Conclusio.

Expressa professio fieri nō potest, nisi in Religione per Sedē Apost. approbata, et secundum aliquam certā, atque determinatam regulam.

EXpressa professio, fieri non potest, nisi in Religione per Sedem Apostolicam approbata, & secundum aliquam certam, atque determinatam Regulā. Hęc conclusio est omnium Doctorum communis, & habetur expresse *in cap. vnico, de voto. & voti redemptione lib. 6.* vbi Bonifacius Papa VIII. agendo de voto solemni, inquit: *Illud solummodo debere tale dici, quantum ad posī contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit, per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apostolicam approbatis,* & addit. *Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifestius sunt emissa, tantum propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possunt matrimonia posī cōtracta.* Hæc Bonifacius VIII. Ex quibus verbis colligitur, vt infert glossa ibidem, *verbo approbatis*, quod si quis profitetur Religionem non approbatam, & postea contrahit, tale votum non fuit solemne sed dumtaxat simplex, & matrimonium postea contractum tenet; quod & dicit esse verum, etiamsi quando professebatur, crederet illam esse approbatam. Eandem ob causam dicit, quod si quis recepit subdiaconatus ordinem, ab eo quem credebat esse Episcopum, sed re vera non erat, si postea contrahat, matrimonium valet. Idem dicit Syluester *verbo, Religio. 3. quæst. 18.* de illo qui olim erat expresse professus, intra annum probationis, in aliqua de Religionibus Mendicantibus, qui quidem secundum ius, per *cap. nō solum & cap. constitutionē, de regu. lib. 6.* non remanebat illi obligatus, sed solummodo Religioni in genere, vnde & talis professio expressa, non habebat vim voti solemnis sed tantum simplicis, & si contrahebat, matrimonium tenebat, quia nempe talis professio, nō erat facta, quantum ad istud, vni de Religionibus, per Sedem Apostolicam approbatis. Peccabat tantum mortaliter contrahendo, vti & peccat, quicumque

cumque contrahit poſt factum votum continentiæ ſimplev. Hac de re videndum eſt, etiam *cap. nenimia de religioſis domibus, & cap. vnicum, eo. tit. lib. 6.* atque in vniuerſum de hac profeſsione, & profitendi modo expreſſo, in aliqua de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, videatur *cap. porrectum de regu. & cap. rurſus, qui clerici, vel vouentes, & quæ ibidem dicuntur à gloſsis.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad profeſsionem expreſſam, ſit neceſſarium, quod vouens profiteatur, tria Religionis eſſentialia, atque ſubſtantialia vota?

Concluſio.

Ad profeſsionem expreſſam, neceſſariũ eſt, quod ipſa fiat de tribus eſſentialibus votis.

AD profeſſionem expreſſam, neceſſarium eſt, quod fiat de tribus eſſentialibus & ſubſtantialibus votis, nempe de obedientia, caſtitate & paupertate. Hæc cõcluſio eſt communis, omnium Doctorum reſolutio, quia vt ſupra diximus, quæſt. 1. artic. 4. 5. & 6. hæc tria ſunt de eſſentia, atque de ſubſtantia cuiuslibet Religionis, ſeu ſtatus religioſi, vt conſtat *ex cap. ad Apoſtolicam, cap. cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach.* Vnde & neceſſum eſt, quod à Religioſis promittantur & profiteantur, ſub voto expreſſo vel tacito: quod dico propter diuerſum modum profitendi, qui in diuerſis Religionibus reperitur. Videatur hac de re ſpecialiter prædictum *cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*, vbi hæc tria vota, adeò eſſe dicuntur de eſſentia & ſubſtantia Religionis, & ſtatus religioſi, vt ſuper ipſis, neque ipſe Summus Pontifex licentiam poſſit indulgere, aut diſpenſare. Vnde dico, quod ſi quis profiteretur obedientiam ſolummodo, & nollet ad alia teneri, ſeu obligari, nõ eſſet vere profeſſus, nec proprie religioſus, ſi hoc deduxit in pactum, tacite aut expreſſe, quia remota parte ſubſtantiali alicuius actus, certum eſt, quod remouetur & totum *iuxta cap. tua, de ſponſalibus*. Secus tamen eſſet, ſi non tacite, neque expreſſe, id deduxit in pactum, tunc enim valeret profeſſio expreſſa, facta de vno ſolummodo voto, nempe obedientia, maxime ſi addatur, ſecundum talem, vel talem regulam, vt mos eſt in aliquibus Religionibus profiteri, quorum Nouitij, quando profitentur in manibus ſuorum Prælatorum, dumtaxat dicunt, *promitto tali, vel tali Prælato obedientiam, & meam inſtitutionem iuxta regulam talem, vel talem.* Supradicta omnia neceſſaria ſunt, ad profeſſionem expreſſam, & neceſſario obſeruanda in ipſa. In reliquis autem, licêt nõ ſeruetur forma tradita profitendi in regula, tenebit profeſſio, per quæcumque verba fiat (vt ſupra diximus) quia defectus formæ non ſubſtantialis, non variat aut vitiat actum, ſicut etiam diximus de excommunicatione, & conſtat *ex cap. ſacro, de ſententia excommunicationis*, de quo videatur Panormitanus *in cap. porrectum, de regula.* & Sylueſter *verbo, Religio. 3. quæſt. 18.*

ARTICVLVS VII.

Quænam ſit profeſsio tacita, & quibus modis inducatur, & fiat?

POſtquam in præcedentibus articulis, egimus de profeſsione expreſſa, ſupereſt, agamus nunc de tacita ſiue interpretatiua, & propoſito articulo reſpondetur, per ſequẽtes concluſiones.

Prima Concluſio.

Diffinitio profeſsionis tacitæ, ſeu interpretatiuæ

PRofeſſio tacita ſeu interpretatiua (vt nomen ipſum ſonat) eſt illa, quæ fit ab aliquo, ſine voce & ſine ſcriptura, etiam poſt legitimam ętatem, & poſt expletum probationis annum, in Religionem per Sedem Apoſtolicam approbata, in qua profitens tacite obligatur, obedire Prælato, eiuſdem Religionis, & ſecundum illius regulam, & promittit etiam tacite, obſeruare obedientiam, caſtitatem, & paupertatem, quæ ſunt tria Religionis eſſentialia, atque ſubſtantialia vota. Hæc concluſio eſt certa, & omnium Doctorum communis, de qua vidẽdus eſt Sylueſter *verbo Religio. 3. quæſt. 19.* vbi de mente Ioannis Andr. & Panorm. *in cap. vidua, de Regu.* inquit eſſe neceſſarium ad ipſam, vt ſciant & conſentiant illi, quorum eſt Religioni incorporare: nam ſicuti expreſſa non inducitur, per quodcumque votum, neque per quamcunq; cauſam, niſi fiat in manibus Prelati potentis in Religione incorporare, vel alterius in id mandatum habentis, & recipientis nomine eius, vel ſequente ratihabitione, & vt nos etiam diximus, ex conſilio, aut vero conſenſu maioris partis Capituli, ita nec tacita fieri poteſt, abſque omnibus ſupradictis.

Secunda Concluſio.

Profeſsio tacita ſeu interpretatiua, inducitur quatuor modis.

HViuſmodi profeſſio tacita, ſecundum ius, quatuor tantum modis inducitur, ſeu inducebatur olim. Primo, quando aliquis Nouitius, poſitus in anno probationis, ingerebat ſe actibus, qui de iure aut conſuetudine, ſolummodo conueniebãt profeſſis. Secundo, ex delatione habitus profeſſorum, patenter diſtincti ab habitu Nouitiorum, intra eundem iuridicum probationis annum. Tertio, ex delatione habitus Nouitiorum per annum, indiſtincti patenter ab habitu profeſſorum, in forma, colore & ſciſſura, licet aliqualiter eſſet diſtinctus, diſtinctione aliqua occulta, vtputa benedictione, ſeu alio ſimili. Quarto, ex propoſito abſoluto mutandi vitam, quando quis ingrediebatur Religionem. His quatuor modis inducitur, ſeu potius inducebatur olim profeſſio tacita. Sed quia omnia iſta difficillima ſunt, & vt videtur, per Concilium Tridentinum partim immutata atq; maiori indigent explicatione, & declaratione, quia particulares difficultates continent, ne dum omnia ſimul dicuntur, confundantur, de eis omnibus in ſpeciali, particulares conſtituemus articulos, quorum primus erit in ordine octauus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm profeſsio tacita induceretur olim, per hoc quod quiſpiam in probatione poſitus, ingereret ſe actibus, qui de iure aut conſuetudine, ſolum modo conueniebant profeſsis?

Concluſio.

Profeſsio tacita inducebatur olim, per exercitiũ actuum, qui ſolummodo cõueniebãt profeſsis.

PRofeſſio tacita inducebatur olim, per exercitium illorum actuum, qui de iure aut conſuetudine, ſolummodo conueniebant profeſſis, vtputa electioni, & ſimilibus. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri *verbo, Religio. 3. quæſt. 19. ibi, primo ergo inducitur*, eandem etiam tenet Nauarr. *in capit. ſtatuimus num. 73.* & Corduba *ſuper regulam noſtram capit. 2. quæſt. 12.* & eſt communis omnium Doctorum reſolutio. Sed intelligenda eſt concluſio, cum certis quibuſdam limitationibus, quas adducunt Panormit. Innoc. & Oſtienſ. *in capit. prorrectum, de regu.* Primo quod ille talis eſſet Nouitius, atque exiſteret in ſui Nouitiatus anno. Secundo, quod ſciret illud conuenire profeſſis tantum: nam data ignorantia, ceſſaret præſumptio. Tertio, quod ſponte ſe ingeſſiſſet huiuſmodi actibus, & nõ ex vi aut metu. Quarto, quod perſeueraret in illo propoſito per triduum, aut loco perſeuerantiæ tridui, quod hoc faceret, cum habitu profeſſorum, patenter diſtincto, ab habitu Nouitiorum, in forma, colore, & ſciſſura.

Notanda & aduertenda, circa profeſſionis tacitæ, cõditiones atque limitationes.

Circa quas conditiones & limitariones, nõnulla veniunt notanda, & circa primam dico, quod diſſentiunt, ſumma Roſella, & Angelica: nam Roſella illam ponit, Angelica verò non eam habet. Sed componendo hanc differentiam, dicit Sylueſter, quod quando quis ſe ingerebat actibus profeſſorum, vt puta electioni & ſimilibus, ſine habitu ipſorum, nõ inducebatur profeſsio tacita. Quo fit, vt clericus ſecularis, per huiuſmodi actum, nõ cenſeretur profiteri, quod etiam dicit Panormit. vbi ſupra, ſecus autem eſſet, ſi cum habitu profeſſorum, ſe ingeſſiſſet; tunc enim non requirebatur olim, quod præceſſiſſet nouitiatus, cum *in capit. vidua. 27. quæſt. 1.* non legatur, quod illa fuerit nouitia, & tamen fuit declarata tacitè profeſſa, quod eſt valde notandum.

Nota quod ignorans & erràs, nõ cenſetur conſentire.

Circa ſecundam conditionem, notandum eſt etiam fuiſſe neceſſarium quod huiuſmodi ſciret, ea quibus ſe ingeſſiſſet, tantummodo profeſsis conuenire: nã data ignorantia, ceſſaret præſumptio, & *iuxta l. ſi quis per errorem. ff. de iuriſdictione omnium iudicum*, ignorans & errans, non cenſetur cõſentire. Quo fit, vt eſſet neceſſarium, quod ille talis ſciret, quod per eiuſmodi exercitium, aut geſtationem talis habitus, inducebatur profeſsio tacita, ſecundum Innocentium communiter receptum *in capit. ad noſtram, de regula.*

Circa tertiam conditionem, qua dicitur fuiſſe neceſſarium, quod ſponte ſe ingeſſiſſet huiuſmodi actibus, & non ex metu, facit *capit. vidua, de iis, quæ vi, & capit. quod interrogaſti. 37. diſtinct.* quibus dicitur, quod profeſsio facta per metum, etiam ſi ſit expreſſa, non valet, qua de re iam multa diximus ſupra quæſt. 17. art. 4.

Circa quartã cõditionẽ, de perſeuerãtia tridui, dico, quod hac de re fuit etiam olim, magna lis & cõtrouerſia inter Doct. nam Ioan. Andreas *in cap. ad noſtram, de regu.* dicit hoc triduum neceſſario requiri: ſed Panorm. & alij Doct. omnino tenent cõtrarium, cum de tali conditione non fiat mentio, *in ſupradicto capit. vidua.* Et dicunt, quod loco perſeuerantiæ tridui, ſufficiebat, vt id feciſſet cum habitu profeſſorum, diſtincto ab habitu nouitiorum, in forma, colore, & ſciſſura; ita quod duo ſimul habebant concurrere, ad prædictam profeſsionẽ tacitam, exercitium ſcilicet, actuũ qui de iure aut conſuetudine, ſolummodo cõueniebat profeſsis, & habitus profeſſorum modo prædicto, & tunc non requirebatur triduum, ſecus erat, ſi ſe ingerebat huiuſmodi actibus per annum, cum habitu nõ profeſſorum, ſed Nouitiorum (de quo infra dicemus) tunc enim neceſſaria eſſet perſeuerantia tridui, vt quidam alij volunt. Hæc Sylueſtri reſolutio, placet doctiſsimo viro Nauar. *in capit. ſtatuimus num. 73.* nam *in ſupradicto capit. vidua*, nullam faciendo mentionem de Nouitiatus anno, aut tridui, dicitur, quod illa ſe ingeſsit profeſſarum actibus, & habuit profeſſarum velum, quod erat earũ diſtinctiuũ, ac per hoc diiudicata eſt tacite profeſſa, abſque triduo. Supradictis omnibus addit Nauar. vbi ſupra, eſſe neceſſario requiſitum, quod prædicta ſupradictus fecerit de conſenſu, & voluntate eorum, qui Religioni poſſunt incorporare, & non aliter, vt pluries iam dictum eſt, & amplius infra dicemus.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm profeſsio tacita, induceretur olim, ex ſola delatione habitus profeſſorum per annum, ſine exercitio actuum, qui erant profeſſorum proprij?

Concluſio.

Profeſsio tacita inducebatur etiã olim per delationem habitus profeſſorum patenter diſtincti, ab habitu Nouitiorum.

PRofeſsio etiã tacita, inducebatur olim, per delationẽ habitus profeſſorũ, per annũ in Mendicãtibus, & in nõ Mendicãtibus intra annũ, etiã ſine exercitio actuũ qui ſolũ cõueniebant profeſſis. Hæc concluſio eſt Sylu. vbi ſupra, ibi, *ſecundo inducitur.* Eſt etiã Naua. *in præallegato capit. ſtatuimus, num. 74.* quæ & intelligenda eſt, cum ſequẽtibus limitationibus. Prima, quod huiuſmodi habitus eſſet patenter diſtinctus ab habitu Nouitiorum, in forma, colore, & ſciſſura, *per caput. 1. de regu. lib. 6.* Secunda, quod ille talis ſciret, quod per id de iure aut conſuetudine, fieret profeſsio, & ſcienter deferret, ſciendo quod id tantum conueniebat profeſsis: nam ignorantia præſumptionem tollit, & ſi geſtabat illud ignorans, aut non putans ſe eſſe profeſſum, per huiuſmodi geſtationem, nullatenus eſſet cenſendus talis, vt tradit Nauar. lib. 1. conſil. de conſtit. conſil. 9. & libro 3. de regul. conſilio 34. ex Caietano 2. 2. q. 189. artic. 1. & 2. Tertia, quod ſponte deferret, & non

non ex metu, iuxta ea, quæ dicta sunt, in præcedenti articulo, *per cap. vidua, de his quæ vi, & c. quod interrogasti. 27. dist.* Quarta, quod deferret huiusmodi habitū in Monasterio, & Congregatione aliqua regulari, *iuxta glossam cōmuniter receptam, in Clemen. eos. de regul. ibi, verbo in aliqua*, & Panormitanum, & Doctores ibidem, *& in c. at si clerici, de regul. & c.* 1. *& fin. eodem tit. lib. 6.* Sed circa hanc conditionem & limitationē, aduertendū est, vt aduertit Nau. *in c. statuimus 19. q. 3. n. 74.* & *lib. 3. cōsi. de regu. cōsi. 13.* 32. *&* 41. *&* 42. quod intra Monasteriū habitū cen setur deferre, qui defert illum extra de licentia, obedientia, atque mandato sui superioris, vt nos etiam diximus supra quæst. 22. art. 6. & tradit Abbas antiquus, *in cap. cum illo, de sententia excommu.* vbi inquit, quod vbicumque fuerit Monachus, modo sit sub obedientia Abbatis, semper intelligitur esse in claustro. Id quod & tenet Abbas iunior, aliàs dictus Panormit. *in c. ex rescripto, de iure iurando*, quod est intelligendum, nisi talis superior, concederet alicui licentiam deferendi habitum sui Ordinis, honoris siue deuotionis gratia, & ea lege & pacto, quod gestatio illius, non illi prodesset ad professionem tacitam, neque per id intelligeretur profiteri, siue annum Nouitiatus, aut probationis adimplere, tunc enim, non induceretur talis professio tacita: nam actus agentium non se extendunt, nec operantur vltra voluntatem & intentionem eorum, *iuxta. l. non omnes, ff. de reb. cred. & cap. vltimum. de præb.* Regulariter tamen loquendo, ad professionem tacitam necessarium est, quod huiusmodi professorum habitus, deferatur in Monasterio, & non extra, per supradicta, & *per cap. vt clerici, de regul.* vt probe notat Panormi. *in cap. ex rescripto, de iure iurando.* Quia (inquit) cessat præsumptio, deferendo illud extra Monasterium, eo quod si vellet profiteri, intraret Monasterium. Quinta limitatio erat, quod huiusmodi habitus in Mendicantibus; deferretur per annū continuum, nam si deferretur per quatuor menses continuos, & postea exiret, iterumque reuerteretur, & deferret ipsum per octo vel plures menses, iterumque exiret, ante completum annū continuum, nullatenus censeretur professus, *iuxta cap. 1 de reg. lib. 6. & glossam, & Doctores ibidem, ibi per totū annū.* Hæc enim erat olim differētia inter Mēdicātes & nō Mēdicantes, q̄ nō mēdicātes, poterant prætermittere probationis annū, vt supra diximus, at Mendicantes minimè, & professio facta, ante iuridicum probationis annum, in illis erat nulla, neque dissoluebat matrimonium postea contractum. Hac de re vide Cordubā super nostram regulam cap. 2 quæst. 13. in secundo puncto. Sexta limitatio erat, quod deferret habitum supradictum, scientibus & cōsentiētibus ijs, quorū erat incorporare Religioni (vt sæpe diximus) nam sicuti expressa professio, nō fit aut inducitur; quocumque voto, vel causa, nisi fiat in manibus prælati, potentis recipere & incorporare Religioni, vel in manibus alterius, ad id mandatum & auctoritatem habentis, & recipientis nomine eius, vel sequuta ratihabitione, ita neq; tacita professio fiebat, aut fieri poterat, sine scientia, & assensu, siue consensu eorum, quorum erat Religioni incorporare. De hac conditione videātur quæ dicit Panormit. *in cap. vidua, de ijs, quæ vi, & in cap. porrectum de regu.* Videatur etiam Nauar. lib. 3. consilio. consi. 41. & Syluester, *verbo, religio. 3. q. 19.* Prædictis conditionibus addunt quidam, fuisse necessarium quod in delatione huiusmodi habitus, ille talis per triduū persueraret, vt non dubitaretur quo animo deferretur, & sic intelligūt, *c. constitutionē in fine. de regu. lib. 6.* Sed alij contrarium tenent, & dicunt non fuisse requisitum huiusmodi triduum, qua de re videatur Panormitanus, *in dicto cap. constitutionem, &* Syluester vbi supra, ibi, *secundo inducitur, in fine.* Nam ipse hac in re nihil volo determinare, aut diffinire, neq; modo est alicuius vtilitatis, seu momēti idipsum facere, cum hæc ferè omnia, per Concilium Tridentinū iam sint immutata & innouata vt infra dicemus.

Nota quod intra monasterium cēsetur habitū deferre, qui defert illum extra, de sciētia sui prælati.

Nota quod actus agentiū non se extendunt neque operantur vltra voluntatem eorū.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Professio tacita induceretur olim, per delationem habitus Nouitiorum per annum, indistincti distinctione patenti, ab habitu professorum, distincti vero aliqua distinctione occulta?

AT difficultas præsentis articuli, plenius intelligi possit, aduertere libuit, quod in aliquibus Religionibus, habitus Nouitiorum, patenter est distinctus ab habitu Professorum, in forma, colore, & scissura, in aliquibus vero non ita, sed quadam distinctione occulta, vt puta benedictione, vt pro clericis fit in Ordine Prędicatorum, secus autem pro laicis, qui deferunt scapularia nigra. In nostro autem sacro Minorum Ordine, fieri etiam cōsueuit, vt Nouitijs quibusdam nobilibus, atque etiam sacerdotibus, præstetur Professorum caputium, vulgo dictum *capilla*, absque aliqua distinctione patenti, ab habitu Professorum, solummodoq; est inter ipsos, & alios religiosos iam professos distinctio quædam occulta, nempe quod professis præstatur habitus, cum caputio consutus, Nouitijs autem prædictis, non ita, sed insutus seu á caputio diuisus atque separatus. Hoc præsupposito notabili, insurgit modo difficultas, nec parua quidem, sed magna, vtrum huiusmodi Nouitij deferentes per annum, habitum Nouitiorum, indistinctum distinctione patenti, ab habitu Professorum, censerentur olim, aut censeri debeāt modo (concurrentibus alijs, quæ nuper in Concilio Tridentino sunt ordinata & disposita) esse in talibus Religionibus tacite professi, quamuis alias, eiusmodi habitus, esset distinctus aliqua distinctione occulta, & non patenti.

Hac de re est magna lis & controuersia inter Doctores: quidam enim dicunt, esse necessarium ad hoc, vt isto modo inducatur tacita professio, quod habitus sit patenter distinctus, ab habitu Nouitiorum, in forma, colore, & scissura, & quod alias non induceretur, per quodcumque tempus deferatur, etiam viginti annorum. Alij vero dicunt sufficere, quod sit distinctus quauis distinctione

ctione occulta, vtputa benedictione, seu quouis alio modo, & quod in tali etiam casu inducitur, si per annum deferatur: nam (inquiunt) quælibet istarum differentiarum, sufficit tacitam professionem efficere, modo deferatur per annum. In hac sententiarum & opinionum diuersitate, quod verius videbitur, explicabitur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Professio etiã tacita, inducebatur olim, per delationẽ habitus Nouitiorũ per annum, indistincti distinctione patẽti, ab habitu Professorum, etiamsi aliàs esset distinctus, distinctione occulta, dummodo concurrerent aliæ conditiones, ad professionem tacitam requisitæ.

PRofessio tacita, etiam inducitur seu inducebatur olim, per delationem habitus Nouitiorũ per annum, indistincti distinctione patẽti, ab habitu Professorum, etiamsi aliàs esset distinctus, distinctione aliqua occulta, dummodo concurrerent aliæ conditiones, ad professionem tacitam requisitæ. Hæc conclusio videtur expresse determinata per *Clem. eos, de regu.* & est expressa Syluestri, *verbo, religio. 3. q. 16. ibi.* Tertio *inducitur*; est etiã Doctor. Nauar. *in c. statuimus. numero. 74. ibi etiam. 3. inducitur.* Eandem etiam tenet Emmanuel Roderi cus tomo. 3. suarum Quæstio. Regul. quæst. 17. ar. 2. vbi dicit, quod si quis sacerdos, in nostro sacro Minorum Ordine, defert per annum professorum caputium quamuis insutum, qui est habitus qui apud nos præstatur Nouitijs clericis, & interdum aliquibus nobilibus, quod cum huiusmodi habitus non sit patenter distinctus; sed tantummodo occulte, ab habitu professorum: si vltra annum perseueret nec aliud protestetur, tacite erit censendus professus. Nam licet de iure communi antiquo, per *cap. 1. de regu. lib. 6. §. distinctus*, quælibet istarum differentiarum, sufficeret ad impediendam, seu non inducendam tacitam professionem, at de iure nouo, innouato per supradictam *clem. eos. de regu.* si differentia, siue distinctio habitus, non est patens, non sufficit impedire eandem, dũ modo concurrant aliæ conditiones requisitæ ad tacitam professionem. Idem tenet Nauarr. vbi supra. num. 74. vbi dicit, quod re vera, in tali casu inducitur tacita professio: nam quamuis de iure antiquo, non ita fieret, *per cap. ex parte, & cap. Statuimus, de regu. & cap. 1. citatum eodem tit. lib. 6.* imo quælibet distinctio habitus, etiam latens & occulta, impediret professionem tacitam, modo tamen de iure nouo, innouato *per dictam clem. eos, de regul.* nõ est ita, nec omnis distinctio latens & occulta, sed solummodo patens & manifesta, in forma, colore, & scissura, impedit ipsam, hæc Nauarro vbi supra.

Notanda circa dictam conclusionem.

Sed circa prædictam conclusionem, nonnulla occurrunt notanda, & maximè circa illa verba, dommodo concurrant omnes aliæ conditiones, ad professionem tacitam requisitæ, de quibus diximus supra art. 2. ex quibus planè colligitur. Primò quod re vera non quispiam tacite esset censendus professus, si habitus Professorum esse patenter esset distinctus ab habitu Nouitiorũ: nam si esset distinctus, non censeretur facta professio tacita, per delationem habitus prædictorum Nouitiorum, etiam per viginti annorum spatium, vt probe tenet *glossa in supradicta clementina eos, de regu.* Vnde in nostro sacro Minorum Ordine, deferendo caparonem, quod est patens Nouitiorum à professis distinctiuum (nam professi deferunt caputia, vulgo dicta, *capillas*) per nullum tempus induceretur tacita professio, quod est valde notandum, atque memoriæ commendandum. Secundo noto, quod neque etiam induceretur professio, deferendo Nouitium, capellam siue caputium, etiam insutum siue non consutum (quod non est patens ipsorum distinctiuum, sed occultum) si eiusmodi Nouitius protestaretur se nolle profiteri, aliqua iusta de causa, *iuxta glossã in prædicta clem. eos, de regu.* Nam quamuis quidam dicant quod nõ prodest huiusmodi protestatio, si aliàs maneat in Monasterio, & deferat habitum, quia hic inducitur præsumptio iuris & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium, & quia talis protestatio videtur facto contraria; nihilominus tamen, contrarium est verius, & tenendum, & ita tenent Syluester & Nauarr. locis supracitatis, & inquiunt, quod non est facto contraria, sed potius animi declaratoria, *iuxta cap. cum M. de constitutionibus*; quia vbi factum est multipliciter intelligibile, & agens protestatur quod non agit illud ad hunc finem, vt puta, vt profiteatur, sed ad illum, nempe, vt adhuc probet, bene valet protestatio, vt expresse probat, & tenet Panormitan. *in cap. ex parte, de regul.* Et addo, quod vbi habitus est patenter distinctus, huiusmodi protestatio nõ est necessaria, quia ipsum signum distinguens, est sufficiens protestatio, vt tenet idem Panormit. *in ca. postulasti eo. tit.* Tertiò est notandum circa prædicta verba, litem esse & controuersiam inter Doctores, an in casu propositæ conclusionis, sit necessarium, quod huiusmodi habitus deferatur per annum, & diem? Quidam enim dicunt, quod sic; imò verò Emmanuel Rodericus vbi supra, ponit casum in eo, qui detulit ipsum per annũ & tres dies, sed Syluest. omnino tenet contrarium, & dicit non oportere, addere anno diem, nisi in anno bisextili, sed neque esse necesse, deferre vltra annum; sed sufficere delationem per annum. Vnde inquit, quod in vltimo instanti anni probationis, huiusmodi erit professus, nisi aliud obstet, nempe protestatio, aut quippiam simile. Idem tenet Nauarr. vbi sup. num. 74. vbi dicit, quod non requiritur triduum, neque vllus dies vltra annum: quia nullus est textus, qui hoc dicat aut conuincat, quam ob causam huic sententiæ, & opinioni, quia longè videtur probabilior, atque in fauorem Religionis, libenter adhæreo.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm quando olim quispiam, suscipiebat habitum Nouitiorum, cum proposito mutandi vitam absolutè, censendus esset, tacite professus?

SEd hac etiam difficultate & cõtrouersia, magna fuit olim lis & controuersia inter Doctor. negantibus quibusdam & asserentibus, quod non, dicentibus vero alijs, quod sic. Et fundamentum istorum erat, quia multa reperiũtur capita in iure, quæ idipsum videntur sonare ac dicere, *c. consuluisti, & c. statuimus, de regu. & cap. non solum, eodem tit. lib. 6.* in illis verbis: *Si euiden-*

ter

ter conſtet illum abſolutè voluiſſe vitam mutare. Ex quibus inferebant, quod is qui Religionem intrauit, cum animo & propoſito vitam mutandi abſolutè, cenſendus erat tacite profeſſus, nec illi vllo modo, à ſemel cæpta vita, licitum erat retrocedere. Sed ijs non obſtantibus, contraria ſententia eſt verior & tenenda, de qua ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Profeßio tacita, nullatenus inducebatur olim, per ſolū propoſitū mutandi vitā niſi aliquid aliud ſimul adeſſet.

PRofeſſio tacita, nullatenus inducebatur olim, per ſolum propoſitum vitam mutandi, quantumuis, abſolutum, niſi quidpiam aliud ſimul adeſſet. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſt. *verbo, Religio. 3. q. 19. ibi, quarto inducitur ſecundum aliquos:* vbi recitata alia opinione & ſententia, contrariam ipſe tenet, quam & probat, per ſupra allegatū, *c. non ſolum, de regu. lib. 6.* vbi eum, qui propoſuit abſolutè vitam mutare, diuidit contra illum, qui expreſſe vel tacite eſt profeſſus, in illis verbis; *ſi tacite, vel expreſſe profeſſus ſit, aut euidenter conſtet, illum abſolute voluiſſe vitam mutare.* Ex quibus verbis colligit, quod hæc non ſunt omnino idem, ſed diuerſa: etenim ſi idem fuiſſent, non erat cur multiplicarentur. Nec modicum quidem, ſed multū facit etiam ad hoc, *ca. ex tranſmiſſa, de renuntiatione.* Eandem concluſionem tenet Nauarr. *in cap. ſtatuimus, num. 74.* vbi expreſſe tenet, quod nullum propoſitum mutandi vitam abſolutè, etiam cum ipſo ingreſſu Religionis; imò neque votum de perſeuerando in ipſa, inducebat olim nec modo inducit profeſſionem tacitam. Pro quo etiam allegat ſupradictum, *cap. non ſolum*, quatenus diuidit ingreſſum cum propoſito abſolutè mutandi vitam, ab expreſſe, vel tacitè profeſſo. Aliam adducit ad idem peculiarem rationem: & ea eſt, quia nempe profeſſio, requirit duas perſonas (vt ſupra diximus) altera quę faciat, alia vero quæ recipiat, aut recipere poſſit profeſſionem, expreſſam vel tacitam, quod in præſenti non inuenitur, in eo qui Religionem intrauit, etiam cum propoſito quantūuis abſoluto mutandi vitam. Quibus etiam addi poteſt alia ratio ex ſupradictis, ſcilicet quod profeſſio, nec tacita neque expreſſa, fieri aut dari poteſt alicui, ſine conſenſu Monaſterij aut Capituli, cum ſit quidam contractus, ex quo reciproca quædam oritur obligatio, quæ ex parte vnius tantum proficiſci non poteſt, quantumcunque proponat, *iuxta l. in omnibus. ff. de actio. & obliga.* Videatur hac de re Sylueſter loco quo ſupra, vbi de mente Cardinalis, & Panormit. *in cap. conſuluiſti, de regu.* dicit, quod is qui fecit votum de perſeuerando, non efficitur profeſſus, per delationem habitus Nouitiorum diſtincti, & quod ſi contraheret matrimonium, teneret. Et *ad cap. non ſolum, & ad alia iura quæ videntur contraria*, Reſpondet, quod intelligenda ſunt, in hunc ſenſum, quod ad ſæculum redire non poteſt, is qui ingreſſus Religionē, & abſolutè propoſuit vitam mutare, non quidem ex eo, quod ſit profeſſus tacitè; ſed quia emiſit votum expreſſum vel interpretatiuum, perſeuerandi in Religione; ſic enim interpretandum eſt verbum illud, *propoſitum*, poſitum in ſupradictis iuribus, & ita illud interpretantur omnes communiter iuris periti Canoniſtæ. Quod quidem votum tenebatur adimplere, nec regredi poterat ſine peccato mortali. Hæc ſolutio eſt vera & bona, ſed aliam tradunt alij meliorem, dicentes huiuſmodi propoſitum abſolutum, de quo prædicta iura loquuntur, fuiſſe oblationem quandam, quam de ſe olim faciebant quidam, in initio ingreſſus Religionis, per quam etiam petebant ſtatim ad profeſſionem admitti. Qui quidem per illam, obligati remanebant Religioni; nec inde ſine peccato poterant egredi, non tamen per hoc erant profeſſi, tacitè neque expreſſe, quod eſt intentum & hoc eſt verum. Videatur hac de re Nauarr. vbi ſupra & Emmanuel Rodericus in Quæſtionibus Regularibus tomo. 3. quæſt. 15. ar. 12. ibi: Circa eandem conſtitutionem.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm nunc, poſt Concilium Tridentinum reperiantur prædictæ profeßiones tacitæ, & aliquam vim habeant?

RAtio dubitandi eſt, nam vt ex ſupradictis conſtat, multa reperiuntur in prædictis tacitè profitēdi modis, quæ nūc immutata, abrogata atque annullata eſſe videtur poſt Cōcilium Tridētinum, maximè illud de profitēdo ante expletum probationis annum. Poterat enim olim, vt ſupra latiſſimè diximus, renūciari huiuſmodi probationis terminus, cum eſſet datus atque præſtitutus, in fauorem cōuerſi & monaſterij, *iuxta cap. cum ad Apoſt. de regu.* at nūc non poteſt idipſum fieri per *Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. c. 15.* nec poteſt profeſſio præſtari, aut profeſſus quiſpiam effici, niſi poſt expletū probationis annum; & profeſſio aliter facta, ſtatuitur quod ſit nulla, nullamq; inducat obligationem. Præterea, olim nō tenebātur Nouitij aut Cōuerſi, ſtatim poſt expletum probationis annum profiteri; imò verò ex cauſa, profeſſio ſibi poterat dilatari, at nūc id fieri haud quaquam poteſt, per idem Cōcilium loco, quo ſupra, vbi ſtrictè præcipitur, quod finito probationis anno, Nouitij ſtatim ad profeſſionem admittātur aut expellātur. Ex quibus omnibus, & alijs à me breuitatis cauſa omiſſis, dubium forſan cuipiam videri poteſt, an per præfatum Concilium Tridentinum, ſint reuocatę & annullatæ, eiuſmodi tacitæ profeſſiones. Ijs tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Profeßiones tacitæ, nō ſūt per Cōc. Tri. reuocatæ, dū modo ſeruentur in eis ea, quæ aliàs circa profeßionē expreſſam, ſunt decreta.

PRofeſſiones tacitæ per Concilium Tridentinū, nō ſunt ſublatæ aut reuocatæ, dummodo aliàs ſeruentur in eis, ea quæ circa profeſsionem expreſſam, ſunt decreta atque determinata. Hæc cōcluſio eſt expreſſa Doctoris Nauarri lib. 3. conſiliorum; de regu. conſi. 35. 41. 42. & 44. & eandem tenet Emmanuel Rodericus, tomo. 3. Quæſtionū Regularium, quæſt. 17. art. 1. & 2. & in Summa. 2. par. cap. 8. num. 1. & 2. Vnde dico, quod quamuis modo, etiam ſi quis ante legitimam ætatem, ſeu ante

ante iuridicum probationis annum expletum, deferret habitum profeſſorum, patenter etiam diſtinctum, ab habitu Nouitiorum, aut etiam ſe ingereret per quantumcumque tempus, actibus, quide iure aut conſuetudine, ſolummodo conueniunt profeſſis, nullatenus cenſeretur, aut cenſendus eſſet profeſſus: nam profeſſiones taliter factæ, per ſupradictum Concilium ſunt reuocatæ & annullatæ, & præceptum ibidem, quod nullam inducant obligationem, ad alicuius Regulæ, Religionis, vel Ordinis obſeruantiam, aut ad alios quoſcumque effectus: ſed tamen ſi id fieret, poſt legitimam ætatem, & poſt expletum probationis annum, ſeruatiſque alijs, quæ in eodem Cõcilio, obſeruari præcipiuntur, ſtatuuntur atq; determinantur, haud dubium eſt, quod re vera, ille talis tacite eſſet profeſſus. Et idem dico de eo, qui poſt annum, deferret habitum Nouitiorum, patenter indiſtinctum ab habitu profeſſorum, etiam ſi eſſet diſtinctus aliqua diſtinctione occulta, niſi interueniſſet aliqua proteſtatio, de qua diximus ſupra, ſeu defuiſſet illi cõditio aliqua ex requiſitis ad idem. Hoc eſt certum, verum, atque tenendum. Et ad rationes dubitandi, & alia in contrarium adducta reſpondeo, quod Concilium Tridentinum præcipit, vt nulli liceat profiteri ante legitimam ætatem, & ante expletum probationis annum, præcipit etiam quod poſt ipſum expletum, Nouitij non detineantur, quæ omnia hodie obnixe obſeruanda ſunt, non tamen præcipit, aut dicit, quod ſi adhuc de facto permanſerint, aut fecerint aliqua ex prædictis, non cenſeantur, ſeu ſint cenſendi tacitè profeſſi, & certum eſt, *iuxta cap. ſuſceptum, de reſcriptis libro. 6.* quod caſus omiſſus, ſemper remanet in diſpoſitione iuris communis. Nec omnis detentio habitus prohibita à iure, operatur vt non inducatur tacita profeſſio, ſed illa tantummodo, quæ alias ipſo iure, eſt irrita & nulla atque eſſe talis declaratur. Quo fit, vt etiam poſt Concilium Tridentinum, qui poſt legitimam ætatem, & poſt expletum probationis annum, ingereret ſe nunc, profeſſorum actibus, ſeu deferret habitum ipſorum, patenter diſtinctum ab habitu Nouitiorum, aut habitum Nouitiorum, indiſtinctum patenter ab habitu profeſſorum, licet alias eſſet diſtinctus aliqua diſtinctione occulta, concurrentibus alijs de iure antiquo & nouo requiſitis, ad tacitam profeſſionem, de quibus dictum eſt in præcedentibus articulis, & nulla interpoſita in contrarium proteſtatione, omni proculdubio cenſendus erit tacitè eſſe profeſſus. Videatur Nauarr, vbi ſupra, ſed maximè conſilio 35. numero. 5. vbi ad hoc propoſitum dicit multa notatu digniſſima.

Notanda circa tacitã profeſsionẽ, poſt Conc. Trid.

Nota quod caſus omiſſus ſemp rema-net in diſpoſitione iuris communis.

QVAESTIO XXV.

De Nouitijs, quantum ad diuerſum ipſorum modum, profitendi expreſſe, in quatuor decim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quotupliciter fieri contingat, profeßionem expreſſam?

Concluſio.

Tribus modis contingit expreſſe profiteri.

TRibus modis, contingit expreſſe profiteri. Primò dicendo, N. promitto ſeruare regulam. Secundò: Promitto viuere ſecundum regulam. Tertio: Promitto obedietiã, ſecundum talem, vel talem regulam. Hæc concluſio colligitur ex doctrina ſancti Thomæ. 2. 2. quæſt. 186. art. 9. in ſolutione ad primum, & in quodlibetis, quodlibet. 1. quæſt. 9. ar. 4. vbi conſtituit hunc triplicem profitendi modum, & ponit differentiam circa ipſos dicendo, quod qui in ſua profeſſione, profitetur ſeu vouet ſe ſeruaturum regulam, quantum ad verba, & vt appareat exterius, tenetur ex præcepto, ſeruare ſingula quæ continentur in ipſa. At qui profitetur non quidem regulam, ſed viuere ſecundum regulam, non tenetur ex vi verborum, ad omnia quæ continentur in ipſa. ſed ſolummodo tendere ad hoc, quod mores ſuos inſtruat & informet, ſecundum eandem regulam, ſicut ad quoddam exemplar, quod non tollitur niſi per contemptum. Qui verò nec ſic, nec aliter profitentur, ſed ſolummodo, promittunt obedientiam ſecundum regulam (inquit) quod adhuc cautius ſe gerunt, quia tali profeſſioni & profitendi modo, nihil contrariatur, niſi id ſolum; quod eſt contra præceptum regulæ. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. in ſupradictis locis, cuius verba referuntur & approbantur à Syluestro in ſumma, *verbo, Religio. 1. quæſt. 8.* & quidquid ſit de veritate ipſorum, hoc ſaltim ex eiſdem colligitur, de mente Angelici Doctoris, quod tripliciter contingit expreſſe profiteri, ſeu triplex eſt expreſſus profitendi modus, per quod fit ſatis ei, quod quærebatur in propoſito articulo.

Quænã differentia verſetur, ſecundũ D. Tho. inter hunc triplicẽ modum profitendi.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm qui in ſua profeßione, promiſit ſeruare aliquam Regulam, teneatur perinde ſub peccato ad omnia, quæ continentur in ipſa?

HAEC quæſtio atque difficultas, ampliſſima eſt, & de qua magna eſt lis & controuerſia, inter Doctores. Qui dã enim dicũt, quod qui in ſua profeſſione promittit ſe ſeruaturũ aliquã regulã, obligatur perinde ſub peccato mortali, ad omnia quæ continentur in ipſa. Quin verò addunt, quod omnia in tali regula contenta, nedum ſunt præcepta, verum etiam vota, & vota quædam ſolemnia. Ad quod dicendum mouentur. Primò, quia qui prædicto modo profitentur, non ſolum profitentur ſolemniter, ſeruare obedientiam, caſtitatem, & paupertatem quæ ſunt tria ſolemnia eſſentialia atque ſubſtantialia Religionis vota, verum etiam & ipſam regulam, poſtquam dicunt ſe promittere ſeruaturos regulam: ergo de primo ad vltimum, promittunt etiam ſolemniter ſe ſeruaturos, omnia quæ continentur in ipſa, & per conſequens, omnia in tali regula contenta, non ſolum ſunt præcepta, verum etiam vota, & vota ſolemnia. Quod & confirmant ſpecialiter de noſtra Religione, & ſacro noſtro Minorum Ordine, vbi profitentes dicimus, vouere nos atque promittere, ſeruare regulam Fratrum Minorum, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Et adducunt in ſuam ſententiam explicationem & declarationem Clementis V. eiuſdem noſtræ Regulæ, approbatam in Concilio Viennenſi, quę habetur *in Clementina, Exiui de paradiſo, de verborũ ſignificatione*, vbi prædictus Clemens Quintus, explicans & declarans noſtram regulam, & præfatum noſtrũ profitendi modum inquit: *Quod nos Fratres Minores, ex profeßione noſtræ regulæ, obligamur, non ſolum ad ſuprapoſita tria ſubſtantialia Religionis vota, nude & abſolute, verum etiam & ad implẽda omnia, quæ ſunt ad ipſa pertinentia, quæ regula ipſa ponit.* Et addit: *nam ſi ad hæc tria tantum, præciſe & nude obligarentur, promittentes ſe ſeruare regulam, viuendo in obedientia ſine proprio & in caſtitate, & non etiam ad omnia alia contenta in regula, quibus hæc tria modificantur, pro nihilo & vane profiterentur, hæc verba: Promitto ſemper hanc ſeruare regulam, ex quo de his verbis nulla naſceretur obligatio.* Verba ſunt expreſſa Clemen. V. in dicto Concilio Viennenſi, quibus confirmari videtur opinio ſupradicta, nempe quod nos Minores Fratres, ex vi noſtræ profeſſionis, & ex noſtro profitendi modo, obligamur non ſolum ad tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota (ad obedientiam ſcilicet, caſtitatem, & paupertatem) verum etiam ex vi voti, ad omnia quæ continentur in ipſa regula, ſiquidem abſolutè profitemur ſeruare illam, ac proinde omnia quæ in ipſa Regula continentur, neque id ſolummodo tanquam præcepta, verum tanquam vota, & vota ſolemnia. Hæc ſunt potiſſima huius opinionis fundamenta, quibus non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, pro qua ſequentes ſtatuuntur Concluſiones.

Prima Concluſio.

Qui profitetur ſeruare aliquam Regulam, non perinde vouet ſeruare ex præcepto, omnia quæ continentur in ipſa, ſub mortali.

QVI profitetur ſeruare aliquam Regulam, non perinde vouet ſeruare, omniaquæ ſunt in ipſa ſub mortali, ſed ſolummodo regularem vitam, quæ eſſentialiter in tribus votis eſſentialibus conſiſtit. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ 2.2. quæſt. 186. ar. 9. ad primum, & in quod libetis, quodlibeto. 1. quæſt. 9. artic. 4. vbi inquit, quod quamuis, quando aliquis in ſua profeſſione profitetur ſeu vouet, ſe ſeruaturum aliquam Regulam, quantum ad verba & vt apparet exterius, teneatur ex præcepto ſeu ex voto, ſeruare ſingula quæ continentur in eadem, & ſe obligare ad ſingula contenta in ipſa, tamen in rei veritate nõ ita eſt, ex intentione inſtituentis Regulam, aut profeſſionem in eadem Religione emittentium, neque ad prædicta omnia tenentur. Nam ex hoc inquit ſequeretur, Religionis ſtatum nihil eſſe aliud, quam laqueũ quendã peccati mortalis, qui vix aut nunquã poſſet declinari, quod nullus Autor alicuius Regulæ facere intendit. Verba ſunt expreſſa doctiſſimi atque ſanctiſſ. Doctoris Angelici; & quidem notatu digniſſima, quæ & ponuntur & referuntur à Sylueſtro, *verbo, Relig.* 1. q. 8. & (vt videtur) non ea intentione, pura & candida, qua dicuntur à ſuo & noſtro ſanctiſſ. & doctiſſ. Magiſtro. Sed quidquid de hoc ſit, probatur noſtra concluſio, clariſſimis, & efficaciſſimis rationibus, & primò ex ſententia Nicolai. III. P. M. in expoſitione, & declaratione eiuſdem noſtræ Regulæ, quæ habetur etiã inſerta in iure, *in c. exijt, de verb. ſignif. in 6.* vbi ſimili propoſita quæſtione, atq; difficultate, an ſcilicet nos Fratres Minores, ex vi noſtræ profeſſionis & ex noſtro profitendi modo, poſtquam profitemur, ſeruare ſanctum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate teneamur ad ſeruanda omnia conſilia Euangelij, ſub peccato, ſicut & præcepta Euangelica, quæ in ipſa continentur Regula, poſt multa alia dicit, *quod non, ſed tantummodo ad ſeruanda præcepta, vt præcepta, conſilia vero vt conſilia, vt ex Regula eadem clarè ſatis apparet.* Et addit, *quod dato caſu, quod abſ. luiè diceretur à nobis: Promitto ſanctum Euangelium obſeruare, manifeſtè videtur promißionem huiuſmodi, abſque intentione profitentium, nõ debere perſtringi, ad alium intellectum, aut ſenſum, niſi vt obſeruantia eiuſdem Euangelij, ſit ſicut tradita in Euangelio eodem à Chriſto reperitur, videlicet, quod præcepta, vt præcepta, conſilia vero vt conſilia, à profitentibus obſeruentur.* Ex quibus Nicolai verbis, pro probatione noſtræ Concluſionis, ſic colligo argumẽtum: Qui abſolutè profitetur ſeruare Euangelium, non tenetur perinde ad ſeruanda ex præcepto, omnia quæ in eodem Euangelio continentur; ſed præcepta vt præcepta, conſilia vt conſilia: ergo ſimiliter, qui abſolutè profitetur ſeruare aliquam Regulam, non tenetur ex præcepto, ad omnia quæ continentur in ipſa, ſed præcepta vt præcepta, conſilia vt conſilia. Ratio quidem eſt fortiſſima, quam & corroboro ratione eadem, qua ſupradictus Nicolaus ſuam ſententiã, atque opinionem confirmat, aſſerendo & dicendo, ex prædicta Regula clarè ſatis conſtare, Seraphicum

Nota valde verba D. Th. circa profeſſionem.

phicum P.N.Franciſcum, hunc intellectum in eadem habuiſſe, ſiquidem aliqua ponit Euangelica conſilia vt conſilia, & ſub verbis monitionis, exhortationis & conſilij, nonnulla verò vt præcepta, ſub prohibitione & verbo præcepti. Ex quibus conſtat, quod non fuit loquentis, dictamque Regulam ſtatuentis intentio, vt ipſius Fratres ex profeſſione ſuæ Regulæ, ad omnia conſilia, ſicuti ad præcepta Euãgelica tenerẽtur, ſed ſolũmodo ad illa, quæ in eadẽ Regula, præceptoriè, vel inhibitoriè, ſeu ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa. Quid clarius vnquã dici potuit, ad infinuã dũ & oſtendendũ, ſimul & probandũ noſtrũ propoſitum, ſcilicet, quod qui abſolutè profitetur, ſeruare aliquam Regulam, non perinde obligatur, ad ſeruandum ex præcepto omnia, quæ continentur in ipſa? Præterea inquit ſummus Pontifex, putandum non eſſe, quod B.P.N. Franciſcus, quantum ad ea omnia, quæ in Regula continentur, modificantia tria ſubſtantialia vota, intenderit aut voluerit, fratres ſuos æqualiter eſſe obligatos, qua ratione ipſe ibidem, eandem Regulam explicando & declarando, enumerat quænã ſint obligatoria, quæ verò non, ſed conſilia. Quod & Clemens V. ſupradictus, ſimiliter fecit in ſua Clementina. *Exiui de Paradiſo*, vt patebit intuenti. Dicendum eſt ergo, quod qui abſolutè profitetur ſeruare aliquam Regulam, non perinde ex præcepto, obligatur ad omnia, quæ continentur in ipſa. ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Præcepta contẽta in aliqua regula, etiam reſpectu illi⁹ qui ſimpliciter & abſolute illam profitetur, nõ ſunt vota, ſed præcepta, inſtar præcepti quadrageſimalis ieiunij.

PRæcepta contenta in aliqua Regula, etiam reſpectu illius, qui ſimpliciter & abſolutè profitetur ſeruare ipſam, non ſunt dicenda vota ſimplicia, & multò minus ſolẽnia, ſed ſolũmodo præcepta, inſtar præcepti quadrageſimalis ieiunij, Chriſtianis omnibus impoſiti per Eccleſiã. Hæc cõcluſio, meo quidem videri, eſt etiã certa, & manifeſta, quam & probabo, multis grauiſſimis atq; efficaciſſimis rationibus. Primò ex determinatione & diffinitione, quam fecit prædictus Clemens V. in Concilio Viennenſi, & habetur in dicta *Clementina. Exiui de Paradiſo*, vbi explicans Regulam noſtri ſacri Minorum Ordinis, dicit, *non æqualiter eſſe obligatos, huius Regulæ profeſſores, ad omnia quæ continẽtur in ipſa, ſed inæqualiter, prout ipſe ibidẽ exponit*: ergo nõ omnia in eadẽ regula cõtẽta, dicẽda ſunt vota, etenim ſi omnia eſſent æqualiter vota (quãtum eſſet ex parte voti) æqualis eſſet ipſorum etiam obligatio. Et idem dico de alijs Regulis, quarumcunque aliarum Religionum, quamuis in earum profeſſione, profitens promittat ſimpliciter & abſolute ſeruare Regulam. Quod & confirmatur alia quadam peculiari ratione, vt apparet luce clariore, nam idem Clemens V. in eadem ſua explicatione, agens de conſilijs, & præceptis in Regula noſtra cõtẽtis, per cõparationẽ ad tria eſſentialia & ſubſtãtialia Religionis vota, nẽpe obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, neutiquam vocat ipſa vota, ſed præcepta, aut conſilia, diuidendo vnum ipſorum ab altero, & dicendo quod illa conſilia, ſiue præcepta, ſunt quæ modificant tria ſubſtantialia vota, & hoc pluries ibidem dicit, ac repetit, vt patebit intuenti. Ex quibus verbis, ſic ego colligo argumẽtum: Concilium Viennenſe, ſecernit ac diuidit, vota ſolemnia, à præceptis in Regula Minorum Fratrum contentis, nominando quædam vota, alia verò præcepta, & alia conſilia, non obſtante, quod in ſua profeſſione ipſi, promittunt atque profitentur, totam obſeruare Regulam: ergo non omnia in eadem Regula contenta dicenda ſunt vota, ſed quædã præcepta, alia conſilia, & idem dico de omnibus alijs Regulis & Religionibus, in quibus ſimili modo profitetur. Quod ſi rurſus quis contendat, dicenda eſſe vota: quæro ab eo, quænam vota ſunt, an ſint ſimplicia, an vero ſolemnia? ſimplicia vt credo non dicet, cum fiant in Religione approbata, & profeſſione approbatæ Regulæ. Quod autem non ſint ſolemnia, ſic probo. Primo quia communis eſt DD. omnium Scholaſticorum doctrina, quod tria tantum ſunt vota ſolemnia, obedientiæ, ſcilicet, caſtitatis, & paupertatis, in Religione & ſolemni profeſſione emiſſa. Secundo, quia ſecundum quorundam Doctorum probabilem opinionem, in votis ſolemnibus, nec ipſe ſummus Pontifex poteſt diſpenſare, aut licentiam indulgere; neque vt credo ipſorum quiſpiam dicere audebit, quod id ipſum facere non poſſit, in præceptis in quacumque regula contentis, cum ſit id contra cõmunem praxim: quin verò & contra omnem prorſus rationem. Præterea tertiò, quia ſi vota ſunt ſolemnia, quæro ab eo, vbi, & quando ſunt emiſſa; non quando promittitur obedientia, caſtitas atque paupertas, nam ibi nulla fit mentio, de alijs præceptis, & quamuis omnia ad eorum obſeruãtiam ſpectent, ſeu per ipſa modificẽtur, non tñ inde colligitur, quod ſimul omnia ſint dicenda vota ſolẽnia. Dicet forſan eſſe talia, virtute illius promiſſionis, qua quis promittit & profitetur, ſe ſeruare regulam, & quod illud eſt quartum quoddam ſolemne votũ, in quo virtualiter continentur omnia alia. Quis talia dixit? Hoc certe eſſe videtur ridiculum, & ab omni prorſus ratione alienũ. Sic enim ſuperfluũ fuiſſet & vanũ, mentionẽ in tali profeſſione feciſſe, obediẽtiæ, paupertatis, & caſtitatis. Etenim ſi promiſſio obſeruãdi aliquã regulã, pariformiter amplecteretur, omnia quę cõtinẽtur in ipſa: cõſequens profecto fieret, quod profitens ſiue promittẽs alĩ quã regulã abſolutè, & abſq; aliquo addito, promittat atque profiteatur etiam, tria ſolemnia eſſentialia, & ſubſtantialia religionis vota, vnde, & ſuperfluum eſſet eadem exprimere, & fruſtra & abſque vlla prorſus cauſa, ſiue vtilitate, nos minores fratres, Regulam noſtram profitentes, dicere mus, quod promittimus ſeruare regulam fratrum Minorum, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Cum igitur ſupradicta vota, non fruſtra, ſed perquam neceſſariò, in noſtra Religione exprimantur, quin verò in omnibus ferè alijs, dicendum profecto videtur, quod illa tria dũtaxat ſunt vota ſolẽnia, reliqua verò præcepta, & nullatenus vota, nec ſimplicia, neq; ſolẽnia.

Vnde ad rationes dubitandi, & argumenta in contrarium adducta, Reſpõdeo. Ad primũ, quod quamuis verum ſit, quod qui profitetur aliquam regulã, profitetur ac profiteri perinde videatur, ſeruare omnia quæ continentur in ipſa, ad ſenſum

ſum explicatum in prima concluſione, non tamẽ æqualiter ſed inæqualiter, & ſicuti in ipſa continentur, nempe, præcepta vt præcepta, conſilia vero vt conſilia. Neque inde colligi aut inferri poteſt, quod omnia in tali regula cõtẽta ſint præcepta, & multo minus quod ſint vota, neq; ſimplicia neq; ſolemnia; nã vt dictũ eſt in ſecunda concluſione, nullum eſt ad id dicendum ſufficiens fundamentum. Et per idem reſpondeo ad confirmationem, quæ nullam peculiarem difficultatem continet, nec neceſſum eſt, vt ad illam aliquid de nouo dicamus, cum eiuſdem ſolutio atque ſatisfactio, ſuperque ſatis iam ex ſupradictis conſtet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſit aliqua eſſentialis differentia, inter hos diuerſos profitendi modos: Profiteor ſeruare regulam, & viuere ſecundum regulam, & promitto obedientiam, ſecũdum talem, vel talem regulam?

VIc difficultati, quidam reſpondent, idem eſſe prorſus, & nullam omnino eſſe eſſentialem differentiam, ſed tantum verbalem, inter hos diuerſos profitendi modos. Sed contrarium verius eſſe credo, & eſt expreſſa ſententia D. Thomæ: pro qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Multũ differt inter modum profitẽdi regulã, aut viure ſecundum regulã, & obedientiam ſecundum talẽ regulam.

MVltum differt, inter ſupradictos tres profitendi modos, atque ex natura rei, & ex vi verborum, ad plura obligantur, qui vno modo profitentur, quam qui alio. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. arti. 9. in ſolutione ad primum, vbi quamuis dicat & expreſſe confiteatur, quod qui profitetur ſeruare aliquam regulam, non perinde profitetur ſeruare ex præcepto, omnia quæ continentur in ipſa, ſed tantummodo Regularem vitam, quæ in tribus votis eſſentialibus conſiſtit, ad ſenſum prædictum in præcedenti articulo; addit tamen, quod in quibuſdam Religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem abſolutè regulam, ſed viuere ſecundũ regulam, ideſt tendere ad hoc, vt mores ſuos inſtruant, dirigant, ſiue conformẽt, ſicut ad quoddam exemplar, ad eandem regulam, quod non tollitur, niſi per contemptum. Inſuper dicit D. Thomas, quod in quibuſdam alijs religionibus, adhuc cautius profitentur, obedientiam, ſcilicet ſecundum regulam, ita quod profeſſioni non cõtradicat, niſi id ſolum, quod eſt contra præceptũ regulæ, hæc D. Thom. vbi ſupra. Et idem tenet Sylueſter, *verbo, Religio.* 1. q. 8. & 6. q. 5. Vbi, & dicit, quod religioſi ex vi profeſſionis ſuæ regulæ, quouis modo profiteantur, non obligantur ſub mortali; niſi tantum ad quinque. Primò, ad obedientiam præcipientis prælati: ſecundo ad non habendum proprium: tertio, ad non contrahendum matrimonium (in quibus tribus vita regularis quam quis profitetur eſſentialiter conſiſtit) quarto, ad ſeruanda præcepta regulæ, ſi quæ ſunt in ipſa. Quinto ad non agendum ex cõtemptu, aliquid contra Regulam, & ad non contemnendam profectionem, quæ eſt ſuæ profeſſionis finis & neceſſariò requiſita ad finem. Ad hæc quinque (inquit) omnes religioſi in vniuerſum obligantur, quodlibet modo profiteantur, quæ ſunt ipſorum propria, præter præcepta legis Dei, naturalis, diuinę vel poſitiuæ, aut etiam humanę, in quantum repetunt ſiue recapitulant ſupradictas leges. Sed eſt modo difficultas, nec quidem parua, quin verò maxima, vnde oriatur ſiue proueniat, quod in quibuſdam Regulis, quæ apponũtur ibidem, quædam obligẽt ſub mortali, in alijs verò non ita, imò nec ſub veniali, ſed tantummodo ad pœnam temporalem, eadem omnino exiſtente verborum forma? De qua difficultate fiet ſermo in ſequenti articulo.

Nota ad quæ obligãtur religioſi cũcti, ex profeſſione ſuæ regulæ

ARTICVLVS IIII.

Vnde oriatur & proueniat, quod in quibuſdam regulis, quædam ſint præcepta, obligantia ſub mortali, in alijs verò non ita, eadem exiſtente verborum forma?

Diuerſæ hac de re opiniones,

IRca hanc difficultatem, variæ verſantur DD. Scholaſticorum & Summiſtarum opiniones. Quidam enim dicunt, ortum id habere, ex grauitate ſeu paruitate materiæ, reſpectu eiuſdem rei in Regula aliqua præceptæ, nam inquiunt, ſi materia eſt grauis, & ad perfectam obſeruantiam trium votorũ eſſentialium multum neceſſaria, & valde expediens, vt quod ibi præcipitur obſeruetur, illud non obſeruare erit peccatum mortale; ſi vero materia ſit leuis, nec multum ad ſupradicta neceſſaria, veniale; ſi autem leuiſſima, aut indifferens (inquiunt) q̃ nullum erit prorſus peccatũ. Hæc opinio atq; ſententia, quamuis ſit multorum grauiſſimorum virorum, aſſerentium leges omnes, ex materiæ grauitate aut paruitate, ſuos deuincire ſeu obligare tranſgreſſores, non tamen plene atque perfectè ſatisfacit quæſito & propoſito articulo. Nam videmus quod multoties ius poſitiuũ, & diuinæ atque humanæ leges, minoris culpæ materiam ſtrictius vetant, quin verò & grauiori vinculo coercent, quã maioris. Quænam eſt obſecro materia grauior, blaſphemare Deum, an percutere clericum? certum eſt, quod Deum blaſphemare, & tamen blaſphemus & ſacrilegus in Deũ, in iure nulla excommunicationis pœna mulctatur, excommunicatur autem & excommunicationis pœna punitur, qui clericum percuſſerit: ergo ex ſolius materiæ conſideratione, diſcerni perfectè haud quaquam poteſt, quænam verba aut leges, obligent ſub mortali, quæ verò ſub veniali, aut nullam obligationem inducãt. Quod & confirmatur præterea, quia materiæ paruitatem, ſeu grauitatem, plerumque conſuetudo ipſa interpre-

Prima opinio

An peccati grauitas ex ſolius materiæ conſideratione diſcerni poſſit.

terpretatur, & apud quoſdam, vno tempore, aut in vno loco, quędam materia cenſetur atque exiſtimatur grauior, quæ apud alios, ſeu alio tempore & loco (neque ſine ratione) videretur leuis. Quo etiam fit, vt peccatum perfectè diſcerni nō poſſit, ex ſolius materiæ conſideratione; & an verba in aliqua Regula poſita, per id tantum, ad peccatum mortale obligent vel non obligent, ſed ſolūmodo ad veniale, vel ad nullūpeccatum.

Aliorū ſentētia, et opinio

Alij Auctores dicunt, Præcepta in regulis poſita, ex eo ſub mortali obligationem inducere, quia ab ipſo primordio Religionum earundem, conſuetudine receptum eſt, quod ad mortale obligent, in alijs verò religionibus non ita, ſed ad veniale ſolummodo, ſeu ad nullum prorſus peccatum, aut tātummodo ad pœnam temporalem.

Quantā vim, et robur habeat conſuetudo?

Ad hoc dicendum mouentur, primò, *ex cap. cum dilectus de conſuetudine*, vbi id expreſſe habetur. ſecundo ex ſententia D. Auguſtini, in Epiſtola ad Caſulanum, & habetur *in cap. in his. 11. diſt.* vbi dicit, *quod mores populi Dei, & inſtituta maiorum ſunt tenenda, & ſicut prævaricatores diuinarum legum ſunt coercendi, ita & contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum veniunt puniendi*. Ex quibus verbis inferunt DD. prædicti, poſſe diutinam conſuetudinē, obligationem inducere. Ad quod etiā adducunt exempla de ouis, & lacticinijs comedendis, & de ieiunio Quadrageſimæ, incipiendo a feria 4. Cinerum, aut à Quinquageſima, aut verò à Dominica prima Quadrageſimæ. Certum enim eſt, quod ex decreto Theleſ. Pont. Max. omnes Eccleſiaſtici tenētur Quadrageſimam obſeruare à Dominica Quinquageſimæ, & deinceps, & tamen propter antiquam, ac diutinam conſuetudinem, excuſamur nunc à peccato, ſaltem mortali, illis tribus diebus, veſcentes carnibus, & incipientes ieiunare à feria quarta Cinerum. Quam eandem ob cauſam, Mediolanenſes eius ieiunare non incipiunt, niſi à Dominica prima Quadrageſimæ, & propter antiquam, ac diutinam conſuetudinem, à peccato etiam excuſantur. Sed quamuis hæc quæ dicta ſunt de conſuetudine, vtcumque verum habeant, contraria tamen eſt aliorum grauiſſimorum Doctorum ſententia, aſſerētium,

Quod conſuetudo per ſe ſola, obligationem non poſſit inducere.

conſuetudinem per ſe ſolam, nullatenus poſſe obligationem inducere. Videatur hac de re Aragon 2.2. quæſt. 83. art. 12. dubio 4. notab. 3. vbi ait, quod poteſt quidem conſuetudo, explicare mentem, atque intentionem ſtatuentis legem aliquā, fuerit ne, ad mortale vel adveniale obligare, quā do aliquid præcipit, ſeu aliquod præceptum imponit, per ſe tamē ipſam ſolā, obligationē inducere, inquit, haud quaquā poteſt, imò verò obligatio conſuetudinem ipſam præcedit, quamuis per eam explicetur. Quā ob cauſam & propter iſtam rationem, dicunt alij Auctores obligationem prę cipientis, debere colligi ex verbis quibus vtitur, & penes hoc penſandas atque conſiderandas eſſe regulas, an ſcilicet, obligent, & ipſarum inſtitutores obligare voluerint ſuos profeſſores ad mortale, vel veniale, ſeu ad nullum peccatum.

Aliorum ſententia. Quod obligatio per pendenda ſit ex verbis, quibus vtitur legislator.

Hæc ſententia deſumpta eſſe videtur, ex verbis Concilij Viennenſis, poſitis *in Clementina, Exiui de Paradiſo, de verb. ſignific.* vbi Clemens V. explicando noſtram fratrum Minorum regulam, poſtquam dixerat, non omnia in ea contenta, ęqualiter obligare, ſed quædā ad mortale, alia verò nō, ſubdit, eius rei eſſe patientiſſimum iudiciū. *Quia B. Franciſcus eiuſdem regulæ auctor, quoad quædam appoſuit verba præcepti, vel æquipollentis eidem, quoad alia verò non, ſed alijs fuit vſus, et contentus verbis.* Et addit, *quod præter ea quæ expreſſa in prædicta regula, ponuntur verbo præcepti, nōnulla etiā ponuntur, verbo imperatiui modi, negatiue, vel affirmatiue, quæ dicūtur æquipollētia, et dicit huiuſmodi, tāquā obligatoria eſſe obſeruāda. Et ſimiliter vbicūque ponitur in regula, hoc vocabulū teneantur; quia ordo (inquit) communiter ſenſit, tenet, et tenuit ab antiquo, quod huiuſmodi verba, obtinerent vim præcepti, et obſeruari debent à fratribus ſicut talia.* Ex dictis colligi videtur, & colligunt multi Auctores, obligationem præcipientis, ſeu legem aliquam ſtatuentis, debere colligi ex verbis quibus vtitur; & regulas omnes atque ipſarum obligationem, penes hoc eſſe penſandam & conſiderandam, atque inquirendum, an intentio inſtitutorum fuerit obligare ad mortale, vel ſolum ad veniale, ſeu ad nullum peccatum, ſed tantum ad corporalem pœnam. Sed quamuis hæc vera ſint, & vtcumque verum habeant, haud tamen ex his perfectè poteſt colligi quæſitum, nec plene ſatiſfieri ſuprapoſitæ difficultati. Cū in iure, & in Regulis, atque etiam in Euangelio, multa reperiantur verba, quæ ponuntur antonomaticè, & ſonare videntur præceptum, quæ reuera non ſunt talia, ſed conſilium, aut admonitiones, nec obligāt ad mortale, imò verò, nec ad veniale. Et à Regulis exordiamur, in Regula B. Patris Auguſtini, ſub qua tot, vt dicitur, militant Ordines, & Religiones, formaliter habentur hęc quę ſequuntur, verba. *Hæc ſunt, quæ præcipimus, vt obſeruetis in monaſterio conſtituti.* Vbi notandum eſt valde, verbum, *præcipimus*: & tamen, vt multi tenent Doctores nullum eſt in tota dicta regula præceptum, quod profeſſores ſuos obliget ſub mortali: ergo ex verbis ſolummodo, vtcumque præceptum ſonantibus, non poteſt colligi, ſeu deduci, alicuius regulæ obligatio, cum verbum *præcipere*, obligationē ſonet, neque ad aliquod peccatum mortale obligentur ſupradictæ regulæ trāſgreſſores. Idipſum experiri licebit in iure, vbi dicunt Iuriſperiti, quod ſæpiſſime impropriantur verba, & ponuntur ſub mandati & præcepti vocabulo multa, quæ de ſe nullam inducunt obligationem. Hoc patet primò, *ex cap. 1. de deſponſatione impuberū*, vbi Honorius Pontific. Max. agens de eiſdem, inquit, *quod ſi filius nondum eſt adultus, cuius voluntas decerni non poteſt, eius pater poterit eum cui voluerit matrimonio tradere.* Et addit, *quod poſtquam præfatus filius, ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet, quod pater diſpoſuit, adimplere.* Vbi quam maximè notanda veniunt, verba illa, *omnino debet*, quæ ſonare videntur præceptum, & tamen omnes Doctores iuris interpretes, incunctanter tenēt, eiuſmodi filios, ad adimplendas patrum ſuorum voluntates, non quidem teneri debito neceſſitatis, ſed tantummodo honeſtatis. Ecce qualiter, verbum, *debet*, nullā inducit obligationem, quamuis ipſam ſonet, ex quo proinde ſequitur (vt dictum eſt) quod ex ſolis præciſe verbis, nō poteſt intelligi, aut deduci intentio legislatoris. Secundo facit ad idem, *cap.*

Nota quod multa in iure & in regulis, atque in Euāgelio reperiūtur verba, quæ dicuntur antonomatice et ſonāt præceptum, quæ tamē nō ſunt præcepta.

manda-

mandatis, 2. quæſtione. 5. & cap. Rogo & moneo. 11. quæſtione. 3. in quorum primo, vt tradunt ibidem gloſſæ, quod mandatum eſſe videtur, eſt rogatio tantum ſiue deprecatio, in altero vero expreſſe mandatur, quod dicitur, ibi moneri ſiue rogari. In Euangelio etiam reperiri licebit quædam loca, ex quibus non incongrue, hoc ipſum poteſt confirmari. Dicitur enim Lucæ. 5. quod Chriſtus Dominus & Redemptor noſter, vſus verbo præcepti atque imperatiui modi, mandauit quibuſdam cæcis, quos illuminauerat, vt eiuſmodi miraculum nõ propalarent. *Comminatus eſt* (inquit Euãgelium) *illis Ieſus dicens, videte ne quis ſciat.* Quod qui dem ipſi, non ſolum non adimpleuerunt, quin vero addit D. Lucas, quod *exeuntes diffamauerunt miraculum in totam terram illam.* Ad propoſitum autẽ, quis dicat ſeu dicere audeat, peccauiſſe mortaliter per hoc huiuſmodi cæcos, Chriſti Domini miraculum prædictum propalantes? nemo quidem. Non igitur ſemper ex vi verborum præciſe, verba etiam imperatiui modi ac præcepti, innuunt præceptum obligans ad mortale, neque ex ſolis verbis, nude & præciſe acceptis & conſideratis, intentio præcipientis aut legislatoris, poteſt colligi quod obliget ad mortale, ſeu ad veniale, an vero tantum ad pœnam temporalem, ſiue corporalem. Quibus etiam accedit, frequentiſſima præcipiendi forma, qua præcipiuntur & prohibentur quandoque, non ſolum mortalia, verum etiam & venialia. Sunt enim in iure atque in Euangelio, multa præcepta prohibentia illa, quæ ſunt mortalia, nempe furtum, adulterium & alia huiuſmodi: item & alia, prohibentia venialia, quale eſt illud Eccleſiaſtici, cap. 23. *Mendatio non aſſueſcat os tuum,* & alia quæ à me breuitatis gratia omittuntur, cum prædicta ſufficiant, ſuperque ſatis ſint, vt noſtrum colligi poſſit intentum. Vnde ergo dices, colligitur ſeu colligi poterit, quod verba in aliqua Regula poſita, ad mortale vel ad veniale obligent, ſeu ad nullum peccatum? Reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Vnde colligatur, quod verba in aliqua regula poſita obligent ad mortale, ſeu ad veniale, aut ad nullũ peccatum, ſed ſolummodo ad pœnam tẽporalem.

QVod in Regulis, verba ad mortale vel ad veniale obligent, ſeu ad nullum peccatum, non colligitur neque colligi poteſt, ex ſolius materiæ grauitate aut paruitate, neque ex verbis in talibus Regulis poſitis, nude & præciſè conſideratis, neque id facit conſuetudo per ſe ſola, ſed colligi debet ex verbis, per antiquam atque diutinam conſuetudinem interpretatis, & declaratis, quod ex mente & intentione legislatoris, obligent ad mortale, vel ad veniale, ſeu prorſus ad nullum peccatum. Hæc concluſio, meo quidẽ videri eſt certiſſima, quæ & colligi poteſt, ex omnibus ſupradictis ſententijs, & opinionibus à me relatis, de quarum qualibet aliquid deſumendo, aliquid verò relinquendo, ſit latis ac plene & perfectè reſpondetur, propoſito articulo atque difficultati. Nam ſi quod quæritur, vt dictum eſt: non poteſt colligi, ex ſolius materiæ grauitate vel paruitate, vt prima dicebat ſententia, neque ex ſolis verbis, nude & præciſe conſideratis, vt continetur in ſecunda, nec ſola conſuetudo, quantumcunque diutina & antiqua, per ſe ſolam id ipſum poteſt efficere, vt affirmatur in tertia, liquidum profecto ſit, hoc prouenire & procedere ex ipſa verborũ forma, per antiquam atque diutinam conſuetudinem interpretata & declarata, quod ea fuerit mens, & intentio legislatoris, quod huiuſmodi verba obligarent, vel ad mortale vel ad veniale, aut ad nullum peccatum. Eſt enim (vt diximus) conſuetudo, optima legum interpres, vt habetur in *cap. cum dilectus, de conſuetudine*, ſicque ad ipſam ſpectat, mentem & intentionem legislatoris explicare & declarare. Vnde dico, quod Summi Pontifices, Nicolaus III. & Clemẽs Quintus, explicando & declarãdo noſtram fratrum Minorum regulam, & quæ nam verba in ipſa obligent ad mortale ſeu ad veniale, nullum nobis prorſus de nouo inuexerunt, ſiue impoſuerunt præceptum (quidquid alij dicant) neque talis vnquam fuit eorum intentio (nam qui declarat nihil de nouo imponit) ſed ſolũmodo explicauerunt mentem, & intentionem Seraphici Patris noſtri Franciſci, ex verbis in ipſius Regula poſitis, ſic per diutinam & antiquiſſimam conſuetudinem interpretatis, & declaratis, quod & ibidem ipſi dicunt vt patebit intuenti. Prædicta etiam concluſio, colligitur ex doctrina Caietani, imò eſt expreſſa ſententia ipſius. 2. 2. quæſtione 186. articulo 9. & in ſumma, *verbo, præcepti tranſgreßio, ibi, verbo, diſiunctiua,* vbi inquit, quod qualicunque lex vtatur verbo, ſi communis ſenſus intellexit, non propterea datam obligationem ad mortale, non eſt præceptum, neque eius tranſgreſſio peccatũ mortale, &c. Hac de re videatur etiã Pater frater Petrus de Aragon Auguſtinianus, iam ſupracitatus, vbi poſt multa alia in hæc prorumpit ſequentia verba. Aduertendum eſt, quod conſuetudo vt conſuetudo eſt, per ſe ſolam nullam legalem obligationem poteſt inducere, ſed eatenus obligat, quatenus eſt indiciũ & argumentũ legis, vel formaliter vel verbaliter latę. Vnde quãdo extat lex, vnde nata eſt prędicta conſuetudo, tunc cõſuetudo nihil amplius obligat, quam ipſa lex: quando vero non extat lex, tunc conſuetudo indicat legem eſſe, quod fit in duobus caſibus. Primus eſt, quando ita res ſe habet, vt qui violant conſuetudinem puniantur: ſecundus vero, quando omnes probi & docti viri, vnanimi conſenſu iudicant, peccare illos qui violant talem conſuetudinem. Ad propoſitum ergo dico, quod quamuis multa verba, quæ reperiuntur in noſtra fratrum Minorum Regula, reperiantur etiam in alijs regulis, vt puta Auguſtinianorũ, &c. in quibus multa talia dicuntur antonomaticè & ſub verbis, præceptũ & præciſam obligationem ſonantibus: quod in noſtra Regula verum id habeat non ſic autem in aliorum regulis, id quidem non prouenit ex ſolis verbis, neque ex ſola antiqua & diutina conſuetudine, ſed ex vtroque ſimul. Quia nempe, eadem antiqua ac diutina conſuetudine, habitum atque interpretatum eſt, quod talis fuerit mens & intentio Beati Patris noſtri Franciſci in ſua Regula, fratres ſuos ſub talibus, vel talibus verbis, ad peccatum mortale obligare.

Cõſuetudo eſt optima legũ interpres, & ad ipſam ſpectat, mentem legislatoris explicare & declarare.

Non tamen ea fuit mens & intentio, inſtitutorũ aliarum regularum, quin verò contraria, pro vt quidam ex ipſis, in proprijs Regulis explicarunt & declararunt. Tolle igitur de medio legitimam & longiſſimo tempore præſcriptam, inter nos Minores fratres conſuetudinem, explicatiuam mentis & voluntatis Seraphici noſtri Patris, & non erit profecto, cur verba in Regula noſtra poſita, potius obligent ad mortale, quam apud Auguſtinianos poſita in ſua, eadem exiſtente verborum forma. Huic etiam doctrinæ à nobis propoſitæ, ſuffragatur ſententia D. Thom. 2.2. quæſtione 186. articulo 9. in corpore, aſſerentis, nullum Monachale præceptum (dempto triplici ſolemni voto) obligare tranſgreſſorem ad mortale citra contemptum, quod ſi apud nos contrarium omnino inuenitur, id eſt propter rationem prædictam.

ARTICVLVS V.

Vtrum qui profitetur ſeruare aliquam Regulam, profiteatur ſeruare illam, ſecundum conſuetudinem, quæ in tali Religione viget, an vero ſimpliciter & abſolutè?

PVlchra quidem difficultas, & digna quæ ab omnibus incunctanter intelligatur religioſis. Demus caſum, quod ſit aliqua Religio deformata, in qua eiuſdem Regula, non plene atque perfectè obſeruetur ſed laxè. Quæritur nunc, an in eadem qui profitetur, teneatur ad ſeruandam talem regulam, plene & perfectè ad mentem legislatoris, an vero tantummodo, ſecundum conſuetudinem, quæ in tali Religione vigebat, ſeu vt communiter obſeruabatur, tempore ſui nouitiatus in tali Ordine? cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Qui profitetur aliquã religionis regulã, teneturobſeruare ſubſtantialia, & obligatoriaipſius, ex vi talis profeſsionis, neque excuſatur ex de prauata conſuetudine.

QVI ingreſſus Religionem aliquam, expleto ſui nouitiatus tempore, profitetur ipſius Regulam, ſciens & intelligens ſubſtantialia illius, tenetur ad perfectam eiuſdem obſeruantiam, & ad ea quæ ſunt obligatoria, ex vi talis profeſſionis, neque excuſatur ab eorum tranſgreſſione, etiam ſi videat aut reſciuerit multiplices abuſus, qui verſantur in communi conſuetudine fratrum, exiſtentium in tali Religione. Hæc concluſio eſt, meo quidem iudicio, certa & manifeſta, quam & tenet Pater Frater Antonius de Cordoua, explicans noſtram Fratrum Minorum Regulam, cap. 2. quæſtione 15. & Syluester, *verbo, Religio. 3. quæſtione* 12. quæ & probatur *per cap. conſtituit*, 20. *quæſtione* 3. *& c. cum dilectus, & cap. final. quod metus cauſa, & cap. ex parte, de Regu. iuris*, vbi habetur, *quod Frater quilibet in ſua profeſſione, vouet Regulam, non vero conſuetudinem*. Eſtque ad id appoſitiſſima ratio; nam certum eſt, quod qui profitetur aliquam Regulam, tenetur ad id, ad quod per ſuum votum, obligare ſe intendit quomodolibet, implicite ſiue explicite; nam volens principale, cenſetur etiam velle & acceſſorium: ergo qui ſimpliciter & abſolutè, ſciens & intelligens, eſſentialia & ſubſtantialia eius, illam deuouit, tenetur ad ipſius perfectam obſeruantiam, & ad id, quod fieri debet ex ipſa, & ad ſeruanda præcepta in eadem contenta, quamuis contrarium fiat, aut factum fuerit, in communi Fratrum conſuetudine. Et confirmatur, nam qui vult eſſe Clericus, eodem actu ſeu alio debito, vult aut ſaltim velle tenetur, conſequenter ea, quæ tali ſtatui ſunt obligatoria & annexa, vtpotè, caſtitatem & puritatem debitam habere: ſimiliter & qui vult eſſe vxoratus, conſequenter vult, aut velle debet, filios habitos educare, & debite propriã ſuã familiã alere, & ſuſtẽtare, & obligatur ad ea quæ huiuſmodi ſtatui ſunt conſequentia: ergo ſimiliter, qui ſimpliciter & abſolutè, profitetur aliquam Regulam, conſequenter (ſaltim implicitè, & actu debito) vult ſe obligare, ad ea quæ ſunt obligatoria talis Regulæ, & neceſſariò ſunt eidem ſtatui annexa, neque excuſabitur ex hoc, quod aliud ſit poſitum, in ſuorum fratrum communi depraua ta conſuetudine.

Quilibet frater in ſua profeſsione ſimpliciter vouet regulã nõ vero conſuetudinem.

Sed contra prædictam concluſionem, eſt vnicum, idemque (vt videtur,) fortiſſimum argumentum, & illud eſt: nam omne id, quod impediret votum fiendum, ſi præſens eſſet, ſecundum Diuũ Thomam & omnes communiter Doctores, in quarto diſtinctione 38. quæſtione prima, ar. tertio, ad primum, etiam iam voto facto, aufert eiuſdem voti obligationem: ſed ſi quis ſciret, quãdo apud nos profitetur (verbi gratia) in noſtra ſacra Minorum fratrũ Regula, tot ac tãta eſſe præcepta, tot caſus obligãtes ad mortale, vt articulus de paupertate, depecunia, de nõ equitando, & huiuſmodi, & tot difficultates in ipſorum obſeruantia, non vellet, neque intenderet, ad talem & tam arctam Regulam ſic abſolute ſe obligare, præſertim cum forſan viderit aliud communiter obſeruari, & poſitum eſſe in communi fratrum conſuetudine: ergo eiuſmodi ignorantia, etiam iam voto facto, aufert & tollit ab eo obligationem, cum de ratione voti ſit, quod ſit voluntarium, quod quidẽ videtur tolli per talem ignorantiam, & quod re vera, non merè voluntariè voluerit, aut intenderit profiteri Regulam, ſic abſolutè, ſed ſolummodo, pro vt ipſe tunc putabat, & pro vt videbat apud alios communiter obſeruari. Hoc argumentum fortiſſimum eſt, vt quibuſdam videtur, ſed quod facilem habet ſolutionem, & viam parat ad pleniorem noſtræ concluſionis intelligentiam. Vnde ad ipſum reſpondeo, & dico, aliud eſſe dicere, quod ſi talis conditio adeſſet quando quis vouet, votum illud non eſſet validum, aliud vero dicere, quod ſi talis conditio adeſſet, quando quis vouet, quod non vellet vouere, aut nunquam tale votum emiſiſſet. Ad propoſitum ergo, quando D. Thomas & communiter Doctores dicunt, quod omne illud quod

Nota, hoc argumẽtũ quod eſt fortiſsimũ contra ſuperius dicta.

Per hoc plenißime ſit ſatis, argumento propoſito.

quod impediret votum fiendum, ſi præſens eſſet, etiam ipſo facto, auferre eiuſdem voti obligationem, intelligendi ſunt, in primo ſenſu, hoc eſt de cõditione, quæ impediret votũ ipſum fiendum, vtpotè quando id quod vouetur, eſt iam reditum impoſſibile aut illicitum, vel quando fuit omnino ignoratum tunc quando vouebat, & per conſequens inuoluntarium, quod patet ex ipſorum exemplis, non tamen loquũtur de conditione impeditiua voti, in ſecundo ſenſu, hoc eſt, de impedimento voluntatis vouendi, aut de conditione, quæ impediret voluntatem vouentis, ne voueret ſi adeſſet. Non enim dicunt, quod quidquid impediret voluntatem ad vouendum ſi adeſſet, etiam iam voto facto, auferat voti obligationem, ſed illud quod impediret votum ipſum. Multum enim intereſt inter vnum, & aliud, quia multæ quidem ſunt conditiones, quæ impedirent voluntatem vouentis ſi adeſſent, ne quis voueret, & tamen non impediunt, ſed neque impedire poſſunt votum ipſum factum ab ipſo vouente, cum tali fine ſeu cum tali conditione. Et vt quod dicitur, exemplis clarius fiat, proponam aliqua. Nam, ſi quis (verbi gratia) eſſet præſcius ſui caſus vel malieuentus, apoſtaſię, ſcilicet futuræ, certum eſt, quod non vouiſſet Religionis ſeu caſtitatis votum, & quod abſolutè non profiteretur, & tamen votum factum, etiam cum præſcientia talis caſus, (ſi haberetur,) teneret, & profeſſio ipſa valeret: ergo intentum. Sit aliud exemplum, nam in matrimonio, & in contractibus omnibus conſtat id ipſum: certum eſt enim matrimonium valere, & innumera pacta & contractus eſſe validos, quamuis tales ſint & eius conditionis, vt ſiquis à principio eorum habuiſſet notitiã, aut prouidere poſſet futuros euẽtus, & latentes, ibi difficultates neutiquãfierẽt. Nã hęc omnia ſpectãt ad excitationẽ volũtatis, ad votũ faciendũ, non verò ad conditionem obligatoriam ipſius voti, profeſſionis ſiue contractus. Non enim ex his conditionibus, votum, profeſſio ſiue contractus, fit conditionatus, ſed ſolummodo incitat talis conditio ignorata, ad faciendum votum, ſimpliciter & abſolute, quæ ſi præcognoſceretur, fortè non fieret, non voueret aut profiteretur, ſiue contraheret, vel efficeret aliquem, alium contractum ſimilem, aut ſaltim ſic ſimpliciter, ſicut iam voluit & effecit, vnde prædicta obligatio tenet. Hæc ſupradictus pater Corduba vbi ſupra. Et cũ prædictis concordat ſententia Gerſonis. 1. p. ſummæ Alph. 11. Litera. R. vbi ait, errorem eſſe dicere, quod nullus ligatur virtute iuramenti, ſeu voti, niſi ad illud tantum, quod tunc aduertebat actualiter, quãdo ſe obligauit. Ex quibus patet (vt propoſito argumento plenius ſatisfiat,) quod votum, non obligat vltra intentionem & voluntatem vouentis, actualem vel virtualem, expliciram ſeu implicitam, bene tamen, quamuis conditiones excitantes ſiue mouentes, intentionem & voluntatem ad vouendum, aliter ſe habeant quam ipſe credebat, & quamuis tales conditiones ſi adeſſent, quando quis vouit aut profeſſus eſt, non voueret, aut ſaltim ſic ſimpliciter, ſicut de facto profeſſus eſt.

Sed circa ſupra poſitã concluſionem, nõnulla veniunt aduertenda, & quidem notatu digniſſima. Primo, quod quando quis vouet, ſeu profitetur aliquam regulam, aut emittit aliquod votum; & intentio vouentis non ſe determinat, ad hoc vel illo modo vouendum, ſeu profitendum, ſed ſimpliciter & abſolutè vouet: tunc & in tali caſu, intelligitur atque præſumitur, vouere ac intendere ſe obligare, prout iure communi intelligitur talis regula, & ſecundum intentionem ſtatuentis, approbantis, ſeu confirmantis ipſam. Et hu uſmodi votum intelligendum & interpretandum eſt, ſecundum ius: præſertim ſi tale votum eſt communitatis, qualis eſt profeſſio Regulæ, cuiuſcumque Religionis approbatæ, in tali (inquam) caſu intelligendum eſt, ſecundum quod Papa, vel Eccleſia, & ius commune & Doctores communiter illud intelligunt & interpretantur, & non pro cuiuſcunq; arbitrio, quod eſt multum notandum.

Nota valdè, quæ ſequuntur.

Qualiter ſit intelligendũ atque interpretandũ votũ quidcũq; communiter, & regulariter loquendo.

Secundo dico, quod qui ſupradicto modo, profitetur aliquam Regulam, ſciens atque intelligens, abuſus qui graſſantur in communi Fratrum conſuetudine, ſi huiuſmodi abuſus ſunt circa eſſentialia, & ſuſtantialia Regulæ, & circa præcepta, quæ ſunt obligatoria in ipſa, eis nihilominus non obſtantibus, (quidquid alij dicant) tenetur ad eandem plene atque perfectè obſeruandam. Si verò abuſus non ſunt circa regulæ obligatoria, ſed circa accidentalia, aut ſi regula ipſa per Romanos Pontifices, ſit aliqualiter modificata & mitigata; ex vi talis profeſſionis (ſaltim in foro conſcientiæ) non tenetur quiſpiam, ad ipſam obſeruandam, niſi prout explicatum atque declaratum ſibi fuit, & ſecundum quod eſt poſitum in communi fratrum conſuetudine. Ex quo infertur, quod quamuis in illa antiqua atque primæua obſeruantia, Regularum quarumcumque, etiam ex mente & intentione ſuorum Auctorum, & inſtitutorum, ſtrictius obſeruari conſueuerint, vixerintque illi cum maiore aueſtritate & rigore, ſi tamen quando quis ſuſcipit habitum, aut facit ſeu emittit profeſſionem, & maximè per tempus, de cuius initio non habetur memoria, eiuſmodi auſteritates & rigores, iam non obſeruabantur, vtpotè ſilentium ita magnum & inuiolabile, ſtrictiſſima & per quam extrema paupertas, omnimoda abſtinentia à carnibus, neque erant poſiti in communi Fratrum conſuetudine, aut non eiuſmodi fuerunt ſibi propoſiti, tanquam implendi & neceſſariò obſeruandi, in ſui nouitiatus ſiue probationis anno; dico, quod huiuſmodi, ſic bono & ſimplici animo profeſſi, ex vi ſuæ profeſſionis, haudquaquam obligantur ad rigores prædictos, ſed ſolummodo (vt dictum eſt) ad ea, quæ ſunt eſſentialia & ſubſtantialia regulæ, & ad præcepta obligatoria in eadem contenta, quæ eſt Panormitani expreſſa ſententia, *in cap. ſuper eo, de regu.* Tum quia votum neceſſariò debet eſſe voluntarium, vt dicunt omnes communiter Doctores Scholaſtici, Theologi, & Canoniſtæ, *in capit. licet quibuſdam, de Regu.* tum etiam, quia iſti tales, non habuerunt animum ſe obligandi, niſi reſpectu Regulæ, quæ ibi obſeruabatur,

Nota valde in quo caſu excuſet ab obligatione, aliorum iã antiqua & diutina cõſuetudo.

Nota hoc valde pro leuandis multis ſcrupulis aliquorũ ſtimulatorum.

& reſpectu eorum, quæ erant ſubſtantialia, eſſentialia & obligatoria in ipſa. Ex quo fit cõſequẽs, quod ad accidentalia & non obligatoria regulæ, nequaquam intellexerunt ſe obligare, neque proinde tenebuntur, ad alias maiores auſteritates, & Religionis rigores, ſi ſibi imponantur, cum accidentalia & non obligatoria, poſsint adeſſe & abeſſe, abſque præiudicio Religionis, & obligatoriorum cuiuſque Regulæ promiſſæ.

Supradicta omnia, intelligenda ſunt in foro cõſciẽtiæ, at in foro exteriori, & contentioſo, aliter eſt dicendum.

Tertiò & vltimo, pro eadem concluſione eſt notandum, quod omnia ſupradicta intelligenda ſunt, & verũ habẽt, in foro cõſcientiæ & quoad Deum, at in foro exteriori & contentioſo, aliter fortè eſſe videtur dicendum. Vnde eſt quorundam grauiſſimorum Doctorum opinio, quod ſi quis ingreditur Religionẽ aliquã deformatã, ſeu ingreditur Monaſterium relaxatum, & vbi iam antiqua non obſeruabatur Regula, ita ſtrictè & cum illo rigore quo inſtituta fuit, ſi huiuſmodi Religio, aut Monaſterium reformetur, tenetur prædictus religioſus ſi ibi vult manere, ſtrictè & reformate viuere, aut extra illud exire, ſeu ex diſpenſatione ſummi Pontificis, tranſire ad aliam minus ſtrictam, ſiue laxiorem Religionem. Hac de re videatur prædictus Pater Corduba, & Syluester locis ſupracitatis, & Doctores Canoniſtæ *in cap. ſuper eo, de Regularibus.* & hactenus de iſto articulo.

ARTICVLVS VI.

Quænam ſit maior obligatio, Voti, an Iuramenti?

AB hac difficultate breuiter me expediam, neque enim eſt mei muneris aut propoſiti, dicere ea quæ latiſſimè traduntur à Doctoribus Scholaſticis, circa maiorem vel minorem obligationem voti aut iuramenti, & difficultatem maiorem diſpenſandi ſuper vtriſque. Qua de re videatur Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 89. articulo 8. & ibidem omnes communiter Thomiſtæ, Syluester, *verbo, iuramentum* 4. quæſtione 5. & Soto de iuſtitia & iure libro 8. quæſtione prima, articulo octauo. Dicere tamen non præteribo, quod Pater Frater Michael à Medina, noſtri ſacri Ordinis, Prouinciæ Caſtellæ, in libro illo ſuo, quem ſcripſit de ſacrorum hominum continentia, libro 5. cap. 23. in ea fuit opinione & ſententia vt crediderit, quod iuramẽtum promiſſorium eſt fortius, firmioremque atque ſtrictiorem inducit obligationem, quam votum quodlibet, quod & probare contendit, aliquibus rationibus. Et primò, quia omnem obligationem, quam parit votum, parit & iuramentum, & aliam ampliorem: votum enim (inquit) ſolummodo obligat Deo, iuramentum autem Deo & homini. Vnde fit, vt obligationẽ per votum, ſoli Deo quæſitam, facilius ſoluat ſummus Pontifex, quam per iuramentum quæſitam homini, quam regulariter loquendo non ſoluit, ſine eiuſdem conſenſu. Dicendum eſt ergo (inquit) quod iuramentum fortius eſt, & firmiorem atque fortiorem inducit obligationem, quam votum. Et confirmatur, nam votum nihil aliud eſſe videtur, quam ſimplex quædam promiſſio, aut ſolemnis ſi fiat in Religione, ſeu in profeſſione alicuius Religionis: at iuramentum ſupra talem promiſſionem, adhibet & continet diuinum teſtimonium, ſoletque votum per iuramentum confirmari; ſicut & quoddam debilius, per id quod eſt fortius: ergo iuramentum fortius eſt quam votum, & firmiorem inducit obligationem. His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis opinio, de qua ſit concluſio.

Opinio P. F. Michaelis à Medina, aſſerẽtis iuramẽtum maiorem inducere obligationẽ, quã votum.

Concluſio.

Maior eſt obligatio voti, quam iuramenti.

MAior eſt obligatio voti, quam iuramenti. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ, vbi ſupra, cuius rationem reddens, eam eſſe inquit, quia nempe per votum obligatur quis Deo, per iuramentum autem homini, & certum eſt, quod maior eſt obligatio, quam habet homo Deo, obligatione qua obligatur homini. Secundo, nam quamuis vtraque obligatio, voti ſcilicet & iuramenti, cauſetur ex aliquo iure diuino, & naſcatur ex quadam diuina radice (nam tam iuramentum, quam votum, ad Religionem attinet) aliter tamen & aliter, ſiue diuerſimode: obligatio enim voti cauſatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt ſcilicet ei promiſſa ſoluamus, at obligatio iuramenti, cauſatur ex ſumma reuerentia, quam debemus eidem, & qua tenemur & obligamur, ad adimplendum id, quod per eius nomen promiſimus. Quo fit, vt fractio voti ad infidelitatem pertineat; fractio vero iuramẽti ad irreuerentiã, ſed infidelitas fidelitati contraria, peior eſt quã irreuerentia, nã illa includit iſtam, & non vice verſa: ergo maior eſt voti obligatio ex ſuo genere, & ex ſua ratione, quã cuiuſcumq; iuramenti. Quod autem infidelitas, irreuerentiam contineat, & non è contra, patet manifeſtè: nam poteſt quiſpiam, alterum per irreuerentiam dehoneſtare, quamuis eidem nullam frangat fidem, non tamen Deo infidelem eſſe, quin à debita ſua reuerentia deficiat. Hæc ſententia eſt veriſſima, & communior, ſed intelligenda eſt concluſio, quantum eſt ex natura rei ſiue ex ratione ſua, quod votum eſt magis obligatorium, quam iuramentum, at ratione grauitatis materiæ ſeu alia de cauſa, eouſque periurij ſcelus poteſt peruenire, vt grauius ſit quam fractio cuiuslibet voti. Quis enim dubitet, grauius atque enormius eſſe crimen (quantum eſt ex parte materiæ) frangere iuramentum, ſoluendi alicui homini, decem millia aureorum nummorum, quæ illi ex iuſtitia debebantur, quam factio voti, quo quis Deo, in obſequium ipſius ſiue in eleemoſynam, decem tantum nummos deuouit? Intelligenda ergo eſt concluſio, cæteris exiſtentibus paribus. Quo ſuppoſito, ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur.

Nota quod ratione grauitatis materiæ, ſeu alia de cauſa, beneſtare poteſt, vt ſit maior obligatio iuramẽti quam voti.

Ad primum, quod quamuis id ita ſit, quod votum fiat Deo, iuramentum autem Deo & homini, attamen votum propinquius ſublimiorique ratione, habet Deum pro obiecto, quam iuramen-

iuramentũ. Loquor de iuramento per ſe, quod non eſt, ſimul votum, nec habet ipſum annexum. Nam cum quis per votum dicit: Promitto Deo tale vel tale, ille ſine aliquo medio, ſe illi ſubdit debitorem, ipſumque habet creditorem, ac Dominum ſui promiſſi. Qui autem iurat aut aliquid promittit homini per Deum, non proximè, immediatè & directè Deo ſe ſubdit, ſed ipſi homini, nec Deum habet creditorem, & dominum ſui promiſſi, ſed ſolummodo teſtem, & quaſi fideiuſſorẽ. Quo fit vt fractio voti, ſit fractio fidei & reuerentiæ Deo debitę, at fractio iuramenti, eſt fractio fidei quæ fit homini, non Deo, & ſolum violatio diuinæ reuerentiæ. Imo verò & ipſa diuina reuerentia, ſceleſtius atque impudentius violatur, in fractione voti quam in fractione iuramenti. Ad illud verò quod adducitur, de indiſpenſabilitate, dico, non id prouenire ex ratione formali iuramenti aut voti, ſed aliunde, nempe ex iniuſtitia, quę interdum fit homini, non ſeruando illi promiſsionem, iuramento firmatam. Ad aliam confirmationem, dico, quod procedit in caſu, quo quis ſupra votum adderet iuramentum, & adduxerit Deum in teſtem alicuius promiſsi: nos verò loquimur de quolibet horum ſeorſum. & ſic ſeparatè conſiderando ipſa, & iuramentum Et votum, ex parte obiecti (vt dictum eſt) fortius, ac firmius eſt votum, quam iuramentum, cum vnum fiat Deo, alterũ verò homini. Nec per hoc quod votũ interdũ cõfirmatur iuramẽto, ſit cõſequens; quod eius obligatio ſit maior & fortior quã voti, nam in tali caſu, iuramentũ non adhibetur voto, eo quod fortius aut firmius ſit, & maius per ſe vinculum, ſed quia eſt aliud vinculum, & vt per duas res immobiles, maior firmitas habeatur. Quod enim de ſe eſt minus, additum alteri, implicationem facit nexum, & magis indiſſolubilem. Sed contra omnia iſta, modo ſeſe offert aliud (& vt videtur) fortiſsimum argumentum. Illud eſt, quod votum metu factum & emiſſum, eſt ipſo iure nullum, nullamque inducit obligationem, vt tenet omnis Theologorum ſchola communiter, imò verò & Canoniſtarum, & habetur *in c. 1. de his, quæ vi, metuſve cauſa*, at iuramentum metu etiam factum, validum eſt ac firmum, vt omnes ſupracitati DD. dicunt, & habetur *in cap. verũ de iure iurẽ. & c. ad audiẽtiã c. Abbas, ſupracitato, tit. de his quæ vi*: ergo maior eſt obligatio iuramenti, quam voti. Certè argumentum eſt fortiſsimũ, ſed reſpondetur nihilominus, negando conſequentiam. Nam id non procedit ex maiori vel minori vinculo, nam maius vinculum eſt voti, quod fit Deo, quam iuramenti, quod fit homini: ſed procedit, quia votum ex ſua formali ratione, habet quod ſit voluntarium, vnde & votum factum per metum, (ſed maximè cadentem in conſtantem virum) tollendo rationem voluntarij, tollitur etiã & eius obligatio omnino. Secus eſt autem in iuramento, nam quamuis ipſum fiat voluntariè, ſi tamen in propoſito caſu efficiatur per metum, cadentem in conſtantem virum, ac per hoc etiam efficiatur inuoluntarium, licèt ex hac parte nulla naſcatur obligatio, oritur tamen ex alia, nempe ex natura iuramenti, ſcilicet ex reuerentia debita Diuino nomini, ob quam neceſſum eſt, vt quod homo iurat per Deum, nunquã falſum eſſe ſinat. Videatur hac de re Soto libro 7. de iuſtitia, & iure, quæſt. 2. artic. 4. in ſolutione ad ſecundum argumentum.

Notanda pulchra differentia inter votum & iuramẽtũ.

Fortiſsimum argumentum quo apparenter probatur: quod ſit maior obligatio iuramenti, quam voti.

Nota valde pulchrã præditi argumẽti ſolutionẽ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm omnia vota, includantur & commutentur, in ſolemne religionis votum?

Concluſio.

OMnia vota, realia & perſonalia atque mixta, qualia ſunt peregrinationes & ſimilia, includuntur & commutantur, in ſolemne Religionis votum, ita quod profeſſione emiſſa, in Religione aliqua, per ſedem Apoſtolicam approbata, omnia ſupradicta vota ceſſant. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ, 2. 2. quæſtione. 88. artic. 12. ad primum, & quæſtione. 185. articulo. 8. ad ſecundum. & quæſtione 189. artic. 3. ad tertium, & eſt communis DD. omnium reſolutio, quam etiam tenet Syluester in ſumma, *verbo, votum. 3. quæſtione. 9.* quamuis de voto peregrinationis vltramarino, aliqualiter dubitet. Eandẽ etiã tenet Nauarro in conſilijs, libro 5. de Regu. conſilio 4. & ſæpe alibi, cuius cõcluſionis multi ſunt appoſitiſſimæ rationes. Quarum prima eſt, nã omnia vota, ſecularis vitæ, habent ſe ad votum religionis, ſicut quoddam particulare ad vniuerſale, ſunt enim omnia alia vota, quædam hominum particularia opera: at per Religionem, qui profeſſionem emittit, totam ſuam vitam Dei obſequio deputat, ſeque ipſum totaliter diuino ſeruitio mancipat: cum igitur particularia in vniuerſali includantur, liquidum profecto ſit, quod omnia particularia vota, includuntur in ſolemni atque vniuerſali religionis voto, & commutantur in ipſum. Commutarique poſſunt, propria auctoritate, vt tenet Panormitanus & omnes communiter Doctores, *in cap. ſcripturæ. de voto, & voti redẽptione*, ipſo quin vero iure ſine alia diſpẽſatione, qui profeſsionem emittit, eſt ab omnibus alijs votis abſolutus. Vnde in ſupradicto, *cap. ſcripturæ*, habetur, quod *Reus fractæ voti, aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium, in perpetuam noſcitur, religionis obſeruantiam commutare*. Ex hoc etiam deducitur ſecunda ratio, & ea eſt. Nam Religionis votum, executum, ſiue executioni mandatũ, eſt quoddam excedens, cui nihil eſt in toto mundo, quod ei rectè poſsit comparari, per illud enim transferuntur omnia in Deum, imò & ipſe homo, qui illud emittit totaliter diuino ſe mancipat obſequio, vt habetur, *in cap. fin. de ſtatu Monachorum*, cum igitur huiuſmodi votum, ſit quid excellentius ac maius quoddam bonum, quocumque alio quod excogitari poteſt, bene ſequitur, quod omnia alia vota particularia includuntur in ipſo & in illud propria auctoritate & abſque vlla licẽtia, ſiue diſpẽſatione poſsint cõmutari. Quib' omnibus accedit, & alia ratio, quę ſit tertia in ordine.

Omnia vota, realia perſonalia & mixta, includuntur & cõmutãtur, in ſolẽne religionis votum.

Nota valde pro profeſsione Religionis.

Nam qui profitetur ſolemniter, moritur mundo, viuit autem Deo, ad quam vitam profeſſio ipſa ſolemnis dirigitur & ordinatur, quo fit vt ceſſante iam præterita vita, ceſſent etiam omnes obligationes priores, & vota omnia in eadem facta & ad vitam ipſam ordinata. Ex quo infertur quod per translationem profitentis, in aliam nouam vere ſpiritualem vitam, ceſſant & vota omnia realia & perſonalia, quæ ad regimen ſpirituale, prioris vitæ fuerunt emiſſa. Quod autem etiam ceſſent vota mixta, vtpote peregrinationis, eſto ſit votum peregrinationis terræ Sanctæ, expreſſe tenet D. Thom. 2.2.q.189.ar.3. ad tertium (quidquid dicat Syluester) quia nempe votum Religionis eſt perpetuum & maius, quam votum cuiuſcumque peregrinationis, etiam terræ Sanctæ, quod eſt tẽporale. His omnibus accedit, poteſtque ex hoc alia de nouo ratio formari, laborum fere incomportabile onus, quos ſecum affert ſtatus ipſe Religionis, cuius ſarcinæ grauiſſimæ ſunt, cum non diebus neque noctibus, exerceri atque occupari deſinant religioſi cuncti, in laboribus, vigilijs, ieiunijs, innumeriſque alijs ſanctis & religioſis exercitijs, ſurgẽdo quotidie ad matutinas, aſſiſtẽdo Canonicis horis, ſua domando corpora, rigoroſis diſciplinis, atque alijs mortificationibus. Quo fit, vt non incongrue dici poſſit, quod omnia alia vota particularia, in ſeculari ſtatu emiſſa, ſine vlla prorſus licentia & abſque aliqua diſpẽſatione, etiam propria auctoritate, in hunc laborioſiſſimum atque rigoroſiſſimum, Religionis ſeu religioſorum ſtatum, cum ſit melius & excellentius quiddam, poſſint & valeant commutari. Videatur hac de re Caiet. 2.2.q.189.art.5. in reſponſione, ad tertium. Vnde dico, quod nouitij intra annum probationis, omnino liberi ſunt à votis, quæ non poſſunt impleri in Religione, imò verò & ea quæ impleri poſſunt, propria, aut ſaltim Prælatorum auctoritate, recte etiam poſſunt commutari, in ea exercitia ſatis pœnalia & rigoroſa, quę prædicto nouitiatus ſui tempore efficiuntur ab ipſis. Ad quod dicendum moueor, nam diſponente Papa & Eccleſia, vt omnia ſecularium & nouitiorum vota, includantur in ſolemni religionis voto, & per illud abſoluantur & in ipſum cõmutentur: diſponente etiam, quod prædicti nouitij probationis ſuæ tempore, probent Religionis auſteritates, & exerceantur in ſupradictis exercitijs, nullatenus præſumendum eſt, quod voluerit eoſdem ſimul obligare, ad obſeruantiam votorũ ab ipſis emiſſorũ, quæ exiſtẽdo in religione adimpleri nõ poſſunt. Imò vero credendũ eſt quod reſpectu eorũ quæ adimpleri poſſunt, ab ipſis aut ſaltẽ ab eorũ Prælatis, voluerit quod valeant cõmutari, in ea opera & exercitia, quæ in tali ſtatu cõmuniter fiunt. Quæ eſt grauiſsimorum Doctorum ſententia, quam tenuit atque defendit olim, grauiſsimus Pater Frater Franciſcus de Alcocer, ſacræ huius noſtræ Religionis alumnus, Prouinciæ Diui Iacobi, & Salmanticenſis Conuentus filius, in doctailla ſua, atq; compendioſa Summa Confeſſorum, cap. 16. folio. 57. & idem tenet Pater Frater Emmanuel Rodericus tomo primo ſuarum Quæſtio. Regul. quæſt. 25. art. 8.

Nota hoc val de pro nouitijs exiſtentibus in anno probationis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in profeßione ſolemni, peccata omnia dimittantur?

Huic articulo reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

CErtiſsimum eſt, quod in profeſſione ſolemni Religionis, debitè facta & in ſtatu gratiæ, conſequitur qui profeſsionẽ emittit, plenariam remiſsionem ſuorum peccatorum, quoad pœnas Deo debitas. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2.2. quæſtione 189. articulo 3. ad tertium, vbi elegantiſsimè & copioſiſsimè, eandem tractat atque reſoluit Caietanus. De hac etiam concluſione videatur Corduba, in explicatione, ſuper Regulam noſtram. cap. 2. quæſtione. 14. vbi idem omnino dicit. Et probatur præterea multiplici ratione. Primò quia vt habetur in libris Patrum (& refertur à D. Thom. loco ſupracitato) eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes per profeſsionem, quam conſequuntur baptizati; ſed baptizati (niſi apponatur obex) conſequuntur plenariam indulgentiam & remiſsionem omnium ſuorum peccatorum: ergo idipſum ſuo quoque modo, dicendum eſt de ijs qui debite, in ſtatu gratiæ, & cum debita diſpoſitione, ſolemnem emittunt profeſsionem. Confirmatur etiam hoc auctoritate Diui Bernardi, libro, quem edidit, de præceptis, & diſpenſatione, ſecunda parte, & libro de prouidentia, & contemplatione, prope finem, vbi inquit: quod *Profeſſio ſolemnis, eſt velut alter baptiſmus, quia tunc homo moritur propriæ voluntati & mundo ciuiliter, per tria Religionis eſſentialia, & ſubſtantialia vota, ſicut, & per baptiſmum moritur peccato.* Secundò probatur prædicta concluſio, ſpeciali ratione D. Thom. vbi ſupra, nam ſi per eleemoſinas, poteſt homo ſtatim ſatisfacere, pro ſuis peccatis, & pœnas illis debitas redimere, iuxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, ſi id ipſum poteſt quis efficere, debitam atque condignam, de ſuis peccatis ſumendo & exigendo ſatisfactionem, nempe ieiunando, corpus ſuum macerando & affligendo, &c. multo ergo melius, id ipſum fieri poteſt, ac credendum eſt quod de facto fiat, per ſolemnem profeſsionem, cum nulla ſit maior eleemoſyna, nulla maior ſatisfactio, aut maior pœnitentia, in hac vita homini imponi poſsit, quam vt fiat religioſus, per quem ſtatum, homo totaliter diuinis ſe mancipat obſequijs, cuius etiam labores, excedunt omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur expreſſe, *in cap. admonere 33. quæſtione 2.* Hanc etiam ob cauſam, Diuus Gregorius homilia 10. ſuper Ezech. Religionis ingreſſum, holocauſtum vocat, ipſumque holocau-

In profeßione ſolẽni religionis, fit generalis remiſſio omniũ peccatorũ, quoad pœnas Deo debitas.

Nota quod profeßio eſt veluti quidã baptiſmus.

Profeßio ſolemnis Religionis, excedit omnem eleemoſynam & omne genus ſatisfactionis.

locunſto cõparat, quod omne aliud ſuperat atq; exoredit ſacrificium, quod Deo offerri poſſit. Videatur hac de re, idem D.Tho. in quodlib. quodlibet.3.quæſt.13.& Gabriel in 4. diſtin.38. q. 1.& diſt.45.q. 2. vbi ſupradictam concluſionem limitat ad hunc ſenſum, quod non ipſa ſolummodo profeſſio, huiuſmodi habeat effectum & priuilegium, remittendi pœnas peccatis debitas, ſed regularis ipſa vita quæ ſibi adiungitur, & quam homo ibidem profitetur. Quibus verbis inſinuare videtur, quod præfata peccatorum remiſſio, non habetur aut conceditur, ex ſolo ingreſſu, ſiue profeſſione Religionis, ſed ex adiũcta ſequẽti regulari vita, cum & ipſa profeſſio non ſit opus priuilegiatũ, vt indulgentia, neque quid ſacramentale, vt baptiſmus. Et ad hoc (inquit) videtur facere, *cap. quis aliquando, de pœnitentia, diſt.1.§. his auctoritatibus:* vbi innui videtur, quod profeſſio deducta in opus, actu ſeu bona voluntate, eſt quæ habet huiuſmodi prærogatiuam, quæ & ibidem dicitur vita pœnitentiæ, non autem profeſſio ipſa per ſe ſolam, ex ſe actualiter & formaliter, facit remiſſionem prędictam, ſed ſolummodo virtualiter, vt prædictum eſt, tanquam radix & cauſa, operum ſubſequentiũ, per quæ fit prædicta remiſſio actualiter. Hoc dicit Gabriel quamuis opinatiuè, ſed certè contrarium eſt verius & tenendum, ſecundum D. Thom. & omnes Doctores communiter, qui affirmanter dicunt, quod ex eo quod in profeſſione ſolemni, homo voluntariè moritur, & omnino ſe tradit Deo, quoad animam & quoad corpus, in holocauſtum perfectiſſimum atque ſuauiſſimũ, ex hac voluntate prouenit, eiuſdem magnum meritum, ſicut & in eleemoſyna omnium bonorum ſimul, quam quiſpiam facit. Et per conſequens quod ibi fit remiſſio omnium pœnarum, ex quo ibi virtualiter (etſi non actualiter) tota vita Deo offertur, & omnis pœnitentia ſubſequens ſeu quæ facienda eſt in poſterum. Sicut & qui dat aut donat alicui arborem, dat illi virtualiter, etiã omnes fructus eius; quamuis & poſtea, ex actuali ſubſequenti operatione, bona vita & pœnitentia quæ fit, etiam accreſcat meritum & remiſſio aliarum pœnarum. Videatur etiam hac de re D. Thom. in tractatu de excellentia Religionis, in apologia, quæ habetur in eius opuſculis, & 2.2.q. vltima, ar.2.& ar.3. ad tertium, & Caietanus 2.2. quæſt.18 art. 3. vbi hunc dicendi modum approbat, tanquã fauorabilem & magis piũ quibus omnibus ſupradictis addo, quod nos Fratres Minores, priuilegium habemus, & ſpecialem conceſſionem Sixti Quarti, qui Plenariam conceſſit indulgentiam recipientibus habitum, cuiuslibet trium Ordinum ſancti Franciſci, & habetur in compendio priuilegiorum, *verbo, Induigent. a Plenaria quoad Fratres.* Quo etiam priuilegio, & conceſſione (ni forte reuocata ſit, in generali Indulgentiarum reuocatione, quod non credo) potiuntur, frui atque potiri poſſunt, omnes alij religioſi, qui priuilegium habent communicationis; per quod ceſſant omnia, quæ adducta ſunt à Gabriele vbi ſupra.

Opinio ſingularis Gabrieliscirca remiſſionẽ peccatorũ, quæ fit in ſolẽni profeſſione Religionis.

Refutatur Gabriel, & ponitur vera ſententia, & doctrina D. Thom. circa valorẽ ſolemnis profeſſionis.

Indulgentiæ Plenariæ, quæ conceditur etiam ex priuilegio, facientibus profeſſionem.

Sed circa eandem concluſionem, inſurgit noua quædam difficultas, quæ tangitur à Caietano 2.2. quæſt.189.ar.3.ad 3. an ſcilicet, faciens profeſſionem Religionis, in peccato mortali & ponens obicem, poſtea quando contritus redierit ad cor, recedente fictione, conſequatur plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem, quam fuiſſet conſequutus, ſi feciſſet ipſam in ſtatu graciæ & cum debita diſpoſitione? Et ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte apparet quod non; tum quia profeſſio nihil relinquit in anima, cui eiuſmodi effectus tribui poſſit, ſicut baptiſmus, qui relinquit characterem, quo mediante ſuum poſtmodum conſequatur effectum. Tum etiam, quia gratia Dei in profeſſione promiſſa, nullibi conſtat, quod ſit danda extra eandem profeſſionem.

Ingenioſa difficultas Caietani, circa facientes profeſſionẽ, indiſpoſite, ac ponentes obicem.

Ex alia etiam parte apparet contrarium, nam gratia iſta in profeſſione, conceditur omni non ponenti obicem: ergo remoto obice habebit eundem effectum. Præterea: Gratia iſta conceditur, tradenti ſe ex toto corde & totaliter diuinis obſequijs; ſed hoc facit religioſus poſtea poſt profeſſionem, reiterando ipſam cũ conteritur, tunc enim coram Deo in veritate profitetur; ergo tũc dabitur ei plenaria remiſſio ſuorum peccatorum. Sed his nihilominus non obſtantibus reſpondet & dicit præfatus Caietanus, quod cum profeſſio ſit totaliter, ac reuera opus hominis, ita quod nõ eſt ibi opus operatum, quod ſit opus quaſi ſolius Dei: diſtinctum ab opere operante, quoniam etiã eſſe religioſum (quod eſt Religionis effectus) in tali caſu, eſt opus humanum mortuũ, ſicut & profeſſio ipſa mortua fuit; hinc, inquit Caietanus fit, quod in mortali peccato facta, nunquam poſtmodum reuiuiſcat, ſeu aliquem ſortiatur effectũ. Et addit, quod qui diuinę gratiæ deeſt, in actu ſuę profeſſionis, rectè meretur priuari beneficio diuinæ largitatis, quod profitentibus datur. Vnde etiam inquit, quod ſubſequente poſtmodum contritione, id ſolum aſſequetur iſte talis, quod per præſentis contritionis propoſitum, ac ſacramenti gratiam, ſibi continget obuenire. Supradicta omnia, quæ circa profeſſionem debite factam diximus, confirmat Caietanus, ex viſione illa B. Antonij, in qua dicitur, quod dæmones ipſius conſcenſum in cęlum impedire conantes, obieceruut illi peccata, ab ipſo in ſeculari vita commiſſa, ſed confutati ſunt à ſanctis Angelis, dicentibus, non debetis ipſi illa obijcere, quæ Chriſti ſunt iã pietate deleta; ſed ſi quæ ſcitis, ex quo factus eſt Monachus, illa proferte. Ex ijs colligit Caietanus, quod nouus liber incipit de actibus religioſorũ, à tempore ſuæ profeſſionis, quando de facto efficiuntur religioſi, & non expectatur tempus futuræ poſtmodum contritionis, ad caſſandum Prætoritorum librum, & alium nouum quaſi futuræ innocentię inchoandum. Scribuntur enim (inquit) in hoc ſecundo libro, ex quo facti ſumus religioſi, peccata noſtra ſtylo ferreo, &c. Verba ſunt valde notanda, & à religioſis cũctis, ſummopere memoriæ commendanda. Ad primam obiectionem in contrarium adductam, reſpondet Caietanus, quod tunc remoto obice, ſequitur effectus prioris cauſæ, quando prior cauſa, remanſit in aliquo à ſe derelicto effectu, vt baptiſmus in charactere, & generãs lapidem in forma illi data tribuit gratitatem: at quando cauſa prior, neque in ſe neq; in ſuo manſit effectu, nihil fit etiam remoto impe-

Reſpõſio, & ſolutio Caiet. & Nota hoc valde profacientibus profeſſionem, ſine debita diſpoſitione.

Nota quod à religioſorum profeſsione, incipit quaſi quidã nouus liber nouæ vitæ.

dimẽto,& ſic eſt in propoſito caſu: nam ex profeſſione mortua nihil relinquitur,ratione cuius poſtea ablato obice,ſortiatur effectus.

Ad ſecundam obiectionem, dicit eſſe falſum, quod quando religioſus primo poſt profeſſionem conteritur,tunc profiteatur coram Deo,quoniam tam coram Deo, quam coram mundo, iam erat profeſſus; quamuis non gratiam & remiſsionem peccatorum aſſecutus, ſed ſolummodo per contritionem,exiſtendo iam in gratia,ſe eſſe religioſum approbat, quod quidem non eſt de nouo profiteri,ſed profeſſionem iam prius factam ratificare.

ARTICVLVS IX.

Quænam ſint à ſummis Pontificibus ordinata & conceſſa, debeantque obſeruari, virtute noſtrorum priuilegiorum, pro recipiendis Nouitijs, tam quoad habitum, quam quoad profeſsionem,

MVlta ſunt à ſummis Pontificibus,ordinata & conceſſa in noſtris priuilegijs, pro recipiendis Nouitijs, tam quoad habitum, quàm quoad profeſsionem, quæ vt ſimul & præ manibus habeantur, libuit breuiter ac ſummatim, in præſentiarum referre, quod fiet per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Qualiter ad Ordinem ſint recipiendi Nouitij? Hac de re egimus ſupra q. 13. ar. 1. conc. 4.

NIcolaus III. in declaratione Regulæ Fratrum Minorum,conceſſit & ſtatuit, licere non ſolum Generali, ſed etiam prouincialibus Miniſtris, perſonas fugientes à ſeculo in Fratres recipere, quæ tamen Prouincialium Miniſtrorum licentia,per Miniſtrum generalem poſſit coarctari, ſicut viderit expedire. Et declarauit, quod Vicarij Miniſtrorum Prouincialium, ex officio ſui Vicariatus, licentiam hanc ſibi nouerint interdictam, niſi per Miniſtros eoſdem, hoc ipſis Vicarijs ſpecialiter committatur,quibus Miniſtris hoc poſſe committere Vicarijs, & alijs, licentiam conceſſit. Addidit tamen, vt caueant ipſi Prouinciales, quod non hoc indiſcrete nec paſſim, ſed ſic conſiderate committant, ac ſic illos quibus hoc committi contigerit, fidelibus conſilijs fulciant, quod omnia diſcrete procedant. Habetur in Monum. Ordinis, ſecundæ impreſſionis tractat. 2. folio. 12. articulo. 7. vbi etiam addidit circa hanc materiam,quod non indifferenter omnes admittantur ad Ordinem; ſed illi tantum qui ſuffragantibus eis literatura, & idoneitate, ac alijs circunſtantijs, poſſint vtiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritum,& alijs proficere per perfectionis exemplum. Habetur vbi ſupra,& in comp. *verbo Nouitius.* §. 13. 14. & 15.

Hac de re egimus ſupra. q. 16. art. 4. & q. 19. ar. 5.

Secunda Concluſio.

Pœna impedientiũ, quod deſumatur ſtatus religionis

EVgenius Quartus prohibuit,ne aliquis cuiuſcũque ſtatus,gradus, vel conditionis exiſtat,perſonas quæ de iure cõmuni Religionem ingredi non prohibentur, ex ſeculo fugientes, vt ad Religionem venire cupientes,verberibus aut violentijs quibuſcumque impedire, vel prohibere præſumat,aut à Monaſterijs & locis,aliquo modo euellere,aut extrahere, iniuriam recipientibus irrogando, ſeu eos moleſtando, aut ipſis ingredi volentibus aliquid malefaciendo, & quod contrarium facientes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant,à qua (præterquam in mortis articulo) niſi per ſedem Apoſtolicam, beneficium abſolutionis obtinere non poſſint, ſi non deſtiterint à prædictis, poſtquam hoc præſens ſtatutum ad eorum notitiam fuerit deductũ. Hæc conceſſio immediatè facta eſt Monachis Sancti Benedicti, vt conſtat ex huius Ordinis priuilegijs,ſed per communicationem fruuntur, ea omnes priuilegium habentes communicationis, refertur in cõpen. priuilegiorũ, *verbo Nouitius.* §. 28.

Hac de re egimus ſupr. q. 16. art. 3. & q. 17. ar. 4.

Tertia Concluſio.

Pro non recipiẽdis fratribus alterius religionis, vel religioni alicui, voto, aut iuramento obligatis.

INnocentius Quartus ſtatuit, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna,ipſo facto incurrenda,à qua niſi per Sedem Apoſtolicam non poſſint abſolui,præcepit Miniſtris & fratribus Ordinis Minorum,ne præſumãt vllo modo, recipere ad ſuum Ordinem, fratres Prædicatores, & eorum Ordini voto vel iuramento etiam obligatos,prætextu alicuius indulti Apoſtolici, obtenti vel obtinendi,de huiuſmodi literis expreſſam mentionem non faciente, niſi prius Prioris ſui petita licentia & obtenta. Habetur in monumentis, primæ impreſſ. fol. 19,& 2. fol. 103. conſ. 218. Et hoc idem conceſſit,præcepit & ſtatuit pro fratribus Ordin. Prædicatorum, vt ſcilicet non recipiant nos Minores fratres: habetur in eiſdem monum. ſecundæ impreſſ. fol. 5. & Alexand. IIII. poſtea hoc idẽ prohibuit ſtrictè, ſub grauiſsimis pœnis, vt habetur in eiſdẽ monumen. ſecundæ impreſſ. fol. 201. conc. 496. & referuntur hæc priuilegia in compendio, *verbo Nouitius.* §. 2. & 3. & 9.

Hac de re egimus ſupr. q. 20. art. 8.

Quarta Concluſio.

Quod nõ recipiãtur ad profeſsionẽ, niſi qui prius per annũ in probatione ſtetẽrint.

HOnorius Tertius,inhibuit Prælatis Ordinis Minorum,ne aliquem ad ſui Ordinis profeſsionem admittant,niſi prius per annum in probatione extiterit. Habetur in monum. 2. impreſſ. fol. 101. conc. 213. id quod, & poſtea prohibuit Innocentius IIII. ſub excommunicationis pœna,quẽpiam ante annum probationis elapſum,ad profeſsionem recipere,aut quominus ad aliam Religionem tranſeat impedire, & profeſſionem aliter factam, mandauit & determinauit eſſe irritam & nullam. Habetur in monumen. 1. impreſſ. folio 119. & 2. folio 5. Alexander etiam Quartus, poſtea id latius & expreſſius, mandauit & ordinauit in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excom-

excommunicationis pœna, & habetur *in capit. non ſolum, de regularibus libro. 6.* quod & poſtea Bonifacius VIII. *in cap. Conſtitutionem*, extendi & ampliari voluit, non ſolum ad Ordines Fratrum Prædicatorum, & Minorum, de quibus expreſſe fuit locutus ſupradictus Alexander IIII. verum etiam ad omnes alios Ordines Mendicantes. Circa vero aliàs Religiones ſtatuit, quod profeſſio expreſſe vel tacite fieri poſſet licite infra annum, ſed expreſſe emiſſa (etiam ſeculari habitu non mutato) illi Religioni præciſe obligaret, quam profitens profeſſus eſſet; tacite vero facta, infra annum probationis, per ſuſceptionem habitus qui profitentibus tantum datur, non illi ſpecialiter cuius habitus eſt ſuſceptus, ſed generaliter Religioni alicui recipienté obligaret, ſi aptæ eſſet ætatis, & illã faceret ſciés & volũtarius, ac triduo perſeueraret. Habetur in *capitulo, Conſtitutionem, de regularibus eodem lib. 6.* & referuntur ſupradicta omnia, in dicto compendio verb. nouitius. §. 1. & 4. & 8. & 17. Sed hæc omnia per Concilium Tridentinum de nouo ſunt corroborata ſeſſio. 25. cap. 15. vbi præcipitur, vt nullus ad profeſſionem admittatur, qui minori tempore, quam per annum in probatione extiterit, & profeſſio aliter facta nulla eſſe declaratur.

Hac de re egimus ſupra q. 22. art. 2. cũ ſequentibus.

Quinta Concluſio.

Quæ ſint obſeruanda, circa profeſſionem tacitam.

INnocentius Quartus ſtatuit. ac declarauit multa, circa profeſſionem taciram, quæ habentur *in capit. is, qui Monaſterium, de regularibus lib. 6.* quod & ſimiliter fecit Clemens V. *in clement. cos, qui, eod. tit.* quæ quoniam lata ſunt, & à nobis ſuperque ſatis explicata & declarata, in præcedenti quæſtione artic. 7. cum ſequentibus, conſulto in præſentiarum omittuntur, ſed referuntur in compendio verbo, Nouitius. §. 7. & 18. quibus addo, quod Iulius II. pro Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini conceſſit, vt quicumque Nouitius in huiuſmodi Religione, promotus fuerit ad ſacros Ordines, habeatur pro profeſſo, & quod habitum prædicti Ordinis, relinquere aut mutare non poſſit, niſi licentiam in ſcriptis à Generali præfati Ordinis obtinuerit. Habetur in monumen. Ordinis 2. impreſ. fol. 266. conceſ. 694. & in ſupplement. fol. 67. conceſ. 213. & refertur in compendio *verbo, Nouitius.* §. 24.

Hac de re egimus ſup. q. 24. artic. 7. cum ſequent.

Sexta Concluſio.

Circa Nouitios fraudulẽter tacentes ſiue negãtes, quæ commiſerũt crimina, cum interrogantur de eiſdem, in recep tione habitus

LEo Decimus conceſſit Generalibus & Prouincialibus Miniſtris, Ordinis Minorum, vt Fratres eiuſdem Ordinis etiam profeſſos, qui grauiſſimis & ſcandaloſis delictis notati, & diffamati fuerint, & quicquam fraudulenter & doloſe in eorum receptione, & profeſsionis emiſſione, monitione ſuper his per prædictos Prælatos præmiſſa illa tacuerunt, non obſtante quod iam recepti ſint, & profeſſionem emiſerint (ne morbida & infecta pecus ouile Domini corrumpat, & vt alijs cedat in exemplum) à Domibus & Conuentibus dicti Ordinis expellere, & remouere libere & licite poſſint & valeant, prout conſcientijs prædictorum Miniſtrorum (quas ſuper hoc onerat) viſum fuerit iuſtum & honeſtum. Habetur in ſupplement. folio. 19. conceſſ. 61. & refertur in compend. *verbo. eijcere, ſeu expellere ab Ordine. §. 5. & verbo, Nouitius. §. 25.*

Hac de re egimus ſup. q. 19. art. 2. & art. 8.

Septima Concluſio.

Circa abbreuiationẽ anni probationis.

IDem Leo X. conceſſit, vt quando contigerit, quod auctoritate Apoſtolica conceſſum fuerit aliquibus Fratribus, vel Monialibus diuerſarum Religionum, poſſe tranſire ad Ordinem Fratrum Minorum, aut ſanctæ Claræ, quod attento, quod tales iam ſunt enutriti in alijs Religionibus, vnde præſumitur de ieiunijs, & alijs aſperitatibus Religionis eſſe inſtructos, poſſint facere profeſſionem, tanto tempore ante annũ probationis, de iure communi taxatum, quanto Prælato dicti Ordinis Minorum, de conſilio Diſcretorum Fratrum, vel Diſcretarum Monialium, reſpectiue, illius domus, in qua fecerint probationem, viſum fuerit; dum tamen Fratres, & Moniales huiuſmodi fuerint inter obſeruantes ſuorum Ordinum profeſſi & enutriti, & ad obſeruantes prædicti Ordinis Minorum tranſire voluerint, & non aliàs. Habetur in ſupplement. fol. 94. conceſſ. 295. & refertur in compendio *verbo, Nouitius.* §. 27. Sed dicta conceſsio nunc abrogata eſt per Concilium Tridentinum ſeſſio. 25. cap. 15. iuxta quod in nulla Religione poteſt profiteri, qui minori tempore, quam per annum in probatione extiterit.

Hac de re egimus ſup. q. 22. art. 2. cũ ſequent.

Circa continuationẽ anni probationis.

Circa idem tempus probationis, conceſſit Iulius II. quod cum aliqui Fratres in Ordine Minorum, annum probationis inceperint, ac deinde habitum dimiſerint, ſi poſtea ad ipſum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus, cũ tempore poſterioris, ſibi computari vel non computari poſsit, iuxta diſcretionem & determinationem ſuorum ſuperiorum, habetur in ſupplemen. fol. 127. conceſ. 283. Et refertur in compend. verbo, *Nouitius.* §. 23. Hæc etiam conceſsio iam nihil prodeſt; nam iuxta dictum Concilium requiritur, quod probationis annus ſit continuus.

De hoc egimus ſupra q. 22. art. 4.

Octaua Concluſio.

Circa Nouitiorum abſolutionẽ, conceſsio ampliſſima.

CLemens IIII. latiſsimam quandam fecit conceſsionem, circa Nouitiorum abſolutionem, quæ ſibi poteſt impendi, abſoluendo eos ab omnibus ſuis peccatis, & à quibuſcumque cenſuris, & ſententijs excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, à iure ſeu à ſudice generaliter promulgatis; ita tamen quod ſi aliqui ex talibus, dictis ſentẽtijs propter aliquod debitum ſint adſtricti, ſatisfaciant vt tenentur. Habetur in monument. 1. impreſſ. fol. 56. & 2. fol. 140. conceſſ. 320. Et refertur in compend. verbo, *abſolutio ordinaria*, quoad Fratres. §. 4. & verbo *Nouitius.* §. 11. Hoc vltimum de ſatisfactione facienda, & quod non poſsint abſolui niſi præuia ſatisfactione, ſtricte ſtatuit Leo X. in Concilio Lateranenſ. & habetur in ſupplement. fol. 26. conceſſ. 84. & refertur in compend. verbo, *Nouitius*, §. 26. Voluit tamen ſupradictus Clem. IIII. quod ſi præfati nouitij mox Ordinem non intrauerint, aut exierint (etiam ſi ſuper hoc eis induciæ à Prælatis eiuſdem Ordinis concedãtur) eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos abſolui contigerit relabantur. Habetur vbi ſu-

Hac de re egimus ſupra q. 17. art. 6. & 7.

pra,& idem omnino habetur,in mari magno Prædicatorum primæ impreſſ.fol.236.conceſſ.550.

Nona Concluſio.

Indulgentiæ quas lucrantur Nouitij noſtri Ordinis.

SIxtus IIII.conceſſit, quod in receptione habitus,cuiuslibet trium Ordinũ ſancti Franciſci, ſit indulgentia plenaria recipienti, & ſimiliter in die obitus,habetur in Monument.1.impreſſ.folio 63.& 2.fol.67.conceſſ.104.& in ſupplement. folio 95.conceſſ.320.& refertur in comp. *verbo, indulgentiæ plenariæ quoad Fratres.*§.2. Similiter & lucrãtur prædicti Nouitij viſitando ſtationes,omnes indulgentias almæ vrbis,quas lucrantur viſitantes ſuas Eccleſias, habetur in Monument.2.impreſſ. folio.261.conceſs.678.& refertur in comp.verbo, Nouitius. §. 22. & aduertit Collector,quod dicta conceſſio, directe facta eſt Monialibus ſanctæ Clarę & quod nos vtimur ea, virtute communicationis Priuilegiorum,quæ habetur in dicto compen. verbo, communicatio Priuilegiorum. §. 14. & 19.Supradicta omnia de indulgentijs,intelligenda ſunt,niſi aliàs exiſtant reuocata,etſi Priuilegiorum de nouo facta fuerit confirmatio.

Decima Concluſio.

De his quimanus violẽtas iniiciunt in Nouitios.

BOnifacius Octauus ſtatuit, quod quamuis is, qui Religionem ingreditur, religioſus cenſeri non poſſit cum effectu,donec tacite vel expreſſe ſit profeſſus; ſi quis tamen manus violentas in ipſum iniiciat,excommunicationis latæ à canone vinculum non euadat,habetur *in cap. religioſo, de ſentent.excommunicat.lib.6.*

Vndecima Concluſio.

Pro bonis incertis Nouitiorum.

CLemens Quartus conceſſit, quod ſi aliqui habitum Fratrum Minorum aſſumentes, diuerſis perſonis quæ ſciri & inueniri non poſſint, aliqua bona reſtituere teneantur,poſſint Miniſtri & Cuſtodes,& eorum Vicarij,ſinguli in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios vſus conuertere , prout ſecundum Deum viderint expedire , habetur in Monument.1.impreſſ.fol.58.& 2.fol.141. conceſſ. 334. & idem conceſſit Sixtus Quartus , pro Fratribus Carmelitanis , habetur in Monument. 1. impreſſ.folio.103.& 2.fol.186.conceſ.474.& refertur in comp.verbo,Nouitius §.12.& 21.

Duodecima Concluſio.

Pro illis qui dimittunt habitum poſtquam illum ſemel ſuſcepe runt.

CLemens Quartus voluit & ſtatuit, quod ſi aliqui Nouitij oſtenderint talia ſigna , per quæ euidenter appareat,eos voluiſſe perpetuo ſeculum deſerere , ac ſub Religione de cætero Domino deſeruire , & poſtea reuerſi fuerint ad ſæculum , per Eccleſiarum Prælatos compellantur,vt ad aliquem Ordinem ſe transferre debeant,quando ex parte Fratrum fuerint requiſiti. Habetur in Monument.1.impreſſ.fol.55.& refertur in compend.verbo,Nouitius.§.10.ſed dicta conceſſio (vt credo)non eſt in vſu, neque par eſt,vt ea vtamur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm illegitimitas, ſeu irregularitas quæ ex illegitimitate prouenit,tollatur per expreſſam profeſsionem, facta in aliqua approbata Religione?

Duæ hæc de re, ſimul ſeſe offerũt,difficultates diſcutiendæ.

HAEc quęſtio grauiſſima eſt,& circa quã magna eſt lis & cõtrouerſia inter Doctores , duæque ſimul ſeſe offerunt in iſto articulo diſputandæ difficultates. Prima eſt, an per ingreſſum Religionis tollatur omnis illegitimitas, ſeu irregularitas ex prædicta illegitimitate prouenies,& hoc nõ ſolum quoad ordines ſuſcipiendos; verum etiam quoad præfecturas , & quaſcumque Eccleſiaſticas dignitates. Secunda vero,an id fiat per quemcumque ingreſſum Religionis,an vero ſolum per ſolemnem profeſſionem.Et vt hoc,quod dicitur planius fiat, ad notare libet,quod apud Doctores iuriſperitos,triplex cõmuniter circumfertur Religionis ingreſſus.Primus dicitur educationis,ſecũdus vero probationis,tertius autem profeſſionis. Olim enim, qui aſſumebantur ad Religionem,prius educabantur in Cœnobijs , in habitu honeſto ſeculari decenti,id quod & colligere licet ex multis iuribus, ſed quam maxime facit ad hoc,*capit. ſi quis incognitus 17.quæſt.2.* quod eſt Papæ Boniſacij. Vbi Religionem ingreſſuri , per triennium in Monaſterio educabantur, antequam conferretur aut præſtaretur ſibi, eiuſdem Religionis habitus:facit & *capit. Monaſterijs 19.quæſt.3.* vbi ante biennium Religionem ingreſſus , tonſurari prohibebatur. Poſtmodum verò ſupradicta limitata ſunt,& circa tẽpus educationis , nullus fuit præfixus terminus; ſed hoc relinquebatur ſuperiorum arbitrio, vt cõſtat *ex gloſſ.in capit. Gõſaldus 16.quæſt.2.verbo, vnius anni*; id quod & practicatur modo in cunctis Religionibus,vt experientia docet.

Nota quod ſecundum iuris peritos triplex communiter dicitur ingreſſus Religionis.

At vero ingreſſus probationis,vnius anni etiam olim habebat tempus determinatum poſt ſuſceptionem habitus,vt conſtat ex ſupradicto *cap. Gonſaldus*, quamuis circa hoc eſſe poterat aliqua variatio , prædictuſque probationis annus , poterat minui & abbreuiari ex conſenſu partium, vt nos latiſſime diximus ſupra quęſt.22.artic.2.Sed nunc poſt Concilium Tridẽtinum,id haudquaquam facere licet,vt conſtat *ex capit.25.ſeſſion.15.de regularibus*,vbi præcipitur,*vt ad profeſsionem non admittatur, qui minori tempore,quàm per annum in probatione extiterit.*Ingreſſus profeſsionis eſſe dicitur, quando quis tranſacto probationis anno, per ſolemnẽ profeſsionem, ſe tradit Deo & Religioni in manibus Prælatorũ.Hoc præmiſſo notabili, dico quod quando communiter dicitur , quod illegitimitas ſeu irregularitas ex ipſa proueniens, tollitur ſiue aufertur,per ingreſſum Religionis , eſt magna lis & controuerſia inter Doctores iuriſperitos , de quo ingreſſu hoc veniat intelligendum, an de ingreſſu,qui fit per educationem,aut vero de eo qui fit per probationem,an ſolummodo de illo,qui fit per ſolemnem profeſsionem, in Religione aliqua approbata?Et omiſsis hac de re multis,varijs atq; inuti-

Circa præſentem difficultatem ſunt duæ præcipuæ opiniones.

inutilibus, quæ ad hoc propoſitum à Doctoribus circunferuntur, facileque afferri poſſent, ſed non expedit, dico, quod de hac difficultate & quæſtione, ſunt duę præcipuę, & vt videtur, extremæ ſententiæ. Prima opinio eſt, quorundam doctiſsimorum virorum, quam ex noſtris tenuit olim Pater Fr. Ioannes de Bobadilla, in ſuo Enchiridione manuſcripto, aſſerentium quod illegitimitas, atque irregularitas ex ipſa proueniens, quoad ſuſcipiendos Ordines, tollitur & aufertur, nō ſolū per Religionis ingreſſum, qui fit per ſolemnē profeſſionē, verū etiā per religionis ingreſſum, qui fit per educationē, ſeu vero per probationem in Religione. Hoc dicūt iſti auctores, ſe aſſerere ac dicere, in fauorē Religionis, ad augendū diuinū cultū, & in venerationem ſtatus Religioſi. Quod & probare contendunt, *ex capit. 1. de filijs presbyterorum*, vbi habetur, *quod illegitime nati, non promouentur, niſi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuant*, vbi notandam eſſe dicūt, particulam illam diſiunctiuam, *vel*, qua datur intelligi, quod qui in congregatione Canonica regulariter viuunt, poſſunt promoueri, eo modo, quo & illi, qui Monachi fiunt. Ex quo proinde ſequitur, quod non ſolum per profeſsionem Religionis ſolemnem & expreſſam, verum etiam per educationis, ſeu probationis ingreſſum, ſupradicta illegitimitas, ſeu irregularitas ex ipſa proueniens, tollitur, ſiquidē ſupradicti promoueri & ordinari poſſunt. Quod & confirmare videtur gloſſa ſummaria, prædicti capituli, vbi habetur, *quod illegitimus non ordinatur, niſi vt religioſus fiat.* Ex quo à contrario ſenſu videtur ſequi, quod ſi ſit in ſtatu educationis, ſeu probationis, vt religioſus fiat, quod ordinari quidem poterit. Id quod & Vrbanus Secundus aperte determinare videtur in ca. 1. d. 56. ſic inquiens: *Filios presbyterorum à ſacris altaris miniſterijs remouemus, niſi aut in Cœnobijs, aut in Canonijs Religioſe fuerint probati, & conuerſati.* Ecce qualiter Sūmus Pontifex, non dicit vt illegitimi eſſe debeant profeſsi, ad hoc vt promoueri poſsint, ad ordines ſacros; ſed tantum, quod eſſe debeant probati in Cœnobijs, aut in Canonijs in aliqua Religione, quod fit fieri que poteſt, tēpore educationis ſiue probationis. Et cum prædicta iura in fauorem ſint conceſſa Religionis, non vero prædictorum illegitimorum, dicunt prædicti authores, quod non ſtricte ſed late ſunt interpretanda, nō coarctando ipſa ad ingreſſum Religionis, ſolummodo per ſolemnem profeſsionem, quin vero ampliando, ad quemcumq; ingreſſum, etiam educationis ſiue probationis; ita quod per ipſorū quemlibet, illegitimitas ipſa tollatur, & auferatur irregularitas, promouerique poſsint, qui ſemel habitum ſuſceperunt, ad quoſcumque ſacros ordines. Sed contrariam omnino ſententiam, tenet Soto in 4. ſentent. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 3. & Angelus in ſua ſumma *verbo, Nouitius num.* 20. & Syluester *verbo, Religio 5. num.* 10. & ſæpè alibi, quorum quidem opinio magis placet & arridet: ſicque pro ea ſequentes ſtatuo concluſ.

Prima opinio

Secunda opinio.

Prima Concluſio.

Irregularitas illegitimitatis non tollitur per quēcūque ingreſsū Religionis, ſed ſolummodo per ſolemnem profeſsionem.

QVādo in iure habetur, quod illegitimitas ſeu irregularitas ex ipſa proueniens, tollitur per ingreſſum Religionis, intelligendum hoc eſt, de ingreſſu qui fit per ſolemnem profeſsionem, non vero de ingreſſu, qui dicitur educationis ſeu probationis. Hæc concluſio probatur in primis: nam aliàs poſſet eſſe fraus, intrando quempiam Religionem, & ſuſcipiendo ſacros ordines, & poſtea exeūdo ante profeſsionē, & ſic lex eſſet impoſitaverbis, cōtra iuris diſpoſitionē, & contra illud quod habetur *in cāpit. commiſſa, de elect. lib. 6.* Huic argumento reſpondent fautores contrariæ opinionis dicēdo, quod in tali caſu nulla eſſet fraus: nam ſi talis Nouitius poſt promotionem recederet remaneret irregularis, ad ſuſcepti ordinis exequutionem, nam cum fuerit ordinatus, intuitu & reſpectu profeſsionis ſeu habitus, in ordine ad profeſsionem, ea non ſecuta & per receſſum à Religione, non illi ſuffragabitur ordo ſuſceptus, nec ſine peccato mortali in eo adminiſtrare poterit, abſque ſpeciali diſpenſatione. Ad quod probandum & confirmandum, adducunt priuilegium quoddam Clem. IIII. quod habetur in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſ. fol. 56. & 2. folio. 140. conceſ. 320. & refertur in compendio *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres* §. 4. vbi dicitur, *Quod Nouitij, virtute noſtrorum priuilegiorum, abſoluti à cenſuris, ſi a Religione ante profeſsionem retrocedant, relabantur in dictas cenſuras.* Quæ conceſsio ſecundum ſupradicta, extendenda videtur, ad diſpenſationem factam, in irregularitate contracta, ratione illegitimationis quoad ordines: atque ita licet Nouitius per ingreſſum Religionis, diſpēſatus retrocedat, nō in tali caſu vlla reperiretur fraus; ſiquidē poſtea in eandem irregularitatem incideret, noua que indigeret diſpenſatione, ad miniſtrandum in ſuſcepto ordine. Sed quamuis hæc ſolutio bona ſit, non tamen vſquequaque ſatisfacit: nam iam ſaltem remaneret ordinatus, & ex delicto reportaret commodum, quod omnia iura ſtricte prohibent. Prēter quam quod communis tenet opinio, quod Nouitij ordinari non poſſunt, etiam prima tonſura, quod probatur *ex cap. Monaſterijs 19 quæſt. 3.* quamuis non deſint qui dicant, per prædictum capitulum non prohiberi, vt Nouitij non ordinentur; ſed ſolummodo, quod Nouitij & ad Deum cōuerſi, in Monaſterijs ante biennium non ordinentur. Sed contrarium eſt verius vt nos diximus ſupra, vbi hac de re particularem fecimus quæſtionem, quæſt. 22. art. 9. ad vlteriora progrediamur.

Secunda Concluſio.

Quamuis per ſolemnē profeſsionem, illegitimitatis tollatur irregularitas quo ad omnes etiā ſacros ordines, non tamē quoad præfecturas.

QVamuis per ſupradictum Religionis ingreſſum, per ſolemnem profeſsionem, tollatur omnis illegitimitas, ſeu irregularitas ex ipſa proueniens, quantum ad ſuſcipiendos omnes etiam ſacros ordines, non tamen tollitur, quoad præfecturas & Eccleſiaſticas dignitates: nam ad hoc illegitime nati, ſpeciali indigent diſpenſatione. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & quātum ad primam ipſius partē, habetur expreſſe determinata, *in capitulo primo ſupradicto de filijs presbyterorum*, vbi apertè dicitur, quod *filij presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad ſacros ordines non promouentur, niſi aut Monachi fiant, aut in Congregatione aliqua Canonica, regulariter viuant.* Ex quo à contra-

trario ſenſu,ſatis euidenter colligitur, quod ſupradicti illegitime nati qui Monachi fiunt, & per profeſſionem ſolemnem in Congregatione aliqua Canonica regulariter viuunt, promoueri poſſunt. Quod cum fiat abſque ſpeciali aliqua alia diſpenſatione, manifeſtum fit, quod per ſupradictum Religionis ingreſſum, per profeſſionem ſolemnem, tollitur omnis illegitimitas, atque irregularitas ex ipſa procedens, ſicut dicit gloſſa *in d. cap. 1. de filijs presbyterorum*. Qua de re videatur Soto in 4. d. 25. q. 1. art. 3. & Nauar. in Manua. c. 27. nu. 101. in dicto 10. vbi expreſſe dicit, per profeſſionē Religionis, tolli omnem ſupradictam irregularitatem, quoad omnes ſacros ordines. Sed quod non eo ipſo tollatur quoad prælatias, & ad obtinēdas dignitates Eccleſiaſticas, quæ erat ſecunda pars concluſionis, tradit ſupradictus Nauarr. ibidem, & habetur expreſſe *in d. cap. 1. de filijs presbyterorum* ibi, *Prælationes vero nullatenus habeant*. Quod intelligi debet, ſine ſpeciali diſpenſatione, vt ibidē dicit gloſſa. Sed ab hac difficultate pro nunc conſulto ſuperſedeo: nam de ea in 2. par. noſtri huius Directorij Prælatorū regularium, longiorem facturi ſumus ſermonem, q. 2. quando agemus, vtrum prædicti illegitimi diſpenſari poſſint, vt ad præfecturas & dignitates promoueantur.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Nouitiorum profeſsio, ex cauſa poſsit dilatari?

ET videtur quod non: nam communis eſt regula, & habetur *in l. fin. C. de appellationibus*, quod à regulis iuris non eſt diſcedendum, nec oportet diſcedere, niſi per idem ius, aliud de nouo habeatur determinatum, ſed in Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 16.* expreſſe habetur, quod finito Nouitiatus tempore, Superiores Nouitios quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut de Monaſterio eos eijciant: ergo nullatenus ipſorum profeſſio poteſt dilatari. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Iuſta aliqua interueniēte cauſa, benepoteſt Nouitiorum profeſſio dilatari.

IVſta aliqua interueniente cauſa, bene poteſt Nouitiorum profeſſio dilatari. Probatur hæc cōcluſio. Primo, *per legem preces. C. de appellationibus*, vbi dicitur, *quod à iure antiquo, nullatenus eſt recedendum, niſi quatenus per nouum aliquod expreſſe fuerit innouatum*, ſed de iure antiquo, ante Concilium Tridentinum, licitum erat & poſitum in communi praxi, vſu, & cōſuetudine, quod Nouitiorum profeſſio, ex cauſa dilataretur, neque per præfatum Concilium Tridentinum, hoc eſſe videtur expreſſe innouatum aut reuocatum: ergo dicendum eſt, quod etiam nunc licet. Conſequentia cum maiori legitima eſt; minorem autem ſic probo. Nam Cōcilium Tridentinum, vbi hac de re agit, non dicit aut diſponit, quod finito Nouitiatus tempore, Superiores Nouitios quos habiles inuenerint ad profitendum, ſtatim profiteri cogant, ſed tantummodo, quod eos ad profitendum admittant, aut de Monaſterio eijciant, admittere autem ad profeſſionem, non eſt ad profitendum cogere, ſed ad id eos recipere, vel reijcere, neque à diuerſis fit illatio: prout habetur in iure *in l. Papinianus. ff. de minoribus*, ergo, &c. Cōfirmatur hæc ratio, nā tē probationis annus, quā admiſſio & receptio Nouitiorū ad profeſſionem, in fauorem recipientium & recipiendorum inſtituta ſunt, vt iam pluries dictum eſt *per cap. ad Apoſtolicam, de regul.* ergo iuſta interueniente cauſa, quamuis etiam ex conſenſu partium, diſpenſari non poſſit in nouitiatus anno, quia per Concilium Tridentinum ſtatutum eſt expreſſe contrarium, diſpenſari tamen poterit, in admiſſione ſiue receptione ad profeſſionem, cū Concilium hac de re nihil expreſſe loquatur, aut diffiniat. Conſequentia exinde patet: nam priuilegia, nullatenus ſunt contra priuilegiatos retorquenda, iuxta communem iuris regulam *in cap. quod ob gratiam, de regulis iuris lib. 6.* His omnibus accedit, quod doctiſſimus Pater Paraſellus ex Ordine Minimorum, in ſuo Priuilegiorum compendio, folio 130. pag. 2. inquit, quod relatione facta, ſanctiſſimo Papæ Pio Quinto, per Patres Congregationis Concilij, an ſcilicet id liceret, reſpondiſſe Sanctitas ſua fertur, quod decretum præfati Concilij, tā tum procedit in illis Nouitijs, quos elapſo nouitiatus ſui tempore, ſuperiores habiles inuenerint vt poſſint profiteri, non autem in illis, quos inuenerint eſſe inhabiles, vt ſunt illi, qui non bene, ea quæ profitenda ſunt, adhuc didicerunt. Et quod quantum ad iſtos attinet, ſua Sanctitas conceſſit, quod Superiores poſſint illorum prolongare profeſsionem, dummodo habeant ſpem probabilem, quod efficientur habiles intra ſex menſes. Hoc etiam inquit prædictus Paraſellus, ſibi fuiſſe reſponſum, ab Illuſtriſsimis Cardinalibus Concilij interpretibus, cum eſſet Neapoli 8. die Nouembris anno 1569. idemque credendum eſt, quod reſponderent in aliquo alio ſimili caſu, iuſta aliqua interueniente cauſa, vtpote ſi forſan Nouitius ante legitimam ætatem, qua ſtatim poſt expletum probationis annum poſſet profiteri, ſuſcepit Religionis habitum. Tunc enim certum eſt, quod profeſsio poteſt ſibi, & debet ſi cętera adſint ex tam iuſta & rationabili cauſa dilatari, & nullatenus eijci ſiue expelli. Quod & mecum etiam practicatum fuit in hoc Salmanticenſi Conuentu, cuius profeſsio dilata fuit, ob defectum ætatis per quatuor menſes cum dimidio. Neque contrarium ſtatuitur in prælegato cap. Concil. Trident. ſed tantum (vt diximus) quod vel admittantur vel eijciantur. Videatur hac de re Corduba ſuper regulam cap. 2. quæſt. 11. & Nauar. lib. 3. conſil. de regul. conſil. 29. & 30.

Priuilegianū quā ſunt, contra priuilegiatos retorquenda.

Nota hoc val de, pro dilatā da ex cauſa Nouitiorum profeſsione.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm peccet mortaliter, qui abſque cauſa, denegat votum alicui Nouitio volenti profiteri?

HIc ſeſe offert diſputanda difficultas, an ſit peccatum mortale, Nouitio volenti profiteri votum denegare, & an hæc obligatio, non denegandi votum Nouitijs

uitijs (aliàs idoneis) sit solum ex iure diuino, naturali, aut positiuo, an vero etiam ex aliquo superaddito præcepto, alicuius regulæ quæ hac de re tractet. A qua difficultate breuiter me expediam, cũ tempus tot longissimis disputationibus non sufficiat. Vnde proposito articulo breuiter, & resolutiue respondeo, per duas sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Quod Nouitij aliàs idonei, absque legitima causa non eijciãtur, præceptum est naturale & diuinũ, aut saltim eisdẽ multũ conforme.

QVod Nouitij aliàs idonei, absque legitima causa non eijciantur, præceptum est naturale & diuinum, aut saltim eisdem multum conforme. Hæc conclusio est certa & manifesta, & omnium Doctorum communis, de qua videatur Corduba super regulam capit. 2. quæst. 1. & quæstio. 11. Et fundatur hæc conclusio, ipsiusque veritas, in obligatione communi & præcisa, adimplendi charitatis præcepta. Esset enim omni proculdubio, contra charitatem Dei & proximi, atque etiã contra bonum totius Religionis, Nouitios aliàs idoneos, carnali affectu, odio, seu aliquo alio humano respectu, è Monasterio eijcere, seu ipsis votum aut suffragium, post expletum probationis annum, ad profitendum denegare, eo vel maxime cum teneantur omnes Christiani, se inuicem iuuare, & nullum absque rationabili causa, à bono aliquo consequendo impedire. Sed an id etiam sit obligatorium ex vi, & præcepto superaddito, alicuius regulæ, maior est difficultas, de qua sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Nos Minores Fratres, ex vi nostræ regulæ, tenemur Nouitijs ad profitendum alias idoneis, votũ nõ denegare.

NOs Minores Fratres, ex vi atque speciali præcepto nostræ Regulæ, tenemur Nouitijs aliàs idoneis ad profitẽdum, & laudabile testimonium habentibus, votum seu suffragium non denegare, & contrarium facere, est peccatum mortale. Hæc conclusio est expressa supradicti Patris Corduę vbi supra, quod & probat per illa verba eiusdem regulæ, posita in capit. 2. vbi habetur, quod Nouitij finito anno probationis recipiantur ad obedientiam. Quod & confirmat ex declarationibus Clementis V. quæ habentur *in clementina, Exiui de parad so*, de verborum significatione, vbi generaliter & absque vlla exceptione, dixit, quod omnia quæ ponuntur in regula circa Nouitios, ad receptionis modum, & ad eorumdem professionem spectantia, sunt æquipollentia præceptis ex vi regulæ, & tanquam obligatoria à Fratribus obseruanda. Concordat cum hac sententia, expositio quatuor Magistrorum, & alia, quæ communiter dicitur, sanctorum Patrum. Quo fit, vt qui religiosus, Nouitium aliàs idoneum, & ad profitendum dispositum, laudabile habentem testimoniũ, & alias conditiones, de iure communi & speciali nostræ regulæ, seu ex nostris Constitutionibus generalibus requisitas, odio vel carnali affectu, à Religione repellit, aut illi votum siue suffragium denegat, præterquam quod facit contra ius naturale & diuinum, & peccat contra charitatem, vt dictum est, facit etiam contra speciale præceptum nostræ regulæ, de recipiendis Nouitijs ad obediẽtiam, & de non negando eisdem votum, absque iusta, legitima & rationabili causa.

Nota hoc valde, pro negantibus absq; legitima causa, votum Nouitijs, ad faciendam professionem.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Summus Pontifex, possit dispensare, in voto solemni Religionis, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quod emittunt religiosi in sua solemni professione?

HAEc difficultas amplissima atque latissima est, & quæ ampliorem & longiorem requirebat disputationẽ. Sed tamen cum id non liceat per tempus, neque sit mei propositi, ab ipsa breuiter me expediam, hoc solummodo contentus dixisse, quod verius atque probabilius videbitur, ex communi Doctorum resolutione. Sed dicamus prius controuersiæ statum.

Duæ hac de re extremæ versantur opiniones.

Versantur itaque, hac de re duæ extremæ opiniones. Prima opinio est D. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. quem omnes communiter sequuntur Thomistæ, asserentes nullatenus Summum Põtificem dispensare posse, in voto solemni soleniter emisso, hoc est in votis solemnibus, obedientiæ, paupertatis & castitatis, quæ in professione sua emittuntur à viris religiosis, idq; propter excellentiã atque speciale priuilegium Religionis, & votorum solemnium, quæ fiunt in eiusdem professione. In sustinenda & defendenda hac sententia, sunt varij atque diuersi Doctores Thomistæ, variasque tradunt & assignant rationes. Quidam enim dicunt, id prouenire ex eminentia & excellentia materiæ: nam vt dixit Sapiens Ecclesiast. 26. *Non est condigna ponderatio animæ continentis*, quia per continentiam homo triumphat de inimico domestico, & per ipsam conformatur perfectè Christo, secundum puritatem animæ & corporis, &c. Alij vero id esse dicunt, ratione perpetuitatis, quæ reperitur in huiusmodi solemnibus votis, alij alijs vtuntur rationibus. Sed D. Thom. hoc dicit prouenire, ex eo quod illi, qui solemne votum Religionis emiserunt, promittentes tria eiusdem essentialia & substantialia vota, sunt iam Deo dicati atque consecrati, neque per vllam potentiam fieri potest, vt quod semel Deo dicatum & consecratum est, non sit ei consecratum seu in aliquos alios humanos & profanos vsus possit commutari. Ad quod probandum adducit illud, quod habetur Leuitici vltimo, nempe, *quod illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari*. Et addit, quod hoc idem inuenitur etiam in rebus inanimatis: nam si calix semel consecratus, quandiu manet integer, non potest desinere esse consecratus, multo ergo minus (inquit) potest Sũmus Pontifex, siue aliquis alius Prælatus facere, vt homo per solemne votum Deo dicatus & consecratus, desistat ab eo ad quod est consecratus, & quandiu viuit, talis esse desinat. Hæc est potissima ratio D. Thomæ, & asylum suæ sententiæ & opinionis consistit in hoc, nam iuxta ipsius doctrinam, solemnitas voti in quadam vouentis benedictione, seu consecratione consistit, & ait, quod debitum obedientiæ, paupertatis & continentiæ, est essentiale omni Religioso, siue statui Religionis,

Prima opinio est D. Thom.

nis,ita quod per nullam auctoritatem,siue potentiam,ab eo poteſt ſeparari,aut diuidi.

Secunda ſententia Scoti. Sed contraria eſt aliorum ſententia, aſſerentium,quod iuſta exigente rationabili cauſa, nempe propter commune bonum, & communem Eccleſiæ vtilitatem,bene poteſt Summus Pontifex, in voto ſolemni diſpenſare, & facere, quod religioſus aliquis matrimonium contrahat, in caſu quo id expedire videatur. Hæc ſententia & opinio eſt Scoti,in 4.ſententiarum diſtinct. 38. & Ricardi & Durandi ibidem, quam tenent Scotiſtæ omnes & Canoniſtæ communiter, & multi etiam ex Thomiſtis,vt Caietanus 2.2.quæſt.88.art.11. & in quodlibetis:iuxta quam ſententiam & opinionem,ſequens ſtatuitur concluſio,

Concluſio.

Aliqua magna exiſtente cauſa,benepoteſt Summus Pontifex diſpẽſare, invoto ſolẽni Religionis,ad hũc ſenſum,quod Monachꝰ profeſſus,in caſu ducat vxorẽ.

ALiqua magna exiſtente,& multum rationabili cauſa, propter bonum commune, & communem totius Eccleſiæ vtilitatem, pro alicuius regni reparatione,conuerſione aut pace,quę non aliter fieri aut ſperari ita commode valeret, bene poſſet Summus Pontifex diſpenſare, in ſolemnibus Religionis votis,& efficere, vt Religioſus quiſpiam,à Religione exiens, Reginam aliquam ſeu aliam ſimilem ducat in vxorem.Hæc concluſio probatur primo ex facto: nam vt veræ atque authenticæ narrant hiſtoriæ, cum Ramiro Aragonũ Rege,iam Monacho effecto,quin vero & Epiſcopo,fertur fuiſſe diſpenſatum,vt relicta Religione & Epiſcopatu, regnum ſuſciperet & vxorem duceret.Id quod (vt dicitur) fecit etiam Cæleſtinus Tertius, Pontifex Maximus, cum Conſtantia Rogerij Regis filia,vt Religione deſerta,nuberet Henrico Sexto Federici Imperatoris filio. Quin vero & Alexander Sextus,Summus Põtifex,cum Cæſare Diacono Cardinali,diſpenſauit,vt vxorẽ duceret,filiam cuiuſdam Ducis Valentiniani Galli.Sed veniamus ad rationes:nam certũ eſt, quod vna & ex præcipuis rationibus, diſpenſandi in quolibet voto eſt, ſi illud ſit impeditiuum maioris boni, vt tenet communis ſchola Theologorum: ſed poteſt ſe offerre caſus,in quo votum Religionis & continentiæ ſolemne,vtcumque ſit ſolemne,ſit impeditiuum maioris & melioris boni, vtpote ſi per id periclitetur bonum totius multitudinis;aut per contractum matrimonium,aliquarum inſignium perſonarum, quæ votum Religionis ſolemne emiſerunt, & continentiam vouerũt,poſſet pax patriæ,& quies totius alicuius regni ſperari & procurari:ergo in tali caſu,licita erit huiuſmodi diſpenſatio,cum bonum commune ſit fortius atque diuinius,& præponendum cuicumque bono particulari.Confirmatur hęc ratio, alia non minoris ponderis. Nam Summus Pontifex frequentiſſime de facto diſpenſat, diſpenſareque poteſt in voto ſimplici (vt etiam contraria tenet opinio)ſed id quod votum ſolemne (etiam Religionis)addit ſupra votum ſimplex,eſt de iure poſitiuo,quod ſubditur Summi Pontificis ditioni & poteſtati:ergo qua ratione diſpenſat in voto ſimplici,eadem poteſt & in ſolemni, iuſta, vt dictum eſt, exiſtenti rationabili cauſa. Huic argumento reſpondent Doctores contrariæ opinionis,negando conſequentiam,& dicunt non eſſe ſimile,propter benedictionem,ſeu conſecrationem,ſeu (vt quidam volunt)traditionem,& actualem exhibitionem, quæ reperitur in voto ſolemni, non autem ſic in ſimplici. Sed iſta longiorem requirebant diſputationem, quapropter ab eiſdem pro nunc conſulto ſuperſedeo, illa reſeruando pro ſcholis.

Argumenta quædam fortiſſima cõtra prædictam reſolutionem. At vt ex oppoſitione contrariorum, veritas noſtræ concluſionis plenius eluceſcat, libet contra ipſam, breuiter duo fortiſſima proponere argumenta.Primum eſt deductum, ex quadam decretali extrauaganti,Innocentij Tertij,*in capit.cum ad Monaſterium,de ſtatu Monachorum*,vbi Summus Pontifex determinando dicit. *Quod abdicatio proprietatis,ſicut & cuſtodia caſtitatis,adeo eſt annexa regulæ Monachali,vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*:ergo cum prædictus Pontifex, iudicialiter procedendo hoc dicat, liquidum profecto(vt videtur)fit,quod in ijs tribus votis, eſſentialibus Religionis, nulla fieri poſſit diſpenſatio. *Primum argumentum.* Secundo ad idem ſic argumentor:nam certum eſt quod qui non poteſt in minus, non poteſt in maius,eiuſdem generis & rationis,ſeu eidem ſubordinatum, ſed Summus Pontifex,non poteſt diſpẽſare,in matrimonio rato nõ cõſummato, quod eſt minus vinculum, & ſtatus minus perfectus, quam ſit vinculum & ſtatus Religionis, cum per ingreſſum Religionis,huiuſmodi matrimonium ratum & non conſummatum diſſoluatur, ergo à fortiori,neque poterit diſpenſare in vinculo ſupradicti voti ſolemnis Religionis.Argumẽta quidem ſunt fortiſſima,ſed quæ congruam etiam habent ſolutionem. *Secundum argumentum.*

Reſpondetur argumentis prædictis. Ad primum reſpondetur, vera eſſe,quæ dixit Summus Pontifex,Innocentius Tertius in prædicta ſua extrauaganti, nempe,quod tria illa Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota,ex iure diuino traditione conſtanti,adeo ſunt eſſentialia & ſubſtantialia omni veræ & propriæ Religioni, & regulæ Monachali, vt non ſit poteſtas in terra, quæ poſſit efficere, vt Monachus (manente vere & proprie Monachatu) proprium habeat, vxorem ducat,ac liber ſit ab omni obedientiæ iugo, eo modo quo ſunt cæteri ſeculares,nos hoc non negamus, neque Scotus vnquam illud negauit, aut affirmauit contrarium(quod eſt valde notandum)quamuis dicat in 4.diſtinctione 38.quod matrimonium non repugnat,voti ſolemnis conſciẽtiæ, ſiue monachatui, niſi ex eo,quod Eccleſia illegitimauit ſic vouentem,ad contrahẽdum: nam vt dicit Flauius Scoti ipſius interpres præſtantiſſimus, bene ſenſit Scotus,illegitimationem iſtam eſſe factam iure diuino,cum fuerit facta ab Apoſtolis, qui fuerunt primitiua Eccleſia, vt conſtat ex antiqua Patrum traditione,quæ quidem Eccleſia primitiua, quatenus erat organum immediatum Spiritus ſancti, certum eſt quod poterat condere ius diuinum, & ſanctam Scripturam,de quo nulli dubium. Quando ergo Scotus dixit, matrimonium non repugnare monachatui, ex iure diuino,ſed ex Papali humano,pro eo quod Eccleſia illegitimauit,ſic ſolemniter vouentes ad contrahendum,intelligendus eſt, non ſimul ſed ſucceſſiue, ad hunc ſenſum, quod quamuis non poſſit *Ad primum argumẽtum.*

Nota hoc valde.

eſſe,

eſſe, vt manente aliquo vere & proprie Monacho, proprium habeat, vxorem ducat, & liber ſit ab omni obedientiæ iugo, idque de iure diuino, ex traditione conſtanti, prohibitumque ſit per Eccleſiam, vt ne in his tribus votis fieri poſſit diſpenſatio, manente monachatu (vt dictum eſt) ſucceſſiue tamen bene poteſt fieri, ex aliqua vrgenti & multum rationabili cauſa, & propter rationes in concluſione poſitas, auctoritate Apoſtolica, vt qui aliàs erat religioſus, deſinat eſſe religioſus, & fiat ſecularis, habeatque proprium & matrimonium contrahat, & liber ſit ab omni obedientia, & hoc eſt, quod nos in præſentiarum tantum dicimus, ſecundum Scoti opinionem. Qui dicendi modus, deſumptus eſt à doctiſſimo Patre Fratre Michaele de Medina, noſtri ſacri Ordinis alumno, in libro quem inſcripſit de ſacrorum hominum continentia, libro quarto, controuerſia ſeptima, capite nono. & eſt hæc ſententia veriſſima, multumque rationi conformis. Nam nulla inuenitur lex, diuina neque humana, arcens ſiue vetans, quod Summus Pontifex ex aliqua vrgenti, legitima atque rationabili cauſa, poſſit facere ex Monacho ſecularem, & aptum ad contrahendum matrimonium, qui aliàs erat ineptus, neque iure diuino, vlla inhabilitas inuenitur ſimpliciter, in ſolemniter vouente, & vltro in manus Dei & hominum, etiam per ſolemnem profeſſionem ſe tradente, ad hoc vt matrimonium non contrahat, ſeu contrahere poſſit ſucceſſiue, licet matrimonium ſtare non poſſit cum monachatu ſimul, neque fieri quod religioſus, vere & proprie manens religioſus nubat. Quamuis enim, vt inquit Diuus Thomas, religioſus iure naturali & diuino, ſit Deo traditus, atque conſecratus, per ſolemne Religionis votum, & per aſſumptionem eiuſmodi ſtatus; cum tamen hæc diuina traditio, conſecratio & obligatio, ortum habeat à voluntate humana, non incongrue dicitur, in iſtis quod ex iuſta cauſa fieri poſſit diſpenſatio, & religioſus quiſpiã effici ſecularis, & aptus ad cõtrahendum: ſicuti & calix ſemel Deo cõſecratus, ſi deſtruatur ipſius materia, poteſt etiã in aliquos profanos vſus cõmutari. Ita igitur dico in propoſito, quod qui olim erat religioſus, nunc per diſpenſationem fieri poteſt ſecularis, neque in hoc vlla fit iniuria alicui, neque per hoc rapitur alienum inuito domino, vt volunt Doctores contrariæ opinionis, ſed ex Dei voluntate fit, vt quod Deo erat conſecratum, ad vnum vſum (ſcilicet Religionis) conuertatur, & ſit etiam Deo cõſecratum (ad alium vſum) nempe ad matrimonium, in caſu quo expedire videatur, magis hoc quàm illud, ad commune bonum, quod notandum eſt valde.

Ad ſecũdum argumẽtum. Ad ſecundum, quamuis quidam Doctores affirmanter teneant, quod Summus Pontifex diſpenſare non poſſit, in matrimonio rato non conſummato, facile tamen reſpondetur cum Caietano & multis alijs Theologis, quod etiam ex cauſa diſpenſare poteſt in ipſo. Hoc tenet Caietanus in opuſculis tractatu 28. quem ſequitur & Nauarro in Manuali capite 22. numero 21. dicens, quod hęc opinio adeò ſeruatur in curia, quod ſæpiſſime Paulus Tertius & Pius quartus, diſpenſarunt in multis matrimonijs Clandeſtinis, ratis, & nondũ conſummatis, ad remedium multarum animarum, alioquin probabiliter periclitaturarũ, quod (inquit ipſe) atteſtor, ne quis ſecutus Sotum, contra Caietanum, vllum ſcrupulum ingerat ijs, qui eiuſmodi gratia perfruuntur, vel poſthac fruentur, cum poſt ipſum Michael à Medina Franciſcanus, vir eruditiſſimus, libro quinto de ſacrorum hominum continentia, Caietanum & communem ſit ſecutus. Hæc Nauarro, & iſta dixiſſe pro hoc articulo ſufficiat.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm valeat & teneat profeſsio expreſſa, facta cum intentione mala, aut cum expreſsione alicuius illiciti, aut ſub conditione?

HAEC etiam difficultas longiorem requirebat diſputationem, ſed cum non omnia liceant per tempus, & propter breuitatem, cui tantopere ſtudeo, propoſito articulo reſpondetur, per duas ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Qui expreſſè profitetur, intendens ſe obligare ad tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, etiam ſi non intendat eadem ſeruare, ſeu etiam intendat aliquod malum facere, vtpote furàri, in tali caſu profeſſio tenet & valet. Hæc cõcluſio eſt expreſſa Sylueſtri verbo, Religio. 3. quæſtio. 6. quam & eſſe dicit Archidiaconi, & aliorum multorum Doctorum, cuius etiam concluſionis ratio in promptu eſt. Nam ſola obligatio ad ſupra dicta tria Religionis vota, eſt de eſſentia Religionis, & non adimpletio, ſeu quod quiſpiam intendat adimplere ipſa, neque annullatur ſiue irritatur actus profitendi, per hoc quod ſimul intendat facere aliquod malum, quod non ſit contra eſſentiam Religionis, aut repugnet eſſentiæ ipſius ſtatus religioſi. Secus autem eſſet, ſi profitendo expreſſiſſet, aut intendiſſet, aliquod contrarium eſſentiæ Religionis, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Si in profeſſione exprimatur aliqua conditio, contra eſſentiam & ſubſtantiam Religionis, vt porè quod ſic profeſſus, liber ſit ab omni obedientia, ſeu quod habere poſſit proprium, aut ducere vxorem, talis profeſſio erit nulla & irrita, ſecus autem eſſet, ſi conditio poſita nõn eſſet contra eſſentiam & ſubſtantiam Religionis. Hæc etiam concluſio, eſt Sylueſtri, vbi ſupra quæſtion. 7. & 8. quia tamen de huiuſmodi rebus in particulari, in ſubſequẽtibus, ſpeciales ſtatuendi ſunt articuli, cum in particulari agemus de ſupradictis tribus eſſentialibus votis, ab his pro nunc, conſultò ſuper ſedeo, dictaque pro iſto articulo, & tota hac quæſtione ſufficiant.

QVAEST.

QVAESTIO XXVI.

De Religioſis profeſſis, quantum ad votum Obedientiæ, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm obedientiæ votum, ſit præcipuum atque potiſſimum, inter tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota?

Primum argumentum.

VIderi poterit forſan cuipiam quod non, cum perfectio religioſæ vitæ à Chriſto Domino ſumpſerit exordium, & in Euangelio nō legatur, vbi aut quando Chriſtus Dominus dederit conſilium de obedientia ſpecialiter. Dedit quidē illud de paupertate, de continentia & alijs; de obedientia autem non fertur, expreſſe eiuſmodi conſilium dediſſe. Ergo ipſa non eſt inter omnia eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, præcipuum atq; potiſſimum. *Secundum argumentum.* Et confirmatur, nam votum dignioris rei, maius & excellentius eſſe videtur, ſed per continentiā, melior atque dignior res offertur Deo: vt enim inquit Sapiens Eccleſ. 26. *Non eſt condigna ponderatio animæ continentis*: ergo votum continentiæ, eſt maius & excellentius, quam obedientiæ. Confirmatur ſecundo, ex indiſpenſabilitate: nam quanto aliquod votum eſt maius, eminentius & præſtantius, tanto videtur eſſe magis indiſpenſabile, ſed *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu regularium*, dicitur de voto paupertatis & continentiæ, quod adeo ſunt annexa Religioni & regulæ monachali, vt ſuper ipſis neque Summus Pontifex poſsit licentiam indulgere, nulla mētione facta de obedientia, quin vero vt videtur, & Summus Pontifex efficere poteſt, vt religioſus non obediat ſuo Prælato: ergo votum obedientiæ, non eſt maius neque præſtantius, quam ſit votum paupertatis & continentiæ. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Obedientiæ votum præcipuū eſt, inter tria eſſentialia & ſubſtātialia Religionis vota.

OBedientiæ votum præcipuum eſt, inter tria, eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2.2. quæſtio. 186. art. 8. & quæſt. 104. art. 3. vbi propoſita difficultate & quæſtione. An obedientia ſit maxima virtutum, quamuis aſſerat, quod charitas eſt potior virtus, quam obedientia cum ſit Theologalis, ſubdit tamen, quod obedientia eſt melior, quam omnes aliæ virtutes morales, quibus propter Deum, aliqua bona contemnuntur. Ad quod probandum inducit, quod tria ſunt bonorum humanorum genera, quæ homo propter Deum poteſt contemnere, derelinquere & illi ſacrificare atque dicare, quorum infimum ſunt exteriora bona; medium bona corporis, ſupremum autem bona animæ, inter quæ præcipuum eſſe aſſerit voluntatem, inquantum per ipſam homo omnibus alijs bonis vtitur. Ex quo infertur, quod per ſe loquēdo, laudabilior eſt virtus obediētiæ (quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem) quam ſint omnes aliæ virtutes morales, quibus propter Deum aliqua alia bona contemnuntur. Sed redeundo ad propoſitum & ad particularia deſcendēdo, quod obedientiæ votum emineat, & ſit maius atq; præſtantius, quam votum paupertatis & caſtitatis, probatur efficaciſſimis rationibus. Primo, quia tāto aliquod votū eſt maius, quanto per ipſum Deo aliquod maius offertur, ſed per votum obedientiæ, offertur Deo propria voluntas, quæ eſt potior & maior, quam corpus propriū, quod offert Deo homo per continentiam, & quæ exteriora bona quæ per votum paupertatis offeruntur: ergo obedientia maior eſt ipſis. *Nota hoc in laudem obedientiæ.* Quod etiam confirmatur ex ſententia D. Gregorij libro vltimo moralium, cap. 12. vbi inquit, *quod obedientia, victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam autem voluntas propria mactatur*, vnde fit, vt illud, quod offertur per obedientiam, ſit Deo magis gratum, magiſq; acceptum, quam quod offertur per propriam voluntatem, iuxta id, quod etiam dixit, Diuus Hieronymus, in quadam epiſtola, ſcribendo ad Ruſticum Monachū, quæ incipit, *Nihil Chriſtiano felicius, & habetur in 5. tomo. Ad id* (inquit) *mea tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendū. Non facias, quod vis, comedas quæ iuberis, habeas quantū acceperis, veſtiaris quod datur, nam & ieiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate*, ad quod probandum adducit illud Iſai. 58. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Hæc Hieron. vbi ſupra. Secundo eadem probatur concluſio. Nam votum obedientiæ, continet ſub ſe alia vota, caſtitatis & paupertatis, non vero è conuerſo. Etenim &ſi religioſus teneatur, ex voto ſeruare continē tiam & paupertatem, hæc etiam cadunt ſub obedientia, ad quam etiam pertinet ſeruare multa alia, præter caſtitatem & paupertatem. Quin vero addo, quod omnia alia virtutum opera, ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quia fiunt ex obedientia, & vt obediatur diuinæ voluntati. Nam ſi quis etiam martyrium ſuſtineret, vel omnia ſua pauperibus erogaret, ſi non hæc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis (quod recte ad obedientiam pertinet) meritoria eſſe nō poſſent, ſicut nec ſi fierent ſine charitate. Et hoc adeò verum eſt, quod etiam ipſa charitas, vt inquit Diuus Thomas vbi ſupra quæſt. 104. artic. 3. in corpore, ſine obedientia eſſe non poteſt, quod probat ex illis verbis Ioannis 1. capit. 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit mendax eſt, qui autem ſeruat verbum*

lum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt, quod ideò eſt, quia amicitia facit idem velle & idem nolle, ſequitur ergo, quod obedientia præeminet multum & caſtitati atque paupertati. Quod & tertio & vltimo probatur, hac efficaciſſima ratione, nam votum obedientiæ proprie loquendo, extendit ſe ad actus propinquiores Religionis fini, & certum eſt quod quanto aliquid eſt propinquius ſuo fini, tanto melius eſt. Vnde etiam fit, quod votum obedientiæ, ſit Religioni ipſi eſſentialius, etenim ſi quis abſque obedientiæ voto, profiteretur voluntariam paupertatem & caſtitatem, certum eſt quod per hoc non eſſet religioſus, neque ad ſtatum Religionis pertineret, quod contra fieret, ſi profiteretur ſolam obedientiam, cum in ipſa includantur omnia alia (vt dictum eſt) & ipſa præferatur etiam virginitati ex voto obſeruatæ. Vt enim inquit Auguſt. lib. de virginitate, capit. 4. & 5. & habetur in 6. tomo. *nemo credo auſus fuerit, virginitatem præferre Monaſterio.* Ex dictis omnibus colligitur, quam maxima virtutis obedientiæ excellentia, ſupra paupertatem & caſtitatem, quæ fuit difficultas propoſita in præſenti articulo.

Ad primum. Ad argumenta in contrarium adducta Reſpondeo, ad primum negãdo quod Chriſtus Dominus nullum dederit de obedientia conſilium, imò verò dedit illud expreſſum, & habetur Matt. 16. quãdo dixit. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã, & ſequatur me.* Nam perfecta obedientia, in abnegatione ſui ipſius, & perfecta Chriſti ſequela conſiſtit, quod facit, qui Religionem ingreſſus, perfecte Prælato obedit, & alterius ſequitur voluntatem. *Ad ſecundũ.* Ad primam confirmationem, ſiue ſecundum argumentum reſpondeo, quod dignior atque præſtantior eſt materia, quæ offertur & dicatur Deo, per obedientiam quam quæ per continentiam, vt diximus in probatione concluſionis. Neque ex illis verbis Eccleſiaſtici, colligi poteſt, quod continentia præferatur omnibus alijs actibus virtuoſis, ſed ſolummodo coniugali caſtitati aut etiam diuitijs exterioribus auri & argenti, quæ menſurantur pondere. Vel dico quod ibidem continentiæ nomine, intelligitur vniuerſaliter omnis abſtinentia ab omni malo, ſicut dicit D. Thom. 2. 2. quæſt. 155. art. 4. ad primum. *Ad tertium.* Ad ſecundam confirmationem, quod tertium eſt argumentum reſpondeo, quod Innocentius III. in dicta extrauaganti, non fecit mentionem de obedientia, non quia ipſa non eſſet maior, aut quia ſuper ipſam Summus Pontifex licentiam poſſet indulgere, ſed quia non id erat opus diſputatione aut diffinitione (quod in magnam potius laudem ipſius obedientiæ cedit.) Poſſet enim quiſpiam dubitare, atque in controuerſiam adducere, an abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis, eſſent annexa & eſſentialia ſtatui religioſo, Religioni & monachali Regulæ, idque affirmatiue determinat, atq; definit ibi Pontifex, nõ autem poſſet in dubium cadere, idipſum de obedientia, ac propterea illud non ibidem diffiniuit neque determinauit, etenim religio ſine obedientia, non tam eſſet religio, quam inordinata confuſio. Nec vero Summus Pontifex, vnquam cum religioſis in voto obedientiæ diſpenſat, ita vt nulli Prælato teneantur obedire, in his quæ ad vitæ perfectionem pertinent, ſed commutat ipſorum obedientiam, eximendo interdum ipſos, ab aliquorum ſuperiorum ſubiectione, quod non eſt in voto obedientiæ diſpenſare, cum non propterea eximat illos à ſua obedientia & iuriſdictione. Hæc omnia ſunt valde notanda, & memoriæ commendanda.

Nota multa in laudẽ obedientiæ.

In calce huius articuli, libuit aduertere, quod Ioannes XXII. in extrauaganti, *Quorundam* de verborum ſignificatione, agens de his tribus virtutibus, obedientia ſcilicet caſtitate & paupertate, eiſdemque modum imponens, dicit vnum valde notabile pro Religioſis cunctis, nempe, quod *tota Religio perimitur, ſi a meritoria ſubditi obedientia ſubtrahantur. Magna* (inquit) *eſt paupertas, ſed maior integritas* (per quam intelligit caſtitatem, ſiue continentiam) *maximum autem obedientia, ſi cuſtodiatur illæſa.* Quorum reddens rationem addit, quod *prima rebus, ſecunda carni, tertia vero menti dominatur & animo, quos velut effrenes & liberos ditioni alterius, humilis iugo propriæ voluntatis aſtringit.* Hæc ſupradictus Ioan. XXII. quę quidem verba ſunt notatu digniſſima, multumque memoriæ commendanda.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſubditi teneantur ſuis Superioribus & Prælatis, in omnibus & per omnia obedire?

PRo parte affirmatiua argumentari poteſt, & videtur quod, ſic per comparationem obedientiæ quæ eſt filiorum ad patres, & ſeruorum ad dominos. Inquit enim D. Paulus, ſcribens ad Coloſ. 3. *Filij obedite parentibus veſtris per omnia*, & de ſeruis ſubdit, *ſerui obedite per omnia dominis carnalibus*: ergo eadem ratione, ſubditi obedire tenentur ſuis Superioribus & Prælatis, in omnibus atque per omnia. Quod & hac ratione confirmatur. Nam Prælati ſunt medij inter Deum & ſubditos, iuxta illud quod dixit olim Moyſes ad populum Iſraeliticũ, Deuter. 5. *Ego ſequeſter & medius fui, inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius.* Qua quidem ratione, cum ab extremo in extremum, perueniri non poſsit niſi per mẽdium, Prælatorum verba æſtimanda, atque reputanda ſunt ac ſi eſſent ipſius Dei præcepta, quod & fecerunt Galatæ, quos propterea D. Paulus laudat, *Pro eo, quod exceperunt ipſum, ſicut Angelum Dei, & ſicut Chriſtum Ieſum.* Et in alio loco laudat Theſſalonicenſes, *eo quod acceperunt ab ipſo, verbum auditus Dei, non quidem vt verbum hominum, ſed ſicut vere eſt verbum Dei.* ergo ſicut debet homo, in omnibus & per omnia, obedire & parere Deo, ita videtur quod ſubditi in omnibus, obedire tenentur ſuis Superioribus & Prælatis. His tamen non obſtantibus, in cõtrarium eſt veritas, nempe, quod ſubditi tenẽtur ſuis Superioribus & Prælatis obedire, cum certis limitationibus, de quibus ſtatuitur concluſio.

Ad Galat. 4.

1. Ad Theſ. 2.

Secunda Concluſio.

Subditi obedire teneantur

SVbditi tenentur ſuis Superioribus, atque Prælatis obedire, in omnibus quæ ad ipſorum ſupe-

Suis Prælatis in omnibus quæ ad ipſorum ſuperioritatem pertinent.

rioritatem pertinent, & non ſunt contra Deum, aut contra animam ſuam, at vero ſi quid contra diuinam voluntatem præcipiant, in his non eſt illis parendum: nam vt dicitur Actuum 5. *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ 2.2. quæſt. 104. artic. 1. & 5. ad quam probandam inducit, quod ex duabus cauſis poteſt procedere, vt ſubditus non teneatur ſuo Superiori in omnibus obedire. Vno modo propter præceptum maioris poteſtatis, vtpotè ſi præciat aliquid contra Deũ, in quo quidem caſu, præmiſſa iuſſione Prælati, obediendum eſt præcipienti Deo, iuxta illud, quod modo diximus, de mente & ſententia D. Petri. *Quod obedire oportet Deo magis, quã hominibus.* Vnde & Gloſſa explicans illud Pauli ad Roman. 13. Qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit, qui autem ipſi reſiſtunt, ſibi damnationem acquirunt, inquit. *Si quid iuſſerit Curator, numquid eſt illi parendum, ſi contra Proconſulem iubeat? Rurſum ſi quid Proconſul iubeat & aliud Imperator, numquid dubitatur illo contempto, iſti eſſe omnino parendum? Ergo ſimili ratione, ſi aliud imperator, & aliud Deus iubeat, contempto Imperatore obtemperãdum eſt Deo.* Verba quidem ſunt notatu digniſſima, & deſumpta ſunt ex Auguſtino ſermone 6. de verbis Domini. Ex quibus colligitur, quod in ijs, quæ ſunt contra Deum, & contra diuinam volũtatem, ſubditus non tenetur ſuis Superioribus obedire. Secundo (inquit Diuus Thomas) poteſt prouenire, quod inferior ſiue ſubditus, ſuo non teneatur Superiori obedire, quando ei præcipit aliquid, in quo ſibi non ſubditur. Dicebat enim olim Seneca lib. 3. de benef. ca. 20. *Quod errat & multum, qui exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcẽdiſſe, pars enim (inquit) melior excepta eſt (ſcilicet mens) corpora obnoxia ſunt & aſcripta dominis, mens autem ſui iuris eſt.* Vnde fit, vt in ijs, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non teneatur homini obedire, ſed Deo. Tenetur autem illi obedire, in ijs quæ exterius per corpus ſunt agenda, & quæ pertinent ad ſuam ſuperioritatem, & ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum, ſecundum rationem ſuæ ſuperioritatis, quo circa ſi Superior ſiue Prælatus, ſubdito aliquid præcipiat, ex ijs quæ ad ſuam ſuperioritatem non pertinent, & in quibus non ſibi ſubdatur, non illi tenetur obedire. Iſtæ rationes deſumptæ ſunt ex Diuo Thoma, loco ſupra citato, ex quibus clariſſime conſtat, noſtræ concluſionis veritas. Circa quam, quia extruẽdi ſunt infra ſpeciales articuli, & mouendæ particulares difficultates, ab illa pro nunc conſultò ſuperſedeo, & ad argumenta in contrarium adducta reſpondeo.

Ad primum, quod verba illa Diui Pauli, ſic intelligenda ſunt, quod obediendum eſt parentibus & dominis, à filijs & ſeruis, in omnibus & per omnia, quantum ad illa quæ pertinent ad ius patriæ ſiue dominatiuæ ſuæ poteſtatis, & non amplius, & ſic etiam ſubditi tenentur obedire ſuis Superioribus & Prælatis, in his quæ ſpectant ad ſuam ſuperioritatem ſed nõ magis. Sicut & miles duci exercitus, certum eſt, quod obedire tenetur, in his tantum, quæ pertinent ad militiam & ad bellum. Ad confirmationem autem reſpondetur, quod Deo ſubijcitur homo, ſimpliciter & per omnia, quantum ad omnia interiora & exteriora ipſius, atque ideò ei in omnibus obedire tenetur. Subditi vero non ſic ſubijciuntur ſuis Superioribus, quantum ad omnia, ſed ſolummodo (vt dictum eſt) quantum ad ea, quæ ad ſuam ſpectant ſuperioritatem, præciſe & determinate, quorum reſpectu, ipſi ſunt medij, inter ſubditos & Deum, in alijs vero non. Vnde fit, vt ſi Prælati & Superiores, præcipiant aliquid, quod ſit contra Deum, vel quod non pertineat ad ipſorum ſuperioritatem, in ijs ſubditi eis obedire non tenentur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſubditi teneantur obedire, ſuis Superioribus & Prælatis in actibus interioribus, & in ijs, quæ ſpectant ad interiorem motum voluntatis?

VIdetur quod ſic: nam Eccleſia excommunicat Inquiſitores, odio vel amore, contra aliquos procedentes, vel non procedentes, ſed iſti ſunt actus interiores: ergo idem dicendum eſt de Superioribus & Prælatis. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Prima Concluſio.

In actibus interioribus, et in his quæ pertinent ad interiorẽ motum voluntatis ſimpliciter ſubditus non tenetur ſuis Prælatis obedire.

IN actibus interioribus & in ijs, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis ſimpliciter, ſubditus non tenetur ſuo Prælato, ſiue Superiori obedire. Hæc concluſio eſt expreſſa ſententia Diui Thomæ 2.2. quæſt. 104. artic. 5. in corpore, quæ & probari poteſt multiplici ratione. Primo, nam (vt dictum eſt in præcedenti articulo) ſubditi nõ tenentur ſuis Prælatis ſiue Superioribus obedire, niſi in his tantum quæ pertinent ad ipſorum ſuperioritatem, & in quibus illis ſunt ſubiecti, ſed in actibus interioribus, & quæ ſolum pertinent ad interiorem motum volũtatis, ſubditi non ſubijciuntur Prælatis, ſed neque poſſunt, cum hæc ſoli Deo reſeruentur: ergo intentum. Et confirmatur, nam vt inquit Diuus Thomas, vbi ſupra, de his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt iudicare, ſed homo iudicare non poteſt, de interioribus actibus, qui per ſe latent in conceptu animæ, & ſolum pertinent ad interiorem motum voluntatis, ſed ſolummodo de exterioribus actibus qui apparent: ergo in illis non tenentur ſubditi ſuis Prælatis ſiue Superioribus obedire. Quod limitat Diuus Thomas, ac dicit eſſe intelligẽdum, niſi per accidens, in quantum interior motus voluntatis, colligitur ſeu colligi poteſt, ex ipſis actibus exterioribus, vt ſic enim, bene poteſt præcipere, imperare & iudicare de actibus interioribus, & ſic videmus, quod Eccleſia excommunicat Inquiſitores, odio vel amore Procedentes, aut non procedentes, vt dictum eſt in argumento propoſito, ad rationem dubitandi. *Et in Clementina prima, de ſtatu Monachorum,* excommunicantur Monachi, ad Romanam Curiam accedentes, animo offendendi ſuos Prælatos, quo quidem loco, non prohibetur animus offendendi, cum ſit actus interior ſimpliciter, ſed prohibetur idem

In his tantum ſubditus non tenetur ſuis Prælatis obedire.

animus

Nota caſus in quibus Superiores & Prælati, poſſunt ſibi ſubditis, interiora ali qua præcipere.

animus offendendi, vt colligatur atque coniungitur, cum tali acceſſu, ita quod prohibetur ſub tali pœna, acceſſus non cuiuslibet, ſed habentis talem animum nocendi & offendendi. Eadem ratione & Prælati regulares, poſſunt ſibi ſubditis per obediẽtiam præcipere, vt quas celebrant miſſas, pro ſua intentione offerãt, nam in tali præcepto & ſimilibus, non præcipitur ſimpliciter ſubditorum interior animi motus, qui eſt applicatio medij valoris miſſæ, ſed præcipitur idem interior animi motus, vt coniunctus & colligatus, cum actu exteriori celebrationis eiuſdem. In quo ſecundum communem ſententiam, ſubditi Prælatis non obedientes, peccabunt mortaliter, cum frangatur ab eis obedientiæ præceptum in re grauí. Videatur hac de re Sylueſter *verbo obedientia, quæſt. 1. & verbo, excommunicatio 7. excommunicatione 2. in 1. notabili, & verbo, hora, quæſt. 11. particula 2.*

Secunda Concluſio.

In actibus exterioribus, ſemper tenentur ſubditi ſuis Superioribus obedire dummodo nõ ſint contra Deum, & nõ id faciendo, peccant mortaliter.

IN actibus exterioribus qui non ſunt contra Deum, & qui ad ipſorum pertinent ſuperioritatem, ſubditi tenentur ſuis Prælatis ſiue Superioribus obedire, & non obediendo, ex contemptu vel ſcienter, & ſine cauſa rationabili, in re graui & alicuius momenti ſiue ponderis arbitrio boni viri, eſt peccatum mortale. Hæc concluſio eſt, etiam Diui Thomæ & Syluestri, vbi ſupra, quæ & probari poteſt, hac ſpeciali ratione. Nam obedientia eſt pars iuſtitiæ, ac proinde qui non obedit Prælato, in illis in quibus tenetur, facit contra iuſtitiam & peccat mortaliter, de quo non eſt, aut eſſe poteſt dubium, dummodo vt dictum eſt in concluſione, non ſit contra Deum, quod præcipitur, aut in diſpendium ſalutis ſpiritualis, vel corporalis ipſius ſubditi, vel contra præceptum alterius Superioris ad præcipientem, ſeu in his, quæ ad eorum ſuperioritatem non pertinent, nam in talibus obedire, non eſt neceſſarium, niſi forſan ratione ſcandali. Sed de hoc etiam dicemus alias.

Tertia Concluſio.

Perfectus obediens, in omnibus & per omnia debet obedire, dummodo nõ ſint cõtra Deum.

QVamuis omnia ſupradicta vera ſint, ad perfectionem tamen virtutis, & perfectam obedientiam ſpectat, quod ſubditus in vtriſque actibus, interioribus ſcilicet & exterioribus reſpectu ſui Prælati rectus exiſtat. Hæc concluſio eſt etiam Diui Thomæ 2.2. quæſt. 104. articu. 2. in corpore. Vnde & ſecundum ipſum, obedientia diffinitur, quod *eſt moralis quædam virtus, promptam reddens voluntatem ſubditi, ad implendum voluntatem Superioris præcipientis.* Vbi etiam dicit, *quod eſt ſpecialis virtus, habens pro formali obiecto, ſpeciale Superioris præceptum, tacitum vel expreſſum, per quod voluntas eiuſmodi Superioris ſit ſibi nota.* Ad argumentum in contrarium adductum in initio articuli, iam diximus in probatione primæ concluſionis qualiter id ſit intelligendum, & ſic ſatis factum eſt illi, ac toti articulo.

Perfectæ obedientiæ deſcriptio, ſiue diffinitio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ad hoc, vt ſubditus teneatur ſuo Superiori ſiue Prælato obedire, ſufficiat ſitque ſatis, vt ipſius voluntas atque intentio, vtcumque ſit illi nota?

SIt caſus, quod Prælatus quiſpiam, in ſuo capitulo ſeu alibi, ſibi ſubditis aſſeueranter dicat atque quodammodo præcipiat, vt aliquid fiat vel non fiat, eſſeque id ſuæ intentionis & voluntatis, nullum tamen, eadem de re apponat expreſſum, ſiue formale præceptum, quæritur nunc, an in tali caſu, ſubditi teneantur eidem obedire, & an contrarium facientes mortaliter peccent, ſi materia ſit grauis. Et ratio dubitandi eſt, nam (vt diximus) Diuus Thomas 2.2. quæſtio. 104. in corpore diffiniens obedientiam, & dicens illam eſſe ſpecialem virtutem inquit. *Eius formale & ſpeciale obiectum, eſſe præceptum Superioris, tacitum vel expreſſum,* & ſubdit, *voluntas enim Superioris, quomodocumque innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia ſubditi promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate tantum Superioris intellecta.* Hæc Diuus Thomas, his tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Nota hoc val de, pro obediẽtiæ laude.

Concluſio.

Subditi quãuis conformare ſe teneantur, ſuorum Prælatorum voluntati, nõ tamen peccãt mortaliter, non id faciendo, niſi de aliqua re apponatur ſibi præceptum formale.

SVbditus de congruo etſi teneatur ſe conformare, ſuamque vitam dirigere ad intentionem ſui Prælati, non tamen peccat mortaliter, non id faciendo, niſi ſibi de re aliqua, põnatur expreſſe, obedientiæ formale præceptum. Hæc concluſio apud omnes eſt comperta & manifeſta, de qua videndus eſt ſpecialiter Caietanus, ſupra Diuum Thomam 2.2. quæſt. 104. art. 2. vbi dicit formale obiectum obedientiæ, eſſe præceptum Prælati, vt communiter ſumptum & diſtinguitur contra Conſilium, & vt ſub ſe comprehendit, peccatum mortale aut veniale, ſi non fiat quod imperatur. Quibus verbis inſinuare videtur Caietanus, non omnem inobedientiam eſſe mortale, ſed quandam venialem, etiam cognita atque intellecta intentione & voluntate Prælati. Videatur etiam eadem de re, Sylueſt. *verbo, præceptum, quæſt. 2. & verbo, obedientia, quæſt. 12.* vbi inquit quod ſubditus nõ tenetur exequi & facere, quæcumque ſcit aut credit eſſe de voluntate ſui Superioris & Prælati vt faciat, niſi ſuperior ex intentione, ei ſuam voluntatem manifeſtet, expreſſe vel interpretatiue, præcipiendo vel monendo, ex intentione ſubditum ad exequendum. Ad quod probandum inducit Diuum Thomam quæſt. 23. de veritate, articulo vlt. vbi arguens, quod non teneamur, nos conformare in volito diuinæ voluntati, inquit, nam Prælato tenemur vt Deo, ſed ſubditus non tenetur vel le, quidquid ſcit Prælatum velle, etiam ſi ſciat Prælatum velle, quod ipſe ſubditus aliquid fa-

ciat, niſi illud expreſſe ei præcipiat: ergo à ſimili idem dicendum eſt de Deo. Hoc dicit argumentando Diuus Thomas, & admiſſo quod ſubditus non tenetur velle, quidquid ſcit Prælatum ſuum velle (quod ad noſtrum propoſitum attinet) propoſito argumento, reſpondet negando conſequẽtiam. Non enim (inquit) eſt ſimile, quia voluntas Prælati, non eſt Regula noſtræ voluntatis vt diuina, ſed eius præceptum. Hæc Diuus Thomas, ex quibus verbis, clare noſtrum colligitur intẽtum. Vnde pro propoſito articulo reſolutiue dico, quod nullus ſubditus cenſetur reus, ſiue tranſgreſſor voti ſolemnis obedientiæ (ad effectum peccandi mortaliter) niſi ea prætermittat, quę vir tute obedientiæ aut ſub excommunicationis pœna, verbo tenus aut ſcripto, à ſuo Prælato ſibi fuerint præcepta. In alijs vero peccabit venialiter, aut forſan nullum peccatum committet, ſi Prælati fuerit intentio, ad nullum peccatum obligare. Pro quorum pleniori intelligentia, libuit etiam præmittere, ex Caietano *verbo, inobedientia*, & ex Nauarro in Manuali, cap. 23. num. 35. quod inobedientia obedientiæ contraria, duobus modis poteſt conſiderari, vno modo formaliter, quãdo (ver bi gratia) ſubditus non vult ſuo obedire Prælato, ex eo ſolum quia non vult ei obedientiam præſtare. Nam ſicuti obedientia eſt ſpecialis virtus, inclinans ad faciendum, quod iubetur eo principaliter quod iubetur, ita & è contra, inobedientia eſt ſpeciale quoddam vitium, inclinans ad non faciẽdum quod iubetur, eo principaliter quod iubetur. Ita quod inobedientia, ex his duobus quaſi cõflatur, ſcilicet ex quodam materiali & altero formali, nempe ex non faciendo mandatum & illud quod iubetur, & ex animo non faciendi illud, eo principaliter quod iubetur. Hoc vltimum quod eſt formale, ſemper eſt peccatum mortale, tam in rebus leuibus, quam in arduis, nam hæc inobediẽtia, includit quendam manifeſtum Prælati præcipientis contemptum, quod ſemper eſt peccatum mortale, iuxta illud Lucæ. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Alia eſt inobedientia materialis, quæ conſiſtit in non faciendo Prælati iuſſum ſiue mandatum, quando ſcilicet ſubditus obedientiæ præceptum non exequitur, non quidem ex eo, quod nollet ſibi ſubijci, aut eius iuſto parere præcepto, ſed conturbatus ira, moleſtia, ignorantia, triſtitia, aut aliqua alia ſimili cauſa. Quod ſi fuerit in re ardua & graui, eidemque fuerit impoſitum obedientiæ præceptum formale, ſeu excommunicationis pœna (cui inobedientia ſemper præſupponitur) in his non obedire, erit peccatum mortale: at ſi res fuerit leuis, vel Prælatus nullum formale præceptum imponat, eius voluntatem præterire, non erit niſi tantum peccatum veniale; quæ quidem ſunt valde notanda ac memoriæ commendanda.

Nota hoc valde, pro caſibus in quibus ſubditi tenentur ſuis Prælatis obedire, aut tum ipſorum voluntate ſe conformare.

Nota valde pro cotemptu præceptorũ, quæ interdũ ponuntur à Prælatis, & quidnam ſit contemptus.

Nota quod cõtemptus præcepti Prælati ſemper eſt peccatum mortale.

In quo caſu Prælatis non obedire, peccatũ ſit mortale, quando vero veniale.

Ad argumentum in contrarium, ſiue rationem dubitandi, adductam ex Diuo Thoma, ſatis patet ſolutio ex ſupradictis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſubditus obedire teneatur Prælato, quando dubitat, an id quod præcipitur ſit contra Deum, necne?

HAEC difficultas longiorem requirebat diſputationem, vtpote de qua magna eſt lis & controuerſia inter Doctores, ab ipſa tamen propter temporis anguſtiam, breuiter me expediam, vnde & propoſito articulo reſolutiue Reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

OBedire tenetur Prælato ſubditus, quando eſt de vtraque parte contradictionis dubius, & non ſine cauſa & ratione dubitat, an ſit in tali caſu obediendum, nec ne. Hęc concluſio eſt fere omnium Doctorum communis, & eam tenet Diuus Thomas in 4. diſtinct. 19 quæſt. 4. & Sylueſter *verbo conſcientia, quæſt. 4. & verbo, obedientia quæſt. 2.* vbi dicit id eſſe generaliter intelligendum, in omnibus rebus dubijs. Et addit quod faciendo, quod ſibi præcipitur, quidquid illud ſit, excuſatur à peccato, niſi ſit de his, in quibus ignorantia non excuſat, vt puta contra articulos fidei, vel contra præcepta Dei, aut contra generale ſtatutum Eccleſię, iuxta ea quæ dicit idem Sylueſter, *verbo, ignorãtia, quæſt. 7.* ad quod probandum adducit, *cap. ad aures, de tempo. ord. & cap. quod culpatur, 23. quæſt. 1.* Vnde dico, quod quotieſcumque ſubditus, conuenienti inquiſitione facta, certificari non poteſt de aliqua re, obedire debet Prælato, & obediẽdo excuſatur à peccato, etiam ſi dubitet an agat contra præceptum Dei, necne, cum etiam aliquando bonum, ſine quo poteſt eſſe ſalus, propter obedientiam debeat omitti, vt expreſſe habetur *in ca. quid ergo 11. quæſt. 3.* Ad comprobandam hanc concluſionem, ſunt plures eædemq; appoſitiſſimæ rationes. Primo probatur ex eo, quod Deutero. cap. 27. habetur, *nempe quod ſi quid fuerit difficile, atque ambiguum, adducatur ad Sacerdotes, & ſtetur ipſorum ſententiæ, nec declinetur ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Id quod & expreſſe etiam determinatum eſt, *in capit. maiores, de baptiſmo & eius effectu*, vbi dicitur generaliter, quod in rebus dubijs ſtandum ſemper eſt Eccleſiæ definitioni. Sed præterea probatur eadem concluſio, ſpeciali alia ratione. Nam certum eſt, quod qui ſe exponit maiori periculo peccandi mortaliter, peccat magis mortaliter, ſed in prædicto caſu, quando ſubditus certificari non poteſt de aliqua re, atque eſt dubius de vtraque parte contradictionis, ſimul ſtante vtrinque ęquali probabilitate, & æquali grauitate periculi ſeu peccati, in quorum alterum extremorum neceſſario incidendum eſt, præcepto Superioris non obediendo, ſubditus maiori ſe exponit periculo peccandi mortaliter, quam ſi obediret regulariter loquendo & cæteris paribus: ergo in tali caſu tenetur neceſſario obedire, cum ex duobus malis, minus ſemper ſit eligendum. Quod & confirmatur præterea: nam propter dubium, quod habet ſubditus, non perdit ſeu amittit Prælatus ius

Subditus obedire tenetur Prælato, quãdo eſt pro vtraque parte contradictionis dubius, & non ſine cauſa, & ratione dubitat an ſit in tali caſu obediendum nec ne.

Nota valde pro Prælatorum obedientia debitaetiã in rebus dubijs.

ius ſuæ ſuperioritatis ad præcipiendum, ſicut ante illam habebat, alioquin poteſtas Superiorum, penderet ab ignorantia, vel capitoſo ſenſu ſuorum ſubditorum, ſeu ab aliqua alia culpabili eorũ diſpoſitione: ſed ſi ſubditus nõ dubitaret, quin vero idem ſimul ſentiret cum ipſo Prælato, omni procul dubio, teneretur ei obedire: ergo & idipſum dubitãs, tenebitur ſimiliter facere. Res quidẽ eſt certa & quæ omni prorſus dubitatione caret.

Secunda Concluſio.

In rebus dubijs, ſubditi tenentur, conſcientiam deponere, & ſimpliciter obedire.

IN prædicto caſu, huiuſmodi ſubditus, tenetur conſcientiam deponere, & poſtea obedire. Hęc concluſio eſt expreſſa D. Bonau. in 2. ſent. d. 39. ar. 1. q. 3. & de eadem videatur Sylu. *verbo conſcientia, q.* 4. vbi & ponit varios dubitationis modos, qui in tali caſu poſſunt contingere, & dicit quid faciẽdum ſit in ipſorum quolibet, & confirmat ſuã doctrinam, *per c. Inquiſitionis, de ſententia excommunicationis*, vbi Innocentius III. cuiuſdam reſpondens conſultationi, ſub diſtinctione (inquit) eſſe procedendum & tandem ſubdit, quod deponatur conſcientia, &c. Idem ergo in propoſito caſu eſt faciẽdum. De quo modo, deponendi ſcrupuloſam cõſcientiam, videatur idem Sylu. vbi ſupra, *& verbo ſcrupulus, q.* 3. 4. 5. *& 6. per totas*, & Nauar. *in c. ſi quis autem, de pœnitentia, d.* 7. *n.* 81. *cum ſequentib.* & in ſumma. c. 16. n. 40. & c. 23. n. 37. & 38. In calce huius articuli libuit aduertere, quod nos fratres Minores, habemus ſpeciale decretum, cuiuſdam Capituli generalis, auctoritate Apoſtolica factũ, tẽpore D. Bernardini, & refertur in quadã ipſius Epiſto. art. 7. vbi declaratur & dicitur. *Quod in omnibus dubijs, quæ non poſſunt indubitanter declarari, ſubditi tenentur ſtare Superiorum iudicio, & obedire.* Quod & Leo. X. confirmauit, tradens quoddam indultum, *quo conceſsit, & cõmiſit de plenitudine ſuæ poteſtatis, quod in dubijs & ſcrupulis, ſubditorum conſcientias tangentibus, Miniſter Generalis, vel Prouinciales, & Cuſtodes cũ conſilio aliquorum Patrum (ſi res magnæ importãtiæ fuerint) poſsint auctoritate ſuæ Sanctitatis determinare in huiuſmodi, ac eorum determinationi, ſubditi cum ſecura conſciẽtia debeant & poſsint ſtare.* Et contrarium agentes, dicit D. Bernardinus, quod ſunt ſuæ regulæ & obedientiæ tranſgreſſores, & digni vt à Superioribus cenſura Eccleſiaſtica, ſeu alia decenti pœna plectantur. Videatur hac de re Corduba, in expoſitione noſtræ Regulæ cap. 10. quæſt. 2. puncto. 3.

Qualiter ſit deponẽda ſcrupuloſa conſcientia.

Nota hoc valde.

Qualiter ſubditi, in rebus dubijs teneãtur ſuis Prælatis obedire, poſsintque id tuta cõſcientia facere.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſubditus Prælato tencatur obedire, quando certus eſt eſſe licitum quod præcipitur: dubitat tamen, an Prælatus id ſibi poſsit præcipere?

VIdetur quod non teneatur, in tali caſu illi obedire, nam ſi dubiũ eſt (vt præſupponitur) an id cadat ſub poteſtate Superioris ad pręcipiendum, dubium etiã eſt, an id etiam cadat ſub obedientia, & obligatione inferioris ſubditi ad obediendum, ſunt enim hæc duo correlatiua, quæ eodem modo ſe habent & ad inuicem conſequuntur, ita quod vno poſito ponitur & alterum, altero vero ſublato, aufertur & reliquum: ergo in tali caſu, ſubditus non tenebitur Prælato obedire, cum dubitet de ipſius poteſtate. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Si ſubdito cõſtet licitũ eſſe quod præcipitur, obedire tenetur, etiam ſi dubiter aliqualiter de Prælati poteſtate.

SI ſubdito cõſtet, licitum eſſe quod præcipitur, obedire teneretur Prælato, etiam ſi ſit aliqualiter de ipſius poteſtate dubius. Hæc concluſio eſt certiſſima & apud omnes comperta, quæ & intelligenda eſt cum hac limitatione, quod ex tali obedientia, non immineat periculum ſubdito aut alteri, nec notabile præiudicium ſpirituale vel temporale, in ſua perſona, rebus aut honore. Sed quod concluſio, ſic intellecta ſit vera, probatur primo, nam (vt dictum eſt in prȩcedenti articulo) Prælatus propter ſubditorum dubium, non amittit ius aut ſuperioritatem, ſiue iuriſdictionem, quam alias ſuper ipſis habebat, ſed ſi ſubditus nõ dubitaret de poteſtate Prælati, teneretur quidẽ illio bedire: ergo etiam ſi dubitet, tenetur idipſum ſimiliter facere, præſertim ſi ſint leues vel nullæ, rationes quas habet dubitandi. Et confirmatur, nam obedientia perfecta (vt communiter dicitur) debet eſſe cæca, neque habere oculos, & Prælatus non tenetur rationem reddere ſubditis ſuorum præceptorum, maxime vbi clare conſtat, id quod præcipitur eſſe licitum, non enim expedit reipublicæ, aut rectæ gubernationi, quod ſubditi omnia ſciant, imò verò, tota reſpublica, & Hierarchicus & Eccleſiaſticus ordo deperiret, ſi in hiſce rebus ſtãdum eſſet ſubditorum ſenſui, atque expectandum & videndum, an id quod Prælati præcipiunt, ſit licitum, an non ſit licitum, oporteret enim inter Prælatos & ſubditos, innumera eſſe iurgia, & continuæ diſceptationes, an facere teneantur hoc, aut illud: ſi igitur non de omnibus à Prælatis reddenda eſt ratio ſubditis, imò verò ad hoc, quod obedire teneantur, iuxta *c. quod culpatur*, 23. *q.* 1. ſatis eſt, quod dubitent, &c. ergo ſubditi nulla de hoc mentione facta, eiſdem tenentur obedire. Quod & præterea probatur à ſimili, nam certum eſt, quod æger & infirmus, obedire tenetur medico corporali, non ſolum in his, quæ ſecũdum ſuum iudicium & aliorum, ſunt ſibi neceſſaria ad ſalutem corporalem conſequẽdam, verum etiam in illis, quæ ſecundum Doctores, cadũt ſub dubio an ſint neceſſaria nec ne, dummodo infirmo conſtet, eam rem ſibi nocere non poſſe: ergo ſimiliter obediẽdum eſt ſpirituali medico, nempe Prælato & Superiori, non ſolum in his quæ certo ſciuntur eſſe neceſſaria, ad regimen ſpirituale ſiue ciuile, verum etiam & in dubijs ſupradictis, cũ certe ſibi conſtet, hoc ſibi nocere nõ poſſe. Quod autem in præſuppoſito caſu, obedientia ſeu obedire, nocere non poſſit ſubdito, ſuperque ſatis conſtat, ex dictis in præcedenti articulo, vbi luculenter oſtendimus, quod in rebus dubijs ſemper eſt ſtandum Superiorum iudicio.

Nota hoc valde, pro obedientia ſubditorum.

Ad argumentum igitur in contrariũ adductũ, Reſpondetur, cõcedendo illa eſſe correlatiua, & quod correlatiua eodem modo ſe habent, quo ad eſſe & quoad non eſſe, & vt dicitur, poſita ſe ponunt & perempta ſe perimunt, non tamen quoad

modum, ſeu conditionem eſſendi. Vnde dico quod ſtare optime poteſt, dubiũ de poteſtate Prælati præcipientis, cum certitudine obligationis obediendi in ſubdito, quin vero & Prælatum cul pabiliter præcipere, & ſubditum laudabiliter obe dire, & ſic eſt in propoſito. Quod ſemper eſt intel ligendum, cum conditione & modificatione, in concluſione appoſita, dummodo ex tali obedientia, nõ immineat periculum ipſi ſubdito, aut alteri, aut notabile præiudiciũ ſpirituale, vel temporale in ſua perſona, rebus aut honore, tunc enim in tali caſu & dubio, obediendũ non eſſet, quouſque ſubditus ſufficienter fuiſſet edoctus, de abſentia eiuſmodi periculi ſiue præiudicij. Non enim poteſt quiſpiam alicui ſe obligare, aut ei tenetur obedire in præiudiciũ tertij, nec obedire tenetur ſubditus, cum periculo ſpirituali aut temporali ſui ipſius, aut cuiuſcumque alterius. Nec regulari ter, ius diuinum vel humanum, cui homo per ſuũ votum obedientiæ obligare ſe intendit, ad valde difficilia & vltra communem aliorum ſui ſtatus obligationem ſe extendit, niſi ſpecialiter aliquo iure, vel voto ad id obligetur. Hoc ſolũmodo excepto caſu, qui implicite multos in ſe comprehẽdit, certiſſimũ eſt & omni procul dubio, quod ſubditi tenentur ſuis Superioribus obedire, quamuis aliqualiter dubitent de Prælatorum poteſtate, ad præcipiendum, hoc enim dubium non eſt de obedientia, nec de obligatione obediendi (vt præten dit ſuprapoſitum argumentum) ſed eſt dubium alia de re, nempe de poteſtate Prẹlati, & in tali dubio, dummodo abſit ſuprapoſitum periculum, cer tiſſimum eſt eſſe obediendum.

Nota hoc val de.

Nota valde in quibus ſubditus, nõ obedire tenetur Prælato.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſubditus teneatur obedire Prælato, generaliter in omnibus, quæ ſunt ſecundum ſuam Regulam?

Nota quod multiplicia ſunt præcepta, quæ à Prælatis ſubditis poſſunt impoſi.

PRo tituli intelligentia, adnotare libet, quod multiplicia ſunt præcepta, quæ ſubditis à Prẹlatis poſsũt imponi. Quẹdam enim ſunt ſecundum Regulam, & conformiter ad illam quam profeſsi ſunt, implicite ſeu explicite, alia vero cõtra ipſam, alia ſupra, alia infra, alia prẹter: de quibus omnibus in ſpecialı, extruendi atq; mouendi ſunt à nobis particulares articuli, ſed in propoſito maioris diſtinctionis & claritatis gratia, ſolũmodo quẹritur, an ſubditi Prælatis, in vniuerſum teneãtur obedire, in omnibus, quæ ſunt ſecundũ ipſorũ Regulam, explicite ſeu implicite, non autẽ prẹter ipſam, aut contra ipſam, ſiue ſupra, vel infra? Cui propoſitæ difficultati, reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Certiſsimum eſt, quod omnes in vniuerſum ſubditi, ſuis tenẽtur Prælatis obedire, in omnibus quæ ſunt

CErtiſsimum eſt & omni dubio procul, quod omnes in vniuerſum ſubditi & religioſi, obedire tenentur ſuis Superioribus atq; Prælatis, in omnibus quæ ſunt ſecũdum ſuam ipſorum Regulam, explicite ſeu implicite. Hæc concluſio apud omnes, eſt comperta & manifeſta, & eſt expreſſa ſententia D. Tho. 2.2. q. 104. art. 5. ad 3. & Caietani in eadem 2.2. q. 88. art. 3. Qua de re videatur Sylu. *verbo, Religio. 6. q. 6.* ſecundum quem dico, quod religioſus ſubditus, ex eo quod eſt profeſſus aliquã Regulam, ſubditur Prælato, non ſolũ quoad operationes vel omiſsiones, eorum quæ expreſſe & explicite continentur in tali Regula; verũ etiam & quoad omnia illa, quæ rationabiliter reduci, ſeu ordinari poſſunt ad ipſam. quin vero ad regularem vitam, vt ſunt obſeruantia ſilentij, cuſparum recognitio, & alia huiuſmodi, pertinentia ad obſequia prælatorũ, & conſeruationem fraternæ ſocietatis, intra Conuentũ & extra. De quo ſubditorũ nullus habere poteſt dubiũ, alioquin (vt ſupradictũ eſt) oporteret inter Prẹlatos & ſubditos cõtinuas eſſe diſceptationes, an facere vel non facere tenerẽtur hoc aut illud, & an Prælati huiuſmodi poſſent aut nõ poſſent ea ſibi præcipere, ex quo in ipſorũ Regula talia non habentur expreſſa, nihil (inquam) hoc obſtat, ſat enim eſt quod habeantur implicite. Quo circa vt dicit Hugo in explicatione noſtræ Regulæ, Beatiſsimus Pater noſter Frãciſcus, feruore plenus diuini ſpiritus, generaliter atq; vniuerſaliter in ſua Regula nobis Minoribus Fratribus præcepit, vt obediamus noſtris Superioribus & Prælatis, in omnibus quæ promiſimus Domino obſeruare, abſolute & abſque vlla diſtinctione, dummodo non eſſent contra animã & Regulam noſtram. Quæ obedientia, tam ampla atque generalis, quamuis in omni hac amplitudine (vt credo) non omnes in vniuerſum comprehẽdat religioſos (vt amplius infra dicemus) ſaltim colligitur ex ſuperius allata doctrina, quod ad minus aliarum Religionũ alumni, ſuis tenentur Prẹlatis & Superioribus obedire, in omnibus, quæ ſunt ſecundum ſuas ipſorum Regulas, implicite ſeu explicite, etiam ſi explicite non contineãtur ibidem, his exceptis, de quibus dicemus infra, quæ Regulam excedunt & ſunt ſupra illam. Qua de re videatur Corduba, in expoſitione noſtræ Regulæ, cap. 10. quæſt. 2. in 1. puncto.

ſecũdum ſuã Regulam, explicite ſeu implicite.

Hugo in explicat. noſtræ Regul.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ſubditi teneantur obedire ſuis Superioribus & Prælatis, præcipientibus aliquid contra ſuas ipſorum Regulas?

Prima Concluſio.

Subditi non obedire tenẽtur Prælatis, in aliquo quod ſit contra ipſorum Regulam, niſi in caſu, quo ipſi poſſent ſuper eadem diſpenſare.

CErtiſsimum etiã eſt, & omni dubio procul, quod ſubditi non obedire tenẽtur ſuis Superioribus atque Prælatis, præcipientibus aliquid contra ſuas ipſorũ Regulas, niſi forte in caſu, quo poſſent ipſi ſuper eiſdem diſpenſare. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Tho. 2.2. q. 104. art. 5. de qua videndus eſt Sylu. *verbo, Religio. 6. q. 6.* latiſsime, & Nauar. in Sũma, c. 23. n. 37. & 38. vbi & enumerat quam plures caſus, in quibus ſubditi Superioribus obedire non tenentur, vt ſi præcipiant aliquid cõtrarium præceptis Dei, Papæ aut Eccleſiæ, ſeu alterius ſuperioris poteſtatẽ habentis, quale eſt generaliter loquendo, omne illud, ad quod poteſtas iubentis non ſe extendit. Sed probatur concluſio: nam iuxta commune

mune Theologorum axioma, quæ pro charitate inſtituta ſunt, contra charitatem militare non debent, & vt inquit Diuus Paulus 2. Corinth. 3. *Prælatorum poteſtas, non eſt ſibi data in deſtructionem, ſed potius in ædificationem*: ergo Prælati non poſſunt præcipere, ea quæ ſunt in deſtructionem Regulæ, aut iuris diuini, ſeu in diſpendium animarum ſuorum ſubditorum. Quo fit vt communis ſit omniũ DD. reſolutio, quod ſi Prælatus quiſpiam, per obedientiam ſeu in virtute Spiritus ſancti, aut ſub excommunicationis, pœna præcipiat aliquid quod ſit, vel contra Deum vel contra animam aut contra Regulam, ſic præcipiendo ipſe mortaliter peccabit, & ſubditi non tenebuntur illi obedire, quinimo tenentur illi non obedire. Videatur hac de re Cord. in expoſit. noſtræ Regulæ, cap. 20. quæſt. 1. in 2. pũcto, vbi dicit, quod ſi quæratur, quid ſit cõtra animam, quid vero contra Regulam? Reſpondetur quod contra animam eſſe dicitur, nõ ſolum peccatum mortale aut veniale, verum etiam & omne illud, quod eſt incentuum proximum, aut inducit de propinquo in periculum peccandi, de quibus ibi aliqua ponit exempla, adducens Diuũ Thomã, in quodlibetis quodlib. 11. art. 3. dicentẽ quod potius debet homo præeligere morte, quã etiam venialiter peccare. Cõtra Regulam autẽ inquit præfatus Cord. eſſe dicitur, non ſolũ id, quod eſt cõtra aliqua præcepta ipſius, verum etiam & quod eſt contra Ordinis ſtatuta, ordinata ad ſeruandam maiorem puritatem Regulæ, de quibus etiam aliqua ibi adducit exempla, addens etiam, eſſe contra Regulam, quando Prælatus prohibet vel præcipit, vt non fiat aliquid, quod concedit Regula. Iuxta cuius ſententiam, illæ quæ in noſtra Fratrum Minorum regula, dicuntur libertates vt veſtimenta repeciare & ſimiles, dubiũ nec parũ eſt, an per Prælatos & Superiores poſſint prohiberi? A qua difficultate in iſto articulo cõſultò ſuperſedeo, quia de ipſa longiſſimum feci ſermonem alibi, nempe in explicatione quam typis mãdaui, ſuper eandem noſtram Regulã, ibi videatur ab his quibus placuerit, & quibus id competit. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

In caſu quo Prælatus poſſet ſuper regulam diſpenſare, bene poteſt præcipere, aliquid cõtra ipſam, & ſubditus tenebitur ei obedire.

IN caſu quo Prælatus rationabiliter poſſet, ſuper ſuam Regulam ſeu ſuper aliquo ipſius præcepto diſpenſare, bene poſſet præcipere atq; imperare aliquid quod ſit contra Regulam, & ſubditus tenebitur illi obedire. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri *verbo, Religio, 6. quæſt. 6.* vbi dicit, quod ad hoc duo debent cõcurrere, nempe quod ſciat Prælatum præcipere contra Regulam, & ſimul eum poſſe diſpenſare in eo quod ipſi præcipit; cui & addendum eſt, quod moueatur ex rationabili cauſa, nam ſi ſubdito conſtet, quod non moueatur Prælatus ex rationabili cauſa ad diſpenſandum, non tenebitur illi obedire. Probatur hæc cõcluſio, ſic explicata & declarata. Nam in caſu quo Prælatus poteſt diſpenſare, & ſubeſt legitima cauſa ad diſpenſandum, exiſtentibus iſtis duabus conditionibus, licet alias illa opera ex Regula, ſeu ex alio iure eſſent illicita, Prælatus tamen per prædictam ſuam rationabilem diſpenſationem, facit ea eſſe licita, & quod non ſint contra Regulam, cum per talem diſpenſationem auferatur vinculum eiuſdem Regulæ: ergo exiſtente facultate præcipiendi, tenebitur ſubditus proculdubio Prælatõ obedire, cum nihil præcipiat prohibitum in Regula, poſtquam eſt iam, vt ſupponitur diſpenſatus. Vnde dico, quod ſi Prælatus quiſpiam, noſtri ſacri Minorũ Ordinis, ex aliqua rationabili cauſa, præcipiat alicui ſubdito, quod non ieiunet aliqua ſer. 6. vel quod calcietur ſeu quod vadat equitando, aut aliquid eiuſmodi, ex his in quibus Prælati poſſunt diſpenſare, quia nempe videt illum infirmũ, debilem vel claudum, aut ex alia legitima rationabili cauſa impeditum, tenebitur proculdubio, eiuſmodi illi obedire, quamuis ſubdito ipſi aliter appareat, & ſit aliqualiter dubius de ſufficientia cauſæ ad diſpenſandum. Nam in tali caſu, & generaliter in omnibus rebus dubijs, an debeat obedire, necne, & an ſit contra Regulam, vel an Prælatus poſſit diſpenſare, ſeu moueatur ex rationabili cauſa, ſubditi tenentur Prælatis obedire, vt iã pluries dictum eſt, iuxta *cap. quid culpatur, 23. quæſtio. 1.* Videantur hac de re Syluеſter vbi ſupra, *verbo obedientia, quæſt. 2.* & Cord. ſuper cap. 10. noſtræ Regulæ, quæſt. 2. in 2. & 3. pũcto.

Nota hoc vale, pro religioſis ſubditis infirmis, & neceſſitatem patientibus.

Dixi eſſe parendum in tali caſu Prælato, quamuis ipſi ſubdito aliter appareat & ſit aliqualiter dubius, nam ſi non eſt dubius, ſed certo & manifeſte videt, Prælatum in tali caſu errare, & male declarare aut determinare, & quod nõ ſubeſt illi ſufficiens & rationabilis cauſa, ad diſpenſandum & præcipiendum in prædictis, ſed mouetur leuiter pro ſuo arbitrio & ſine cauſæ diſcuſſione, ſi (inquam) hoc manifeſtè ſibi conſtet, non tenebitur ſubditus obedire, quia talis diſpenſatio eſſet irrationabilis, & potius diſſipatio quam diſpenſatio, & præceptum Prælati in hoc caſu eſſet inualidũ, vtpotè contra Regulam & de re alias illicita. Cõfulatur Corduba locis ſupra citatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm ſubditi ſuis Superioribus atque Prælatis, teneantur obedire, in his quæ ſunt infra Regulam, vel præter Regulam?

HIſte articulus plenius intelligatur, viſum eſt proponere aliquod exemplũ, de aliqua re quę ſit infra Regulam, vel præter Regulã. Sit caſus, quod aliquis Prælatus, præcipiat ſubdito aliqua die comedere, corpus ſuum reficere vel exeundo ad campum recreare, ſeu aliquid huiuſmodi efficere, quod neq; Regula præcipit nec vero prohibet, neque eſt ſecundum ipſam neque contra ipſam ſed infra, aut præter Regulam, quæ alio nomine à Doctoribus dicuntur *indifferentia*, quæritur, an in his teneatur ſubditus illi obedire? Circa quam difficultatem variæ ſunt Doctorum opiniones, vt inquit Sylu. *verbo, Religio 6. q. 6.* Quidã enim dicũt, quod in his obedire, eſt etiam neceſſitatis & obligatoriũ. Alij vero dicunt quod nõ, ſed ſolũmodo perfectionis & voluntarium. Et quamuis quantũ ad rẽ attinet, conſideratis circunſtantijs & conditionibus, parum

rum vel nihil, inter ſe differant iſti Auctores, pro maiori tamen propoſiti articuli reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Subditi tenẽtur Prælatis obedire, in omnibus quæ ſunt infra regulã, vel præter regulam, dum tamẽ aliqualiter ordinari poſſint ad regularem vitam.

SVbditi Prælatis tenentur obedire, in his etiam quæ ſunt infra Regulam, vel præter Regulam, ſi quoquo modo ordinari poſſunt, ad Regularem obſeruantiam ſiue vitam, idque ex præcepto. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, vbi ſupra, & eandem tenet Corduba ſuper Regulam cap. 10. quæſtio. 2. in 4. & 5. puncto, & probatur concluſio. Primo, quia ad Regulam pertinent, ac pertinere dicũtur, non ſolum ea quæ in ipſa exprimuntur expreſſe, verum & illa quæ in ea continentur implicite & virtualiter, & quæ ad ipſam, ſeu ad regularem vitam, quoquomodo poſſunt ordinari, cum igitur quæ ſunt infra Regulam, vel præter Regulam, ſint eiuſmodi, liquidum profecto ſit, quod in talibus, ſubditi tenentur ſuis Prælatis, & Superioribus obedire. Diſcurſus eſt optimus. Solum modo ſupereſt probare, quod ſupradicta, ad Regularem vitam poſſint ordinari & reduci. Quod & probo hac ratione euidentiſſime: nam ſubditum quandoque corpus ſuum reficere ſiue recreare, omiſſio rigidarum diſciplinarũ ieiuniorum, abſtinentiarum & his ſimilium, quandoque nimium ſunt neceſſaria ipſi etiam Religioni, & reduci atque ordinari poſſunt ad Regularem vitam, cum alias ſint licita. Expedit enim, vt ſubditi aliquando recreentur, & quandoque à ſupradictis laboribus & pœnitentijs abſtineant, ne ex nimio feruore ſeu indiſcreto zelo, deficiant in Religionis via. Vult Prælatus (verbi gratia) ſubditum occupare in aliquo alio labore, aut forſan exercere in rebus arduis & difficillimis, oportetque proinde ipſum, validum, ſanum, fortem & robuſtum exiſtere, quis dubitat, quod poſſit illi præcipere, vt comedat, quod non ieiunet, non ita rigide ſe diſciplinet, aut recreetur, &c. Hoc eſt certiſſimũ, quod conſtat vel maxime ex eo, quod habetur *in capite quid ergo. 11. quæſt. 3.* vbi dicitur, quod omne bonum, quod non eſt ad ſalutem neceſſarium, omitti atque prætermitti quandoque debet, propter obedientiam. Quia tamen multa ſunt infra Regulam, ſeu præter Regulam (quæ alias dicuntur indifferẽtia) quæ ſunt vana, fictilia & omnino fatua ex genere ſuo atque circunſtantijs, vt (verbi gratia) ſi Prælatus præciperet ſubdito leuare feſtucã, vel aſpicere ad aues volantes, aut quid ſimile, dico quod in talibus ſic indifferentibus, non tenebitur illi obedire, cum neq; ex genere ſuo neque ex circunſtantijs, reduci ſiue ordinari poſſint, ad Regularem vitam, ſiue religioſam conuerſationem. Quod eſt notandum, & illud tenet expreſſe D. Thomas 2. 2. quæſt. 186. artic. 5. ad quartum, vbi inquit, quod quamuis votum obedientiæ ad Religionem pertinens, habeat quandam vniuerſalitatem, quia ſe extendit ad diſpoſitionem totius humanæ vitæ, non tamen (inquit) ſe extendit, ad omnes particulares actus, quorũ quidam ad Religionẽ non pertinẽt, quia nõ ſunt de rebus pertinẽtibus, ad dilectionem Dei ſiue proximi, neque reduci & ordinari poſſunt, ad Regularem vitam, ſiue religioſam conuerſationem. Hæc Diuus Thomas.

Nota quod omne bonum quod non eſt ad ſalutem neceſſarium, interdũ omitti, & prætermitti debet, propter obedientiam.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ſubditi teneantur obedire ſuis Superioribus atque Prælatis, præcipientibus aliquid, quod ſit ſupra ipſorum Regulam?

PRætermiſsis hac de re, varijs Doctorum opinionibus, propoſitæ difficultati, Reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Subditi nõ tenẽtur, Prælatis & Superioribus obedire, in his, quæ ſimpliciter ſunt ſupra regulam.

SVbditi non tenentur, Prælatis & Superioribus obedire, in his quæ ſimpliciter ſunt ſupra Regulã. Hæc cõcluſio eſt expreſſa D. Tho. in quodlibetis, quodlib. 10. art. 10. ad quod probandum, adducit ſententiam D. Bernar. lib. de diſpenſatione & præceptis, vbi ad hoc propoſitũ dicit ſequẽtia notãda verba: *Nihil præcipiat mihi Prælatus eorũ quæ nõ voui, nihil prohibeat eorũ quæ nõ promiſi, nõ augeat, nec minuat votũ meũ.* Ex quibus verbis plane colligitur, Prælatos ſibi ſubditis, nihil poſſe præcipere ſupra Regulã, & q̃ quando aliquid eorũ, quæ ſunt ſimpliciter ſupra Regulã, & ſupra ipſorũ votũ, ipſis præcipitur, ſubditi non tenentur illis obedire. Quod & cõfirmatur ex ſentẽtia Ricardide ſancto Victore, qui dicit in multis ſuę doctrinę locis debitũ eſſe id, quod præcipitur ſecũdũ ordinẽ & ſecũdũ Regulã, indebitũ autẽ, quod ſupra profeſsionẽ: ergo intentũ. Sed pręterea ratione, eadẽ probatur cõcluſio: nã ſubditus ſolummodo ſe obligauit, ad Regulã promiſſam & ad obedientiã nõ excedentẽ limites ſuę Regulæ & profeſsionis: ergo Prælatus nihil iuris habet, ad præcipiendũ ſibi ea, quę ſunt ſupra Regulã. Patet cõſequentia, quia non habet ius ſiue iuriſdictionẽ, niſi ad præcipiendum ea, ad quę illi ſubditus, per ſuã profeſsionẽ ſe obligauit. Qua ratione dico, quod ſi Prælatus per obedientiã alicui præciperet ſubdito, quod vadat ad Indos, ſeu ad ſubeundũ martyrium, aut quod nimia inedia ſiue abſtinẽtia ſe affligat, ter aut quater in hebdomada ſemper ieiunãdo, aut q̃ plus nimio ſe diſciplinet, vel quod per vnũ continuũ mẽſem, non carnes comedat, in Religionibus in quibus iſta & ijs ſimilia nõ ſunt obligatoria, etiã ſi hoc ſit ad maius ipſius meritũ, in huiuſmodi caſibus, cõmunis eſt omniũ Doctorũ reſolutio, quod nõ tenebitur illi obedire. Id quod, & expreſſe eſt determinatũ, *in c. geſta d. 74.* vbi dicitur, *iuſtũ nõ eſſe, vt aliquis creſcere cõpellatur inuitus.* Super quę dicit Gloſſa ibidẽ, quod *Monachis, vel Canonicis inuitis, diſtrictior vita imponi nõ poteſt.* Quod & probat argumẽto deducto, *ex c. nõ eſt, 15. q. 1. & ex c. præſens 20. q. 3. & ex c. integritas. 32. q. 1.* vbi idẽ omnino habetur, eiſdẽ fere verbis aut paucis mutatis. Sed aduertendũ eſt, cõſultò atq; ex propoſito, à me dictũ fuiſſe & poſitũ in cõcluſione, nõ teneri ſubditos, Prælatis ſiue Superioribus in eo caſu obedire, quãdo præcipiunt aliquid, quod ſimpliciter & abſolutè ſit ſupra Regulã: nã ſi non ſimpliciter & abſolutè, ſunt ſupra ipſam, ſed ſecundũ quid & per accidẽs, in tali caſu dico, quod ex iuſta & rationabili cauſa, poterunt

talia

talia præcipere, & tenebuntur illis parêre & obedire. Volo dicere, quod quamuis subdito à Prælato, strictior vita simpliciter & absolutè imponi non possit, quia cogeretur inuitus crescere cõtra prædictum c. gesta d. 74. & contra omnem prorsus rationem & contra libertatem voti, de cuius ratione est quod sit voluntarium: attamen si nõ simpliciter & absolutè, sed secundum quid sit strictior vita, & in aliquo casu, ex aliqua rationabili causa imponeret illi aliquid, quod sit supra Regulam, vtpotè ieiunium, aut disciplinam, proculdubio tenebitur ille obedire. Quod & contingere potest dupliciter. Primò in pœnam alicuius culpæ admissę, vt si (verbigratia) in pœnã, & propter aliquod commissum peccatum, per obedientiam præciperetur alicui subdito, tot dies ieiunare in pane & aqua, vel acriter semetipsum disciplinare, aut per aliquos menses à carnibus abstinere, in tali casu & similibus, teneretur proculdubio obedire, vt tenẽt omnes vnanimiter Doctores, & habetur expresse *in ca. dilectus, el 2. & in capiquoniã, de simonia.* Cui etiam & fauet ipsa ratio, nam huiusmodi culparum punitio, dummodo sit rationabilis, & non fiat in odium siue in vindictam contra subditum, aut excedatur nimis, potius esse videtur secundum Regulam, quam supra ipsam. Secũdò, potest idipsum contingere, non in pœnam alicuius culpæ commissæ, sed ad cautelam culpæ futuræ præcauẽdę, vt si. v. g. alicui viro libidinoso à natura, seu subdito grauiter tentato, imponatur à Prælato, quod deferat cilicium, aut quod ieiunet tot diebus, semetipsum acriter disciplinet, & dissimiliter ab alijs viuat, quia nempe videt & certò credit, ipsum aliter non posse vitare peccatum siue periculum, cum causa sit iusta & rationabilis, certũ est, quod etiam in tali casu tenebitur illi obedire. Videatur hac de re, Syluester, *verbo, Religio. 6. q. 6.* & Corduba super nostram Regulam, cap. 10. quæst. 2. in 6. puncto, vbi etiam & ad hoc propositum, alios varios casus enumerat quam maximè notatu dignos. Sed modo insurgit maior quædam difficultas, an Prælatus cum maiori parte Capituli, possit sibi subditis nouam aliam Religionem imponere, aut saltim facere, aliqua noua statuta arctiora, & præcipere præcepta aliqua nimis stricta & rigorosa, ad reformandam & plenius atque perfectius obseruandam Regulã promissam? qua de re est magna lis & controuersia inter Doctores, & de ea videantur Syluester, & Corduba locis supracitatis. Vt autem hac in re, sicut & in alijs, pro meo more breuiter atque resolutiuè procedam, & pro eiusdem difficultatis resolutione aliquid dicam, sequentem statuo conclusionem.

In quibus casibus, possit præcipi subditis, aliquid quod sit supra ipsorum regulam.

Difficultas. An Prælatus cum maiori parte Capituli, strictiorem vitã omnibus suis subditis possit imponere?

Secunda Conclusio.

Prælatus etiam cum maiori parte Capituli, nõ nouã potest instituere religionem, siue regulã, po

PRælatus etiam cum assensu seu consensu maioris partis Capituli, non potest nouam efficere Regulam siue Religionem, potest tamen infra eandem, aliqua efficere strictiora & arctiora statuta, pertinentia ad reformandam Regulam promissam, & ad meliorem ipsius obseruantiam. Prima huius conclusionis pars probatur, quia nõ potest Prælatus, etiam cum maiori parte Capituli, in præcipiendo perpetuo & omnibus per statutum, magis quam in præcipiendo ad horam siue ore tenus isti vel alteri: sed in particulari subditis (vt dictum est in præcedenti conclusione) strictior vita imponi non potest, simpliciter & absolutè, nisi in aliquo casu & ex causa, etiam cum assensu & consensu maioris partis Capituli: ergo nullus Prælatus, sibi subditis etiam cum tali assensu, nouam Regulam potest efficere, seu nouam Religionem instituere. Et confirmatur, quia huiusmodi nouæ austeritates, facientes Religionem nouam, cum ad omnes pertineant, ab omnibus debent approbari, concernunt enim singulos de Religione, vt singulos, non verò vt vniuersos, & consequenter non possunt indici aut præcipi per Superiorem, etiam de consensu Capituli quod in maiori parte consistit, quinimò requiritur ac præcisè necessarius est, consensus singulorum, iuxta communẽ iuris Regulam *in cap. quod omnes, de reg. iur. libro. 6. qua dicitur, quod illud quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari habet.* Sed secunda conclusionis pars probatur: nam (vt supponitur) per eiusmodi noua statuta, etiam strictiora & actiora, non fit aliqua noua Regula, aut noua Religio, sed statuitur tantummodo illud, quod necessarium videtur, ad reformandam Regulam promissam, & ad magis exactam eiusdem obseruantiam, hæc igitur bene possunt fieri, cum assensu & consensu maioris partis Capituli. Et confirmatur, nam reuera eiusmodi præcepta & statuta, non possunt aut debent dici supra Regulam, sed secundum Regulam & in voto obedientiæ intelliguntur inclusa, ibique contineri: ergo rectè possunt præcipi. Ad quod facit, quam maximè, *cap. vnicum de statu regularium lib. 6.* vbi monialibus cũctis ab Ecclesię indicta est clausura, quę non erat de ipsarum Regula (saltim communiter & Regulariter loquendo) pro eo nẽpe quia talis clausura pertinebat & spectabat quã maximè ad obseruãtiã promissæ castitatis earum. Supra quod Capitulum dicunt DD. Iurisperiti communiter, quod modus conuersandi mulierum, taxatur ibidem, secundum naturam rei, cum non deceat mulieres vagari, iuxta *cap. mulieres, de iudicijs, lib. 6.* ergo etiã in nostro proposito, propter similem rationem & causam, de consensu maioris partis Capituli, bene possunt fieri à Prælatis, aliqua stricta & rigorosa statuta, quæ proinde subditi obseruare teneantur, cum ad maiorem atque meliorem suæ Regulæ obseruantiam pertineant.

testi tamen in fra ipsam, ali qua strictiora præcipere.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm subditus, potius teneatur obedire Prælato, & Patri suo Spirituali, quam carnali?

HAEC difficultas amplissima est, & de qua est magna lis & controuersia inter Doctores, qui & hac de re agunt, ad inquirendum & inuestigandum, teneaturne filius iam religiosus effectus, à Religione exire, quò patri extremè indigenti subueniat? an vero potius in clausura permanere &Prę

lato obedire? Circa quod ſunt variæ ſententiæ & Doctorum opiniones, quæ longiſſimè atque diffuſiſſimè tractantur à Scholaſticis & Summiſtis, de quorum omnium reſolutione, ſequentes ego ſta tuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Si parentes ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, potius eſt parendum illis quam obediẽ dũ Prælato, ſiue patri ſpirituali.

SI parentes ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, tunc filius religioſus effectus, potius tenetur eiſdem parentibus carnalibus, quam Prælato ſiue Patri ſpirituali obedire, & quò illis ſuccurrat, poteſt clauſtrum exire, & facere omnia alia quæ ad id requiruntur, petita licentia licet non obtenta, quin verò & in caſu, etiam contra obedientiam Prælati. Hæc concluſio eſt grauiſſimorum Auctorum, & meo quidem videri eſt certa. In primis tenent eam Ricardus in 4. quæſt. 18. & Henricus quodlibeto 6. quæſt. 18. Adrianus etiam quodl. 2. quæſt. 1. Auguſt. de Ancona, de poteſt. Papæ. quæſt. 5. art. 1. & videatur de ea Corduba, ſuper noſtram Regulam, ca. 2. quæſt. 6. in 2. pũcto. Sed probatur præterea, efficaciſſimis rationibus. Primò, quia præceptum de honorandis parẽtibus, ſicut & præceptum non occidendi, eſt de iure naturali & diuino, fortius obligans & prius, quam quodcumque Prælati præceptum, ſeu obligatio adimplendi quodcumque votum, cuiuslibet profeſſionis & Regulæ ſuperuenientis: ergo non debet per hoc vltimum, illud prius derogari aut impediri, cum illud primum ſit obligatoriũ de per ſe & ſimpliciter, hoc autem vltimum, quaſi ſecundario & per accidens, ex noua ſuperuenienti obligatione præcepti ſiue voti. Et Confirmatur, nam emittere votum eſt cõſilium; at verò ſubuenire parentibus præceptum, illudque ſtrictiſſimum; cum igitur conſilia dentur, vt præcepta melius adimpleantur, manifeſtum fit, quod per conſilia nullatenus præceptis debet derogari. Et confirmatur ſecundò: nam ad ſubueniendum alij cuicumque exiſtenti in extrema neceſſitate (ſecundum probabilem opinionem) poteſt religioſus, ſi neceſſe fuerit extra clauſtrum exire, pro illo ſuccurrendo, humiliter petita licentia licèt non obtenta: ergo multo melius, ad ſubueniendum ſuo Patri, exiſtẽti in eadem extrema neceſſitate. Nec tenebitur in tali caſu Prælato obedire: nam hoc ius de ſubueniendo extreme indigenti, & extremæ neceſſitati cuiuſque (ſed parentum quam maximè) eſt naturale, & prẽualet obligationi cuiuſcumque obedientiæ Prælatorum, ſeu voti cuiuslibet.

Secunda Concluſio.

Si pater aut mater, nõ ſint in extrema neceſſitate, ſunt tamẽ in neceſſitate magna licet nõ propterea extra clauſtrũ poſſit Religioſus exire, tenetur tamẽ intra, eiſdem per modos licitos ſuccurrere.

SI parentes non ſint, in tali extrema neceſſitate conſtituti, ſunt tamẽ in neceſſitate magna, tunc filius religioſus effectus, non poteſt extra clauſtrum exire quò ipſis ſuccurrat; ſed poteſt & tenetur illis ſuccurrere, per modos licitos, non contrarios ſuæ Regulæ & profeſſioni, at non alias. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ. 1. 2. quæſt. 101. ar. 4. & quodlibeto. 3. art. 6. & eam tenuit olim Alexander Alenſis. 3. parte. quæſt. 33. membro. 4. iuxta quam dico, quod tenetur filius profeſſus in quantum poterit, ſalua ſemper Ordinis obedientia, & regulari diſciplina, ſatagere per ſe vel per alios, vt ſuis parentibus in magna neceſſitate conſtitutis ſubueniatur, non tamen tenetur aut poteſt, ad id extra clauſtrum exire, quamuis ſit iuſta cauſa, vt ſummus Pontifex cum tali filio religioſo diſpenſet, ad Religionis egreſſum, vt debite parentibus prouideat. Sic explicata probatur modo cõcluſio. Quia talis religioſus, ſolummodo tenetur ſuis ſuccurrere parentibus, modo ſibi poſſibili de iure ſeu alias licito, iuxta ipſius ſtatum in quo eſt, ſed qui iam per profeſſionem validam, eſt effectus religioſus atque Religioni obligatus, de iure nullum alium habet modum licitum, ſubueniendi parentibus, præter illum qui in concluſione eſt poſitus: ergo illud & non amplius debet facere. Conſequentia cum maiori eſt legitima, minorem autem probo, per ſimilitudinem de filio clerico, & iam conſtituto in ſtatu clericali, qui quidem non tenetur parentibus, etiam in magna neceſſitate conſtitutis, ſuccurrere ſecundum aliquem modum, qui ſuo ſtatui repugnet. Non enim tenetur, pro releuanda tali ſuorum neceſſitate parentũ, armis vti nec fieri miles, aut exercere officiũ vile aliquod & ſibi diſcõueniẽs: nam talis neceſſitas nõ facit licitum modũ, qui alias de ſe, ſine tali neceſſitate nõ eſſet licitus, & talia facere eſſet cõtra ſtatum clericatus: ergo idipſum dicendum eſt de prædicto religioſo, in propoſito caſu. Confirmatur, nam talis religioſus per profeſſionem factam, quoad mundum eſt iam omnino mortuus, & per talem mortem ciuilem ſeu ſpiritualem, ita iam effectus non ſuus, ac ſi totaliter fuiſſet mortuus corporaliter; ſed ſi eſſet mortuus corporaliter, non teneretur quò parentibus ſubueniret quidquam facere; ergo nec nunc, poſtquam eſt mortuus ſpiritualiter, ad ſubueniendum eiſdem parentibus, tenebitur à clauſtro exire, ſed ſat erit facere per ſe vel per alium quod potuerit, ad talem neceſſitatem releuandam, ſemper tamen exiſtendo in Monaſterio, & ſub obedientia ſui prælati, & ſalua ſua profeſſione & ſuæ Regulæ puritate. Aduerto tamen, quod ſi forſan Prælatus eſſet tyrannus, neque in tali caſu permitteret ſubdito, per modos licitos ſuæ Regulæ & profeſſioni non contrarios, mendicando aut laborando, parentibus ſubuenire & ſuccurrere, tunc petita licentia, & prius notificata cauſa ſiue neceſſitate, licèt non obtenta, poſſet extra clauſtrum exire, contra præceptum Prælati, dummodo ex hoc non ſequeretur aut immineret graue aliquod ſcandalum, aut aliquod maius malum. Hoc tenet expreſſe Adrianus quodlibeto. 1. ar. 3. in reſponſione ad 7. argũm. & inquit, quod ſic faciendo non peccat, imò debite facit quod tenetur, vt patri ſuo ſubueniat. Neq; inquit iſte talis eſt apoſtata, ſiue vllam incurrit cenſurã à iure inflictam, cõtra exeũtes clauſtrũ ſine Prælatorũ licentia, nec meritò eiuſmodi religioſus poteſt dici inobediens præceptis rationabilibus Prælati, ex quo Prælatus prohibet quod ille facere tenetur. Et quamuis (inquit) illud ſibi prohibeat ſub obedientia & cenſuris, non tenebitur illi obedire: quia non id facit rationabiliter, ſed contra ius diuinum & naturale: vnde eius præ-

Qualiter ſubditi ſe gerere debeant, in ſubueniendis ſuis parentibus, neceſſitatem aliquam magnam patientibus.

ceptum

ceptum est nullum, & apposita etiam censura non ligat. Addit tamen Adrianus, quod nihilominus non potest huiusmodi religiosus, auctoritate sua deserere seu relinquere habitum, nec aliquid facere quod sit contra suam Regulam, aut statui suæ Religionis & professionis contrarium, vt dictum est. Videatur hac de re Corduba super regu. cap. 10. quæst. 6. suam explicando mentem atque sententiam, vbi plura alia dicit ad hoc propositum notatu dignissima, admonendo religiosos omnes, vt videant atque considerent, sitne vera & magna suorum parentum necessitas, quibus teneantur succurrere & subuenire, ita quod sine ipsis probabiliter, nullum aliud omnino appareat remedium, neque idipsum fieri possit per alium fratrem, siue quamcumque aliam personam, & quod non plus faciant contra præceptum & obedientiam Prælati, quam necessitas ipsa requirit, & præcise fuerit necessarium, ad eandem subleuandam; neque etiam in his dijudicandis, propriæ prudentiæ innitantur, ne ex propria affectione decipiantur culpabiliter. Semper enim in omnibus, quæ non sunt contra charitatem Dei aut proximi, nec secum trahunt aliquod malum, siue speciem mali, curandum (inquit) obnixe est, vt debita præstetur obedientia Prælatis, quibus post votum & Professionem factam, magis reuereri atque obedire tenemur, quam ipsis parentibus carnalibus, extra duos iam dictos & supra positos casus, quæ omnia valde sunt notanda atque memoriæ commendanda.

Notanda verba P. Cordubæ, circa modū quo subditi se gerere debēt, in subueniendis suis parentibus.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Fratres Minores, ex vi voti & suæ Regulæ, strictius teneantur suis Prælatis obedire, quam reliqui aliarum Religionum alumni & professores?

Notanda verba D. Bonauentura circa nostræ Regulæ obedientiam debitam.

HEc hac difficultate & quæstione, latissimè agit Seraphicus Pater noster Bonauentura, super caput primum nostræ Regulæ, vbi varios enumerat obedientiæ gradus, inter quos illum eminentissimum esse dicit, qui nullis circunscribitur terminis, seque extendit ad omnia quæ non fuerint contra propriam Regulā & spirituali saluti cōtraria. Et addit, quod erant multū qui dicunt, quod in omnibus Religionibus obedientia sit æqualis. Hoc idem tenet in quæstionibus, quas fecit super Regulā q. 12. & 13. & in doctrina maiori Nouitiorum, lib. 3. cap. 55. vbi inquit, quod in tribus votis essentialibus, nostra Regula & sacra Religio, omnes alias Regulas & Religiones superat & excedit. De cuius doctrina & resolutione, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

Minores Fratres, ex vi no

NOS Fratres Minores, ex vi voti obedientiæ nostræ Regulæ, strictius tenemur obedire nostris Prælatis, quam reliqui aliarum Religionum alumni & professores, obedire teneantur suis superioribus. Hanc conclusionem, præter Seraphicum Patrem nostrum Bonauenturam, tenent alij grauissimi Doctores, in quibus est Orbelus, studiosissimus Scoti interpres, in quarto sententiarum, dist. 38. quæst. 1. §. 24. vbi post multa alia sic dicit: Ex his patet, Ordinem Fratrum Minorum esse artiorem cæteris in voto obedictię: quia non solum tenentur obedire suis Prælatis, in his quæ ad regularem obseruantiam spectant, sicut tenentur omnes alij Religiosi, secundum sanctum Thomam, verum etiam & in his quæ nō sunt contraria animæ & regulæ suæ vt patet ex ipsorum Regula. Hæc Orbelus. Et idem expresse tenet Bernardinus de Busto, in suo sermonario, 2. parte sermone 27. Nec ab hac sententia discedit etiam Durandus in 2. sententiarum, dist. vltima, dicens, quod maior vel minor obedientia, cuiuslibet Religionis consurgit & attenditur, à forma voti illius regulæ, cui religiosus quispiā se obligauit. Ex nostro autē sacro Ordine, tenēt hāc sententiam & conclusionem, omnes ferè nostræ regulæ expositores, Expositio sanctorum Patrum, & ea quæ circumfertur sine titulo, Diuus Bernardinus, sermone de obedientia, & in quodam alio dialogo, quem fecit de eadē materia. Sed probatur modo conclusio ratione. Nam verba nostræ regulæ in capitulo decimo, post alia sunt, quæ sequuntur. *Fratres vero qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates.* & subdit. *Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ & regulæ nostræ.* Ex his verbis colligunt nostræ regulæ expositores, quod nos Minores Fratres, ex vi præfati voti obedictiæ, & ex prædicta forma profitēdi, specialius atque strictius præ alijs religiosis, tenemur nostris Prælatis, & Superioribus obedire; Siquidem ipsi non tenentur, nisi in his quæ pertinent ad suam regulam, seu pertinere & ordinari possunt ad regularem vitam; nos tamen vniuersaliter in omnibus licitis & honestis, duobus casibus solūmodo exceptis, nēpe si præcipiatur aliquid, quod sit contra animam aut contra nostram regulam. Vnde Hugo clarissimus regulæ nostræ expositor, super cap. 10. post refutationem opinionis contrariæ dicit: Quod perfecta obedientia illa est, quæ nullis terminis coarctatur, neque contenta suæ professionis angustijs fertur in latitudine charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneè in infinitam libertatem extenditur, quam B. Franciscus in spiritus feruore, suis Fratribus indixit, præcipiens vt obediant suis Ministris, non solum in his quæ promiserunt Domino obseruare, verum etiā & in alijs quæ non sunt contraria animæ suæ & regulæ nostræ: hos enim duos tantum limites imposuit. Hæc ille.

strę Regulæ, strictius Prælatis tenemur obedire, quā reliquialiarū Religionum alumni.

Sed vt ex oppositione contrariorum, veritas nostræ conclusionis plenius eluceſcat, libet contra ipsam argumentari, eritque argumentum, omnium quidem iudicio formissimum. Et quæro, an teneamur nos Minores fratres: ex vi voti nostræ obedientiæ, obedire Superioribus & Prælatis, in his quæ sunt supra Regulam; an non? si dicatur quod

Nota hoc argumentū fortissimum contra superius dicta.

quod non, ergo nec noſtra obedientia, maior aut ſtrictior eſt, quam ſit obedientia aliorum religioſorum, ſiquidem etiam ipſi (vt dictum eſt) ſuis Superioribus & Prælatis obedire tenentur, in omnibus his quæ non ſunt ſupra regulam. Vel dicatur & aſſignetur aliquid, in quo nos Minores Fratres, teneamur noſtris Superioribus obedire, & nō teneātur etiam aliarū Religionū religioſi & alumni ſimiliter. Argumentum quidem eſt fortiſſimū; ſed quod ſolutionem habet, & reſpondetur primo, concedendo quod nos Fratres Minores, non tenemur obedire noſtris Superioribus & Prælatis, in his quæ ſunt ſupra regulam, abſolutè & ſimpliciter; negamus tamē quod inde ſequatur, quod noſtra obedientia non ſit amplior atque ſtrictior, quam aliorum religioſorum. Sicut neque valet iſta cōſequentia: nullus currit plus aut melius quam poteſt: ergo nullus currit melius aut plus quā alius. Nō (inquā) tenet cōſequentia: nā poteſt quiſpiā currere melius quam alius, etiam ſi non currat plus aut melius quam poteſt. Sic ergo in propoſito, habens quis maiorem obligationem, & votum obedientiæ magis ſtrictum, atque ad maiora ſe extendens, etſi non teneatur ad aliquid ſupra ſuam obligationem, habere poteſt maiorem obligationem quam alius. Ad propoſitum ergo, non valet argumentum: Fratres Minores nō tenentur obedire, in his quæ ſunt ſupra ſuam regulam, & ſupra ſuum obedientiæ votum: ergo nō obligantur ad altiorem & arctiorem obedientiā, quam alij religioſi. Teneret quidem conſequentia, ſi omnes regulæ in obedientiæ voto, eſſent æquales, & nullus religioſus ex vi ſuæ regulæ teneretur ad plura, ſiue plus quam alius obedire. Dico igitur, cum Seraphico Patre noſtro D. Bonauent. errare & multum, illos qui dicunt, in omnibus Religionibus obedientiam eſſe æqualem. Quin vero addo, quod ſicut Religio noſtra in ſtricta paupertate, atque in multis alijs rigoribus, & aſperitatibus, excedit omnes alias, vtpotè qui ex vi noſtræ regulæ & ex voto noſtræ paupertatis, nullum poſſumus habere proprium, neque in particulari neque in communi; quæ obligatio in nulla alia Religione tam ſtricta reperitur, & præterea etiam vigintiquatuor habet obligatoria præcepta, ita & in voto obedientiæ excedit omnes alias, quia regula noſtra, obligat nos ſpecialiter, ex vi voti noſtræ obedientię ad plura, ad quę non obligātur aliarum Religionum alumni & profeſſores. Et quando quæris, quod detur aliquid, in quo ſpecialiter teneamur obedire? Generaliter dico & reſpondeo, ex textu noſtræ regulæ, quod non ſolum in his, quæ ſpecialiter promiſimus Domino obſeruare (quæ quidem ſunt plura, ſtrictiſſima & rigoroſiſſima, vt patebit intuenti & legenti noſtram regulam, quæ in hoc excedit omnes alias aliorum religioſorum) verum etiam & in omnibus alijs, quæ non ſunt contraria animæ & regulæ noſtræ, quæ ſi à Prælatis præcipiātur, obligatoria erunt, poſſuntque id facere ex vi regulæ, non autem aliarum religionum prælati. Quorum exempla multa, in prōptu aſſignari poſſunt, vt ſi verbi gratia, Prælatus ex præcepto & per obedientiam, iniungeret nobis diſciplinam, quæ ter in hebdomada fit in noſtro ſacro Minorum Ordine, licèt expreſſe ad id non obligemur ex regula, teneremur quidem in eo nos ei ſimpliciter obedire; non tamen tenerentur aliarum Religionum alumni & profeſſores, cum ſit ſupra eorum regulam, nos vero ſic, ex quo non eſt contrarium animæ & regulæ noſtræ. Idem dico de alijs, & generaliter, vt huic articulo & obedientiæ tractatui, vltimam manum imponam, quod fratres noſtri ſacri Ordinis, omnino tenentur ſuis Prælatis & Superioribus obedire, in omnibus licitis & honeſtis, quæ animæ & regulæ noſtræ non contrariantur, quæcumque illa ſint, etiam ſi ad regularem vitam non pertineant, aut pertinere poſſint. In quo proculdubio noſtra obedientia ſtrictior eſt, quauis omniū aliorum religioſorū. Videatur hac de re Corduba ſuper noſtram regulam, cap. 10. q. 2. in 7. puncto.

Notāda ſolutio argumēti prædicti, deducta ex Cordubā bi ſup. ſuper noſtrā regulam.

Nota ex D. Bonau. quod non in omnibus Religionibus, quæ promittitur obedientia eſt æqualis.

QVAESTIO XXVII.

De Religioſis profeſsis, quantum ad votum Caſtitatis in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis religioſus profeſſus, neceſſario teneatur obſeruare caſtitatem?

VT hæc veritas, agitatione plenius eluceſcat, libet in contrarium aliqua proponere argumēta, ad apparenter probandum, quod religioſi, non ex voto aut præcepto, teneantur ſeruare aſcitatem ſiue continentiam, etiamſi ſint in perfectionis ſchola, & iam fuerint profeſſi perfectionis ſtatum. Nam omnis Chriſtianæ vitæ perfectio (vt tenet communis doctrina) ſumpſit initium & exordium ab Apoſtolis: ſed Apoſtoli non feruntur omnes, caſtitatem ſiue continentiam ſeruaſſe: quin vero legitur de eorum aliquibus, eandē nō obſeruaſſe, vt patet de D. Petro, de quo dicitur Matth. 8. quod fuit vxoratus & quod habuit filiam & ſocrū: ergo & idipſum facere poſſunt huius noſtri temporis Religioſi, & quarumcumque Religionum alumni & profeſſores, nec id erit contra ſtatum ſuæ perfectionis. Et confirmatur præterea, ſaltim non id eſſe de intrinſeca ratione religionis, ſeu ſtatus religioſi aut ſolēnis *Matth. 8.*

voti

voti: nam Religio & Sacerdotium penes hoc videntur exæquari, quod vtrobique ſit ſolemne caſtitatis votũ: ſed ſacerdotalis ordo, verus atque legitimus cum ſit (vt ſtatim dicemus) optimè ſtare poteſt cum matrimonio, vt videre eſt in ſacerdotibus Græcorum; ergo Eccleſia idipſum ſi vellet, poſſet ſtatuere de huius noſtri temporis religioſis, nempe quod ad caſtitatem ſeruandam non remaneant obligati, & cõſequẽter nõ id eſt de eſſentia atque intrinſeca ratione religionis, ſeu ſtatus religioſi. Secundo confirmatur: nam etiam de facto videmus, quod in Eccleſia ſunt aliqui, qui etiam dicuntur Religioſi, vxorati & qui vxoribus vtuntur; vt Cruciferi religioſi Ordinum Militarium, qui ſecundum probabiliſsimam opinionem, ſunt verè & propriè religioſi, poſtquã emittunt tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota: ergo idipſum Eccleſia poſſet ſtatuere, de omnibus alijs Religionibus, & quod earum alumni, omnes eſſent vxorati, neque tenerentur ſeruare continentiam ſeu caſtitatem. His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſequens ſtatuitur concluſio,

Concluſio

Omnes religioſi ſolẽniter profeßi, ex ſuo voto & ex ratione ſui ſtatus atque Eccleſiæ præcepto, ſeruare tenẽtur continentiã, ſiue caſtitatẽ

OMnes religioſi ſolemniter profeſſi, ex ſuo voto & ratione ſui ſtatus, & ex Eccleſiæ præcepto obſeruare tenentur, continentiam & caſtitatem. Probatur hæc concluſio, primò ex *extrauaganti, cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*, vbi Innocentius Tertius, definiendo & determinando, quænã ſint de eſſentia Religionis, ſeu ſtatus religioſi dixit: *Quod abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa ſtatui Monachorum, & Regulæ Monachali, vt ſuper ipſam nec ſummus Pontifex poßit licentiam indulgere.* In concilio etiam Turonẽſi. 2. cap. 16. celebrato ſub Pelagio ſummo Pontifice, eo tempore quo licebat clericis, iuxta vſum Oriẽtalis Eccleſiæ, vxores habere, de Monachis tamen ita ſcriptum reperitur. *Si qui in Monaſterio conuerſi ſunt, nullatenus exinde habeant licentiam vagandi, neque (quod abſit) vllus eorum audeat coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Quod ſi quis vxorem duxerit excommunicetur, & de vxoris male ſociatæ conſortio, etiam iudicis auxilio ſeparetur, & infelix Monachus coniunctione fœdatus, ab Eccleſiæ ſegregetur, donec reuertatur ad ſepta Monaſterij, & indidam ab Abbate quandiu præceptum fuerit agat pœnitentiam.* Hæc Concilium Turonenſe, quod eſt antiquiſſimum. Et ſunt quidem verba, ſummopere notanda, contra Hęreticos noſtri temporis. Secũdò probari poteſt idipſum, ex his quæ diximus ſupra. q. 1. artic. 4. & 5. vbi luculentiſſimè (ni fallor) oſtendimus, obedientiam, paupertatem & caſtitatem, eſſe de eſſentia atque ſubſtantia, cuiuslibet Religionis ſeu ſtatus religioſi; idque nõ ſolum ex præcepto Eccleſię, & humana inſtitutione, verum etiam ex ipſa natura rei, & intrinſeca ratione eiuſmodi ſtatus, & ex ſpeciali inſtitutione Chriſti Domini. Quod autem hac de re, & de religioſorum cœlibatu & continẽtia, extet particulare Eccleſiæ præceptum, conſtat ex innumeris Iuribus, & ſacris Canonibus quæ habentur in iure, breuitatis gratia à me in præſentiarum omiſſis, cum ſit res adeò certa, clara & manifeſta, vt de ipſa Catholicorum nullus, audeat aut poſſit dubitare. Videantur in decreto & decretalibus, in titulis de voto & voti redẽptione. & de vita & honeſtate clericorum, Monachorum & religioſorum, & de his qui nubere non poſſunt, &c. vbi multa & quidem notabilia ad hoc propoſitum licebit adinuenire. Ad argumenta in contrarium adducta reſpondeo. Ad primum, quod Apoſtolorum nullus, poſtquam aſſumptus eſt ad Apoſtolatus apicem, vxorem duxit, vt tenet expreſſe D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 4. ad 1. vt tamẽ non tolleretur alicui ſpes, perueniendi ad perfectionem, ſiue ad perfectionis ſtatum, ad id etiam munus aſſumpſit Chriſtus Dominus aliquos, quos inuenit vxoratos & matrimonio ligatos ſiue coniunctos. Talis fuit D. Petrus, quem inuenit iam matrimonio coniũctum, & non ipſum ab vxore ſeparauit, neque enim fieri poterat, abſque vxorum iniuria, quod viri eaſdem deſererent. D. Ioannem tamen nubere volentem, quem virginem adinuenit, à nuptijs reuocauit, quo facto clare inſinuauit, continentiam ſiue caſtitatem, pertinere ad Apoſtolicum ſtatũ, & conſequenter ad ſtatum religioſorum omniũ, qui ſunt eunuchi illi, qui iuxta Euangelium, ſponte & voluntariè, ſpiritaliter propter regnum cælorum, ſemetipſos caſtrauerunt.

Nota hoc valde pro Apoſtolis.

Matth. 19.

Ad primam confirmationem reſpondeo, vt reſpondet Magiſter Soto, de iuſtitia, & iure lib. 7. quæſt. 5. ar. 3. in ſolutione ad ſecundum argumentum, quod ſacerdotalis ordo, nullatenus eſt Religio, alias enim Canones & Doctores, non explicuiſſent ſolemne votum, ſub forma duorum, dicentes conſiſtere, in ſuſceptione ſacri ordinis, & in profeſſione Religionis. vt habetur *in cap. vnico, de voto, libro. 6.* Et addit, hoc etiam intereſſe inter ſacerdotium & Religionem, quod votum caſtitatis, non eſt de eſſentia & intrinſeca ratione ſacerdotij, perinde atque Religionis, quo fit vt ſacerdotale miniſterium, ſeruari quidem poſſit abſque voto caſtitatis. Nã qui ſacris initiatur, non perinde atque religioſus, emittit expreſſum eiuſdem votũ, nõ enim inquit, vouet caſtitatem, ſed tantum præcipitur ſibi ab Eccleſia ſeruare illam. Neque eſt caſtitatis votum explicitum, ſed perceptum aut votum implicitum, in ipſa ordinum ſuſceptione imbibitum. Ex dictis colligitur primò, quod ſacerdotes Græci, ſunt eiuſdem generis ſacerdotes nobiſcum. Secundò, potuiſſe Romanã Eccleſiam ſi voluiſſet, tollere caſtitatis votum à ſacerdotibus, ſalua ſemper rei ſubſtantia & ratione ſtatus ſacerdotalis, hoc autem nõ potuit, vllo modo facere cum religioſis, cum ſicut dictum eſt, caſtitas atque continentia, ſicut obedientia & paupertas, ſit de eſſentia & de intrinſeca ratione Religionis & ſtatus religioſi, nõ ſolum ex mandato & inſtitutione Eccleſiæ, verũ etiam & ex ipſa natura rei, & ex ſpeciali præcepto & inſtitutione Chriſti Domini. Sed dices, ſi id ita eſt, ergo incõgruè ſacerdotale, dicitur ſolemne votum? Reſpõdeo, Negdão conſequẽtiam. Cõcedo quidem libẽter, quod nõ eſt ſolemne votũ, de iure diuino, ſicut illud, quod emittitur à religioſis quod eſt omni religioni eſſentiale, eſt tamẽ ſolemne de iure poſitiuo, hoc eſt, ex ſtatuto Eccle-

Nota valde pro caſtitatis voto ſolemni quod ſit in ſuſceptione ſacri Ordinis.

Eccleſiæ,quæ ſacerdotes omnes illegitimauit, & illegitimos eſſe voluit & reddidit,ac fecit omnino inidoneos ad contrahẽdum matrimonium. Videatur hac de re Soto vbi ſupra, vbi inuenire licebit multa notatu digniſſima.

Ad ſecundam cõfirmationem reſpõdeo, quod propter hoc argumentum,dicunt multi huiuſmodi Cruciferos, & Equites Ordinum Militarium, non eſſe verè & propriè religioſos (vt latiſſimè diſputatum eſt ſupra quæſt.10.arti.4.) ſed tamen vt etiam ibi dixi,cõtrarium verius eſſe iudico & credo,cum doctiſsimo Doctore Nauarro, de redditi.Eccleſiaſt.quæſt.1.monitione 55.numero. 8. dicẽte,eos eſſe verè & propriè religioſos.Neque argumentum in cõtrarium adductum, quidquam facit,cum nõ id habeant ex profeſsione ſuæ Regulæ, ſed ex iuſta diſpẽſatione ſummorum Põtificum, aut ſi mauis ex ſua regula priuilegiata,atque modificata per Papas,ſummoſque Põtifices, quæ moderatio & diſpẽſatio, non tollit ſimpliciter & abſolutè,quod ſuum votum continẽtiæ & caſtitatis ſit ſolemne, ſed ſolummodo reſtringit ipſum,ad hoc,vt nõ habeat locum in copula maritali, quod lõgè aliud eſt,atque diuerſum. Non enim quis deſinit eſſe verè religioſus, pro eo quod à ſummo Pontifice ſecum diſpenſetur, ſuper aliqua voti ſui parte, ſalua ſemper exiſtente, eſſentia & ſubſtantia ſtatus religioſi, vt quam latiſsimè diximus ſupra.q.16.ar.4.

Nota valde pro caſtitatis ſolẽni voto, quod emittunt equites religionũ militarium.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſi religioſus, poſt ſolemnem profeßionem validam,de facto contrahat, teneat & valeat matrimonium?

Concluſio.

Omnino nullũ eſt matrimonium,contractum à religioſis ſolẽniter profeſſis.

SI religioſus aliquis, poſt ſolemnem profeſsionem validam, de facto contrahat, matrimonium cõtractum erit in ſe omnino nullum. Hæc concluſio eſt expreſſe determinata,*in cap.vnico.de voto lib.6.* Pro cuius pleniori intelligentia adnotare libet, quod in primitiua Eccleſia & priſcis illis temporibus,nõ inerat tanta vis & auctoritas monaſticis votis ac habẽt modo haud quaquã enim vocabãtur ſolemnia,& vt multi credunt,neque in Religionis profeſsione, expreſſe promittebantur, ſeu emittebantur à religioſis; ſed tantum implicite, eo modo quo diximus de Clericis ſupra, & quod nunc caſtitatis votum in ſacris ordinibus includitur.Solummodo habebãt ex generali omnium conſenſu,quod ea erant religioſo ſtatui annexa,& in profeſsione cum eodem ſuſcepta,etiã ſi voce tenus,nulla prorſus eorum fuiſſet facta promiſsio.Ita colligitur ex quadam epiſtola Diui Baſilij,ſecunda ad Ampho.cap. 19. vbi inquit: *Eos qui ſe olim,ad Monachorum adijciebant ordinem,cæli batum promittere conſueuiſſe.* Quod & tandiu duraſſe,quamdiu antiqua illa pietas, & magna illius temporis verecundia, abſque aliquo maiori vinculo ſeu obligatione, ſatis fuit ad homines in officio continendos.Poſtea tamen, cum experientia ipſa multoties conſtaret contrarium, melius atque commodius ſanctis Patribus viſum fuit, vt qui religioſi eſſe vellent, in ſua cõſecratione & profeſſione, non contenti prædicto caſtitatis implicito voto,expreſſam eiuſdem facerent profeſſionẽ,vt etiã colligitur ex ſupra allegata epiſtola D.Baſilij ſed neq; etiãtũc tẽporis ſolẽnis illa profeſſio,vim & robur habebat ſolemnis voti vt habet modo,ad effectum annullandi & irritãdi matrimonium poſt contractum,ſed dumtaxat impediebat,ac impedit modo votum ſimplex. Si quis tamẽ religioſus,rupto verecundiæ velo, de facto contrahebat matrimonium fracto voto,viſus quidem erat peccare mortaliter, ex cõſenſu omniũ, at matrimonium firmum habebatur & ratũ. Hoc conſtat ex multis epiſtolis, antiquorum Patrum, ex D.Cypriano libro 1.in epiſtola ad Pomponiũ, cap.11.& ex D.Hieronymo in epiſtola 8. ad Demetriadem,quibus in locis, loquẽtes vtrique de quibuſdam illius temporis Monialibus, dixerũt, quod ſi ſe continere nõ poſſent,poſtquam profeſſæ erant,potius ad nubendũ hortarẽtur, eo quod iam neque illis peccatum fuiſſet,accedente Epiſcopi legitima diſpenſatione. D. etiam Epiphan. hæreſi.61. contra Apo. hoc etiam conſulit alijs. Quin vero D.Auguſt.de bono viduitatis, cap.9. & 10.quorundam opinionem cõfutat, qui harum coniungium, verum matrimonium eſſe negabãt. Quod ſi Innocẽtius Primus Pontifex Maxim. ſupradictis Patribus cõtemporaneus,& qui eorum ætate vixit,in *cap.ea vero*,cuius etiam fit mentio, *in ca.viduas.el 1.27.quæſtion.1.*&nõnulla concilia, maximè Concilium Moguntinum,ſeu,vt alijs placet Triburien. quod eſt Martini Papæ,& refertur *in cap.viduas. el 2. eiusdẽ cauſæ & quæſtion 1*,& aliud Aurelianenſe.quod refertur,*in c. viduas. el 3.eodẽ loco*,huiuſmodi coniugia,in locum pœnæ cuiuſdã dirimi iubent atque cõſtituunt (quod ſine dubio facere poterant,& vt quoad thorũ ſeparatentur) nõ pro eo fuit,quin iuxta eorum ſententiam,eiuſmodi cõiugij & matrimonij vinculum, crederẽt fuiſſe nullum(hoc enim nuſquam dicunt) ſed in pœnam hoc ipſum conſtitutum fuit, quæ & pœna illo tempore, vt ibidem conſtat, non erat generaliter recepta ab Eccleſia. Supradictis omnibus addo, quod Leo Primus cognomento magnus,qui poſt prædictum Innocentium fuit, annis paulo pluſquam viginti,in epiſtola 5.c.14.quamuis peccatum eſſe aſſerat,matrimonium religioſos viros ſeu fœminas poſt profeſſionem contrahere,de reſcindendis tamen nuptijs, nullam ibi prorſus mentionem facit. Quinuero neque Gelaſius Papa, qui anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo rexit Eccleſiam, vt conſtat *ex cap.de viduis 27.q.1.* vbi licèt quaſdã Moniales adhortetur, vt ad propoſitum redeant vnde exciderunt, non tamen illas ad idipſum compellit,aut matrimonium ipſarum infirmat.Neque D. ipſe Gregorius,etſi in hoc negotio ſeueriſſimus extiterit,& crebris ſuis epiſtolis atque decretis, eos qui huiuſmodi coniugia contraxiſſent, ſtrictè præceperit ſeparari & ſeiungi, atque in monaſteria detrudi,vt cõſtat *ex c. viduas.el 1.c.peruenit,capit.ſi cæſos. 27.q.1.*

Nota valde quædã vis in erat olim, in primitiua Eccleſia monaſticis votis.

27.q. 1. nunquam tamen dixit aut determinauit, eiuſmodi matrimonia fuiſſe nulla, quin vero quod ea valuiſſe exiſtimauerit, poteſt colligi ex quadã ipſius Homilia, quæ in ordine eſt 38. in Euãgelia, vbi mentionem facit, de quadam Gordiana amita ſua, quæ poſtquam vna cum duabus ſororibus ſe Deo dedicauit, mortuis illis, oblita pudoris ac reuerentiæ, & etiam conſecrationis ſuæ, maritum accepit & cum eo deinceps vitam duxit.

Ex omnibus ſupradictis, liquido & manifeſtè conſtat, qualiter in primitiua Eccleſia & priſcis illis temporibus, profeſsio monaſtica & vota illa quæ implicitè, ſeu explicitè emittebantur à religioſis, non eam vim habebant nec illud robur quod modo habent, quoad facultatem nõ ſolum impediendi, verum etiam irritandi & annullandi matrimonia poſt cõtracta. Quin vero primus omnium, quod literis conſtet, qui hanc ſanctam, mirabilem atque laudabilem conſuetudinem, inuexit in Eccleſiam, fuit Innocentius Secundus, in quadam generali Romana Synodo, anno humanæ ſalutis, milleſimo centeſimo trigeſimo nono, vbi conſtituit, vt religioſis omnibus matrimoniũ interdiceretur & prohiberetur: idque ita, vt ſi in contrarium de facto contraherent, matrimonia ipſa ſic contracta, nullam prorſus vim haberent. Quod poſtea cõfirmauit, & expreſſius declarauit Bonifacius Papa Octauus, determinans illud ſolum votum, debere dici ſolemne, quantũ ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, vt habetur *in c. vnico, de voto, & voti redemptione*. Et addit ibi ſummus Pontifex, quod reliqua vota, nempe ſimplicia, etſi quando que matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tãto propter plurium ſcandalum & exemplum, durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur, non tamen reſcindere poſſunt aut valent, matrimonia poſt contracta.

Per hæc quæ dicta ſunt, noſtra prædicta cõcluſio, manet ſatis explicata & declarata, quin vero & probata, & quod in ea dicitur eſt firmiter tenẽdum & ſeruãdum: hoc vno ſolo addito (quod præterire non licuit) nempe, quod profeſſio prædicta ſolemnis emiſſa, fuerit valida, vt etiam in concluſione diximus: nam ſi quacumque ratione, declarata fuit nulla & inualida, matrimonium poſt cõtractum, firmum erit & validum, vt amplius poſt ea dicemus, cum agemus de Nouitiorum poteſtate & facultate reclamandi.

ARTICVLVS III.

Quæ ſit pœna religioſi profeſsi, de facto contrahentis, & ad quem huius delicti cognitio pertineat?

HAnc difficultatẽ, doctiſsimè atq; diſertiſſimè tractat Simãcas, libro illo ſuo, quem inſcripſit, de Catholicis Conſtitutionibus, tit. 40. de matrimonio, numero, 8. 9. & 10. vbi circa eiuſdem delicti cognitionem, dicit, diuiſos eſſe Doctores, & quod communiter Iuriſperiti, vti ſolent hac diſtinctione. Nam ſi huiuſmodi facinus, publicè & coram multis fuerit perpetratũ, in hoc caſu idipſum qui fecit, videtur eſſe ſuſpectus de hæreſi & quod ipſo facto, male ſentiat de votis Monaſticis, ac de ipſorum obligatione; videtur enim quaſi inſinuare & aſſerere licere ſibi id quod palam & coram multis committere non erubeſcit. At ſi occulte, forſan Monachus vxorem duxit, aliud eſſe dicũt iudicium: quia tunc magis præſumitur dolo, ſiue ex fragilitate atque incontinentia peccaſſe, quã ex intellectus errore. Hanc igitur ob cauſam (inquiũt) quod in priori caſu, huius peccati cognitio, ad ſanctæ Inquiſitionis tribunal pertinet, & contra eiuſmodi, procedere poſſunt Inquiſitores; in ſecundo vero non ita, propter rationem dictã, argumento deducto *ex l. 2. §. pene. ff. vi bonorum raptorum*. His tamen nõ obſtantibus, contrariam ſententiam tenet prædictus Simancas, cui & ipſe libenter adhæreo, propter fortiſſimas eiuſdem rationes, de cuius reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Cognitio delicti religioſi matrimoniũ contrahentis ad Inquiſitores pertinet.

IN vtroque prædicto caſu, cognitio delicti, Religioſi matrimonium contrahentis, ad ſanctæ Inquiſitionis tribunal pertinet. Hanc cõcluſionẽ probat Simancas hac ratione: nam etſi impudentius atque inuerecundius ille faciat religioſus, qui palam & coram multis nuptias celebrat, & matrimonium contrahit, de hæreſique reddatur ſuſpectus, non tamen hac ſuſpicione carebit, qui occulte etiam contraxit; quinimo plerumque fit, vt qui clanculum aliquid committit, vehementiori ſuſpicione laboret, iuxta commune illud dictum Ioan. 3. *Qui male agit, odit lucem*: iuxta illud etiam, quod dixit Ariſtoteles olim 6. Ethicor. c. 6. *quod magis iniuſti ſunt ij, qui magis occulte procedunt*, pro quo etiam facit illud Socratis lib. 5. Ethi. ca. 34. aſſerentis; *Quod ea quæ occulte geruntur, improbitatis ſuſpicione ſunt plena*. Cum igitur crimen, in vtroque caſu ſit idem, nec differentia ponatur, niſi in qualitate ambigua (inquit Simancas) quod non videtur, cur diuerſa cognitionis cauſa conſtituenda ſit, vnde tenet, quod proculdubio, crimẽ Monachi ſiue religioſi, occulte matrimonium cõtrahentis, pertinebit ad Inquiſitores. Hoc dicit eſſe verum, ijs præſertim temporibus, poſtquam impius, impurus atque blaſphemus Lutherus qui alios malo ſuo exemplo atque doctrina ad ſimile prouocauit, palam docere non erubuit, licere Monachis omnibus, etiam virginibus ſacratis & Deo dicatis, libere matrimonium contrahere. Quæ quidem Lutheri Hæreſis, iam olim multis eſt decretis atque Concilijs damnata, nec in præſentiarum fert tempus ſpecialiter de ea tractare aut aliquid dicere. Deueniamus ad pœnas conſtitutas pro ijs qui poſt ſolemnem profeſſionem, matrimonium contraxerunt, de quibus ſit ſecunda concluſio.

Notã quod quæ occulte geruntur, improbitatis ſuſpicione ſunt plena.

Secunda

Secunda Concluſio.

Quæ pœna puniantur, Monachi vel Monachæ, matrimonium contrahentes.

VIri religioſi ſiue fœminæ, poſt ſolemne Religionis & caſtitatis votum; matrimonium cõtrahentes, de iure communi excommunicantur, & diuerſis aliis pœnis plectuntur, quæ habentur in iure. Hac de re conſulatur decretum Gratiani 27. quæſt. 1. per totam: nam in tota illa quæſtione tractat de hoc argumenti genere, ſed ſpecialiter *in cap. impudicas, c. ſi quis ſacrum, cap. Monacho, eadem cauſa & quæſtione.* Conſulatur etiam Concilij Turonenſe ſecundum cap. 11. vbi hac de re agendo ponuntur ſequentia verba: *Si quis Monachus vxorẽ duxerit, excommunicetur, & de vxore male ſociata, etiam iudicis auxilio ſeparetur, & infelix Monachus tali coniũctione fœdatus, ab Eccleſia ſegregetur, donec reuertatur ad ſepta Monaſterij, & indictam ab Abbate, quandiu ei præceptum fuerit, pœnitentiam agat.* Circa hanc concluſionem dicit Simancas, quod Inquiſitores ſolent hodie eiuſmodi religioſis, etiam ieiunia & orationes iniungere, cũ detruſione perpetua & alijs pœnis arbitrarijs, iuxta qualitatem atque circunſtãtias delicti. Sed de hoc iterum redibit ſermo in alio Tomo, in quo, Deo dante, agendum eſt à nobis, de delictorum omnium pœnis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm per ſolemnem profeſſionem diſſoluantur ſpõſalia de futuro, & matrimonium ratum non conſummatum de præſenti?

AB hac difficultate breuiter me expediã, quia de ea plura dixi; quin vero omnia quæ neceſſariò videbantur dicenda, ſupra, quæſt. 17. artic. 1. quæſtione etiam 18. ar. 8. Et cõmuniter dicitur, id quod firmiter eſt tenendum, quod ſponſalia de futuro, & matrimonium ratum non conſummatũ de præſenti, diſſoluuntur per ingreſſum Religionis. Sed non ſic hoc eſt intelligendum, vt per ſolum ingreſſum diſſoluantur non ſubſequuto effectu, ſed per ingreſſũ, ſolemni ſecuta profeſſione; aliàs enim eſſet in poteſtate & facultate ſic contrahentium, pro libito huiuſmodi matrimonia diſſoluere, ingrediendo Religionem aliquam, & deſumendo Nouitiorum habitum; poſtea vero egrediendo, ipſumque relinquendo, ſicque ſponſum ſiue ſponſam decipere atque illudere. Vt igitur amplius hæc veritas conſtet, propoſito articulo reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Sponſalia de futuro, et matrimoniũ ratum non conſummatũ, diſſoluũtur, nõ per quemcumque ingreſſũ Religionis, ſed per illum tantũ, qui fit cum effectu ſecuta profeſſione.

SPonſalia de futuro, & matrimonium ratum non conſummatum de præſenti, diſſoluuntur non per quemcumque Religionis ingreſſum, ſed ſolummodo per illum, qui eſt cum effectu & ſecuta ſolemni profeſſione valida. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum, & Iuriſconſultorum communis, & habetur ex gloſſa in *c. ex publico, de conuer. coniuga.* Nec dictis obſtat, quod expectatur profeſſionis tempus, illi qui remanſit in ſæculo, imminet periculum incontinentiæ & lapſus in peccatum carnis; hoc enim nihil refert, nã multi in coniugio occurrunt, ſiue occurrere poſſunt caſus, in quibus coniuges ſine culpa (at non ſine cauſa) continere coguntur, prout ait Innocẽtius Tertius, *in cap. quoniam frequenter. §. ſin autem, in fine, vt lite non conteſt.* Etenim ſi, vt dicitur *in ca. præſentia, de ſponſalib. & in ca. ex multa, de voto*, tenetur mulier maritum equitem cruce ſignatum, expectare quantiſcumque annis: multo ergo melius tenebitur expectare mulier, ſponſum Religionem ingreſſum per annum. Hanc opinionem, tenet etiam Couarruuias de Teſtamentis 1. parte ca. 5. num. 11. vbi loquendo de ſponſalibus dicit, quod huiuſmodi de futuro matrimonium contrahenti, melius atque tutius erit matrimonium cõtrahere defacto, fidẽ adimplẽdo quã promiſit, & ſumẽdo in vxorẽ eã quã ſe ductum ũſpopõdit (præſertim ſi fidẽ iuramento firmauit) quã ea prætermiſſa Monaſterium intrare. Poterit enim poſtea id facere, ante conſummationem contracti matrimonij & Religionem ingredi. Et ſic intelligit Couarruuias, illam decretalem *in cap. commiſſum, de ſponſalib.* Et per hoc etiam reſoluunt Doctores alij, illam quæſtionem, an intrare poſſit Religionẽ, qui iurauit aliquã ducere in vxorem? Quã de re videantur Doctores in materia de matrimonio, ſed ſpecialiter Sylueſter, *verbo, matrimonium, 8. q. 12. et verbo Religio. 2. q. 9.*

Nota hoc vlde.

Sed dices, quanam auctoritate ſiue poteſtate, ſponſalia de futuro & matrimonium ratum, non conſummatũ de præſenti, per ingreſſum Religionis, ſeu potius per ſolemnem profeſſionem diſſoluuntur? De hac difficultate iam multa diximus ſupra, quæſt. 17. ar. 1. & 18 ar. 2. vbi egimus de conditionibus requiſitis ad ingreſſum Religionis, tam de iure communi, quam ex vi noſtræ regulæ, quarum vna atque præcipua eſt, vt poſtulãtes noſtræ ſacræ religionis habitum, non ſint vxorati aut ligati ſiue cõiuncti, matrimonio rato & cõſummato, ſecus eſt autem, quãdo matrimonium non eſt conſummatũ, ſed ſolummodo ratum aut vbi ſpõſalia fuerint ſolummodo de futuro. In his enim caſibus latiſſimè diximus, matrimoniũ ingreſſum Religionis nõ impedire, ſed poſſe qui ſic ſunt copulati & ligati Religionem intrare: nã per huiuſmodi ingreſſum, ſeu potius per eiuſdem Religionis profeſſionem expreſſam, præfata coniugia diſſoluuntur; non tã quidẽ auctoritate humana, quã ordinatione diuina, & ex diuina voluntate, traditione conſtante. Videantur quæ ibidem ſunt dicta: videatur etiam hac de re Soto libro ſeptimo de iuſtitia & iure, quæſtione 5. articulo 3. in ſolutione ad 2. argumentũ, & Frater Michael de Medina libro quinto, de ſacrorum hominum continentia capit. 90. & Emmanuel Rodericus tomo 3. Quæſt. Regul. q. 1. articulo 4.

ARTICVLVS V.

Vtrùm viri religiosi Societatis Iesu post primam emissam professionem, possint matrimonium contrahere, & de facto contractum, an sit validum.

RAtio dubitandi est, nam (vt dicitur) vota quæ in hac professione emittuntur ab ipsis sunt simplicia, ac proinde iuxta naturam voti simplicis, quamuis impediant matrimonium contrahendum, non tamē dirimunt aut annullare seu irritare possunt, matrimonium de facto post contractum.

Sed de hac difficultate iam etiam egimus supra quæstione 10. artic. 3. vbi & proposuimus ea, quæ pro nostro captu, ad hoc propositum videbantur expedire. Quam ob causam & quia de hac difficultate & quæstione, prohibitum est disputare seu illam in controuersiā adducere, per constitutionem Gregorij XIII. Pontif. Max. ab ipsa pro nunc consultò supersedeo, hoc solo contentus, si sequentem conclusionem in medium proposuero.

Conclusio

Religiosi viri Societat. Iesu, post primā professionem emissam, non possunt cōtrahere: & matrimonium cōtractum, est nullum.

CErtissimè tenendū est, religiosos Societatis Iesu, qui cōmuniter Scholares, seu Coadiutores temporales informes, seu non formati dicuntur, verè & propriè esse religiosos postquam primam professionem emiserint, expleto biennio suæ probationis anno, inhabilesque esse post eandem professionem ad matrimonium contrahendum, & irritum est ac nullum, quod ab ipsis fuerit aliàs de facto contractum. Hæc conclusio habetur expressa, in præfata Constit. Gregor. XIII. quæ incipit: *Ascendente domino*, & communiter circumfertur simul cum alijs Constitutionibus Pontificalibus, & refertur in compendio Societatis Iesu, *verbo religiosus*. Solummodo est difficultas, respondere & satisfacere propositæ rationi dubitandi; nempe quonam modo aut quo pacto, summus Pontifex id ipsum potuerit efficere & determinare, cū vota quæ in præfata promissione emittuntur ab ipsis (vt etiam in eadem Constitutione dicitur) non sint solēnia, sed simplicia. Quomodo (inquam) potuerit dare & tribuere vim & robur voti solemnis voto simplici, quantum ad effectū irritandi & annullandi matrimonium post contractum? Fateor quidem, quod difficultas hæc, aliquorum quin vero & multorum semper torsit ingenia: maximè, cum Sylvest. *verb. obedientia. q. 5.* explicans, an Papæ & summo Pontifici teneantur omnes Christiani, non solum ecclesiastici, verum etiam seculares obedire? in tertio casu, de mente Panor. *in c. cum olim, de clericis coniugatis* dicat, quod quamuis summus Pontifex possit inhabilitare seculares ne contrahant, in tali aut tali consanguinitatis gradu, &c. non tamē potest eos inhabilitare simpliciter, ad hoc vt nullibi & in nullo casu possint contrahere, cum hoc sit contra Euangelium, concedens cuilibet sæculari laico posse nubere. Sed nihilominus præfato argumento & rationi dubitandi, Respondetur plenissimè atque sufficientissimè, dicendo quod ea habet locum in viris secularibus, qui nullum continentiæ siue castitatis votum emiserunt, in religione siue congregatione aliqua, per sedem Apostolicam approbata. Non autem sic in illis, qui sub sunt regulari obedientiæ, & in Religione approbata emittunt tria Religionis essentialia, & substantialia vota, quæ absque præiudicio eiusdem Religionis Summus ipse Pontifex, (quæ maxima est sua auctoritas atque potestas) limitare atque modificare potuit, vt hoc solummodo habeat locum in his, illud autem in illis, salua semper essentia & substantia eiusdem Religionis & status Religiosi, prout latius supra diximus de mente Nauarri in articulo. 1. in solutione ad secundam confirmationem, agendo de Equitibus Ordinum militarium. Sic igitur præfatus summus pontifex determinare potuit, & de facto determinauit, quod prædicti scholares (vt præmissum est) existēres sub regulari obedientia in Societate Iesu, sint verè & propriè religiosi, reuocabiliter tamen, cum possint dimitti ab eadem Societate & fieri verè seculares. Sed antequam dimittantur, & dum in eadem Religione existūt, inhabiles esse prorsus ad contrahendum, & matrimonium ab ipsis contractum esse ipso iure irritum & nullum, quod cum à sua Sanctitate determinatum existat, cum tot tantisque censuris, in hoc est standum & hac de re nihil amplius dicendum.

Notanda verba Sylvestri

ARTICVLVS VI.

Vtrum post emissam solemnem professionem ab Equitibus Ordinum Militarium, matrimonium post contractū sit nullum, & an per ipsam, matrimonium ratum, sed non consummatum, dissoluatur?

BHac etiam difficultate, breuiter me expediam, cum etiam de illa plura dixerim, supra. q. 10. ar. 4. Vnde & breuiter eidem in præsentiarum sub distinctione respondeo, per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Equites Ordinis D. Ioānis post solemnē professionem emissam validam, non possunt matrimonium contrahere, quin vero

EQuites & nobiles viri Ordinis D. Ioannis, post solemnem professionem ab ipsis emissam validam, & cum debitis conditionibus & circunstantijs, nullatenus possunt matrimonium cōtrahere, & ab ipsis matrimonium contractum, est nullum, quin verò & probabilissimum est, quod per ingressum talis Religionis, dissoluatur matrimonium ratum non consummatum. Hæc conclusio, quantum ad secundam partem, est con-

probabiliſſimũ eſt, quod per ingreſſũ talis Religionis, matrimoniũ ratũ, & non conſummatũ diſſoluatur.

tra Sotum in 4. ſententiarum diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. vbi dixit quod per ingreſſum Religionis, in Ordinem D. Ioannis (loquitur de Equitibus atque Militibus, ſecus enim eſt de clericis, Fratribus ſiue Monialibus) ipſe non auderet affirmare, quod dirimatur matrimonium ratum non conſummatum, aut poſſe quempiam ſic coniugatum & ligatum, inuita vxore Religionem illam profiteri, vt etiam de ſacerdotibus dixit. At poſtea lib. 7. de iuſtitia & iure quæſt. 5. art. 3. ſententiam mutauit, & aſſeueranter tenet, id quod à nobis in concluſione eſt dictũ, quã etiã opinionem tenent, grauiſsimi Doctores, ſed in primis Nauarro libro. 3. conſiliorum, de regularibus conſ. 12. & Corduba in ſua ſumma, quæſt. 148. & quæſt. 178. & Frater Petrus de Aragon lib. de iuſt. & iure q. 88. art. 11. Quod & probãt ex multis atq; efficaciſſimis rationibus, & maximè ex quodã facto, quo anno Domini 1552. ſummus Pontifex diſpenſauit, cũ quodam Duce de Medinacæli (nomine Don Gaſton) vt per profeſsionem factam in ſupradicto D. Ioannis Ordine, ſolueretur matrimonium ratum non conſummatum, quod contraxerat cum quadam nobili fæmina, certis quibuſdam de cauſis. Neque id mirum (inquiunt prædicti auctores) cum huiuſmodi milites, verè & propriè ſint religioſi, & emittant tria Religionis ſubſtantialia vota, nẽpe obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Per quod ſatis manet probata ſupradictæ noſtræ concluſio nis pars, nempe matrimonium contractum ab huiuſmodi D. Ioannis Equitibus & militibus, poſt eorum expreſſam ſolemnem profeſſionem validam, eſſe ipſo iure nullum, ſicut & matrimoniũ contractum ab alijs verè & propriè religioſis. Sed loquendo de alijs militibus & Equitibus aliorum Ordinum & Religionum, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Loquendo de alijs Militibus, Ordinis D. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ, certũ eſt quod per eorũ profeſsionẽ, non dirimitur aut impeditur matrimoniũ ratũ neq; cõſummatum poſt cõtractũ; nec vero ante

LOquendo de Militibus & Equitibus D. Iacobi, Calatrauę, & Alcantaræ, certiſſimum eſt, quod per profeſſionem eorum, non impeditur neque dirimitur matrimonium poſt contractum, cum non promittant caſtitatem abſolutè, ſed dũtaxat caſtitatem cõiugalem, quod nihil eſt aliud, quam quod non cognoſcent alias fæminas, præter ſuas proprias vxores legitimas: & pari certitudine certum eſt, quod per eorum profeſſionem non dirimitur matrimonium, ratum non conſummatum, prius contractum. Hæc concluſio eſt certiſſima, neque credo quod de ea vllus ſit qui dubitet. Videatur de ea ſupradictus Frater Petrus de Aragon, vbi ſupra, & Pater Frater Petrus de Ledeſma in ſuis additionibus ad tertiam partem, q. 61. ar. 2. ad 4. & Doctor Henriquez Societatis Ieſu, de Sacramentis lib. 11. ca. 8. §. 6. Et hæc de iſto artic. ac de totaquæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XXVIII.

De Religioſis profeſsis, quantum ad votum Paupertatis, in decem & octo Articiculos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religioſus ſolemniter profeſſus, habere poſsit proprium?

Primo nota quod Omnes Ordines & Religiones (Minorũ exceptа) habere poſsunt proprиũ in cõmuni poſt Conc. Trid.

ET primò præmitto, quod non in præſentiarum futuruseſt ſermo de proprio aut dominio, quod habere poſſunt Ordines, & Religiones in communi: nam hac de re iam extat decretum, atque determinatio expreſſa Concilij Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 3.* vbi conceditur omnibus Monaſterijs & domibus tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium (exceptis noſtris Domibus, Fratrum S. Franciſci, Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obſeruantia vocantur) etiã quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitũ, aut priuilegio Apoſtolico non conceſſum, vt deinceps bona immobilia poſſidere liceat. Et ſic quoad proprium & bona in communi poſſeſſa, nulla ſupereſt difficultas, aut eſſe poteſt ratio dubitandi, vt noſe etiam ſupra. q. 11. ar. 2. diximus de mente D. Thomæ, Monachis atque Religioſis omnibus id eſſe licitum, neque hoc diminuere à ratione perfectionis, aut ſaltim non eſſe contra perfectionem, nec contra naturam & rationem ſtatus Religioſi. Difficultas igitur præſentis articuli eſt, non de Dominio Monaſteriorum in communi, ſed de religioſis ipſis in particulari: an ſcilicet poſt ſolemnem profeſſionem ab ipſis emiſſam, vlla ratione habere poſſint proprium? Secũdò præmitto, quod proprietas & dominium, ſecundum Doctores iuriſperitos, idem prorſus ſunt & ad eãdem rem omnino pertinent. *Iuxta legem naturaliter §. nihil cõmune & l. ſi quis vi. §. differentia, ff. de acquiſ. poſſeſſ.* Differtque iuxta Bartolũ, dominiũ ſiue proprietas, à poſſeſſione iuris, penes hoc quod dominiũ & proprietas, eſt ius perfectè diſponendi de re, in quẽlibet vſum, niſi lege prohibeatur, ſaluo ſemper iure alterius, at poſſeſſio eſt ſolummodo ius inſiſtẽdi rei, non prohibitæ poſſideri. Multa ad hoc propoſitũ dici poſsẽt, ſed relinquãtur hęc amplius diſputãda iuris peritis, quibus etiã cõpetit oſtendere alias maiores differẽtias, quę verſantur inter dominiũ & poſſeſſionẽ, & poſſeſſionẽ iuſtã & coactã ſiue iniuſtã, quæ alio nomine nũcupatur inſiſtẽtia, vel detinẽtia facti, quæ nõ eſt ius ſed ſolũ modo factum, quod habet quicũque detinet aliquam rem de facto, quamuis non de iure. Qui hac de re plura videre deſiderat, conſulat

Secũdo nota,

Quod proprietas & dominiũ ſunt idẽ, & idem polleãt.

Docto-

Doctores iurisperitos, ſed ſpecialiter Nauarrum in commentario primo de regularibus, cuius titulus eſt, *Cui portio, numero.* 12. *cum ſequentibus*, vbi præfatam dominij & proprietatis diffinitionem, luculenter explicat, exponendo & verificando, ſingulas eiuſdem particulas. Sed agendo cum Theologis, & vt ad ea, quæ meæ profeſſionis magis ſunt propria, me conuertam, eiuſdem proprietatis atque dominij, Magiſter Soto libro quarto de iuſtitia & iure, quæſtione prima articulo primo, aliam conſtituit diffinitionem dicens: quod dominium ſiue proprietas eſt, propria cuiuſque rei facultas & ius, in rem quamlibet quam in ſuum ipſius commodum, quis vſurpare poteſt, quocumque vſu, lege ſibi permiſſo. Quam etiam diffinitionem explicat atque declarat, per omnes ſuas particulas, oſtendendo in quo proprietas ſiue dominium, differat à mera poſſeſſione, & ab adminiſtratione, vſu, & vſufructu. De quibus omnibus, vt ne dum ſimul omnia dicuntur, confundantur, dicemus in ſequenti notabili.

Dominij vera, et propria diffinitio.

Tertiò nota, quod inter prædictam proprietatem ſiue dominium, poſſeſſionem ſiue adminiſtrationem, vſumfructum & vſum, à Doctoribus Scholaſticis, Theologis ſimul atque iuriſperitis, hæc communiter conſtituitur differentia, quod dominus ſiue proprietarius eſt ille, qui alicuius rei habet dominium & proprietatem, poteſtque de ea perfectè diſponere pro libito, vtendo, fruendo, donando, mutuãdo, vendendo, & alienando, niſi id ſibi fuerit aliqua lege prohibitum. Quod dico, propter dominium pupillorum, & eorum, qui bona habent alienare prohibita, qui quidem licèt ſint veri domini, non tamen poſſunt perfectè diſponere de rebus ſuis, illas vẽdendo, donando, alienando, &c. pro eo quod, id eſt ſibi lege prohibitum, *per leg. magis puto, et toto titulo. ff. de rebus eorum qui, et leg. filius familias. §. diui. ff. de leg.* 1. *et leg. famil. C. de ſecund. nupt.* At habens alicuius rei poſſeſſionem dumtaxat, aut ſolam adminiſtrationem non vero dominium, haud quaquam id poteſt, quod proprietarius & dominus, ſed ſolummodo habet ius diſponendi de re aliena alieno nomine, libere aut limitate, gratis ſiue cum ſtipendio, vt habetur *in rubrica, ff. de adminiſtratione tutorum, & de adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium, & in cap. grandi, de ſupplenda negligentia. Prælatorum, libro ſexto.* Neque etiam adminiſtrator, in rebus ſuæ adminiſtrationis, habet vſumfructum ſiue vſum rerum quas adminiſtrat, (vt de ſe patet) ſed tantũmodo diſpoſitionem liberam & legitimam, vt dictum eſt. Vlterius dico quod vſusfructus ſiue vſus, permultum etiam à dominio & proprietate differunt: neque enim vſufructuarius, poteſt illud quod dominus ſiue proprietarius; qui (vt dictum eſt) ad libitum & perfectè poteſt diſponere de rebus ſuis, vtendo, fruendo, donando, alienando, &c. ſed ſolummodo poteſt diſponere de fructibus rerum ad ſe pertinentiũ, *iuxta Inſtitutam, de vſufructu, et gloſſam in leg.* 1. *ff. eo. titulo.* vbi dicitur, *quod vſusfructus, eſt ius vtendi ſiue fruendi rebus alienis, ſalua ſemper eorum ſubſtantia.* Et multo minus id habet vſuarius, ſeu in rebus habens tantummodo vſum: nam ſolum poteſt vti & ſumere de fructibus, quantum opus fuerit ſibi ad ſuũ vſum, & non amplius; ita quod neque donare, nec locare poteſt quidquã ex eis. Qua ratione habetur, *in Inſtituta, de vſu et habit. §.* 1. *quod minus iuris eſt in vſu, quam in vſufructu.* Fruitur enim rebus, qui ſuper fructus plenam habet poteſtatem, neque ſolummodo poteſt illos comedere, verum etiam donare, ac quomodocumque alienare, ſalua ſemper eorum ſubſtantia (nam hæc, vt dixi ſemper ad proprietatẽ pertinet) at vſuarius & qui ſuper rem aliquam tantummodo habet vſum, ſolummodo poteſt fructibus illius veſci, aut ad multum ſua armenta alere, non vero eundem fructum diſtrahere, locare, vendere, neque alienare. Per quæ ſatis manet declarata & manifeſta, differentia quæ verſatur, inter ſupradictam dominium ſiue proprietatem, poſſeſſionem, adminiſtrationem, vſumfructum & vſum: quæ omnia in præſentiarum dixiſſe, quam maximè fuit neceſſarium, ſi quidem de his omnibus in particulari, in ſubſequentibus ſpeciales à nobis extruendi ſunt articuli. Vt autem propoſito breuiter ſatisfaciam, ſit concluſio.

Tertio nota, differentiam quæ verſatur inter proprietatem, ſiue dominiũ, adminiſtrationem, vſum, et vſũ fructum.

Concluſio.

Religioſi poſt ſolemnẽ profeſſionẽ emiſſam, nullomodo in particulari, habere poſſunt proprium.

REligioſi poſt ſolemnem profeſſionem emiſſam, in particulari nullo modo habere poſſunt proprium. Hæc concluſio habetur expreſſa *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach. et in cap. Monachi, eodem titulo*, vbi ſtrictiſſimè prohibetur ſub terribili præcepto, Monachis & Religioſis cunctis habere propriũ, & in tali ſtatu decedentes, ab Altaris communione remouentur; quin verò & Eccleſiaſtica ſepultura & aliorum Fratrum cõmunione priuantur. Hoc idem habetur ſtrictiſſimè prohibũ *in c. nõ dicatis, & in c. cui portio.* 12. *quæſtione prima*, quæ duo capitula luculenter ac doctiſſimè explicat Nauarr. comment. 1. & 2. de regul. vbi & ad hoc propoſitum dicuntur plura eaque notatu digniſſima. Sed probatur inſuper prædicta concluſio, per multa alia iura & capitula, quæ habentur in decreto in ſupradicta. 12. cauſa quæſtione 1. per totam, & *per cap. primum* 18. *quæſtione.* 1, & *cap. Monacho.* 27. *quæſtione* 1. & multa alia quæ breuitatis cauſa facio miſſa. Vnde dicit Nauarr. in ſupradicto comment. *ad cap. non dicatis, numero.* 1. *et* 2. quod religioſus ſiue regularis, volens habere proprium alicuius rei, peccat mortaliter aut ſaltem venialiter, tum quia facit contra prædictum *cap. non dicatis*, vbi dicitur, *non dicatis aliquid vos habere proprium, ſed ſint vobis omnia communia*: tum etiam quia mentitur, poſtquam ſcit aut ſcire debet, poſt profeſſionem omnino nihil eſſe ſuum, & dicit aliquid ſe habere, & certum eſt quod omne mendacium, etiam dictum cum bona intentione, atque humilitatis cauſa, eſt peccatum, mortale aut ſaltim veniale, vt tradit D. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſtione 110. articulo tertio, per *cap.* 1. 22. *quæſtione.* 2. & *c. ſuper eo, de vſu, capitum humilitatis, eadem cauſa, et quæſtione.* Super quæ perinde verba, *cap. non dicatis*, colligunt non incongrue Doctores, quam ſit contrarium viris religioſis & monachis habere proprium, poſtquam etiam dicere ſe illud

De pœna religioſorũ proprietariorum

habere ; eſt ſibi prohibitum,& reputatur peccatum mortale aut veniale , quod eſt valde no tandum , ac memoriæ commendandum . Ad inueſtigandum autem , quando illud ſit mortale quando vero veniale , tradit ſupradictus Nauarro ſequentem Regulam. Quod ſi religioſus quiſpiam , dicit aliquid eſſe ſuum , intendens re vera ſe eſſe dominum & poſſeſſorem ipſius nomine proprio, volendo eſſe ſuum , & complacendo in eo quod ſit ſuum , in hoc caſu inquit , omni procul dubio peccat mortaliter , mentiendo & contraueniendo voto paupertatis , quod eſt ſubſtantiale & eſſentiale Regulæ cuiuſcumque religioſi . Si autem illud diceret , non hoc intendens , ſed inaduertenter , cum incogitantia dominij ſiue proprietatis , tunc dicit , quod erit tantummodo peccatum veniale , quia mentitur ; aut forſan nullum peccatum , ſi etiam ſit mendacium ſubreptitium. Et idem eſſe dicit de illo,quid diceret aliquid eſſe ſuum , intendens actu vel virtute , quoad vſum , vel quoad adminiſtrationem , vel detentionem ſimplicem facti , non autem quoad dominium , ſiue proprietatem . In calce huius articuli aduertit prædictus Nauarr. vbi ſupra , quod hæc omnia ſunt vera & certa , intelligendo de proprio temporali , ſeu de proprietate rerum temporalium, vtputa veſtis , breuiarij , pecuniæ , ſeu alicuius rei pecunia æſtimabilis: nam horum omnium religioſus & regularis , fit incapax per ſolemne votum paupertatis , neque habere poteſt dominium & proprietatem , cuiuſcumque rei paruæ vel magnæ: non tamen intelligenda eſt concluſio , de bonis interioribus animæ , vt ſunt ſcientia , ſapientia , & quodcumque donum à Deo datum , vt virtutes , & animi dotes.Neq; etiam eſt incapax aut prohibetur religioſus , habere ſeu cupere habere honores ſanctos & licitos , vtpotè honorem Presbyteralem ,Doctoralem , & huiuſmodi , quæ dantur propter merita,quibus non renũciauit,vt expreſſe eitã docet, & tenet Diuus Thomas ſecunda ſecundæ , quæſtione 186.articulo ſeptimo ; ad quartum , & ibidem Caietanus . Poſſunt etiam religioſi habere, multa alia quæ non temporalia ſed ſpiritualia ſunt , vt ius eligendi , præſentandi , confirmandi , inſtituendi , conferendi , excommunicandi, abſoluendi , & beneficia regularia in titulum, & ſecularia in commendam , & ius ſuſcipiendi alimenta , ex hoc aut illo monaſterio , ius etiam regendi cathedras in Academijs . Et omnem iuriſdictionem Eccleſiaſticam , imò & ſecularem ciuilem , tam quoad proprietatem , quàm quoad poſſeſsionem , non ſolum facti,ſed etiam iuris , vt demonſtrat totius Eccleſiæ conſuetudo , quæ ſeruanda eſt , iuxta *cap. Eccleſiaſticarum , 11. diſtinctione,& cap. final. de conſuetudine.* Qua de re videatur Nauarr.vbi ſupra , numero ſecundo , vbi ad hoc propoſitum tradit multa , eaq; notatu digniſsima, pro nunc autem prædicta ſufficiant.

Nota valde quod religioſus profeſſus dicẽs aliquid eſſe ſuum,peccat mortaliter velad minꝰ venialiter.

Nota hoc valde pro religioſis.

(?)

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrum valeat profeſsio , monachi ſiue religioſi,facta cum ea cõditione,vt liceat ſibi,proprium & bona immobilia poſsidere?

Prima opinio

Circa hanc difficultatem , ſunt variæ Doctorum opiniones,de quibus videndus eſt Syluester *verbo relig. 3. quæſtione.7.&8.* Quidam enim dicũt, quod quacumque forma , monachi ſiue religioſi profeſſionem emittant, & per quæcumque verba , profeſſio eorum tenet & valet, etiam non ſeruata regulari forma. Nam cum obligatio dirigatur in Deum,hæc aut illa forma, non debet vitiare actum. Vnde colliguntiſti Auctores,quod profeſſio facta cum conditione propoſita , in titulo huius articuli valet , & ſic profeſſus remanebit monachus,ſed conditio frangitur ſiue reijcitur,tanquam impoſſibilis. Quod & probant argumento deducto , *ex cap. quicumque, de conditionibus appoſitis* , vbi dicitur, quod defectus turpis conditionis,in contractu matrimonij appoſitæ, non vitiat matrimonium . Verba prædicti capitis ſunt iſta : *Quicumque ſub conditionis nomine, aliquam deſponſauerit,& eam poſt modum relinquere voluerit , dicimus , quod frangatur conditio,& deſponſatio irrefragabiliter teneatur.* Facit etiã ad hoc. *l.1.§.1.ff.ſi vſusfructus petatur,& l.ſed neque.ff.de vſu & hab. et l.reprehendenda. C.de inſtitut.ſub conditio.*

Secunda opinio.

Sed contrariam ſententiam tenent & merito , multi alij grauiſſimi Doctores, qui aſſerunt, nullam prorſus eſſe profeſſionem , factam ſub conditione , contraria ipſi religioni , propter rationes inferius dicendas:& quia hæc ſentẽtia magis placet & arridet, de ea ſequentem ſtatuo concluſionem .

Concluſio.

Profeſsio facta à religioſo,ſub ea cõditione vt ſibi liceat proprium , & bona immobilia poſsidere , eſt ipſo iure nulla.

PRofeſſio facta à religioſo,ſub ea cõditione vt ſibi liceat proprium , & bona immobilia poſſidere , eſt ipſo iure nulla . Hæc concluſio habetur expreſſe à gloſſa *in cap. monachi, de ſtatu monachorum, verbo adminiſtratione,* vbi hac excitata difficultate,& adductis iuribus in contrarium propoſitis , contrariam tenet ſententiam , cui adhæret *per cap. vltimum de conditionibus appoſitis* , vbi dicitur,quod ſi aliqua apponatur conditio, in matrimonio , contra eſſentiam & ſubſtantiam matrimonij , matrimonium ipſum eſt nullum . Ex quo arguit ad præſens propoſitum , quod cum hæc conditio de proprio retinendo,ſit contra ſubſtantiam monachatus,& non habere proprium,adeò intrinſecum & eſſentiale ſit ſtatui monachorum, vt ſuper hoc nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare , prout habetur *in cap. cum ad monaſterium , eo titulo* , quod præfata profeſſio eſt omnino nulla, & quod talis non erit vere monachus ſiue religioſus . Hoc etiam probat eadem Gloſſa , argumento deducto , *ex cap. ſolet , 32. quæſtione.2.* vbi

vbi ad aliud propoſitum diffinitur, quod deficiente conditione eſſentiali & ſubſtantiali alicuius rei, actus eſt nullus, eandem ſententiam tenet Syluester vbi ſupra. Hanc litem, & controuerſiam, quæ verſatur inter ſupradictas duas opiniones, conantur conciliare, & ad concordiam reducere, Couarruuias in 4. parte. 2. cap. 3. §. 1. numero, 18. & Salzedo & alij graues Auctores, dicentes, & ſiquis religioſus, cũ ſupradicta appoſita conditione profiteatur, quod liceat ſibi proprium & bona immobilia poſſidere, & libere acquirere, & vt propria ſibi retinere etiam inuito Prælato, quod talis profeſſio erit nulla & irrita, vtpotè contra eſſentiam & ſubſtantiam Religionis, & omnino contraria voto paupertatis. Si tamen profiteretur ſub conditione, vt ſibi liceat poſſidere quandam domum vti propriam, cum bonis iam acquiſitis, tunc (inquiũt) valet profeſſio conditione reiecta, argumento, *cap. fin. qui clerici, vel vouentes*, & multo melius (inquit Salzedo) valet profeſſio religioſi, facta cum ea conditione, & pacto, quod liceat ſibi habere aliqua bona, pro ſuis neceſſitatibus, quia in tali pacto intelligitur illa habere, tanquam obedientiarius, & tanquam ſubiecta Prælato, & eo animo, vt intendat, ad nutum Abbatis ſiue prælati poſſe ſibi amoueri ſecundum Abbatem, *in dicto cap. final.* & Iaſonem, *in authent ingreſſi. de ſacro ſanct. Eccleſijs, numer.* 32. videatur hac de re gloſſa *in cap. 2. de ſtatu monacho. & in d. ca. ad monaſterium, eodem titu.* & Salzedo ſuper practicam Bernardi Diaz de Lugo, in additione ad Regulam. 521.

Ad argumentum adductum in principio articuli, Reſpondeo, quod illud capitulum intelligitur de conditione aliqua turpi, quæ tamen non ſit contra naturam, & eſſentiam matrimonij, vt expreſſe habetur *in cap. fin. eo titulo, de cõdit. appoſi.* vtputà ſi feciſſet furtum, ſi hominem interfeciſſet, talis conditio non impediret matrimonium, imò haberetur pro non adiecta; ſecus tamen eſt in propoſito, vbi conditio appoſita de proprio retinendo, eſt contra eſſentiam & naturam voti paupertatis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Summus Pontifex diſpenſare poſſit, in hoc, quod religioſus habeat proprium, ſtrictè & rigoroſo modo ſumptum.

NON quæro, an poſſit Summus Pontifex diſpenſare cum religioſo, ſupervoto paupertatis, & ſuper prædicto articulo proprietatis atque dominij ſucceſſiuè, eo modo quo ſupra diximus, quæſtione 25. articulo 11. exiſtente aliqua magna & multum rationabili cauſa, propter bonum commune & ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem ſpectans, nempe pro alicuius regni conuerſione & pace, quæ non aliter fieri poſſet, aut ſaltim non ita commodè ſperari; poſſe eundem ſummum Pontificem diſpenſare in voto ſolemni ſolemniter emiſſo, continentiæ & caſtitatis, atque efficere, vt religioſus quiſpiam, à Religione exiens, reginam aliquam aut principalem quandam perſonam in vxorem ducat; nam de hoc qua ratione illud ſupra diximus de caſtitate, eadem prorſus (ſi non maiori) nunc dicere cogimur de paupertate, & quod diſpenſare poſſit in paupertatis voto, atque efficere ob eaſdem rationes & cauſas, vt religioſus quiſpiam habere poſſit proprium, faciendo ipſum de monacho non monachum ſiue laicum, & vxoratum ſucceſſiuè. Sed difficultas eſt, an id facere poſſit ſimul cum monachatu & manẽte verè & propriè monacho, ſiue religioſo, & quod eo in ſtatu, habere ſimul poſſit propriũ, ſtrictè & rigoroſo modo ſumptũ quoad dominium, eo modo quo illud haberent cæteri alij ſeculares. Cui propoſitæ difficultati, vt ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio

Summus Pontifex diſpẽſare non poteſt cum religioſo in particulari, vt ſtante monachatu, habeat proprium, ſtrictè & rigoroſo modo ſumptũ

COmmunis eſt Doctorum ſententia, quod ſummus Pontifex, diſpenſare non poteſt cum religioſis in particulari, in hoc quod ſtante monachatu, ſimul etiam habeant proprium, & ſtricto modo ſumptum, quoad dominium, ad inſtar quo illud habent cæteri ſeculares. Hæc concluſio eſt expreſſe determinata, *in cap. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum*, vbi Innocentius Tertius diffiniendo & determinando, quæ ſint de eſſentia & ſubſtantia Religionis & cuiuslibet Religioſi, dicit, *quod abdicatio proprietatis ſicut, & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ monachali, vt ſuper ipſam, neque ipſe ſummus Pontifex licentiam valeat indulgere.* Quæ verba, (vt ſupra diximus) intelligenda ſunt ad hunc ſenſum, quod ſimul & manente monachatu, ſummus Pontifex id non valet efficere, bene autem ſucceſſiuè, exiſtentibus cauſis & rationibus, in ſupradicto articulo poſitis. Quod autem non poſſit ſimul, ex eo conſtat quia hæc tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, prout diximus, ſupra, quæſtione 1. articulo 4. & 5. ſunt de eſſentia & ſubſtantia religionis, & ſtatus religioſi, non ſolum ex decreto Papali humano, aut tantummodo de iure poſitiuo, ſed reuera de iure diuino, traditione conſtante, à tempore ſanctorum Apoſtolorum, & ex ſpeciali inſtitutione Chriſti Domini, quo fit, vt in his ſummus Pontifex nõ poſsit diſpenſare aut licentiam indulgere, cum ſint ipſi monachatui & ſtatui monachorũ & religioſorũ eſſentialia; & ſublata eſſentia alicuius rei, certũ eſt rem ipſam perire, & quod eſſe deſinere neceſſum eſt. Hanc noſtram concluſionem, multis probat atque defendit, Nauarr. *ſuper cap. non dicatis, numero.* 17. adeoque ei adhæret, vt dicat, quod licèt in caſu Summus Pontifex diſpenſet & diſpenſare poſsit, cum aliquo religioſo, vt nubat licite, non tamen in vllo caſu diſpenſare poteſt, in hoc quod habeat proprium, ſtrictè & rigoroſè ſumptum, quia (inquit) dari poteſt caſus, cauſa & neceſsitas, cui commodè ſuccurri non poſsit, abſque eo, quod religioſus fiat vxoratus, & verus maritus alicuius mulieris præ-

Nota hoc val de, ex Nauar. circa diſpenſationem Papæ cum religioſo ſuper habendo proprio ſtricto modo ſumpto.

ciſe ob aliquam cauſam, at nullus poteſt dari cauſus, cauſa & neceſſitas, quæ ſit ſufficiens ratio diſpenſandi, cum eo in hoc, quod ſupradicto modo habeat proprium cum cuilibet neceſſitati, ſuccurri & ſubueniri poſſit, per ſolam bonorum temporalium adminiſtrationem, vnde ex defectu cauſæ (inquit) quod ſummus Pontifex non poteſt diſpenſare. Verba ſunt expreſſa Nauarri, & profectò valde notanda, ſi tamen per energiam intelligantur. At loquendo de habendo proprium ſimul cum monachatu, in rei veritate, ſententia Nauarri non habet verum, in hoc vltimo ſuo dicto, nempe, quod Summus Pontifex non poſſit diſpenſare, cum religioſo in voto paupertatis ſucceſſiuè, diſpẽſando cum illo in voto caſtitatis etiã ſucceſſiue, vt ſcilicet à Monaſterio exeundo habeat vxorem, quapropter penes hoc ab ipſo diſcedo, & dico, quod quæ cauſa fuerit ſufficiens atque legitima, ad diſpenſandum cum aliquo religioſo, ad hoc vt non ſit religioſus, & in voto continentiæ & caſtitatis ſucceſſiuè, eadem etiam erit ſufficiẽs ad diſpenſandum cum eodem in voto paupertatis, & penes hoc, quod habere poſſit proprium, quocumque rigoroſo modo ſumatur, etiam ſucceſſiuè. Haud enim commodè, habere poterit vxorem & liberos, abſque eo quod ſibi concedatur, habere bona propria, quibus eoſdem alat, & ea poſt mortem eiſdem teſtamento relinquat, vt latius dicemus ſtatim, agentes de religioſis Militibus Ordinum militarium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Equites ſiue Commendatarij Ordinum militarium, cum quibus diſpenſatum eſt, vt poſſint ducere vxores, per eandem diſpenſationem ſeu aliam, poſſint habere proprium?

DE hac difficultate & quæſtione agit ſupradictus Nauarr. in docto commẽtario 2. de Regularibus *ſuper cap. non dicatis, nu. 56.* vbi & dicit, quod quãuis milites Ordinum militarium, ſiue Commendatarij, ad bella profeſſi, & per diſpenſationem Apoſtolicam coniugati, habentes filios legitimos ex talibus coniugijs, poſſint diſponere de bonis ſuis, quæ ante profeſſionem habuerunt & in Religionem intulerunt, iuxta *autenticum, ſi qua mulier, C. de ſacroſanct. Eccleſ. & autenticum, nunc autem, C. de Epiſcop. & Cleric.* quæ referuntur, & tranſlata ſunt, in *cap. ſi qua mulier, 19. quæſtione 3.* & hoc abſque vlla ſummi pontificis diſpenſatione, non autem de illis bonis, quæ poſt profeſſionem factam acquiſierunt, aut poſtea illis quacumque ratione obuenerunt, ac perinde, nec de illis poſſe teſtari, nec maioricatum inſtituere. Et ratio fundamentalis huius rei (inquit) eſt, quia huiuſmodi Milites ſiue Commendatarij, ſunt verè & propriè religioſi & pauperes; & nullius rei habere poſſunt propriũ dominiũ ſtrictè ſumptũ, etiã ex Sũmi Põtificis diſpẽſatione. Pro quorum confirmatione, refert quendam Motum proprium Pij Quinti Pontif. Maxim. datum anno 1568. 5. Idus Septem. quo reuocauit priuilegia omnia, Equitibus Religionum Militarium conceſſa, quoad facultatem teſtandi, & diſponendi de rebus ſuis. Quæ Bulla incipit, *Sacroſanctum*, & habetur inter alias conſtitutiones Pij V. eſtque numero 71. Ad confirmandum etiam prædictus Nauarr. ſuam ſententiam & opinionem, agitat atque in medium producit, celeberrimam illam quæſtionem, an ſcilicet religioſus poſſit teſtari, etiam ex priuilegio Papæ? Et pro parte affirmatiua, propoſitis quibuſdam argumentis & rationibus, contrariæ adhæret ſententiæ, aſſerẽdo quod cũ huiuſmodi Equites, Milites, & Cõmendatarij, nullius rei habere poſſint proprium, nec poſſunt perinde teſtari, niſi ex ſpeciali ſummi Pontificis priuilegio, & noua diſpenſatione, quam affirmanter dicit, per dictum Motum Proprium fuiſſe reuocatam eiſdem. Sed hæc Nauarr. ſententia, nimium rigida atque rigoroſa mihi videtur, & contrariam eſſe tenendam cenſeo, de qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Nota quod dicit Nauar. circa Equites & Cõmendatarios Ordinũ militarium.

Concluſio.

Milites, atq; Cõmẽdatarij Ordinũ Militariũ, cũ quibus per Sedẽ Apoſtolicã diſpẽſatum eſt, vt poſſint nubere, per eãdẽ diſpẽſationẽ fieri etiã poteſt, vt de rebus ſuis, de licentia ſuorũ Superiorum, inter liberos poſſint diſponere.

MIlites ſiue Commendatarij Ordinum Militarium, cum quibus per Sedem Apoſtolicam diſpenſatum eſt vt poſſint nubere, per eandem diſpenſatum eſt, & fieri etiam poteſt, vt qua dam ratione de rebus ſuis, de licentia ſuorum Superiorum, inter liberos poſſint diſponere. Hanc ſententiam Pater Molina, Societatis Ieſu, 2.2. tractat. 2. de diſpenſatione, & alter Molina Iuriſconſultus, libro. 2. de primogenitis Hiſpaniarum, ca. 9. nu. 69. quam & probant multiplicibus rationibus. Sed primò, quia quamuis huiuſmodi Equites, Milites, & Commendatarij ſint religioſi, ad modum (quo ſupra diximus, q. 10. artic. 4.) non ſic tamen perfectè atque integrè, vt exequari debeant cum cęteris alijs religioſis, in clauſtro vitam agẽtibus, cum diſpenſati ſint in caſtitatis voto, vel ſimpliciter (vt Commendatarij Chriſti nuncupati, in regno Luſitaniæ, qui vt dicitur, neque coniugalem caſtitatem vouent) aut ſecundum quid, vt milites D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcãtaræ, in Caſtellæ regnis, qui ſolummodo profitentur, & vouent caſtitatem coniugalem: & quamuis etiam promittant paupertatem, & obedientiam, non tamen adeò ſtrictam ac cæteri religioſi, ſed iuxta ſuam Regulam, limitatam, mitigatam, modificatã; explicatam, & declaratam, atque etiam in pluribus diſpenſatam, per varios Romanos ſummos Pontifices. Vnde neque eſt ratio ſufficiens, ad exæquandum ipſos, cum cæteris alijs Religioſis ſtricto & rigoroſo modo ſumptis, quoad hoc, vt nullo modo habere poſſint Proprium, & ius non ſolum adminiſtrandi bona ſua, verum etiam, & diuidendi ea inter filios per teſtamentum, & maioricatus (ſi opus fuerit) & à ſuo Magiſtro, ſiue Superiore facultas adſit, in idipſum inſtituendi. Quod & confirmatur præterea: nam

iuxta

iuxta communem iuris Regulam, actus agentium non ſe extendunt vltra voluntatem eorum, quod & ſpecialiter verum habet in votis & in omni promiſſione, de cuius ratione eſt, vt quod fit, voluntariè fiat: ſed huiuſmodi Equites, & Milites, in profeſſione ſua, (vt compertiſſimũ eſt) nunquam intenderunt ſe obligare, huic ſtrictiſſimo paupertatis voto, ita vt nũquam ſeu nullo modo alicuius rei habere poſſent proprium, & ſuorum bonorum quocumq; modo acquiſitorum, ita ſtrictam adminiſtrationem, vt nequirent etiam de licentia ſuorum Superiorum, ipſa inter filios diuidere, ex teſtamẽto vel aliter; quin vero id ſi ſcirẽt forſan nunquam talem profeſſionem emiſiſſent, nec ſe obligarent, ad id quod moraliter loquẽdo, videretur illis, ſeruatu impoſſibile, vel potiusomnino irrationabile: ergo nullum ſupereſt ſufficiẽs fundamentum, ad aſſerẽdum quod Nauarro in ſua prædicta opinione dicit. Cõfirmatur ſecũdo, nam iuxta communem etiam iuris Regulam, conſuetudo eſt optima legum interpres, & quamuis in profeſſione ſupradictorum Militũ & Equitum (vt videtur) aliquid plus promittatur modo, quã à multis retro annis ſeruetur, Superiores tamen dictorum Ordinum & Religionum non illa exigunt: quo fit, vt tot annorum cõſuetudo, præſcripſiſſe atque obtinuiſſe videatur, vt illa nõ aliter obligare eos aut promiſiſſe intelligãtur, quã cõſuetudine, tot retro annnis introducta & conſeruata, obſeruari cõſueuerunt. Eo præſertim, quia vt diximus, ſi aliter foret, aut futurũ intelligeretur, multi ſupradictorum Militum, aut certè ferè omnes, ne quaquam talem profeſſionem emitterent, nec vllo modo ſe obligarent, ſi intelligerẽt, quod ad aliam vitæ rationem, quam communiter ſeruari conſuetam tenerentur. Vnde infert præfatus Molina, Societatis Ieſu vbi ſupra, quod prædicti Milites, & Cõmendatarij (de quibus eſt ſermo) dominium & proprietatem habent, ſuorum bonorum patrimonialium, necnõ & aliorum omnium, quæ ſua induſtria poſtea acquiſiuerũt, poſſunt q; de his omnibus teſtari, atque inſtituere maioratus, non ſecus ac cęteri ſeculares; id quod communiter videmus obſeruari in praxi, maximè de licentia ſuorum Superiorum, conformiter ad proprias cuiuſque Religionis conſtitutiones.

Notanda val de pro Militibus & Commendatarijs, religionũ Militariũ quarũcumq; ſuper bonorũ ſuorum proprietate.

Ad rationes & fundamẽta Nauarri, ſatis patet ſolutio ex dictis in probatione concluſionis. Ad conſtitutionem Pij V. & priuilegiorum reuocationẽ, prædictus Molina varias adhibet ſolutiones, inſiſtendo etiam, quod ſummus Põtifex, non poterat tollere prædictis Militibus facultatem teſtandi, & diſponendi de bonis ſuis patrimonialibus, imò verò nec de alijs ſua induſtria acquiſitis, poſt quam ipſi, vt dictum eſt, cum hoc pacto & cũ hac conditione fecerunt profeſſionem, nõ aliter eam emiſſuri. Sed melius dici poteſt, quod Pius V. Põt. Max. non reuocauit ſimpliciter prædictam poteſtatem teſtandi, ſed eam tantum, quæ dimanabat à priuilegijs Apoſtolicis. Quare facultas teſtandi, quã prędicti Milites habebant alias, aut ex cõſuetudine, aut ratione ſuarum Conſtitutionum, non fuit à prædicto Pio Quinto ſublata, vt conſtare poteſt ex prædicta ſua bulla. Quare ſicut Magiſter Ordinis diſpenſare poteſt, in alijs obſeruantijs Regularibus, cum Militibus & Commendatarijs, ita & poteſt diſpenſare cum eiſdem, in factione teſtamenti, etiam poſt Conſtitutionem Pij V. maximè cum, vt dicitur, ſit iam poſt modũ reuocata per Grego. XIII. & pro maiori cautela & cõſcientiæ ſecuritate, impetrata licẽtia & facultas ad teſtãdum, vt cõſtat ex Bulla prædicti Gregorij XIII. quę habetur in Conſtitutionibus Pontificalibus.

ARTICVLVS V.

Apud quem remaneat proprietas & dominium, bonorum quæ poſsident omnes in vniuerſum religioſi.

Prima Concluſio.

Proprietas & dominium omnium bonorũ quæ poſſidentur à religioſis, apud quem remaneat.

PRoprietas & dominium, omniũ bonorum, quæ poſſidẽt omnes in vniuerſum religioſi, remanet primo penes Deum, & Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum; ſecundario verò quoad ius adminiſtrandi ſupremũ, penes Papam & totã Eccleſiam, & tãdem tertio quo ad ius adminiſtrãdi particulare, penes Ordines vel Monaſteria, quorũ ſunt filij, & quibus ipſi ſunt ſubiecti. Hæc cõcluſio eſt Innocen. III. *in c. cum ſuper de cauſa poſſeſſ.* quem ſequũtur omnes cõmuniter DD. ſed ſpecialiter Decius *in c. conſtitutus. de reſcript.* & Nauar. de redditibus Eccleſ. monitione 40. q. 1. & in 1. cõmentario de Regular. *ſuper cap. cui portio. n.* 31. & in 2. cõmentario, *ſuper c. non dicatis. n.* 3. quibus in locis, de mente præfati Innocen. III. dicit, quòd generale omniũ rerum dominium quæ poſſident religioſi, primo & principaliter cõpetit Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ius adminiſtrandi ſupremum & generale eius penes Papã, & Eccleſiam vniuerſalẽ, particulare verò illi Ordini, vel Monaſterio, cuius religioſi ſunt filij, aut quibus ſunt ſubiecti, ſi ſunt capacia iuris adminiſtrandi, alioquin (inquit) etiã ſpeciale remanet apud Papã, & ſola detẽtio & vſus ſeu adminiſtratio facti, penes illos Ordines & Monaſteria, quibus acquireretur ius particulare adminiſtrandi, ſi illius eſſent capacia, quod dicit, propter Monaſteria noſtri ſacri Minorũ Ordinis, de quibus dicemus in ſequẽti cõcluſione. Ex qua doctrina ſatis colligitur, nullum monaſteriorum, habere ſuper bonis, quæ poſſidẽt Religioſi, aliquod ius proprium aut verũ dominium etiã ipſorum prælati, ſed ſolũmodo ius adminiſtrandi, in vtilitatem ſuã & aliorũ Religioſorum particularium, qui quidẽ ſolũmodo habent, vt infra dicemus, ſimplicẽ vſum facti, in veſtibus, & alijs ad vitam neceſſarijs, quibus vtũtur: prælati autẽ, vt ſunt Abbates, & alij Superiores, & officiales, præter id ſolum modo habent ius adminiſtrandi nomine eorundẽ Monaſteriorũ, ſecundum Regulas quas profitentur. Et hoc eſt, quod ſub alijs verbis cõmuniter dici ſolet, quod eiuſmodi religioſi poſſident bona & propria, in communi quidem, non autem in particulari. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Penes quem remaneat proprietas, & dominiũ ſpeciale Minorum fratrũ, quide obſeruantia nuncupantur

PRoprietas & dominium bonorum, quæ poſſidẽt Fratres Ordinis Minorum, communiter de Obſeruantia nuncupati, & Capuccini, remanet primò, & principaliter, vt dictum eſt, penes Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, ſecundario vero, quantum ad ius adminiſtrãdi ſupremum & generale, penes Papam & Eccleſiam Romanam, neque id ſolum, verum etiam ſpeciale & particulare exequendum & diſpẽſandum per ſyndicum, conſtitutum & deſignatum in id munus & officium, quia Fratres prædicti per ſuam Regulam ſunt incapaces: non ſolum proprij, verum etiam cuiuſcumque iuris adminiſtrãdi, & ſola detentio & vſus, non quidem iuris, ſed facti ſe manet penes ipſos. Hæc concluſio, eſt etiam ſupradicti Nauarri, ſuper *c. non dicatis. nu. 3.* ad quam comprobandam adducit. *c. exijt, de verb. ſign. in 6. §. porrò, & §. ad hæc, et §. præterea*: quibus in locis Nicolaus III. explicans Fratrum Minorum Regulã, inquit, dominium rerum donatarum, & relictarũ eiſdem Fratribus, incapacibus dominij, & cuiuſcumque adminiſtrationis in communi & in ſpeciali, non quæri eiſdem, ſed remanere penes dantes & donantes, ſi illud ſibi reſeruarunt, aut penes ſanctam Eccleſiam Romanam, & Romanum Pontificem & Syndicum, vel Oeconomum, eius nomine in id muneris cõſtitutum, Fratres autem prædictos ſolummodo habere vſum, nõ iuris, ſed facti, in neceſſarijs, ad vitæ humanæ ſuſtentationem, cum moderaminibus ſiue modificationibus, ibidem per prædictum Pontificem præſcriptis.

Ex dictis colligitur, quod quando communiter dicitur, quod quidquid religioſus acquirit, Ordini ſuo vel Monaſterio acquirit, intelligendum eſt, de Monaſterijs dominij capacibus, & de ordine dominij & iure adminiſtrandi, poſito in ſupradictis concluſionibus. Non autem de vero dominio, quod, vt dictum eſt, in omnibus bonis Eccleſiaſticis, quæritur, primò Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, poſt modum verò ius ſupremum adminiſtrãdi, Papæ & ſummis Romanis Põtificibus, exercendum ſecũdum ſacros Canones, tam in Ordinibus ſæcularibus, quam in alijs dominij capacibus, ſed per ſeipſos adhuc immediatius & ſpecialius adminiſtranda. In incapacibus vero qualis eſt noſter ſacer Minorum Ordo, quales etiam ante Cõcilium Trident. erant omnes Ordines Mẽdicantes, ſecundum ſuam primæuam, & originalem inſtitutionem exequẽdum & exercendũ per eandem ſedem Apoſtolicam, ſeu potius Syndicũ & Oeconomum, eiuſdem nomine appoſitum, relicto ſimplici vſu (non iuris, ſed facti) cum ſuperius appoſita moderatione, penes præfatos Minores Fratres, & hæc ſunt certa, & manifeſta. Multa alia forẽt dicẽda, circa proprietatem & dominiũ, rerum temporaliũ, & bonorum quæ poſſidẽt omnes in vniuerſum Religioſi, quibus ſcilicet acquirantur & qualiter in his ſe gerere habeant; ſed quia hęc longioré requirebant diſputationẽ, quibus pro temporis anguſtia, ſatis facere haud quidem poſſumus, breuitatis gratia conſulto facio miſſa. Conſulatur Nauar. de redditibus Eccleſiaſticis & in commentario 1. & 2. de regularibus, locis ſupra citatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm religioſi profeſſi, habere poſſint vſumfructum alicuius rei, ſi ſibi relinquatur?

Concluſio.

Religioſi profeſſi, nullum ius, aut vſumfructũ habere poſſunt, ſuper re aliqua particulari, niſi in ordine ad licentiam & voluntatem Prælati.

REligioſi profeſſi, nullum ius, aut vſumfructũ habere poſſunt, ſuper re aliqua in particulari, niſi in ordine ad licentiam, & volũtatem Prælati. Hæc cõcluſio eſt Sylueſtri, *verbo, relig. 6. q. 7. in 3. dicto*, vbi dicit, quod ſi aliquis vſus fructus, monacho alicui relinquatur, Abbas poteſt illũ ſibi auferre: quod probat, *per authent. ingreſſi. C. de Sacroſ. Eccleſ. et per c. 2. de ſtatu monachorum.* Sed eſt difficultas, an in caſu, quo donãs huiuſmodi vſumfructum monacho ponat in legato ſiue teſtamẽto, quod ſi Abbas illum moleſtet à legato cadat, reuera legatũ ſit nullum, an vero valeat? De hoc eſt magna cõtroueſia inter Doctores Iurisperitos, vt videre eſt in Gloſſa, *in l. Lucius. §. tres hæredes. ff. ad Trebellia.* Sed cõmunior & verior ſentẽtia eſt, quod ſi legãs diſponat per viam pęnæ, quod ſcilicet monaſteriũ in tali caſu à legato cadat, talis diſpoſitio non valet, quia impoſitio pęnæ ſuper facto impoſsibili, de iure vel de facto nõ valet, iuxta *l. cerdonem. ff. de ope. et l. 1. C. de his quæ pœnæ.* Si vero non per modum pœnæ ſed cõditionis, vult quod Abbas non poſſit prædictum monachũ moleſtare, dicunt Doctores, quod ſi dicat, lego, vel relinquo, talis rei vſumfructum, tali monacho, donec Abbas illum moleſtet, vel quouſque illi quęſtionẽ faciat, & ex tunc nõ relinquo, in hoc caſu (inquit) valida erit diſpoſitio, & monaſterium cadet à legato. Videatur hac de re Sylueſter loco ſupra citato, non enim poſſumus in tot rebus immorari, cum tanto pere breuitati ſtudeamus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm religioſus profeſſus, de licẽtia & conſenſu Prælati, habere poßit, aliquam Eccleſiam & villã ſibi vnitam, cum horto, & alijs, ſeu aliquã hæreditatem ad vitam, ea lege, vt ſoluat Prælato ſiue Monaſterio, certos redditus annuos & cætera ſibi relinquantur?

DVbitandi ratio eſt, nam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de regularibus, cap. 2.* habentur hæc expreſſa verba: *Non liceat deinceps Superioribus, bona ſtabilia alicui regulari cõcedere, etiam ad vſumfructũ, vel vſum, adminiſ-*

adminiſtrationem, aut commendam, &c. ergo nullatenus fieri poteſt, id quod proponitur in præſenti articulo. Hoc tamen non obſtante, contrariam ſententiam tenet Nauarro, & dicit, non id eſſe Cõcilio Tridentino contrarium, & quia ſententia Nauarri multum videtur probabilis, & rationes ab eo adductæ fortes nimis, pro prædicti articuli reſolutione ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Licitũ eſt Superiori, tradere alicui Regulari, hæreditatem aliquam ad ſenſum propoſitum in articulo, in Religionibus, qui bus id habetur in vſu.

PRobabile eſt licere Superioribus, tradere Regularibus ſibi ſubditis, aliquam Eccleſiam & villam ſibi iũctam, cum horto & alijs ad eam pertinentibus, ad vitam ſeu ad nutum amouibilem, ea lege & pacto, vt quotannis certam penſionem ſoluant monaſterio, illamque pretioſiorem reddant, ſeu aliquod melioramentum in ea faciant, & quod reliqua ſuſtentationi & vſui ſuo cedant, in illis Ordinibus & Religionibus, in quibus id habetur in vſu. Hanc concluſionẽ tenet expreſſe ſupradictus Nauarro, *in cap. non dicatis, num. 9. 14. & 18.* & lib. 3. conſil. de regul. conſil. 20. per totum. Quam & probat, primo, ex communi praxi, qua id fieri vbique videmus & experimur, neque inquit credendum eſt, quod id fieri permitteretur, ſi crederetur eſſe peccatum. Secundo, quia id facere Prælatum, nihil eſt aliud, quam conſtituere illum quaſi Oeconomum & procuratorem, ad adminiſtrandam villam illam, domum, ſeu Eccleſiam, cũ bonis ſibi acceſſorijs, & cum obligatione ſoluendi certam aliquam penſionem, aut reddendi iuſtã rationem, de recepto & impenſo, quod non videtur prohiberi per ſupradictum Concil. Tridentin. Eo vel maxime, quia Capitula & Conuentus, qui huiuſmodi habent villas, domos, agros, ſiue vineas, cum Eccleſijs & alijs ad eaſdem pertinentibus & ſuis impenſis illas colunt ſeminando in illis, vix aut nullatenus poſſent id facere, niſi mittendo ad illas Fratres induſtrios & fideles, quiCõuẽtus nomine idipſum faciant, ſeminẽt, regãt, adminiſtrẽt, procurãdo ſemper Cõuentus vtilia, & fideliter impendẽdo & recipiendo neceſſaria, maxime ſi ad id non haberent Laicos cõuerſos ſufficiẽtes, aut Laicos ſeculares, qui pari fidelitate, diligentia & induſtria, eiuſmodi munera exercere poſſent, hæc prædictus Nauar. Tertio probat idipſum, n. 14. adhuc efficacius, mõſtrando atq; probãdo, quod licet religioſis & regularibus, habere aliquid proprium largo modo ſumptũ, de licentia ſui Superioris, quod probat per ſupradictum, *cap. non dicatis. 12. quæſt. 1.* quod eſt deſumptum ex Regula B. Auguſt. cap. 2. vbi poſt alia dicitur, certum eſſe religioſos nihil debere habere, poſsidere, dare, vel accipere, ſine licentia ſui Superioris: ex quibus verbis, à contrario ſenſu colligit prædict. Nauar. quod de licentia Superioris, aliquod proprium vel quaſi proprium poſſunt habere. Quod & confirmat, per capit. 9. eiuſdem Regulæ, & per Concil. Lateranenſ. relatum, *in cap. monachi, de ſtatu monach. in fin.* vbi permittitur, monachum habere peculium, de Abbatis licentia, pro iniuncta ſibi adminiſtratione. Pro quo facit etiam, *cap. viduis, 27. quæſt. 2.* vbi dicitur, viduas & virgines, poſſe fieri Regulares, & manere in domibus ſuis (ſecundum intellectum Gloſſæ) & certum eſt hoc fieri non poſſe, abſque proprio ſeu aliquo peculio vnde viuerent. Ad quod etiam facit, *cap. inſinuante, qui clerici, vel vouentes*, quod quam recte explicat Nauar. vbi ſupra num. 16. quatenus habet, fœminam fieri poſſe vere religioſam, in Monaſterio virorum, non intrando illud, ſed profitendo illi, & manendo in domo, quæ ſua erat ante profeſſionẽ, quo etiam caſu neceſſarium erat, eam habere peculium, & aliquid proprium, modo prædicto, quo ſe ſuſtentaret. Ex quo etiam (inquit) capitulo probatur, valere profeſſionem factam, cum pacto, vt profitens viuat extra monaſterium, cum bonis, quæ erant ſua ante profeſſionem, ſuſtentando ſe de illis, quin vero Panormit. communiter receptus *in dicto cap. monachi, & cap. cum ad monaſt. de ſtatu monach.* ſecutus Bartolum, communiter etiam receptum, *in authentic. ingreſſi. C. de ſacroſ. Eccleſ.* dicit, valere profeſſionem, qua quis profitetur, adiecto (ſaltim per viam modi, & ſi non per viam conditionis, actum ſuſpendentis) vt relinquatur ſibi adminiſtratio ſuorum bonorum, ad ſe ſuſtentãdum. Cui pactioni, licet ſucceſſor Prælati ſic recipientis, vel mandantis recipere, licite poſſit contraria re, quin vero & ipſemet Prælatus, qui eam fecit (vt colligitur ex dictis per Panormitan. *in cap. edoceri de reſcript.*) licite tamen, poteſt etiam eam ſeruare, quod eſt prædictæ concluſionis intentum, in cuius etiam comprobationem plura dicemus in ſequenti articulo. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Huiuſmodi adminiſtratio Monacho ſiue Regulari conceſſa, bene poteſt per eũ, vt per ipſius ſucceſſorẽ reuocari.

CErtiſſimum eſt, quod huiuſmodi adminiſtratio, prædicto Monacho ſiue Regulari à ſuo Superiore cõceſſa, licite poteſt per eum, aut per eius Succeſſorem reuocari. Probatur hæc concluſio, primo per *cap. cum ad monaſterium, de ſtatu manach. §. tales*, vbi dicitur, *quod nulli religioſo committatur aliqua obedientia perpetuo poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur, ſed cum oportuerit amoueri, ſine contradictione qualibet reuocetur.* Per quæ verba Panormita. communiter receptus, ibi determinat, quod Abbas & Conuentus, non poſſunt facere ſtatutum, per quod ligetur ſucceſſor, & quod Abbas non ligatur in ſuo ſtatuto, licet cum Conuentu id fecerit, quominus poſſit poſtea contrauenire; nam Monachi non poſſunt illi reſiſtere, eũ debeant in omnibus obedire, & totum velle eorum dependeat à voluntate Abbatis, prout habetur in iure, *in cap. ſi Religioſus, de electione, lib. 6.* Quod adeò verum eſt vt dicat Ioan. Andr. *in cap. non eſt obligatorium, de regulis iuris, lib. 6.* Quod etiam ſi Abbas iuraſſet ſeruare ſtatutum, nihilominus reuocatio tenebit, licet incidat in periurium. Et Panormitan. *in dicto cap. cum ad monaſt. num. 11.* dicit quod ſi Abbas concedat Priori obedientiario ſeu mandatario, vt ad vitam teneat Prioratũ ſeu adminiſtrationem ſibi conceſſam, poteſt nihilominus ipſam reuocare, quia non poteſt ſibi Abbas legem imponere, contra votum obedientiæ, quia labefactaretur vis voti obedientiæ, quod eſt vnum de ſubſtantialibus regulæ, neque etiam facere, aut venire contra diſpoſitionem iuris, & in iure in dicto, *cap. cum ad monaſterium. §. tales*, expreſſe habetur, quod huiuſmodi adminiſtrationes non ſint perpetuæ, ſed amouibiles. Aduertit tamen Nauarro, quod licet huiuſ-

modi reuocationes factæ valeant de rigore iuris, non tamen fieri debent ſine iuſta atque rationabili cauſa, & contrarium facientes, male facient & peccabunt, hoc dicit in *ſupra dicto cap. non dicatis, numer. 65.* & expreſſius *lib. 3. conſil. de regul. conſil. 20. numero. 13.*

Ad argumentum igitur in contrarium adductũ ſiue rationem dubitandi, ex Concil. Triden. reſp. Nauar. quod Concilium Tridentinum, non eſt intelligendum, aut debet intelligi, de prædictis adminiſtrationibus ad nutum amouibilibus, & habitis de licentia & conceſſione Prælati, nam præfatum decretum Concilij Tridentini, nihil noui iuris intendit inducere, ſed ſolummodo continet declarationem, explicationem & innouationem prædicti *cap. cum ad monaſterium. §. tales*, in quem finem præcipit, vt huiuſmodi adminiſtrationes nõ ſint perpetuæ, ſed ad nutum amouibiles, neque habeantur, niſi de conſenſu & voluntate Prælati, iuxta ius antiquum ibi poſitum, *& in cap. non dicatis*, prout etiam amplius dicemus, in ſequenti articulo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Monachus ſiue Religioſus habere poſsit peculium?

Quidnam ſit peculium.

PRo huius articuli intelligentia, oporret primo præmittere, quidnam ſit peculium? Et dico, quod peculium dicitur, *quaſi parua pecunia, aut pecunia ſeparata, quod nomen à pecore ſiue pecude, eſt deductum*, & ſignificat, quidquid eſt in hominis patrimonio, ſeparatum à rebus ſiue ratiocinijs patris aut domini, datum vel promiſſum filio vel ſeruo, iuxta *cap. totum. 1. quæſt. 3. & l. peculium. ff. de peculijs.* Quod quidem peculium, ſiue ius & adminiſtratio peculij, neque eſt dominium, aut quaſi dominium, vt tradit Nauar. *in cap. cui portio, num. 14.* Peculiorum octo genera tradũtur à Doctoribus, vt dicit Gloſſa, in rubrica, ff. de peculijs, ſed principaliter ad quatuor reducuntur, vt tradit Sylueſter, *verbo peculium primo.* Aliud eſt enim caſtrenſe, aliud quaſi caſtrenſe, aliud profectitium, aliud vero aduentitium, de quorum ſingulis, qui plura videre voluerit, conſulat prædictum Sylueſtrum loco ſupradicto, & Nauar. loco etiam ſupracitato, & in Manuali, cap. 17. num. 141. vbi horum omnium diffinitiones ponit, & cum hoc peculium, cuius nõ eſt proprie dominus habens illud ſed alius, quoddam ſit iuſtum, illud ſcilicet, quod cum iuſta licentia patris, domini ſiue Prælati habetur, aliud vero iniuſtum, quod habetur abſque prædicta licentia, iuxta *cap. præſertim, & cap. monachi, de ſtatu monachorum*, merito in præſentiarum quæritur, an monachus, ſiue religioſus, ſaltim de licentia Prælati, habere poſſit peculium? Et videtur quod nõ. Primo, nam in ſupra allegato *cap. non dicatis. 12. quæſt. 1.* vniuerſaliter & abſque vlla exceptione, reſtrictione, ſiue limitatione, præcipitur monachis, vt non habeant aut dicant, aliquid ſe habere proprium. In quibus verbis, cum illa particula, *non*, præpoſita illi verbo *aliquid* idem ſonet, quod *nihil*, iuxta dicta lecticorum Regulam, aſſerentium quod dictio, *nõ*, eſt malignantis naturæ & quidquid poſt ſe inuenit deſtruit, atque ius in cõtrarium ponit, id quod etiam tenet Gloſſa ſolemnis, *in cap. dilectus de conſuetudine*, conſequenter dicendum videtur, quod Monachus ſiue Religioſus, in nullo euentu atque in nullo caſu, habere poſſit peculium. Quod & confirmatur, ex Concilio generali Lateranenſi, relato *in cap. monachi, de ſtatu monachorum in principio* vbi habetur, quod *Monachis non permittatur habere peculium.* Quod præceptum habetur etiam, *in cap. cum ad monaſterium eodem titulo.* vbi ad maiorem huius rei confirmationem, ponũntur hæc ſequentia verba. *Neque æſtimet Abbas, quod ſuper habẽda proprietate, poſsit cum aliquo monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex poſsit licentiam indulgere.* Quibus omnibus accedit, nam nuperrime, in Concilio Tridentino *ſeſsio. 25. de regul. cap. 2.* hac etiam de re, ſequens habetur decretum & ſtatutum. *Nemini regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſsidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur, nec liceat Superioribus bona ſtabilia, alicui regulari concedere, etiam ad vſumfructum ſeu vſum, adminiſtrationem vel commendam.* Quid clarius dici poteſt, maxime cum in eodem Concilio ad idem ſtatim adiungatur, *quod adminiſtratio bonorum Monaſteriorum ſeu Conuentuum, ad ſolos Officiales eorumdem pertineat, ad nutum Superiorum amouibiles, & quod rerum mobilium vſum, ita Superiores ſibi ſubditis permittãt, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſsi ſunt conueniat, nihilque ſuperfluì in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium illi denegetur.* Et additur, *ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus aut conuictus fuerit, is biennio activa & paſſiua voce priuatus ſit, & iuxta ſuæ Regulæ & Ordinis conſtitutiones puniatur.* Ex dictis omnibus (vt videtur) euidenter conſtat, quod monachi etiam de licentia ſuorum Prælatorum, nullo modo poſſunt habere peculiũ. Quod & omnium fortiſſime confirmatur, nam illud habere, videtur eſſe aperte, contra ſolemne votum paupertatis, quod omnes religioſi emittunt, atque obſeruare tenentur, per quod votum, non ſolum humano, verum etiam & diuino iure prohibentur, nedum habere, verum etiam nec velle habere aliqua bona propria, aut tanquam propria, vt conſtat ex capit. non dicatis præallegato. Nec hoc videtur limitandum aut reſtringendũ, quoad ſolum verum dominium, aut veram proprietatẽ, quod eſt habere illa ſine dependentia, & ſine ordine ad aliquem Superiorem, verum etiam neque quoad vſumfructum. Ex quo proinde recte concluditur, non ſibi licere habere peculium, imò verò expreſſe id eſſe ſibi prohibitum, humano iure & diuino, contra quod ius diuinum, non ſolum Prælati inferiores, verum etiam neque ipſe Papa poteſt diſpenſare, vt habetur in *cap. cum ad monaſterium*, imò verò debet ipſe, idem ius diuinum, vſque ad ſanguinis effuſionem ſeruare, vt dicitur *in cap. ſunt quidam, 25. quæſt. 1.* Hæc omnia argumenta, adducit Nauarro in prædicto *cap. non dicatis, numero. 15.* ad agitandam prædictam difficultatem, quibus non obſtantibus, cum conſueta ſua modeſtia

Peculiorum quatuor ſunt genera præcipue.

Nota argumẽta, quæ ſequũtur, quibus probari contẽditur, quod Monachus, nullatenus habere poſsit peculium.

deſtia & ſubmiſſione, contrariam tenet ſententiam, de qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Probabile eſt quod de licẽtia ſui Prælati, ſiue Superioris, licitũ ſit Religioſis habere peculium, aut aliquid ſibi proprium amouibile ad nutũ Superiorum.

PRobabile eſt, quod de licentia Prælati ſiue Superioris, licitum ſit religioſis & regularibus, habere aliquod peculium, ſeu aliquid ſibi propriũ ſiue appropriatum, amouibile ad nutum Superiorum. Pro cuius concluſionis intelligentia, præmittit Nauarro loco ſupra citato, *& in cap. cui portio, 12. quæſt. 1. num. 15. & in cap. non dicatis ibidem, numer etiam* 15. quod duplex eſt dominium ſiue proprium, aliud eſt verum & quoad veram proprietatem, quale eſt illud, quod habent homines ſeculares, ſecundum ius, iuxta *cap. quo iure, 8. d. & toto tit. ff. de acquir. rerum dominio*, aliud vero eſt non proprium & verum, quod tantum pertinet ad ſolam detentionem, vſum adminiſtrationem & poſſeſſionem facti, quale eſt illud, quod habent beneficiarij Eccleſiaſtici, quod alio nomine, dicitur peculium, vt conſtat *ex rubrica de peculijs Clericorum*, quale etiam habent & habendi illud ſunt capaces, filij nondum emancipati, reſpectu partẽum, ſerui reſpectu dominorum ſuorum, & monachi & religioſi de licentia ſuorum Superiorum, ordine inferius dicendo. Pro quo dicit vlterius prædictus Nauarro, quod hoc ſecundi generis proprium ſiue dominium, tripliciter etiam poteſt conſiderari: primo modo, vt quando conceditur aliqua villa, domus, ſeu Eccleſia, cum rebus ad ipſam pertinentibus alicui religioſo ad eam adminiſtrandam, in vtilitatem ſeu damnum concedentis tantum, cum ſola obligatione reddendi iuſtam rationem de accepto atque impenſo, amouibilem ad nutum Superioris, & vt teneat eã monaſterij nomine, de qua adminiſtratione, ſeu adminiſtrationis genere, fit mentio *in cap. monach. in fin. & in cap. cum ad monaſter. §. tales, de ſtat. monacho.* Secundo vt quando conceditur eadem villa, in vtilitatem & damnum accipientis non vero dantis ſine vlla penſione & onere, vel cum illa, ita vt certam penſionem ſoluat aut aliquod munus expleat, & reliquum commodi vel damni, eidem cedat, ad diſponendum de eo in ſuos honeſtos & pios vſus tantum, quales adminiſtrationes (inquit) in aliquibus religionibus, habent beneficiarij & monachi iam ſenes & infirmi, & de religione benemeriti, quibus aliquæ villæ, ſiue domus ſalubriores concedi ſolent, ad ſuorum Superiorum nutum reuocabiles. Tertio vt quando conceditur præfata villa, domus, ſiue Eccleſia alicui religioſo, in commodum vel damnum accipientis, cum facultate diſponendi de reſiduo, in quoſcunque vſus etiã prophanos, vt poſſet quilibet alius ſecularis, de re vere ſibi propria. Hoc ſuppoſito dicit prædictus Nauarro, quod quamuis Prælatus non poſſit concedere alicui religioſo, quod habeat proprium, in primo ſenſu loquendo, hoc eſt ſtricte & rigoroſo modo ſumptum, quia hoc eſſet contra votum paupertatis, cui eſt ſtrictiſſime obligatus, neque in ſecundo ſenſu in caſu tertiæ conſiderationis, hoc eſt, cum facultate diſponendi de peculio pro ſuo libito, in quoſcumq; vſus etiã prophanos (prout amplius etiam nos dicemus, in ſequenti articulo) poteſt tamen concedere illi peculium, & quod habeat alicuius rei adminiſtrationem, exiſtente iuſta & legitima cauſa, in caſu primæ conſiderationis, atque etiam in caſu ſecundæ conſiderationis, neque hoc facere erit contra Concilium Tridentinum, quod probat per omnia ea, quibus in præcedenti articulo probauimus, poſſe religioſum, de licentia ſui Superioris & Prælati, habere aliquod peculium & proprium hoc ſecundo modo ſumptum, & præterea per illud, quod dicit Ioannes Andræas, *in cap. non eſt obligatorium, de regulis iuris*, nempe quod valet ſtatutum, iuſta de cauſa factum, vt monaſterium det monialibus ſolummodo victum, & quod pro veſtitu habeant ea quæ labore manuum ſuarum lucrantur, quod in multis monaſterijs poſitum eſt in more: & certum eſt, inquit, hoc fieri non poſſe abſque eo, quod aliqua ratione habeant prædictum peculium. Qua etiam motus ratione, idem Panormitan. *in dicto cap. cum ad monaſterium dicit*, ſatis eſſe licitam conſtitutionem ſiue conſuetudinem, qua religioſis traditur certum quid annuum pro annuo veſtitu. Tandem concludit Nauarro & confirmat ſuam ſententiam dicendo, quod in nulla Religione, ita arcte ſeruatur paupertas, quin de licentia Prælati tacita vel expreſſa, religioſi non habeant aliquod peculium & proprium hoc ſecundo modo ſumptum, ſuis peculiaribus vſibus deputatum, vtputa lectum, & ſtragula eius, libros, imagines, & alia id generis, cellas etiam priuatas & claues earum, quæ omnia & his ſimilia, inquit eſſe peculium, & quod cum habeantur de licentia Prælatorum, non cenſentur eſſe contra paupertatis votum, neque contra Religioſorum profeſſionem. Et ſcrupuloſus ſatis aut forſan plus nimio cum eſſet, non hoc erubuit dicere, aut aliquem ingerit ſcrupulum, quaſi non vera, certa atq; indubitata ſint quæ dicuntur, ſeu ab eo fuere dicta.

Quod propriũ eſt duplicis generis, aliud verum, & quoad proprietatem, aliud vero nõ verum, ſed ſolummodo, quoad detentionẽ, alicuius rei, vſum & adminiſtrationem.

Nota ſecundi generis proprium, quo tupliciter ſoleat concedi.

Nota hoc valde, pro religioſorum peculijs, quæ communiter habentur.

Solum ſupereſt nunc, reſpondere ad argumenta, adducta in principio huius articuli. Et quidem *ad cap. non dicatis*, facile reſpondet dicendo, quod intelligitur de proprio primo modo ſumpto, vel etiam ſecundo modo ſumpto, in caſu tertiæ & vltimæ conſiderationis, quo ad ius adminiſtrandi nomine ſuo, ſine expreſſa aut tacita licentia Prælati, aut data ſine iuſta, & rationabili cauſa. Ad confirmationem deſumpram *ex cap. monachi*, Reſpondet ſimiliter, quod intelligitur de peculio, primo modo ſumpto, vel etiam ſumpto ſecundo modo, in tertia conſideratione, non autem in prima aut ſecunda, hoc eſt, conceſſo iuſta de cauſa, nam in eodem etiam Capitulo habetur in fine, poſſe peculium concedi alicui monacho, in adminiſtrationem iniunctam illi, & per hoc etiam reſpondet *ad cap. cum ad monaſterium*, nam inquit loquitur de peculio ſiue proprio, primo modo ſumpto, quod nec Prælatus nec Pontifex, Regulari ſiue Religioſo poteſt concedere, vt ſcilicet fiat alicuius rei verus dominus, ſtante voto paupertatis ſolemni, vt iam ſupra, ſuperque ſatis eſt dictum. Ad auctoritates adductas ex Concilio Tridentino dicit, quod in præfatis locis, Concilium Tridentinum, non inducit neque intendit inducere ius nouum, ſed tantummodo renouat & ad memoriam reuocat antiquum, prædictorum capitulorum,

rum, *non dicatis, & cap. monachi, & cap. cum ad monaſt.* Vnde inquit Concilium Tridentinum, eſſe quadam ratione, quaſi Gloſſam & explicationem genuinam & veram, prædictorum capitulorum, neque ad plus obligat, & tantum determinat quod nemini Regularium, permittatur habere peculiũ quod eodemmodo eſt intelligendum, quo ſupradicta iura: non verò alio, hoc eſt ſine conſenſu, & licentia Prælati, quod & expreſſius inſinuatur in illis verbis, ibidem expreſſis, *tanquam propriam*, & quamuis addat, *neque etiam nomine Conuentus*, intelligendum eſt, ſine prædicta licentia, aut de adminiſtratione & peculio, in caſu tertiæ & vltimæ cõſiderationis, vel ſecundæ, hoc eſt, conceſſo ſine legitima cauſa, alias enim (inquit) contradiceret Concilium Tridentinum, Concil. Lateran. quod non eſt dicendum, imò verò vt dicitur *in cap. cum expediat, de elect. lib. 6. expedit iura iuribus concordare*, & ſecundum Iuriſconſultos *in l. 1. C. de inoff. dotibus, & l. fin. C. de appella.* non eſt recedendum à iure antiquo, niſi quatenus cogit ius nouum, aliud ſtatuere.

Nota quod expedit iura cõcordari iuribus, nec recedendum eſt à iure antiquo, niſi quatenus cogit ius nouum.

Ad vltimam confirmationem, adductam de paupertatis voto, Reſpondet prædictus Nauarro, aſſerendo, quod non contrauenitur eidem voto, per hoc quod religioſus habeat eiuſmodi peculium, de licentia Prælati ad ſenſum ſupradictum, iuſta de cauſa data, & cum omnibus conditionibus, & circunſtantijs ſupra poſitis, alijſque inferius dicendis in ſequẽti articulo. Prædicta omnia in ſubſtantia ſunt doctiſſimi Doctoris Nauarro, & quidem ſatis probabilia, quæ proinde hic referre atque adducere libuit, quia multũ ſunt notatu digna, pro informandis, ſeu etiam aſſecurandis, conſcientijs multorum Religioſorum, vt compertũ habeant, quid ſibi facere aut non facere liceat.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Prælatus ſubdito poſsit concedere peculium, vt expendat illud in quos voluerit vſus?

Prima Concluſio.

Prælatus nõ poteſt concedere peculiũ ſubdito, cum facultate expendendi ipſum, in quos voluerit vſus.

Certiſſimum eſt & omni dubio procul, quod Prælatus non poteſt ſubdito concedere peculium, cum facultate expendi illud, in quoſcumque voluerit vſus. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Nauarro *in cap. non dicatis, num. 23.* vbi de mente Cardinalis dicit, non ſolum peccare Prælatum, talem licentiam concedendo, verum etiam & ſubditos, eadẽ vtendo. Eandem ſententiam & opinionem tenet Sylueſt. *verbo, Religio 6. quæſt. 7. in 2. dicto*, vbi etiam dicit, quod ſi quid à Prælato concedatur ſubdito ad vſum, habet ſubditus in re illa ſolummodo vſum, ideſt, ius vtendi re illa ſalua ſemper ſubſtãtia eius, non autem ius fruendi. Quapropter (inquit) poteſt præciſe, ſibi accipere quod habuerit opus ad neceſſitatem ſuam, non autem alicui dare, donare, diuendere, aut alienare, &c. cum non habeat in ea vſumfructum, quod eſt ius vtendi & fruendi, adeoque ſtricte hac de re loquitur Sylueſter vt dicat, quod neque eleemoſynam Religioſus poteſt dare, ſed de hoc latius dicemus infra. Ad propoſitum autem redeundo, dicit prædictus Nauarro quod Prælatus & Capitulum ſimul, non poſſunt facere copiam alicui religioſo, ſiue licentiam, & facultatem illi præſtare, vt expendat denarios ſiue pecunias, in ludos, luxus, & his ſimila, & addit quod quantauis licentia ſibi detur, nõ excuſatur ſubditus à peccato mortali, vtẽdo prædicta licentia, ſi ſit in notabili quantitate. Sed ratione probatur noſtra concluſio. Nam Prælatus & etiam Capitulum ſimul, non poſſunt facere copiam alicui ſubdito, aut illi licentiam ſiue facultatem concedere, niſi vt in vita donet aut diſponat de aliqua re, in eos vſus & eo modo, in quos & quo modo ijdem Prælati idipſum poſſent facere, ſed neque Prælatus nec Capitulum ſimul expendere poſſunt quæ ſunt communitatis, in prophanos malos & vanos, & quos voluerit vſus, & re vera Prælatus, qui talia faceret, eſſet vere proprietarius & teneretur ea reſtituere, nõ alia ratione, niſi quia contra Regulam, bonis ſui Monaſterij abutitur: ergo ſimiliter ſubditus, non obſtãte prædicta licentia, peccabit mortaliter eritque proprietarius atque reſtitutioni obnoxius, ſi ſuum peculium, quod eſt & computatur inter alia bona Monaſterij propria, expendat ſiue conuertat, in quos voluerit, malos, vanos, & prophanos vſus. Vnde fit, vt non poſſit Prælatus neq; Capitulum ſimul, concedere aut facultatem dare alicui Religioſo, vt expendat aliqua bona, quæ directe aut ſaltim indirecte, non vergant in commodum & vtilitatem ſuam, ſiue ſui Monaſterij, aut in gratam aliquam remunerationem, ſeu aliquod pium opus, de quibus plura ſtatim dicemus in ſubſequentibus articulis.

Nota hoc valde, pro religioſis, qualiter ſe habere debeãt, in expendẽdis ſuis eleemoſynis, ſiue peculijs.

Nota quod prælati, non poſſunt facultatẽ facere ſubditis, vt aliquid expendant in eos vſus in quos & ipſi non poſſent idipſum tuta conſciẽtia facere.

ARTICVLVS X.

Quem habeant vſum Religioſi in rebus, quibus vtuntur, & an vſusfacti poſsit à dominio ſeparari?

Hanc quæſtionem atque difficultatem, luculenter tractat Soto, lib. 4. de iuſti. & iure, quæſt. 1. artic. 2. & Nauarro in comment. 1. de regul. *ſuper cap. cui portio, num. 12.* & vt quæ dicenda ſunt, plenius intelligantur, dico quod quæſtio fuit olim celebris & famoſa, inter Doctores Iuriſperitos nimium agitata, an in rebus vſu conſumptibilibus, poſſit vſus à dominio diſtingui & ſeparari, ſed antequam vlterius progrediamur, quæſtionis terminos explicemus oportet. Res vſu non conſumptibiles eſſe dicuntur, quarum vſus non eſt conſumptio vt prædia, domus, &c. at vſu conſumptibiles vocantur illæ, quarum vſus nihil eſt aliud, quam ipſarum conſumptio, ſiue diſtractio, veluti pecunia, cuius eſt vſus illam in alienum dominium transferre, & multo magis panis & vinum, ac cætera eius generis, cuius etiam vſus eſt ea comedere aut bibere. Et certe de his, quæ vnico actu conſumuntur, vt panis & vinum grauior eſt difficultas: etenim veſtis

Quæ res dicãtur vſu conſumptibiles, quæ vero nõ

veſtis licet vſu atteratur, tamen quia non vnico actu conſumitur, poteſt vtcumque eius vſus, à dominio ſecerni & ſeparari, at in alijs non videtur ſic. Et in quibus potiſſimum eſt dubium & maior difficultas, eſt in nobis Minoribus Fratribus, profitentibus Regulam & inſtitutum ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, qui per profeſſionem noſtram, vt plane conſtat, omnem à nobis proprietatem atq; dominium omnium rerum exuimus, & abdicauimus, adeò vt nedum pecuniæ, verum neq; panis, aut vini, ſiue eduliorum etiam quibus veſcimur, dominio fungamur, neque aliquod quidem ius habere ſuper eiſdem prætendamus, ſed ſolummodo nudum vſum, & non iuris ſed facti tantum, quod quibuſdam ſit intellectu difficile, quin & impoſſibile apparet. Et non ſolum inter Doctores Theologos & Iuriſperitos controuerſa & agitata eſt huiuſmodi quæſtio & difficultas, verum etiam inter ipſos olim ſummos Romanos Pontifices, à quibus circa hoc, ſunt prolatę varię & diuerſę (vtne dicam contrariæ ſententiæ.) Extat enim conſtitutio Nicolai III. *in capit. exijt qui ſeminat, de verborum ſignificatione lib. 6.* vbi declarando noſtram ſacram Fratrum Minorum Regulam, Gregor. IX. aliorum que Summorum Pontif. explicationem, & declarationem approbat, multiſque rationibus confirmat, & aſſerit nos Minores Fratres, nullum habere proprium neque dominium, neque in communi neque in particulari, rerum quibus vtimur, vtẽ ſilium, nec etiã victualium, ſed dũtaxat vſum ſimplicẽ, non iuris quidẽ ſed facti, meroſq; eſſe vſuarios, dominium autem pecuniæ ſemper apud ipſos dantes, ſeu eleemoſynas erogantes remanere, cibariorum vero & aliarum rerum vtenſilium, apud Romanum Pontif. Quam ſententiam confirmauit poſtmodum Clemens V. in Concilio Viennenſi, & habetur *in Clementin. exiui de Paradiſo, eodem titulo de verborum ſignificatione.*

Variæ & diuerſæ ſententiæ, circa rerũ vſum, an poſsit à dominio ſeparari.

Prima ſententia.

Secunda ſententia.

Sed contrariam ſententiam, mordicus tenuit ſuo tempore Ioan XXII. vt habetur in ſuis etiam Conſt. extrauag. *ad conditorum, &. Cum inter nonnullos, &. Quia quorumdam,* poſitis in eodem titulo, vbi multis probare contendit, quod in rebus vſu conſumptibilibus quam maxime, vſus haud quaquã poteſt à dominio ſeparari. Ijs igitur breuiter ſic præmiſſis vt clare & aperte conſtet, quid tenendum ſit, ſequentes ſtatuuntur concluſiones.

Prima Concluſio.

Religioſi in rebus quibus vtuntur, habent ſolũmodo vſum, nõ quidem iuris ſed facti, & nullo modo proprietatẽ, ſiue dominiũ

REligioſi in rebus quibus vtuntur, ſolummodo habent vſum, non quidem iuris, ſed facti, & nullo modo dominium. Hæc concluſio, quidquid ſit de alijs Ordinibus & Religionibus, habet quã maxime verum, in noſtro ſacro Fratrum Minorum Ordine, idemque eſſet dicendum de alijs Ordinibus Mendicantibus, ſi in ſua primæua & antiqua inſtitutione permanſiſſent, omniumque rerum proprietatem, atque dominium à ſe abdicaſſent, non ſolum in particulari verum etiam in communi. Sed de nobis Minoribus Fratribus, ſpecialiter tenuerunt, quin vero & determinauerunt illam expreſſe olim, Nicolaus III. & Clemens V. Pontif. Maxim. in ſuis Conſtitutionibus extrauag. & Decretis ſupradictis, & eandem etiam tenet Soto loco ſupracitato, vbi & doctiſſime explicat, diſtinctionem, quæ verſatur inter ſimplicem vſum, & ius vtẽdi, quod iuriſperiti explicant, per vſum iuris, & vſum facti, de cuius etiam ſententia, & reſolutione, ſecundam ſtatuo concluſionem.

Secunda Concluſio.

Certiſsimum eſt quod vſus facti, quẽ Minores Fratres in rebus habent, à proprietate et dominio poteſt ſeparari, et de facto ſeparatur.

VSus facti quem ſolummodo Minores Fratres, in rebus quibus vtuntur habent, à proprietate & dominio, omni procul dubio ſeparari poteſt, & de facto ſeparatur. Pro huius concluſionis intelligentia, præmitto ex eodem Soto, quod ad verum dominium, non ſufficit vt liceat alicui rem aliquam cõſumere, ſed vlterius requiritur, quod habeat ius & facultatem expendendi ipſam, in quem voluerit vſum, vt patuit ex ſupradicto art. 1. in ibidem allata diffinitione dominij. Et certum eſt, quod nos Minores Fratres, hoc nullatenus poſſumus habere, nec ſeorſum ſiue in particulari, nec vero ſimul iuncti, & cum tota communitate. Nam dominium pecuniarum, quæ pro ſuſtentatione noſtra, nobis interdum erogantur (vt iam ſupradictum eſt) remanet vel penes ipſos dantes & eleemoſynas donantes (qui pro libito tãquam veri domini, poſſunt illas à nobis amouere, ſibique iterum reſeruare) vel aliàs penes Summum Pontificẽ (ſi ſunt pecuniæ quæ pro aliquo debito labore fuerunt elargitæ) qui etiam poteſt à nobis prolibito, ea quæ poſſidemus amouere, cum ſibi placuerit, quia nos nihil omnino habemus in prædictis rebus, niſi tantummodo vſum, non quidem iuris, ſed ſolummodo facti. Vt autem intelligatur & percipi poſſit, qualiter vſus facti à dominio, atque etiam ab vſu iuris ſeparetur, optimeque poſſit ſeparari, aduertendum eſt, vt probe notat Nauar. comment. 1. de regul. *ſuper capit. cui portio, numer.* 13. quod vſus ſimplex facti, non eſt ius neq; vllomodo tale promeretur nomen, ſed ſolummodo ſimplex quidam vſus, quem habet ſeruus, in eo quod veſtit, iuxta *l. ſed veſtimentum. ff. de peculijs,* ſimiliter & conuiua in edulijs ab inuitante appoſitis, & Frater Minor, in his quæ comedit & veſtit, iuxta ſupradictas *extrauag. ſiue capitula, exijt. §. porro, & §. ad hæc, de verborum ſignificatione, & Clementin. exiui, eodem titulo.* Sicut igitur inuitatus ab aliquo, non habet ius ſuper cibos ſibi appoſitos, ſed tantummodo ſimplicem vſum ſibi permiſſum de licentia & facultate inuitantis, & ſeruus ſimiliter, in rebus quibus vtitur de licentia & voluntate ſui domini, & conſtitutus in extrema neceſſitate, non etiam habet ius ſuper cibos, quibus veſcitur; ſic & in propoſito, dicit noſtra concluſio, quod nos Minores Fratres, in rebus ad vitam neceſſarijs quibus vtimur, nihil omnino habemus, niſi ſolummodo, ſimplicem vſum, non iuris ſed facti, & hic à dominio poteſt ſeparari & de facto ſeparatur. Quod & dicendum videtur generaliter, de omnibus in vniuerſum Religionibus, non ſolum Mendicantibus (ſi in ſua primæua inſtitutione perſeueraſſent) verum etiam & non Mendicantibus, ſed habentibus in bona communi, reſpectu Fratrum ipſorum in particulari. Qui quidẽ dicendi modus, non diſplicet, quin vero, quam maxime placet Nauar. & ipſum tenet approbat & ſequi-

Nota hoc val de ex Nauar. circa ſimplicẽ rerũ vſum quem habemus nos Minores Fratres

& ſequitur loco ſupracitato, videatur ibidem. Et de prædictis omnibus, videatur Corduba, ſuper Regulam noſtram cap. 6. quæſt. 1. per totam.

ARTICVLVS XI.

Quænam ſint de eſſentia paupertatis Euangelicæ, & ad quid obligetur quilibet Religioſus, ex vi voti ſuæ paupertatis?

Quidnam ſit paupertas in communi?

PRo huius articuli intelligentia, omiſſis quam pluribus alijs paupertatis ſignificationibus & etymologijs, libuit præmittere ex Varrone libr. 4. de lingua Latin. quod paupertas (vt nomen ipſum ſonat) nihil eſt aliud quam parua quædam ſubſtantia ſiue pecunia, exiguum patrimonium ac penuria rerum & modica facultas, quam ſub alijs verbis quidam diffiniunt, per hoc quod eſt habere carentiam rerum temporalium. Quæ quidem carentia, vt plane conſtat, eſt duplex, alia exterior alia vero interior. Exteriorem carentiam, ſiue paupertatem voco, illam quam vt plurimum patiuntur ſeculares pauperes, qui communiter vagantur per mundum, fere omnino nihil habentes, diſcalceati ac nudi incedentes, ſiue ipſam recipiant voluntarie ſiue vero non, ſed inuoluntarie, & quia non poſſunt amplius facere. Nam de hoc in præſentiarũ nihil curatur. Nec dicere libet, ſit ne ipſa bona, an vero mala? Qua de re qui plura videre voluerit, conſulat Diuum Thomam 2. 2. quæſtion. 186. artic. 3. ad 4. & Nauar. *in cap. cui portio, comment. 1. de regul. num. 17.* Non enim poſſumus omnia dicere. Alia eſt paupertas ſiue carentia rerum temporalium interior, quod tunc fit, quando quiſpiam caret, nõ ſolum exterioribus rebus, verum etiam & voluntate habendi ipſas, ſiue ſint pecuniæ ſeu quidpiam aliud temporale tanquam proprium, qui quidem pauperes iuxta Euangelium, beatificantur, & dicuntur pauperes ſpiritu. Quod & de facto contingit, quando quis ſpretis omnibus mundi rebus & bonis ſuis temporalibus, propter Deum voluntarie paupertatem aſſumit, nihil omnino habens, ſed neque habere volens in terra, præter illud quod nullatenus poteſt excuſari, vt vel ſic rebus omnibus ſpoliatus, nudus Chriſtum nudum ſequatur, ſeu melius poſſit ſequi & imitari. Hæc eſt paupertas Euangelica, Religioſorum omnium propria, & de qua in præſentiarum quæritur, quænam ſint de ipſius ratione & eſſentia, & ad quid obligentur religioſi ex vi voti ſuæ paupertatis? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Matth. 5.

Concluſio.

Omnes in vniuerſum religioſi, ex vi voti ſuæ paupertatis, obligantur ad nõ habendũ pro priũ, nec vel le habere ipſum in hoc mũdo propter Chriſtũ.

OMnes in vniuerſum religioſi, ex vi voti ſuæ paupertatis, obligantur ad non quærendum aliquid quod ſit ſibi proprium, neque vtendum aliqua re totius mundi tanquam propria, ſiquidé propter Chriſtum voluntarie, omnibus quæ poſſidebant aut poſſidere poterant renuntiauerunt, vt vel ſic eiuſdem Chriſti fierent diſcipuli, rebuſque omnibus exuti, nudi ſequerentur atque imitarentur Chriſtum nudum. Hæc concluſio ex prædictis ſatis eſt comperta & manifeſta. Iuxta quam dico, quod eſſentia paupertatis Euangelicę, quam omnes in vniuerſum profitentur religioſi, ſtat & conſiſtit in hoc, quod ipſi renuntient & voluntarie à ſe abdicent, omne ius dominium, & proprietatem quarumcumque temporalium rerum in particulari, contenti ſolo ſimplici vſu eorum, quę opus habent, non quidem iuris ſed facti, licet propter particulares fines, ex Summorum Pontificum licentia & permiſſione, multæ in Eccleſia Religiones habeant habereque poſſint, ſtabilia & immobilia bona & proprium in communi. Hæc concluſio ſic explicata & intellecta, habetur expreſſa, *in c. cui portio, 12. q. 1.* quod deſumptũ eſt ex Beato Ambr. *ex lib. de fuga ſæculi, cap. 12.* cuius ſunt hæc quæ ſequuntur expreſſa verba. *Cui portio Deus eſt, nihil curare habet niſi Deũ, ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atque huic noſtro officio diſcerpitur. Hæc enim eſt vera ſacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum & quædã alienatio chariſſimorũ, vt ſuis ſe abneget, qui Deo ſeruire elegerit.* Quæ verba non minus docte, quã luculenter, explicat Nauarro, commentario primo de regularibus ſuper dictum *cap. cui portio*, vbi & ad hoc propoſitum paupertatis Euangelicæ, dicit plura eaque notatu digniſſima, & in commentario ſecundo ſuper *cap. non dicatis, 12. quæſt. 1.* vbi videre illa poterit qui voluerit, neque enim omnia in tam breui compendio dici poſſunt. Videatur etiam hac de re Corduba ſuper noſtram regulam cap. 6. quæſt. 1. per totam.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Prælatus, expendere poſsit bona ſui Monaſterij, in quos voluerit vſus?

IAm dictum eſt pluries in præcedentibus articulis, religioſos omnes nihil habere poſſe proprium, & quod rerum omnium, quibus vtuntur, proprietas atque dominium, remanet primo apud Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ius vero ſupremum & generale eadem adminiſtrandi, penes Papam & Eccleſiam vniuerſalem, particulare vero, penes illos Ordines & Monaſteria, quorum ſunt, (ſi ſunt capacia iuris adminiſtrandi (alioquin ſpeciale etiam remanet apud Papam, & ſola detentio ſiue vſus facti, apud illos Ordines, Religiones, ſiue Monaſteria, quibus adquireretur ius particulare adminiſtrandi, ſi illius eſſent capacia. Hoc præmiſſo atque præſuppoſito tanquam certo, vero & indubitabili, ſupereſt nunc inueſtigare, quã poteſtatem ſeu adminiſtrationem habeant prædicti religioſi, ſuper Monaſteriorum ſuorum bonis, non ſolum particulares Fratres, verum etiam ipſi præpoſiti atque Prælati? Pro quo viſum eſt in præſentiarum aduertere, quod Monaſteriorum bona communia, quæ haberi dicuntur in communi, ſiue

Qualiter ſit intelligendũ, quod bona aliqua poſſideantur à Monaſterio ſiue Conuentu, in communi.

ue communiter poſſideri, non ita dicuntur communia, vt ſint cõmunia ſingulorum, ad hunc ſenſum, quod eorum ſinguli, de eis facere valeant quod voluerint, neque ita vt ſinguli Fratres Cõuentus ſeu Domus, ſint quaſi domini aliquotarũ partium, ad modum quo fundus communis pluribus, vel æqualiter relictus pluribus hæredibus ſeu emptoribus, ex æquo pretium conferentibus, dicitur eſſe eiſdẽ cõmunis, taliter quod quilibet poteſt eo vti, aut inter ipſos diuiſus, certa pars ſit diuiſa & determinata eorum cuilibet. Non ſic (in quam) Monaſteriorum bona ſunt communia, ſed dicuntur communia vt vniuerſis, diſpenſanda vero per illos, qui poteſtatem habent de eiuſmodi bonis diſponendi, in commodum & vtilitatem eorundem Fratrum, & totius Conuentus, ſiue Cõmunitatis, quales ſunt Prælati & Præpoſiti, & qui cumque alij Superiores, quocumque nomine nuncupentur. De his igitur in præſentiarum quæritur, an poſſint expẽdere Monaſterij bona, in quos voluerint vſus. Cui difficultati reſpondetur per ſequentes concluſiones.

Concluſio.

Prælati ſuorum Conuentuũ, ſiue Monaſteriorũ bona, non poſſunt ad libitũ & in quos voluerint vſus expẽdere.

QVamuis Prælatus ſit, apud quem præcipue viget & reſidet cura, & adminiſtratio bonorum Conuentus, tam ſpiritualium quam temporalium, non tamen poteſt ipſa ad libitum, in quos voluerit vſus expendere. Hæc concluſio, quoad primam ipſius partem, habetur expreſſa *in cap. nullam 18. quæſt. 2. & cap. edoceri, de reſcript.* Sed quoad ſecundam eius partem, nempe quod non poſſit Prælatus, in quos voluerit vſus, bona Monaſterij expendere, probatur euidentiſſime: nam vt habetur *in cap. fraternitatem, de donationibus & in capit. ſi priuatim, 12. quæſt. 1. & cap. ſine exceptione quæſt. 2.* & ſæpe alibi, rerum Eccleſiaſticarum Prælatus eſt procurator & adminiſtrator, non vero dominus: ergo non poteſt Monaſterij bona, in proprios ſiue in quos voluerit vſus expendere, ſed tenetur illa diſtribuere, in illos vſus, in quos deſtinata ſunt, quod ſi non faciat, ſed in profanos, vanos atque inutiles vſus diſpenſet, non eſt dubium quin peccet mortaliter, prout recte probat Nauarro, in dicto *cap. nullam 18. quæſt. 2. num. 6.* Per hoc autem nõ tollitur, quod vbi inoleuerit conſuetudo, Prælatus poſſit aliqua donare ſiue dare atq; eleemoſynas facere, prout tradit ipſe Nauar. *in cap. non dicatis, num. 11.* quamuis vt ipſe inquit, multorum Ordinum peculiaribus ſtatutis cautum ſit, ne Prælati poſſint diſponere de Monaſteriorum bonis, vltra certam quantitatem, abſque conſilio & conſenſu, certi numeri religioſorum, quos quidam Conſiliarios, alij Diſcretos, alij vero Aſſiſtentes vocant.

Rerum Eccleſiaſticarũ Prælatus eſt adminiſtrator, non vero dominus.

Secunda Concluſio.

Adminiſtratores bonorũ Monaſteriorũ, nõ poſſũt ea expẽdere, contra volũtatem Superiorum.

PRocuratores ſeu Oeconomi, & omnes alij miniſtri, qui Monaſteriorum bona, de licẽtia Prælatorum Superiorum, regunt & adminiſtrant, ſi contra ipſorum voluntatem, in alios vſus quam deputata ſunt ea expendant, peccant mortaliter, & ſunt in ſtatu damnationis, nec debent aut poſſunt abſolui à confeſſarijs, donec reſipiſcant & reſtituant id ſi facere poſſunt. Hæc concluſio eſt magis euidens, quam præterita, & eam tenet expreſſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 32. artic. 8. vbi inquit, quod Monachi ſiue religioſi, neque eleemoſynam poſſunt facere, niſi de licentia ſuorum Prælatorum, qua de re videatur *gloſſa in clement. 2. §. ſed & talis, de vita & honeſtate clericorum.* Sed ratione probatur cõcluſio: nã ſi vt ſupradictum eſt, etiam ipſi Prælati, expendere nõ poſſunt bona Monaſterij, in quos voluerint vſus, ſed in Conuentus commodum atque vtilitatem, & in vſus à iure vel conſuetudine præfixos & deſtinatos: multo ergo minus idipſum poſſunt facere ſubditi, vtcumque ſint Oeconomi, procuratores & bonorum Monaſterij diſpenſationem & adminiſtrationem habeant. Qua ratione in Concilio Tridentino *ſeſſio. 25. de regul. cap. 2.* dicitur, *quod adminiſtratio bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorundem pertineat, qui ad nutum Superiorum ſint amouibiles.* Quod nimirum dixit Concilium, vt intelligant ipſi, non ſe eſſe veros dominos, aut liberam & abſolutam habere adminiſtrationem, ſed dependentem à voluntate Superiorum, & vt expendant Monaſteriorum bona, in vſus neceſſarios tantum. Et additur. *Quod ſi id non fecerint, vt dilapidatores, ad Superiorum nutum amoneantur.*

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Monachus ſiue Religioſus, habens peculium de licentia ſui Prælati, eleemoſynas poſſit elargiri, ſeu aliquid donare, vendere aut diſtrahere?

Prima Concluſio.

Religioſus ſine aſſenſu, et licẽtia ſui Superioris, non poteſt quidquam expendere, etiam in pios vſus, & eleemoſynas.

NVllus regularis ſiue religioſus, carens officio impendendi ſeu expendendi & adminiſtrandi aliqua bona, poteſt quidquam expendere, etiam in eleemoſynam & in pias aliquas cauſas, ſine aſſenſu & licentia ſui Superioris & Prælati, tacita ſiue expreſſa. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. quæſtio. 32. artic. 8. in ſolutione ad 1. vbi ponuntur hæc ſequẽtia notabilia verba. *Regularis ſi habet diſpenſationem à Prælato commiſſam, poteſt elecmoſynam facere de rebus Monaſterij, prout eſt ſibi commiſſum, ſi vero non habet diſpenſationem, quia nihil habet proprium, non poteſt facere eleemoſynam, ſine licentia Abbatis, vel expreſſe habita, aut probabiliter præſumpta.* Hæc D. Tho. vbi ſupra, ad quod facit, *cap. non dicatis, & ibi gloſſa 12. quæſt. 1. & clement. 2. §. ſed & tales, de vita & honeſtate clericorum.* Quæ omnia adeo vera ſunt, vt neque etiam religioſus, de licentia Prælati habens peculium, etiam iuſte ſibi commiſſum ſiue adminiſtrationem, poſſit impendere elemoſynas, aut facere de illo aut circa illud, ſine licentia Prælati, niſi ea quæ recta ratio peculij adminiſtrandi requirit. Quod & hac ratione probatur: nam omnes huiuſmodi, reſpectu bonorum Monaſterij ſunt vſuarij,

Nota ex D. Thom. pro facultate Religioſorum, ad faciendas eleemoſynas.

non

BIBLIOTECA PROVINCIA

non vero vſufructuarij. Quo fit vt in rebus, quibus vtuntur (vt ſupradiximus) ſolum habeāt nudum vſum, nec poſſint de rebus ſibi conceſſis, aliter diſponere, quam fuerit ſibi permiſſum, de conſenſu & licentia Prælati. Ad quod facit quam maxime exemplum, quod adducit Soto libr. 4. de iuſtitia & iure. quæſt. 1. art. 1. in 2. concluſione, de inuitato ab aliquo, ad edendum ſiue comedendum. Nam ſicuti quando quis amicos ſuos conuiuio excipit, non facit eos dominos eſculentorum aut poculentorum, quibus menſa ſtruitur, nec facit illos eorum adminiſtratores & diſpenſatores, aut facultatem illis tribuit ſurripiendi illa, aut dandi de eis eleemoſynam, multoque minus, vt in proprias domos importent, ſed tantummodo vt ſedentes veſcantur illis: ita & eodem modo Monaſteria & qui ius illa adminiſtrandi habent, ſuos quotidie inuitant religioſos & facultatem illis faciunt, edendi, bibendi, veſtiendi, & vtendi eorum bonis, non autem diſpenſandi, aut in alios vſus expendendi, etiam in eleemoſynam ſeu in alias pias cauſas, ſine licentia expreſſa, aut ſaltim tacita ſiue præſumpta Prælati. Qua de re videatur Nauarro in iam ſæpe allegato, *capit. non dicatis, num.* 8. vbi ad hoc propoſitum dicit plura notatu dignißima, ab hac generali regula ſolummodo excipiens tres caſus, ſub quibus (inquit) quod intelligi poterunt omnes conſimiles. Primus caſus eſt, ſi pater ſit extremè indigens, iuxta gloſſam. *in cap. non dicatis 12. quæſt. 1. & in clemen. 2. de vita & honeſtate clericorum.* Quod etiam tenet Diuus Thomas loco ſupracitato. Secundus caſus eſt, quando Monachus ſiue Religioſus, cum debita ſui Prælati licentia, degit extra Monaſterium ſtudiorum cauſa, aut aliquâ alia honeſta, vt ſi peregrinatur vel facit iter, tunc enim de ſuo viatico, & ex his quæ ſibi ſunt in propriam ſuſtentationem tradita & aſſignata, poteſt proculdubio eleemoſynam facere, & tantam quantitatem dare, quantam alij ſeculares ſuę qualitatis & conditionis dare ſolent. Hoc tenet etiam expreſſe Sylueſter *verbo eleemoſyna quæſt.* 5. Et ratio eius in promptu eſt: nam pietas & licentia ſe ſuſtentandi, ad id etiam videtur ſe extendere, de licentia tacita ſiue præſumpta Prælati. Tertius caſus eſt, in caſu quo Religioſus habet adminiſtrationem alicuius Villæ, Domus ſiue Eccleſiæ, cum alijs ad ipſam pertinentibus, hac lege & pacto, vt quotānis certam aliquā penſionem ſoluat, & cætera vſui ſuo cedant. Hic enim ſoluta penſione, de reliquo poterit diſponere in eleemoſynas & alia pia opera, eo modo quo poſſet ipſe Prælatus, qui talem ſibi adminiſtrationem conceſſit, abſque aliquo proprietatis vitio, quia id expreſſe vel tacite, videtur contineri in tali conceſſione, de quo etiam non eſt dubium.

Nota hoc val de ex Magiſtro Soto, pro vſu quē Religioſi habēt in ijs rebus, quibus vtuntur.

Nota in quibuscaſibus religioſus poſſet eleemoſynam facere.

Secunda Concluſio.

Religioſus ea quæ poſsidet diſtrahere nō poteſt, aut in alios vſus cō mutare, ſine ſui Superioris licētia, expreſſa, aut tacita ſiue interpretatiua.

REligioſus non poteſt ea quæ poſſidet de licentia Prælati, diſtrahere aut in alios vſus, quam per ipſum Prælatum fuerit ſibi commiſſum commutare, ſine ipſius licentia expreſſa ſiue tacita & intepretatiua. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, & ſub qua comprehenduntur omnia ſuperius poſita in titulo huius articuli, quæ ampliorem atque longiorem requirebāt diſputationem, ſed cum id non liceat per tempus, & propter breuitatem, cui tantopere ſtudemus, libuit ea in præſentiarum generali atque vniuerſali comprehendere ſermone. Et ſic dico, quod religioſus ſiue Regularis, abſque expreſſa ſeu tacita vel interpretatiua licentia ſui Prælati & Superioris, nihil omnino, quod ſit notabilis quantitatis, ex his quę ſibi deputata ſunt ad proprios vſus, neque intra Monaſterium, neque extra Monaſterium poteſt donare, vendere ſiue diſtrahere. Nam hæc omnia ad proprietatem pertinent, & ſunt actus veri domini & proprietarij, & contrarium facientes peccant mortaliter, contra votum ſtrictæ ſuæ paupertatis. Hanc concluſionem tenet & probat ampliſſime Diuus Antoninus de Florentia 4. part. tit. 16. §. 1. & Sylueſter *verbo Religio. 6. quæſt. 7. in 2. dicto*, & Nauarro *in capit. non dicatis, num.* 8. & deinceps. Cuius concluſionis ea generalis aſſignatur ratio: nam omnia illa Religioſis ſunt iure prohibita per multa capitula & vt dictum eſt pluries, pertinent ad proprietatem, & ſunt actus verorum dominorum & proprietariorum, ac proinde expreſſiſſime contra votum ſtrictæ paupertatis. Sed quænam licentia ſit neceſſaria & ſufficiat ad dandum, donandum, vendendum, vel diſtrahendum aliquam rem, & ad faciendum aliqua ex prædictis, quæ ſine ipſa non licerent, abſque eo quod merito Religioſus in ſuſpicionem incidat proprietarij, maiorem & longiorem requirit diſputationem, de quo in ſequenti articulo.

ARTICVLVS XIIII.

Quænam Superioris ſiue Prælati licentia, ſit neceſſaria & ſufficiat, ad hoc vt Regularis ſiue Religioſus, poſſit dare, donare, vendere, aut rem aliquam in proprium ſibi vſum deſtinatam diſtrahere?

Nota quænā Prælati licentia dicatur tacita, ſeu expreſſa generalis vel particularis, ad dā dum, donandum, &c.

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod Prælati licentia, ad dandum ſiue donandum, vendendum aut rem aliquam in proprios vſus alicui Religioſo deſtinatam diſtrahendam, eſſe poteſt expreſſa aut tacita, generalis vel particularis, ſeu ſpecialis. Expreſſa eſt illa, quæ expreſſe, verbo ſeu voce tenus, aut in ſcriptis conceditur. Tacita vero, quæ non habetur expreſſe, præſumitur tamen quod ſi à Prælato peteretur, ſubdito fuiſſet conceſſa, quam alio vocabulo D. Thomas 2. 2. quæſt. 32. artic. 8. in ſolutione ad 1. vocat probabiliter præſumptam, alij vero interpretatiuam. Generalis (vt nomen ipſum ſonat) eſt quæ generaliter atque vniuerſaliter tribuitur, ſpecialis verò ſeu particularis eſt, quæ conceditur in particulari. Hoc ſuppoſito, quæritur modo, quænam iſtarum ſit neceſſaria & ſufficiat ad dandum, vel donandum &cætera, expreſſa an tacita, generalis an ſpecialis, iuſta de cauſa data, an vero etiam iniuſta,

iusta, & concessa absque legitima causa? Quibus omnibus rebus per ordinem respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Licentia Prælati ad dandū vel donandū etc. non necessario requiritur quod sit specialis & expressa, sed sufficit quod sit generalis et tacita, vel interpretatiua.

AD hoc vt religiosus quispiam, possit dare, donare, vendere, seu rem aliquam in suum proprium vsum destinatam distrahere (saltim quoad forum conscientiæ) non est simpliciter necessariū, quod licentia sit expressa & specialis, sed sufficit quod sit tacita & generalis. Hæc conclusio est supradicti Nauarro super *cap. non dicatis, num.* 20. & Diui Thomæ loco supracitato, quamuis ibi specialiter loquatur de eleemosynis, sed eadem est etiam ratio de alijs, cum de similibus simile sit iudiciū, nec sit ratio specialis, cū supradicta omnia æqualiter prohibeantur in iure. Sed probatur conclusio: nam iuxta *l. eum qui. ff. de reb. credi. & capit. 2. de rescriptis*, regulariter loquendo, *eadem est ratio taciti & expressi*, idquod latissime probat ibi glossa, auctoritate Iurisperitorum, *in l. expresse. ff. de regulis iuris*, non ergo est necessarium, quod licentia sit expressa & specialis, sed sufficit tacita & generalis. Sed est notandum, quod talis licentia, quamuis non requiratur quod sit specialis & expressa, requiritur tamen quod sit iusta, & de hoc sit secūda conclusio.

Taciti et expressi, quoad conscientiæ forum, idem est iudicium.

Secunda Conclusio.

Prælati licentia ad dādum donandum, etc. requitur quod sit iusta

PRælati licentia, ad dandum donandum, &c. requiritur quod sit iusta de causa data atque concessa. Hæc conclusio est etiam Nauarri, vbi supra, vbi & dicit, quod si esset vi aut metu extorta, vel dolo aut præmisso aliquo mēdacio cōcederetur, nullatenus subditum excusaret apud Deum, quod probat & colligit *ex capit. Abbas, cum gloss. de his quæ vi, vel metus, & ex l. 1. ff. de dolo.* Et addit, quod etiā si sponte Prælatus ipsam concedat, si sit sine iusta causa, non excusat subditum eundem à peccato, quod probat per *capit. requiritis §. nisi rigor, & capit. exigunt 1. quæst. 7.* quod est valde notandum ac memoriæ commendandum.

Nota valde.

Quænam dicatur iusta causa, dandi prædictam licentiam.

Sed maior difficultas est, an regularis habens proprium, seu faciens aliquid quod proprietatem redoleat, de licentia iniusta sui Prælati, supposito quod peccet, committat peccatum proprietatis, de quo in sequenti articulo, inferius à nobis est dicendum. Modo autem aduertere libet, de mente eiusdem Nauarri loco supracitato, quod non potest recte assignari, quænam sit iusta & legitima causa, concedendi huiusmodi licentias. imo verò id relinquitur arbitrio boni & prudentis viri, quibus relinquuntur determinanda, quæ in iure non sunt determinata & expressa, iuxta *l. 1. ff. de inr. de lib. & capit. de causis de officio delegati.* Ad quod faciēdum, considerandæ sunt multa, nempe persona, locus, tempus, & finis, in quem licentia conceditur, quantitas etiam rei concessæ, & id generis alia. Insuper autem considerandæ est, necessitas & vtilitas, & rursus an sit priuata vel publica, quibus perspectis atque consideratis, licentia est concedenda vel neganda, semper aduertendo & notando, quod Prælatus neque Capitulum, non possunt facere copiam, alicui regulari siue Religioso sibi subdito, vt in vita donet seu disponat aliquid de Monasterij rebus, aut etiam de rebus sui proprij peculij, in proprios vsus destinati, nisi in eos vsus & eo modo, in quos & quomodo, idipsum ijdem posset facere, iuxta præfixam iuris regulam *lib. 6. de regu. iuris*, vbi habetur, *quod illud potest quispiam facere per alium, quod potest per seipsum & non amplius.* Vnde non possunt Prælati, licētiam dare alicui Religioso, & facultatem illi facere, vt dispendat bona Monasterij aut etiam bona proprij peculij, nisi in cōmodum & vtilitatem eiusdem Monasterij, seu alterius, aut in eleemosynam siue remunerationē, aut aliqua alia iusta de causa, semper habito respectu ad supradicta, quæ sunt quammaxime considerandæ atque memoriæ commendandæ.

Prælati non dare possunt, licentiam subdito, vt expēdat aliqua bona in illos vsus, in quos non posset ipse ea expendere.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm Religiosus dans, donans, seu vendens aut distrahens, rem aliquā aut habens multa superflua, de licentia iniusta Prælati, committat peccatum proprietatis, seu incidat in pœnas proprietarij?

Nota pro rātione dubitandi.

PRima facie videtur quod sic. Primo quia iste talis, ex communi omnium resolutione peccat mortaliter, cum ergo cōmittat aliquod peccatum, & non appareat quale illud esse possit, nisi proprietaris: ergo illud committit. Et confirmatur, nam Religiosum peccare seu committere peccatum proprietatis, nihil est aliud quam peccare contra votū paupertatis, sed iste in proposito casu, peccat contra votum paupertatis: ergo intentum. Consequentia cum maiori est legitima: minorem probo, quia vtitur rebus quæ possidet, sine iusta atque legitima causa & vt videtur sine licentia Prælati: nam licētia iniusta, non est licentia neque excusat, cum sit dispensatio contra votum paupertatis, quæ dispēsatio facta etiam à Papa, sine iusta causa non excusat, iuxta *cap. non est, cum gloss. de voto, et cap. quanto de iureiurando*: ergo intentum. His tamen non obstantibus, ad propositam difficultatem, Respondetur sub distinctione, per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Religiosus habēs perflua habēs de licentia iniusta Prælati quamuis vtetur peccet nō tamen est proprietarius, nec in pœnam incidit proprietarij.

REligiosus habens multa superflua, de licentia iniusta Prælati, si paratus est omnia ea resigna re in manibus eius, statim ac fuerit ab eo requisitus, licet vterque peccet mortaliter (ex suo genere) tā subditus vtendo, quā Prælatus concedendo huiusmodi licentiam, nō tamen est proprietarius neq; committit peccatum proprietatis. Hæc conclusio est expressa Syluestri *verbo Religio. 6. q. 7. in 4. dicto*, & ponit eam de mente Archidiaconi. Eandem sententiam tenet Nauarro *in capit. non dicatis, num.* 21. quamuis nō vsquequaq; firmiter, sed dubie loquatur, distinctione faciens inter hoc, quod est esse proprietarium & incidere in pœnam proprietarij. Sed quidquid de hoc sit, dicit tamen esse gra-

ſe grauiſſimorum Doctorum ſententiam, quos ibi dem ipſe citat, quod huiuſmodi Regularis ſiue Religioſus, de licentia iniuſta Prælati habens proprium, quamuis ex ſuo genere mortaliter pecc. cet, nõ tamen committit peccatum proprietatis.

Secunda Concluſio.

Religioſus ſeu Regularis quidat, et donat de licẽtia iniuſta Prælati, licet ſub iudice ſit an peccatum proprietatis cõmittat, certiſsimum eſt, quod non in pœnas incidit proprietarij.

QVi Religioſus ſiue Regularis, dat, donat, vendit, aut diſtrahit rem aliquam, de licentia iniuſta Prælati, licet ſub iudice lis ſit, an peccatum proprietatis committat, certiſſimum eſt tamen, quod non in pœnas proprietariorum incidit. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauarr. iuxta quem dico, certum quidem eſſe in omni via, quod mortaliter peccet eiuſmodi Religioſus: eſt tamen differentia, & opinionum diuerſitas, an illud peccatum ſit proprietatis necne, & an licentia iniuſta ſufficiat, ad excuſandum illũ à peccato proprietatis, ſiue proprietarij. Quamuis autem hoc ita ſit, omnes tamẽ Doctores conueniũt vnanimiter in hoc, quod ille talis non incidit in pœnas proprietarij, poſitas *in cap. ſuper eo, & in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum.* Et ratio eſt: nam huiuſmodi pœnæ, vt inferius dicemus, non imponuntur contra omnem proprietarium, & committentem peccatum proprietatis, ſed contra illos ſolummodo, qui clam & ſine ſcientia & licentia Prælatorum (ſaltim iniuſta) abutũtur Monaſterij bonis, ſeu alijs ſibi permiſſis atque conceſſis, etiam quantum ad vſum, vel ea ſibi retinent & appropriant. Et dicit Sylueſter, vbi ſupra, de mente Archidiaconi, quod Prælatus, qui non facit quantum poteſt ſine magno ſcandalo, vt viuatur in communi & non in particulari, peccat mortaliter, & non eſt in ſtatu tuto. Quod probat argumẽto deducto, *ex capit, error* 83. *diſtinct.* vbi habentur ſequentia expreſſa verba val de notanda. *Error, cui non reſiſtitur approbatur & veritas cum minime defenſatur opprimitur. Negligere quippe, cum poſsis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere. Neque caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſiſtit obuiare.* Hæc ibi. Ad quod etiam faciunt, *capit. quid enim, & cap. conſentire*, poſitis in eadem diſtinctione. Et addit Syluest. quod ſubditi dictæ communitati, reſiſtentes ei, non quia non poſſent ſufficienter viuere, ſed quia volunt abundare, & de ſuis ſuo modo facere, eſſe etiam videntur in malo ſtatu, cum ſæculariter viuant dum deberent viuere religioſe, & velint in eo ſtatu perſeuerare, quod prohibetur expreſſe, *in cap. Relatum, de regularibus.* Hæc Syluester ex Archidiacono, vbi ſupra. Quæ nimium oportebit memoriæ commendare.

Notanda val de pro Prælatis, non reſiſtentibus ſubditorum ſuorũ ſuperfluitati, nec facientibus eos viuere in cõmuni, ſeu cõformari communitati.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm retinere ſeu acquirere aliquid, ſine licentia expreſſa ſiue præſumpta Prælati, ſit peccatum mortale?

Prima Concluſio.

Religioſus ad quirens ſiue recipiens, aliquod notabile, ſine Superioris licẽtia, tacita ſiue expreſſa, aut cum animo illud occultandi, peccat mortaliter.

VI Religioſus ſiue regularis, acquirit, recipit ſeu retinet aliquid notabile, ſine Superioris licẽtia, tacita ſiue expreſſa, aut cum animo illud occultandi, peccat mortaliter. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri, *ſuper cap. non dicatis, num.* 14. & colligitur expreſſe, ex *dicto cap. non dicatis*, 12. *quæſt.* 1. *& ex capit. monachi, & cap. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum*, vbi dicitur, quod ſi Religioſis fuerit aliquid ſpecialiter deſtinatum, non præſumant illud accipere aut retinere, ſine licentia Abbatis. Idem decernitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de regu. capit.* 2. Eſt autem prædicta concluſio, cum ſale intelligenda, & cum aliquibus limitationibus, quarum ſit prima, vt illud quod acquiritur, recipitur aut retinetur, ſit aliquid notabile: nam ſi fuerit res nihili, aut parui cuiuſdam valoris & momenti, non erit peccatum mortale, imò forſan nec veniale, vt ſtatim dicemus in articulo ſequenti. Secunda limitatio eſt, vt illud quod acquiritur recipitur, aut retinetur, ſit cum animo occultandi Prælato: nam ſi non ſit cum animo occultandi, imò verò paratus eſt ea ſtatim in manus illius reſignare, non etiam erit peccatum mortale, dummodo per conſtitutiones alicuius Religionis, per obedientiam non ſit prohibita talis acquiſitio, receptio aut retentio, neq; occultentur huiuſmodi res Prælato, cum exegerit illa, aut fecerit cellarum aut cubiculorũ ſcrutinium ſiue Viſitam. Tertia conditio neceſſaria eſt ad hoc vt non ſit peccatum mortale, vt compertum atque exploratum habeat ſubditus, quod Prælatus in ea re conſentiret, & concederet licentiam, ſi ab eo peteretur expreſſa, quamuis diſpliceat ſibi modus habendi eam clandeſtine. Pro quo ſit ſecunda Concluſio.

le, ſine Superioris licẽtia tacita vel expreſſa, illudque retinens peccat mortaliter.

Secunda Concluſio.

Quidnã requiratur, ad hoc vt intelligat ſubditus, licẽtiam ſe habere Prælati, tacitam ſeu interpretatiuã ad aliquid agendum.

AD hoc vt aliquis regularis ſiue Religioſus, præſumere poſſit, ad aliquid ſe habere Prælati licẽtiam, tacitam ſiue interpretatiuam, non eſt neceſſarium vt intelligat, quod Prælatus nõ ægre feret, aut non ſibi diſplicebit quod facit, ſed ſat eſt vt intelligat, quod ſi petiiſſet licentiam expreſſe, illam ſibi concederet. Hæc concluſio ponitur contra Gerſonem, in Alphabeto 34. vbi dicit, quod tunc dicitur ſubditus facere aliquid, ſine licentia Prælati, quando probabiliter credit, quod ſi Prælatus ſciret illum id facere, ægre ferret. Non eſt hæc regula generalis, neque vndequaque vera & certa. Nam poteſt contingere optimeque ſtare, vt diſplicentia Prælati, non tam proueniat ex re accepta, expenſa aut retenta, quam ex modo eam accipiendi expendendi, aut retinendi clandeſtine. Vnde ad hoc propoſitum eſt multum notandum, quod dicit Caietanus in ſumma, *verbo furtum* & 2. 2. quæſt. 66. art. 5. nempe quod dupliciter poteſt cõtingere, vt aliqua res ſurripiatur ab aliquo inuito domino (loquitur enim de furto) vel quantum ad rem ipſam quæ accipitur, vel ſolum quantum ad modum: quia ſcilicet diſplicet domino, quod taliter ſeu tali modo accipiatur, multæ (inquit Caietanus) acceptiones, ob modeſtiam filiorum atque Monachorum, excuſari poſſunt à peccato mortali, accipiendo res aliquas inconſultis ſuis maioribus ſiue Prælatis, modo illa accipiant ipſis inconſultis & inuitis, præ verecundia aut aliquo alio reſpectu, & diſplicentia ipſorum, non ſit tam quoad rem acceptam, quam quoad modum accipiendi. Quam quidem Caietani doctrinam, ſequi-

Nota hoc val de pro ſubditis, in caſu quo præ verecundia, nō ex poſſunt licentiam à Prælatis, ad habendum aliquid.

ſequitur & confirmat Nauar. ſuper *c. non dicatis, n.* 20. & in Manuali cap. 17. n. 19. plura alia in id adducens exempla. Sed maxime pro hoc facit, *lex inter omnes. §. pene. ff. de furtis*, vbi habetur, *quod non committit furtū, qui clā capit alienū quod ſcit dominū placere*, ſecus eſſet ſi credidiſſet, quod deſpliceret quā uis licentiā petitā nō negaret, *arg. c. qui vas. §. veta re. ff. eodem.* Quæ applicādo ad noſtrū propoſitū dico, quod qui Religioſus ſiue regularis acquirit, recipit, aut retinet aliquid, clam & ſine expreſſa licentia ſui Prælati, non quia ſciret aut præſumeret, quod ſi illam ab eo petiſſet ipſam eidem denegaſſet, ſed præ verecundia aut iuſta alia de cauſa, quia nempe diſpliceret ſibi modus acquirendi, recipiendi, aut retinendi clandeſtine, non peccabit mortaliter, cum habeat licentiam præſumptam, ſi petiſſet illā alio modo, & intelligat quod diſplicentia Prælati, non tam eſt quantum ad rem acceptam, quam quantum ad modum recipiendi.

ARTICVLVS XVII.

Quænam quantitas ſit neceſſaria & ſufficiat ad hoc vt dando, donado, recipiendo, aut retinendo aliquid ſine licentia Prælati, cenſeri poſſit quod ſit peccatum mortale?

QVæſtio hæc grauiſſima atque difficillima eſt, & de qua vellem magis aliorum expectare ſententiam, quam propriam meam ſtatuere. Pendet enim huius grauiſſimæ & difficillimæ quæſtionis reſolutio, ex determinatione alterius, haud quidem minus difficilis, & quæ nimium agitatur inter Scholaſticos Doctores, dum agunt de materia furti, & determinare volunt, quænam quantitas ſit neceſſaria & ſufficiens, ad hoc vt furtum aliquod dici poſſit & debeat peccatum mortale. Qua quidem de re, eſt magna lis & controuerſia inter Doctores.

Difficultas. Quænā quantitas materiæ ſufficiat, ad hoc vt alicuius rei furtum ſit peccatū mortale? Diuerſæ hac de re Doctor. opiniones. Prima opinio

Quidam enim dicunt, quod furtum in quacumque quantitate, etiam modica & quantumcunq; minima, modo ex malitia & animo nocendi & ex cupiditate rei alienæ fiat, eſt peccatum mortale, ita quod nullum furtum ex ſola leuitate materię, ſed ſolummodo ex ſubreptione fieri poteſt veniale. Hanc ſententiam tenet Gabriel in 4. ſententiarum diſtinct. 15. q. 3. & eam dicit eſſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 66. artic. 6. in ſolutione ad 3. vbi ait, animū furandi & inferendi nocumētum proximo, etiam in rebus minimis eſſe poſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per cōſenſum. Hanc etiam ſententiam tenere videtur Sylueſt. *verbo, furtum quæſt.* 2. & Diuus Antoninus 3. part. §. 16. capit. 1. vbi dicit, agendo de Religioſis, quod ſubditus qui retinet vel recipit, paruam etiam quantitatem, quam non eſt paratus in manibus Prælati ſtatim reſignare ad requiſitionem ipſius, peccat mortaliter. Id quod etiam tenet Gerſon Alphabeto 34. vbi affirmat, quod Religioſus dans vel accipiēs, etiam cultellum aut filum aut acum ſine generali aut ſpeciali licentia Prælati, peccat mortaliter. Sed quidquid ſit de opinionibus, quod furtum etiam in materia leui & paruæ quantitatis, ſit aut eſſe poſſit peccatum mortale, probari videtur ex multis iuribus. Primo ex iure canonico, & ſententia Diui Hieronymi, quæ habetur *in capit. ſi. 14. quæſt. 6.* vbi dicitur, *quod furtum non ſolum in maioribus, verum etiam in minoribus iudicatur.* Id quod & confirmatur ex iure ciuili, *inſtituta, de rerum diuiſ. §. gallinarum*, vbi habetur, *quod de gallinæ furto datur actio.* Quod quidem nō fieret (vt dicunt ibi Doctores) niſi gallinę furtum, aut alterius cuiuſcunque rei etiam minimæ, eſſet peccatum mortale. Sed hæc ſententia, rigida nimis atq; rigoroſiſſima mihi videtur, quin vero & falſa (quod cum bona venia dixerim, & reuerentia tantorum Doctorum & Patrum) nam paruitas materiæ (vt tenet communis ſchola) in omni materia, excepto periurio excuſat à mortali. Vnde & cōtraria eſt aliorum ſententia, affirmantium & dicentium, quod ad hoc vt furtum ſit mortale, neceſſario materia debet eſſe grauis. In quo quidem conſtituendo cum alij loquantur abſolute, alij vero per reſpectum, & in ordine ad nocumentum inde proueniens, adeo inter ſe ſunt diuiſi, vt merito dicere poſſim, tot eſſe capita quod ſententiæ. Videatur hac de re D. Thom. 2. 2. quæſt. 66. artic. 6. & Soto lib. 5. de iuſtitia & iure, quæſt. 3. artic. 3. in ſolut. ad 3. argumentum, Nauarro in ſuo Manuali capit. 17. num. 21. Frater Petrus de Aragon lib. etiam ſuo, de iuſtitia & iure, quæſtio. 66. artic. 6 dubio 2. De quorum omnium reſolutione, quod melius videbitur atque probabilius, explicabitur per ſequentes concluſiones.

Probari cōtēditur, quod nullo habito reſpectu, ad grauitatē ſeu paruitatē materiæ, aliquid eſſe poſſit peccatū mortale.

Secunda opinio et ſententia.

Prima Concluſio.

CErtiſſimum eſt, quod in omni materia (excepto periurio) paruitas materiæ, excuſat à peccato, ſaltim mortali. Hæc concluſio eſt communis omnium Theologorum reſolutio, cum D. Thom. 1. 2. quæſtio. 88. artic. 5. & 6. & 2. 2 quæſtion. 89 art. 4. & quæſtio. 66. artic. 6. eſt etiam communis reſolutio iuriſperitorum ſuper *capit. vnum, diſt. nō. 25. & capit. etſi, de ſimonia, & leg. ſcio, de reſtituē ne in integrum*, vbi habetur, *quod de modicis non eſt multum curandum.* Idem dicitur *in capit. re vera, de conſe. diſtinct. 2. et in l. ſi oleum. §. vltimo. ff de dolo, et l. ſenatus ff. de legib.* vbi habetur, *quod parum et nihil in iure æquiparantur.* Per quæ omnia ſatis remanet probata, prædicta noſtra concluſio.

Paruitas materiæ, in omni materia excepto periurio, excuſat à mortali.

Secunda Concluſio.

REligioſum quempiam, dare, donare, recipere, aut retinere rem aliquam, ſimiliter & furtum, ad hoc vt ſit atque cenſeri debeat, peccatum mortale, debet eſſe de materia graui, arbitrio & iudicio probi & prudentis viri. Hæc concluſio eſt certa, ſed in conſtituenda & determinanda hac materia, eſt tota lis & controuerſia. Nauarro in repetitione, ſiue commentario *ſuper cap. fin. 14. quæſtio. 6. quod eſt de furto et rapina*, dicit quantitatem vnius argentei, eſſe notabilem quantitatem, ad hoc vt qui illam furatur, dicatur peccare mortaliter. Idem tenet Corduba in ſumma, de caſibus quæſt. 109. puncto 2. Couarr. lib. 1. variarum

Furtū adhoc vt ſit, et cenſeri debeat peccatum mortale, eſſe debet in materia graui.

riarum reſolutionum c.3. nu. 12. dicit ſurreptionē vnius gallinæ, eſſe furtum notabile & mortale, ſiquidem Iuſtinianus dat actionem furti, cōtra furē gallinam ſurripientem, vt ſupra diximus, *ex inſtituta, de rerum diuiſione. §. gallinarum.* F. Ildefonſus de Mendoça Auguſtin. in quodlibetis, quodlib. 8. ſalua meliori iudicio & ſub aliorum cenſura dicit, quod Religioſus pauper, qui inconſulto Prælato & ſine ipſius licentia, recipit, retinet, expendit & conſumit quantitatem duorum argenteorum, nō peccat mortaliter, etiam palam dicente ſibi Prælato, ne eos expendat aut conſumat. Et ratio ipſius eſt, quia quantumuis neget licentiam, & palam dicat ne id fiat, adhuc ſubditus in re tam paruæ quātitatis, & tam parui momenti, cenſetur operari cū licentia, ſi non expreſſa, rationabiliter tamen præſumpta. Nam licet Prælatus, vt præmiſſum eſt, expreſſe eam ſibi neget, non tamen rationabiliter, ſed prorſus irrationabiliter. Valde enim (inquit) durum atque irrationabile eſt, quod velit Prælatus habere Religioſum ſibi ſubditum, tanquam vile mancipium & ſeruum, cum longe aliter ſe res debeat habere. Quapropter dicit quod ſicuti mulier, ſi maritus nullo modo ſibi permitteret facere eleemoſynas, etiam paruas, non peccaret contra faciendo, & erogando aliquas in parua quantitate, cum maritus debeat rationabiliter vxori talē licentiam concedere, & ſi eam neget irrationabiliter negat, ac proinde nec curandum eſt de illius negatione ſiue nolitione, vt tenet communis Theologorum ſchola, agendo de eleemoſyna: ſic (inquit prædictus Mendoça) dicendum eſt, de Religioſo, qui recipit, retinet, expendit, aut conſumit duos argenteos, abſque licentia Prælati, & eo inconſulto, aut etiam negante illam.

Quænam quātitas diiudicari debeat, parua vel magna, ad hoc vt in qualibet materia peccatum ſit mortale, aut veniale?

Vera totius quæſt. & difficultatis reſolutio.

Hæc ſententia acuta & ſubtilis licet ſit, non tamen placet alijs, aſſerentibus quod Prælato negāte prædictam licentiam, nullo modo poteſt dici, ipſam irrationabiliter negare, cum pro Prælato ſit ſemper præſumendum & iudicandum. Etenim ſi ſubditorum iudicio, in hoc eſſet ſtandū, totus Eccleſiaſticus ordo confunderetur, & obedientia & paupertas ſimul perirent atque corruerent. Neq; argumētum (inquiunt) in contrarium adductum, de vxore quidquam facit: nam vxor non deuouit paupertatem, & licet ſit ſub poteſtate viri, non tamen vt ſerua vel ancilla, ſed vt ſocia data eſt homini à Deo, iuxta illud Geneſ. 3. vbi refertur idipſum cognouiſſe Adam, poſtquam dixit illi ſe excuſando. *Mulier quam dediſti mihi ſociam.* Cum enim nō oportuerit hominem eſſe ſolum, dedit illi Deus mulierem in adiutorium ſimile ſibi. Secus eſt autē de Religioſis, qui propter Deū omnia reliquerūt, & paupertatis votū emiſerūt, & proprias volūtates abnegauerūt, quibus nō eſt iniurioſum, quinimo valde glorioſum, eſſe quaſi ſeruos. Quinimò & in iure, ſeruis ſæpiſſime cōparantur & aſſimilātur, in expendendo & acquirēdo, iuxta mentē Innocentij *in cap. olim, el 2. de priuil.* Quā de re videatur Nauarro *ſuper cap. non dicatis, num. 4. & num. 30.*

Ego autem in hac tantorum Doctorum diuerſitate, quid ſentiam, quid vero dicam, prorſus ignoro. Ad ſuprapoſitam tamen concluſionem redeundo, reſolutiue vt præmiſſum eſt in concluſione dico, quod ad hoc vt Religioſus quiſpiam dando, donando, acquirendo, recipiendo, retinendo, ſiue expendendo rem aliquam, dicatur ſeu dici poſſit, cō miſiſſe aliquod peccatum proprietatis mortale, cum primis materia debet eſſe grauis, & non paruæ, ſed alicuius magnæ quantitatis & momenti, iuxta ſententias & opiniones ſupradictas, quæ loquuntur de furto mortali. Quod & affirmandum atque dicendum videtur ex eo amplius, quia in iure ſunt graues & magnæ pœnæ appoſitæ cōtra proprietarios, quæ non debent incurri, pro re aliqua leui & parua ſed magna. Quæ autem materia cenſeri atque exiſtimari debeat talis, cum nō poſſit recte determinari in particulari, pro temporū, locorum, Religionum, perſonarum & aliarum circunſtantiarum differentia, iudicio & arbitrio, boni & prudentis viri, diffiniendum atque determinandum relinquatur, iuxta id quod habetur in iure *in cap. de cauſis, de offici. delega. & in leg. 1. ff. de iure deliberandi.* Per quod difficultati præſentis articulus ſatis.

ARTICVLVS XVIII.

Quænam ſit Religioſorum proprietarium pœna?

Prima Concluſio.

Religioſus proprietarius, non debet in loco ſacro ſepeliri, ſed in ſterquilinio.

QVi Regularis ſiue Religioſus, habet ſeu habere vult, proprium ſtricto modo ſumptum, præter peccatum mortale quod committit, frangens paupertatis ſolemne votum, *iuxta c. vouentibus 17. q. 1.* niſi illud ante mortem renunciet, non debet in loco ſepeliri ſacro, ſed in ſterquilinio. Hæc concluſio habetur expreſſa *in c. Monachi, de ſtatu Monach.* vbi ponuntur ſequētia verba. *Qui Monachus peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ſibi pro iniūcta adminiſtratione permiſſum, à communione remoueatur Altaris, & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & digne non pœnituerit, neque oblatio pro eo fiat, neque inter Fratres accipiat ſepulturā, quod etiam de vniuerſis Religioſis præcipimus obſeruari.* Idem habetur *in c. cum ad Monaſterium, eod. tit.* vbi ponūtur ſequentia verba. *Prohibemus diſtricte, in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione diuini Iudicij, ne quis Monachorum, propriū aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis aliquid habeat proprij, totū incontinenti reſignet. Si vero poſt hoc, proprietatem aliquam fuerit deprehēſus habere, regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur vlterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas, apud quemquam inuenta fuerit in morte ipſa, cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium, in ſterquilinio ſubterretur, ſecūdum quod Beatus Gregorius narrat in Dialogis effeciſſe.* Hoc habetur lib. 4. Dialog. cap. 51. Et in *c. ſuper quodam eod. titul.* dicitur, quod huiuſmodi Religioſus proprietarius, ſi de facto ſepultus fuerit in ſacro, extrahendus eſt. Quod eſt intelligendum, ſi fieri poteſt abſque magno ſcandalo, quorum omnium rationem reddens, ſupradictorum capitulorum gloſſa dicit, hæc omnia pro eo eſſe, quia tales mortui ſunt in peccato mortali. Et addit, quod pro talibus Eccleſia ſancta non orat, quod probat, *ex capit. pro obeuntibus, & capit. non eſtimemus, 13. q. 2. & ex capit. pla-*

De proprietariorū pœna.

placuit, 23. q. 5. Idem tenet *gloss. in c. ex parte el. 2. d. vltim.* Sed aduertendum est (vt supra dixi) huiusmodi pœnam incurrere, omnem & solũ Religiosum proprietarium, qui clam sine scientia & licentia (saltem iniusta) Prælati, retinet aliquid, aut illud expendit vel sibi appropriat, etiã quoad vsum tantum, non autem illum, qui cum scientia Prælati, & de illius licentia (quamuis iniusta, & data absq; legitima & rationabili causa) aliquid retinet. Nã multo plus peccat ille, quam iste, & pœna posita contra illum, non extenditur ad istum, *arg. leg. præsos, ff. de pœnis, & c. sæpe, de pœn. d. 1.* Qua de re videatur Nau. *super c. non dicatis, n. 21.* vbi & tangit aliam quæstionẽ & difficultatẽ, an scilicet, consuetudo antiqua, in hoc valeat à peccato excusare, & dicit quod non. Quam diffinit & determinat amplius, in Commentario *super capit. nullam, 18. q. 2. num. 25.* Hæc omnia posita contra proprietarios, sunt de iure antiquo nõ reuocata, sed quin vero nuper innouata, per Conc. Trid. quod præter supradictas, aliam etiam imponit pœnam, priuationis voc actiuæ & passiuę. De qua fit secunda conclusio.

Nota valde contra Religiosos, proprietarios.

Secunda Conclusio.

QVi Religiosus siue Regularis, fuerit deprehẽsus aliquod habere proprium, per Conci. Trident. biennio actiuã & passiua voce priuatur, & acriter iuxta suæ Regulæ & Ordinis Constitutiones debet puniri. Hæc cõclusio habetur expressa, in supradicto Concil. Trident. *sess. 25. de reg. cap. 2. in fine.* In nostro autem sacro Minorum Ordine, & iuxta nostras generales Cõstitutiones, proprietatis peccatum est Prouincialibus Ministris reseruatum, & in cap. 6. de delinquentium correctione dicitur. Quod proprietariorum pœna, sit priuatio actuum legitimorum & sepulturæ Ecclesiasticæ, si quispiam inuentus fuerit proprietarius, cum ab hac luce recesserit. Et si reus non fuerit clericus, sed laicus, claditur vlterius in pœna proprietarij supradicta, caparonis induitio.

Proprietarij iuxta Conc. Trid. biennio voce actiua & passiua priuantur, alijsque Regularibus pœnis punitur.

QVAESTIO XXIX.

De Fratribus Laicis Conuersis, Oblatis, siue Donatis, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religionum Fratres Laici, sint vere & proprie Religiosi?

Nota differẽtiã quæ versatur, inter Religionum Fratres Laicos, & eorundem Conuersos, Oblatos siue Donatos

RRO huius articuli intelligentia est notandum, quod multi propter nominum ignorantiam siue imperitiã, nullam prorsus differentiam aut distinctionem faciunt, inter Religionũ Fratres Laicos & eorumdem Conuersos, Oblatos siue Donatos. Haud enim existimant, supradictos Fratres Laicos, vere & proprie esse Religiosos, sed dumtaxat vocãt illos Conuersos, Oblatos siue Donatos, & aiunt cadere ipsos, seu potius minuere, à vera & propria Religiosorũ ratione. Vnde & constituendo differentiam, inter Monachos veros Religiosos, & alios quocumque nomine nũcupentur, Laicos, Conuersos, Oblatos seu Donatos, in eo (inquiunt) essentialiter & substantialiter consistere, quod Monachi siue Religiosi dicuntur illi, qui post susceptum alicuius Religionis habitum, eiusdem solemniter profitentur Regulam per Sedem Apostolicam approbatam, vt inseruiãt choro. Laici vero, Conuersi, Oblati siue Donati, sunt illi qui licet eiusdem Religionis suscipiant habitum, profiteantur etiam Regulam, non tamẽ vt inseruiant choro, sed vt maneant extra chorũ, & occupentur in alijs ministerijs Conuentus siue Domus, neque credunt quod Fratres Laici sint vere Religiosi. Hoc refert Nauar. *lib. 3. consil. de regul. consil. 81. num. 16.* de mente Panorm. *in cap. non est, de regu. & in c. tuis, de testibus*, quem sequitur Decius *in cap. Ecclesiam, de const. nota 4. & Felin. cap. in præsentia de probat. num. 4.* Sed hæc Monachorum verorũ Religiosorum, & Laicorum, Cõuersorum siue Oblatorum, aut Donatorum differentia (quod cum eorum bona venia dixerim) haud quaquam placere potest. Etenim in Religionibus, licet Monachi Clerici à Laicis distinguãtur, penes hoc, quod est profiteri Regulam, ad hoc vt inseruiant choro, & profiteri eandem, non vt inseruiant choro, sed vt alijs ministerijs vacent, attamen eo non obstante, inter Religionũ Fratres Laicos, & prædictos Cõuersos, Oblatos siue Donatos, adhuc latissima est differẽtia. Nam Laici Fratres, vere & proprie sunt Religiosi, & eandem cum alijs profitentur Regulam Religionis illius, cuius sunt alũni & professores, licet cum prædicto addito, vt non inseruiant choro, sed vt occupẽtur in ministerijs conuẽtus siue Domus. At Cõuersi, Oblati siue Donati, non ita, quia non eandem profitentur aliorum Religiosorum Regulam, etiam cum prædicto addito & limitatione, sed aliam seu potius peculiarem aliam quendam viuendi modum, neq; sunt vere & proprie Religiosi, vt amplius in sequenti articulo dicemus. Hoc credo esse verum in cunctis Religionibus, sed ad minus id ita est, in sacro nostro Minorum Fratrum Ordine, & in Ordine Prædicatorũ, in quibus Religionibus Fratres Laici, vere & proprie sunt Religiosi, & eandem cum alijs profitentur Regulam. Quo præmisso notabili, propositæ difficultati respondeo, per sequentẽ conclusionẽ.

Conclusio.

REligionum Fratres Laici, qui aliorum Fratrum profitentur Regulam, & emittunt tria Reli-

Religionum Fratres Laici

el, qui aliorũ profitentur Regulam, vere et proprie sunt Religiosi.

gionis essentialia & substantialia vota, non secus ac alij, vere & proprie sunt Religiosi. Hæc conclusio est certa & manifesta, adeo vt nullo modo in controuersiam adduci debeat aut possit. Et probatur efficacissima ratione, à diffinitione ad diffinitum, prout dicunt Dialectici, etenim si Religiosi sunt & dicuntur illi, qui in Religionibus emittunt tria essentialia & substantialia vota, in manu Superioris siue Prælati, aut alterius suo nomine potentis Religioni incorporare, & secundum aliquam certam & determinatam Regulam, per Sedem Apostolicam approbatam, pro Regula certæ alicuius Religionis, & non solum pro bono aliquo viuendi modo, vt pluries dictum est, & tradunt omnes communiter & vnanimiter Doctores, Panormitan. *in capit. 1. de regu. et cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de const. Felin. et Decius ibidem, argument. deducto, ex capit. duo sunt, 12. quæst. 1. et ex cap. cum ad Monasterium de statu Monach.* & hæc omnia in prædictis Laicis reperiuntur, aut saltim in Religionibus in quibus id fit, quid obstat aut quid deficit, quominus sint ac dici debeant, vere & proprie Religiosi? Hac de re nulli esse potest dubium, neq; etiam quod ipsorum professio, efficiat omnes illos effectus, quos producit professio omnium aliorum Religiosorum, quantum ad hoc quod est teneri eos ad obseruantiam prædictorum vororum essentialium, & dirimere ea matrimonium post cõtractum, & gaudere posse priuilegio fori & canonis, *si quis suadente diabolo, 17. quæst. 4.* Neque negari vllo modo potest, quod ipsi quammaxime distinguantur, ab alijs Conuersis Oblatis siue Donatis communiter nuncupatis, vt amplius dicemus in sequenti articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Conuersi, Oblati & Donati, sint propriè & vere Religiosi?

Quisnam dicatur Oblatus, quis vero Cõuersus.

DE Conuersis, Oblatis siue Donatis, adeo obscure confuse atque indistincte loquuntur Doctores Iurisperiti, vt non facile sit quempiam eorũ mentem posse colligere, seu sententias & opiniones referre. Vnde pluribus alijs breuitatis gratia, omissis, dico breuiter cum Syluest. *verbo oblatus*, ex doctrina Panormitan. *in capit. non est de regu.* quod Oblatus est & dicitur ille, qui se & omnia sua bona, sponte obtulit Monasterio, habitu non mutato, at Conuersus, qui idipsum fecit, sed habitu mutato. Et addit Panormitan. quod iste talis in Religionibus dicitur Laicus, quia ad ordines non promouetur, nam Monachi promouentur, licet etiam olim Monachi non essent Clerici, neque ad sacros ordines promouerentur. Hæc dicit Panormitan. nullam constituendo differentiam, inter Conuersos Laicos, & Monachos Laicos, qui sicut erãt olim, sic etiam sunt multi hodie, qui vt dictum est in præcedenti articulo, sunt vere & proprie Religiosi sicut & cæteri alij, etiã si ad ordines sacros non promoueantur. Quapropter prætermissa prædicta Panormitani doctrina, nam de Laicis Fratribus, quid dicendum sit, iam satis constat ex dictis

Monachi olim ad sacros ordines non promouebantur.

in præcedenti articulo, de Conuersis, Oblatis siue Donatis, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

Cõuersi Oblati et Donati, nullatenus sunt, aut dici possunt, vere et proprie Religiosi.

CONuersi, Oblati siue Donati, nullatenus sunt aut dici possunt, vere & proprie Religiosi. Hæc conclusio apud omnes est certissima, & de ea specialiter videndus est Nauarro in consilio lib. 3. de regul. consil. 7. 12. & 81. vbi de prædictis agit, & dicit plura notatu dignissima. Sed inter alia, quod licet prædicti in aliquibus Religionibus, emittant tria Religionis substantialia vota, vt fieri dicitur in Ordine sancti Benedicti, adhuc (inquit) non sunt aut dici possunt, vere & proprie Religiosi, quia non profitentur aliorum Religiosorum Regulam, neque emittunt prædicta vota in Religione approbata. Nam quantum attinet ad eos, & ad ipsorum statum spectat, non censentur fieri in Religione pro Religione approbata, sed tantummodo pro bono modo viuendi, vt scilicet inseruiant alijs vere & proprie Religiosis. Quam suam sententiam, probat Nauarro per *capit. ex eo. §. 1. de electio. lib. 6. et capit. vt priuilegia. de priuileg. eodem libro*, & quia Iurisperiti Doctores asseueranter dicunt ibidem, Monachum & Oblatum Monasterio, longe differre, idemque est dicendum de Conuersis. Et addunt minus esse Oblatum, quam Cõuersum: nam hic (inquiunt) mutat habitum, ille vero non secundum Panormitan. *in dicto capit. vt priuilegia*, communiter receptum. Sed præterea, quod prædicti Conuersi, Oblati seu Donati, non sint Monachi, probat ex *gloss. in Clement. 1. de decimis*, & quia (inquit) communis est Doctorum regula, quod cõstitutio pœnalis, suspendens siue excommunicãs Monachos & Religiosos, non comprehendit præfatos Conuersos, Oblatos siue Donatos. Certum est etiam, ait, quod si de facto aliqui ex prædictis contraherent matrimonium, omni proculdubio valeret, vt tenet expresse prædicta *gloss. verbo, Oblatos, et gloss. in capit. vt lex continentia, 17. quæst. 1.* sequitur ergo, quod non sunt ipsi vere & proprie Religiosi. Neque prædictis (inquit) obstat, quod interdum (vt dicitur) emittant tria Religionis essentialia vota tamen hoc non sufficit, sed vlterius requiritur, vt emittant ea in Religione per Sedem Apostolicam pro Religione approbata, & non tãtum pro aliquo bono modo viuendi, qualiter fit à prædictis, cum non profiteantur aliorum Religiosorum Regulam, sed aliam lõge diuersam, & alius omnino sit suus modus profitẽdi, à modo quo profitẽtur cæteri alij Religiosi. Nam certum est, quod forma est, quæ dat esse rei, vt tradunt Dialectici, & habetur *a gloss. communiter recepta in cap. in ciuitate de vsuris*, vt igitur essent vere & proprie Religiosi, oportebat quod aliorum profiterentur Regulam, & quod ipsi dum profiterentur, intenderent se facere vere & proprie Religiosos, & nõ solum aliorum Religiosorum Seruos, Conuersos, Oblatos seu Donatos. Concludendo ergo dico, quod quocumq; nomine nuncupentur, nõ sunt vere & proprie Religiosi, quia actus agentium, non se extendunt vltra aut contra voluntatem ipsorum, vt habetur *in l. non omnes. ff. de rebus cred. & cap. fin. de præbend.* hęc quæ à me dicta sunt, intelligenda veniũt

Nota quod actus agentiũ non se extendunt vltra aut cõtra voluntatem ipsorum.

de

de iure communi, & de eo quod communiter tradunt Doctores Iuriſperiti. Si autē ex ſpeciali priuilegio alicubi contrariū habeatur non curo, neque id ad me ſpectat: nam de particularibus non eſt ſcientia, vnus quiſque in ſuo ſenſu abundet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædicti Conuerſi, Oblati & Donati, dici debeant & poſſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudeant priuilegio fori & canonis, ſi quis ſuadente diabolo?

NOlo nunc immorari aut tempus inſumere, in recenſendis Doctorum antiquorum & Iuriſperitorum opinionibus, atque ſententijs, differentijſque multiplicibus, quas ponunt prædictorum, Conuerſorū, Donatorum, ſiue Oblatorum, dicendo quod quidam ſunt Donati plene, alij non plene: quidam regulares, alij nō regulares, ſed ſeculares ſeu Eccleſiarum ſecularium, de quibus omnibus videndus eſt *Panormita. in cap. vt priuilegia, de priuil. lib. 6.* quin potius propius ad noſtrum accedendo propoſitum, cum Sylueſtro, *verbo Eccleſia 1. quæſt. 5.* ad explicandum quænam ſint perſonæ Eccleſiaſticę, dico de mente & doctrina Archid. quod priuilegium clericale eſt duplex, aliud perſonæ ſiue perſonale, aliud vero fori ſiue forale. Primum eſt, per quod clerici violenter percuti prohibentur, & ſi quis ſuadente diabolo id fecerit, ſententia excōmunicationis innodatur, *per cap. ſi quis ſuadente diabolo 17. quæſt. 4.* Secundum eſt, per quod clerici cōueniri non poſſunt ſub Iudice ſeculari, in cauſis ciuilibus ſiue criminalibus, *per c. de perſona, 6. quæſt. 1.* neque de ſuis bonis patrimonialibus, ſiue ſuarum Eccleſiarum aut locorum ſuorum, taliari debent, quin vero liberi ſunt ab oneribus Laicorum & à quibuſcumque impoſitionibus & gabellis, pedagijs & huiuſmodi præſtandis. Et inquit prædictus Archidiaconus, quod dicto priuilegio clericali, perſonali ſiue forali, vtuntur & fruuntur, frui & vti poſſunt, communiter & generaliter loquendo, omnes clerici & in ſacris conſtituti, ſimiliter & omnes Religioſi, quin vero & omnes Deo deuoti (ſub quo nomine intelliguntur Conuerſi) nullam proprietatem habentes. Quod probat de mente, & ſententia D. Hieron. in epiſt. ad quendam ſuum leuitā, de duobus generibus hominū, & habetur, *in cap. duo ſunt 12. quæſt. 1.* vbi ait, *duo eſſe tantum genera Chriſtianorum, vnum diuino officio & ſeruitio, orationi atque contēplationi dicatum, quod eſt prædictorum clericorum, aliud vero Laicorum.* Ex quibus verbis, cum ibi non aſſignetur neque conſtituatur, tertium Chriſtianorum genus, colligit Archidiaconus, quod omnes non comprehenſi, ſub genere Laicorum, comprehendūtur ſub genere Clericorum & Deo Deuotorum ſiue Conuerſorum, & quod omnes iſti dicuntur ac dici debent, perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent priuilegio prædicto fori & canonis. Hoc igitur præmiſſo, vt propoſitæ difficultati ſatisfiat, ſit prima concluſio.

Quotuplex ſit priuilegiū clericale.

Prima Concluſio.

LOquendo de Monaſteriorum Conuerſis, profeſſis & qui mutauerunt ſecularem habitum, certiſſimum eſt & omni dubio procul, quod ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent priuilegio clericali fori & canonis. Hæc concluſio eſt Sylueſtri vbi ſupra, agēdo de perſonis Eccleſiaſticis, & probat eam illatione facta, ex prædicto capitulo *duo ſunt.* Cum enim non ſint niſi tantum duo genera Chriſtianorum nempe Laicorum & Clericorum, ſi prædicti Conuerſi, haudquaquam dici poſſunt Laici, certiſſimum eſt, quod dici debent Clerici, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ. Sed præterea probatur idipſum, de mente Panorm. *in cap. 2. de foro compet.* vbi de his agens, inquit, quod quidam eripiuntur alieno actu, à iuriſdictione imperatorū: & hoc dupliciter, primo per ſuſceptionem ſacri ordinis, ſecundo per conuerſionem ad aliquam de Religionibus approbatis. Vbi & notandum venit, *conuerſionis nomen*, per quod ſuperque ſatis noſtrum colligitur intentum. Sed adhuc probatur expreſſius, *ex c. vt lex continentiæ, 27. q. 1.* vbi Conuerſi prędicti, inter Eccleſiaſticas perſonas connumerantur, id quod ſit *& in c. quiſquis, 17. q. 4. & ibi gloſſa, verbo Eccleſiaſticus.* Quibus omnibus in locis, fit ſermo de Conuerſis profeſſis, qui ſeculari habitu mutato, aſſumptoque alio Regulari (quamuis diſtincto ab habitu aliorum Religioſorum) alicui de Eccleſiæ Religionibus ſe deuouerunt, continentiæ ſaltim expreſſo emiſſo voto. De his igitur nulli dubium quod ſint perſonæ Eccleſiaſticę. Maior difficultas eſt de alijs Conuerſis, Oblatis ſiue Donatis, qui non aſſumpſerūt Regularem habitum, de quibus magna eſt lis & controuerſia inter Doctores. Quā quæſtionem tractat *Gloſſa in ſupradicto, c. non dubiū de ſent. excommun.* & concludendo dicit, quod cenſentur etiam eſſe perſonæ Eccleſiaſticæ, & habēt immunitatem Eccleſiaſticam. Sed nobis cum Hoſtienſi in prędicto capitulo, hac in re cū diſtinctione procedere viſum eſt. Pro quo ſit ſecūda cōclu.

Certiſſimum eſt quod monaſteriorū cōuerſi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent priuilegio fori & canonis.

Secunda Concluſio.

OBlati & Donati qui ſe ſuaque bona omnia, Religioni perpetuo tradiderunt, & incedūt cum aliqua differentia habitus, honeſte viuentes & diuinis obſequijs intendentes, procul dubio etiam dici debent perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent Eccleſiaſtica immunitate, maxime ſi obedientiæ, aut continentiæ votum emiſerunt. At illi Oblati & Donati, qui nulla facta mutatione habitus, in domibus ſuis manent, quamuis ad maioris meriti cumulum, ſe ſuaque omnia Deo dicauerint, nullo obedientiæ aut continentiæ emiſſo voto, non gaudēt prædicto priuilegio Clericali, nec proprie loquēdo, dicūtur perſonæ Eccleſiaſticæ. Hæc cōcluſio, quoad primā eius partem, eſt ſupradictæ *Gloſſæ in prædicto c. nō dubiū, de ſent. excom.* vbi inquit quod ex quo prædicti oblati & Donati, ſe ſuaq; omnia, diuino obſequio tradiderūt, ſiue hoc ſit in Eccleſia ſeculari ſiue regulari, iam cenſentur Eccleſiaſticæ perſonæ, & ex toto translati ſunt in forū Eccleſię, & habēt immunitatē Eccleſiaſticā. Ad quod probandū adducit *cap. quiſquis. 17. q. 4. et c. duo ſunt, 12. q. 1.* de quibus ſupra, vbi habetur, quod duo tā-

Quinam Donati & Oblati, dicantur perſonæ Eccleſiaſticæ, qui vero nō.

tum ſunt genera Chriſtianorum. Et ſubdit, quod quamuis quidam velint contrarium, benignius tamen eſt dicere, id quod dictum eſt, vt eorũ priuilegio gaudeant, quorũ vitã & religionem aſſumpſerũt, iuxta id quod habetur *in c. recolentes, de ſtatu monachorum.* Idem omnino tenet Syluester loco ſupra citato, quod probat ex ſupradictis iuribus, & *ex capit. vt lex continentiæ 27. q. 1.* & probari etiam poteſt, ex pluribus alijs capitulis. Nam licet *Canon ſi quis ſuadente Diabolo*, expreſſe ſolummodo diſponat, de Clerico & Monacho, alij tamen Canones, idipſum extendunt ad religionum Conuerſos & Oblatos, vt habetur *in capit. parrochi. capit. ex tenore, de ſententia excommunicationis*, qui quidẽ canones intelligendi ſunt, de Donatis & Oblatis, in ſenſu prædicto, in prima parte concluſionis, non vero de alijs, neque de Religionum Confratribus, vt dicit Hoſtienſis. Et iuxta hunc ſenſum, intelligenda eſſe dicit aliqua iura, quæ in hac materia videntur eſſe dubia aut contraria, *capit. vt lex continentiæ, & capit. 3. 27. quæſt. 1. §. de Confratribus, & capit. quidam de priuilegijs, & capit. diſplicet, 23. quæſt. 4.* & multa alia, quæ breuitatis cauſa omitto, cum dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſupradicti Conuerſi & Oblati ſiue Donati, matrimonium poſſint contrahere?

Prima Concluſio.

Cõuerſi Oblati, ſiue Donati qui expreſſe vel tacite, votum caſtitatis emiſerũt, nullomodo matrimoniũ poſſunt contrahere.

CONuerſi, Oblati ſiue Donati, qui expreſſe, vel tacite, votum caſtitatis emiſerunt, nullo modo matrimonium poſſunt contrahere. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, quam tenet expreſſe Couarru. *in capit. alma mater, 2. part. §. 2. num. 8.* & ratio eius in promptu eſt: nam continentiæ ſiue caſtitatis votum (etiam ſimplex) eſt vnum ex impedimentis matrimonij, impediens quidem, quamuis non dirimens. Quod eſt dicere, quod qui huiuſmodi ſimplicis voti vinculo fuerint aſtricti, prohibentur matrimonium contrahere, necvllo modo poſſunt vxorem ducere, abſque peccato mortali, tenet tamen matrimonium poſt contractum. Quo fit, vt præfati Conuerſi, Oblati atque Donati, qui caſtitatis, ſiue continentiæ votum emiſerunt, quamuis non poſſint contrahere, ſi tamen de facto contrahant, cum ipſorum votum non fuerit ſolemne ſed ſimplex (vt ſupponitur, & conſtat ex dictis in ſecundo articulo) matrimonium eorum tenebit, & valebit, erunt tamen condignis pœnis plectendi atque mulctandi, propter voti à ſe facti tranſgreſſionem.

Secunda Concluſio.

Si qui ſunt Cõuerſi Oblati atque Donati, qui continentiæ, ſiue caſtitatis votum non emiſerunt, expreſſe nec tacite, etiam ſi habitum ſeculare mutauerint, abſque peccato matrimonium poſſunt contrahere.

SI qui ſunt Conuerſi, Oblati atque Donati, qui continentiæ, ſiue caſtitatis votum non emiſerunt, expreſſe nec tacite, etiam ſi habitum ſeculare mutauerint, ac Regulari fuerint induti, abſque peccato matrimonium poſſunt contrahere. Hæc ſententia eſt eiuſdem Couar. loco ſupracitato, quam dicit etiam tenere Capellam Toloſanã, num. 333. & ait, quod non videtur ipſi, quid in hac Conuerſorum, Oblatorum ſiue Donatorum ſpecie, matrimonij vinculum impediat ſeu impedire poſſit, cum nullum votum emiſerint. Hoc itaque dicendum atque tenendum eſt, ſtando in rigore iuris, ſecus eſt autem, loquendo de decentia & congruentia, in quo ſenſu tantummodo interpretandi ſunt alij Doctores, qui videntur contrarium dicere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Cõuerſi, Oblati & Dõnati Religionum, ſiue Eccleſiarum ſecularium, petita licentia licet non obtenta, ad alium ſtrictiorem Ordinem poſſint tranſire?

HAC de re eſt ſingularis quædam opinio *Gloſſæ in capit. vt lex continentiã, 27. quæſt. 1.* de qua mominit Syluester *verbo oblatus*, & eam eſſe dicit opinionem ſingularem, & nimium notatu dignam, Panormitan. *in capit. non eſt, de regul. 3. notab.* Dicit ibi Gloſſa, quod huiuſmodi Conuerſi, Oblati atque Donati, non poſſunt tranſire ad alia Monaſteria, etiam cauſa arctioris Religionis, quamquam petant licentiam à ſuis Superioribus, quia nempe per talem oblationem, efficiuntur quaſi ſerui Monaſteriorum, & magis adſtringuntur Monaſterio, quam alij Monachi, quamcumque aliam profeſſionem emittant. Hanc ſententiam & opinionem, tenent etiam multi Doctores iuriſperiti eſtque inter ipſos magna lis & controuerſia, an ſit hoc intelligendum de omnibus in vniuerſum Conuerſis Oblatis ſiue Donatis, tam Eccleſijs regularibus, quam ſecularibus. De qua controuerſia videndus eſt Archidiaconus *in dicto cap. non eſt*, & Gregor. Lopez, *in l. 9. tit. 7. verbo, Religioſus.* Sed quidquid de hoc ſit, in contrarium ſtatuitur concluſio, quæ reſpondetur propoſito articulo.

Concluſio.

Prædicti Conuerſi, Oblati et Donati, cauſa ſtrictioris religionis petita licẽtia licet non obtenta, bene poſſũt ad alia tranſire monaſteria.

CErtiſſimum eſt, quod præfati Conuerſi, Oblati atque Donati, cauſa ſtrictioris Religionis, ſolummodo petita à ſuis Prælatis licentia, licet nõ obtenta, tranſire poſſunt ad alia Monaſteria. Hæc concluſio videtur manifeſta, per ea quæ continentur expreſſe, *in cap. licet quibuſdam, de regul.* & propter rationes ibidẽ adductas, dicitur enim, ibi *quod vbi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas, & quod qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, & quod lex non eſt poſita iuſto.* Per quæ omnia melius atque rationi multo conformius videtur dicere, quod huiuſmodi ſtrictioris Religionis & obſeruãtiæ cauſa, ad alia Monaſteria poſſint tranſire, petita licentia quamuis non obtenta. Neque hoc illis eſt vlla ratione denegandum, cum vniuerſaliter concedatur omnibus

bus religioſis, ne penes hoc ſint ipſi peioris aut deterioris conditionis quam alij. Nam quamuis huiuſmodi Conuerſi, Oblati, ſiue Donati per ſuã oblationem, & donationem in Monaſterijs, operi bus ſeruilibus deputentur, non tamen cenſendi ſunt quaſi ſerui, aut ita ſe donãt & offerunt, vt Monaſteriorum ſerui efficiantur, & denegetur eis, quod omnibus in vniuerſum conceditur, nempe quod anhelare & aſcendere poſſint, ad maiorem perfectionem. Tandem hæc concluſio, ſuſtinetur ab Archidiach. vbi ſupra, qui refert & adducit multos alios Doctores, tenentes prædictam ſuam opinionem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm huiuſmodi Conuerſi, Oblati & Donati, monaſteriorũ ſeu aliarũ Eccleſiarũ, debeant abſolui ab Epiſcopis, an vero à proprijs Prælatis? Concluſio.

Cõuerſi Oblati & Donati quarunc ũq; religionũ, ſiue Eccleſiarũ non ab Epiſcopis, ſed à proprijs Prælatis poſſunt, & debent abſolui.

COnuerſi, oblati & Donati, quarumcumque Religionum, ſiue Eccleſiarum, à Prælatis ipſorum poſſunt & debent abſolui, non vero ab Epiſcopis. Hæc concluſio probatur argumento deducto, *ex cap. cum illorum, & ex ca. Monachi de ſententia excõmunicationis.* Et probatur præterea ratione: nam eiuſmodi Conuerſi, Oblati, & Donati, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ac proinde gaudẽt priuilegijs ſuorum Ordinum, de quo eſt ſpecialis conceſſio Sixti quarti, pro fratribus Carmelitanis, quæ habetur in compendio priuilegiorum, *verbo Oblati Fratrum*, vbi dicitur, quod Sixtus IIII. *conceſsit, quod Oblati, & Oblatæ Ordinibus fratrum Carmelitarum, gaudeant priuilegijs & gratijs dicti Ordinis, ſicut gaudere poſsunt mulieres mantellatæ, & Pinzochoræ ſub dicto Ordine viuentes, quæ ſunt velut Tertiarij Ordinis Minorum, quibus conceſsum eſt, poſſe gaudere omnibus priuilegijs Fratrum.* Et idem Sixtus Quartus *ſimiliter conceſsit, Oblatis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, omnia & ſingula priuilegia & indulta, conceſſa Fratribus & Sororibus de pœnitentia, ac mantellatis, & Pinzochoris, ſub dicto Ordine degentibus, & decreuit in eis locum habere debere, perinde ac ſi pro eiſdem perſonis, vel circa illas emanaſsẽt.* Supradictis priuilegijs ratione cõmunicationis priuilegiorum, potiuntur & potiri poſſunt, omnes Conuerſi & Oblati, ſacri Ordinis Minorum, & aliorum quorumcumque, priuilegium habentium communicationis. Et quantum ad caſum præſentis articuli, de eorum abſolutione, eſt etiam alia conceſſio expreſſa, Eugenij Quarti quæ habetur in libro nuncupato Monumenta Ordinis, ſecundæ impreſſionis, folio. 64. conceſ. 86. quam hic non refero, quia ponenda eſt ſub extenſa forma, quando agemus de abſolutione Religioſorum in 2. tomo

QVAESTIO XXX.

De Religioſis profeſsis, quantum ad facultatem reclamandi, & allegandi fuiſſe nullas & irritas ſuas profeſsiones, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Intra quod tempus, religioſi poſsint reclamare & allegare ſe nulliter eſſe profeſſos? Concluſio.

Religioſi non niſi intra quinquenniũ poſt Cõc. Tr. poſſunt reclamare, aut allegare ſe nulliter eſſe profeſſos.

POST Concilium Tridentinũ, quinquennij tempus, præſtitutum eſt Religioſis, ad reclamandum & allegandum ſe nulliter eſſe profeſſos, quo elapſo, nullatenus admittuntur, ad allegandam quamcumque cauſam. Hæc concluſio habetur expreſſa, in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 19.* vbi ſequentia habentur verba. *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim et metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiã cum habitu diſcedere, ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum, à die profeſsionis, et tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, et Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, et tanquam apoſtata puniatur, interim vero nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur.* Hæc ſunt Concilij verba, quæ quia aliquali indigent explicatione. Et pro ipſorũ declaratione, dico primo, quod quando Concilium dicit, quod nulliter profeſſus ſeu idipſum prætendens, non poſsit admitti, neque admittatur, ad allegandam quamcumque cauſam, profeſſionem ſuam annullantem & irritantem, niſi id fecerit intra quinquennium, à die ſuæ profeſsionis, intelligendum hoc eſt, niſi ille talis, allegauerit aliquas legitimas cauſas, ob quas non potuit aut non ſibi fuit permiſſum, intra prędictum quinquennium reclamare. Etenim ſi illas adducat, & alleget, etiam poſt quinquen-

Qualiter intelligenda et declaranda ſunt Prædicta Concil. Tridẽtini verba.

nium venit admittendus, & non erit excludendus, vt expreſſe tenet, multiſque probat Nauarro, in Comment. 4. de reg. *ſuper cap. ſtatuimus, num. 71. cum ſequentibus*, ſed præſertim ſimilitudine adducta, de eo qui iuſto metu, Religionem aliquam eſt ingreſſus & profeſſus; qui etſi per plures annos in eadem ſteterit, quin vero & Ordines ſacros ſuſceperit de licentia Prælati, durante metu, non videtur profeſſionem ratificare, & ipſo ceſſante reclamare poteſt, per *cap. 1. de his, quæ vi, & cap. ad id, de ſponſ.* Videatur etiam Nauarro, *lib. 1. conſi. de his, quæ vi, conſi. 6. numero. 2.* Nec dictis obſtant verba, *quamcumque cauſam*, ibidem poſita, quibus ſignificari videtur, quod generaliter debet repelli, ab allegandis quibuſcumque cauſis, quæ litem poſſunt mouere: nam verba illa generalia, reſtringũtur per narrationem prius factam, & per illa verba, *quicumque regularis prætendat, ſe per vim & metum, ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile*: vnde de his tantummodo cauſis intelligitur Concilium, non vero de alijs, ob quas forſan quiſpiam intra quinquennium non potuit, aut nõ fuit ſibi permiſſum reclamare. Quapropter, eiuſmodi non obſtante quod elapſum ſit quinquennium, reclamare poterit, neque erit repellendus ſed audiendus, quod eſt valde notandum ac memorię commendandum. Secundo dico, quod etiam elapſo prædicto quinquẽnio per hoc decretũ, profeſſio quæ alias à principio fuit irrita & nulla, forſan ob metum, non fit aut fieri poteſt rata & valida, niſi voluntariè ratificetur, nam Deus, vt dicitur *in cap. ſi quid inueniſti, 14. q 5.* cor reſpicit & non manum, & qui nunquam voluit eſſe profeſſus, ſed ſemper renuit, nunquam erit talis. Neque ſummus Pontifex valet efficere, vt conſenſus coactus durante coactione ſit liber & ſpontaneus, qualis ad profeſſionem neceſſario requiritur, iuxta *cap. 1. de Regula.* Vnde, & præfati verba Concilij intelligenda ſunt, non quidem de foro interiori & conſcientiæ, ſed de exteriori. Et vult dicere Concilium, quod in foro exteriori, eiuſmodi pro profeſſo habeatur & ad Monaſterium redire cogatur, & quod aliàs tanquam apoſtata puniatur. Hæc in foro exteriori, nam in interiori & quoad Deum, reuera non erit profeſſus neque apoſtata, ſi nunquam conſenſum præſtitit, aut profeſſionem factam ob metum, voluntariè ratificauit, quod etiam eſt multum notandum, ac memoriæ commendandum. Prædicta omnia dicta ſunt, de mente & ſententia ſapientiſſimi Doctoris Nauar. *in dicto cap. ſtatuimus. de regul. n. 71. & 72.* vbi & dicit quod prædictum quinquennium, in profeſſione expreſſe facta, incipit à die quo quis illam emiſit; in tacita vero, à die quo fecerit actus ſolummodo profeſſis proprios, quibus inducitur, de quibus diximus ſupra & ſubdit. Quod ſi metus, vel impotentia reclamandi, pluſquam per quinquennium durauerit, poteſt qui profeſſionem emiſit, poſt ipſum ipſo iure reclamare, & per viam reſtitutionis exaudiri, nam tempus durante impedimento non currit, iuxta *l. 1. C. de ann. excep.* Neque etiam ſi ſuſcipiat Ordines ſacros, durante metu, vel iuſto impedimento reclamandi, ſufficit ad præſumendum quempiam, tacite eſſe profeſſum: tum quia nullo iure id cauetur: tum etiam quia ſuſceptio Ordinis, eſt res ſeparata à profeſſione; & à ſeparatis nõ fit illatio, iuxta *l. Papin. ff. de Minoribus*: ac tandem quia ſi actus profeſſi proprius, qualis eſt præſtatio ſuffragij in capitulo, aut etiam geſtatio habitus profeſſorum; ad id non ſufficeret, ad tollendam (inquam) facultatem reclamandi, cum tamen ſit propior profeſſioni, quam ſuſceptio Ordinum, multo ergo minus hoc erit ſufficiens. Tertiò pro intelligentia prædictorum verborum Concil. Trident. dico, quod reclamatio vt ibidẽ expreſſe dicitur, fieri debet corã Reclamantis Superiore & ordinario. Et eſt notãdũ q̃ponit in primo loco ſuperiorẽ, in ſecũdo vero ordinariũ: quo circa Reclamatio coram ſolo ordinario facta & ſententia hac ſuper re ab eo prolata, ſine prædicto ſuperiore, nulla eſt ac nullius prorſus valoris & momenti, neque ſic à Religionis iugo abſolutus ſecurus eſt in conſcientia, quin vero in certò dãnationis ſtatu, cuius ratio eſt, nã ſentẽtia data ab vno iudice, in caſu quo proferri deberet à duobus (qualis eſt caſus prædictus) omnino nulla eſt, per textum expreſſ. in *ca. cauſam matrimonij, de officio delegati*, in illis verbis, *cum cauſa duobus committitur, ſententia vnius non tenet.* Facit & *lex, duo ex tribus. ff. de reiudi.* Quod intelligendum eſſe credo niſi in caſu, quo prædictorum iudicum alter ſe excuſaret, aut vias ſuas alteri commiſiſſet, vt incidẽter aduertit gloſſa prædicti, cap. *cauſam matrimonij.* in ſummario, vbi inter alia id tradit pro generali Regula. Sed ſit caſus, quo ordinarius aliquis Religioſi, Superiore ſe excuſante, ſeu vices ſuas ipſi committente, ſententiam proferret, non quidẽ iuxta voluntatem & deſiderium Reclamantis, quin vero in contrarium, declarando profeſſionẽ ſuam fuiſſe validam: Quæro in iſto caſu, ad quem interponenda eſt appellatio, ad Papam an vero ad ordinarij Metropolitanum? Crediderim quod ad Papam, non vero ad Metropolitanum. Primo quia in cauſis, quæ à Concilio Trident. ſpecialiter ordinarijs committuntur, non vero iure communi, non eſt appellationis iudex, prædictus Metropolitanus. Secundò quia cũ dictus ordinarius, non per ſe ſolum, ſed cum Superiore prædicti religioſi proceſſerit, aut ſaltim ex eius commiſſione, ab eo non eſt appellandũ ad niſi Papã, nã eiuſmodi Metropolitanus nõ eſt prædicto Superiore Superior, neq; vero ordinarij in dicto caſu: & ſic appellatio ad Papam fieri debet, iuxta, *cap. ſi duo ex tribus, eodem titulo de officio delegati* in 6. vbi ex tribus Papæ delegatis, quorum duo ſubdelegarunt, alter vero ſubdelegare noluit appellatio iuſſa eſt deferri, non ad prædictos duos delegantes ſed ad Papam, quia eorum vnus non delegauit, quod eſt etiam valde notandum pro multis caſibus qui poſſunt occurrere.

(?)

Nota valde ex doctiſſimo D. Nauarro.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ille, cuius profeßio inualida fuit, ob defectum ætatis, vel quia ante annum probationis expletum fuit facta, aut ob aliquam ſimilem cauſam, poßit intra dictum quinquennium reclamare?

Concluſio.

Omnes ſupradicti, iure optimo intra quinquēniū reclamare poſſunt.

CErtiſſimum eſt, omnes in prędicta quęſtione poſitos, & ſi qui ſunt eis ſimiles quorum profeſſiones de iure nullitatem habent, intra quinquennium poſſe reclamare. Hæc concluſio ſatis conſtat, ex dictis in præcedenti articulo, & ex expreſſis verbis eiuſdem Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de reg. cap. 19.* vnde & magis indiget explicatione quam probatione. Et pro ipſius intelligentia, dico ex Nauarro, libro 3. conſiliorum, de reg. conſil. 89. nume. 1. & ex communi omnium reſolutione, quod profeſſio fit & poteſt fieri inualida multis modis. Et primo per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de regul. cap. 15.* in omni Religione tam virorum quam mulierum, profeſſio eſt ipſo iure nulla, ſi fiat ante 16. annum expletum, de quo diximus multa ſupra, quæſt. 24. articulo 2. agentes de ætate requiſita ad profeſſionem expreſſam, nec libet hic eadē, iterum referre, aut quod dicitur tranſcribere, videantur ibidem. Secundò per idem Concilium, eſt etiam ipſo iure nulla, profeſſio eius qui minori tempore quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, de qua etiam conditione, iam diximus ſupra, quæſt. 22. artic. 2. 3. & 4. cum ageremus de nouitijs, quantum attinet ad tempus ſuæ probationis ſeu approbationis. Vbi etiam dictum fuit quod huiuſmodi annus, debet eſſe continuus & non interpolatus, nam omne tempus à iure ſtatutum, in dubio cenſetur debere eſſe continuum, iuxta *l. 1. ff. de va. temp. præſcrip.* Tertiò profeſſio etiam metu facta, eſt ipſo iure nulla, *per cap. 1. de his, quæ vi, & cap. quod interrogaſti, 27. d.* ſicut & votum metu factum, eſt etiam ipſo iure nullum, iuxta omnium Doctorum opinionem, & gloſſam communiter receptam, *in cap. Abbas eodem titulo*, qua de re videndi ſunt DD. in materia de voto. Et quamuis quoad forum exterius; metum oporteat eſſe iuſtum, & talem qui etiam caderet in conſtantem virum, iuxta *l. metum. 1. & 2. ff. quod metus cauſa*, tamen quoad annullandā profeſſionem Religionis in foro conſcientiæ, & etiā quoad forum exterius, ſufficit metus etiam reuerentialis, minor timore iuſto, iuxta *gloſſam in cap. præſens, 20. q. 3.* vt docte & eleganter, probat prædictus Nauar. lib. 1. conſ. de his quæ vi, conſ. 5. numero. 2. & in Manuali, cap. 17. num. 29. & ſequentibus, & cap. 22. num. 50. aſſerendo dici timorem, minorem timore iuſto, illum ſine quo aliàs non fieret talis profeſſio. Quæ quidem doctrina eſt vera & tenenda, nam iuxta communem ſententiam, nullus actus metu factus ligat agentem, ſaltim quoad forū conſcientiæ. Videatur hac de re P. Emmanuel Rodericus. 3. tomo. Quæſtio. Regulariū. q. 17. art. 15.

Profeßio religionis multis modis poteſt fieri inualida in quibus omnibus licitum eſt intra quinquennium reclamare.

Ex dictis omnibus conſtat ſuperque ſatis, qualiter in omnibus ſupradictis caſibus, in concluſione poſitis, profeſſiones prædictæ expreſſæ factæ, nullitatem habent, ac proinde licitum eſſe, taliter profeſsis intra quinquennij tempus, à Concilio præſtituendum & aſſignatum reclamare, per quæ fit iatis propoſito articulo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ille, qui à principio fecit profeſſionem inualidam, propter aliquam ex ſupradictis cauſis, per delationem habitus profeſſorum per annū & vltra, cenſeatur tacite eſſe profeſſus, an vero poßit intra quinquennium reclamare, & etiam poſt quinquennium.

Concluſio

Profeßio quæ eſt ipſo iure nulla, ex qua cūq; delatione habitus, nō ratificatur niſi in propoſito caſu.

PRofeſſio quæ eſt ipſo iure nulla, non ratificatur, ex eo quod ſic profeſſus, permaneat per longum tempus, in Religione quam profeſſus eſt, ſed oportet vt ſciat ipſam fuiſſe nullam, & animo approbandi & ratificandi eam, in eadem Religione perſiſtat; quod ſi non fecerit, intra quinquēnium, imò verò & vltra quinquennium poterit reclamare, ſi alleget iuſtas & legitimas cauſas, ob quas non potuit ante idipſum facere. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. lib. 1. conſ. de his quæ vi, conſ. 9. & lib. 3. de reg. conſ. 34. num. 4. & conſ. 89. num. 3. & in comment. 4. de reg. ſuper *cap. ſtatuimus à num. 71. & deinceps* & in manuali, ca. 12. num. 71. quam & eſſe dicit Cardinalis Caietani. 2. 2. q. 189. ar. 5. & eam tenent multi alij grauiſſimi Doctores. Qui vnanimiter dicūt, quod geſtatio habitus, etiam diſtincti ab habitu nouitiorum, per annum & vltra, non inducit profeſſionem tacitam, niſi talis geſtatio fiat ante profeſſionem expreſſam. Quia ratio ob quam per geſtationē habitus annalem, præſumitur tacite profeſſionem fieri, eſt quia geſtans talem habitum, præſumitur habere animum profitendi, & velle expreſſe profiteri tempore debito, ſcilicet finito ſui nouitiatus anno: at qui geſtat habitum poſt factam profeſſionē expreſſam, non præſumitur habere animum profitendi in fine anni nouitiatus, ſiquidem ſuo videri iam expreſſe profeſſionem fecit, & geſtat habitum tanquam iam profeſſus, & non tanquam profeſſurus: ergo per talem geſtationem habitus, nulla inducitur tacita profeſſio, ac proinde ſi illa quæ expreſſe fuit facta, à principio fuit nulla, ſemper erit nulla, niſi voluntariè poſtea ratificetur, ſcien-

Nota hoc val de pro tempore, quo religioſi nulliter profeſsi poſſunt reclamare.

Nota elegātē doctrinā, & latiſsimū diſcrimē inter religioſos profeſſos, iam expreſſe licet inualide, & nō profeſſos, ad efficiendāprofeſsionem tacitam.

Profeſtio, quæ à principio fuit nulla ſcper eſt nulla niſi voluntarie ratificetur, ſciendo ipſam fuiſſe inualidam.

ſciendo ipſam fuiſſe inualidam, & aliter per geſtationem talis habitus, nulla inducitur profeſſio tacita. Idem dico de eodem, etiam ſi fecerit aliquem actum ſeu actus, ad profeſſos tãtum pertinẽtes, vt præbere ſuffragium in capitulo, ſuam ſententiam dicere, recipere ſacros Ordines, &c. nam (vt dixi) oportet, quod talis non prius ſit expreſſe profeſſus (ſicut dictum eſt de geſtatione habitus) & ſic intelligendum eſt, c. *vidua. 27. q. 1.* Nam ad hoc vt inducatur profeſsio tacita, oportet vt nouitius ſciens & prudens accipiat habitum profeſſorum, diſtinctum ab habitu nouitiorum, & ingerat ſe huiuſmodi actibus, & ſciat quod per exercitium talium actuũ, inducitur tacita profeſſio. Sed tamen ſi id fiat poſt profeſsionem inualidam expreſſam, vel quia ante legitimam ætatem, vel ante expletum probationis annum, vel ob metum fuit facta, non cenſetur tacite profiteri, quantumcumque in Religione, etiam per longũ tempus maneat, & geſtet habitum profeſſorum, diſtinctum ab habitu nouitiorum, aut faciat actũ ſeu actus, qui de iure aut conſuetudine, ſolum conueniunt profeſsis, quamdiu putat eſſe validã profeſsionem, quæ reuera ipſo iure fuit inualida, & manet in Monaſterio & geſtat habitum, & facit prædictos actus, ad ratificandam profeſsionẽ, quam putabat eſſe validam. Vt igitur omnia vnico verbo concludam, ſit hæc generalis Regula, quod omnis ignorans & errans, non cenſetur cõſentire, iuxta *l. ſi per errorem. ff. de iuriſd. omnium Iudicum.* & tunc ſolummodo quiſpiam tacite cenſetur cõſentire & profiteri, & reuera profitetur, quando ſciens profeſsionem fuiſſe nullam & inualidam, ob aliquam prædictarum cauſarum, ad ratificandam & approbandam eam, ſciens & prudens in religione perſiſtit, per integrum annum continuum, & non interpolatum, à tempore quo ſciuit illam eſſe nullam, cum animo & intentione eam ratificandi, & de nulla faciendi eam validam. Et ab eo tempore, incipiet eſſe vere profeſſus, & non aliter. Quod ſi noluerit facere, non ſolum intra prædictum quinquennium, imò verò & poſt quinquennium, legitimè poterit reclamare, vt quam doctiſsimè probat ſupra dictus Nauarro loco citato, *in cap. ſtatuimus, n. 71.* & deinceps, & lib. 1. conſilio de his quæ vi, conſi. 6. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Ignoras, eterrans, non cenſetur conſentire equidquid agat.

Nota hac valeae pro profeſſis reclamare volentibus, in quo caſu ſibi licet, aut non licet,

ARTICVLVS IIII.

Vtrum qui deſcendens ex genere Iudæorum, Sarracenorum, aut Hæreticorum, quorum corpora intra quartã generationẽ, fuerut cõcremata, & igni tradita, contra noſtra Cõſtitutiones, & contra expreſſum Motum Proprium Pauli Quarti, & aliorum Summorum Pontificum, in noſtro ſacro Minorum Ordine, fecit profeſsionem expreſſam, ſit nulliter profeſſus, & poſsit intra quinquennium reclamare.

HE hac difficultate & quæſtione, plura diximus ſupra quæſtione 19. articulo 7. vbi & ad longum appoſuimus Motum proprium Pauli Quarti, & Conſtitutiones aliorum ſummorum Pontificum, qui hac de re locuti ſunt, & in quæſtione & controuerſiam adduximus, vtrum auctoritate aliqua, quæ non ſit Apoſtolica, fieri poſsit aliquod ſtatutum iuſtum, excludens à Religionibus, eiuſmodi deſcendentes, ex genere infecto & maculato, irritãs & annullãs ipſorum profeſsionem? & ſuppoſitis his quæ ibidem ſunt dicta, tanquam certis & veris, propoſito articulo, reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

COnſtitutiſſimum eſt & omni dubio procul, quod in noſtro ſacro Minorum Ordine, irrita eſt & nulla, profeſsio deſcendentium intra quartũ gradum, ex Iudæis, Saracenis, & Hæreticis, maximè quorum corpora intra quartam generationẽ, fuerunt concremata & igni tradita, & quod huiuſmodi intra quinquennium poſſunt reclamare, quin vero & in foro conſcientiæ, non ſunt Religioſi. Hæc concluſio, conſtat ſatis ex ſupradictis, & ea eſt expreſſa Doctoris Nauarro, lib. 3. conſiliorum, de reg. conſ. 26. & lib. 5. titulo de Iudæis, & Saracenis, conſi. 1. & titu. de Hæreticis, conſi. 22. vbi expreſſe tenet hanc ſententiam. Quin vero dicit, quod omnes deſcendentes ex dictis Iudæis ſiue Saracenis, intra quartam generationem incluſiuè, comprehenduntur in prædicta Conſtitutione Pauli Quarti, & aliorum ſummorum Pontificum, abſque aliqua limitatione & diſtinctione, & abſque eo quod progenitorum ſuorum corpora, fuerint concremata & igni tradita. Quam etiã ſententiam & opinionem, tenent alij grauiſſimi Doctores; pro qua faciunt fortiſsimæ & efficaciſsimæ rationes, quas ſupra loco citato adduximus quãuis aliqui ſuſtinere velint cõtrariã, & q̃ in prædicta Pauli Quarti Conſtitutione & alijs aliorum ſummorum Pontificum, non comprehenduntur, niſi illi dũtaxat, qui ex prædictis Iudæis, Sarracenis, ſeu Hæreticis deſcendunt, intra quartam generationem, quorum etiam ſimul corpora ſeu, oſſa fuerint concremata & igni tradita. Sed quidquid de hoc ſit, Concluſio à nobis poſita, in ea forma qua eſt poſita, nullum patitur dubium, & quod ſupradictorum profeſsio ſit irrita & nulla. Cuius prima ratio eſt, quia id expreſſe habetur atque diffinitur in ſupradicta Conſtitutione Pauli Quarti, & alijs aliorum ſummorum Pontificũ, vbi frequenter ponuntur clauſulæ irritantes & annullantes, dicendo quod ſit irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quocumque, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Sed ſecunda ratio, adhuc eſt fortior & efficacior, ad probandum ſupradictorum profeſ-

Certiſsimum eſt, quod deſcendentes ex ſupradictis, nulliter ſunt profeſsi, nec vere religioſi atque ita intra quinquẽnium, ſure optimo poſſunt reclamare.

Notãdæ ſunt valde, cauſæ nullitatis profeſsionis, illorum qui ex infecto, & maculato genere profitentur, in noſtro ſac. Minorum Ordine.

ſiones eſſe irritas & nullas, etiam in opinione eorum qui dicunt, eſſe neceſſarium, quod ſint deſcendentes ex Iudæis, Sarraceuis, ſiue Hæreticis, intra quartam generationem, quorum etiam ſimul corpora aut oſſa, fuerint concremata & igni tradita: Adhuc dico, quod ſupradictorum profeſſiones ſunt irritæ & nullæ, ſpecialiter propter defectum conſenſus, recipientium ipſos ad Ordinem, & propter expreſſam proteſtationem, quæ hac de re eiſdem fit antequam profiteantur, ex vi noſtrarum Conſtitutionum. Fundatur hæc ratio, in doctrina prædicti Doctoris Nauarro, libro 3. conſiliorum, de regul. conſ. 26, vbi agens de alio ſimili ſtatuto, Ordinis Minimorũ, quod quia factum erat auctoritate ordinaria, & non auctoritate Apoſtolica dicit eſſe nullum, & non eijciendos eos qui contra prædictum ſtatutum eſſent recepti & profeſsi: in num. 12. in fine, reſpondendo ad ſecundum principale dubium, addit & dicit, eos eſſe eijciendos & ipſorum profeſſionem eſſe nullam, pro eo quod defecit verus atque legitimus conſenſus ex parte recipientium, & quia Monachi ſiue religioſi, qui eos ad profeſſionem admiſerunt, id fecerunt præmiſſa proteſtatione tacita vel expreſſa, quod non haberent eos pro profeſſis, ſi deſcenderent ex huiuſmodi infidelibus, & quod poſſent eijci ſi aliquo tempore inueniretur ab ipſis deſcendere. Huiuſmodi (inquit) fratrum profeſſio eſt omnino nulla, non quia facta contra ſtatutum, quod erat omnino nullum, ſed quia facta, ſine conſenſu legitimo ex parte recipientium, & quia facta eſt per conſenſum conditionalem, videlicet, ſi non deſcendiſſent ex huiuſmodi infidelibus. Quapropter, propter defectum illius conditionis, illa profeſsionis acceptatio fuit nulla, cum iuxta, *ca. ſi pro te, de reſcrip. libro 6. & cap. præterea. 2. de appellationibus* diſpoſitio conditionalis, non exiſtente conditione, nihil omnino valeat & nihil operetur. Idem expreſſe dicit in conſilio 87. eodem titulo de Regu. lib. 3. vbi ſimilem quæſtionem proponit: An qui de genere Iudæorum deſcendit, & contra ſtatutum Religionis ei notum factum, cũ proteſtatione quod nulla eſſet profeſſio, ſi de tali genere deſcenderet, interrogatus negauit ſe de tali genere deſcendere, ob quam negationem fuit admiſſus ad profitendum, ad quod non fuiſſet admiſſus ſi confeſſus fuiſſet veritatem, ſit vere religioſus? Cui propoſitæ quæſtioni ſiue difficultati, reſpondet, videri ſibi, huiuſmodi conſulentem coram Deo & in foro conſcientiæ, non eſſe verè religioſum: Tum quia profeſsio fuit nulla, cum fuerit facta contra legem habentem decretum tantum irritans; tum etiam quia profeſsio in effectu, eſt quidam contractus, & actio vltrocirroque obligatoria, qua profitens obligat ſe Monaſterio vel Ordini ad ſeruiendum ei, ſecundũ eius regulam, & ècõtra Monaſterium ad alendum & tractandum ipſum vt filium, atque ita eſt neceſſarius conſenſus vtriuſque partis, tam Conuentus & Prælati, profeſsionem acceptantis, quam ipſius profitentis. Et inquit, quod in propoſito caſu, defuit conſenſus Conuentus & Prælati, quia fuit præſtitus ſub tali conditione, ſi non eſſet de tali genere, & ita defuit conditio, ſub qua fuit admiſſus, ex quo proinde ſequitur quod ipſa admiſsio nulla fuit, quia diſpoſitio conditionalis, nulla eſt deficiente conditione, nam ceſſante cauſa ceſſat effectus. Hæc Nauarr. vbi ſupra. Eandem omnino ſententiam tenet Emmanuel Rodericus, tomo 3. ſuarum quæſt. Regul. q. 11. artic. 2. vbi præmiſſa difficultate & quæſtione, de prædicto ſtatuto expellente à Religionibus, deſcendentes ab infidelibus prædictis, irritante & annullante ipſorum profeſsiones, etiam ſi fiat in Capitulo generali, habente licentiã à Sede Apoſtolica ſpecialiter, vt in eo aliqua ſtatuta edãtur, an valeat? poſtquã reſpõdet q. nõ & dicit quod, huiuſmodi ſtatutũ non eſſet iuſtum, quia contra ius & contra ſacros Canones, poſtquam etiam dicit, quod ſic recepti & profeſſi, non ſunt repellendi à Religione; neque eijcendi, ex eo quia contra dictum ſtatutum: ſubdit & addit, quod poſſunt eijci atque expelli, ſi non interuenit conſenſus legitimus, ex parte recipientium, & ad literam ponit, quæ à me ſuperius ſunt dicta de mente Nauarri, & inquit, quod licèt eis quoad forum conſcientiæ, ab Ordine & Religione exire, ſine vlla prorſus diſpenſatione, cum quoad illud forum non ſint ligati, vt tradunt Doctores, *in c. humanæ aures. 22. q. 5.* Hæc ſupradictus Emmanuel. Sed dices, quid eſt ab ipſis faciẽdum, quoad forum exterius? Reſpondeo, & ſit ſecunda concluſio.

Nota hoc vallde.

Secunda Concluſio.

Qui deſcẽdens ex infecto genere, ad ſenſum ſupradictũ, in noſtro Minorum Ordine profitetur, & ſcit profeßionem ſuam eſſe nullã, intra quinquennium poteſt & debet reclamare.

QVI ſciens ſuam receptionem ad Ordinem & profeſſionem fuiſſe nullam, ob aliquã ex ſupradictis cauſis, poteſt & debet intra quinquennium reclamare, & ipſam coram ſuo Superiore & ordinario iuxta Concilium Tridentinum allegare. Hęc concluſio eſt etiam expreſſa, ſupradicti Nauarro lib. 3. conſil. de regul. conſil. 26. numero 13. & conſi. 87. num. 2. & ſequentibus, vbi dicit, quod quamuis, qui ſic fuit profeſſus, quantum ad forum conſcientiæ, cum licentia Prælati, quin vero & ſine ipſa, licite poſſet ab Ordine & Monaſterio exire, quia tamen in foro exteriori, puniretur & caſtigaretur, ſi id abſque licentia faceret, remedium eſt ei, cuius profeſſio ob prædicta fuit inualida, ſupplicare Prælato Ordinis ſui, qui ſit iudex competens, & etiam Epiſcopo humiliter, vt declaret profeſſionem ipſius non valere, neq; valuiſſe. Et inquit Nauarro locis ſupracitatis, quod non debet manere in Monaſterio, agendo actus quos non licet ſibi agere, & grauando ipſum inexpenſis, comedendo, bibendo, & veſtiendo, &c. Quia tamen ad id non ſufficeret licentia qualis qualis, ſed requiritur in foro exteriori, licentia iudicialis, data cum cauſæ cognitione, probatis & ſeruatis, quæ probanda & ſeruanda ſunt, in tali iudicio & cognitione cauſæ, cum ſententia iudicialis ferenda ſit, ſecundum allegata & probata; hinc eſt (inquit) quod prædictus religioſus, ſic nulliter profeſſus, tenetur à Prælato requirere, vt id faciat ordine debito vocato prius Syndico & eo audito, & vt ferat ſententiã in ſcriptis præſente Notario Monaſterij & toto Conuentu, & aliquibus teſtibus, & mittat petitionem, in qua conti-

Nota vallde Qualiter Monachus ex infecto genere natus, ad ſenſum ſupradictũ, & iã profeſſus quãuis nulliter, procurare habeat expulſionem ſuã à Religione.

contineatur, quod ipſe ob tales & tales cauſas, non eſt verè profeſſus, ac proinde vult exire. Quod ſi eiuſdem petitio. veritati inniti reperiatur, idque legitimis probetur teſtibus, Prælatus cum ordinario, debet declarare & ſententiã proferre, dicendo illum non eſſe religioſum eius Monaſterij, & dimittere eum veſtibus exutum, concedendo ipſi patentes litteras, præfatæ ſuæ ſententiæ & dimiſſionis, vt poſtea poſſit fidem facere, eiuſdem dimiſſionis ad conuiuendum inter alios. Addit præterea, quod Prælatus etiam in foro exteriori, ad inſtantiam partis legitimæ, ſcilicet accuſatoris ſiue denunciatoris, allegatis & probatis omnibus neceſſarijs, tenetur præfatam ſententiam proferre, & licentiam dare eiuſmodi ſic nulliter profeſſo, iudicando illum eſſe eijciendũ à Monaſterio & ab Ordine, & de facto ipſum eijcere. Quin vero dicit, q̃ ex officio ſuo, ſine alio accuſatore ſeu denunciatore, ſi probabiliter credit aliquem eſſe de tali genere, tenetur & debet, præmiſſa legitima cauſæ cognitione, per viam inquiſitionis, ipſum à Monaſterio & Ordine eijcere atq; expellere, & ſtatim illum ſic expulſum, & eiectum, poterit viuere vitam, quam voluerit, ac ſi nunquam feciſſet prædictam profeſsionem, cum neque vt expreſſa neque vt tacita valeat, propter ea quæ dicta ſunt. Vnde & poteſt ducere vxorem, niſi aliud impedimentum obſtet, vt in ſimili caſu tenet idem prædictus Nauar. lib. 1. conſil. de his, quæ vi, conſi. 9. num. 1. & idem omnino tenet Frater Emmanuel Rodericus locis ſupra citatis. Nec prædictis (inquiunt) obſtat, quod iſti tales, male & nulliter profeſſi, portauerint habitũ profeſſorum per annum, diſtinctum ab habitu nouitiorum, neque quod acceperunt literas dimiſſorias, à Prælatis ad recipiendos Ordines, aut miſcuerũt ſe & interiecerunt actibus, qui de iure aut conſuetudine ſolum conueniunt profeſſis, nam durante tali impedimento, tam ex parte recipientis, quam ex parte recipientium ad profeſſionem, & ignorantia eiuſdem impedimenti, tales actus non faciunt profeſſum, neque quidquam prodeſſe potuerunt, ad validitatem profeſſionis, cum idem defectus interueniat poſt profeſsionem factam, qui interueniebat ante, tempore quo facta eſt.

Nota hoc val de qualiterre ligionum prælati ſe gerere debeant in expellẽdis eiuſmodi.

Sed quia opinio tenens, ad nullitatem profeſſionis, omnium prædictorum, eſſe neceſſarium ſimul atque coniunctim, quod deſcendant ex huiuſmodi infidelibus intra quartum gradum, & quod progenitorum ſuorum oſſa aut corpora, fuerint concremata & igni tradita, quæ eſt ſententia valde probabilis, quam tenent aliqui DD. (vt diximus ſupra, quæſt. 19. art. 9.) & æquitati ac rationi valde conformis & magis mitis; licet à nobis propoſita, ſtando in puncto iuris longe videatur probabilior, ad aſſecurandas tamen & quietandas multorum ſcrupuloſorum Fratrum conſcientias, qui in ſupradicto decreto forſan comprehenduntur, & ab Ordine non vellent recedere, in ipſorum gratiam ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Tertia Concluſio.

Stãdo in ſententia & opinione aliorũ alias probabili, profeſſio ſupradictorũ noneſt irrita & nulla, nec proinde reclamare poſſunt

SEquendo opinionem illorum, qui tenent in prædicto decreto & Conſtitutione Pauli IIII. & aliorum ſummorum Pontificum, non comprehendi, niſi illos dumtaxat, qui ex Iudæis, Sarracenis, vel Hæreticis intra quartum gradum deſcendentes, etiam progenitorum ſuorum corpora aut oſſa ſimul ſunt concremata & igni tradita, probabiliter dici poteſt, quod profeſſio eorum qui ex talibus deſcendunt eſt valida & non irrita & nulla, etiam præmiſſa proteſtatione ſuperius dicta, nec reclamare prædicti poſſunt, nec debent expelli aut eijci ab Ordine, niſi ſupradicta omnia ſimul concurrant, & de eo veriſimiliter aut etiam iudicialiter conſtet. Hanc concluſionem ſtatuo, magis pietate quadam commotus, quam vt credam eam eſſe vſque quaque veram, ſed tantum probabilem vt dixi, ad aſſecurandas & quietandas multorum ſcrupuloſorum Fratrum conſcientias. Quam & probo à deſtructione fundamentorum contrariæ opinionis, aut ſaltim cum aliqua probabilitatis & veritatis ſpecie, reſpondendo & ſatisfaciendo ipſis. Et ad primam rationem, de clauſulis irritantibus & annullantibus prædictas profeſſiones, contentis in prædictis decretis, & Conſtitutionibus Pauli Quarti, & aliorum ſummorum Pontificum dico, quod intelliguntur atque intelligi debent, concurrentibus ſimul omnibus ſupradictis, ita quod ſint deſcendentes ex prædictis infidelibus intra quartum gradum, ac ſimul quod progenitorum ſuorum oſſa, & corpora fuerint concremata & igni tradita. Ita quod illud relatiuum, *quorum ſimiliter parentes, &c.* æqualiter reſpiciat & determinet Iudæos, Sarracenos, & Hæreticos, & de omninibus iſtis intelligatur æqualiter illud, *quod eorum corpora, aut oſſa intra quartum gradum ſimul fuerint concremata, & igni tradita*, adeo vt vnum ſine altero non ſufficiat. Nam ſecũdum doctrinam Iuriſconſultorum, ſed maximè Alexand. in l. hoc iure ff. de vulgari & pupil. determinatio reſpiciés plura determinabilia, pariformiter debet ipſa determinare. Ad ſecundam autem cõfirmationem, reſpondeo & dico, quod adhuc præmiſſa ſupradicta proteſtatione, quæ nouitijs fit & fieri conſueuit ante profeſſionem, ex noſtris generalibus Cõſtitutionibus, ſupradictorum profeſſio eſt valida, & nõ irrita & nulla, ob defectum conſenſus ex parte recipientium, primo quia conſenſus abſolutè & nõ ſub aliqua conditione fuit præſtitus, & quamuis ſupradicta proteſtatio illis fiat, adhuc non illis obeſt, nam intelligenda eſt, ad ſenſum ſupradictũ prædictæ opinionis, hoc eſt, ſi ex talibus infidelibus intra quartum gradum deſcendant, & ſimul eorum corpora & oſſa fuerint concremata, & igni tradita. Sed vt iam dixi, quò veritatem fatear, & vt quod ſentio iterũdicã, nihil tale reperio in noſtris Conſtitutionibus, quin vero potius quod abſolutè fiat, & fieri debeat talis proteſtatio. Sed liceat cuilibet ſentire & opinari, quod voluerit. Stando igitur in hac ſententia & opinione, nec reclamare licet; neque eijci aut expelli ab Ordine poſſunt, qui ex huiuſmodi parentibus infectis, ſeu ex infidelibus intra quartum gradum deſcen-

deſcendunt, niſi ſimul eorum corpora & oſſa fuerint concremata & igni tradita, & hęc de iſto articulo dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm qui habens parentes, in extrema neceſsitate conſtitutos, aſſumpſit habitum & fecit profeſsionem, reclamare poſsit & allegare ciuſdem nullitatem?

Nota hoc valde pro ratione dubitandi quātā obligationē filij habeant alendi et ſuſtentandi ſuos parentes.

IT videtur quod ſic: Nam actio competens alicui, contra aliquem ex contractu vel quaſi contractu, non extingui tur per ingreſſum Religionis, ſed ſuſpenditur tantum, ſicut debitum vaſſalli, domino ſuo excómunicato exiſtenti: aut ſi extinguitur (vt aliqui volūt) ex quo monachus pro mortuo habetur, iuxta *l. Deo nobis, §. hoc etiam cognitum, C. de Epiſcop. & Cleric.* adhuc ſecundum eos, ex edicto de capitis diminutione reſtituitur, iuxta, *l. tutelas. §. iniuriarum. ff. de capitis dimi.* Vnde & dicunt DD. quod poſt ingreſſum Religionis, poterit religioſus ex actione vel obligatione, qua prius tenebatur conueniri, ſed per Abbatem vel Syndicum reſpondebit, vt habetur in iure; *in authētico, cauſa quæ cum monacho. C. de Epiſc. & Cler. & authent. de S. Epiſcopis §. Prouidere*: ergo multo fortius & melius, tenebitur ex obligatione diuini præcepti, filius religioſus effectus, patri ſubuenire, ac proinde à patre ſuo poterit conueniri, & allegare ipſum patrem, profeſſionem ſui filij fuiſſe nullam ipſo extremè indigente, quod ſimiliter videtur quod facere poterit & ipſe filius iam profeſſus, vt ſubueniat patri. Et confirmatur, nam tanta eſt parentum poteſtas ſuper filios, vt volunt iura & communiter omnes Iuriſperiti, quod poteſt de iure pater filium vendere pro neceſsitate famis, teneturque filius eidem alimenta præſtare, iuxta *l. 2. C. de Patre qui filium, & l. filia, C. de patria poteſta. & authent. de inceſtis & nefandis nuptijs*, ergo nulla ratione poteſt pater priuari hoc ſuo iure, quod habet in filium, *contra capitulum ſatis peruerſum, diſt. 56. & cap. vlt. 19. q. vlt. & cap. ſi qui filij, diſt. 30.* Cum igitur filius ex ingreſſu Religionis, fiat inhabilis ad ſubueniendum patri, dicendum videtur, quod aut monaſterium debet ipſum patrem alere, aut quod ipſe filius iā Religioſus effectus etiā profeſſus, iuſte & licite poteſt reclamare, & allegare ſuæ profeſſionis nullitatem, & ſic à Monaſterio exire, vt ſubueniat patri. Iis tamen non obſtantibus, in contrariū ſtatuitur concluſio.

Concluſio

Si de facto filius, parentibus in extrema neceſsitate conſtitutis profiteatur,

SI de facto filius, parentibus etiam in extrema neceſsitate conſtitutis, Religionem profiteatur, quamuis ingrediendo & profitendo peccet, profeſſio tamen & votum ſolemne ab eo emiſſum valebit, nec reclamare poterit. Hæc concluſio eſt expreſſa Doctoris Nauarr. lib. 3. conſil. de reg. con filio. 3. vbi hac de re peculiarem quæſtionem facit. De qua, & ipſius probatione, videantur quæ dicta ſunt à nobis, ſupra quæſt. 17. ar. 8. & maximè in quarta concluſione & etiam quæ diximus ſupra, quæſt. 26. art. 11. vbi & latiſſimè egimus de obligatione quam habent filij, alendi & ſuſtentandi ſuos parentes, maximè in extrema neceſsitate conſtitutos poſt profeſſionem, & in quibus teneantur obedire prædictis parentibus, magis quā ſuis proprijs Prælatis. In ſupradictis locis, meo quidem videre, inuenire licebit omnia quæ ad hoc propoſitum poſſunt deſiderari. Et ſic propoſito articulo breuiter atque reſolutiuè reſpondetur, quod religioſus iam profeſſus effectus, etiam ſi habeat parentes in extrema neceſſitate conſtitutos, non poteſt reclamare, allegando ſuæ profeſſionis nullitatem, ſi quidem à principio fuit valida, ſed tenetur & debet, alijs modis loco ſupra citato à nobis poſitis, eiſdem parentibus ſubuenire. Vnde ad argumentum in contrarium adductū reſpōdeo, conceſſo antecedenti negando conſequentiam, & omnia illa quæ ex ipſo antecedenti ſubſequuntur & quod argumentum prætendit. Non enim ſequitur, quod pater actionem habeat contra filium, quantum ad extrahendum illum à Religione, aut præbendum ius ipſi filio, vt reclamare poſſit, & allegare nullitatem ſuæ profeſſionis, ſed ſolūmodo concludit argumentū, quod nō obſtāte profeſſione, tenetur idē filius in religione iam exiſtens patri ſuccurrere, non quidem per quemcumque modum, quem poterat antea, ſed per modum congruum & licitum, & non contrauenientem ſuæ Regulæ & profeſſioni. Aut forſan Religio tenebitur idipſum facere, & hoc eſt & nō amplius, quod prætenditur in confirmatione. De quibus videātur, quæ à nobis ſunt dicta ſupra, & latiſſimè Corduba, ſuper cap. 2. noſtræ Regulæ, q. 6. art. 2. & Emmanuel Rodericus tomo 2. Quæſtionum. Reg. q. 57. ar. 3. & 4.

quamuis peccet, profeſsio tamen tenet, nec ob id reclamare poterit.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm prædicta reclamatio, de nullitate profeſsionis, fieri poſsit ſine habitu, an vero neceſsario ſit facienda retento habitu?

MVlta alia ſunt, quæ de iure communi ſiue ſpeciali, inducunt profeſsionis nullitatem, de quibus latiſsimè egimus ſupra, quæſt. 17. tractando de qualitatibus & conditionibus, quas recipiendi ad Ordinē & Religionem, debent habere, vt poſſint intrare & ibidem profiteri. Quas omnes Concilium Tridentinum, ſub vno verbo, generaliter comprehendit, dicens: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, et metū, ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ętatē debitā profeſs ū fuiſſe aut quid ſimile, etc.* Sed in omnibus his caſibus, præcipit & ſtatuit, vt quicumque quacumque de cauſa, voluerit habitum dimittere non audiatur, niſi ſeptem ſeruauerit cō ditiones, & ſunt eæ, quæ ſequuntur. Prima, quod ante reclamationem habitum non dimittat. Secunda

Conc. Tr. ſeſ. 25. c. 19.

Nota valde conditiones ſeruandas, à volentibus reclamare et allegare, ſuas profeſsiones fuiſſe nullas et inualidas

cunda quod nõ ſine licentia, ob id à Monaſterio etiam cum habitu exeat. Tertia, quod cauſas nullitatis, coram ſuperiore & Ordinario antea deducat. Quarta, ꝙ ſi antea habitũ dimiſerit, nullatenus ad allegandum vllam cauſam admittatur. Quinta, quod ad Monaſterium redire cogatur. Sexta, quod tanquam apoſtata puniatur. Septima, quod interim nullo priuilegio Religionis iuuetur. Quorum occaſione, merito in præſentiarum quæritur, an prædicta reclamatio, neceſſario ſit faciẽda habitu retento, an vero etiam fieri poſsit ſine ipſo? Cui difficultati, reſpondere volens Nauarr. *c. ſtatuimus*, comment. 4. de Regul. numero 77. inquit, quod ob iſtorum ignorantiam, multi etiam alias Docti, male conſuluerunt multis regularibus, vt clam fugerent à Monaſterijs & carceribus, etiam habitu dimiſſo ne caperentur in via, ad reclamandum de nullitate profeſſionũ ſuarum, & vt in Vrbem Romanam venirent, nulla alia facta diligentia. Vt autem ſciatur, ac plene perſpici poſsit, quid hac in re obſeruandum ſit, & an prædicta reclamatio ſit neceſſario facienda cum habitu, an vero fieri etiam poſſit dimiſſo illo, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Reclamatio de nullitate profeſſionis, à religioſo facienda eſt habitu retento, aliàs non exauditur in foro exteriori.

REclamatio de nullitate profeſſionis, facienda eſt habitu Religionis retento, aliàs reclamans non exauditur. Hæc concluſio ſatis cõſtat, ex prædicto decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. c. 19.* vbi hac de re agendo, inter alia dicitur: *Si quis autem antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur*. Sed hæc vt inquit Nauarro vbi ſupra, procedunt loquendo de foro exteriori. Loquendo tamen de interiori & foro conſcientiæ, an peccet mortaliter id ipſum faciendo, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Qui ceſſante ſcãdalo, habitum dimittit antequam adimpleat omnia ſuperius poſita ſi id faciat vere ſciẽs ſuã profeſsionẽ fuiſſe nullã, nec valuiſſe coram Deo, in foro conſcientiæ nõ peccat mortaliter.

QVi ceſſante ſcandalo & præiudicio alterius, habitũ dimittit & fugit de carceribus ante reclamationẽ, & antequã deducat cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis, coram ordinario & Superiore, ſciens aut iuſte credens, ſuam profeſſionem nõ valuiſſe coram Deo, in foro conſcientię, non peccat mortaliter. Hæc concluſio eſt expreſſa prædicti Nauarro, loco ſupracitato, vbi & addit, quod etiam quoad forum exterius, non meretur ſubire pœnas in prædicto Concilio poſitas, qui interueniente aliqua iuſta de cauſa, ſupradictas conditiones omiſerit, ille nẽpe qui nõ poſſet habere licentiam, eundi ad reclamandum, neque ire niſi dimiſſo habitu, aut non ſibi permittitur, cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis, coram Superiore & Ordinario proponere, quales (inquit Nauarr.) multos ſe vidiſſe in Vrbe, ſiue Romana Curia, qui prius dimiſſo habitu ac poſtea reaſſumpto, benigne exauditi ſunt: idque merito. Nam licet qui non portat habitum Religionis, eo tempore quo reclamat, iuxta Concilium prædictum, audiendus non ſit, & audiri non debeat, qui tamen ipſum temere dimiſit & poſtea reaſſumpſit, æquum & iuſtum (inquit) eſt vt exaudiatur, quia iniquum, & inhumanum foret, audientiam alicui perpetuo denegare, qui iuſtam habeat cauſam reclamandi, ob id ſolummodo: quia ad id faciendum prius dimiſiſſet habitum etiam temere. Id enim facere, eſſe videretur, cogere hominem liberum, per totam ſuam vitam, ſeruire Ordini & Religioni, cui nullatenus erat obligatus, & fortè neque illius capax, propter defectum alicuius conditionis & qualitatis in ea requiſitæ, contra rationem naturalem & cõtra omnes leges vetantes, venditionem, ſeu obligationem perpetuam hominis liberi, admanendum alicubi, & ad ſufferendum onus nimis onerans, & grauans ſuã libertatẽ per *l. Titia, §. Titio cẽtum. ff. de condi. & demonſt. l. liberi hominis. ff. de contra empţio, & leg. 1. & 2. ff. qua. rerum actio nõ detur*. Hæc prædictus Nauarro, quæ de iſto articulo, ac de tota quæſtione dicta ſufficiant.

Notandum ex Nauar. pro religioſis dimittentibus habitũ antequam reclament, & cauſas allegẽt de nullitate ſuæ profeſsionis.

QVAESTIO XXXI.

De Religioſis profeſsis, quantum ad tranſitum ad alios Ordines, in vigintiquatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum de vna Religione, liceat ad aliam tranſire?

HAnc quæſtionem tractat D. Tho. 2. 2. quæſt. 189. ar. 8. vbi ad hoc propoſitum, propoſitis varijs hinc inde argumentis, plura dicit quam maximè notatu digna, quibus breuitatis cauſa omiſſis, pro propoſiti articuli reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Tranſire ex vna ad aliam Religionem, non licet neque eſt expediens aut vtile niſi propter magnã vtilitatem, ſiue neceſſitatem.

TRanſire de vna Religione ad aliam, niſi propter magnam vtilitatem vel neceſſitatem nõ licet neque id eſt expediens, vtile, ſiue laudabile. Hanc, concluſionem probat D. Thom. multiplici ratione. Et primo, quia ex hoc vt plurimum ſcandalizantur Fratres, qui in alia Religione relinquuntur, quod quidem ſcandalum cum ſit datum & non

non dumtaxat acceptum, iuxta Euangelium Matth. 18. summopere est vitandum, Hęc est prima ratio & satis efficax.

Secundo probatur id ipsum, quia vt experientia ipsa constat, magis vnusquisque proficit, in Religione illa quam cõsueuit quam in alia quam non est expertus cæteris paribus. Quod confirmat D. Thomas, auctoritate cuiusdam Abbatis Nestorij, qui vt habetur in Collationibus patrũ colla. 14. cap. 5. in princ. dicere solitus erat, vtile esse vnicuique, secundum propositum quod elegit, summo studio & diligentia, ad operis arrepti perfectionem, peruenire vt festinet, & nequaquã a sua quam semel elegit professione discedat. Cuius rationem assignans, aiebat, impossibile fere esse, vnum & eundem hominem, omnibus simul esse ornatum atque fulcitum virtutibus, quod si quis (inquit) voluerit pariter attentare, in id incidere erit necesse, vt dum omnem sequitur, nullã prorsus integre assequatur. Verba sunt valde notanda & memoriæ commendanda. Ex his colligit D. Th. nõ esse expediẽs, vtile aut laudabile, ex vna in aliã Religionẽ transire, nam diuersæ religiones, secundum diuersa virtutũ opera & exercitia, sibi ipsis præeminent, & quod quispiam non habuerit in vna, forsan consequetur in alia seu aliquid melius.

Potest tamen (inquit D. Thomas) aliquis, de vna Religione, laudabiliter ad aliam transire, triplici ex causa. Primo quidem, ex zelo perfectioris Religionis. Secundo propter declinationem alicuius Religionis, à debita perfectione, & tandem tertio, propter infirmitatem vel debilitatẽ, ex qua interdum prouenit, vt non possit quis, arctioris Religionis statuta obseruare, cum possit seruare statuta alterius Religionis laxioris. De his omnibus D. Thom. loco præallegato, varia exempla proponit, & dicit qualiter id sit faciendum, à quibus ego pro nunc breuitatis gratia, consulto supersedeo, quia de ipsis etiam in particulari, statim struendi sunt à nobis speciales articuli.

Pro quorum omnium fundamento, in calce huius articuli, pro illis qui faciles sunt, ad dimittendum habitum suæ Religionis, libuit præmittere. *c. Statuimus. 19. q. 3.* quod est Vrbani Papæ II. cuius sunt verba quæ sequuntur: *Statuimus, ne professionis canonicæ quispiam, postquam Dei vice supra caput sibi hominem imposuerit, alicuius leuitatis instinctu, vel strictioris Religionis obtentu, ex eodem claustro, audeat sine patris & totius congregationis permissione recedere, discedentem vero, nullus Abbatum vel Episcoporum, nullus Monachorum, sine communi literarum cautione suscipiat.* Hæc Vrbanus, qui præfuit Ecclesiæ, circa annũ. 1088. cuius quidem Constitutionis verba, sunt quam maximè notanda & memoriæ commendanda vt dixi, pro religiosis leui quadam ex causa, Religiones suas deserentibus. Cui similes multæ aliæ, prohibitiones reperiuntur in iure, vt constat *ex c. mandamus*, quod est etiam eiusdem Vrbani Papæ, & habetur *in cad. causa, & quæstione, & ex c. non est. de reg.* quod est Alexan. III. pro Ordine Cisterciẽsi. Præfuit autem Alexander Tertius Ecclesiæ, circa annum 1159. Sed postea anno 1198. Innocen. etiam Tertius, nonnullis motus causis, supradicta rum prohibitionum mentionem faciens, *in c. licet quibusdam eod. tit. de reg* aliam edidit constitutionẽ, qua concessit, *vt Religiosus, zelo sanctioris vitæ, ad strictiorem Religionem possit transire, petita prius licentia sui Prælati licet non obtenta, etiam si primum Monasterium sit priuilegiatum, quod de illo ad aliud, etiam arctius, transiri non possit.* Circa transitum Monachorum ad alios Ordines, hæc constituta reperiuntur in iure, vsque ad tempora prædicti Innocentij Tertij. Sed postmodum, à Prælatis Religionum impetrata sunt varia & diuersa priuilegia, à summis Pontificibus, idipsum vetantia & prohibentia, à quibus ego breuitatis gratia supersedeo. Qui ea videre voluerit, cõsulat librum cui titulus, Ordinis monumenta, in quibus de illis fit mẽtio, & etiam in Compendio priuilegiorum, vbi summatim referuntur, *verbo apostata, & verb. nouicius, ver. obedientia, & obseruantes fratres, & verbo recipere fratres, seu transire ad alios Ordines.* At cum in contrarium postmodum, alia etiam fuissent impetrata priuilegia, Pius V. P. M. anno Domini 1569. pridie Idus Octobris, Pontificatus sui anno. 4. quã dam aliam edidit Constitutionem, quæ incipit. *Quæcumque sacrarum Religionum*; qua generaliter, *reuocauit, & aboleuit, omnia & singula priuilegia, facultates, dispensationes, indulta (præter iuris communis dispositionem emanata) recipiendi vel retinendi, Fratres, Monachos, Canonicos, & alios, etiam laxiorum Ordinum professores, concessa quibuscumque Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, Militijs, & Pijs locis, etc. per quoscumque Romanos Pontif. suos prædecessores, et per seipsum, etc.* Quod quidẽ fecit, vt adeò magnus religiosus quia in Religione educatus & in ijsce rebus multũ expertus atque exercitatus, cognoscebat planè multorum Monachorum & religiosorum inconstantiam nimiam, & inclinationem exeundi & transeundi, ex vna ad aliam Religionem. Per hoc autem non est intelligendum, quod reuocauerit prędictus summus Pontifex licentiam quam à iure communi habent regulares omnes, per supradictum, *c. licet quibusdam*, transeundi ad strictiorem Religionem, petita prius à suis Prælatis licentia, quamuis non obtenta, vt amplius statim dicemus insequenti articulo.

Nota hoc valde ex Papa Vrbano, pro Religiosis dimittentibus priorem Religionem, quã professi sunt.

Nota quod per Piũ V. reuocata sunt omnia priuilegia, quæ habebantur, ad hoc vt Religiosi, ex vno trãsire possent, ad alium Ordinem, anno Dñi. 1569.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat alicui Religioso, transire ad strictiorem Religionem, petita prius licentia à suo Prælato, quamuis non obtenta?

PRO huius articuli & sequentium intelligentia, præmittere libuit, quod transitus ex vna Religione ad aliam, multipliciter potest contingere. Nam vel transitus est ad strictiorem, aut ad æqualem seu ad laxiorem, de quibus omnibus in particulari, excitandi sunt à nobis particulares articuli, & inuestigandum, quænam Religio, strictior seu potius altior, & perfectior dici debeat? quod dicere & determinare, non erit mediocris

cris laboris. At in hoc articulo, abſolute & in vniuerſali quæritur, an ſit licitus prædictus tranſitus, de vna Religione ad aliam ſtrictiorem, petita licẽtia à prælato quamuis non obtenta? Cui difficultati, reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Concluſio

Communiter et regulariter loquẽdo, licitũ eſt cuilibet religioſo, ad ſtrictiorẽ Religionẽ tranſire, zelo ſanctioris vitæ, petita pri' licentia, licet non obtenta.

COmmuniter & regulariter loquendo, licitum eſt cuilibet Religioſo, zelo ſanctioris vitę, ad ſtrictiorem Religionem tranſire, petita prius licentia ſui Prælati, quamuis non obtenta. Hæc cõcluſio probatur *ex c. ſtatuimus. 19. q. 3.* vbi (prout recte aduertit Nauar. ſuper d. ca. commentario 4. de regu. num. 3.) Vrbanus Secundus, & ſi non directè, indirectè tamen atque per illationem, à contrario ſenſu, concluſionem prædictam determinat: nam dicendo, vt non liceat alicui religioſo, etiam diſtrictioris Religionis obtentu, á propria Religione diſcedere, ſine ſui Prælati licẽtia, conſequenter dicere & determinare videtur, cũ illa id fieri poſſe. Sed quod ſufficiat petita, quamuis non obtenta, habetur expreſſe *in c. licet quibuſdam de regu.* vbi Innocentius Tertius, ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima. Monſtrando & oſtendendo obligationem ſtrictam, qua prælati cuncti tenentur, ſecundum ius commune, licentiam præſtare religioſis ſuis, volentibus tranſire ad ſtrictiorem & perfectiorem Religionem, ſi conſtet de ipſorum bono animo, & Religione, ad quam fit trãslatio eſſe perfectiorem. Et addit quod ſi perperam id non fecerint, & prædictam non eis dederint licẽtiam, quod ius ipſum illam ipſis concedit, ex priuata lege Spiritus ſancti, quæ publicæ legi præiudicat, vnde (inquit) à tali lege abſoluti, libere poſſunt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterua contradictione indiſcreti Prælati. Verba ſunt expreſſa. Et tandem ait, quod priuilegium meretur amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate, quæ omnia multum ſunt penſanda, atque conſideranda. Ex quibus colligitur, ſufficere licentiam petitam, quamuis non ſit obtenta, ad hoc vt Religioſus quiſpiam, zelo ſtrictioris vitæ, ad aliam Religionem perfectiorem poſſit tranſire.

Circa hanc Conſtitutionem ſiue decretalem, Innocentij Tertij eſt notandum, q̃ quidã auſi ſunt affirmare ac dicere, quod quanuis in foro exteriori, illa verum habeat, in foro tamen interiori & conſcientiæ, & ſtando in iure communi, non poſſunt Monachi ſiue religioſi, ad aliam Religionem etiam ſtrictiorem conuolare, ſine ſui Prælati licentia petita ſimul & obtenta. Sed certè hæc doctrina non mihi placet, primo quia credibile non eſt, vt ſummus Pontifex concedat, aliquid fieri poſſe in foro publico & exteriori, quod de ſe non eſſet licitum, imò verò peccatum, in foro conſcientiæ & interiori. Secundo, quia communis praxis & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, hoc ſemper habuit, vt liceat cuilibet religioſo, ad ſtrictiorem Religionem tranſire, licentia prius à ſuis Prælatis petita, quamuis non obtenta: de quo iudicio peritorum, nullus vnquam fuit ſcrupulus. Et tandem tertio, ad id ipſum dicendũ moueor: nam ſi in foro conſcientiæ ſpectanda eſſet Prælatorum licentia, non ſolum petita verum etiam obtenta, non ſufficienter eſſet prouiſum libertati ſpiritus, de qua Innocentius III. in prædicta ſua decretali & Conſtitutione mentionem facit, eſſetque contra ipſam hoc dicere, cum experientia conſtet, quam ægre ferant, omnes in vniuerſum omnium Religionum Superiores & Prælati huiuſmodi licentias concedere, Religioſis anhelantibus ad altiorem frugem, quin vero diuerſis quæſitis coloribus, ſæpiſſime eas ſibi denegant.

Sed pro complemento huius articuli, duæ remanent difficultates inueſtigandæ atque elucidãdæ. Prima, quænam Religio ſit ſtrictior, altior ſiue perfectior, ad quam proinde licite poſſit fieri tranſitus? Secunda: cuiuſnam Prælati licentia, ad idipſum ſit neceſſaria? de quibus agemus in ſequentibus articulis per ordinem.

ARTICVLVS III.

Quænã Religio, debeat dici altior ſiue perfectior, vt ex alia ad ipſam, licite poſſit fieri tranſitus?

Diuerſæ hac de re opiniones.

Prima opinio Canoniſtarũ.

AC de re magna lis eſt & controuerſia, inter Doctores Theologos & Iuriſperitos ſiue Canoniſtas. Canoniſtæ enim, ſolummodo ea quæ extrinſecus ſunt conſiderantes, altiorem atque perfectiorem, illam eſſe Religionem exiſtimant in qua arctiora & ſtrictiora ſunt ſtatuta ſecundum Regulã, dum tamen obſeruentur. Vnde quantum ad effectum tranſeũdi, ex vna Religione ad aliam, & quo huiuſmodi tranſitus permittatur & ſit licitus, tãtum ponderant atque conſiderant, an talis Religio ſit ſtrictior, & arctioris ſiue ſtrictioris obſeruãtiæ. Cui ſuæ opinioni ita tenaciter inſiſtunt, vt quamuis reſpectu finis, aliqua alia ſit altior & perfectior Religio, aut Eccleſiæ fructuoſior & vtilior, ſi tamen in ea ſecundum exteriora & corporales obſeruantias, non ita ſtrictè viuitur, non eſſe (inquiunt) licitum huiuſmodi tranſitum. Hanc opinionem atque ſententiam, tenent communiter Canoniſtæ, de qua ſpecialiter videndi ſunt Ioan. Andreas, & Abbas *in c. ſane de regularibus*, & multi alij.

Secunda opinio D. Th. et Theologorũ.

Sed D. Th. 2. 2. q. 189. ar. 6. & 8. expreſſe tenet, & cũ eo omnes cõmuniter Doctores Theologi, perfectionẽ Religionis, & ipſius excellentiã, non eſſe attendendã, penſandã ſiue conſiderandã, ſecundũ ſolam arctitudinẽ ſiue rigorẽ, ſed principaliter ſecundũ id, ad quod Religio quælibet dirigitur, hoc eſt reſpectu finis, ad quem omnes Religiones cõmuniter ordinantur, qui (vt ſupradiximus q. 5. ar. 1. & 2. & q. 9. ar. 2. 3. 4. & 5.) eſt perfectiſsimus amor Dei & proximi, perfectiſſima inquã charitas, per quã ipſi Deo cõiũgimur & cũ eo vnimur, iuxta illud Ioannis. 1. cap. 1. *Deus charitas eſt, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*, ſecundario vero, ſecundum diſcretionẽ obſeruantiarũ, tali fini proportionatarum, per quas melius & commodius,

dius, peruenitur ad talem finem. Hanc ſententiam tenent omnes communiter Theologi, quin vero & Ioannes XXII. eximius olim Inriſconſultus, & omnium ſui temporis doctiſſimus, in extra uagan. *ad conditorem*, eadem proceditvia quantum ad hoc tenens cum Theologis, & diſcedens à Canoniſtis. Nam cum eo tempore, contentioſa quædam, coram eo agitaretur quæſtio, circa noſtrorum Minorum Fratrum ſtatum ac viuendi modũ, quiſnam eſſet melior atq; perfectior, recollectorum, an vero Obſeruantium, ex perfectione charitatis & mediorum ad ipſam ordinatorum, perfectionem ipſam ponderat & demetiendam eſſe dicit, non autem ex maiori vel minori arctitudine ſiue rigote. Quin vero & doctiſſimus Doctor Nauarro, Theologus ſimul & Canoniſta, & vtriuſque iuris Canonici, ſcilicet, & Ciuilis peritiſſimus commentario 4. de regu. ſuper *c. ſtatuimus, nume.* 1. & 2. expreſſe tenet, Religionis alicuius perfectionem, etiam quantum ad hunc effectum, vt ex vna ad aliã licite fieri poſſit tranſitus, nõ eſſe deſumẽdam ex maiori arctitudine, ſed ex altiori & nobiliori fine. Hac enim ratione probat, quod Canonicus Regularis olim, non poterat tranſire ad ordinem Monachorũ, iuxta *c. 1. & c. mandamus*, 19. *q.* 3. quia licet (inquit) vita & ſtatus Monachorum eſſet arctior; iuxta, *c. quod Dei timorem, de ſtatu Monachorum*, ſtatus tamen Canonicorum erat altior, quia finis inſtitutionis ipſorum, eſt actio miniſteriorum Eccleſiæ publicorum, qui quidem eſt finis ſublimior. Ad quod probandum, adducit D. Tho. loco ſupracitato, & Cardinalem Turrecrematam *in c. 1. 18. q. 2.* vbi vtrique aiũt, quod hac in re principaliter attendendus eſt finis, & id ad quod inſtituitur aliqua Religio, quam eius arctitudo, ad iudicandum quiſnam Ordo ſit perfectior & altior, & quod ab altiore non deſcenditur ad inferiorẽ, etiamſi ſit arctior. Ex quibus colligit Nauarro, quod ab Ordine Canonicorum Regulariũ, olim non fiebat, nec fieri poterat tranſitus, ad ordinẽ Monachorum, imò verò ex Ordine Monachorum, fieri poterat ad ordinem Regularium Canonicorum. Loquitur de Monachis antiquis ſolitarijs, & ſeorſum vitam agentibus, non vero de viuentibus prout nunc viuitur in cõmuni, de quibus poſtea infra dicemus. Sed tamẽ quidquid de hoc ſit, ad noſtrũ propoſitum, ſat eſt oſtẽdiſſe & dixiſſe, ſecundum D. Thom. & prædictos auctores & Doctores, Religionis alicuius perfectionem & excellentiam, non tam deſumendam eſſe ex maiori arctitudine & rigore, quam ex altitudine & perfectione maiori ipſius, & ex altiori & nobiliori fine ad quem talis Regio eſt inſtituta, & ex medijs ad ipſum conſequendum ordinatis, & penes hoc potius quam ex arctitudine, eſſe penſandum iudicandum atque determinandum, an ex vna Religione ad aliam licite fieri poſſit tranſitus. Quibus ſic præmiſſis, vt propoſito articulo ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Quãuis in foro exteriori & Eccleſiæ, QVamuis ſtando in foro exteriori & Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, ex maiori arctitudine, Religionis perfectio deſumenda ſit, quantum ad effectum, vt ex vna ad aliam ſtricti orem, licite fieri poſſit tranſitus, in foro tamen conſcientiæ & in rei veritate, ex altiori & nobiliori fine deſumenda eſt, ac etiam ex medijs potioribus, ordinatis ad conſequendum eundem finem, quod dum conſtiterit, verum habet tam in foro interiori quam in exteriori. Probatur hæc concluſio, quoad primam partem. Nam Eccleſia vt plurimum eo modo procedit, & hac ratione (vt videtur) iudicauit & determinauit, vt quidam volunt, Carthuſienſium Ordinem, eſſe omnium perfectiorem, quia ſtrictior & arctior, liciteque proinde fieri poſſe tranſitum ad Carthuſiam, ex quocumque ordine, prout habetur in extrauaganti, *viam ambitioſæ cupiditatis*. Fuitque hoc rationi multum conforme: nam cum huiuſmodi tranſitus, de iure fieri non poſſet, niſi de Prælatorum licentia, petita (quamuis non obtenta) iuxta *ca. licet quibuſdam, de Regu.* cum vnuſquiſque Prælatus ſuam Religionem, perfectiorem eſſe contenderet, & ad id facile eſſet plurimas rationes adducere, & cauſas allegare & adinuenire, nempe ex nobiliori fine, perfectioribus medijs, ex vberioribus fructibus &c. niſi huiuſmodi lis, iam per Eccleſiam quodam modo eſſet definita atque determinata, vt ſcilicet ea cenſeretur perfectior Religio, quæ maiori arctitudine, & auſteritate vigeret, pene infinitæ, innumeræ atque inextricabiles & interminatæ, indies exorirentur quæſtiones, & quælibet religio vberiores ſuos fructus allegaret: quæ quæſtio, cum non eſſet tam iuris quam facti, haud quaquam facile poſſet decidi & determinari. Bene igitur cautum atque prouiſum fuit per Eccleſiam in exteriori foro, vt Religionum omnium perfectio, ex maiori arctitudine & auſteritate dijudicaretur, & quod illa diceretur perfectior, quantum adhunc effectum, vt ex alijs ad ipſam licite pateret tranſitus, quæ iuxta ſuam regulam & ſtatuta, in rigoribus & aſperitatibus & alijs huiuſmodi, alias omnes antecelleret & ſuperaret. Sed loquẽdo de foro interiori conſcientiæ (quæ fuit ſuprapoſitæ concluſionis ſecunda pars) propter auctoritatem & rationes D. Thomæ & aliorum, qui hac in re ipſum ſequuntur, certiſsimẽ credo & exiſtimo, quod Religionum perfectio, potius deſumenda ſit, ex altitudine & nobilitate finis, ad quem ordinantur, & ſecundario ex diſcretione & conuenientia, obſeruantiarũ eidẽ fini proportionarũ, quam ex maiori arctitudine. Quod dicit D. Th. 2. 2. in ſupradicta q. 189. arti. 8. in corpore, & multo melius atq; amplius. q. 188. art. 6. ad 3. Ad quod etiam dicendum moueor: nam certiſſimum eſt, quod B. Ioannes Baptiſta & ſui ſequaces atq; diſcipuli, arctiorem & aſperiorem egerunt vitam quam Chriſtus Dominus, eiuſdemque S. Apoſtoli & Diſcipuli, vt ſatis ex Scriptura, & Euangelij hiſtoria conſtat, & tamen nullus recte audebit aſſirmare ac dicere, quod perfectior fuerit illorũ ſtatus, quam Chriſti Domini & ſanctorum ſuorum Apoſtolorum. Quod mihi argumentum efficaciſſimum videtur & in hac re, omnes contrarium tenentes confundere atque conuincere. Quod ſi hoc non ita eſt, dicant mihi qualiter in propoſito caſu, ſtare potuit maior perfectio, cum minori arctitudine. Ratio quidem meo iudicio concludit.

Religionis perfectio deſumatur ex maiori arctitudine, non ſic autem in foro conſcientiæ & interiori, atque ex hoc diiudicandum eſt, ex qua Religione ad aliam fieri poſſit tranſitus.

Pro tranſitu qui communiter fit, ex Religione quacũque ad Carthuſiam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm quando aliqua Religio eſt deformata, & non ad vnguem ſeruatur, quod in ea ſeruari promittitur, ſit licitus tranſitus, ex ipſa ad aliam, quæ ſecundum Regulam & eiuſdem Conſtitutiones & ſtatuta, in exteriori foro, ſit minus ſtricta & perfecta?

Prima Concluſio.

Si aliqua Religio ſit deformata, & in ipſa ad vnguem nõ obſeruetur regula, licit' eſt tranſitus ex ipſa ad aliam laxiorẽ.

SI aliqua Religio (quod abſit) ſit deformata, & iam à ſua debita declinauit perfectione, neque in ipſa ad vnguem ſeu ad literam, eiuſdem obſeruatur regula, licitum eſt ex illa ad aliam tranſire, quæ alias erat minus ſtricta & perfecta, in foro exteriori. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ. 2. 2. q. 189. artic. 8. in corpore, & hæc eſt vna ex rationibus, quas ibi affert Doctor Sanctus, ad oſtendendum eſſe licitum tranſitum, de vna ad aliam Religionem, nempe propter declinationem ipſius à ſua debita perfectione, vt puta ſi in Religione aliqua arctiori, incipiant Religioſi remiſſius viuere, & inquit D. Thom. quod tunc laudabiliter fit tranſitus ad aliam Religionem etiam minorem, ſi ibi Regula melius obſeruetur. Ad quod probandum adducit auctoritatem cuiuſdam Abbatis, Ioannis nomine, de quo fit mentio in Collationibus Patrum, colla. 19. cap. 3. 5. & 6. qui de ſe ſolitus erat dicere, à vita ſolitaria in qua fuerat profeſſus, tranſiſſe ad minorem eorum ſcilicet, qui in ſocietate viuebant, quia nempe vita eremitica, ab antiqua ſua perfectione iam declinare cæperat & laxius obſeruari. Eandem ſententiam tenet Panor. *in cap. ſane, de regu.* vbi dicit, quod ad validitatem ingreſſus, ex vna in alteram Religionẽ, non debemus conſiderare regulam antiquitus inſtitutam, ſed modum viuendi de præſenti, vnde ſi ſecundum Monaſterium, habet regulam ſtrictiorem, quæ tamen de præſenti multis in locis non ſeruatur, non (inquit) eſt licitum tranſire ad ipſum, neque de Monaſterio quod habet regulam laxiorem ſed bene ſeruatam, ad aliud Monaſterium quod habet illam ſtrictiorem, non tamen bene ſeruatam. Oportet enim, ait, quod ſecundum Monaſterium & Religio illa, ad quam fit tranſitus, non ſolum ſit ſtrictior de iure (ideſt ſecũdum ſe) ſed etiam de facto, & quod actu de præſenti in eo maior obſeruantia vigeat. Quam Panormitanam ſententiam, Doctores vbique approbant, & dicũt eſſe valde notabilem, quia multi in hoc decipiuntur, conſiderantes ſolummodo regulam vtriuſq; Monaſterij antiquitus inſtitutam, & non modum viuendi de præſenti, in vtroque conſiſtentem. Parum enim refert, ſecundam Religionem habere Regulam ſtrictiorem, niſi ibi actu ducatur vita ſtrictior. Quam etiam concluſionem, de facto confirmat & approbat noſtrarũ Hiſpaniarũ legũ partitarum quædã lex, *lib. 9. titu. 7. par. 1. verſu, à otras mas fuertes Religiones*, vbi fortiorum Religionũ nomine, intelliguntur quæ actu ſunt ſtrictiores & vbi actu ſeruatur vita ſtrictior. Sed probatur modo concluſio, alia ſpeciali ratione: nam alias ceſſaret ratio, permittendi tranſitum vnius Religionis ad aliã. Etenim ſi tranſitus iuxta *c. licet de Regu.* licitus atque permiſſus, pro eo eſt vt viuatur arctius & ſtrictius, & vt quis ducat ſtrictiorem vitam, cum idipſum præſumatur inſpirare & operari Spiritũ ſanctum, vt in prædicto *c. licèt* inſinuatur, quin vero expreſſe dicitur, ſi in ſecundo Monaſterio non ſeruatur vita ſtrictior, quam in primo ſed laxior, nulla ſubeſt cauſa permittendi eiuſmodi tranſitum, licet regula ipſa alias ſit ſtrictior, quia tranſiens non cenſeretur moueri ab Spiritu ſancto, neque cauſa maioris Religionis, quin potius maioris diſſolutionis. Sed quia in hoc multiplex eſſe poteſt controuerſia, ad eam diluendam & vt perſpicuum fiat, quid in caſu dubij faciendum ſit, ſecundum ſtatuo concluſionem.

Nota hoc valde, pro Religionibus, in quibus religioſi gloriantur ſe regulã habere ſtrictiorem.

Secunda Concluſio.

In caſu quo dubiũ eſt, an ſit ſtrictiorre ligio, illa ad quã trãſitur requirendum eſt Superioris indicium.

SI dubitetur, quænam Religio ſit ſtrictior, illa de qua fit tranſitus, an vero ea ad quam tranſitur, non eſt ſtandum verbo volentis tranſire, nec verbo Prælati licentiam negantis, ſed requirendum eſt ſuperioris iudicium. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo Religio, 4 q. 1.* & ea eſſe dicit, Panormitani & Innocentij, qui in eo caſu dicunt, illum eſſe Superiorem, ad quem appellaretur ſi talis Religioſus grauaretur. Et ratio huius concluſionis eſt, quia Prælatus in ſua propria cauſa, non debet eſſe Iudex, quod dicit Panor. habere locum generaliter, vbicumque oritur contentio inter religioſum & ſuum Superiorem, quia debet (inquit) adiri ad Superiorem immediatum, quæ omnia ſunt valde notanda ac memoriæ commendanda.

Tertia Concluſio.

Ad hoc vt præ dictus tranſitus ſit licitus ex vna Religione ad aliam, quæ nãneceſſario debeant concurrere.

AD hoc vt tranſitus ad ſtrictiorem Religionẽ ſit licitus, etiam iuxta ſenſum ſupradictum, neceſſum eſt quod huiuſmodi tranſitus, non fiat ex leuitate ne ex temeritate, aut ex odio prioris Prælati, ſed ẽ zelo melioris vitæ, & in caſu dubij recurrendum eſt ad Prælatũ Superiorem. Hæc cõcluſio habetur expreſſa in ſupradicto, *cap. licet quibuſdam, de regu.* vbi poſt alia dicit Innocentius III. *Si vero probabiliter dubitetur, vtrum quis velit ad ordinem actiorem aut laxiorem, ex charitate an ex temeritate tranſire, ſuperioris eſt iuditium requirendum, ne forte Angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformet.* Verba ſunt notatu digniſsima. Ad quod propoſitũ, dicit Sylueſt. loco ſupracitato q. 2. quod ſi circa hoc, inter Prælatũ & ſubditũ ſit cõtrarietas & cõtentio, ad Superiorẽ poteſt appellari, etiã ſi in tali Religione interdicta ſit appellatio, quia intelligitur interdicta, in ſpectantibus ad correctionẽ, nõ vero in alijs. Si vero Prælatus nõ reſpõdeat ſubdito, aut neget licẽtiã ab eo petitã, ſeu alleget in iuſtam aliquam negationis cauſam, dicunt Innocent.

eent. & Panormit. quod in his & ſimilibus caſibus, poteſt ſubditus incontinenti tranſire, non vero ſi allegat cauſam iuſtam aut veriſimilem negationis ſuæ: nam tunc inſtare debet apud Superiorem, vt illam decernat & ſententiam ferat, ſi vero dicat ſe velle habere conſilium, expectare tenetur ſubditus debito tempore, quia prælatus non tenetur inconſulto reſpondere. Super hæc omnia aduertendum eſt, quod tunc & non aliter, ſupradictus tranſitus eſt licitus, quando nulla habetur ſpes de reformatione Religionis deformatæ, neque in eadem Prouincia ſeu Religione, eſt aliquod Monaſterium, vbi reformate & regulariter viuatur: quod ſi habetur, non erit licitus ſupradictus tranſitus. Hoc placet Panor. & eſt multum notabile.

In calce huius articuli, ad conciliandas ſupradictas opiniones D. Thomæ & Theologorum ex vna parte, & Iuriſconſultorum ex alia, dico quod ad probandum vel condemnandum tranſitum, ex vna Religione ad aliam, attendi & conſiderari debet, vita arctior & ſtrictior, quando finis & fructus ambarum Religionum parificantur, at vero ſi non parificantur, illa præponderare habet, cuius cum vita æque ſtricta vel etiam minus ſtricta, nobilior eſt finis, quia media ſunt propter finem, non vero è contra.

ARTICVLVS V.

Cuiuſnam Prælati licentia requiratur ad hoc vt ſit licitus tranſitus, ex vna Religione ad aliam?

Circa hanc difficultatem, eſt multiplex Doctorũ opinio. Quidam enim dicunt, non ſufficere Prælatorum Conuentualium licentiam, & illorum Monaſteriorum, in quibus habitant Religioſi, pro tempore quo volunt ſe ad aliam Religionem transferre, ſed neceſſario eſſe requirendam, aliorum Prælatorum Superiorum, vt puta Prouincialium, aut vero Generalium. Alij vero è contrario tenent, Prælatum Ordinarium & Conuentualem, Monaſteriorum quorumcumque, Priorem ſcilicet ſiue Guardianum, ſeu alium quocumque nomine nuncupetur, copiam poſſe facere Religioſo ſibi ſubdito, illique licentiam præſtare, vt ex vna in aliam Religionem ſe transferat. De qua difficultate & controuerſia, qui plura videre voluerit, conſulat Sylueſtrum, *verbo Religio 4. quæſtione. 2. & 3.* vbi hac de re plura dicit, eaque notatu digniſſima. Conſulat etiam Nauarr. ſuper *cap. ſtatuimus, commentario 4. de regu. numero. 10. cum ſequentibus*, & Marcum Antonium Cuccum Iuriſconſul. libro. 3. ſuarum maiorum inſtitutionum de regularibus, numero 137. & ſequentibus: ex quibus, quæ hac in re mihi probabiliora ſunt viſa, pro præſentis articuli reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Si tranſitus fiat ad ſtrictiorẽ Religionẽ, Prælatus inferior & Cõuentualis Monaſterij, huiuſmodi licentiã poteſt præſtare.

Si tranſitus fiat ad ſtrictiorem Religionẽ, Prælatus inferior & Conuentualis Monaſterij, huiuſmodi licentiam poteſt præſtare. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri in ſupradicto, *ca. ſtatuimus num. 10.* quam & probat *ex cap. licet quibuſdam, de regularibus*, quatenus ibi habetur, licentiam & facultatem etiam ſolum debite petitam, quamuis non obtentam, ſufficere ad hoc vt quiſpiam Religioſus, ſpiritu Dei ductus & ex zelo maioris perfectionis & ſtrictioris vitæ, licite ſe transferat ad arctiorem & ſtrictiorem Religionem. Ex hoc infert Nauarr. quod iure communi, Prælatus etiam inferior, facultatem prædictam poteſt facere ſubdito circa hoc, neque requiritur alius Prælatus ſuperior, ſiquidem petita licentia licet nõ obtenta, ipſe poterat id ipſum facere. Sed loquendo de Religione non arctiori & ſtrictiori, ſed de alia æquali, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Etiam Prælatus inferior, prædictam licentiã poteſt præſtare, ſi tranſitus fiat de Religione æquali ad alteram æqualẽ cũ iuſta et legitima cauſa, de conſenſu ſui Capituli.

Si fiat trãſitus de Religione æquali, ad alteram æqualem, cum iuſta & legitima cauſa, etiam poteſt præſtare huiuſmodi licentiam, Prælatus Conuentualis, de conſilio & conſenſu ſui Capituli. Hæc concluſio etiam aliqualiter eſt ſupradicti Nauarr. loco ſupracitato, quam & probat ex gloſſa recepta, *in cap. cum ſingula. §. prohibemus, ver. cauonice. de præben. lib. 6.* quamuis ibidẽ id non nimiscla re probetur. Sed quidquid de hoc ſit, eſt expreſſa ſententia Syluestri, *verbo, Religio. 4. q. 2.* quam & probat ex *gloſſa in c. non eſt dubium, de regul.* & pro ea facit, *c. ſtatuimus, 19. q. vlt. & c. ſine exceptione. 12. q. 2.* & dicit Syluester hoc eſſe verum, loquendo de tranſitu ad æqualem Religionem cum cauſa. Nam ſi fiat ſermo, de trãſitu ad æqualem ſine cauſa, id ſolummodo fieri poteſt de licentia Papæ, etiam quoad Deum, ſecundum *Gloſ. in ſumma. 9. q. 1.* & Panorm. *in dicto. c. non eſt dubium, de regu.* Sed loquendo de tranſitu ad Religionem laxiorem, ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Si fiat ſermo de trãſitu religionis arctioris, ad alterã laxiorẽ ſine cauſa, ſolus Papa licẽtiã poteſt præſtare, peccabit tamẽ. At cum cauſa id ipſum Prælatus inferior poteſt facere.

Si fiat tranſitus de Religione arctiori & ſtrictiori, ad alterã laxiorem, ſolus Papa poteſt huiuſmodi licentiam præſtare ſine cauſa, quoad forum exterius (peccabit tamen) cum cauſa vero Prælatus etiam inferior eo id poteſt facere. Hæc concluſio eſt etiam Doctoris Nauarri, vbi ſupra, & Syluestri. quam & probant ex *c. cum in ſingula, de præb. lib. 6.* & dicit Nauar. hoc eſſe de iure communi. Nam loquendo de iure particulari & particularibus ſtatutis, ſeruandum eſt quod in eiſdem fuerit conſtitutum. Sed quia de his omnibus infra particulares ſunt ſtatuendi articuli & mouendæ difficultates, quibus hæc omnia amplius eluciden tur, ab hoc articulo pro nunc conſultò ſupersedeo. Videantur prædicti Auctores, in locis ſupra citatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Prælati concedentes vel negantes, ſupradictas licentias ſine legitima cauſa, peccēt mortaliter? & quænam ſit legitima cauſa, hac in re diſpenſandi?

Prima Concluſio.

Prælatus negans licentiā ſubdito, tranſeundi ad ſtrictiorē Religionē, ſine cauſa legitima, peccat mortaliter, meretur-que puniri.

QVI Prælatus abſque iuſta & legitima cauſa, denegaret ſubdito, licentiam tranſeundi ad arctiorem & ſtrictiorem Religionem, peccaret quidem mortaliter, & merito deberet puniri. Hæc concluſio deducitur, *ex cap. licet quibuſdam, de regul.* vbi habentur hæc ſequentia verba. *Quocirca nouerint vniuerſi, quibus huiuſmodi priuilegium eſt conceſſum, ſe ad concedendam licentiam tranſeundi, taliter poſtulantibus de Iure teneri. Quia ſicut ſubditus à Prælato, cum humilitate & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; ſic profecto & Prælatus ſubdito ſine difficultate & prauitate qualibet, debet tranſeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impedire diuinitus inſpiratum.* Verba ſunt notatu digniſſima. Cauſa autem legitima & ſufficiens ad id ipſum, eſt ſi in priori illa ſua Religione non ſeruatur regula ſeruatur tamē in alia. Quo quidē caſu notādū eſt, id q̄ ſupra diximus, ar. 2. de mēte Panor. & aliorum, quod quantum ad hoc, non cō ſideratur Regula antiquitus inſtituta, ſed modus videndi de præſenti; & quod tunc & non aliter, licitus eſt tranſitus ad ſtrictiorem Religionē, quando in priori Religione, non regulariter ſed relaxate viuitur, & in tota ea ſeu in tota Prouincia, non eſt aliud Monaſterium, ad quod poſſit fieri tranſitus, in quo regula ad vnguem obſeruetur, neque habetur vlla ſpes reformationis ipſius. Quibus etiam omnibus concurrentibus, eſt opinio Archidiaconi relati à Syluestro, *verbo, Religio, 4. q. 1. notab. 5.* & aliorum multorum, quod ſi ex trā ſitu ad eam, quam certum eſt eſſe arctiorem atq; ſtrictiorem, prior religio incurrat grauē iactūrā ſeu infamiam, in tali caſu nō licet tranſire. Quod probant argumento deducto, *ex ca. ſi quis vero. 11. q. 3.* Et facit ad idem, *c. licet quibuſdam de regu.* vbi dicitur, quod nemo debet eſſe cauſa ſcandali, & vtilitatem priuatam præferre vtilitati communi, qualis eſt totius Ordinis, & etiam vnius monaſterij. Et ſi de facto tranſitur, dicunt quod fieri debet reſtitutio. argumēto deducto, ex ſupra dicto, *c. licet, verbo iacturam*, De quo licet Panorm. dubitet & cum eo alij multi, quia (inquiunt) propter læſionem Monaſterij, propoſitum diuinitus inſpiratum, non debet impediri, dicit tamen Syluester hoc nō eſſe dubitandum, quando illa infamia vel iactura, non venit ex culpa Monaſterij ſed aliunde, nempe ex rerum qualitate, quia (inquit) non eſt à Deo propoſitum inſpiratum quicquam illicitum, & cum ex tali tranſitu, maius ſit diſcrimen & damnum, quod Religio patitur, quam commodum quod Monachus ſiue Religioſus ſit lucraturus, tranſire non licet.

Quænā ſit cauſa ſufficiens atque legitima, concedendi licentiam, ad tranſeundū ad aliā Religionem.

Nota hoc valde, quod non licet religioſo, trāſire ad aliam Religionem etiā ſtrictiorē, quādo ex eo timetur ſcandalū, ſeu vergit in infamiā prioris Religionis

Inſuper eſt notandum, debere etiam conſtare Prælato, quod huiuſmodi mutatio ex Dei zelo & charitate, & non ex leuitate fiat, de quo ſi dubitetur, requirendum eſt ſuperioris iudicium, vt habetur in prædicto. *c. licet quibuſdam.* Quibus omnibus addo, quod prædicta licentia, in Monaſterio debet poſtulari & peti, antequam relinquatur habitus ſeu ad aliam Religionem fiat tranſitus, alias enim (inquit dictus Syluester,) quod ſi quis non petita licentia quam petere tenebatur tranſiuit, reuocari poteſt ſecundum multorum opinionem licet quidam alij contrarium ſentiant. Concurrentibus tamen omnibus ſupradictis, certiſsimum eſt quod in cōcluſione eſt dictū, ſcilicet q̄ prædicta licentia debet præſtari, ſub pœna peccati mortalis, quamuis primum Monaſterium ſit priuilegiatum, ne quis inde trahire poſſit ad aliud etiam arctius. Quia præſumitur hoc illi conceſſum fuiſſe, ne tranſitus fieret ex temeritate vel leuitate, in iacturam proprij Ordinis, ſeu Prioris Monaſterij, & non ſub prætextu maioris perfectionis. Videatur Syluester, vbi ſupra verbo religio. 4. q. 1. notabi. 4. in fine.

Secunda Concluſio.

Prælatus, ſine ſufficienti & legitima cauſa, licētiā cōcedens, ſubdito tranſeūdi ad aliā Religionē æqualē, peccat mortaliter.

QVI Prælatus ſine ſufficienti & legitima cauſa, concedit licentiā & facultatem alicui ſubdito, vt ad aliam Religionem æqualem tranſeat, peccat mortaliter? Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, & probatur: nam quamuis Prælatus de iure communi (vt dictum eſt, in præcedenti articulo) aut etiam ex ſpeciali priuilegio, huiuſmodi copiam ſubdito poſſit facere, intelligendum id eſt, interueniente iuſta atq; legitima cauſa, hac enim nō exiſtente, etiam ſummus Pontifex (ſecundum multos) non poteſt huiuſmodi licentiam præſtare quoad Deum, quamuis poſſit in foro exteriori. Hoc dico ex aliorum ſententia & opinione, nam credo quod ſi fiat ſermo de tranſitu ad Religionem æqualem, ſummus Pontifex & cum cauſa & ſine ipſa, poteſt diſpenſare in vtroque foro, vt tenet Panorm. *in cap. non eſt de Regul.* ſecus tamen eſt, loquendo de tranſitu ad laxiorem, vt dicemus infra in 4. concluſione. Sed quidquid de hoc ſit, dico quod Prælati & Superiores inferiores Papa, tenētur ex ſufficiente & legitima cauſa, huiuſmodi licentias præſtare, non vero aliter. Cauſæ autem legitimæ ſunt in duplici differentia nam quædam ſe tenent ex parte Monaſterij, quo fit tranſitus, & à quo Monachus ſiue Religioſus vult recedere, vt propter malam aëris temperiem, ſi in tali Religione non ſit aliud Monaſterium intra idem regnum, quo inueniatur diuerſa aëris temperies, complexioni Monachi magis accommodata, & præterea ſi Monachi aut Religioſi alicuius parentes, premantur magna neceſſitate, & in tali monaſterio aut Ordine non ſit commoditas ad ſubueniendum illis, per modos ſuæ Regulæ congruē tes. Aliæ cauſæ ſe tenent ex parte ipſorum Monachorū, vtpote, ſi ex ſua debilitate & delicata cōplexione, non poſſunt ferre eiuſdem Religionis difficultates, aſperitates & moleſtias, vel quia in conſul-

Quænam ſint iuſtæ cauſæ tranſeūdi ex vna Religione ad aliam.

conſulta prudentia, Religioſus aliquis profeſſus eſt, Religionis alicuius aſperitatem nimiam, quã neſciebat & ignorabat quando profeſſionem emi ſit; vel quia in aliqua Religione huiuſmodi religioſus, perſecutiones patitur & eſt inuiſus, & gratis odio habetur, quæ omnia intelligenda ſunt ea lege & pacto, vt huiuſmodi difficultatibus ipſe nullatenus cauſam præſtiterit. Multæ aliæ ſunt cauſæ, ob quas huiuſmodi tranſitus poteſt iuſtificari, vt fiat non ſolum ad æqualem, verum etiam ad laxiorem quandoque Religionem, quæ cum non ſint expreſſæ & determinatæ in iure, boni atque prudentis viri, iudicio & arbitrio relinquuntur, iuxta *l. 1. ff. de iure, deliber. & c. de cauſis, de offic. iu dic. delegati*. Hæc dicta ſufficiãt pro nunc, de tranſitu ad Religionem æqualem, nam & plura infra dicemus. Sed loquendo de tranſitu ad Religionem laxiorem, ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Probabile eſt quod ex iuſta & legitima cauſa, Prælatus etiã Papa inferior, copiãpoſſit facere ſubdito, vt ad aliãreligionẽ laxiorẽ ſe tranſferat

PRobabile eſt, quod Prælatus etiam Papa inferior, ex iuſta & legitima cauſa, diſpenſare poteſt cum ſibi ſubdito, vt tranſeat ad laxiorem Religionem. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. lib. 3. conſi. de Reg. conſ. 56. nu. 5. & ſuper *cap. ſtatuimus*, 19. *q.* 3. *n.* 11. quam dicit eſſe etiam Panor. *in cap. non eſt dubium, num. 6. & c. ſignificatum, eod. titu. numero 6.* & cum ea concordare videtur Sylueſt. *verb. Religio, 4. q. 2.* Nam quamuis ibi etiam dicat, ſecundum aliquos, Prælatos inferiores Papa id non poſſe, niſi cauſa ſit nimis vrgens & magna indigens celeritate (alias enim recurrendũ eſt ad Papã) dicit tamen, hoc eſſe intelligendum de conſilio, & vbi id commodè fieri poteſt, argumento deducto, *ex c. non cogantur. 41. diſt.* Vel dicit eſſe intelligẽdum, quoad religioſos non exemptos, nã in exemptis diſpenſat Prælatus, qui loco Epiſcopi præeſt, argumento deducto, *ex Gloſ. in dicto, c. p. non eſt dubiũ, & cap. non mediocriter, de conſec. diſt. 5.* Nec dictis obſtat, id quod communiter dicitur, quod ſolus Papa poteſt diſpenſare in hoc, vt religioſus ad laxiorem tranſeat, nam intelligendum id eſt, de potentia diſpenſandi ſine cauſa, & quoad forum exterius, non autem quo ad interius, cum cauſa & cauſæ cognitione, quod neceſſarium eſt, vt dicit Nauarr. conſi. ſupracitato, numero 2. nam in foro interiori & conſcientiæ, nec ipſe Papa ſine cauſa diſpenſare poteſt, vt religioſus aliquis pro libito ad laxiorem Religionem ſe transferat, vt dicetur in ſequente concluſione.

Quarta Concluſio.

Si ſumm. Põtif. diſpenſaret pro libito & ſine cauſa cũ aliquo religioſo, vt ad laxiorẽ Religionẽ ſe trãſferat, peccaret, nec diſpẽſatus erit tutus in cõſcientia.

QVamuis ſummus Pontifex quoad forum exterius, libere poſsit diſpenſare, in hoc quod religioſus aliquis, ad laxiorem Religionem ſe transferat, in foro tamen interiori & conſcientiæ, ſi id abſque legitima cauſa faciat, peccabit ipſe mortaliter, nec diſpenſatus erit ſecurus in cõſcientia. Hæc concluſio, eſt omnium Doctorum communis. Pro cuius intelligentia ſimul & probatione ſuppono, quod quamuis ſummus Pontifex in foro exteriori, in rebus pertinentibus ad Religionum gubernationem, & in eis quæ mere iuris ſunt poſitiui, plenitudinem habeat poteſtatis, iuxta *cap. propoſuit, de conc. præbendarum* (ipſe enim omnes approbat vel improbat Religiones, neque in Eccleſia eſſe permittuntur aliquæ, niſi de ipſius licentia & approbatione) attamen in foro interiori conſcientiæ & coram Deo, non poteſt Papa quæcumque vult, neque ſine iuſta & legitima cauſa diſpenſare in hoc, vt religioſus aliquis ad laxiorem Religionem ſe transferat. Hoc vnanimiter tenet, communis omnium Theologorum & Iuriſconſultorum Schola, S. Tho. 1. 2. quæſtione 96. articulo 9. & quæſt. 97. artic. 4. & Caiet. ibidem, Victoria de poteſt. Papæ & Concilij, quæſtione 7. Soto de iuſt. & iure, lib. 1. quæſt. 7. artic. 7. & DD. Canoniſtæ, *in cap. cum omnes, de conſt.* Nauar. *in cap. ſtatuimus, num.* 10. qui omnes incunctãter aſſerunt, quod nulla diſpenſatio ſine iuſta cauſa facta, etiam à ſummo Pontifice, eſt licita in conſcientia, quamuis ſit circa legem pure humanam, & à iure diuino minimè dependentem, imò reuera ſummus Pontifex ſic diſpenſans peccabit, & ſimiliter omnes qui eandẽ diſpenſationẽ ſolicitarunt & procurarunt. Et addunt DD. Prædicti, quod ſi diſpenſatio, ſit circa legem dependentem à iure diuino, vt eſt diſpenſatio in iuramentis & in votis, & in pluralitate beneficiorum, & in hoc vt Laicus præficiatur Monachis in Abbatem, aut quod profeſſus vnius Religionis tranſire poſſit ad aliam laxiorem, ſi id fiat (vt præmiſſum eſt) ſine ſufficiente & legitima cauſa, non ſolum peccat ipſe Papa mortaliter diſpenſando, & eandem diſpenſationem petentes, ſolicitantes, & procurantes, verum etiam ipſa quoque diſpenſatio, in ſe eſt irrita & nulla quoad Deum, ita quod ſic diſpenſatus, quotieſcumque tali diſpenſatione vtatur, peccat non ſolum venialiter, verum etiam & mortaliter. Hanc itaque conſtituunt differentiam, inter diſpenſationem à Pontifice factam, circa legẽ pure humanam, & nullo modo dependentẽ à iure diuino, ſiue lege diuina, vt eſt diſpenſatio in gradibus prohibitis matrimonij, & in diebus ieiunij, & aliã (de qua diximus) à iure diuino dependentẽ, quod licet in vno caſu peccet Papa diſpenſans ſine cauſa, & petentes atq; ſolicitantes diſpenſationẽ, ipſa tamẽ in ſe nõ erit omnino nulla, imo tenebit factũ, nec peccabũt ſaltim mortaliter, talibus diſpenſationibus vtentes (quidquid dicat Caiet.) at in ſecũdo caſu, & ipſe Papa diſpẽſans peccat mortaliter & procurãtes & ſolicitãtes eandẽ, & diſpẽſatio ab eo facta eſt ipſo iure irrita & nulla, & eadẽ vtẽtes nõ ſunt tuti in cõſcientia, quin vero peccant etiã mortaliter. Ad quod probandũ appoſitiſſimã adducit rationẽ Nauarr. vt oſtendat quod non poteſt Papa iuſte, niſi iuſta cauſa, trãsferre aliquẽ religioſum ad Religionẽ, ſiue laxiorẽ Regulã, quia (inquit) neminẽ poteſt iuſte ab vllo voto, niſi iuſta de cauſa abſoluere, iuxta *c. non eſt, iuncta gloſ. de voto & voti redẽp.* ſed dare facultatẽ tranſeundi ad laxiorẽ Religionẽ, in effectu & reuera eſt, abſoluere religioſum à voto, ſaltem ex parte, quantum attinet ad obligationem, qua tenebatur ſeruandi Regulam ſtrictiorẽ, ergo illud facere nõ poteſt, quin vero faciẽdo peccabit mortaliter, vt dictũ eſt. Ex dictis ſuperq; ſatis colligitur, qualiter Prælati aut Superiores, peccẽt aut

Nulla diſpenſatio facta à etiã Papa, ſine iuſta cauſa eſt licita, maxime in his quæ iuris ſũt diuini.

non peccent, concedendo vel negando, licentiam ſibi ſubditis, tranſeundi ex vna ad aliam Religionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ex vno Ordine Mendicantium ad alium, licitè fieri poſſit tranſitus?

IAM ſupra, quæſt. 11. art. 6. à nobis dictum eſt, quinam ſint in Eccleſia Ordines ſiue Religiones Mendicantes, & de ipſarum differentia. Et quod quædam ſunt Mendicantes ex iure & ex ſua Regula, illæ nempe quæ ex ſuo inſtituto, Regula & profeſſione, ſtrictam paupertatem & mendicantem profitentur, neque habere poſſunt proprium in particulari neque in communi: aliæ verò ſunt Mendicantes, non quidem ex iure aut ex ſua Regula, ſed ex priuilegio & ſummorum Pontificum permiſsione & conceſſione, quibus non repugnat, habere poſſeſsiones & proprium in cõmuni, quin vero de facto illud habent. Primi generis ſunt, prædicatorum & Minorum Ordo & Eremitarum S. Auguſtini & Carmelitarum & ſi quæ ſunt eis ſimiles. Secundi verò generis, ſunt plures aliæ religiones, quæ ex priuilegijs eiſdem conceſſis, & ſummorum pontificum benignitate & conceſſione, Mendicantium inſigniuntur nomine, de quibus ſupra loco citato, expreſſam fecimus mẽtionem. Hoc igitur præſuppoſito, in præſenti articulo quæritur, vtrum ex vno Ordine Mẽdicantium, ad alium licitus ſit tranſitus? Et ratio dubitandi eſt, nam vt ſupra diximus, Pius V. P. M. in Religione educatus, conſiderans multorũ Monachorum mutabilitatem atque inconſtantiam nimiam, anno Domini 1569. pridie Idus Octobris, Pont. ſui anno 4. quadam ſua conſtitutione, quæ incipit. *Quæcumque ſacrarum Religionum*, reuocare & abolere viſus eſt, omnia & ſingula priuilegia, circa recipiendos & retinendos Fratres alterius Ordinis, prout ex ipſius ſupradicta Conſtitutione ſiue Motu proprio licebit colligere. Sed his non obſtantibus, propoſito articulo reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Religioſi ordinũ Mẽdicãtiũ bene poſſunt ad alios Mẽdicantes tranſire, ſeruata forma iuris communis, neque hoc reuocatũ eſt per Motũ proprium Pij V.

REligioſi Ordinum Mendicantium, bene poſſunt ad alios Ordines, etiam Mendicantium tranſire, ſeruata forma iuris communis, neque hoc reuocatum eſt per Motum proprium Pij V. Hæc concluſio conſtat, primo ex prædicto Motu proprio, in quo vt videre licebit, non abſolutè reuocãtur & abolentur omnia priuilegia quæ habebantur ad idem, ſed illa dumtaxat, quæ erant emanata atque impetrata, præter ordinem iuris communis. Verba Pij V. libet referre. *Nos ijs alijſq; rationabilibus cauſis adducti, & vt quibuslibet huiuſmodi effugia præcludamus, de nobis ac tributa poteſtatis plenitudine, reuocamus et abolemus, omnia et quæcumque priuilegia, facultates, diſpenſationes, et indulta (præter iuris communis diſpoſitionem emanata) recipiendi vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, et alios, etiam laxiorum Ordinum profeſſores, quibuſcumque ordinibus, Monaſterijs, Hoſpitalibus, et pijs locis, conceſſa per quoſcunque Romanos Pont. prædeceſſores noſtros, ac Nos et Sedem Apoſtolicam, etc.* Ex quibus verbis planè conſtat, quod intentio Pij V. non fuit tollere quoad hoc, omnia mendicantium priuilegia, ſed tantum ea, quæ fuiſſent emanata atque impetrata, præter formam & diſpoſitionem iuris communis. Quia non prætendit præfata ſua Conſtitutione, abſolutè atque vniuerſaliter, præcludere viam omnibus Fratribus Mendicantibus, tranſeundi ex vno Ordine ad alium, eo modo & forma, quo poſſent ſecundum diſpoſitionem iuris communis, ſed ſolummodo apoſtatis & Fratribus fugitiuis, qui virtute aliquorum priuilegiorum, & ſine licentia à ſuis Superioribus (ſaltim petita quamuis nõ obtenta) iuxta ius commune & c. *licet quibuſdam. de Reg.* ſe ad alios Ordines & Religiones transferebant, ob iurgia, contentiones & leuitatem, & ob ſua male facta, & propter alias cauſas ibidem expreſſas. Per hoc autem non damnat neque prohibet, tranſitum de vna Religione ad aliam, eorum qui laudabiliter iuxta modum & formam iuris communis illum procurant, ex ſupradicta triplici de cauſa, quam poſuimus ſupra, artic. 1. de mẽte D. Tho. nempe ex zelo melioris & ſtrictioris vitæ, aut propter declinationem alicuius Religionis à ſua debita perfectione, ſiue propter infirmitatem & debilitatem alicuius Religioſi, qui non potens ſui Ordinis ſeruare rigorem, de ſui Prælati & Superioris licentia iuſta interueniente cauſa, tranſire velit ad laxiorem. Hæc eſt expreſſa ſententia Nauar. lib. 3. conſ. de Reg. conſ. 22. vbi hac ſola ratione motus, inquit ſe conſuluiſſe, quod quidam Frater Carmelita, de licentia & facultate ſui Superioris, licite potuit tranſire ad Ordinem Minorum. Sed præterea probatur noſtra Concluſio, ſpeciali alia ratione, & ea eſt; nã Prælati & Superioris poteſtas, circa perſonas ſibi ſubditas (vt etiam diximus ſupra, quæſt. 12. artic. 5. & 6.) ad omnia ſe extendit, quæ poteſt ſummus Pont. in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti, & non eſt cõtrarium ſtatutum ſiue determinatum in iure communi: ſed de iure communi, nec vero de iure ſpeciali; aut ex aliquo decreto, Breui, ſeu Motu proprio, non eſt determinatum neque conſtitutum, vt ipſi copiam non poſſint facere, aut licentiam præſtare ſibi ſubditis, vt ex vno Ordine Mendicantium, ad alium ſe poſſint transferre, ſeruato modo & forma iuris communis, quin verò ſecundum ius commune, iuſta interueniente cauſa, diſpenſare poſſunt cum ſuis ſubditis, vt ad aliam Religionem etiam laxiorem ſe transferant, vt dixi. mus ſupra, art. 5. & 6. & expreſſe illud tenet Nau. *in cap. ſtatuimus, nu.* 4. dicendum ergo eſt, quod huiuſmodi tranſitus, de vno Ordine Mendicantium ad alium, factus de licentia Prælati, & iuſta exiſtente cauſa, eſt licitus de iure communi, niſi aliun de obſtet, nempe Religionis alicuius priuilegiũ, & ius ſpeciale, de quo nihil voloin particulari diffinire.

Nota hoc val de ex Nauar. pro tranſitu ad alios Ordines.

Nec dictis obſtat, id quod in Concil. Tridentino ſeſſ. 25. *de Regu. c.* 19. habetur, nempe quod nemo Regu-

Regularis, cuiuſcumque facultatis vigore, tranſferatur ad laxiorem Religionem, nam, vt inquit Nau. *in d. c. ſtatuimus. n.* 11. & lib. 3. conſi. de Regul. conſil. 56. num. 3. hoc intelligendum eſt, ſine licētia Prælati, & non ſeruata prius forma iuris communis. Nō enim (inquit) fuit mens Concilij tollere facultates iuridicas, quæ alias ſecundum ius commune, ſufficerent ad huiuſmodi translationes, ſed ſolummodo nō iuridicas, quales ſunt quę fiebant olim, ſine iuſta & legitima cauſa ab aliquibus Prælatis, ſine conſenſu Conuētus & ſine cauſæ præmiſſa cognitione. Quod & probat ſpecialiter, quia id nullo iure prohibetur, imò verò videtur permiſſum, atque conceſſum, argumento deducto à contrario ſenſu *ex capit. ſtatuimus, 19. quæſt. 3. ibi, nullus ſine licentia tranſeat*, ergo cum licentia licebit, de quo prædictus Nauar. non dubitat, nec credo, quod eſſe poteſt dubium.

Secunda Concluſio.

Quænam ſint aduertēda & conſideranda adhoc vt trā ſitus ex vno Ordine Mendicantium ad alium, ſit licitus.

AD hoc vt huiuſmodi tranſitus, ex vno Ordine Mendicantium ad alium ſit licitus, non ſatis eſt quod omnes ſint Ordines Mendicātes, & multo minus id licet, ſi ſint Mendicantes non ex iure & regula, ſed ex aliquo indulto & priuilegio, ſed oportet inſuper aduertere, quænam earum Religionū perfectior ſit, vel ex altiori fine & medijs, magis proportionatis ad conſequendum ipſum, ſeu ex maiori arctitudine, auſteritate & rigore, ad ſenſum ſupradictum artic. 3. habito ſemper reſpectu, ad modum, quo Regula ſeruatur modo, & non ſolum ad Regulam antiquitus inſtitutam. Hæc cōcluſio eſt certiſſima, & conſtat ex omnibus ſupradictis: nā & ex hoc debet exiſtimari & penſari, ex quo Ordine ad alium fiat licite tranſitus, & cuiuſnam Prælati licentia requiratur ad id ipſum. Nam ſi intra latitudinem Ordinum Mendicantium, aliquis ſit arctior aut ſtrictior, ad præſtandam licentiam, ſufficit Prælatus inferior & Conuentualis Monaſterij, ad hoc vt licite fieri poſſit tranſitus, nulla alia interueniente cauſa. Si vero non ſit ſtrictior ſed æqualis, iuſta exiſtente atque interuenié te legitima cauſa, idem ipſe Prælatus facultatem etiam poteſt facere, de conſilio & conſenſu ſui capituli, vt dixi in quinto præcedenti articulo, concluſione ſecūda. Licet conſultius ſit & rationi videatur magis cōſonum, vt illam præſtet ſuperior miniſter, ſcilicet Prouincialis aut Generalis, vti res quæ non ſolum ad vnius Conuentus, ſiue Monaſterij, ſed totius Prouinciæ & Religionis damnum ſeu vtilitatem ſpectet. Si autem faciendus eſt tranſitus ad laxiorem, licentiam eandem præſtabit, Prælatus ſuperior, licet Papa inferior, cum cauſa & cauſæ cognitione, Papa vero, etiam ſine ipſa (ſaltim quantum ad forum exterius) vt dictum eſt artic. 5. & 6.

Nota hoc vel de.

Tertia Concluſio.

Ad præſtandas prædictas licentias, conſiderare oportet Religionum eārum priuilegia, qualia ſint, & an ſint in vſu an reuocata.

AD præſtandas huiuſmodi licentias, tranſeundi ex vno Ordine Mendicantium ad alium, aſpicere etiam oportet, & multum conſiderare, ſingularum Religionum priuilegia, ſi quæ hac de re habentur, vt ex ipſis non fiat, aut fieri poſſit tranſitus ad alias, etiam ex zelo ſtrictioris vitæ, & virtute cuiuſcumque priuilegij poſtea conceſſi, aut forſan ratione quarti voti & ſimilibus. Hæc concluſio eſt maxima conſideratione digna, cum ſint tot ac tanta priuilegia, quæ hac de re paſſim circumferuntur. Et in primis aduerto, quod Fratres Ordinis ſanctæ Mariæ de Mercede, prætendebant olim, poſſe ſe recipere, etiam Fratres Minores & alterius cuiuſcumque Ordinis Mendicantium, ratione ſupradicti quarti voti, quod ſe dicunt emittere, de redemptione captiuorum. Et quia de facto receperunt Fratrem quendam noſtri Ordinis, qui mox quaſi ſubdito, debitas ſui ſceleris pœnas luit S. D. N. Clemens VIII. ad tollendas & abſcindendas eiuſmodi lites, inter perſonas Regulares, die 24. Decembr. Pontificatus ſui anno 4. Bullam quandam dedit quæ incipit. *Nuper ad nos perlatum eſt, &c.* qua præcipit omnibus religioſis prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, vt nullum Fratrum Minorum de Obſeruantia, ſeu alium alicuius ſtrictioris Regulę, quam ſit ſua Regula, prætextu cuiuſuis indulti ſeu priuilegij Apoſtolici, recipere audeant aut præſumant, etiam ſi habeant priuilegium id faciendi cauſa quarti voti. &c. Fratres etiam Minores de obſeruantia priuilegium habemus & quandam Conſtitutionem Pauli Tertij, datam anno Domini 1537. qua prohibuit Fratribus Capuccinis noſtri Ordinis, ne recipiant Fratres noſtros, ſine licentia in ſcriptis ſuorum Miniſtrorum Prouincialiū. Et licet poſt eiuſmodi prohibitionem factam, conceſſerit eiſdem Fratribus Capuccinis, vt poſſent ipſos recipere, per aliam tamen Conſtitutionem ſuam, datam anno Domini 1541. quæ eſt 26. in Ordine & incipit, *Romani Pontifices*, fuit iterum eiuſmodi licentia reuocata, confirmando prædictam primam prohibitionem, ſub pœna excommunicationis & inhabilitatione, ad quæcumque officia Ordinis & ad actus legitimos. Quin vero Iulius Tertius in alia ſua Conſtitutione 10, in ordine, quæ incipit *officij*, data anno Domini 1550. innouando primam ſupradictam Pauli Tertij prohibitionem, declarauit talē receprionem ſeu profeſſionem, ſine dicta licentia miniſtrorum Prouincialium in ſcriptis eſſe nullā, & Capuccinos eoſdem recipientes, ſupradictas cenſuras incurrere. Quod etiam poſtea, confirmauit Sixtus Quintus, anno Domini 1586, in quadam ſua Conſtitutione 22. in ordine, quæ incipit *Pro ea.* Sed aduertit Pater Frater Hieronymus à Sorbo Capuccinus, in additionibus ad compendium priuilegiorum, *verbo recipere*, quod ſupradictę excommunicationis latæ ſententiæ abſolutio, non ibi reperitur reſeruata. Et dicit inſuper quod poſſunt Capuccini, recipere Fratres Diſcalceatos ſeu Reformatos, Fratrum Minorum in Hiſpaniarum partibus exiſtentes, ad eos tranſire volentes, dummodo obtineant licentiam in ſcriptis ab eorum miniſtris Prouincialibus. Aduerto etiam, quod quamuis Gregorius XIII. anno 1579. conceſſerit, quibuſdam ex noſtris Fratribus Diſcalceatis, poſſe recipere Fratres noſtros Minores de Obſeruantia, de licentia tantum Cuſtodis, id tamen poſtea fuit per Sixtum Quintum reuocatum, & conſtitutum vt non reciperentur, niſi de licentia Miniſtrorū Prouincialium in ſcriptis habita, quod multum oportet

Nota quod multarum Religionum priuilegia pro recipiendis Fratribus aliorū Ordinum reuocata exiāt.

tet memoriæ commendare, vt non quippiam contra iuſſum,& tanti Pontificis mandatum fiat. In eundem finem aduerto,quod Iulius II. prohibuit Fratribus Ordinis Minimorũ ſancti Franciſci de Paula, ne quempiam Religioſum noſtri Ordinis Minorum de Obſeruantia,in ſuum reciperent,de licentia cuiuſcumque Prælati:nam(inquit)in tali caſu,ſolus Papa poteſt licentiam præſtare. Habetur hæc conceſſio in ſupplemento Ordinis,folio, 12.conceſſ. 48.Aduertit inſuper ſupradictus Capuccinus,in additionibus ad Compendium *verbo* vbi ſupra,quod Pius Quintus anno Domini *1566.* prohibuit ſub indignationis ſuæ pœna,vt nullus ex dictis Fratribus Capuccinis, ad Ordinem ſancti Franciſci de Paula,neque è conuerſo,vllo vnquam tempore, ex quacumque iuſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum,transferre ſe poſſit,quę Bulla inquit idem Auctor,quod apud eoſdem Capuccinos eſt authentica,& à Gregorio XIII.approbata & confirmata, & ponitur à Paraſello,in ſuo Compend.priuileg.fol.*116.* Qui & ait quod anno Domini 1591. 27. Maij à ſacra Regularium congregatione, auctoritate conceſſa à Gregorio XIIII.fuit decretũ,poſt præfatam Pij Quinti Conſtitutionem, vt tranſeuntes & illos recipientes, incurrant pœnam priuationis officiorum, & vocis actiuæ & paſſiuæ in perpetuum ipſo facto.

Tandem,vt hæc omnia vnico concludam verbo dico, quod quamuis ex qualibet Religione, quantum eſt ex diuino iure & humano communi, licitus ſit tranſitus ad aliam ſtrictiorem , & in ea quicumq; Religioſus recipi poſſit, petita licentia licet non obtenta , & ſeruatis conditionibus ſupradictis, quia tamen multæ Religiones habent particularia indulta & priuilegia , & per ſtatuta Apoſtolica,multum rationabiliter eſt id prohibitum & ordinarum,propter Religioſorum pacem, & ad cauendum Religionum iniurias, & confuſionem vitandam,vt aliarum Religionum Fratres,in alijs Religionibus non recipiantur,ſub grauibus pœnis ac cenſuris,ideò priuſquam quidquam tale fiat,nimium oportet aduertere atque conſulere,Ordinum monumenta,priuilegia &indulta,ex quibus conſtabit,quid hac in re faciendum ſit, & quiſnam Prælatus huiuſmodi licentiam poſſit præſtare & in quibus caſibus. Et ad maiorem cautelam dico, quod in noſtris generalibus ordinationibus,cap.*1.*titu.de Nouitiorum receptione,cautum eſt,quod nullus alterius Religionis , ad noſtrum ordinem recipiatur , etiam ſi licentiam habeat ſuorum ſuperiorum , in quo præter generalem Miniſtrũ Prælatus nullus diſpenſare poteſt: quod eſt multum notandum , ac memoriæ commendandum. Nam etiam ſi Religioſus quiſpiam cuiuſcumque alterius Religionis veniat ad nos, & licentiam afferat à ſuo Prælato , vt recipiatur ſeu recipi poſſit , recipiendus nullatenus eſt, abſque expreſſa licentia generalis miniſtri, qui ſolus poteſt in noſtris generalibus conſtitutionibus diſpenſare.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ex Ordine Mendicantium, ad Ordinem Monachorum , licitus ſit tranſitus , & cuiuſnam Prælati licentia ad id requiratur?

Prima Concluſio.

NVllus Prælatus Papa inferior, diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis profeſſis, neque in foro interiori neque in exteriori,vt ex Ordine Mendicantium, ad aliquem Ordinem Monaſticum (Carthuſia excepta) poſſint tranſire,& eſt lata excõmunicationis ſententia,ipſo facto incurrenda , contra tranſeuntes & recipientes,& contra ſic diſpenſantes. Hæc cõcluſio habetur expreſſa,in quadam extrauaganti, quæ incipit,*Viam ambitioſæ cupiditatis*, quæ habetur inter cõmunes,*titulo de Regularibus & tranſeuntibus ad Religionem*,quæ eſt Martini Quinti. Quam dicit ſe feciſſe atque ſtatuiſſe,ad conſeruationem Ordinum,& Religionum Mendicantium, & ad præcludendam viam,ambitioſæ cupiditati Religioſorũ, vt patebit intuenti ex tenore eiuſdem. Quo fit, vt ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, nullatenus fieri poſſit tranſitus,ad vllum Ordinem Monachorum,(prædicta Carthuſia excepta) neque etiam fieri poteſt tranſitus , ex dictis Ordinibus Mendicantibus ad Clericatum, vt conſtat *ex ead. extrauag. §. decernentes, & ex Clemen. 1. de reg.* vbi Martini Quinti conſtitutio ſupradicta, ſtricte ſeruari præcipitur,quoad omnia in eadem contenta , ac etiam iubetur obſeruari ad vnguem , in regul.23. Cancellariæ Apoſtolicæ,titu. de Mendicantibus, & tranſeuntibus ad aliam Religionem.Sed intelligenda eſt de Religioſis vere profeſſis , in aliquo ex Ordinibus Mendicantibus , vt recte reſoluit Quintilianus Mandoſius,ſuper dicta regul.23. nõ autem de nouitijs.¶Nam qui exiſtens nouitius in aliquo ſupradictorum Ordinum,vellet poſtea exire & tranſire ad aliquem Ordinum Monachalium, licite poteſt neque comprehenditur in præfata Conſtitutione,quia cum ſit pœnalis,potius debet reſtringi quam ampliari. Et quamuis nouitij Ordinum Mendicantium , in fauorabilibus vtantur & perfruantur ipſorum priuilegijs, non tamen in his pœnalibus comprehenduntur propter rationem dictam.

Non eſt licitus tranſitus ex Ordine Mẽdicantium,ad Ordines Monachales,ſine expreſſa licentia Papæ (Chartuſia excepta.)

Secunda Concluſio.

QVi ex aliquo Ordine Mendicantium, ad Ordinem Monachalium tranſierit,quacumque auctoritate etiam Apoſtolica,non poteſt in eo regulare beneficium aut aliquod officium obtinere. Hæc concluſio habetur expreſſa, *in prædicta Clemen tin.1.de regul.& tranſeuntibus ad Religionem*, quæ incipit, *Vt profeſſores*,facta in Concilio Viennẽſi, vbi ſequentia habẽtur verba. *Vt profeſſores cuiuſuis paupertatis Ordines, eo libentius in ea qua vocati ſunt vocatione perſiſtant , tranſeunteſque ad non Mendicantium Ordi-*

Traslatus ex aliquo Ordine Mendicantiũ ad monachales, etiam ex auctoritate Apoſtolica nõ poteſt aliquod officiũ ſiue beneficiũ obtinere.

Ordinem, in eodem conuerſari quietius ſtudeant, quòd etiam in ipſis diſcordiarum & ſchiſmatum præduĉtiua ambitio reprimatur, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, Mendicantes omnes, qui ad non Mendicantium Ordines (etiam auĉtoritate Apoſtolica) tranſibunt in poſterum, qui ve hactenus tranſierunt, quamuis nunc prioratus adminiſtrationes vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcumque obtineant, inibi vocem aut locum, in capitulo non habere, etiam ſi hoc ſibi ab alijs libere concedatur. Ad Prioratus quoque adminiſtrationes, aut quæcumque in antea non aſſumi officia, etiam tanquam Vicarios ſeu miniſtros, vel locum aliorum tenentes, quodque animarum curam & regimen, nec pro ſe poſſint, nec pro alijs exercere. Quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, ſit irritum ipſo iure, quouis priuilegio non obſtante. Hanc conſtitutionem fecit prædictus Clemens Quintus, ad frænandam multorum Religioſorum, Ordinum Mendicantium inconſtantiam nimiam, retrahendoſque ipſos, à deſiderio tranſeundi ad Ordines Monachales, cum viderent ſe ibi, nullum beneficium Regulare, aut aliquod officium Ordinis poſſe obtinere, quin vero nec locum aut vocem in Capitulo poſſe habere, quamuis hoc ab alijs libere ſibi concederetur, ſed triſtem atque lamentabilem vitam ducere. Videntes ſenes, iuuenes etiam ignaros, & forſan incompoſitos ſibi præponi, ipſoſque penitus excludi, & priuari, emolumentis & officijs Ordinis. Quod adeò verum eſt, vt quamuis aliquis ex Mendicantibus, per conceſſionem Martini Quinti, in ſupradicta extrauag. *Vam ambitioſæ cupiditatis*, transferatur ad Carthuſiam, qui Ordo etiam Monachalis eſt, & ſolus excipitur, quantum ad hoc, vt ad ipſum fieri poſſit tranſitus, crediderim, quin vero & certiſſimum eſt, quod ipſe ibidem, nullum officium Ordinis poterit obtinere, imò verò quantum ad illum, locum etiam habet prædicta *Clementina 1. de Regul.* quæ generaliter omnes Ordines Monachales ſeu non Mendicantes comprehendit, vt patebit intuenti, etiam ſi fiat tranſitus auĉtoritate Apoſtolica. Quod pro inquietis Fratribus, qui prætenſo zelo ſtrictioris obſeruantiæ, illuc transferri deſiderant, quam maxime eſt notandum atque memoriæ commendandum.

Nota valde pro Religioſis Mendicantibus, tranſeuntibus ad Carthuſiam, quod nõ poſſunt ibidem officium aliquod obtinere, nec vocẽ & locum in Capitulo.

Difficultas.

An Clementina 1. de regularibus & tranſeũtibus ad Religionẽ intelligatur ſolum de quatuor Ordinibus Mendicãtibus, an vero etiam de alijs, qui mẽdicant ex priuilegio.

Sed inter Doctores Iuriſperitos, circa prædictam Clementinam & ipſius intelligentiam, verſatur magna lis & controuerſia, ad determinandum quoſnam Mendicantes comprehendat, & de quibus intelligi debeat, & an Religionum Mẽdicantium nomine, comprehendantur omnes in vniuerſum Religiones Mendicantes, ſiue illud habeant à iure & ex Regula, ſiue ex priuilegio & Summorum Pontificum permiſſione, an vero illæ ſolummodo, quæ id habent ex iure & Regula, & ex primæua ſua inſtitutione & fundatione, quales ſunt Prædicatorum Ordo & Minorum & Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum. Quidam enim dicunt, appellatione Ordinum Mendicantium, non ſolum venire Ordines Prædicatorum & Minorum, & Eremitarum ſancti Auguſtini & Carmelitarum, verum etiam & omnes alios, qui ex priuilegio & diplomate Apoſtolico, inter prædictos Mendicantes connumerantur & mendicare poſſunt, quamuis non mendicent de facto. Hanc ſententiam tenet Quintilianus Mandoſius ſuper dictam Regulam 23. vbi dicit quod qui olim erant Mendicantes, poſtea vero habilitati, priuilegiati atque diſpenſati ſunt per Eccleſiam, vt habere poſſint proprium, comprehenduntur in ſupradicta *extrauag. Viam ambitioſæ, & Clementin. 1. de regul. & tranſeunt. ad Religionem.* Nam inquit, in dependentibus à duobus, vno ſublato remanet alterum, *iuxta cap. ex tuarum de authori. & vſu pallij, & leg. ſi domus. ff. de ſer. vrb. prad.* Vnde quãdo aliqui Fratres Mẽdicantes, ex priuilegio diſpẽſantur atq; habilitãtur, ad habendũ propriũ, non proinde liberi aut exempti ſunt, ab alijs iuribus ſiue oneribus loquentibus de Mendicantibus. Idem dicunt multi alij Doctores, eſſe tenendum & dicendum, de prędictis Mendicantibus ex priuilegio: nam ſi volunt (inquiunt) mendicare & Mendicantium priuilegium habere, æquum eſt, vt & ſubeant onus Mendicantium, iuxta *Regulam, qui ſentit de regulis iuris lib. 6. & l. ſecundam naturam. ff. eodem.*

Prima opinio.

Sed contrariam ſententiam, tenet Nauarro libro 3. conſil. de regul. conſil. 57. numero 2. & 63. numero 1. vbi conſultus hac de re inquit, quod quãtum ad hunc effectum, Mendicantium Ordo ille eſt, ac ille ſolummodo dicitur, cui ab eiuſdem fundatione, vel per conſtitutiones Apoſtolicas aut à Sede Apoſtolica confirmatas, non licet neque in particulari neque in communi proprium habere, à quo ſi quis ad non Mendicantes tranſeat, efficitur inhabilis ad beneficia & officia Religionis non Mendicantis ad quam tranſit, per ſupradictam *Clementinem, de regul.* Et deſcendendo ad caſum ſibi propoſitum & conſultatum, de quodam Fratre Ordinis ſanctæ Mariæ de Mercede, inquit, quod ſi à principio fundationis dicti Ordinis talis Ordo non fuit fundatus & creatus, vt eſſet vnus ex Mendicantibus, ita quod non poſſent Fratres dicti Ordinis, neque in communi neque in particulari proprium habere, aut per conſtitutiones Papales ſeu à Papa confirmatas, aſtrictus fuerit dictus Ordo de Mercede ad prædictam paupertatẽ, prædictus Religioſus non incidit in pœnas poſitas in ſupradicta Clementina, cui conſequens eſt etiam huiuſmodi translatum, poſſe obtinere beneficia & officia Ordinis, ad quem tranſlatus eſt, quia per prædictam Clementinam, non inhabilitantur, niſi illi dumtaxat Religioſi, qui ſunt Mendicantes prædicto modo, & in prædictis illis duobus caſibus. Ad quod probandum adducit in ſuam opinionem, Immolam & alios Doctores, vt patebit intuenti, dicendo etiam, quod cum ſupradicta Clementina ſit pœnalis, potius debet limitari & reſtringi, quam ampliari & extendi, iuxta *capit. pœnæ, de pœnitentia diſtinct. 1.* cum ibi adnotatis. Et ſic iuxta hanc ſententiam & opinionem, ſolum eſt intelligenda Clement. prædicta de quatuor ſupradictis Ordinibus Mendicantibus, qui ſunt tales ex Regula, & à ſua primæua inſtitutione & fundatione. Cui Nauarri opinioni, quia fauorabilis eſt & ſatis iuri ac rationi conſona, libenter ſubſcribo, & videtur quod poſſit optime ſuſtineri & practicari.

Secunda opinio & vera reſolutio.

ART.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm ex Ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachorum, licite fieri poſsit tranſitus?

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi eſt, nam *in capit. mandamus, & in capit. nullus Abbas*, 19. *quæſt.* 3. ſtrictè præcipitur, atque vniuerſaliter interdicitur, *ne quis Canonicus Regularis profeſſus, niſi (quod abſit) publice lapſus fuerit, Monachus efficiatur, neque ad Monachorum Religionem tranſeat.* Et dicitur, *quod ſi auſu temerario, id agere tentauerint, anathematis vinculo obligentur, & ad Ordinem Canonicorum redeant, ac deinceps memorialem cuculam deferant & vltimi in choro remaneant.* Hæc vbi ſupra, ex quibus (vt videtur) colligitur à ſtatu prædictorum Canonicorum Regularium, ad ſtatum Monachorum, nullum eſſe licitum tranſitum.

Hanc quæſtionem atque difficultatem, mouet D. Thom. 2. 2. quæſt. 189. artic. 8. in ſecundo argumento, illamque diſſoluit in ſolutione ad ipſum. Sed antequam ipſe ad eiuſdem reſolutionem accedam, libuit præmittere ex Nauarr. ſuper *cap. ſtatuimus*, nume. 1. & ſequentibus, multum intereſſe & quammaximum verſari diſcrimen, inter Ordinem Canonicorum Regularium, & Ordinem Monachorum. Primo quia, vt etiam inquit D. Thom. Canonicis Regularibus, per ſe ineſt Clericatus, quod eſt dicere, quod per ſe illis competit, quod ſint Clerici, Monachis autem non ſic, niſi per accidens. Multi enim olim erant Monachi ac fere omnes, qui non ad ſacros aſcendebant Ordines, neque aliquo inſigniebantur Clericatus charactere, vt conſtat ex multis iuribus, & capitibus decreti, 16. *quæſtio.* 1. *ex capit. alia, capit. ſi Clericatus capit. legi*, quibus in locis hac de re plura dicuntur, eaque notatu digniſſima. Quibus & addi poteſt, *capit. nemo poteſt, eadem cauſa & quæſtione*, vbi dicitur, quod ad Religionem Monachorum, non per ſe competit vt ſint Clerici, neque Clerici erant olim ij, qui viuebant ſolitarie. Qua ratione dicit prædictus D. Thom. quod quamuis Ordo Monachorum eſſet arctior & ſtrictioris obſeruantiæ, licite tamè olim fieri poterat tranſitus, ab Ordine Monachorum, ad Ordinem Canonicorum Regularium, id quod & fiebat multoties, vt ſatis colligitur ex illo, quod dixit Diuus Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum, & habetur *in capit. ſic viue*, 16. *quæſt.* 1. *ſic, inquit, in Monaſterio viue, vt effici Clericus merearis*, idem habetur in capit. *ſi clericatus, eadem cauſa & quæſtione*. Licitum etiam eſſet, id ipſum fieri hodie, ſi Monachi eſſent tantummodo Laici, & non ſacris inſignirentur Ordinibus, nec diuinis rebus atq; communi bono inhærerent. At inquit D. Thom. ſi Monachi ſint Clerici, & ſacris myſterijs obſequentes (vt modo contingit de facto) cum habeant id, quod eſt Canonicorum Regularium proprium, & hoc cum maiori arctitudine, non eſt illis licitum ab Ordine Monachorum, ad Ordinem Canonicorum Regularium trãſire, imò verò è contra, ab Ordine Canonicorum prædicto rum Regularium, tranſire licet ad Ordinem Monachorum, petita tamen Superioris licentia, ſicet non obtenta, iuxta *capit. ſtatuimus. 19. quæſt. 3.* vbi id expreſſe dicitur & *in capit. licet quibuſdam, de regul.* Hoc præmiſſo notabili, propoſito articulo reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Quid interſit inter Ordinẽ Monachorũ, & Canonicorum Regularium.

Olim Monachi vt plurimum nõ erãt Clerici, ac proinde licitus erat trãſitus ab Ordine Monachorum ad Ordinẽ Canonicorũ Regularium, quibus per ſe cõpetit Clericatus.

Concluſio.

Ex Ordine Canonicorũ Regularium, ad Ordinem Monachorũ, hodie licitus eſt tranſitus, petita licentia, quamuis non obtenta.

NVnc ex Ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachorum, licite poteſt fieri trãſitus, petita Superioris licentia quamuis non obtenta. Hanc concluſionem tenet expreſſe Diuus Thomas, vt conſtat ex præmiſſo notabili, & Nauar. *in dicto capit. ſtatuimus, num.* 11. vbi dicit, quod licet Canonici Regulares, non potuerint olim tranſire ad Monachos, nec poſſent hodie qui non eſſent plus quàm Monachi Laici, quique non tractarent ea quæ pertinent ad Chorum, diuinum cultum & ad myſteria Eccleſiaſtica, vt faciunt Canonici: poſſunt tamen tranſire ad eos, qui eadem myſteria diuina tractant, quemadmodum & Canonici Regulares (quales ſunt hodie fere omnes Monachi) ratione maioris arctitudinis, quia habentes eundem finem, viuunt cum maiori rigore. Et addit quod è contra, licet olim Monachi qui non erant pluſquam Monachi, poſſent tranſire ad Canonicos Regulares, propter maiorem perfectionem & altiorem finem quem habebant, hodie tamen non id poſſunt, quia exæquantur eis in perfectione cum tractent eadem myſteria, & ſuperãt illos in regularis obſeruantiæ arctitudine & rigore. Ex dictis ſuperque ſatis colligitur, quod Canonici Regulares, poſſunt hodie tranſire ad quemlibet Ordinem Monachalem, & ad Religiones Fratrum Ordinum Prædicatorum & Minorũ & aliorum, non tamen è conuerſo, Monachi alijque Religioſi, ad Ordinem ſiue Religionem, ſupradictorum Canonicorum Regularium.

Reſpondetur ad rationem dubitandi, in principio appoſitam.

Ad argumentum ſiue rationem dubitandi reſpondeo, propterea in ſupradictis capitulis fuiſſe prohibitum, vt ne Canonici Regulares ad Monachos tranſirent, quia ſtantibus rebus, vt tunc temporis moris erat, quod Monachi erant ſolitarij & viuebant ſeorſum ſeparati, non vero communiter nec diuinis myſterijs & communi bono intendentes, altior erat Ordo Canonicorum Regularium, quam Monachorum. Nam licet vtrique eſſent ad vitam contemplatiuam ordinati, Canonici tamen prædicti, inſtituti erant ad contemplatiuam circa miniſteria Eccleſiaſtica publica, Monachi vero ad contemplationem priuatam, & quantũ bonum publicum differt à bono priuato ac præcellit ipſum, tantũ Ordo Canonicorum Regularium, differebat ab Ordine præfatorum Monachorum & præcedebat ipſum. Vnde tunc temporis, velle ex Ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachorum tranſire, erat quaſi deſcendere à perfecto ad imperfectum, ſeu vt verius loquar, à magis perfecto ad minus perfectum, idque propterea fuit prohibitum. At modo nõ ita res ſe habet, ſed omnino è conuerſo, licitumque proinde eſt, de licentia Prælati, iuxta ſupradictum *capit. ſtatuimus*, licentia petita, quamuis non obtenta & iuxta *cap. licet quibuſdam de Regul.* penſatis omnibus alijs, quę

hac

hac in re veniunt considerandæ, circa maiorem vel minorem rigorem Religionis, à qua & ad quã fit transitus, ex Ordine prædictorum Canonicorum Regularium, transire ad Ordinem Monachorum, seu aliorum quorumcunque Religiosorum, qui eosdem superent ac vincant in perfectione.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ex quolibet Ordine, ad Carthusiam licite possit fieri transitus?

Ratio dubitandi.

ITem videtur quod sic: nam in supradicta extrauaganti, *viam ambitiosæ cupiditatis*, Martinus Quintus agens de Regularibus & volentibus transire ad aliam Religionem, postquam strictissime præcipit & prohibet, omnibus Fratribus Mendicantibus, vt nullus ad Ordinem Monachorum, seu non Mendicantiũ, quocunque prætextu aut virtute cuiuscunque licentiæ, atque etiam indulti Apostolici, transeat seu præsumat transire, paucis verbis interpositis, dicit id vniuersaliter esse intelligendum (*Ordine Chartusiensium dumtaxat excepto*) quibus verbis (vt videtur) datur intelligi quod ex omni Ordine & Religione Mendicanti, siue non Mendicanti, ad Carthusiam licitus sit transitus. Cui etiam fauere videtur ipsa ratio, cum iuxta ius commune, positum in *capit. licet quibusdam, de regul.* ad strictiorem Ordinem licitus sit transitus, petita licentia licet non obtenta, cum ergo prædictus Carthusiensium Ordo, vt videtur sit omnium strictissimus, consequens apparet, quod ad ipsum ex omni alia Religione, licitus sit transitus.

Opinio Nauar. circa propositam difficultatem.

Nauarr. lib. 3. Consiliorum, de regularib. de hac materia & difficultate facit duo Consilia, in quorum primo, quod numero est, 10. quærit. An Carthusianorum Religio sit arctior & strictior Ordine Minimorum, in altero vero, numero 68. quærit, vtrum Frater Minor, possit transire ad Carthusianos, & è contra Carthusiani ad Fratres Minores. Et relictis modo, nobis Minoribus Fratribus, de quibus in præsentiarum, nullam prorsus volo habere quæstionem, quia fusior habenda erit in sequenti articulo, cum specialem id habeat difficultatem, dico quod loquendo generaliter & vniuersaliter, de omnibus Religionibus, dicit prædictus Nauarr. omnes Religiosos Mendicantes, posse trãsire ad Carthusianos, & quod de eo est expressa constitutio & determinatio, in supradicta Extrauaganti, *Viam ambitiosæ cupiditatis*. Quod autẽ Carthusiani transire possint ad alios Mendicantes, ait non se meminisse vnquam vidisse, aut legisse textũ, qui hoc in specie declaret præter Syluestrũ, de quo etiã statim dicemus. Et ad probandum quod ex omni alia Religione, ad Carthusiam licitus sit transitus, dicit plura de isto sacro Ordine, & quidem valde notanda ac pene stupenda, de sua nimia arctitudine, rigore & austeritate. Primo inquit, quod Carthusiana Religio, in nullo casu permittit vsum carnium, etiam tempore ægritudinũ grauissimarum. Secundò quod silentium huius Religionis, est maximum onus & fere intolerabile, quia Religiosi eius, inter se nunquam colloquuntur, & cum sibi obuiant sola capitis inclinatione se salutant, & nunquam simul comedunt, præter quam Dominicis diebus & ferijs quintis. Et cum simul comedunt, intendunt lectioni & non collo quutioni, atque ita neque in Choro, neque in Dormitorio, nec in Refectorio, neque in vllo alio loco, colloquuntur nisi cum ægrotant, neque extraneus vllus admittitur ad loquendum cum eis, sine licentia Superioris, quæ nõ datur nisi iusta de causa, ob quod (inquit) illorum silentia, quidam doctus & eruditus vir vocat silentia æterna, quia neque etiam alloquuntur ministros, qui eisdem necessaria ministrant. Addit Nauarro in sacræ huius Religionis viris, adnotasse quosdam, quod ob prædicta strictissima & rigorosissima sua silentia, incurrebant interdum nonnullam capitis vertiginem, fiebantque veluti amentes. Tertio ponderat & exaggerat prædicti Ordinis austeritatem & rigorem maximum, ex eo quod cum homo sit animal sociabile, ipsi contra naturam & contra conditionem omnium hominum, fiunt inter se quodammodo insociabiles & agrestes. Quarto ponderat, quod ipsorum clausura, est quasi quidam perpetuus carcer, numquam enim è Monasterio exeũt, nisi ob grauem aliquam causam, de quibus causis, dicit se plura dixisse in commentario 4. de regul. numero. 31. Hæc igitur sunt fundamenta & potissimæ rationes, quibus innixus prædictus Nauar. dicit Carthusianorum Ordinem, excellere & superare reliquos omnes qui sunt in Ecclesia, in arctitudine, rigore & austeritate, etiam Minimorũ Ordinem, quem etiam dicit esse arctiorem omnibus alijs Religionibus, prout insinuare est visus Iulius Secundus in quadam Bulla. Cuius rationem reddit, quia Minimorum Religio, vltra tria essentialia & substantialia vota, quę omnes in vniuersum Religiones habent, profitetur quartum aliud, de non vescendo vnquam alijs cibis, quàm quadragesimalibus (excepto ægritudinis statu) in quo dicit etiam excedere Carthusianos. Nam Carthusianis (inquit) permittitur edere oua & lacticinia, tã in statu sanitatis quàm tempore ægritudinis, non vero prædictis Fratribus Minimis. Nihilominus tamẽ dicit, quod Carthusiani excedunt prædictos Minimos, in eo quod non licet eis vnquam, etiam cum ægrotant vesci carnibus, & suo iudicio tam graue imò grauius est, abstinere semper à carnibus, etiam in ægritudinis mortiferæ statu, quàm abstinere ab omnibus cibis non quadragesimalibus, cum facultate vescendi carnibus ægritudinis tempore. Sed quidquid de hoc sit, tandem concludit prædictus Nauarr. dicendo, quod quamuis Minimorũ Ordo excedat & superet omnes alias Religiones in arctitudine (omnes inquam vniuersum cõprehendit, nullam excipit) exceditur tamen & superatur à Carthusianorum Religione, quæ suo videri est omnium rigidissima, strictissima & rigorosissima, & quæ ipsam & omnes alias Religiones, antecellit in arctitudine, austeritate & rigore, ad quam proinde ex omnibus alijs, vt arctiorem atque strictiorem licitus est transitus. Hæc Nauarr. & omnibus in contrarium adductis respondet, loco supracitato consilio. 10. de regul. Sed Syluester *verbo, Religio. 4. quæst. 6.* quæritens, de qua Religione ad aliam, licitus sit transitus, de mente sancti Antonini

Carthusiæ austeritates & rigores, enumerantur de mente & sententia Nauar.

Enumerantur Minimorum Ordinis, austeritates & rigores de mente & sententia Nauar.

Opinio & sententia Syluestri circa difficultatẽ eandem.

tonini Archiepiſcopi Florentini 3. part. titu. 16. ca pit. 4. in fine dicit, omnem Religionem Mendican tium, eſſe perfectiorem omni non Mendicante, & inter Mendicantes, eam omnes alias præcellere, quę eſſentialiter, principaliter atq; etiam nomina liter, eſt inſtituta ad prædicandum, qualis eſt Prædicatorum Ordo communiter nuncupatus, cuius ipſe erat filius & alumnus. Quia (inquit) hæc eſt Religio Chriſti, etiam ſi loculos habeat, quos non poſſideat alia Religio, quæ prædicationem eſſentialiter non habeat annexam, ſed accidentaliter poſt ſuam inſtitutionem ex commiſſione. Quibus addit & dicit, quod ex omni alia Religione, ad Ordinem iſtum licet tranſire, cum vnicuique ob frugem melioris vitæ, ad altiorem ſtatum liceat id facere, iuxta *capit. duæ ſunt, 19. quæſtio. 2. & cap. licet, de regul.* non ſolum Carthuſienſes, verum etiam & cuius libet Ordinis Fratres. Dicit præterea prædictus Sylueſter, vidiſſe ſe determinationem quandam, vniuerſitatis Pariſienſis, qua dictum atq; determinatum fuit, quod ſupradicti Fratres Carthuſienſes, de iure communi poſſunt tranſire ad Ordinem Prædicatorum regulariter viuentium. Idéque dicit de nobis Fratribus Ordinis Minorum, & quibuſcumque alijs. Et è conuerſo, quod Fratres Prædicatores tranſire non poſſunt, ad aliorum Ordinum obſeruantiam, vtcumque ſtrictam, niſi in ſuo Ordine remiſſa fuerit Religio: nam tunc liceret, animo ſtrictius & arctius viuendi. Hæc Syluester vbi ſupra. Ex quibus colligitur, contrarietas quam maxima, quæ hac in re reperitur, inter hos grauiſſimos Auctores, Sylueſtrum & Nauarrum. Sed vt quod verius & probabilius eſſe videtur, paucis dicam, pro reſolutione ſuprapoſiti articuli, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Stando in foro exteriori, certiſsimum eſſe videtur, quod ſit licitus tranſitus ex omni Religione Mendicantium, ad Carthuſiam.

STando in foro exteriori, certiſſimum eſſe videtur, quod Prælati & Superiores Religionũ quarumcumque, etiam Mendicantium, licentiam poſſunt præſtare ſibi ſubditis, vt libere valeant ad Ordinem Carthuſienſium tranſire, ex ſolo zelo arctioris & ſtrictioris vitæ, quamuis nulla alia ſubſit cauſa, & quod ſi ipſi Prælati noluerint, huiuſmodi licentiam præſtare poterunt ijdem ſubditi, petita licentia, quamuis non obtenta, ad prædictum Ordinem, impune tranſuolare. Hæc concluſio colligitur ex ſupradicta extrauaganti Martini Quarti, *Viam ambitioſæ cupiditatis, de regul. & tranſe. & ex capit. licet quibuſdam, de regul.* & pro ea faciunt omnia, quę dicta ſunt ſupra, de Mente Nauarri. Sit tamen ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Stando in foro interiori & conſcientiæ probabiliſſimum etiã eſt, non licere aliquibus Religioſis quorũdam Ordinũ

STando in foro interiori & conſcientiæ, probabiliſſimum etiam videtur, quod nullo modo licitum ſit, Fratribus Prædicatoribus, ad Carthuſianos tranſire. imò verò è cõtra Carthuſiani, & quicumque alij Fratres, quorumcumque Ordinum (Minoribus ſemper exceptis, propter rationes inferius dicendas in ſequenti articulo) licite & cum tuta & ſecura conſcientia, poterunt tranſire ad ipſos Dominicanos, ſeruantes ad vnguem ſuam regulam, & regulariter viuentes. Hæc concluſio fundatur in doctrina & auctoritate D. Antonini, & in omnibus alijs, quæ loco ſupracitato diximus de mente Sylueſtri. Cui fauent etiam grauiſſimi Auctores, ab ipſo citati & relati, ſed ſpecialiter Ioannes Andræas, qui *in capit. ſane, de regul.* inquit, quod conſtitutiones Prædicatorum, vltra regulam, ita arctant eos, vt vita eorum ſit aſperior, vita quorumcumque Monachorum. Sed quia hæc diſtinctio à me adducta, de foro interiori & exteriori, cuidam viro aliàs docto & erudito, minus placet, pro eo quod inconueniens ſibi videtur quammaximum, quod Summus Põtifex Martinus Quartus in prædicta ſua extrauaganti, conceſſerit alicui, tanquam licitum in foro exteriori, quod non ſit etiam licitum in foro conſcientiæ & interiori, audiat obſecro & legat ipſe, prædictum Nauarr. loco ſupracitato, conſil. 68. numer. 1. vbi expreſſe ait, quod ad hoc vt tranſitus de vna Religione ad aliam ſit licitus, quoad forum conſcientiæ & interius, plura requiruntur, quam ad hoc vt ſit licitus quoad forum exterius. Ad quod probandum adducit Sylueſtrum *verbo, Religio. 4. quæſt. 2.* allegando etiam ad id *capit. non eſt de voto & voti redemptione.* Quibus & ipſe addo, quod prædictus Martinus Quartus in extrauaganti ſupra citata, per hoc quod conceſſit, quoslibet Religioſos licite poſſe ad Carthuſiam tranſire, non expreſſe diffiniuit aut determinauit, quod Carthuſienſium Ordo eſſet arctior, aut perfectior cæteris Ordinibus: nam licite etiam ex cauſa tranſitur ad æqualem, & etiam interdum ad laxiorem, vt recte notat & aduertit prædictus Syluester, vbi ſupra quæſt. 6. in fine mentionem faciens, de eadem extrauaganti Martini Quarti. At cum videret effrænatam Religioſorum quorumdam cupiditatem, & deſiderium derelinquendi ſuum Ordinem, & tranſeundi ad alium, ob ſuos particulares fines, dominãdi, præcipiendi, &c. cum eſſet Pontifex, paſtor atque Prælatus totius Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, licentiam indulſit omnibus Fratribus, & maxime Mendicantibus, vt ſi ad aliquem Ordinẽ Monachalem vellent tranſire, hoc fieret ad Carthuſiam, non vero ad alium (hanc enim ſolam excepit) idque tuta conſcientia, ſupplendo & diſpẽſando, ſi qua deeſſent, eo modo quo poterat, & poteſt diſpenſare Summus Pontifex, in eo vt licite fiat tranſitus ex vno Ordine ad alium æqualem, ſiue etiam cum cauſa ad laxiorem. Et hæc de iſto articulo dicta ſufficiant: nam ſi quæ ad hoc propoſitũ dicenda ſuperſunt, ſtatim dicentur in ſequenti.

Mendicantiũ ad Carthuſiã tranſire, ſed maximè ex Ordine Prædicatorum.

Nota quid ſẽſerit Ioa. Andr. de auſteritate & rigore Prædicatorum Ordinis.

Nota circa extrauagantem Martini V. Viam ambitioſæ, de tranſitu ad Carthuſiam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſpecialiter ex noſtro ſacro Minorum Fratrum Ordine, licite poſſit fieri tranſitus ad Carthuſiam?

IRca hanc difficultatem, vt non quippiã pro libito, ſiue ex propria ſententia dicere videamur, libet ad litteram referre, verba quæ olim ad hoc propoſitum, dixit Seraph. P. & Doctor. D. Bonauent. explicando

Nota valde quid dixerit, Seraphic. P. N. Bonauentura circa tranſitum

ex noſtro Ordine ad Carthuſiam.

do noſtram Fratrum Minorum Regulam capit. 2. Pro dico quod Glorioſiſſi. P.N. Franciſcus, agendo de ſuis Fratribus iam profeſſis, poſtquam de nouitijs dixerat, quod finito anno probationis, recipiãtur ad obedientiam, promittẽtes vitam iſtam ſemper, & regulam obſeruare, de profeſſis ſtatim ſubdit. *Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ, quia ſecundum ſanctum Euãgelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Hoc mandatum Domini Papæ, de quo P.N. Franciſcus, prædicto in loco mentionem facit, eſt quoddam Breue ſeu Bulla, quam ante approbationem noſtri Sacri Ordinis, & confirmationem expreſſam & authenticam prædictæ noſtræ Regulæ, Honorius Tertius eidem conceſſit, ſtricte præcipiens atque inhibens, cunctis noſtri Ordinis Fratribus, ne poſt profeſſam noſtram Regulam, multo iam ante tempore, ab Innocentio Tertio viuæ vocis oraculo approbatam & cõfirmatam, ab hac Religione exirent. De qua Bulla ſeu Breui, expreſſa fit mentio, in noſtri Sacri Ordinis monumentis. Explicans igitur prædictus Seraphicus P. N. D. Bonauentura, prædictæ noſtræ Regulæ verba, in hæc ſequentia prorumpit. *Exitum de Religione aliqua, dupliciter poſſumus intelligere. Vno modo retrocedendo & reuertendo ad ſæculum, ſeu ad Religionem laxiorem (quorum vtrumque eſt apoſtatare & retro aſpicere) alio modo procedendo ad altiorem gradum, & aſcendendo frugem ſcilicet melioris vitæ, ſicut faciunt qui à laxioribus ſtatibus, ad Religiones ſe transferunt altiores & meliores. Primus prædictus modus, exeũdi ex Religione, in omni Religione eſt damnabilis. Secundus vero laudabilis, vbi poſsibilis. Sed profeſſo ad hanc regulam eſt impoſsibilis, quod niſi Papa ſupponeret, non diceret, & nullomodo licebit eis de iſta Religione exire, quia ſecundum ſanctum Euangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Si igitur non licet exire, quia non licet retro aſpicere: ergo omnis alia Religio huic eſt retro, & apoſtatæ ſunt omnes ab hac Religione poſt profeſsionem, ad quamcumque aliam tranſeuntes.* Verba ſunt expreſſa D. Bonauenturæ. Et poſt pauca addit. *Quod ſi de licentia Apoſtolica, ſe glorientur aliqui aliter facientes, pro certiſsimo ſciant, contra hanc Domini ſententiã, Papam nihil facere, nemo mittens manum ad aratrum & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Quod ſi mendacijs interuenientibus, aliquid contingat, per tales à Sede Apoſtolica impetrari, non eſt eis excuſatio ſed accuſationis duplicatio, dum mendacio tãtum Patrem circumuenientes, ſuæ quærunt apoſtaſiæ pallium, qui in votis non diſpenſat, niſi vbi ſuggerit pietas, & rationabilis cauſa et æquitas recompenſat.* Hæc prædictus Bonauentura loco ſupracitato. Et in quæſtionibus, quas fecit ſuper eandem regulam, quæſt. 13. propoſita difficultate, an ſcilicet de iſta Religione, poſſet quis ad aliam tranſire, poſt factam in ea profeſſionem reſpondet, *quod non, ſaluo meliori iudicio, niſi per ſpecialem diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ, cũ hoc expreſſe in ipſa regula per Papam confirmata prohibeatur,* ibi, *et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, etc.* Cuius rationem ſubdit, quod *cũ nõ inueniatur arctior regula, neque ſtrictior ſeu æqualis, clare patet, quod non licet cuiquam per ſe ipſum, ad inferiorem Ordinem tranſire, cauſam atq; occaſionem præbendo, vt omnes qui vident, iuxta Euangelium, incipiant illudere ei, dicentes quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* (Verba ſunt expreſſa,) Et in quæſtione præcedenti, quæ eſt 12. in ordine, propoſita alia difficultate, an de quolibet Ordine & Religione, poſſit quis ad Regulam & Ordinem ſancti Franciſci, ſeu Minorum Fratrum tranſire? reſpondet ac dicit. *Sine præiudicio melioris ſententiæ quod ſic, vbi id ſine aliorum ſcandalo fieri poteſt. Propter quod* (inquit) *maxime nobis prohibetur, de quibuſdam Religioſis non recipiendis, cum ſcandalum tale ſit maius malum, quam aliorum receptio ſit bonum.* Quorum omnium prædictorum, quaſi rationem reddens, ſubdit, *quod cum tria ſint principalia omnis Religionis vota, obedientiæ ſcilicet caſtitatis atque paupertatis, in Regula noſtra ſunt iſta omnia, quaſi altiora et ſtrictiora, quã in alijs omnibus ordinibus et Religionibus, ex quo conſtat quod Religio noſtra, eſt altior et ſtrictior alijs Ordinibus, et ideo de qualibet Religione, poſſunt ſecure Fratres ad iſtam tranſire, dummodo id faciant, non ex leuitate, ſed ex ſpiritu Dei ducti. Nam etiam ſi aliqua ſit in quibuſdam corporalibus exercitationibus ſtrictior, vt in abſtinentia carnium, ſilentio et officio Eccleſiaſtico, et ſimilibus, hæc tamen omnia, ex ſublimiorum obedientiæ, paupertatis et caſtitatis virtute, facile recompenſantur, ſicut modicum pondus auri, in præualet pretio, magno ponderi argenti, ſeu cuiuſpiam alterius metalli.* (Verba ſunt etiam expreſſa) Ad quod probandum adducit illud Pauli 1. ad Timoth. 4. vbi ait quod corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt. Hæc D. Bonauentur verba, ſi recte conſiderentur ac penitus introſpiciãtur, ex eis facile licebit colligere, quin vero aperte & manifeſte ex ipſis conſtat, quod expreſſe loquitur de Carthuſianorum Ordine, qui iam longe ante præceſſerat. Nam Carthuſia, vt conſtat ex Chronicis & fidedignis hiſtorijs, cœpit anno 1084. ſub Victore Tertio Summo Pontifice, ſeu vt alijs placet, anno 1101. ſub Alberto tempore ſchiſmatis, ſcitate contra Paſchalem Secundum, vt nos diximus ſupra, quæſtione quarta articulo tertio, Diuus autem Bonauentura floruit, tempore Innocentij Quarti, qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1254. vt conſtat ex noſtris Chronicis, & electus fuit in generalem Miniſtrum, totius noſtri Sacri Ordinis, anno Domini 1256. Ex quo infertur, quod quando Diuus Bonauentura ſcripſit ſupradicta verba, & generaliter eſt locutus, de omni alia Religione, abſque exceptione Carthuſiæ, quantum ad hoc quod eſt non eſſe licitum tranſitum de noſtra Religione ad aliam, eſſe vero licitum, de omni alia ad noſtram, quamuis aliqua videatur ſtrictior in quibuſdam exercitationibus corporalibus, vtputa abſtinentia carnium, ſilentio, &c. quod intellexit & comprehendere voluit etiam Carthuſiam, quin vero & ſpecialiter de ea, mentionem fecit expreſſam. Sed Nauar. lib. 3. Conſiliorum, de Regularibus conſilio 10. & 68. non legiſſe apparet ſupradicta verba D. Bonauent. poſtquam dixit Religiones Carthuſianorum & etiam Minimorum, eſſe ſtrictiores & arctiores, omnibus alijs Religionibus, licereque proinde tranſitum à noſtra Religione ad Carthuſiam, quin vero & ad Religionem Minimorum. Et præmiſſis atque pro expreſſis habitis, quæ de mente & ſententia Nauar. in præcedenti articulo ſatis extenſe ſunt dicta, vt propoſito articulo reſolutiue reſpondeam, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Loquendo de foro exteriori vt videtur licitũ eſt, ex omni alia Religione ad Carthuſiam tranſire.

LOquendo de foro exteriori Eccleſiæ (vt dictũ eſt) licitum videtur, ex omni Ordine & Religione, ad Carthuſiam tranſire. Hæc concluſio eſt fere omnium Doctorũ communis, quamuis & nõ deſint, qui excipiant ab hac generali Regula, noſtrum Ordinem Minorum, atq; Prædicatorum: ſed quidquid de hoc ſit, ipſam tenet expreſſe Nauar. libro 3. Conſil. de Regul. conſ. 68. vbi dicit hac de re eſſe conſtitutionem expreſſam, poſitam in iam ſuperius dicta extrauaganti, *Viam ambitioſæ cupiditatis*, quæ ſuo videri probat & determinat, etiã nos Minores Fratres, & omnes alios Religioſos Mendicantes, licite poſſe tranſire ad Carthuſianos. ſed eo non obſtante, loquendo de foro interiori & quoad Deum, ſecunda ſtatuitur concluſio.

Secunda Concluſio.

Loquendo de foro interiori et conſcientiæ, probabiliſſimum eſt, quod nullus Religioſus noſtri Minorum Ordinis, licite trãſiri poſſit ad aliam, etiam ad Carthuſiam.

LOquendo de foro interiori & conſcientiæ quoad Deum, probabiliſſimum etiam eſt, quod nullus Frater noſtræ ſacræ Religionis profeſſus, ad quamcumque aliam etiam, ad Carthuſiam poteſt tranſire, niſi ex ſpeciali expreſſa & rationabili diſpenſatione Summi Pontificis. Hæc concluſio eſt expreſſa, noſtri Seraphici Patris D. Bonauenturæ, locis ſupracitatis, vbi hoc expreſſe dicit, de omni Religione, nulla facta mentione aut exceptione de Carthuſia. Et eandem tenet Doctiſſimus Pater Corduba, ſuper noſtram Regulam capit. 2. quæſt. 17. quam & probat aliquibus efficaciſſimis rationibus, & primo: nam certum eſt, quod ex Religione altiori, ad infimam ſiue minorem, non licet tranſire, niſi cũ iuſta cauſa & Sũmi Põtificis diſpenſatione, eſſet enim quaſi mittere manum ad aratrum & aſpicere retro, quod qui facit, iuxta Euangelium, non eſt aptus regno Dei. Eſſet etiam non plene atque perfecte, ſoluere votum, vt patet intuenti, & conſtat ex omni iure diuino, humano & poſitiuo, canonico atque ciuili: ſed noſtra (inquit) Minorum Fratrum Religio, eſt altior atque perfectior, omnibus alijs Religionibus, quæ ſunt in Eccleſia, vt tenet Diuus Bonauentura, poteſtque id faciliter probari: ergo ex ipſa ad aliam, ſine legitima, iuſta & rationabili cauſa, & ex diſpẽſatione Summi Pontificis, nullus vnquam poteſt tranſire. Conſequentia cum maiori eſt legitima, ſolum modo reſtat probare minorem, in qua conſiſtit tota huius rei difficultas. Et præter quam quod, eſt expreſſa ſententia Diui Bonauenturæ, vt conſtat ex ſupradictis, probatur ſpecialiter, conſiderando Religionis perfectionem & altitudinem, tum ex maiori, altiori & perfectiori fine, tũ etiam ex maiori arctitudine & rigore. Et quidem quantum ad primum attinet, expreſſa eſt ſententia Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 188. artic. 6. quod illa Religio cæteris paribus, quin vero & imparibus, eſt altior & perfectior, & excedit omnes alias, quæ ordinatur ad altiorem atque potiorem finem, ſeu ad altiorem & potiorem actum, & habet altiora, potiora & congruentiora media, ſiue exercitia ad conſequendum talem finem: ſed finis noſtræ Seraphicæ Religionis, de ſe eſt altior & perfectior, ſine omnium aliarum Religionum, vt latiſſime diximus ſupra quæſtio. 9. artic. 5. & multis etiam probauimus in libro, quem edidimus, ſuper dictam noſtram Regulam, vtpote, quæ habeat pro fine, non ſolum vitam actiuam, aut ſolam contemplatiuam, quin vero mixtam ſeu ex vtraque compoſitam, poſtquam de ſe ordinatur, ad contemplandum & orandũ, ad aſſiſtendum choro, & prçterea ad prædicandum & fidelium confeſſiones audiendum, & incumbendum proximorum omnium ſpirituali ſaluti, qui quidem fines & actus (vt de ſe patet) ſunt cæteris alijs finibus, potiores & præſtantiores, ſiquidem pertinent ad vitam miſtam, actiuam atque contemplatiuam ſimul, & hoc per aptiſſima & congruentiſſima media & exercitia, vt patet ex ipſa Regula. & Summorum Pontificum explicationibus & declarationibus: ergo quantum ad hoc noſtra Religio, omni proculdubio, omnibus eſt alijs perfectior, & ex ipſa ad nullam aliam licitus eſt tranſitus. Sed quod idipſum ſit dicendum, conſiderando Religionis perfectionem, ex maiori auſteritate, rigore & arctitudine, probatur euidentiſſime. Nam noſtra Regula vt inquit Diuus Bonauentura in principio expoſitionis ipſius, quantum ad tria vota eſſentialia & ſubſtantialia, eſt omnibus alijs ſtrictior, & obedientia, caſtitas atque paupertas, ſunt in noſtra ſacra Religione ſtrictiora, propter multas atque fortiſſimas rationes, quas ibidem adducit prædictus ſanctus, quas ego nunc breuitatis cauſa omitto, quia hoc negotium longiorem requirebat tractationem. In ſumma tamen dicit, quod ſecundum noſtram Regulam, prædicta tria vota, ad plura ſe extendunt, & ad maiora nos obligant, quam obligent omnes aliarum Religionum ſeu Regularum profeſſores. Inſuper habet ſupradicta noſtra Regula viginti quatuor præcepta, ex decreto Summorum Pontificum, Nicolai Tertij, & Clementis Quinti in Concilio Viennenſi, omnia obligantia ad mortale, quod vel ſolo dictu eſt horrendum atque ſtupendum, admirabile & plus quam dici poteſt, ſtrictiſſimum & rigoroſiſſimum: ergo loquendo etiam de auſteritate & maiori rigore, nulla eſt in tota Eccleſia Religio, quæ ipſam ſuperet & excedat, aut cum noſtra poſſit & valeat comparari. An non ſtrictiſſimum & rigoroſiſſimum eſt, præter ſtrictiſſimam & rigoroſiſſimam trium votorum eſſentialium obſeruantiam. teneri etiam nos Minores Fratres, ad viginti quatuor obligatoria præcepta, ad non habendum aliquid proprium, neque in particulari neque in communi, ſed omnino viuere ex eleemoſynis emendicatis? Ad non recipiendum vel contrectandum, vllo modo denarios vel pecunias, per nos nec per interpoſitam perſonam, niſi per amicos ſpirituales, in quibuſdam certis caſibus ibidem expreſſis, & pluſquam mille vicibus à Sũmis Pontificibus determinatis? Præterea loquẽdo de veſtimentis, teneri etiam nos, ad non induẽdum niſi veſtimenta vilia, & non amplius quam vnum habitum ſeu vnam tunicam cum capucio, & alteram ſine capucio, abſque Prælatorum licentia, & manifeſta neceſſitate? Item ad incedendum excalceatis pedibus, ſeu non portandũ calceamẽta, ſine eadem? Item ad non equitandum, niſi manifeſta neceſſitate vel infirmitate cogamur? Teneri etiam nos, ad tot ieiunia quæ ex præcepto obligant,

Probatur quod noſtra Minorũ Fratrum Religio ſit altior & perfectior omnibus alijs.

Probatur quod noſtra Regula, excedit ſuperat omnes alias, etiam Carthuſiam in arctitudine.

Nicola. III. in cap. exijt, de verbo. ſignific. in 6. Clemẽs V. in clemen. exiui eod. tit. ar. 2.

gant. Ad ieiunandum (inquam) omnibus ſextis ferijs anni, & continue ſub præcepto, à feſto omnium Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Domini, præter quadrageſimam omnibus Chriſtianis communem, & generaliter præceptam, & alios ieiunij dies ſtatutos & determinatos ab Eccleſia? Quorum ieiuniorum ſi exacta computatio fiat ieiunamus, atq; ieiunare tenemur ex præcepto, maiorem partem totius anni. An non iſta valde ſunt difficilia, rigoroſa & ſtricta? Hæc ſunt quæ in ſumma continentur in noſtra Fratrum Minorum Regula, præter multa alia, quæ cauſa vitandæ prolixitatis prætereo, & vt breuitati ſtudeam. Certe non recte aut bene, conſiderauit Nauarro noſtram ſacram Minorum Fratrum Regulam, nec modo id ipſum facit, qui non eam diiudicat arctiſſimam, ſtrictiſſimam, atque rigoroſiſſimam. Omitto innumeras ac fere continuas diſciplinas, quæ fiunt à noſtris Fratribus, ſingulis ferè diebus, ſecundũ noſtras generales conſtitutiones, & multa alia nimis ardua rigoroſa, & religioſa exercitia, quæ quidem ſi recte cõſuluiſſet Nauarro, ac totam noſtram Regulam plane vidiſſet, & multiplicia præcepta in eadem contenta, & noſſet modum, quo hæc omnia in noſtra ſacra Religione ſeruantur, atque obſeruari præcipiuntur, puniendo, plectendo, ac debitis pœnis afficiendo tranſgreſſores, & eos qui quidquam aliud in contrarium faciunt, non certè dixiſſet, Ordinẽ Minimorum aut Carthuſianorum, eſſe omnium perfectiſſimos, arctiſſimos, ſtrictiſſimos, atque rigoroſiſſimos, licitumque proinde eſſe tranſitum ad Carthuſiam, ex noſtro ſacro Minorum Ordine. Non recte calluit, ſeu potius cõſiderauit Nauarro, rigores & auſteritates Religionum. Sunt ne minus aſperi, rigoroſi & ſenſibiles timenti Deum & ſuam Regulam ſtricte, & ad vnguem obſeruare volenti, rigores & aſperitates ſpirituales, quam corporales? Tot continuis exagitari & moleſtari ſcrupulis, circa obſeruantiam tam ſtrictæ, & ſpiritualis Regulæ, quæ requirit obſeruatores, non niſi ſpiritualiſſimos & obſeruantiſſimos, & poſt quã plura circa hoc negotium fecerint, arbitrabuntur ſe prorſus nihil effeciſſe. Quod ſi de aſperitatibus & rigoribus etiam loquamur, nonne ſatis aſpera, & rigoroſa ſunt, quæ à nobis ſuperius ſunt dicta? Tractent igitur fabrilia fabri: nam Nauarro in clericatu, cum ſua propria commoditate educatus, non recte poterat dijudicare, de Religionum aſperitatibus, & rigoroſis eorum exercitijs.

Sed vt ad locum vnde progreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, probatur præterea quod à Religione noſtra ſacra, ad nullam aliam fit tranſitus, ex verbis Honorij Papæ Tertij, poſitis in confirmatione eiuſdem Regulæ. Ipſe enim eſt qui confirmauit eam medio diplomate, poſt quam Innocentius etiã Tertius, eandem confirmauerat viuæ vocis oraculo, & etiam confirmata & approbata eſt à iure communi, *in cap. vnico, de religioſ. domi. lib. 6.* facto in generali Concilio Lugdunenſi. In præfata igitur Regulæ noſtræ confirmatione, ſequentia habentur verba poſt alia. *Quod nullo modo licet Fratribus, huius Ordinis profeſsis, ab iſta Religione exire iuxta mandatum Diui Papæ,* & rationem reddens, ait, *Quia nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Ex quibus verbis ſic ego colligo argumentum. Qui ab hac Religione exit, vt ad aliã tranſeat, præterquam quod tranſgreditur præceptum Papæ hac de re poſitum, dicitur quod ſit ſicut qui mittit manum ad aratrum & aſpicit retro, ac proinde, quod non eſt aptus regno Dei, ſi igitur hoc facere non licet: ergo neque vllo modo licet ab hac Religione exire, etiam vt aliquis ad Carthuſiam tranſeat. Conſequentia patet. Siquidem de mente Innocentij Tertij, Honorij etiam Tertij Regulam ipſam confirmantium & approbantium, quicumque ab ea exit, retro aſpicit, neque eſt aptus regno Dei. Sed ſecundo confirmo idipſum: nã certum eſt, quod nullus Summus Pontifex, per quæcumque verba, derogare cenſetur ijs, quæ vniuſcuiuſque Religionis ſunt propria & particularia, cum enim hæc pertineant, non tam ad quæſtionem iuris quam facti, ipſa ignorare cenſetur, niſi de illis expreſſa mentio habeatur, iuxta *cap. 1. de conſtitutionibus lib. 6.* ſed quod à noſtra Religione, poſt profeſſionem in ea factam, nulli ſit licitũ tranſire, eſt noſtræ Religionis priuilegium propriũ ſpecialiter ei conceſſum, primo per Innocentium Tertiũ, cõfirmatum, ſecundo per Honorium etiam Tertiũ, quin vero ipſa Regula inſerta eſt in corpore iuris communis, & ab ipſo iure communi multoties eſt auctorizata & approbata: ergo per nullã conceſſionem ſeu conſtitutionem alicuius Summi Pontificis, quæ non faciat expreſſam mentionẽ de ſupradictis, prædictum noſtræ Religionis particulare priuilegium, cenſetur eſſe derogatum ſeu abrogatum, quod eſt valde notandum. Et dico hoc ſpecialiter, propter ſupradict. extrauagantem. *Viam ambitioſæ cupiditatis,* quæ eſt contrariæ opinionis totale fundamentum: nam licet poſterius ſit facta, non tamen per id Martinus Quintus, derogare eſt viſus, noſtræ Religionis ſpeciali & particulari priuilegio. Vnde ſine ſpeciali & expreſſa diſpenſatione Summi Pontificis, ex noſtra Religione ad nullam aliam, licet tranſire, etiam ad Carthuſiam. Sed huic fortiſſimæ rationi reſpondet quidã vir, alias pius & doctus, hac de re loquens, quod ſatis expreſſa facta eſt noſtri præfati priuilegij reuocatio, per illa verba, quæ ponũtur in fine ſupradictæ extrauagantis. *Non obſtantibus quibuſcumque licentijs, & indultis, nec non conſtitutionibus Apoſtolicis, & Mendicantium Ordinum prædictorum, etiam ſi de illis ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habenda foret.* Sed non conſiderat auctor prædictus, quod ibi Summus Pontifex, vt ex titu. eiuſdem extrauagantis colligitur, non agit niſi de reuocatione priuilegiorum Ordinum Mendicantium, quantum ad hoc, quod eſt poſſe ad Ordines Monachales tranſire (excepta Carthuſia) & vt videre eſt & patebit intuẽti, de Carthuſia prædicta, nullam aliam ibi mentionẽ fecit, niſi per modum parentheſis tantummodo, quantum ad hoc, quod ex Mendicantibus, ad ipſam ſolam liceat tranſire, nõ vero ad alium ordinum monachalium. Quod quidem intelligendum eſt, vbi alias licitus eſt tranſitus de iure communi, vel vt etiam verbis D. Bonauent. vtar, vbi alias eiuſmodi tranſitus eſt poſſibilis: at inquit D. Bonau. vbi ſupra, profeſſo ad hanc Religionem eiuſmodi tranſitus eſt impoſſibilis, quod niſi Papa præſupponeret, non dixiſſet ſeu apoſuiſſet, in eadem regula illa verba, nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, iuxta mandatũ

Nota hoc valde, quod priuilegiũ Religioni noſtræ cõceſſum, vt de ea ad aliã non fiat tranſitus, inſertũ eſt in corpore iuris, nullibique reperitur reuocatum.

D.papæ,quia ſecundū ſanctū Euāgeliū,nemo mittens manū ad aratrum & aſpiciens retro,aptus eſt Regno Dei. Optima eſt hæc ſolutio & ſic argumētum factum nullius eſt roboris ac momenti.

Sed ſecundo & melius,ad prædictam Extrauag. reſponderi poteſt,dicendo,quod ibi ſummus Pontif.non directè, atque ex profeſſo locutus eſt de Carthuſia,ſed indirectè & incidēter,& vt dicitur per modū parentheſis, vt patebit intuenti, nec ibi quoad hoc quod eſt vnā Religionem eſſe alia perfectiorem,diffiniendo aut determinando procedit Pontifex,ſed ſupponendo quod Carthuſianorū Religio(quæ vna eſt ex Monachalibus)arcta ſit ſtricta & rigoroſa nimis,viā ambitioſæ cupiditatis Religioſis quibuſdā præcludere volens, vt ibidē ait,& effrenatū deſiderium quorundam trāſeundi ad alios Ordines cohibere,copiā facit omnibus profeſſis Ordinū Mendicantium,vt ſi ad aliquam monachalē velint tranſire,id fieret ad Carthuſiā.non vero ad alium Ordinē. Quod intelligendum eſt ſemper,ſaluo iure & niſi aliàs ex eiſdē Religionibus Mendicantibus aliqua,contrariā omnino haberet clauſulā per ſedē Apoſtolicā approbatā & cōfirmatā,aut eſſet arctior & ſtrictior, à qua proinde ſecundū ius commune fieri nō poſſit tranſitus. Vel tertio dico ad d.Extrauag.quod ibi ſummus Pont.locutus eſt de foro Eccleſiæ & exteriori, non vero de interiori: vt enim dicitur Eccleſia nō iudicat de occultis,neq; ad ipſam ſpectat,ſpecialiter atq; in particulari ſcire,Religionū omniū maiores vel minores auſteritates, qua ratione diximus in concluſione, quod quando id in foro exteriori liceat, non tamen in foro conſcientiæ ſiue interiori. Quod ſi iterum dicas,quomodo licet in foro exteriori, quod nō eſt licitum aut forſan eſt peccatū in interiori? Reſpondetur, ſicut dictū eſt in præced.Art.de mente Nauar. *libro 3.conſ.de Reg.conſ.53.n.1.* quod ad hoc vt tranſitus de vna Religione ad aliā,quoad forū conſcientiæ ſit licitus,plura requiruntur, quā ad hoc vt ſit licitus,quoad forū exterius;& multa ordinantur & ſtatuuntur in foro exteriori, quæ non ſunt nimis licita in foro interiori,quod probat de mente Syluеſ.*verbo, Religio.4.q.2.* allegādo in id *c. nō eſt de voto,& voti redēpt.* Neq; ibi Martinus IIII.determinat,vt ſit licitus tranſitus,qui aliàs non erat licitus,ſed ſolūmodo copiā facit, vt ad Carthuſiā fieri poſſit, quando aliunde & ſecundū ius commune, tranſitus nō eſſet incōpoſſibilis,& ſine ſpeciali Papæ diſpenſatione, cū cauſa facta omnino interdictus. Hęc dicta ſint,non tā aſſertiuè & reſolutiuè,quā probabiliter nimis,de mente & ſentētia D.Bonauent. & multorum doctiſſimorum Patrum,aſſerentiū in gratiā noſtræ Seraphicæ Religionis,ſine præiudicio alterius ſententiæ, & ſub correctione cuiuslibet melius ſentiētis,quod ex noſtra Minorū Fratrum Religione,ad nullā aliam (etiam Carthuſianorū) licitus eſt tranſitus, abſq; ſpeciali ſummi Pontif. diſpenſatione,facta cū legitima & rationabili cauſa,pro eo quod ſacra noſtra Religio,tā in fine quā in mediis,ad ipſum conſequendū ordinatis, eſt altior & perfectior,& in arctitudine,rigore atq; auſteritate,prēeminetetiā alijs,ſi vti par eſt,Regula noſtra advnguē obſeruetur,vti ſeruari præcipitur, in noſtris generalibus cōſtitutionibus. Atq; excōſequenti & ex qualibet alia Religione,ad hāc noſtrā ſacrā licite fieri poteſt tranſitus,quantū eſt de iure diuino & cōmuni propter rationes dictas.A qua etiā ſentētia nō abhorret ſupradictus Nau. imò verò in conſil,ſupra citato in fine dicit, quod ſi bonus zelus & aliqua bona cauſa,melius Deo ſeruiendi intercueniret,& ſine ſcandalo & infamia prioris Religionis,tranſitus fieri poſsit ad poſteriorē, & non timeretur lis ſuper huiuſmodi tranſitu, inter præfatas Religiones,rectè fieri poſſet trāſitus,ex Carthuſia ad Fratres Minores quoad forum conſcientiæ,& manere ibi bona fide.Nota hoc valde,& videantur prædictus Nauar. & Cordub. locis ſupra citatis, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura eaque notatu digniſſima.

Totius difficultatis reſolutio.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm tranſire poſsit ad Carthuſianos Monachus Caſsinenſis, non petita ſimul & obtenta, licentia a ſuis Superioribus?

Anc quæſtionem mouet Nauar. lib.3. Conſil.de regu.conſi.59. & prēſupponit quod Monachi Caſſinenſes,habēt priuilegiū,ab Eugenio. IIII. per quod prohibetur,ne Monachi præfati, abſtrahantur à ſua Religione,neque ſponte venientes recipiātur, etiā occaſione arctioris vitæ,Ordinis ſeu Religionis,abſq; conſenſu Capituli generalis,ſeu Præſidētis,& maioris partis Viſitatorū dictæ Congregationis, etiā auctoritate litterarū Apoſtolicarū, in quibus de huiuſmodi perſona ac religione,mētio facta nō fuerit, ſub pœna excōmunicationis, quā ipſo facto incurrāt,qui facta eis notitia de huiuſmodi priuilegio,Monachū aliquē dictæ Cōgregationis,intra triduū nō relaxauerint & à ſe abiecerint. Hoc priuilegiū(vt dicitur)Monachi Caſſinēſes,oſtenderūt Carthuſianis corā Iudice,proteſtantes ſuper illius obſeruātia,&c. Hoc præmiſſo notabili,quærit Nauar.plura circa hoc,& inter alia, id quod à nobis propoſitū eſt in iſto Articulo,& ex his quæ illic ab eodem dicuntur, eidem reſpondeo,per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Ex Monachis Caſsinēſibus, non eſt licitus tranſitus, ad Carthuſianos

QVi ſine licentia petita ſimul & obtenta, iuxta modum & formam præſcriptam in præcedenti notabili, à Caſſinēſibus ad Carthuſianos tranſierit, reuocari poteſt, & Carthuſiani ipſum recipiētes,& intra triduum poſtquam fuerint requiſiti non remittentes, ipſo ſunt facto excommunicati. Hæc Concluſio conſtat ex dictis, in ſupradicto notabili & priuilegio Eugenij IIII. nam quamuis huiuſmodi priuilegiū, vt bene notat & aduertit Naua.loco ſupra citato,poſtea fuerit modificatum & limitatum,per *cap. licet quibuſdam, de regul.* quatenus ibi dicitur,quod poſsit quilibet regularis,tranſire ad ſtrictiorem Regulam, & quod ſufficiat licentia petita, quamuis non obtenta, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, facientibus in contrarium, &c. at per aliud priuilegium

uilegium factum Congregationi ſancti Benedicti Hiſpaniarum (vt dicitur) anno Domini 1440. à Cæleſtino Quinto, hoc idem fuit confirmatum, & cõſtitutum non ſufficere petiuiſſe licentiam, quin vero eſſe neceſſarium, vt de facto obtineatur, & præceptum eſt quibuſcumque Monachis, conuerſis & perſonis Religioſis, eorumdem Monaſteriorum, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ne ſine licentia Generalis Reformatoris, vel etiam Abbatis & Conuentus, cuius tunc Religioſus fuerit, petita etiam & obtenta, à Monaſterio exire poſſint, etiam ſi ad quemcumque alium Ordinem, vel locum, ſeu quodcumque aliud Monaſterium eius, vel alterius cuiuſcumque Ordinis tranſire velint. Quam eandem excommunicationem, incurrere voluit idem Summus Pontifex, Abbates, Priores, Religioſos & Superiores, dictum tranſeuntem recipientes, ſi poſtquam per dictos ſupradictæ Congregationis Monachos requiſiti fuerint, intra triduum illum ad proprium Monaſterium à quo exierat, ſine difficultate non remiſerint cum effectu, à qua tam recipientes quam tranſeuntes, niſi ad ſuum Monaſterium redierint, præterquam in mortis articulo abſolui nequeant. Hæc habentur in compendio priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis, titulo de fugi. §. 1. & 2. vbi & Collector ait, quod per dictum priuilegium, ad nullum alium etiam Carthuſienſium Ordinem, Fratres dicti Ordinis, niſi petita ſimul & obtenta licẽtia poſſunt tranſire, quod etiam (inquit) Pius Secundus eiſdem conceſſit, dicendo quod virtute quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, niſi in eiſdem de Monaſterio & Ordine, & dicta Cõceſſione ſpecialis, & expreſſa mentio habeatur, nulli Religioſo, ad alium Ordinem liceat tranſire, cum decreto irritante, quidquid ſecus fuerit attentatum. Et addit, quod facta eſt concordia, inter Carthuſianos & Ciſtercienſes, quod nullus Monachus Ordinum ſuorum, de vno ad alium poſſit tranſire, ſine licentia petita ſimul & obtenta ſuorum ſuperiorum. Et in quodam libro priuilegiorum, Sancti Benedicti Congregationis ſupra dictæ, impreſſo Romæ anno 1589. folio 145. affertur quædam declaratio Illuſtriſſimorum Cardinalium, Congregationis Regularium, quæ ſic ſe habet. Illuſtriſſimi Cardinales definierunt, quod tranſitus ad parem, vel ad arctiorem Religionem, non fiat niſi cauſa cognita tranſeuntis, & vitæ ac morum ratione, idq; ex approbatione Capituli generalis. Vnde reſolutiue cõcludendo dico, quod præfatus Monachus Caſſinenſis, ſeu Ciſtercienſis, ad Carthuſianos translatus, abſq; licentia petita ſimul & obtẽta, reuocari poteſt, & non remittentes intra triduũ, poſtquã fuerint requiſiti, ſunt ipſo facto excommunicati, quæ omnia ſunt multum conformia ijs, quæ habentur *à gloſſa in cap. mandamus, 19. quæſt. 3. verbo, lapſus, et in cap. intelleximus, de ætat. et qualitat.* de quo videndus eſt Panormita. & Cardinal. *in dicto capit. licet quibuſdam, de Reg.* quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

(*)

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Prælati ſuperiores Ordinum, & maxime Generales, inferiores Papa, in aliquo caſu, & cum iuſta cauſa, facultatem poſſint facere, alicui ſibi ſubdito, vt tranſeat ad laxiorem Religionem?

DE hac quæſtione, iam aliquid diximus ſupra, ſed mouetur etiam modo, propter ſpecialem difficultatem quam habet, & quia in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.* habetur, vt nemo Regularis cuiuſcumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem, ſed eo non obſtante, ſit concluſio.

Concluſio.

PRælati ſuperiores Ordinum, & maxime Generales, bene poſſunt impartiri, in aliquo caſu licentiam ſibi ſubditis, cum iuſta cauſa & præmiſſa cauſæ cognitione, vt transferantur ad laxiorem Religionem. Hæc concluſio eſt expreſſa Doctoris Nauar. in commentario *ſuper cap. ſtatuimus, de Regul. 19. quæſt. 3. num. 4.* & in conſilijs lib. 3. conſil. 56. quã & probat ex *cap. cum in ſingula, de præbendis, lib. 6.* & eandem eſſe dicit, opinionem & ſententiam, Innocentij, Hoſtienſis & Panor. *in cap. non eſt dubium, et in cap. ſignificatum, num. 6.* Sed aduertit & admonet prędictus Nauar. eſſe neceſſarium, Prælato transferẽti & translato, quò defendi poſſint poſtea in foro exteriori, vt fiat inſtrumentum & ſcriptura publica, aut ſaltim authentica, de cauſa & cauſæ cognitione, per quam fieri poſſit fides, huiuſmodi Prælatum Generalem, dediſſe prædictam facultatẽ tranſeundi cum cauſæ cognitione, & præmiſſa prius ſufficienti informatione, de iuſta cauſa transferendi ad laxiorem Religionem, & ratio eſt: nam nulli Superiori etiam ſupremo, & non recognoſcenti alium ſuperiorem, præter Papam dicenti & aſſerẽti, ſe facere aliquid ex iuſta cauſa, creditur niſi cõſtet de illa, ſi id non poteſt facere ſine cauſa, vt recte probat idem Naua. in commentario de ſpolijs, *ſuper cap. non liceat, 12. quæſt. 2. §. num. 8.* & in conſilijs de Reg. lib. 3. conſil. 56. Cum igitur præfati Prælati ſuperiores etiam generales, prædictam translationem facere non poſſint, ad Religionem laxiorem ſine iuſta cauſa, imò verò nec ipſe Papa, vt diximus ſupra artic. 6. concluſio. 3. & 4. & probat Nauarro in ſupradicto conſil. 56. & latius *in dicto cap. ſtatuimus, 16. quæſt. 3. num. 4.* bene infertur, quam ſit ſibi neceſſarium, facere prædictam informationem, de cauſæ cognitione quoad forum exterius.

Prælati regulares et maxime generales bene poſſunt cum cauſa, licentiam cõcedere ſibi ſubditis, vt tranſferantur ad laxiorem Religionem.

Nulli ſuperiori vtcumque ſuprema inferiori Papa, dicenti et aſſerẽti ſe facere aliquid ex iuſta cauſa creditur, niſi conſtet de illa, ſi non poteſt aliquid facere ſine cauſa.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quod in præfato loco, non fuit mens ſiue intentio Concilij, tollere facultates iuridicas, quæ ſufficerent ad translationem ex vno Ordine ad alium etiam laxiorem, ſed non iuridicas, quales ſunt quæ fieri ſolebant ab aliquibus Prælatis, obtentu ſuorum

Reſpondetur ad rationẽdum bitandi.

priuilegiorum, ſine iuſta cauſa & cauſæ cognitione, & ſine conſenſu Conuentus, id que ſonant verba præfati Concilij ibidem poſita, *cuiuſcumque facultatis vigore*. Quod & probatur præterea, quia id nullo iure prohibetur, imò verò probatur argumento deducto à contrario ſenſu *ex dict. cap. ſtatuimus*, quatenus dicitur, non licere eiuſmodi tranſitũ leuitatis cauſa, neque ſine Prælati licentia, ex quo colligitur, quod cum cauſa & licentia licet, neque id contrariatur Concilio Tridentino prędicto, videatur Nauarro ſupradictum *capit. Statuimus*, notabi. 3. & in dicto conſil. 56. numero etiam. 5.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Regularis, habens licentiam à ſuo Prælato, tranſeundi ad alium Ordinem ex iuſta cauſa, non facta mentione de laxiore, ſufficiat dicta licentia, ad tranſeundum ad laxiorem, an vero tantummodo debeat intelligi, de alia Religione æquali, ſiue ſtrictiori?

Prima Concluſio.

Regularis prædictã habẽs licentiã, quamuis trãſire poſſit ad alium Ordinem æqualem, & ſtrictiorem, non tamen ad laxiorem.

REgularis habens ſupradictam licẽtiam, quamuis poſſit tranſire ad alium Ordinem, æqualem vel ſtrictiorem, non tamen ad laxiorem. Probatur hæc concluſio: nam quamuis licentia ſeu priuilegium, operari debeat aliquid vltra ius commune, iuxta id quod dicitur *in c. his, de priuilegijs*, ſed tamen dato aliquo effectu, quem operetur, non debet extendi ad alium, in quo non inuenitur eadem, aut ſimilis ratio, argumento deducto, *ex c. cum dilectus, de conſuetu. & l. ſi quando. C. de inofficioſ. teſtam.* & idem tradit Decius poſt alios *in c. 1, de reſcript. nu. 11.* ergo cum prædicta licẽtia, operetur aliquem effectum, nempe tranſeundi ad æqualem, ſiue ſtrictiorem Religionem, non videtur extendenda de tranſitu ad laxiorem. Hæc ſententia eſt D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 8. & Nauar. *in c. ſtatuimus, n. 10.* & lib. 3. Conſilio. de Regul. conſil. 56. num. 2. nam ad id (inquit) aliquid amplius & maior cauſa requiritur. Sed dices, ſi Prælatus det illi licentiam, ad tranſeũdum ad certum aliquem & determinatum Ordinem, poterit ne tranſire ad alium ſtrictiorem? Nauar. videtur dicere quod non, cuius rationem reddit, in alio ſimili caſu: nam inquit, quod quando Papa alicui Cardinali delegat, vt facultatem faciat alicui Religioſo, tranſeundi ad aliquem certum Ordinem, non poteſt quicquam facere auctoritate Sanctitatis ſuæ, niſi quoad illum Ordinem, cum delegatio Papæ ſit ſtricti iuris, vt habetur in iure, *c. 1. & 9. de offic. deleg.* Cum igitur illa licentia, ſiue facultas, tranſeundi ad certum & determinatum Ordinem, ſit ſtricti iuris, videtur quod eius intuitu, non poſſit quiſpiam ſe transferre, ad aliam Religionem, etiã ſi ſit ſtrictior & magis perfecta, quam illa ad quã

Difficultas

conceſſus erat ſibi tranſitus, poterit tamen virtute alterius facultatis, ſiqua dictæ Religioni ex priuilegio, aut ex iure communi conceſſa eſt. Et hoc videtur tenendum atque dicendum, vtpote rationi & æquitati magis conſonum: nam ſi alias, exiſtenti in tali Religione minus ſtricta, de iure communi *per c. licet, de Regul.* licitus erat ſibi tranſitus: multo ergo melius modo. Sed maior difficultas eſt de eo, qui habet à Prælato licentiam, iuſta de cauſa datam, vt ſe transferre poſſit in aliam quamcumque Religionem, Mendicantem ſiue non Mendicantem, arctiorem ſiue laxiorẽ, an poſſit ſe tranſferre ad aliquem Ordinem Militarem? Nauarr. hac de re, particulare fecit conſilium lib. 3. de Regul. conſil. 58. in quo partem tenuit affirmatiuam, cum Religiones Militares, ſint vere Religiones à Sede Apoſtolica approbatę. Sed nihilominus contrariũ fertur fuiſſe definitum, atque determinatum, ab illuſtriſ. Card. Cong. Reg. de quo ſit ſecunda concl.

Difficultas.

Secunda Concluſio.

Per licentias conceſſas, Monachis viuentibus in clauſtro, nõ licet trãſire ad Religiones Militares, ſeuque profitẽtur hoſpitalitatem.

A Cardinalibus ſacræ Congreg. ſuper negotijs Regularium, diffinitum atque determinatum eſt, quod per licentias quæ conceduntur Clauſtralibus, ſeu exiſtentibus in Clauſtris, non licet eiſdem tranſire ad non Clauſtrales, vt ſunt Religiones Militares & Hoſpitalariæ. Hoc habetur in additionibus ad ſuprad. conſil. 58. Nauar. quod cum ab illis fuerit determinatum, ſitque id ſatis iuridicum, obſeruandum & tenendum eſt firmiter, neq; hac in re eſt cur amplius immorari debeamus.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm ſi aliquis Ordo ſiue Religio reformetur, ad ſtrictiorem viuendi modum, teneãtur qui eiuſdem ſunt, ibidem permanere, an vero poſſint iuſte diſpenſari, in eo quod tranſeãt ad aliud, etiam laxiorem Ordinẽ?

Diuerſæ ſunt hac de re ſententiæ et opiniones.

HAc de re diuerſæ ſunt DD. opiniones. Quidam enim dicunt, quod in tali caſu, Fratres profeſſi cuiuslibet Ordinis, licite poſſunt tranſire ad alium æqualem vel ſimilem. Nam cum à principio, non potuerint cogi ad intrandam Religionem, neque ad faciendum votum, iuxta *c. præſens clericus. 20. q. 3. et c. 1. cum gloſſ. de Reg.* quibus dicitur, quod nullus inuitus ſubijciatur Monaſticis diſciplinis, nec poſtea cogi poſſunt ad voti augmentum, argumento eorum, quæ notantur in iure, quia actus agentium non ſe extendunt, neque operari debent vltra intentionem, & voluntatem ipſorum, iuxta *cap. vltimum de præbend. et legem, non omnes. ff. de rebus cred.* certum eſt enim, quod intentio eorum, qui in tali Religione ſeu Ordine profeſſionem emiſerunt, ſolummodo fuit ſeruare regulam, ſecundum morem qui vigebat in eadem Religione, & non alias ſeu alio modo. Hanc opinionem tenet Hoſtienſ. in ſumma agendo de *voto. §. vtrum, numer. 16. verſ. quod ſi aliquis, et gloſ. in capit. integritas, 32. quæſt. 1. verbo, voti.*

Prima opinio.

Sed

Secunda opinio.

Sed alia eſt contraria aliorum ſentẽtia, aſſerentium huiuſmodi teneri, in tali Religione perſeuerare & permanere, quia (inquiunt) melior fit tunc ipſorum conditio, ſumpto argumento *ex cap. ex parte, & c. dudum, de conuer. coniug.* imò verò (inquiũt) ob id gratias agere debent Deo, & reformatori ſuæ Religionis, qui illos ad talem ſtatum reduxit. Addunt tamen, quod ſicuti nouitijs datur probationis annus, ad probandos rigores & aſperitates cuiuslibet Religionis, ita & ijs debet dari vnus annus, ad probandas has nouas aſperitates, quas ſi perferre non potuerint, petita licentia & ſeruata forma iuris communis, ſe transferre poterunt ad aliam Religionem. Sed quidquid de hoc ſit, pro poſito articulo, reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Reformatio Religionis alicuius, ad alium etiã ſtrictiorem viuẽdi modum, dũmodo nõ mutetur Regula, non eſt ſufficiẽs cauſa diſpenſandi, vt quis ſe transferat ad aliã Religionem.

REformatio Religionis cuiuslibet, ad alium etiam ſtrictiorem viuendi modum, dummodo in ſubſtantia non ipſius mutetur regula, non eſt ſufficiens cauſa diſpenſandi, vt quis ſe transferre poſſit ad aliam Religionem. Hæc concluſio eſt certa, & ſatis conſtare poteſt, ex his quæ diximus ſupra quæſt. 26. artic. 9. & 10. agendo de Prælatorum obedientia. Et ratio eſt: nam quamuis ſubditi non teneantur ſuis Prælatis & Superioribus obedire, in his quæ ſimpliciter & abſolute ſunt ſupra Regulam, tenentur tamen eiſdem parere, in his quæ non ſimpliciter & abſolute ſunt ſupra ipſam, & ordinari poſſunt ad Regularem vitam, quamuis ſint arctiora & ſtrictiora, neque id eſt ſufficiens cauſa, tranſeundi ad aliam Religionem. Et confirmatur: nam hoc etiam de facto viſum eſt noſtris temporibus, ſiquidem Summi Pontifices, obligarunt Fratres noſtros Ordinis ſancti Franciſci Conuentuales, in Hiſpaniæ partibus exiſtentes, ad ſeruandam vitam, per eoſdem nunquam promiſſam, quia nempe, regula ſecundum ſubſtantiam, erat vna & eadem. Hanc eandem ob cauſam, Moniales etiam obligatæ ſunt, atque obligari potuerunt à Papa, & Concilio Tridentino, ad ſeruandam clauſuram, quam nunquam promiſerant, quia illud viſum fuit expedire proprio earũdem ſtatui, & quia de ſe erat res ordinabilis, ad ipſarum Regularem vitam. Quod tunc præſertim fieri poteſt, quando ad ſeruanda ea quæ promiſerunt, maxime conducunt huiuſmodi aſperitates & rigores. Ad hoc etiam propoſitum facit, quod dixit Ioan. Andr. *in capit. vnico, de ſtatu Regul. lib. 6.* quod ſcilicet Papa circa regulares, multum poteſt in cibis & veſtibus, & modo manendi & viuendi & ſimilibus, nec (inquit) id eſt ſufficiens cauſa ſuas deſerendi Religiones, & ad alias tranſeundi.

Nota valde pro Fratribus Conuentualibus & Clauſtralibus, ac etiã pro clauſura Monialium.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm ille qui fecit iuramentum, ſiue emiſit votum, de non tranſeundo ad aliam Religionem etiam arctiorem, teneatur illud adimplere?

Concluſio.

Votum de nõ intrando aliã Religionem, etiam arctiorem, non valet, quin vero eſt ipſo iure nullum.

SVpradictum iuramentum ſiue votum, factum de non tranſeundo ad aliam Religionem arctiorem, non valet imò vero eſt ipſo iure nullum. Probatur hæc concluſio, argumẽto deſumpto à toto ad partem, quod eſt firmum & in iure validum, quando eſt eadem ratio, & id ſuadet idem ius in vtroque, iuxta *l. quæ de tota. ff. de rei vendicat. & capit. paſtoralis. §. itẽ ſi totum, de offic. deleg.* ſed votum de non intrãdo Religionem, nihil obſtaret vouenti ad ipſam intrandam: ergo nec obſtabit votum de non intranda arctiore, ad hoc vt ipſam intrare poſſit. Quod eadem ſit vtrobique ratio, & idem iuris in vtroque probatur: nam ratio qua votum de non intranda Religione, non impedit introitũ ea eſt, quia eſt impeditiuũ maioris boni, ſed hæc eadem ratio inuenitur etiam in voto de non intrando arctiorem: ergo intentum. Facit & ad hoc *capit. Virgines, 20. quæſt. 4.* Ex dictis infertur, quod qui emiſit huiuſmodi votũ, poteſt tranſire ad aliam Religionem, quæ ſecundum ſuas conſtitutiones & diplomata Apoſtolica ſit ſtrictior, non obſtante prædicto voto aut iuramento, & quod recipientes ipſum non peccant, ſi alias in ſua receptione obſeruentur ea, quæ obſeruanda ſunt de iure. Videatur hac de re Nauar. lib. 3. Conſiliorum, de Regularib. conſil. 55. nume. 1. & de voto conſil. 14. per totum.

ARTICVLVS XVII.

Quam diligentiam facere teneatur Religioſus, qui habet licentiam & facultatem tranſeundi ad aliquẽ Ordinem non Mendicantium, ſi non inuenerit aliquem Mendicantem, qui eum velit recipere?

Concluſio.

Illi Religioſi qui facultatẽ habent, tranſeundi ad nõ Mendicãtes, ſi non inuenerint Mendicãtes, qui eos velint recipere, omnes prio Ordines, et Religiones Mendicantes, tenentur requirere.

ILli quibus facultas facta eſt, tranſeundi ad non Mendicantes, ſi nõ inuenerint Mendicantes, qui eos velint recipere (vt fit communiter) non ſolum tenentur requirere quatuor Ordines Mendicantes, approbatos de iure antiquo & communi, verum etiã & omnes alios Ordines Mendicantes ex priuilegio, qui hodie ſunt plures, vt cõſtat *ex cap. fin. de Religio. domi. & cap. 1. eodem tit. lib. 6.* Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. *in c. ſtatuimus, n. 13.* quam & probat: nam illa negatiua, *ſi non inuenerint Mendicãtes*, intelligenda eſt, facta exacta diligentia, quæ non verificatur, niſi requiſitis omnibus, & nullis volentibus eos recipere, argumento cuiuſdam *Gloſ. ſingularis, in c. cum dilectus, de conſuet.* Et tenẽtur facere iſtã diligentiã & requiſitionẽ bona fide, atq; ex vero & iuſto deſiderio inueniẽdi aliquod Monaſteriũ in quo recipiantur: nam nõ ſufficit hoc petere

verbo tantum, ſed verbo opere & id debent realiter procurare. Verba enim cum effectu ſunt intelligenda, prout habetur in iure. §. *hæc autem verba, de pœnitent. diſtinct. 1. & capit. relatum, cum multis alijs allegatis à Gloſſa, de cleri. non reſid.* Multo minus ſufficit petere verbo, ſignificando nutu ſeu alijs verbis, aut per alias perſonas contrarium, & deſiderare ſe non recipi: nam omnia iſta ſunt fraudulẽta, & quę non iuſtificant in conſcientia. Quod etiã patet à ſimili, de eo qui fecit votum ingrediendi certam aliquam Religionem: nam vt liberetur à tali obligatione, neceſſariũ eſt vt vere atq; ex animo, in præfata Religione procuret admitti: ſic igitur in propoſito, vt Religioſus poſſit tranſire ad non Mendicantes, in caſu quo Mendicantes non velint ipſum admittere, prius debet facere exactam diligentiam, ex bono & vero animo: nam vt inquit Diuus Paulus, *Deus non irridetur, &c.*

Verba ſemper cũ effectu debent intelligi, & non vo ce tenus ſolũ modo.

In calce huius articuli libuit aduertere, quod Prælati Religionum, ad quos huiuſmodi tranſeũt, nõ poſſunt eos recipere, ſine ſuorum Conuẽtuum conſenſu, pluſquam alios nouitios, quos ſecũdum communem conſuetudinem receptam, de conſenſu Conuentuum ſuorum recipiunt, vt dicit Nauar. *in capit. nullam, 18. quæſt. 2. & in ſupradicto capit. ſtatuimus, 19. quæſt. 3. num. 14* nam verba illa *Benevolos receptores*, referuntur ad potentes eos recipere, & incorporare Religioni. Neque vero ſufficit præſtare obedientiam ſoli Prælato, vt fieri ſolebat ante Concilium Tridentinum, ſed debent recipi, ſicut alij nouitij, de conſenſu Diſcretorum Conuẽtus, & ad profeſſionem admitti, ſicut alij nouitij, de cõſenſu ad minus, maioris partis Monaſterij, cum ad validitatem actus non ſufficiat voluntas ſine poteſtate, ſicut neque poteſtas abſque voluntate, iuxta *capit. cum cauſam, cum Gloſſa, de offic. delegat.* Vnde vt ſtatim dicemus, debent profiteri in Religione quam ingrediũtur, ſeu ad quam transferuntur, ſicut profitentur iuuenes ſeculares, peracto ſuæ probationis anno. Et addo, quod debent recipi cum animo, & intentione atque obligatione, tenendi eos perpetuo in Clauſtro, non autem dimittendi eos, aut licentiam concedendi illis, vt vbicumque voluerint poſſint manere: nam hanc facultatem, abſtulit à Prælatis & Superioribus Cõcilium Tridentinum *ſeſſio. 14. capit. 11. de reformatione*, vbi ad hoc propoſitum ſequentia habentur verba. *Quia Regulares de vnõ ad alium ordinem translati, facile à ſuperioribus licentiam obtinere ſolent, ſtandi extra Monaſterium, ex quo vagandi & apoſtatandi tribuitur occaſio, præcipimus quod nemo cuiuſcumque Ordinis Prælatus, vel ſuperior, vigore cuiuſcumque facultatis, aliquem ad habitũ, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in ordine ipſo ad quem transfertur, ſub ſui ſuperioris obedientia in Clauſtro perpetuo permaneat, & taliter trãslatus, etiam ſi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia ſecularia, etiam curata omnino incapax exiſtat.* Quod etiam ſignificant verba illa, quæ communiter habentur in huiuſmodi litteris, ſcilicet, *vitam quam Regularem, in Clauſtro perpetuo ducendam ſtatueris, & promiſeris.* Videatur hac de re Nauar. vbi ſupra, num. 15. vbi ad hoc propoſitum dicit plura notatu digniſſima.

Qualiter ſint admittẽdi & recipiẽdi, qui ex vno in alium tranſeuntur Ordinem.

(*:*)

ARTICVLVS XVIII.

Vtrùm tranſiens ad aliam Religionẽ, de licentia ſui Prælati, iuſta de cauſa data, ſi pœnitcat aut alibi non recipiatur, iterum debeat in priori Religione admitti?

Concluſio.

QVi cauſa ſtrictioris Religionis, vel alia de cauſa, poſtulauit à ſuo Prælato licentiam, tranſeundi ad aliam Religionem ſi non inuenit arctiorem ſe recipientẽ, aut non potuit ipſius auſteritatem & rigorem ſuſtinere, vel alia quacumque de cauſa, ante profeſſionem vult reuerti, prioris Religionis Fratres, tenentur eundem recipere. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo, Religio, 4. q. 5.* & eſt ſentẽtia & opinio communis, cuius & ratio in prõptu eſt; quia licentia tranſeundi, & renũtiatio prioris Monaſterij, ſiue Religionis facta fuit ex cauſa, vnde cauſa non ſubſecuta, nullus etiam ſubſequitur effectus. Quod & verum eſt, etiam ſi Abbas & Conuentus, licentiam præſtiterit alicui, ſimpliciter & abſolute, vt ad aliam Religionẽ transferre ſe poſſit, non ex aliqua cauſa, ſed forſan ex odio, aut ex ſua proterua & nimium rigida conditione, & ille etiam ſimpliciter renunciauerit, iuri & actioni quam habet ad illam Religionem: nã adhuc ſi pœniteat, aut non inuenerit aliquam Religionem ſe recipientem, tenentur Fratres prioris Religionis ipſum recipere, & licentia ſic data nihil valuit, quia hoc fuiſſet illi dare licentiam vagandi, cõtra id quod prohibitum reperitur, *in c. Abbates, 18. q. 2.* Dicit tamẽ Sylueſter, quod iſte talis, poterit à Religione expelli, ſi noluerit ferre pœnam, pro culpa commiſſa aut alia de cauſa. Sed de hoc alias dicemus, cum agemus de eiectis Religionum.

Qui licẽtiam obtinuit à Prælato, trãſeũdi ad aliã Religionem, quacunq; ex cauſa ibi non recipiatur aut profiteatur, in priori debet recipi & admitti.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm tranſiens ad aliam Religionem indebite, & non eo modo quo in ſuperioribus articulis eſt dictum, ſit dijudicandus apoſtata, & vt talis puniendus?

Concluſio.

TRanſiens ad aliam Religionem, aliter quam in ſuperioribus dictum eſt, quãuis non ſit apoſtata apoſtaſia maiori, de qua fit mentio *in c. fin. de apoſt.* bene tamen apoſtaſia minori, quia à ſua Religione retroceſſit. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo Religio, 4. quæſtione. 4.* quam & dicit eſſe ſententiam Panorm. *cap. ſane de reg* & inquit, quod ex hoc infert ſumma Angelica explicando *capit. 2. ne Cleric. vel Mon. lib. 6.* vbi dimittens habitum ſuæ Religionis, incurrit excommunicationem cum ſit

Tranſiens ad aliquam Religionem indebite, & non ſeruata iuris forma, cenſetur apoſtata.

propriè

propriè apoſtata, quod eam non incurrit aſſumẽs habitum alterius Religionis etiam laxioris. Quæ ſententia eſt Ioa. Andr. qui ait quod huius rei cauſa eſt, quia textus ibi loquitur, de eo qui dimiſit habitum, occaſione vagandi, quæ quidem ratio ceſſat in eo, qui aliam Religionem ingreditur, & idẽ tenet Panormit. *in dict. cap. ſane.* Sed prædictus Syluester loco vbi ſupra, dicit quod aſſumens habitũ alterius Religionis, ratione tranſitus liciti, vere aut opinatiue, non incidit in ſupradictam excommunicationis pœnam, quia ibi ceſſat ratio legis. Secus eſt autem ſi aſſumat cauſa euagandi, & multo magis ſi cauſa licentioſius aut cautius delinquendi: nam in tali habet locum litterę intentio, & ratio legis & capituli prædicti, quod eſt multum notandum ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS XX.

Vtrùm Religioſo habenti licentiam, vt ad aliam Religionem ſe transferat, ſi nullam omnino inueniat quæ ipſum recipiat, & propter legitimas cauſas noluerit ad primam Religionem reuerti, licitum ſit Religionem nouam adinuenire?

Concluſio.

Nulli licitũ eſt, ſine expreſſa licẽtia Papæ Religionem nouam adinuenire, aut habitum nouæ Religionis aſſumere, pro eo quod alibi non recipiatur.

NVlli licitum eſt Religionem nouam adinuenire, neque habitum nouæ Religionis aſſumere, ex eo quod non alibi recipiatur, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Hæc concluſio eſt expreſſe determinata, *in cap. vnico, de Relig. domib. lib. 6.* & talia facientes non ſunt Religioſi propriè, ſed vere irreligioſi, cũ non profiteantur Religionem per Sedem Apoſtolicam approbatam. Quin vero ſunt ipſo facto excommunicati, per ſupradictum *capitulum, et per extranag.* Ioan. 22. quæ incipit ſancta Romana Eccleſia, quam extrauagã. adducit Abbas, *in capit. fin. de Relig. domib.* Circa quam excommunicationem, dicit Syluester *verbo, excommunicatio. 9.* num. 45. quod ipſam non incurrunt, qui habitum nouæ Religionis aſſumunt, vt ſeorſum habitent, ſed vt cum alijs ſimul viuant, vt dicit ibi *Gloſſ. in d. cap. vnico*, & expreſſius habetur *in prædicta extrauagante ſancta Romana Eccleſia.* At in propoſito caſu, hoc non habet ſed nec habere poteſt locũ, quia præfatus Religioſus, de quo fit mẽtio in iſto articulo, nec ſeorſum nec ſimul, cum alijs habitare poteſt, vtpote qui eſt apoſtata & excommunicatus, per receſſum à ſua Religione, & quia ad priorem Religionem non reuertitur, ſicque nec poteſt ſeorſum habitare, nouum modum viuendi, aut nouam Religionem adinueniendo, nec vero etiam cum alijs communiter, quod ſi perperam fecerit, duplici ex capite erit excommunicatus, & propter apoſtaſiam, & propter adinuentum nouum Ordinem, qua de re nulli dubium.

ARTICVLVS XXI.

Vtrùm Religioſus translatus de vna Religione ad aliam, debeat eſſe de nouo Nouitius, & in eadẽ profiteri?

Concluſio.

Religioſus ex vno in alium trãslatus Ordinem, ibidẽ prius eſſe debet nouitius per annũ, et poſtmodũ profiteri.

TRanslatus de vna Religione ad aliam, vt ſit eiuſdem alumnus & filius, debet de nouo in ea eſſe nouitius, & in probatione exiſtere, per ſpatium vnius anni, ad modum quo cæteri ſeculares, & de nouo etiam in eadem profiteri. Hanc concluſionem adeo credo eſſe certam & indubiam, vt de ipſa nulli ſit fas dubitare. Nam videtur expreſſe determinata, in Concilio Tridentino *ſeſſio. 25. de regul. capit. 15.* vbi prohibentur, annullantur atque irritantur, profeſſiones eorum, qui non fuerint nouitij, & qui minori tempore quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterint. Nam quamuis ibi non fiat expreſſa mentio, de Religioſis translatis ad alios Ordines, ſed in communi Concilium loquatur de nouitijs, eadem eſt omnino ratio vtrobique, & eadem fuit prorſus cauſa id ipſum ſtatuendi, propter rationes ſequentes. Primo propter generalem nouitiatus & temporis probationem, de iure antiquo & nouo requiſitam, profiteri omnibus in vniuerſum volentibus, & quamlibet Religionem intrantibus, quò experiãtur rigores & aſperitates illius Religionis, quam habent profiteri. Inſuper vt & eiuſdem Religionis alumni & profeſſores, probent atque experiantur, ipſorum mores & conditiones: ſed hæc eadem ratio omnino militat in ſupradictis Religioſis, translatis de vno ad alium Ordinem: ergo ſimiliter & ipſi debẽt eſſe nouitij, & per annum manere in probatione, antequam profiteantur, vt poſſint poſtea de nouo profiteri, nouam Religionem & nouum viuendi modum. Secundo probatur concluſio: nam iuxta *cap. recolentes de ſtatu Mon. et cap. in noua, 16. quæſt. 7.* qui ſimilem vitam cum alijs ſuſcipiunt, ſimilem debent ſentire in legibus diſciplinam, & vnus quiſque debet ſe conformare in omnibus, vitæ & moribus eorum, cum quibus conuerſatur: ſed hoc non congruenter & commode fieri poteſt, niſi ſupradicti Religioſi, translati de vno Ordine ad aliũ, prius quam ipſum profiteantur ſint nouitij, & cõcedatur ſibi annus probationis, quò experiantur & videant, ea quæ profiteri habent: ergo hoc eſt ſine dubio dicẽdum & faciendum cum illis. Quod etiam confirmari poteſt, à ſimili de militibus: nam ſicuti miles, ſi vult frui atque potiri priuilegio militari, neceſſum eſt vt iuret & promittat ſe ſeruare, ea quæ promiſerunt alij, qui in eodem numero militum ſunt adſcripti, ita & Religioſi ſupradicti, idipſum facere debent, vt potiantur atq; fruantur priuilegijs alterius Religionis, ad quam tranſferuntur, & prius eſſe debent nouitij, vt ſint diſcipuli, qui poſtea forſan eſſe cupiunt magiſtri. Videatur hac de re Nauar. lib. 3. Conſiliorum de regul. conſil. 3. numer. 1. & conſilio 49. numero 2.

Qui ſimilem cum alijs ſuſcipit vitam, ſimilem in legibus ſentire debet diſciplinam.

ARTICVLVS XXII.

Vtrùm translatus de vno ad alium Ordinem vt sit Prælatus, debeat necessario ibidem de nouo profiteri?

HAc de re consilium quoddam facit Nauarro, quod inter ea quæ scripsit de Regularibus, est numer. 60. & exercitationis gratia pro parte negatiua, adduc-

Opinio Federici notanda circa hoc.

cit Federicum in Consilijs, consilio quinto decentem, quod Monachus vnius Religionis, electus in Prælatum alterius, non tenetur ad profitendam secundam. Ad quod dicendum mouetur, primo ex eo quod in omni Religione, vouentur tria essentialia & substantialia vota, castitatis, paupertatis & obedientiæ, iuxta *cap. fin. de statu Monachorum*, atque ita qui profitetur vnam Religionem probatam, videtur perinde profiteri, omnia substantialia omnium Religionum, & cum nihil sit faciendum frustra, iuxta *cap. si Papa, de priuilegijs, lib. 6.* nō, (inquit) Federicus, videtur repetenda professio, à translato in secundum Monasterium, maxime vt sit Prælatus. Secundo mouetur ad idipsum dicendum: nam *in capit. sicut tuis, de simonia, capit. cum venerabilis, de consuet. capit. nihil, de electione, capit. quorundam, & capit. Religiosus, & capit. nullus, de electione lib. 6.* quibus omnibus in locis, fit mentio de translatione Monachorum, ad Abbatias aliorum Monasteriorum, & de confirmandis omnibus electis, & de translatione quorundam Religiosorum ad alia Monasteria, nulla fit mentio de repetitione professionis in secundo: ergo non est id sine ratione asserendum, aut sine causa postulandum. Hæc Federicus. Sed nihilominus, in contrarium statuitur conclusio.

Prima Conclusio.

Religiosus professus, & translatus de vna Religione ad aliam, etiam vt sit Prælatus, tenetur ibidem de nouo profiteri.

REligiosus professus, translatus de vna Religione ad aliam, etiam vt sit Prælatus, tenetur de nouo ibidem profiteri. Hæc conclusio est Nauar. vbi supra, & satis colligitur ex Concilio Tridentino *sessio. 14. capit. 11. & sessio. 25. capit. 21.* quibus in locis, de prædicta professione fit mentio. Fuitque id multum rationi consentaneum, propter rationes dictas in præcedēti articulo, desumptas *ex capit. recolentes, de statu Monachorum, & capit. in nouo, 16. quæst. 7.* vt qui similem vitam cum alijs suscipiunt, similem etiam in legibus sentiant disciplinam, & vt vnusquisque se conformet vitæ, & moribus eorum, cum quibus cōmoraturus est, quod non congrue aliter fieri posset, nisi supradictus trāslatus de nouo, nouam illam Religionem profiteretur, & simili adstringeretur voto, & obligationi, qua adstringuntur illi, cum quibus conuersatur. Quod & quammaxime verum habet, vbi Monasterium illud, ad quod transgreditur, est arctioris atque strictioris obseruantiæ, ad quam professio prioris Monasterij non extenditur, & nisi profiteretur de nouo in secunda, nullo iure ad illam obseruantiam obligaretur. Addo etiam, hoc esse magis necessarium, in Ordinibus Monachalibus: nam Abbatiæ & beneficia, ibidem conferri non possunt, nisi proprijs Monachis, iuxta *capit. cum singulæ. §. fin. de præbend. lib. 6.* Propter istas rationes Nauarro vbi supra concludit, quod Monachus siue Religiosus, legitime trāslatus ad aliam Religionem, de nouo tenetur tacite vel expresse in illa profiteri, saltem obseruantias illas, quæ vltra tria vota essentialia, in tali Religione obseruātur, siue transferatur vt fiat in illa Prælatus, siue vero vt maneat ibi, vt subditus & filius Monasterij. Et addit, apposuisse se verba illa, maneat ibi vt subditus & filius Monasterij: nā (inquit) si transferatur vt sit ibi temporarius, non tenebitur ad nouè profitendum. Dixit autem teneri, ad tacite vel expresse profitendum, propter eos qui transferuntur vt sint Prælati, de quibus non improbabiliter potest dici, quod profitentur tacite illas obseruantias, cum confirmantur vel aliàs promouentur in Prælatos, quia obligantur verbo & exemplo seruare illas: in quo sensu inquit, quod vera esse poterit opinio & consilium Federici, sed non aliàs, quia rationes eius nihil concludunt. Videatur etiam, hac de re Nauar. consil. 61. de regul.

Difficultas tis notanda. Cuiusnā Monasterij sit filius, Religiosus translatus, vt fiat Prælatus cessante Prælatura?

Sed est modo difficultas, cuiusnam Monasterij siue Religionis sit filius, huiusmodi Regularis siue Religiosus, translatus in aliud Monasterium vt fieret ibi Prælatus, post renuntiationem seu amotionem ab ipsa præfectura? Quidam enim dicunt, nō esse filium secundi Monasterij, & maxime si non ibidem fuit professus: nam iuxta *capit. fin. de Relig. domibus*, aliud est Monachum habere ius in Abbatia, aliud vero habere ius Abbatiæ, sunt enim hæc omnino diuersa: cum ergo iste de quo loquimur, fuerit obligatus Monasterio & Monasterium sibi, ratione prælationis, & non ratione professionis, quam forsan non fecit, aut si illam fecit, fuit solūmodo ad effectum obtinendæ Prælaturæ, dicunt isti Auctores, quod deferente siue renuntiante prælationem, liberatur Monasterium, ab obligatione tenendi ipsum. Id quod haberi videtur in iure, in quadam Decretali, *capit. penultim. de renuntia.* ac proinde neque erit Monachus illius Monasterij, maxime si ibi professionem monachalem minime emiserit. Et idem esse dicunt, etiam si fecerit professionem: nam (inquiunt) cum quis de Monacho fit Abbas & de filio pater, perdit iura Monachatus & filiationis, argumento eorum, quæ notātur in iure, *in capit. ad hoc, de simonia, capit. sicut tuis, de concessione præbendarum, & cap. litteras, de præbendis, lib. 6.* Vnde sicut si Canonicus alicuius Ecclesiæ Cathedralis vel plebis, fieret plebanus aut Episcopus, perdens prælationem siue plebanatum, non recuperaret iura, quę ipso iure perdidit, argumēto cuiusdam Decretalis, *in cap. transmissa, de renun.* ita in proposito dicunt de Religioso prædicto, quod remanebit huiusmodi Monachus, immediate subiectus Episcopo sine aliquo medio, eo modo quo reperitur, qui renuntiat suo Episcopatui, iuxta sacros Canones, *in c. 1. & 2. de transl. Episcopo.* Quod & confirmant hac ratione: nam quando Monachus Abbas fit Episcopus, ac proinde absoluitur à iure Abbatiæ, si postea renuntiet Episcopatui, certum est quod non redibit ad Monasterium, sed remanebit subiectus immediate Ordinario loci, idem ergo

Prima sententia.

Secunda ſententia.

gò omnino in propoſito eſt dicendum. Hæc ſunt fundamenta huius ſententiæ & opinionis, ſed his non obſtantibus, ſecunda opinio eſt verior, atque tenenda, de qua ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Trãslatus de vno ad aliud Monaſterium ſiue Religionem, vt in ea fiat Prælatus, remanet Monachus, & filius poſterioris Monaſterij ſiue religionis.

TRanſlatus de vno ad aliud Monaſterium ſiue Religionem, vt in ea fiat Prælatus, vacante præfectura, remanet Monachus & filius poſterioris monaſterij ſiue Religionis. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. lib. 3. conſiliorum de regul. conſ. 64. quam & probat multiplicibus rationibus. Et primo, nam translatus ex vno in aliud monaſterium legitime, perdit omnia iura prioris monaſterij, iuxta, *c. ſi quis, iam tranſlatus, 22. q. 2. et c. ne pro cuiuſlibet, 16. q. 1.* ſed rationi non eſt conſonum, vt nõ habeat ius in aliud, non igitur id, ſed contrarium eſt dicendum. Secũdo probatur idipſum, nam iuxta, *c. ſi. de ſimonia*, omnis Abbas eo ipſo, quo eligitur & confirmatur, eſt Monachus illius monaſterij, cuius eſt Abbas, neque inuenitur aut aſſignari poteſt ratio, ob quam deſinat eſſe eiuſdem filius: ergo reuera remanet filius poſterioris Monaſterij. Tandem tertio probatur hoc idem, nam vt in præcedenti Concluſione diximus, omnis Monachus translatus in aliam Religionem, vt ſit prælatus, reuera profitetur, debetque profiteri ibi, tacite vel expreſſe: ſed certum eſt, quod per ipſam profeſſionem, fit filius ſecundi monaſterij, de quo non videtur dubitandum, ergo id firmiter eſt tenendum. Neque adducta in contrarium obſtant, nam monachus per renuntiationem ſiue priuationem abbatiæ, non perdit ius ſui Monachatus, aut filiationis quam per ſupradictam profeſſionem, adeptus eſt (vt dictum eſt) in ſecundo Monaſterio, ergo illam adhuc retinet. Nec verum eſt id quod dicitur, quod remanebit ſubiectus Epiſcopo, quin vero eiuſdem ordinario Religionis Prælato, erit ſubditus. Et non eſt ſimile illud de Epiſcopo. Nam in renuntiatione Epiſcopatus, cum Epiſcopus fuerit conſecratus, & per conſecrationem ab obedientia Prælati Regularis abſolutus, atque liberatus, non reincidit in eiuſdem Prælati ſubiectionem, & obediẽtiam etiam ſi priuetur aut renunciet Epiſcopatui, cum fuerit iam collocatus in ſtatu eminentiori, altiori atq; perfectiori: at hæc ratio nõ militat in Abbatibus & alijs inferioribus Prælatis, cõſequenterque dicendũ eſt, quod remanent filij eorũ monaſteriorũ, ad quæ vt præeſſent fuere trãslati ſine dubio.

ARTICVLVS XXIII.

Vtrùm Monachus translatus de vna Religione ad aliam, debeat ſedere in Capitulo, iuxta tempus in quo emiſit profeſſionem in illa, an verò iuxta tempus, quo profeſſus fuit, in priori Monaſterio?

Prima Concluſio.

Religioſus in aliam Religio

REligioſus ex vna in aliam Religionem translatus, ſedere debet in Choro & Capitulo, iuxta tempus, quo emiſit profeſſionem in ſecunda. Probatur hæc concluſio, nam ab eo tantum tempore incipit eſſe Regularis illius Religionis, & filius eiuſdem monaſterij: ergo ſecundum illud tempus tantummodo, debet vocem & locum habere, in Choro, Capitulo, & alijs, argumento eorum, quæ tradunt communiter Doctores, *in l. 1. ff. de albo ſcribenet. cap. 1. et ca. ſtatuimus, de maioritate, et obedientia*. Sed intelligenda eſt hæc concluſio, de eo qui translatus eſt in aliam Religionem, vt ſit ibidem ſubditus & filius, ſecus eſt autem de illo, qui fuit translatus vt fieret Prælatus, nam iſte quamuis renuntiet prælationi, ſedebit in primo loco immediatè poſt Prælatum, in memoriam honoris & prælationis quam geſſit, niſi ſimul cum eo concurrant alij, qui ſimilem ſeu maiorem honorem geſſerunt, argumento eorum, quę in ſupra dicta lege notãtur. Et hoc in terminis reſpondit Nauar. lib. 1. conſilio. de maiorit. & obedien, conſilio. 11. Ex quo infero, quod illi qui fuerunt Prælati in aliquo Conuentu, finita prælatione, non debent ſedere inter alios Fratres per ſuam antiquitatem, ſed iuxta locum vbi ſedet Prælatus, & contrarium facere non eſt iuri aut rationi conſonum.

nẽ trãſlatus, ſedere debet in Choro, & in Capitulo, iuxta tempus quo emiſit profeſſionem in ipſa.

Nota hoc valde, pro loco, in quo ſedere debẽt, qui tranſferũtur in alias Religiones, vt ſint Prælati, expleto ſuo munere, & officio.

Sed quæro, quid ſi quis transferatur de vna in aliam eiuſdem Religionis Prouinciam, & ibi incorporetur, debebitne ſedere & habere locum in Choro, Capitulo, & alijs, à tempore tantum ſuæ incorporationis, an verò à tempore quo aſſumpſit habitum, ſeu profeſſionem emiſit eiuſdem Religionis? Reſpondeo, & ſit ſecunda Concluſio.

Difficultas.

Secunda Concluſio.

Qui trãſlatus eſt, ex vna in aliam Prouinciam, ſi incorporetur, locũ habere debet, in Capitulo & alijs, nõ à tẽpore ſuæ incorporationis ſed ſuſceptionis habitus, vel emiſſæ profeſſionis.

QVI translatus eſt, de vna in aliam eiuſdem Religionis Prouinciam, poſtquam iam incorporatus eſt, habere debet locum, in Choro, Capitulo, & alijs, non à tempore ſuæ incorporationis, ſed à tempore quo aſſumpſit habitum, aut emiſit profeſſionem in prima ſua Prouincia. Probatur hæc Concluſio, ex diuerſitate rationis ad ſupradictam Concluſionem, nam iſte talis translatus, non transfertur vt in alia Prouincia profiteatur, ſed vt iam profeſſus, & eiuſdem Religionis filius, in ſecunda Prouincia incorporetur, & virtute illius incorporationis fiat ipſius filius, & filiatio illa antiqua alterius Prouinciæ reuiuiſcat & fiat filiatio ſecundæ Prouinciæ, gaudeatque proinde omnibus gratijs & priuilegijs, quæ filijs & profeſſis dictæ Prouincię communicãtur. Quin vero in hac noſtra ſacra Fratrum Minorum Religione, in conſuetudine eſt poſitum, vt quando aliquis iuſta de cauſa, tranſijt de vna in aliam Prouinciam, ſtatim atque recipitur, etiam antequam incorporetur, detur ſibi ſeſſionis locus, ſecundũ antiquitatem ſuæ profeſſionis ſeu habitus, licet antequam incorporetur, vocem non habeat in Capitulo. Quod & iuridice ordinatum eſt, cũ proximè accingẽdus, habeatur pro accincto, & in proximo eligendus, in aliquibus habeatur pro electo, vt diffinitur in quadam lege, *l. penultima. ff. de mili. teſta.* & gaudet aliquibus priuilegijs, eorum quæ alijs conceduntur, eo modo quo & ſponſis de futuro, conceduntur à Doctoribus aliqua, quæ

conueniunt ſponſis de preſenti, pro eo quod ſponſalia de futuro, reuera ſunt quædam præparatoria, ad matrimonium de præſenti. Ita dico in propoſito, quod receptis iam in aliqua prouincia, incorporatorum aliqua priuilegia communicãtur. poſſuntque iure communicari, pro eo quod ipſa receptio, eſt quaſi quoddam præambulum & præparatorium, ad eandem incorporationem.

ARTICVLVS XXIIII.

Cui cedant bona Religioſi, tranſeuntis ex vna in aliam Religionem, & an tranſiens in aliam Religionem, poſsit ſecum deferre ea, quæ habebat in prima?

Prima Concluſio.

Quidquid monachus acquirit, illi Religioni et Monaſterio vbi profeſſus eſt acquirit.

MOnachus verè & realiter profeſſus in aliqua Religione, quidquid acquirit, & quomodocumque illud acquirit, illi cedit Ordini & Religioni, in qua eſt profeſſus. Hæc Concluſio eſt expreſſa Nauar. *in cap. non dicatis, num. 30. & 31. & in cap. ſtatuimus, n.* 24. & in cõſilijs lib. 3. de Regularibus conſi. 55. num. 5. & 6. cum ſequentibus. & ſatis conſtat ex his, quæ ſupra diximus, quæſt. 28. artic. 5. & ſequentibus. Et ratio eius in promptu eſt, quianullus verus Monachus, poteſt ſibi aut ſuo nomine, aliquid acquirere, cum ſit omnino incapax cuiuſcũque dominij, & poſſeſsionis ciuilis ſiue iuris, etiã reſpectu ſui Breuiarij (vt inquit prædictus Nauarro) quamuis habeat & habere poſsit quendam naturalem vſum, ſeu quandam detentionem eorum, quæ ad vitam ſunt ſibi neceſſaria. Vnde quomodocunque, atque vtcumque aliquid acquirat Monachus, ſiue per contractum, ſiue per vltimam voluntatem, ſiue per induſtriam ſuam, cum iuſſu vel ſine iuſſu Prælati, non ſibi, ſed Religioni illi ſeu monaſterio, in quo profeſſus eſt acquirit, ſiue illud ſit ſtabile, ſiue vero mobile, aut immobile, & hoc eſt certum & indubitabile, vnde ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Monachus tranſlatus ex vna in aliam religionẽ, nihil omnino poteſt deferre ſecũ, niſi quod vel à Papa, vel à ſuperiore fuerit ſibi permiſſum.

MOnachus qualibet iuſta de cauſa, translatus in alium monaſterium ſiue Religionem, etiam auctoritate Apoſtolica, nihil omnino poteſt ſecum deferre, niſi quod expreſſe vel tacitè, præfata Sedes Apoſtolica, ſtatuerit atque ordinauerit, vel in tali Religione eſſet iam ſtatutum & determinatum, aut ſuus Prælatus illi conceſſerit. Hęc Concluſio eſt etiam Nauarr. loco citato, & probatur, nam beneficia principum, & Canones & Leges, intelligendæ ſunt abſque præiudicio tertij non expreſſo in beneficio, iuxta communẽ Doctorum reſolutionem, *in cap. ſuper eodem, de officio delegati, & iuxta l. 3. §. ſi quis à Principe, ff. ne quid in publico fiat*: ergo licet Summus Pontifex autius, concedat quod ex iuſtis cauſis, quiſpiam ad aliam Religionem ſtrictiorem aut laxiorem transferatur, illa translatio fieri debet, ſine præiudicio prioris Religionis, ac proinde Religioſus ſic tranſlatus, nullo modo poterit tranſportare illa, quæ vtcumque, & quomodocumque, quęſita iam erant priori monaſterio ſiue Religioni. Ab hac generali regula excipit Nauarro, ſcripta manu propria, quæ inutilia eſſent ſuæ priori Religioni, & alia quorum delationem probabiliter crederet, Prælato ſuo non fore ingrata, reliqua vero minimè. Videatur hac de re Sylueſt. *verbo, Religio. 4. q. 10.*

QVAESTIO XXXII.

De Religioſis profeſsis, quantum ad clauſuram, ab eiſdem obſeruari præceptam, ita quod non poſſunt ſine licentia, exire extra Clauſtrum ſui Monaſterij.

ARTICVLVS I.

Vtrum clauſura Monachis ſiue Religioſis indicta, ſit de iure naturali & diuino, an vero ſolummodo de iure humano, Papali & poſitiuo?

HAnc difficultatem tangit Nauarro cõment. 4. de Regul. ſuper *c. ſtatuimus. 19. q. 3. num.* 29. & argumentis hinc inde pro vtraque parte propoſitis, illam ſatis difficultat. Et quidem quod ſupradicta clauſura, ſit de iure naturali & diuino, exinde colligi videtur, quia omnis regularis ſiue religioſus, profeſſionem faciens, implicite ſeu explicite, aut quod dicitur, expreſſe vel tacite illam profitetur atque promittit, ſiquidem vouet ſuam ſtabilitatem, & permanſionem in Monaſterio & in Clauſtro, ſub obedientia talis vel talis Prælati, vt conſtat ex forma profitendi, quam omnes fere in vniuerſum ſeruant Religiones: ſed redditio & adimpletio voti, eſt de iure naturali & diuino, iuxta illud *Pſalmi. 75. Vouete, et reddite Domino Deo veſtro, etc.* & habetur *in c. magnæ, de voto*: ergo & clauſura ipſa, eſt de

de iure naturali & diuino. Et confirmatur ex illo, quod habetur *in cap. placuit, el. 2. 16. quæſt. 1.* quod eſt Eugenij Papæ, vbi ſequentia verba habẽtur: *Placuit communi noſtro Concilio, vt nullus Monachorum, pro lucro terreno, de Monaſterio exire, nefandiſsimo anſu præſumat, etc.* & infra, *ſit Clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita et ſine Monaſterio Monachus.* Ex qua auctoritate ſic colligi poteſt argumẽtum. Piſcis extra aquam, iure naturæ nequit viuere: ergo eodem iure nec Monachus extra Monaſterium debet exire. Ad quod etiam facit, *cap. iuxta et cap. Monachi. 1, et 2. eadem cauſa, et quæſtione. vbi dicitur, quod Monachi à Monaſterio foras egredi non poſſunt, etiam pro vtilitate illius, ſine Superioris licẽtia.* In quo quidem caſu, etiam Canonici Regulares æquãtur monachis, vt colligitur ex ipſa Regula S. Auguſtini. Cuius Canonis ratio, & fundamentum eſſe videtur, votum quo regularis in ſua profeſſione, aſtrinxit ſe ſuo monaſterio: ergo iure voti (& conſequenter naturali, & diuino) cuncti Regulares & Religioſi, tenẽtur ad ſeruandam clauſuram. Hæc ſunt argumenta, quæ pro hac parte adducit Naua. diſputationis gratia. His tamen non obſtantibus, quod hac in re dicendum ac tenendum eſt, explicabitur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Clauſura iure eſt indicta, omnibus in vniuerſum Religioſis.

CErtiſsimũ eſt & nullatenus negari poteſt, ali quo iure ſeu aliqua lege, clauſuram eſſe omnibus regularibus indictam, ſibique prohibitum exire à ſuis monaſterijs, ſeu à terminis ſibi deſignatis, abſque ſuorum Superiorum licentia & permiſsione. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. loco ſupradicto, num. 30. quam & probat. Primo ex generali omnium Religionum conſuetudine, quæ vbique id obſeruat, & exitus ſiue egreſſus à monaſterijs, ſine Prælati licentia, ſemper omni tempore, vſus fuit prohibitus. Secundo probatur idipſum, ex Regula D. Auguſtini, quæ quidem licet vt dicitur omnium ſit laxiſſima, vt habetur, *in cap. quod Dei timorem, de ſtat. Monach.* nihilominus tamẽ, tam in principio quam in medio atque etiam in fine, ſemper præſupponit, ſuos Canonicos Regulares, debere conſtitui in vno monaſterio, ſiue in vna domo, atque eſſe eiſdem prohibitum exitum, ſine Prælati licentia, expreſſa vel tacita, generali, vel ſpeciali. Hoc itaque eſt in omni opinione certum, & omnes indubiè illud fatentur, ſed ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Religioſorum ſeu Monachorum clauſura nõ eſt indicta iure naturali aut diuino, ſed humano, et poſitiuo.

QVamuis prædicta vera ſint, adhuc tamen certiſsimum etiam eſt, quod hæc monachorũ & religioſorum clauſura, non eſt ſibi indicta iure naturali, aut diuino, ſed humano & poſitiuo. Hæc Concluſio eſt etiam Nauarr. vbi ſupra, & probatur, nam omne ius naturale & diuinum, vt habetur *in cap ius naturale. d. 1.* eſt ex per ſe notis, ſeu de his quæ ex per ſe notis inferũtur: ſed nullo principio per ſe noto, neque ex per ſe notis illato, præcepta reperitur prædictis monachis ſiue religioſis clauſura: ergo ipſa non eſt de iure naturali & diuino. Et confirmatur, nam omne ius diuinum, continetur in Bibliorum Codice, veteris & noui Teſtamenti, atque ex ipſis etiam inferimus, cõpertũq; habemus, quæ nã ſint de iure naturali ſeu naturalis rationis dictamine, quæ vero de iure diuino poſitiuo, ſed in toto Bibliorũ codice nõ iubetur monachis ſiue religioſis clauſura, neq; aliquod reperitur huiuſmodi præceptũ: ergo id nõ eſt aſſerẽdũ. Cõfirmatur ſecundo, nã, vt tenet cõmunis opinio, cui & aſſentitur D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 4. Apoſtoli fuerũt primi Religioſi, & primi monachi Eccleſiæ primitiuæ, qui & emiſerũt tria Religionis eſſentialia & ſubſtãtialia vota, & tamẽ nõ leguntur ſeruaſſe clauſuram, neque petiſſe eos aut dediſſe alijs ad exeũdũ foras licẽtiã, nũc peti & dari conſuetã à religioſis viris, neque cum viuerent cum Chriſto Domino, neque poſtea iam ipſo in cælum ſublato: non igitur clauſura prædicta, eſt de iure naturali & diuino. Et confirmatur tertio, nam ſi id ita eſſet, & prædicta clauſura, iure naturali & diuino eſſet præcepta, in ea ſeruanda & eius obligatione, omnes monachi & religioſi eſſent ſimiles quin vero & æquales Carthuſianis, nam quæ de iure naturæ ſunt communia ſunt, quod non eſſe verum conſtat ex omnibus omnium Religionum regulis, atque ex experientia ipſa omnium rerũ magiſtra: ergo non ipſa eſt de iure diuino. Præterea probatur idipſum, quia facultas exeũdi a monaſterij Clauſtro, quę viris religioſis paſsim à ſuis Superioribus, & interdum abſque vlla cauſa confertur, dari non poſſet etiam à Papa, ſi ipſa clauſura eſſet ſeruanda de iure naturali & diuino, ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. Quibus omnibus addo, quod ſecundum D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9. Religioſi de iure diuino, ad ſola tria Religionis ſubſtantialia & eſſentialia vota ſeruanda tantum tenẽtur, in quorum nullo illorũ includitur clauſura, cum ſine illa ſeruari optime poſsint, vt fuit ſeruata ab Apoſtolis, & ab alijs quam pluribus ſanctiſſimis viris illius temporis: ergo intentum. Sed dices, vnde ergo ortum habuit monachorum clauſura? Reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Tertia Concluſio.

Clauſura Monachorum, et Religioſorũ, vnde ortum, et originẽ duxerit?

MOnachorum ſiue religioſorum clauſura (vt creditur) ortum & originem duxit, à quibuſdam antiquiſſimis monachis, qui præceſſerunt etiam quatuor principalium regularum inſtitutores, & poſtea clarius indicta eſt & obſeruari præcepta, in aliquibus Concilijs. Hæc Concluſio eſt etiam eiuſdem Nauarr. vbi ſupra, & adducit aliqua Concilia, in quibus clauſura à monachis ſiue religioſis, fuit primo obſeruari præcepta, & ſunt illa iura, quorum mentionem fecimus in argumẽtis adductis, pro parte affirmatiua, quorum primũ fuit, *c. placuit, el. 2. factũ in Niceno Synodo, c. iuxta, quod fuit factũ in Calcedonenſi, et cap. Monachi, el. 1. quod eſt Concilij Agatẽnſis, et 2. Tarraconẽſis.* Ex quibus infert Nauarro, quod monachorum & religioſorũ clauſura, à quibuſcumque habuerit originem, robur ſiue firmitatem, ſaltem non eſt de iure naturali & diuino, neque excedit humanæ legis auctoritatẽ, & obligat tantum in ſumma, ad hoc vt nullus regularis, cuiuſcumque Ordinis & Religionis ſit, monaſterium vel ſepta monaſterij exeat ſeu limi-

Ad quid obliget Religioſorum clauſura

tes

tes ad id deſignatos, ſine ſui Superioris licentia, neque cum illa ſine aliqua cauſa iuſta, atque vtilitate id expoſcente & ſuadente. Verba ſunt prædicti Nauarr. quod & habetur expreſſum, in omnibus ſupradictis capitulis, cum ſuis gloſsis, & traduntillud ibidem Doctores vnanimiter. Sed aduertendum eſt, id habere locũ quam maximè, in Regularibus & Religioſis ſimplicibus. Ordinum Monachalium, nullo prælationis officio condecoratis, nam Prælati, non videntur ad illam teneri, quamuis forſan (inquit Nauarro) peccabũt etiam ipſi ſaltim venialiter, ſine vlla cauſa à monaſterio exeuntes, cum teneantur ſuæ ſe conformare communitati, iuxta legem illam naturalem, quæ refertur *in cap. cum omnes, de conſtitutionibus: Patere legem, quam ipſe tuleris*, id quod habetur, *in quadam rubrica. ff. quod quiſque iuris, in alium ſtatuerit, vtatur & ipſe. ſed de hoc alias, &c.*

Prædictæ clauſuræ legem, ab antiquis illis patribus adinuentam, & à communi iure ſtatutam, ſeu confirmatam (inquit Nauarro) quod multi Ordinum, & Religionum (maximè Monachalium) fundatores & inſtitutores, partim ſtatutis, partim conſuetudine inuiolabiliter obſeruata, adeò auxerunt, vt quorundam vita, quaſi perpetuus quidam carcer eſſe videatur: ſed alij alia proceſſerũt via, non ita rigoroſa & ſtricta, maximè ij quarum Religionum finis, fuit profiteri non tam vitam cõtemplatiuam quam actiuam, & intendere bono communi, & proximorum ſuorum ſpirituali vtilitati & ſaluti. Et hinc (inquit) factum eſt, quod non omnes monachi, ſiue Religioſi, obligentur ſeu obligari exiſtant, ad ſeruandam æqualem & adeò ſtrictam & rigoroſam clauſuram, ſed alij, ad ſolã clauſuram iure communi præceptam, quæ ſtat in eo quod dictum eſt, nempe non exire à monaſterij clauſtro ſine Prælati licentia; alij vero, Ordinum ſcilicet, & Religionum monachalium profeſſores, ad maiorem ſuis ſtatutis, conſtitutionibus, ſiue conſuetudinibus præſcriptis præceptam, auctam, & longe ſtrictiorem factam, iuxta quas monachorum nulli muro egredi, niſi raro aut nunquam licet, atque ex vrgentiſſima, iuſtiſſima & rationabili cauſa, vt fieri dicitur apud Carthuſianos & alios monachos; de quibus nihil libet in præſentiarum dicere. Hoc ſolummodo contentus dixiſſe, quod ſupradicta clauſura (vt dixi) indicta fuit ex antiqua patrum conſuetudine, & ex iure Papali humano, nõ autem naturali, aut diuino.

Ad argumenta igitur in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum, negando quod omnes Regulares & Religioſi, eo ipſo quo vouent ſtabilitatem ſuam, & permanſionem in Monaſterijs, ſub obedientia vnius Prælati, voueant etiam clauſurã: Nam non id ſignificat ſtabilitas illa, ſed ſolũmodo permãſionem in ſuo propoſito, voto & profeſſione, ſub obedientia ſuo debita Superiori & Prælato, ſecundum ſuam Regulam. Neq; promittunt clauſuram, aut quòd nõ egredietur monaſterij ſepta, etenim ſi ad id de facto obligantur, nõ id eſt ex vi voti ſuæ profeſſionis ſiue Regulæ, ſed aliunde, vt ſtatim dicemus in ſequenti Articulo. Ad confirmationem etiam reſpondetur, quod capitulum *placuit*, non innuit præceptum naturale aut diuinum, ſed ſolummodo humanum poſitiuũ.

Ad comparationem autem quæ adducitur, de piſcibus extra aquam, dico cum Ariſtotele, quod ſimilitudo non eſt identitas, atque ita, licet Regularis exiſtens extra monaſterium ſine licentia, ratione quadam aſſimiletur, piſcibus exiſtentibus extra aquam, non tamen inde ſequitur, quod id ſit contra naturam, & rationem ſui ſtatus, aut contra præceptum naturale & diuinum, ſed ſolummodo inde colligitur ſecundum Nauarr. vbi ſupra, quod aliquo modo peccet (ſaltem venialiter) qui ſine licentia & iuſta atque legitima cauſa, ſui monaſterij clauſtrum egreditur, non tamen contra præceptum naturale aut diuinum, ſed contra humanum poſitiuũ. Ad omnia alia dico, quod quãuis Regularis, peccet exeundo monaſterij ſepta, ſine Prælati licentia, etiam pro vtilitate ſuæ Eccleſiæ, ratio tamen immediata illius peccati, non eſt ex eo quod vouerit clauſuram prædictam, ſed pro eo quod vouerit ſtatum, cuius profeſſores, lege humana iuſta, obligantur ad illam, magis vel minus ſtrictè ſeruandam, eo modo quo, ſacro Ordine inſigniti peccant non recitando horas Canonicas, non quidem, quia vouent illas, ſed quia ſuſceperunt ſtatum, cuius profeſſores, lege humana iuſta, ad id ipſum obligantur. Hinc fit, vt Regulares extra monaſterium exeuntes, non peccent contra votum de obſeruanda clauſura (quod non fecerunt) ſed contra obedientiæ præceptum, obligans ad mortale ſiue veniale, prout apud ipſos lege aut cõſuetudine fuerit introductum, vt ſtatim dicemus.

ARTICVLVS II.

Quando & quomodo peccet regularis ſiue religioſus, ſine ſui Prælati licentia, exeundo à clauſura ſui Monaſterij.

PRO huius articuli intelligentia, libet præmittere, ex Nauarro in prædicto *ca. ſtatuimus, comment. 4. de Reg. num. 29. cum ſequẽtibus*, quod multum oportet ſcire, an lex indicens clauſuram, ſit Conciliaris ſeu alicuius Concilij vel Papalis, aut vero tantummodo, Regularum approbatarum, ſeu Prælatorum aliquarũ Religionũ, ordinationes, & conſtitutiones. Hinc (inquit) oritur vis & robur quod habet, ſeu habere poteſt ad obligandũ, & neceſſitas licẽtiæ, quæ exigitur ad exeundũ à monaſterijs. Nam ſi clauſura indicta ſit, ſolummodo aliquorum Prælatorum lege, à Sede Apoſtolica non confirmata, neque ab aliquo in id auctoritatem habente, aut ex vi alicuius Regulæ, certum eſt quod facilius, atque minori de cauſa, Prælatus poterit ſubdito licentiam præſtare, vt à clauſtro monaſterij exeat, quam ſi fuiſſet lex aliqua Conciliaris aut Papalis, vel ſummi Pontificis auctoritate confirmata.

Quo præmiſſo atque ſuppoſito, Reſpondetur huic articulo, per ſequentes Concluſiones.

Prima

Prima Conclusio.

Iure communi prohibitū est religiosis & monachis, à monasterij clausſtro exire, ſine ſuperiorum ſuorū licentia.

IVre communi Regularis omnis prohibetur, exire à clauſtro ſui monaſterij, ſine ſui Prælati licentia, iuſta cauſa data. Hæc Concluſio, eſt expreſſa Nauarri vbi ſupra, & ſatis conſtat ex ſupra dictis, in præcedenti articulo, & ex eo quod habetur in præallegatis capitulis, *c. placuit, c. iuxta, ca. monachi, 1. & 2. 6. q. 1.* Dixi ſine ſui Prælati licentia abſolutè, non aſſignando aut nominando hanc vel illam, nam ad id, non ſolum Generalis aut Prouincialis, ſed etiam cuiuſcunque inferioris Prælati immediati licentia ſufficit, niſi aliunde id ſibi fuerit prohibitum, aut aliter extet in aliqua Religione ordinatum. Neque requiritur neceſſario, quod prædicta licentia ſit expreſſa, quin vero ſufficit tacita, præſumpta aut interpretatiua. Neque etiam ſpecialis atq; in indiuiduo conceſſa, ſed ſat eſt, quod ſit generaliter data, modo detur iuſta de cauſa, alicuius neceſſitatis ſeu vtilitatis, de quo dicemus ſtatim. Dixi iure communi, nam de iure ſpeciali quorundam vt Carthuſianorum, & aliorum monachorum, adhuc eſt ſtrictior prohibitio, & maior neceſsitas atque vrgentior cauſa requiritur, nec vt dicitur, licentiandi facultas cuilibet prælato cōmittitur, ſed Superioribus maioribus, aut ſoli generali reſeruatur. Dicit vlterius Nauarro, quod intelligenda eſt concluſio, de regularibus ſubditis, non ſic autem de Prælatis, vt etiam diximus in calce præcedentis Articuli. Et ſi quæratur, quænam cauſa ſit neceſſaria, vt licentia data iuſtificetur? Reſpondetur, id in præſenti determinari nullo modo poſſe, ſed relinquendum Superioris arbitrio ac boni & prudentis viri, pro diuerſitate & varietate circunſtantiarum, perſonę, loci, & temporis, argumento eorum, quæ notantur in iure, *l. 1. ff. de iure deliberandi, & in ca. de cauſis, de offic. delegati.* Aduertit etiam, quod ad præſtandam maiorem licentiam, maior cauſa atque neceſſitas exigitur, & minor ſufficiet, ſi licentia fuerit minor. Nam (inquit) cum exitus à monaſterio, ſit vetitus iure communi, Conciliari aut Papali, Prælatus inferior Papa, cui ſit facultas in eo diſpēſandi, nō poteſt id facere, ex libito & niſi iuſta de cauſa, cum ſit quędam diſpenſatio circa legem Superioris, quæ ſine cauſa iuſta non eſt facienda, vt tenet Gloſſa ſolemnis, *in §. niſi rigor, ſub capite requiritis. 1. q. 7.* quin vero, nec facta tenet, iuxta dictū ſingulare Innocētij ab omnibus recepti, *in c. dudum, el ſegundo, de electione ſub fine*, commendatum valde à Felino, *in cap. cum inter, de exceptio.* Vnde addit, quod neque excuſari videntur à peccato, Prælati ſupradictas licentias, ſine vlla prorſus cauſa ſibi ſubditis præſtātes, quod multū oportet cōſiderare. Neq; vero inquit ipſi ſubditi ſunt tuti, atq; ſecuri in conſcientia, illas importune, mendacijs, & ſiniſtris quibuſdam relationibus expoſcentes & impetrantes. Sed dices, quodnam peccatum eſt, violatio ſupradictę clauſuræ, in monachis ſiue religioſis, mortale an ſolummodo veniale? Hāc quę ſtionem atque difficultatem, etiam tractat prædictus Nauarro, vbi ſupra, *ſuper cap. ſtatuimus. 19. q. 3. num. 34. & 35.* de cuius doctrina, & reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Diſpenſatio circa legēclauſuræmonachorum, ſine cauſa non eſt facienda.

Secunda Conclusio.

Quodnam ſit peccatū, clauſuræ violatio in monachis, ſiue religioſis

PRædicta clauſuræ violatio, regulariter loquēdo, non eſt peccatum mortale, ſed tantummodo veniale, niſi quando fit ex contemptu regulæ, ſiue perfectionis, aut ex tranſgreſſione præcepti ſpecialis Superioris. Hæc concluſio eſt Nauarri vbi ſupra quam & probat ex ſententia D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. ar. 9. vbi aſſerit, contenta in Regula non obligare ad mortale niſi quoad tria eſſentialia Religionis vota, & quoad præcepta formalia ipſi⁹, ſiue poſita à ſuperiore. Nā regularis (inquit) nō vouet obſeruare ſub peccato mortali regulā, & omnia contenta in ipſa, ſed obedientiam ſecundū illam, viuēdo ſimul in caſtitate & paupertate, atq; ita obſeruātiæ aliæ, extra obedientiam prædictam, continentiam & paupertatem, non ligant ex voto, niſi præcipiantur ab ipſa Regula formaliter, ſiue à Superiori ſecundum ipſam. Cum igitur ſit de his obſeruatio prædictæ clauſuræ, ſatis clare colligitur, quod ipſa non obligat ad mortale, ſed ad veniale ſolummodo, dum tamen abſit contemptus, vel non fiat cōtra ſuperius dictum præceptum formale. Et cōfirmatur, nam licet ius commune etiam ſtatuat ſeu potius cōfirmet, clauſuram prædictam, non id facit addendo illi vim præcepti, ſed ſolummodo per modum cuiuſdam generalis ſtatuti, ita quod non ſit de eius obſeruantia præceptum, ſed de obſeruantia Regulæ ſeu ſtatuti particularis, obſeruantia legis generalis. Hæc omnia ſunt ſupradicti Nauarro vbi ſupra. Quibus addit, eſſe mortiferam & mortale peccatum, violationem clauſuræ, quotieſcumque fit cū notabili ſcandalo, vel damno monaſterij, & tunc quidem non quatenus eſt violatio Regulæ ſeu iuris communis aut ſpecialis, non intendentis obligare ad mortale, ſed quatenus eſt violatio iurisdiuini & naturalis, de non ſcandalizando proximū, eidemque notabiliter non lædendo, quod præcipitur ſeptimo præcepto Decalogi, *Exod. 20. Matth. 18. & in cap. pœnale. 14. q. 5. & cap. nihil, de præſcript.* quod eſt valde notandum.

Circa iuſtificationem cauſæ, ſiue cauſas iuſtas, requiſitas ad præſtandas ſupradictas licentias, multa dicit Nauarro vbi ſupra, eaque notatu digniſſima, aſſerendo eſſe procul dubio, veniale ſaltem peccatum, licentias eiuſmodi præſtare, ſine iuſta & rationabili cauſa, etiam ſi dentur à Papa. Nam quamuis (inquit) ipſe ſit ſolutus humanis legibus, quoad vim coactiuam ſiue coexciuam iuxta *l. princeps, ff. de legi. & cap. propoſuit, de conceſ. præben.* non tamen quoad vim directiuam, iuxta *l. digna vox. C. de legibus, & cap. iuſtum. 9. diſt.* atque ita peccat non ſeruando illam legem, vel diſpenſando in ea, ſine iuſta cauſa, vt etiam tradit D. Thom. 1. 2. q. 96. artic. 5. ad tertium, & Caietanus ibidem. Sed dicit Nauar. quod quāuis qui dat licentiā ſine iuſta cauſa peccet, & etiā qui ea vtitur, ſciēs illam nō eſſe iuſtā, nō tamē incidit in pœnas exeūtis ſine licētia à iure poſitas, quod probat, argumento eorū, quæ aliàs dixit, *ſuper c. non dicatis, num. 22.* de habente peculium de licentia prælati, abſque iuſta & rationabili cauſa data, qui quidem peccat, non tamen incidit in proprietariorum pœnas.

Papa quāuis ſit ſolutus legibus, quoad vim coerciuā non tamēquo ad directiuā.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum Monachus siue Religiosus, manere possit extra Monasterium, de licentia sui Prælati, iusta de causa data, eique indulgere Prælatus, vt quæcumque sic viuens acquisierit, in quos voluerit conuertat vsus?

Prima Conclusio.

In foro cõsciẽtiæ, nullus Prælatus, neq; etiã Papa, licentiã præstare potest alicui Religioso, manẽdi extra Claustrum Monasterij, absque iusta, et legitima causa.

NVllus Prælatus etiam Papa (loquendo in foro conscientiæ) licentiam potest Præstare alicui Regulari, siue Religioso, vt extra monasterium maneat, absque iusta & legitima causa. Hæc Conclusio est expressa Nauar. *in c. statuimus. n. 36. & 40.* quam & probat hac ratione. Quia omnis Regularis, vt dictum est, & habetur *in c. placuit, c. iuxta. c. Monachi. 1. & 2. 16. q. 1.* voto, siue præcepto astringitur, ad seruandam stabilitatem perpetuã in monasterio, siue in Claustro, & certum est, quod nullus Prælatus, etiam Papa, potest ipsum sine iusta causa, à tali voto, præcepto siue obligatione liberare, aut absoluere, iuxta textum in *c. non est, iuncta Glos. de voto & voti redemptione*: ergo, &c. Supradicta omnia sunt Nauarri. vbi supra, idemque est iudicium de expendendo, quæ acquisierit in quos voluerit vsus, quod est cõtra emissum votum paupertatis.

Secunda Conclusio.

Iusta existẽte causa, bene potest Prælatus et multo melius Papa, facultatem facere Religioso, vt maneat extra monasterium.

IVsta existẽte causa, bene potest Prælatus superior, Papa inferior, & multo meliusipse Papa, facultatẽ facere, monacho siue regulari, manẽdi extra Claustrũ, pro vrgẽti aliqua necessitate, sua aut suorum parentum, aut pro vtilitate monasterij & alijs. Hæc conclusio est etiam Nauarri. vbi supra, qui & ad hoc aliquas adducit causas iustas, sed tã dem subdit, quod cum iure omnes determinari non possint, prudentis arbitrio est relinquendum, an occurẽtes sint tales, iuxta *l. 1. ff. de iure deliberandi, & cap. de causis, de offic. deleg.* Hac etiam de re videatur idem Nauar. libro 3. consi. de Regul. consi. 68. 69. 70. 71. cum sequentibus, & super *c. nõ dicatis, num. 4. & super c. nullum, num. 48. & in manuali ca. 14. nu. etiam. 14.* quibus in locis adducit plures casus, & causas iustas & licitas, exeundi & manendi Religiosos extra Monasterium, de quibus fuit interrogatus, & ipse varia, atque diuersa dedit consilia.

Tertia Conclusio.

Causa iusta cõcedendi facultatem alicui religioso, vt maneat extra monasterium nõest sufficiẽs ad cõcedendũ illi, vt bona quæ foris acquisierit, in quos voluerit cõuertat vsus

CAusa iusta concedendi facultatem alicui Regulari siue Religioso, manendi extra Monasterium, non sufficit, ad concedendum eidem, vt quæcumque acquisierit foris, in quos voluerit cõuertat vsus. Hæc cõclusio est, etiã Nauar. loco supradicto, quam & hac ratione probat, nam maior effectus, maiorem causam requirit, iuxta *cap. præterea, & c. de multa, cum Glossa de præbendis lib. 6.* & certum est, quod non quæcumque causa est sufficiens, ad manendum extra Monasterium, est talis ad hoc, vt quæcumque acquisierit foris existens, in quos voluerit conuertat vsus, contra votum suæ paupertatis, & contra ea quæ superius diximus, quæst. 28. art. 9.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Prælatus alicuius Religionis, possit recipere Fratrem alterius Religionis strictioris, animo non retinendi eundem in claustro Monasterij, sed statim post receptionem (et) habitus assumptionem, dandi illi facultatem, vt perpetuo siue ad multos annos, viuat extra claustrum, quærendo sibi necessaria propria industria, siue ex mendicitate?

Conclusio.

Nõpotest prælatus recipere Fratrem alterius Religionis, animo nõ retinẽdi ipsũ in claustro.

NAmuis id quod proponitur in præsenti Articulo, frequentissimum esset olim, ante Concilium Tridentinum, per peram tamen, & iam id facere nullo modo licet. Hæc conclusio est expressa Nauarri, *super c. statuimus, nu. 11. cum sequentibus, & probatur ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 11. de reformatione*, vbi habẽtur expresse hęc sequentia verba. *Quia vero Regulares de vno ad alium Ordinem transiati facile à suo Superiore licentiam, standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, et apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscumque Ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cuiuscumque facultatis, aliquem ad habitum, et professionem admittere possit, nisi vt in Ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia, in Claustro perpetuo maneat.* Quibus verbis, vt inquit Nauarrus, Concilium Tridentinum, non ius aliquod nouum induxit, sed antiquum innouauit & declarauit, nam ante prædictum Concilium, illud etiam facere erat prohibitum atque illicitum. Quod sequẽtibus rationibus probatur. Primo, quia cuius finis maluseſt & illicitus, ipsum quoque opus, malum est atque illicitum, vt *habetur in c. cum minister. 13. q. 5.* sed finis prædicto modo exeuntis, & etiam recipientis aliquem alterius Religionis professum, erat vagatio vt plurimũ, & interdum opportunitas faciendi satis illicitis suis desiderijs & voluptatibus, & ad minus liberatio à iugo Religionis: ergo id semper facere fuit reprobum & illicitũ. Secundo probatur idipsum, nam certum est, quod imprudentia & negligentia Prælati, semper est peccatum, saltim veniale, vt ne dicamus mortale, iuxta *ca. si rector. 43. distin. et c. ea quæ, de offic. Archidiac.* sed concessio tam diuturnæ atque vagę facultatis, erat actus maximæ imprudentiæ & negligentiæ, cum non sit boni atque prudentis patoris,

ſtoris, tandiu curam ſuæ ouis derelinquere & deſerere, contra illud quod habetur *Prouerbiorum* 27. *Diligenter agnoſce vultũ pecoris tui*, cum etiam illius ſanguis de manibus ſuis ſit requirendus, *vt habetur in c. irrefragabile, de officio ordinarij*, nec ſit iuſta excuſatio paſtoris, ſi lupus ouem comedat, & ipſe neſciat, *vt habetur in c. quamuis, de regulis iuris*: ergo id facere ſemper fuit reprobum & illicitũ. His dictis prædictus Nauarr. ſuæ reſolutioni aliquas apponit limitationes ſiue modificationes, dicendo id eſſe obnixe obſeruandum, niſi forte aliqua occurrat neceſſitas alicui Regulari, relinquẽdi ſuum Ordinem, propter aliquos particulares reſpectus, vt propter moleſtias, perſecutiones, diſſenſiones, ſeu id generis alias ſimiles cauſas, quia tantæ illæ eſſe poſſent, & adeo grandis difficultas, inueniendi Monaſterium, quod vellet eũ perpetuo in clauſtro recipere ad ſemper alendũ, & talis & tanta de translato confidentia, quod bene ipſe tali facultate vteretur, vt poſſint (inquit) Pij Prælati ipſum recipere, animo concedendi facultatem ſupradictam, manendi foras extra dictũ Monaſterium, non ita vagam & largam, vt in quæſtione proponitur, ſed magis arctatam, ad certum vſque locum & determinatum tempus, ita vt facile ipſius habere poſſint rationem, & de ſuo viuendi modo notitiam, ipſumque corrigere dum opus fuerit, ſeu etiam ad locum alium transferre. Quo inquit caſu, excuſari etiam poſſunt, ea quæ olim fieri conſueuerant ante Concilium Tridentinum prædictum, eo præſertim, quia mens & intentio præfati Concilij tantummodo fuit, Vt prælati monaſteriorum, tractent translatos vt proprios ſubditos, aut ſaltim æque atque quoſdam vernaculos, ſiue conuerſos ſuorum Cõuentuum. Vnde & ait, quod ſicut mittere poſſent ſuum Vernaculum ſiue Conuerſum, ad aliquem locum, vt per aliquod tempus maneat ibi, pro vtilitate Monaſterij, iuxta *c. 2. de ſtatu Monachorum, et cap. fin. de capellis Monachorum*, ita etiam poterunt Prælati, huiuſmodi translatum, remittere alicui Prioratui eiuſdem Ordinis ſeu Monaſterij, ad conuiuendum ibi, in commodum & vtilitatem ſui monaſterij. Videantur hac de re, quæ dicit Nauar. loco ſupra citato, numero. 15.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliquis Monachus, ſeu Religioſus, poſſit manere extra Monaſterium, vt inſeruiat alicui beneficio, ſeu Eccleſiæ Regulari aut ſeculari?

Prima Concluſio.

Religioſus de licentia ſui Abbatis, bene poteſt præſici alicui Eccleſiæ parochiali vt eidem inſeruiat, ſi ad Monaſterium pertineat.

IOquendo de Eccleſia parochiali, cui animarum cura incumbit, cuius etiam cura ad Monaſterium pleno iure pertinet, bene poteſt Monachus eidem præſici, ſolius Abbatis auctoritate & licentia, vel Abbatis & Conuentus ſimul. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, verbo, *Religio. 7. q. 3.* poſt Ioannem Andræam *in ca. inſit, 16. q. 1.* & eandem tenet Nauarr. in multis locis, & maximè *ſuper c. ſtatuimus, comment. 4. de Regu. n. 23 cum ſeqq.* neque maiori probatione indiget.

Secunda Concluſio.

Ad inſeruiendum Eccleſiæ parochiali, quæ nõ ad Monaſteriũ pertinet, vltra Abbatis licentiam, requiritur, etiam licentia Epiſcopi.

SI vero fiat ſermo de Eccleſia, cuius plenũ ius non habent Monachi, & multo magis ſi in ea nullum habent ius, non poteſt Monachus eidem præſici, abſque Epiſcopi & Abbatis auctoritate ſimul. Hæc Concluſio eſt etiam Sylueſtri, vbi ſupra, quam & multis probat iuribus & auctoritatibus, & quam plurima ibi dicit ad hoc propoſitum notatu digniſſima, ſed maximè quod ſecundũ iura antiqua, Monachi non poterant præeſſe Eccleſiæ parochiali, niſi ex maxima neceſſitate, iuxta *c. priſcis, diſt.* 55. ſed inquit, quod hodie etiam id facere poſſunt, propter ſolam Monaſteriorum & animarum eiſdem commiſſarum vtilitatem, quia nẽpe monachi comprobati ſunt, in id magis eſſe vtiles, quam Clerici ſeculares. Quod adeò verũ eſt, vt ſecundum Hoſtienſem, ſi vtilitas Eccleſiæ id exigat, vtpote quia non inueniuntur Clerici idonei, & Monachus eſt prædicator & honeſtus, cogi poteſt & debet Abbas per Superiorem, ad dandã illi licentiam, iuxta *c. cum pro vtilitate, iũcta gloſſa, 16. q. 1.* qua de re videatur Sylueſt. vbi ſupra, q. 6. vbi ad præſens propoſitum dicit plura notatu digniſſima.

Tertia Concluſio.

Ad ſeruiẽdũ beneficijs, et habendas dignitates Eccleſiaſticas, nullã animarũ habentes curam non poſſunt præſici Religioſi, ſine diſpẽſatione Sũmi Põtificis.

AD inſeruiendum beneficijs ſecularibus, & habendas dignitates Eccleſiaſticas, nullam habentes animarum curam, nullo modo poſſunt præſici Monachi & Religioſi, abſque ſummi Pontificis diſpenſatione & licentia. Hæc Concluſio eſt etiam Sylueſtri, vbi ſupra quæſt. 5. & eam tenet Panorm. *in c. ſuper eo, de Regul.* Et vt omnia vnico verbo concludam, dico ex generali omnium reſolutione, quod potius concedi poteſt Monacho, ſiue Religioſo, vt à ſuo Monaſterio exeat & foris maneat, ad gerendam animarum curam, quã ad habendas aliquas alias Eccleſias, quibus non ſubeſt talis cura. Nam nõ niſi cauſa vberioris fructus, & pro magna Eccleſiæ Dei vtilitate, Monachis ſiue Religioſis, concedendum eſt, vt à Monaſterio exeant & in ſeculo maneat, qui vberiores fructus, in nulla re amplius eluceſcunt, quam in incumbendo proximorum ſaluti, & gerenda animarum cura, in quo conueniunt omnes Doctores vnanimiter.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Canonicus Regularis, canonicè obtinens Eccleſiam parochialem, teneatur in ea potius reſidere, quam in ſua regulari?

Concluſio.

Canonicus Regularis ſiue Monachus, habẽs beneficiũ,

OMnis Canonicus Regularis, ſiue Monachus, accipiens canonicè aliquod beneficium requirens reſidentiam, in eo reſidere tenetur, potius quam in ſua

in eo potius quam in Monaſterio debet reſidere.

ſua Regulari Eccleſia. Hæc concluſio eſt certa & determinata multis iuribus atque Canonibus, *in c.1.18.q.2. & in c.olim, de priuilegijs*, vbi hoc expreſſe diffinitur de Epiſcopis, *& in c.ne pro cuiuslibet. 16.quæſt.1, cap.ſi quis iam translatus, 21.quæſtione.2.* id ipſum dicitur de Clericis parochialibus. Et *in clementina, ne in agro, §.ſanè, de ſta. Monach.* fit ſermo de monacho aſſumpto ad quemlibet Prioratum etiã ruralem, & ad quamlibet adminiſtrationem, etiam manualem, & expreſſe ſtatuitur, ne monachis habentibus beneficium, permittatur manere in Monaſterio. Neque his obſtat obligatio, quia ex ſuo voto tenentur, ad ſeruandam clauſuram ſuperius dictam, & reſidendum in Regulari Eccleſia. Nam reſpondetur primo, vt pluries iam dictũ eſt, quod Religioſus extra monaſterium degens, de licentia ſui Prælati, iuſta de cauſa data, intra ipſum manere dicitur. Vel ſecundo, dico, quod omne votum obligat, niſi iuſta aliqua de cauſa, relaxetur ſeu excuſetur quiſpiã ab illius impletione: in propoſito autẽ, vt habetur in *cap. Scripturæ, de voto, & voti redẽpt.* regularis qui iuſto aliquo titulo habet parochiã ſeu beneficiũ reſidentiã requirens, per iura communia abſoluitur à prædicto voto reſidendi in Eccleſia regulari, & aſtringitur reſidere in ſua parochiali, & per hoc fit ſatis propoſito Articulo. Videatur hac de Syluester vbi ſupra. q. 5. & 6.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ob neceſsitatem parentum, poſſit licẽtia præſtari Religioſo, vt maneat extra monaſterium, habitu retento?

Prima Concluſio.

Religioſus ob parentũ ſuorum neceſsitatem nimiã, bene poteſt manere extra Monaſteriũ, ad ſubueniendum eis, de licentia ſuorũ Prælatorum.

REligioſus ob neceſsitatem patris vel matris, de licentia ſuorum Superiorum, bene poteſt manere extra monaſterium habitu retento, ad ſubueniendum illis. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. ſecunda ſecundæ quæſtione 101. articulo. 4. & eandem tenet Nauar. libro. 3. conſiliorum de Regul. conſilio 70. 71. & 72. vbi & dicit, ad id licentiam poſſe dare, non ſolum Papam, verum etiam Generalem & Prouincialem, & expreſſius id tenet in commentario. 3. de Regul. *ſuper cap. nullam, numero* 48. *& ſuper cap. non dicatis, numero* 40. *& in manuali, cap.* 14. *nu.* etiam. 14.

Si prædicta parentũ neceſsitas, ſit extrema, poteſt Religioſus è Monaſterio exire etiã ſine Prælatorum licẽtia expreſſa.

Secunda Concluſio.

SI neceſsitas parentum eſt adeò extrema, quod etiam extraneo tali neceſsitati oppreſſo teneretur ſuccurrere, non ſolum poteſt Religioſus cum licentia ſuorum Superiorum exire, verum etiam tenetur, cũ illa vel ſine illa. Hæc Concluſio eſt etiam Nauarri, in prælegato *cap. nullam, numero* 48. quam & probat ex *cap. paſce* 86. *diſtinctione & exgloſſa in l. necare. ff. de lib. agnoſcendis.* De qua Concluſione, videantur quæ diximus ſupra quæſtione 17. articulo 8. & quæſtione 26. articulo 11. vbi quam latiſsimè egimus de obligatione quam habent filij naturales, ad ſuccurrendum & ſubueniendum ſuis parentibus, in extrema neceſsitate conſtitutis, cum habitu vel ſine habitu: nam nihil de nouo dicendum occurrit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Religioſus de licentia ſui Prælati, ad ſubueniendum ſuis parentibus manere poſsit extra Monaſterium, dimiſſo habitu?

Prima Concluſio.

Nullus prælatus Papa inferior, poteſt licentiã indulgere, alicui Religioſo ad manendũ extra Monaſteriũ, dimiſſo habitu, etiã ad cõmodius ſubueniendum ſuis parentibus.

NVllus Prælatus Papa inferior, poteſt licentiam indulgere alicui religioſo, ad manendum extra monaſterium dimiſſo habitu, etiam ad commodius ſubueniendum ſuis parentibus. Hæc Concluſio eſt expreſſa prædicti Nauar. *ſuper cap. nullam, numero* 48. quam & probat *ex cap.1. ne Clerici, vel Monachi, libro 6. & ex cap. ſanctimonialis, diſtinctione* 23. *& cap. Clerici, 2, de vitæ, & honeſt. Cler.* vbi habetur, religioſum etiam factum Epiſcopum, debere geſtare ſui Ordinis habitum. In Concilio etiam Tridentino ſeſſione 25. de Regul. cap. 19. habetur, *quod non detur licentia cuiquam Regulari, dimittendi ſeu occultè deferendi, ſuæ Religionis habitum.* Hac de re facit Nauarr. plura conſilia libro 3. Conſil. de Reg. conſil. 70. & 71. & 72. cum ſequent. & ſuper *cap. nullam, numero* 49. quibus omnibus in locis dicit, quod nullus Prælatus Papa inferior licentiam poteſt præſtare alicui Religioſo, ob quamcumque cauſam dimittendi habitum.

Secunda Concluſio.

Religioſus abſque ſummi Pont. licẽtia, dimittẽs habitum, eſt ipſo facto excommunicatus.

REligioſus ſiue regularis, abſque ſummi Pontificis licentia, quacumque de cauſa dimittens habitum, & aſſumens alium, vt cum ipſo incedat, eſt ipſo facto excommunicatus. Hæc Concluſio eſt expreſſa, *in c. vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi, libro.6.* de qua excommunicatione videndus eſt quam latiſſimè Syluester, *verbo, excommunicatio.9. excommunicatione.24. numero.51. & ſequentibus, & verbo, Religio.7. quæſtione.15.* & Nauarro *in Manuali. cap.27. num.131. & libro 3. conſil. de Regu conſi.76. & ſuper ca. nullam, num.49.* Et hæc de iſto Articulo, & de tota Quæſtione dicta ſufficiant.

QVAES-

QVAESTIO XXXIII.

De Monaſterijs Religioſorum, quantum ad ipſorum conſtructionem, ædificationem ſeu reædificationem, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Regulares, ædificare poſsint Monaſteria de nouo, ſine licentia Papæ, atque Ordinarij?

PRo huius Articuli & dicendorum omnium intelligẽtia, oportet præmittere, quod Bonifacius VIII. *in cap. cum ex eo, de exceſsibus Prælatorũ, lib. 6.* ſtrictè præcepit atque prohibuit, omnibus Fratribus Mendicãtibus, ne poſſent adquirere noua loca adhabitãdũ, vel antiqua deſerere, alienare ſiue mutare, abſq; ſpeciali Sũmi Põtificis licentia, quæ plenam & expreſſam faceret mentionem de huiuſmodi prohibitione, & addit, quod ſi ſecus factũ fuiſſet, decernit illud eſſe irritum & inane. Refertur in compẽ. *verbo, ædificare. §. 3.* facit etiam ad hoc *capit. vnicum de Relig. domi. li. 6.* Videatur Syluester, verbo caſus, caſu. 8. & verbo, excommunicatio, excomm. 8. Sed poſtea hac ſuper re, emanarunt à Sede Apoſtolica varia atque diuerſa priuilegia, de quibus, vt plena habeatur notitia, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Licentia Iulij II. ad ædificanda Monaſteria, facta nobis Fratribus Minoribus.

IVlius ſecundus, conceſsit nobis Fratribus Minoribus, quod ſi ab aliquo Principe, Duce, Marchione, aut Comite, in ſuis terris atque dominijs, fuerimus requiſiti, vt aliquã domum ædificemus noſtri Ordinis, eandem domum pro vſu & habitatione perpetua Fratrum noſtrorum Regularis Obſeruantiæ, conſtruere atque ædificare poſſimus, ac locum pro huiuſmodi conſtructione recipere. Habetur in Monument. Ordinis primæ impreſſionis fol. 43. & ſecundæ fol. 126. conceſsione 278. & refertur in compendio, verbo, *ædificare*, §. 10. & 11. Sed cum in ſupradicto priuilegio, non fuiſſet expreſſe facta mentio, conſtitutionis præfati Bonifacij VIII. quæ cum inſerta eſſet in corpore iuris, nõ eſſe cenſebatur aliquo priuilegio reuocata, niſi de ea ſpecialis mentio fieret, id quod & expreſſe in eadem Conſtitutione continetur, pro parte noſtra ſupplicatum fuit eidem S. D. N. Iulio Secundo, vt dignaretur ſua Sanctitas, ſupradictam conſtitutionem reuocare & derogare, quod & fecit approbãdo ſuam prædictam conceſsionem, & ſupplendo omnes, & ſingulos defectus, qui interuenerant in ipſius relatione, ac voluit & decreuit, quod prędictæ litteræ valerent, & nobis ſuffragarentur, non obſtante prædicta conſtitutione Bonifacij VIII. in contrarium faciente, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Habetur in ſupradictis Monument. Ordinis, ſecundæ impreſsionis, fol. 211. conceſsione 515. & in ſupplemento, fol. 71. conceſsione 218. & refertur in compendio, vbi ſupra. §. 11. Idem cõceſsit Vrbanus Quartus, pro Fratribus Carmelitis, & Sixtus Quartus, prout refertur in eodem compendio, verbo eodem, §. 17. & 18.

Secunda Concluſio.

Licẽtia Iulij II. ad ædificãdum Monaſteria, facta Fratribus Ordinis Minimor.

IDem Iulius ſecundus, conceſsit Fratribus Ordinis Minimorũ, vt domos, ſeu Eccleſias, loca & Oratoria quæcumque, pro eorum perpetuis vſu & habitatione, poſsint conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui, & ædificari facere, abſque alia deſuper faciẽda noua cõceſsione Apoſtolica, & quod prædicti Ordinis conſeruatores, quoties opus fuerit, eidem Ordini Minimorum, ac illius perſonis, in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtãt, ac ne Prælati Eccleſiaſtici quicumque, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, illos in aliquo damnificare, moleſtare, perturbare ac inquietare vllatenus audeant, ſub excommunicationis latę ſententię pœna, inhibere poſsint. Habetur in ſupplemento, fol. 8. conceſſ. 27. Circa quam conceſsionem, notat Collector priuilegiorum Mendicantium, verbo, *ædificare*, §. 20. id quod in ea cõceditur, nẽpe quod prędicti Fratres poſsint ędificare, loca ſeu Cõuentus vbique, ſeu ędificata recipere, abſque aliqua licentia, etiam Ordinarij, & quocumque Prędato Eccleſiaſtico contradicente, eſſe magnum priuilegium, & numquam alias conceſſum. Et practicatũ fuiſſe, contra quendam Archiepiſcopum Hiſpalẽſem, videatur ibidem, ſed hoc iam reuocatum eſt, per Conc. Trid. vt dicemus in cõcluſione ſequẽti.

Tertia Concluſio.

Non poteſt cõſtrui, ſeu ædificari Monaſterium modo abſque licentia Ordinarij diœceſani.

HOdie poſt Concilium Tridentinum, non poſſunt Religioſi ſiue Regulares, noua loca recipere, abſque licentia Ordinarij illius diœceſis, in qua Monaſterium conſtruendum atque ædificandum eſt. Habetur in dict. Concilio, ſeſsio. 25. de regul. cap. 3. ibi. *Nec de cætero ſimilia loca erigantur, ſine Epiſcopi, in cuius diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* Circa quod decretum ſiue diſpoſitionem, no tandum eſt, quod non habentibus priuilegium non ſufficit licentia Diœceſanorum, abſque alia Summi Pontificis de nouo requiſita per ſuperius dicta. Nam Concilium Tridentinum non reuocat ſupradictam decretalem Bonifacij Octaui, hanc licentiam requirentem, ſed addit, quod

vltra illam, simul petatur licentia ab Ordinario. Vnde cum secundum ius, supradicta Papæ licentia requiratur, etiam modo requiritur, quod non sic est in habentibus priuilegium: nam Cõcilium minimè annullat, seu annullare voluit nostra priuilegia, quin vero voluit in omnibus, quæ illi non contrariantur, ea in suo robore permanere. Et sic saltim pro nobis, & dictis Fratribus Minimis, non est necessaria modo alia Summi Pontificis licentia, cum absque illa per superius dicta nostra priuilegia, Monasteria possint recipi, sed tantummodo est necessaria licentia Episcopi, seu Ordinarij Diœcesani, quod est multum notandum, & memoriæ commendandum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Monasterium ædificatum, seu Ecclesia mutari possit, de vno in alium locum, sine licentia Papæ, & Diœcesani?

Prima Conclusio.

Stando in iure communi, Ecclesia siue Monasterium nõ potest mutari, de vno ad alium locum, sine licẽtia Ordinarij Diœcesani, et Papæ.

STando in iure communi, Ecclesia siue Monasterium, mutari non potest, de vno in alium locum, sine licentia Papæ & Diœcesani. Hæc conclusio satis est manifesta ex supradictis, in præcedenti articulo. Nam Bonifacius Octauus in præallegato *capit. cum ex eo, de exceſſ. Prel.* æqualiter & pariformiter, loquitur de Monasteriorum mutatione, & de erectione, constructione, siue noua ædificatione, ibi, *seu hactenus recepta mutare.* Neque Concilium Tridentinum, hanc eius constitutionem reuocat, seu videtur reuocasse, solummodo enim ait, quod de cætero similia loca non erigantur, sine Episcopi in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Et sic nullam mentionem faciens de locorum mutatione, videtur voluisse, vt id remaneret in dispositione iuris communis, iuxta communem Iurisconsultorum regulam dicentium, quod casus omissus remanet in dispositione iuris communis. Et certum est, quod stando in iure communi, ad hoc vt Monasterium, ex vno ad alium locum transferri possit, ad minus necessaria est licentia Episcopi, debetque id fieri cum consilio Fratrum, ex decreto Bonifacij, seu vt alij volunt, Siluerij Papæ, vt habetur *in cap. ſi quis vult, 16. quæſt. vltima*, vbi ponuntur sequentia verba: *Si quis vult Monasterium ſuum ad meliorandum, in alium locum ponere, fiat cum conſilio Epiſcopi, et Fratrum ſuorũ, et dimittat preſbyterum in priori loco ad miniſteria Eccleſiæ.* Hęc vbi supra. Super quæ prędicta verba, *ibi ad meliorandum*, dicit glossa, quod hęc est vna de tribus causis, ob quas Ecclesię possunt de vno ad alium locum trãsferri, pro quo citat, *cap. tribus, de conſ. diſtinct. 1. et capit. temporis, 7. quæſt. 1.* hoc est de iure communi. Sed loquendo ex priuilegio, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Loquendo de iure ſpeciali et priuilegio, iam habetur facultas Summi Pontif. ad mutanda Monaſteria de vno loco ad alium.

LOquendo de priuilegio & ex iure particulari, Sixtus Quintus Pontifex Maxim. anno Domini 1587, septimo kalend. Decembris, Pontificatus sui anno 3 concessit Abbati Generali Congregationis Sancti Benedicti, regni Portugalię, cum cõsilio & assensu Capituli generalis, vt Monasteria dictę Congregationis, quę in locis incommodis & minus populosis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi Monachorum doctrina, & virę exempla, populo Christiano, magis vtilia futura sint & fructuosa, propria auctoritate (Ordinariorum locorum, vel cuiusuisalterius, licentia minime requisita) cum eorum Monachis & supellectilibus, paramentis, & ornamentis, alijsque rebus necessarijs, transferre & mutare possit, ac fructus, redditus, & prouentus eorumdem Monasteriorũ, seu cuiuslibet eorum, vel illorum partem, Generalis & Capituli prędictorum arbitrio, alij seu alijs eiusdem Congregationis Monasterijs, magis indigentibus perpetuo, vel ad tempus (etiam renitentibus Abbatibus Monasteriorum eorumdem, & quibusuis alijs personis) applicare & assignare. Prouiso tamen, quod animarum cura personarum secularium, incumbens Abbatibus, & Conuentibus Monasteriorum transferendorum huiusmodi, nullatenus obliuiscatur, sed per Monachos dictę Congregationis Regulares, vel presbyteros seculares idoneos, & ab Ordinarijs probatos, laudabiliter exerceatur, libere & licite valeant, plenam & liberam Apostolica auctoritate, eorumdem tenore prędictorum, licentiam concessit & facultatem, non obstantibus, &c. Hoc priuilegium reperitur in libro priuilegiorum Congregationis sancti Benedicti, regni Portugalię, impresso Romę, anno Domini 1589. quod quidem magnum est & multũ notabile, quo etiam frui poterunt omnes Ordines & Religiones, habentes priuilegium communicationis, vt dicemus infra agendo de priuilegijs, pro hunc autem dicta sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm priuilegium concessum alicui Religioni, ad ædificandum Monasteria, sine licentia Ordinarij, ex nõ vſu per decennium amittatur?

CIrca hunc articulum, sunt diuisi, atque Partiti Doctores Iurisperiti. Quidam enim dicunt, quod quando facultas aliquid faciendi, posita est totaliter in arbitrio priuilegiati, non amittitur ex non vsu per decennium, ita tenet glossa *in cap. vt priuilegia, de priuilegijs.* Alij contrarium dicunt, vt Panormitan. *in dicto cap. vt priuilegia, num. 4.* vbi contrariam partem amplectitur. Sed pro componenda hac diuersitate, & controuersia, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio

Concluſio.

Qualiter amittatur, ſeu deperdatur priuilegium, conceſſum ad aliquid faciẽdum, & an illud ſit temporale, vel perpetuum.

QVando arbitrium, ſeu libera facultas aliquid faciendi, priuilegiato conceſſa, refertur ad priuilegium, vt ſi dicatur: Concedimus tibi priuilegium ædificandi, ſi volueris, vel ad libitum voluntatis tuæ, tunc priuilegium, ex non vſu per decennium amittitur, quia facultas refertur ad priuilegium: at ſi facultas ædificandi, non refertur ad priuilegium, ſed ad perſonam ſeu ad priuilegiatum, & ad tempus, vt ſi dicatur. Concedimus tibi priuilegium ædificandi Monaſteria, cum volueris aut quandocumque volueris, tunc priuilegium intelligitur eſſe perpetuum, & non amittitur ex non vſu per decennium, neque per vllum tempus, præſertim ſi per illud decennium, nulla ſeſe obtulerit ædificandi occaſio. Hæc doctrina eſt vera, & communiter tenetur, de qua videatur ſupradicta gloſſa & Panormita. loco ſupracitato; & Horatius Mandoſius num. 14. de priuilegijs, Boſſius etiam in practica de principe, & eius priuilegijs. Et cum aliud circa hoc, pro nunc dicendum non occurrat, præſenti Articulo & prædictis finem facio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm modo poſsint ædificari, aliqua Monaſteria, noſtris domibus conuicina?

Prima Concluſio.

Nullus Ordo in paupertate fundatus, infra ſpatiũ 300. cãnarũ, ædificare poteſt Monaſterium, ſiue Eccleſiã noſtris Monaſterijs conuicinam.

EX priuilegio Clementis IIII. nullus Ordinum, in paupertate fundatorum, cõſtruere, ſeu ædificare poteſt, aliquod Monaſterium, Eccleſiam ſeu Oratoriũ, infra ſpatium trecentarum cannarũ, ab Eccleſijs Fratrum Ordinis Minorum, menſurandarum per aërem, etiam vbi alias rectè menſurari, propter loci indiſpoſitionem non poſſunt. Idemque ipſum intelligi voluit, de translatione ex vno ad alium locum, ita quod nulli omnino licet, de Ordinibus Mendicantibus, Eccleſiam vel Monaſterium, ſeu Oratorium iam ædificatum, infra ſpatium prædictarum trecentarum cannarum transferre. Et quamlibet iſtarum cannarum, voluit octo palmorum longitudinem obtinere, non obſtante varia locorum conſuetudine, ſiue priuilegijs & litteris quibuſcumque à Sede Apoſtolica, ſub quacumque verborum forma conceſſis, ſeu etiam concedendis, quæ de præſentibus ſpecialem & expreſſam mentionem non fecerint. Habetur in libro, Monumenta Ordinis nuncupato primæ impreſſionis, fol. 31. & ſecundæ fol. 30. conceſſione 28. & in compendio priuilegiorum, verbo, *ædificare*. §. 1. Statuit præterea, vt quidquid contra huiuſmodi ordinationis, vel inhibitionis tenorem, ex nunc in antea ædificatum fuerit, diruatur.

Quidnam ſit vnius cannæ menſura, & quos longitudinis palmos contineat.

Secunda Concluſio.

Speciale priuilegium Fratribus Prædicatoribus, & poſtmodum pro Carmelitis, ſtatuit & priuilegium eiſdem conceſſit, vt nõ ſolum Fratres Mendicantes, verum etiam alij quicumq; Religioſi, & Eccleſiaſticæ perſonæ vtriuſque ſexus, prope domos prædictorum Fratrum Prædicatorum, ſeu Ordinis de monte Carmelo, nouas Eccleſias & loca conſtruere, vel alia de nouo recipere, & habere non poſsint, infra ſpatium centum quadraginta cannarum, per aërem menſurandarũ vbi aliàs per terram commode menſurari nõ poſſunt. Et quod ſi quis cuiuſuis conditionis ſtatus, aut dignitatis fuerit, contra prædicta venire, aut agere præſumpſerit, tam ipſe quam auxilium, & fauorem præſtantes, ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis, & nihilominus cuncta & ſingula ab eis facta pro infectis habeantur. Habentur in libro Monumentorum Ordinis, primæ impreſsionis, folio 30. & ſecundæ folio 31. conceſſione 29. quoad Prædicatores. Quoad Carmelitanos vero, in libro primæ impreſsionis, fol. 89. & ſecundæ fol. 172. conceſsione 403. & referuntur in compendio verbo, vbi ſupra, §. 15. & 16.

Speciale priuilegium Fratribus Prædicatoribus, & Carmelitanis conceſſum à Clemẽt. IIII & Sixt. IIII

Tertia Concluſio.

Reductio & coarctatio, prædictarum trecentarum cannarum, ad minorem numerum, non eſt intelligẽda, cum Minoribus Fratribus ex priuilegio Iulij II

IVlius Secundus, quia huiuſmodi trecentarum cannarum numerus, ad centum quadraginta, poſtea fuit redactus, per Clement. 4. ſupradictum, declarauit quod coarctatio, ſeu reductio dictarũ trecentarum cannarum, ad centum quadraginta, contra priuilegium Fratrum Prædicatorum, Fratribus Minoribus nocere non debet, contra ſupra dictum ſuum priuilegium, nec priuilegium communicationis, in damnum ſed in fauorem, prædictorum Fratrum Minorum eſſe conceſſum. Et pro potiori cautela prædictum priuilegium Clementis Quarti trecẽtarum cannarum, & inde ſequuta quæcumque, prædictis Fratribus Minoribus cõfirmauit & approbauit, & quatenus opus eſſet, prædictarum trecentarum cãnarum priuilegium, auctoritate Apoſtolica, eiſdem Fratribus Minoribus de nouo conceſſit. Ita habetur in eodem lib. Monumentorum Ordinis, ſecundæ impreſſionis, folio 231. conceſſione 538. & in ſupplemento folio 73. conceſſione 221. & refertur in compendio, *verbo, ædificare*, §. 9. Quo priuilegio per communicationem vti poſſunt, alij Mendicantes, ſed non in noſtrum damnum, vt ibidem dicitur.

Quarta Concluſio.

Speciale priuilegium circa hoc, cõceſſum Ciſtercienſibus ab Vrbano IIII.

VRbanus Quartus conceſsit Ordini Ciſtercienſium, quod nulla ædificia intra vnũ milliare, ab eorum Abbatijs & locis, ſub excommunicationis pœna erigi poſsint. Habetur hoc priuilegium in compẽdio ſui Ordinis, *verbo, ædificare*, §. *fin.* Hoc idem conceſsit Innocentius Quartus Monachis Carthuſianis, vt infra dimidiam leucam, à terminis ſuarum poſſeſsionum, nulli Religioſo liceat quodlibet ædificium conſtruere, vel poſſeſsiones acquirere. Ita refertur in compendio Mendicantium, *verbo, ædificare, in fine*. De dicta Monaſteriorum ædificatione, videantur multa in compendio priuilegiorum, *verbo, ædificare*, quæ quia non ſunt ad propoſitum omittuntur, aut etiam dicentur vbi viſum fuerit expedire.

ARTICVLVS V.

In quo caſu ſint excommunicati Mendicantes, qui ſine licentia Papæ vel priuilegio, noua loca ad habitādum recipiunt, vel mutant ſeu alienant hactenus recepta?

IN hoc Articulo præſupponitur, id quod dictum eſt in primo, ex decreto Bonifacij VIII. *in cap. cum ex eo, de exceſſ. Prælat. lib. 6.* & Clement. 5. *in cap. cupientes, de pœnis*, nēpe excommunicatos eſſe Mendicantes, qui ſine licentia Papæ vel priuilegio, noua loca ad habitandum recipiunt, aut mutant ſeu alienāt, hactenus recepta, & quæritur in quo caſu ſeu caſibus, prædicta excommunicatio incurratur? Cui difficultati reſpondetur, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Prædicta excōmunicatio, non incurritur, quando domus aliqua corruit & in eodē ſolo reædificatur.

SI domus aliqua Mendicantium corruat, cuius tamen ſolum, continuo remāſit in ipſorum dominio, licitum eſt illis, ipſam de nouo ædificare, neque incurrunt pœnam excommunicationis. Secus eſt autem, ſi locus dirutus deſierit eſſe, de ipſorum dominio & habitatione, ac poſtea nouo iure acquirant illum, tunc enim prædictam pœnam incurrunt. Hæc concluſio, nulla alia indiget probatione: nam cum ſemper ſolum fuerit de ipſorū dominio, nulla ratione dici poſſunt noua loca recepiſſe, aut mutaſſe, &c. ſecus eſt autem vbi deſierit eſſe de ipſorum dominio. Iuxta hanc concluſionem reſoluendum eſt, id quod in controuerſiam adducitur ſeu adduci poteſt, de Conuentibus ſiue Monaſterijs deſtructis, in Anglia, Gallia, & alijs hæreticorum partibus, de quibus expulſi ſunt Minores Fratres, quod ſi nunc res fidei mutarentur ibidē, poterunt prædicti Fratres, ſupradictos Cōuentus reædificare, reficere, & habitare, abſque noua licentia, & abſque vllo excommunicationis metu, quia ſemper ſolum extitit, & remanſit in Sedis Apoſtolicæ dominio, iuxta *cap. exijt, de verborum ſignificatione*, & ipſorum vſus pertinuit ad eoſdem Fratres, quamuis non proprietas ſiue dominium.

Secunda Concluſio.

Supradicta etiam excommunicatio nō comprehēdit eos, qui intra idē ſolū, Monaſteriū aliquod, ex vno ad alium locum mutant.

SVpradicta excommunicatio, non comprehendit eos, qui intra idem ſolum, mutant Monaſteria, de vno in alium locum, propter aliquam cauſam, vt ſi propter ſanitatem, exiſtentia in vallibus, mutant ad colles, &c. Hæc concluſio eſt etiam clara & manifeſta, & probatur: nam verbum illud, quod habetur in ſupradicta Clementina *nouum*, ſiue *de nouo*, non intelligitur neque intelligi debet, de illo quod renouatur, ſi quacumque de cauſa eſſe deſijt, ſed nouum dicitur, quod denuo acquiritur, vel nouo quæritur titulo, quod non contingit in ſupradicto caſu, neque quando vna domus, vtcumque & quantumcumque augmentatur & ampliatur. Quod quia adeo verum & certum eſt, maiori non indiget probatione.

ARTICVLVS VI.

Quodnam ſit melius, Deo acceptius & magis gratum, Monaſterium ſeu Eccleſiam Regularem, ſed maxime Mendicantium ædificare, an Collegiatam ſecularem conſtituere, cæteris paribus?

HAC de re facit vnum conſilium Nauarro, quod inter illa, quæ de Regularibus fecit, eſt primum in hac noua editione, in alia autem erat 52. num. Nam omnia neſcio quam ob cauſam, vel ſine illa, ſunt tranſuerſa atque mutata. Et propoſita difficultate, pro parte Fratrum Mendicantium ſententiam fert, de cuius ego reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Cæteris paribus, melius eſt Monaſterium Religioſorum ædificare, quam ſecularem aliquam Eccleſiam conficere, etiam Collegiatam.

CAeteris paribus, multo melius eſt & Deo magis gratum & acceptum, fundare Monaſterium ſeu Eccleſiam Regularem Mendicantium, quam Collegiatam ſecularem. Hanc concluſionem probat prædictus Nauarro, multis rationibus. Et primo, quia ſtatus Religioſorum eſt melior, quam ſtatus ſecularium de ſe. Sunt enim poſiti Religioſi, in ſtatu & ſchola perfectionis, vt inquit Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 184. articulo tertio, quorum proinde orationes cum ſint meliorum, ſunt etiam meliores, & Deo magis gratæ & acceptæ, ex quo proinde ſequitur intentum. Secundo probat idipſum: nam Fratres Ordinis Mendicantium, non tantum orationibus, confeſſionibus, prædicationibus, lectionibus, & bonis exemplis ædificant, verum etiam & multis alijs modis, proſunt Eccleſiæ militanti, quod vt plurimum non faciunt cæteri Eccleſiaſtici ſeculares, & certum eſt, quod cum illa ſint plura bona, magis adiuuant illos, qui eiuſmodi Monaſteriorum faciunt fundationem, & ſunt cauſa tantorum bonorum. Tertio, quia votum paupertatis & ſtatus Mendicantium, eſt Deo Optimo Maximo valde gratus, vtpote ſtatus quem Chriſtus Dominus ipſe, in ſemetipſo ſuſcepit, docuit, atque prædicauit in ſancto ſuo Euangelio, & ſancti eius Apoſtoli & diſcipuli, illum etiam ſuſceperunt, iuxta illud quod habetur Matthæi capite decimonono. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Quarto, nam magis Deo placent, cæteris paribus, qui ſe voto Deo obligant, quam alij, qui ſine voto aliquid faciunt, iuxta Diuum Thomam communiter receptum, 2. 2. quæſtione 88. articulo ſexto: ergo & illo-

Nota multa circa laudabilem modum viuendi Religioſorum.

rum

rum opera & orationes, magis prodeſſe poterunt ei, qui Eccleſiam regularem, vel Monaſterium aliquod conſtruxit ſeu ædificauit, quam aliud quodcumque bonum opus, etiam ſi Eccleſiam Collegiatam, aliquam ſecularium virorum ædificaſſet. Supradictæ rationes, ſufficienter concludunt intentum: ſed intelligenda (inquit) eſt concluſio, cęteris exiſtentibus paribus: nam ſi cætera non ſint paria, vtpote, quia multo maiorem impenſam requirit fundatio, & ædificatio Eccleſiæ Collegiatę ſecularis, cum aſſignatione reddituum ſufficientium, pro Canonicis & alijs Clericis, quam fundatio & ædificatio Eccleſiæ regularis Mendicãtium, ſine aſſignatione eiuſmodi fructuum, aliter eſt dicendum, vt de ſe patet, de quo videatur prędictus Nauarro loco ſupracitato.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſi quis ſuo teſtamento legauit, vt Monaſterium alicuius Ordinis ſuis expenſis, certo quodam loco conſtruatur, & ibi non poſsit conſtrui, ſit in alio loco conſtruendum, atque ædificandum?

Prima Concluſio.

Monaſterium vno in loco conſtrui mandatum, ſi ibidem non poteſt fieri, de licentia Epiſcopi, conſtruendũ eſt in alio

SI Monaſterium legato ſiue teſtamento ædificari mandatum, certo quodam & determinato loco, propter aliquam iuſtam cauſam ibi conſtrui atque ædificari non poſſit, de conſenſu Epiſcopi & executoris teſtamenti, conſtruendum & ædificandum eſt in alio loco. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, in materia de teſtamentis. Pro qua facit *cap. nos quidẽ, de teſtament. & l. legatũ. ff. de vſufru. legat.* vbi pecunia legata ciuitati ad ſpectaculum, quod in ea fieri minime licebat, adhibito hæredũ conſilio, & primorum ciuitatis, in aliam rem iubetur conuerti. Ad idem facit deciſio cuiuſdam *authent. de Eccleſ. titu. §. ſi quis in nomine magni Dei*, vbi habetur, *quod ſi quis teſtator aliquem de ſanctis hæredem inſtituerit, aut legatum ei reliquerit, eiuſque ſancti nullum ſit Oratorium in ea Vrbe, neque in eo territorio inueniatur, legatum detur Eccleſiæ ciuitatis, in qua teſtator domicilium habuit.* Quem textum commendant, communiter Doctores Iuriſperiti, ac propter ipſum ſupradictam concluſionem tenent, vt videre eſt, apud Couar. *cap. 3. de teſtament.*

De iure communi, neceſſaria eſt Epiſcopi Diœceſani licentia et conſenſus, ad commutandã defuncti alicuius voluntatem.

Sed eſt aduertendum, hoc eſſe faciendum de conſenſu, & licentia Epiſcopi Diœceſani, cui conceditur id poſſe facere ſecundum ordinem iuris, *dicto cap. 3. de teſtament.* tanquam executori vltimarum voluntatum, quod cum non competat Superioribus Regularibus, etiam ſi in ſuis Prouincijs fieri iubeantur prędicta legata, non poterunt executores teſtamẽtorum, ea vllatenus commutare, de conſilio prædictorum ſuperiorum, etiam Prouincialium, in quorum Prouincia Monaſterium foret ædificandum, niſi hoc etiam ex particulari priuilegio ſibi competat. Sed an huiuſmodi priuilegium habeatur, reſpondeo, & ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Multa habentur à Regularibus priuilegia, ad cõmutandes defunctorum volũtates, in aliũ vſum ſimilẽ, aut magis neceſſarium.

MVlta ſunt à Summis Pontificibus conceſſa priuilegia, ad commutandas pias fidelium defunctorum voluntates, & vt legata in vnum certum, & determinatum vſum, ſecluſo ſcandalo, à Prælatis commutari poſsint, in alium ſimilem ſeu magis neceſſarium. Hoc conceſsit expreſſe Sixtus Quartus, & habetur in Monumentis Ordinum 1. impreſſ. folio 62. & 2. folio 66. conceſſ. 55. & in ſupplement. folio 95. conceſſ. 317. & Leo X. ampliando prædictam gratiam Sixti Quarti conceſsit, quod ſimili modo poſſent facere dicti Prælati, in rebus donatis per viuentes, ſi tamen vt dictum eſt, non ſequeretur ſcandalum. Ita habetur in ſupplemento folio 93. conceſſ. 293. Multæ aliæ conceſsiones ad hoc propoſitum reperiuntur, in Monumentis Ordinum, de quibus videatur priuilegiorum Collector in Compendio, *verbo, legata*, §. 1. & verbo, commutare eleemoſynas, §. 2. verbo etiam hæredes, ſeu hæreditas, §. etiam 2. nonenim fuit in votis priuilegia prædicta, hic ad vnguem referre, vt non iſte noſter liber plus nimio excreſceret.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ſi quis in ſuo teſtamento ſtatuat quod de ſuis bonis fiat aliquod Monaſterium, in hac diſpoſitione, Moniales Fratribus debeant præferri, & prædictum Monaſterium, conſtrui & ædificari pro Monialibus potius, quam pro Fratribus?

Prima Concluſio.

In prædicta legati diſpoſitione, Moniales præferuntur Fratribus, debetque conſtrui Monaſterium Monialium, non vero Fratrũ

IN ſupradicta legati, ſeu teſtamenti diſpoſitione, Moniales præferuntur Fratribus, debetque fieri & conſtrui Monaſterium Monialium, & non Fratrum. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & probatur primo ex ſententia Angeli *in authen. de Eccleſ. titu.* vbi dicit, quod quando in aliquo teſtamento, ſiue legato, duæ cauſæ pię ſunt inſtitutæ, inſtitutio paulo perioris loci debet prævalere, id etiã tenet Baldus *in l. in multis. ff. de ſta. hom. in fine, & in l. cũ multæ. C. de bonis quæ liberis*, & Decius *in cap. in præſentia, de probationibus*, & Menoch. de adipiſcend. poſſ. parte 4. num. 788. ij omnes vnanimiter tenent, quod duobus Monaſterijs inſtitutis, vno Monialium, altero vero Monachorum, Monaſterium Monialium eſt præferendum & prævalebit, ipſumque erit ædificandum & conſtruendum, propter rationem dictam, vtpote, quia cenſetur opus magis pium, magiſque Eccleſiæ neceſſarium & vtile, vt conſeruari poſsint in ſua integritate, & puritate Virgines Deo ſacræ.

Secunda Concluſio.

In quolibet legato, relicto pro Monialibus & pro Fratribus, ſi ad vtrumque bona deficiãt

SI in aliquo teſtamento ſeu legato, aliqua relinquãtur Monaſterio virorum, ſeu Monachorum, & etiam Monaſterio Monialium, deficiantque bona ad omnia illa ſoluenda, in tali caſu & diſpoſitione, Monaſterium Monialium præfertur, debet que præferri Monaſterio virorum & Monachorũ, & ſoluendum eſt legatum dictis Monialibus factum. Hæc concluſio eſt etiam certa & vera, quæ & tenetur ab omnibus prædictis Doctoribus communiter, & fundatur in rationibus ſupradictis, nẽpe quia cenſetur opus magis pium, & inſtitutio pauperioris loci. Quod ſemper eſt verum, regulariter loquendo, excepto caſu, quo Monaſterium Monialium eſſet ditiſſimum, Monachorum vero pauperrimum, tunc enim præferendum eſſet Monaſterium ipſorum, cum in eo, non vero in Monaſterio Monialium, militent rationes ſupradictæ.

Moniales etiam præferuntur Fratribus.

QVAESTIO XXXIIII.

De Monaſterijs, quantum attinet ad ipſorum deſtructionem, ſeu deſertionem, in tres Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eccleſia ſiue Monaſterium, ſemel Deo dicatum, poſsit aliqua ratione deſtrui & deſeri, atque in prophanos vſus commutari?

Prima Concluſio.

Eccleſia ſeu Monaſterij, ſemel Deo dicatum, ſeculare habitaculum fieri non debet.

ECcleſia ſeu Monaſterium, ſemel Deo dicatum, ſeculare habitaculum fieri nõ debet neque poteſt. Hæc concluſio habetur expreſſa *in c. quæ ſemel, 19. quæſt. 3.* quod eſt Concil. Calcedon. & eſt etiam iuris regula, *c. quod ſemel dicatum, de regul. iur. lib. 6.* & regulariter loquendo, mutatio ſtatus Eccleſię, eſt iure prohibita, iuxta *c. 2. de ſupplen. negligen. Prælat.* Quin vero Syluester *verbo, caſus, 8, & verbo excommunicatio, 9. §. 85.* poſtquam dicit id nullatenus licere, ſine expreſſa licentia Papæ, inquit eſſe excommunicationem latam, in facientes contrarium, pro quo allegat *c. vnicum de Religioſis domibus, lib. 6. & c. cũ ex eo, de exceſſ. Prælator. eodem lib.* Vnde & hoc cõmuniter habetur in praxi, quod quando aliquis locus ſeu Monaſterij, propter aliquã cauſam deſeritur, quã maxime procuratur, vt alterius Ordinis ſumãtur Religioſi, qui illud inhabitẽt, quibus deficiẽtibus, quæruntur alij & alij, & in defectum omnium, auctoritate Epiſcopi, huiuſmodi Monaſterium, reducitur ad ſecularitatem, iuxta Ioan. Andr. & Abbatem *in c. inter quatuor, de religioſ. domib.* Quin vero, & quando Monaſterium aliquod, auctoritate Papæ ad alium locum transfertur, ſemper apponitur huiuſmodi clauſula, *prouiſo quod talis locus, ad prophanos vſus non redigatur*, id quod obnixe debet procurari.

Secunda Concluſio.

In caſu magnæ neceſsitatis, & de licẽtia Epiſcopi Diœceſani, bene poteſt locus ſemel Deo dicatus, in prophanos vſus commutari.

IN caſu tamen magnæ alicuius neceſſitatis, & rationabili exiſtente cauſa, de licentia, conſenſu, & auctoritate Epiſcopi diœceſani, bene poteſt Eccleſia, ſiue Monaſterium ſemel Deo dicatum, deſtrui & deſeri, atq; cum opus fuerit, in prophanos vſus commutari. Hæc cõcluſio eſt certa: & pro ea faciunt aliqui Canones, definientes loca ſacra, ali quibus de cauſis poſſe mutari. Habetur *in c. vnio, 10. q. 4. c. placuit, c. tribus, de conſec. d. 1.* Neque iura in contrarium adducta, & regula illa vulgaris, qua dicitur, quod quæ ſemel Deo dicata ſunt, ad prophanos vſus non debent aut poſſunt commutari, quidquam concludunt in contrarium: nã intelligenda ſunt, non exiſtente legitima & rationabili cauſa, vel intelligenda ſunt, ſtante & durante ipſarum rerum ſtatu, non autem deſtructo, ac penitus illo iam ſublato. Vnde generaliter loquendo dico, quod Eccleſiæ, res ſacræ & Monaſteria, durãte ſuo ſtatu & cõſecratione, ad prophanum vſum non debent, aut poſſunt reduci ſiue commutari; at poſtquam deſtruuntur, iam totaliter reducuntur, ad non eſſe rem ſacram, & ſic prædicta iura nihil concludunt. Aduertere tamen oportet, quod nos Minores Fratres, habemus ad hoc ſpeciale priuilegium Sixti Quarti, quod habetur in Monu. Ord. impr. fol. 47. & 2. fol. 131. conceſſ. 293. & refertur in compen. *verbo ædificare*, §. 8. quo conceſsit Generali Fratrum Minorũ de obſeruantia, licẽtiam & facultatem, ea loca quæ Fratribus ſuis minus cõmoda eſſe cognouerit, dimittendi in manibus Ordinariorum locorum, & illa licitè deſerendi, prout viſum fuerit expedire, ſuper quo eiuſdem conſciẽtiam onerat, & hoc voluit non obſtante conſtitutione Bonifacij VIII. prohibẽte, loca ſemel recepta deſeri, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, cęteriſque contrarijs quibuſcumque, &c. Aliam cõceſsionem, huic ſimilem, fecit Leo X. Pontif. Max. & habetur in ſupplem. fol. 92. conceſſ. 279. quod ad ueniente caſu neceſsitatis, Eccleſiæ tam Fratrum Minorum, quam Monialium ſanctæ Clarę de Obſeruantia, poſsint transferri & mutari, de vno loco ad alium, & locus prioris Eccleſiæ, reduci ad vſus humanos, ſecũdum commoditatem dictorũ locorum & Monaſteriorum, dũmodo materia ædificiorum ponatur in alia Eccleſia. Refertur in Cõpendio, *verbo, ædificare*, §. 14. Videatur ibidem.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm locus Eccleſiæ, ſeu Monaſterij deſtructi, & à Fratribus deſerti, pertineat ad ipſos Fratres, an vero ad ipſius fundatores & patronos?

HAEC quæſtio longiſſima eſt, & quæ multum requirebat temporis, ad ipſius exactam diſputationem & explicationem, vtpote cuius reſolutio, magna ex parte pendet, ex alterius quæſtionis reſolutione, de validitate tituli iuriſpatronatus. Qua de re plura ac fere innumera dicuntur à doctoribus iureperitis, vt tamen breuitati ſtudeam, & ab hac difficultate celeriter me expediam, pro ipſius reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Superiores ſucceſſores aliorum Prælatorum, ſeruare tenẽtur, titulũ iuriſpatronatus, quem ſemel dederunt.

CErtiſſimum eſt, quod ſucceſſores Superiorum, Generalium aut Prouincialium, ſeruare tenentur titulum iuriſpatronatus, quem ſemel alicui dederunt, ratione alicuius donationis ſibi factæ, ſeu ob aliam aliquam iuſtam cauſam. Hæc concluſio eſt communis omnium Iuriſperitorum, vnanimiter aſſerentium, quod Prælatus alterius ſucceſſor, tenetur ex contractu ſui prædeceſſoris. Qua de re videndus eſt Abbas, *in cap. dilecti filij. de foro competent.* Quod adeo verum eſſe dicunt, vt etiam Summus Pontifex, teneatur ex ſui prædeceſſoris contractu, quamuis Abbas Iunior, alias Panormitanus, *in cap. litteris, de reſcriptis*, id limitando dicat, intelligi debere, tantum ex vrbanitate, æquitate & clementia, ob quæ mandat ſæpiſſime Dominus Pontifex, vt adimpleantur ea, quæ alius incepit ſeu ordinauit, ſeu ad quæ prædeceſſor ipſius ſe obligauit. Secundo probatur concluſio: nam donatio præſertim remuneratoria, potius eſſe videtur merces laboris præteriti, ſeu beneficij alicuius exhibiti, quam liberalis cõceſsio, iuxta *l. ſi pater. §. ſi aliqua. ff. de donationibus*, quo fit, vt ſi propter aliqua beneficia, iuriſpatronatus alicui conferatur titulus, ex iuſtitia eidem eſt ſeruandus, & ſucceſſores eorum qui illum tradidertũt, eodem iure id ipſum tenentur ſeruare. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Minores Fratres, deſerentes Monaſteriũ aliquod, quod erat iuriſpatronat⁹, non poſſunt deſtruere ea quæ patroni prædicti erãt

MInores Fratres, deſerentes Monaſterium aliquod, in quo quiſpiam titulum legitimum habet iuriſpatronatus, ratione ædificationis, aut donationis, ſeu ob aliam aliquam legitimã cauſam, non poſſunt dormitoria, officinas, ſeu alia loca Monaſterij eiuſdem deſtruere, diuendere, ſeu alijs donare: nam hæc pertinent ad ipſos patronos & fundatores, quorum ius obnixe tenentur obſeruare. Hæc concluſio eſt etiam certa & manifeſta, atque expreſſe determinata, *in cap. exijt, qui ſeminat de verborum ſignificatione*, vbi Nicolaus Tertius, explicãs noſtram Fratrum Minorum Regulam, hoc expreſſe dixit & determinauit, ſolummodo reſeruando in ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ, Eccleſiam & Oratoria ad ipſam Eccleſiam deſtinata, & cæmeterium. Reliqua vero præcipit, vt relinquãtur concedentium voluntati, prout ibi latius continetur. Quo fit, vt in præfato Monaſterio à Fratribus Minoribus derelicto, ipſi nihil iuris prorſus habeant: cum iuxta ipſorum regulam, nihil proprium in hoc mundo habere poſſint, ſed proprietas prædicti loci, ſiue Monaſterij deſtructi atque deſerti, quantum ad dormitoria, officinas & alia habitacula, pertinebit ad ipſos patronos & fundatores, & titulum iuriſpatronatus habentes (maxime ſi illum ſibi reſeruarunt) quantum vero attinet ad Eccleſiam, cæmeterium & Oratoria ad Eccleſiam deſtinata, pertinebit ad ſupradictam Eccleſiam Romanam, prout definitur in ſupradicta extrauaganti.

ARTICVLVS III.

Quibuſnam Monaſterij deſtructi bona, debeantadiudicari?

Prima Concluſio.

Bona Monaſterij deſtructi, acquiruntur illi Monaſterio, ad quod Monachi transferuntur.

SI Monaſterium deſtructum, ſit habentium bona in communi, & transferatur aliò, illa bona acquiruntur illi Monaſterio, ad quod ſupradicti Monachi transferuntur. Hæc concluſio eſt certa, & manifeſta, & eam expreſſe tenet Ioan. Andr. *in cap. recolentes de ſtatu Monach.* vbi inquit, quod Religioſus tranſiens ex vno ad aliud Monaſterium, recuperare debet quod dedit primo, & loquitur ſpecialiter de Moniahbus, quæ quando recipiuntur, deſerunt ſecum dotes. De his ſpecialiter dicit, quod bona quæ attulerunt ad primum Monaſterium, cum eiſdem debent transferri ad ſecundum, ſi primum fuerit deſtructum, vt ne ſint onoroſæ ſecundo Monaſterio. Quod adeò creditur eſſe verum, vt ſi Monaſterij deſtructi, maxima quãtitas ſit Monialium, & Epiſcopus ſiue Prælatus, transferat vnam partem ad vnum Monaſterium, & aliam ad aliud (inquit) quod bona Monaſterij deſtructi, vtriſque Monaſterijs debent diuidi, iuxta quantitatem Monialium, quæ cuique Monaſterio obuenit, ne Monaſterio ſint onoroſæ, *iuxta l. maior. ff. de pactis.*

Sed quid, ſi Monaſterium penitus deſtruatur, nec aliò transferatur, ex eo quod non erant ibi Monachi, aut Monachæ, ſiue Moniales, quia nempe prohibitum fuit ſibi ob aliquam cauſam, nouitios ſiue nouitias recipere, fueruntque proinde extincti, nec remanſerunt, niſi duo vel tres, habebitne quilibet ſuam partem? Reſpondeo & ſit ſecunda concluſio.

In hoc caſu bona Monaſterij deſtructi, remanent in diſpoſitione Summi Pontificis.

Secunda Concluſio.

IN caſu ſupradicto Monaſterij deſtructi, bona remanebunt in diſpoſitione Summi Pontificis, & de eius licentia & auctoritate applicabuntur alteri Monaſterio, ſiue Religioni, maxime ſi ad illud,

seu ad istam, aliqui eiusdem Monasterij destructi, Religiosi seu Religiosæ transferantur. Hæc conclusio est etiam certa, & quammaxime est iuri ac rationi consona, cum res quæ succedit in locum alterius, naturam sapiat illius, in cuius locum subrogatur, vt habetur in iure, *in capit. Ecclesia vt lite pendente.* Quo fit vt bona Monasterij destructi ad Religionem, ad quam aliqui eius Religiosi transferunt, simul debeant transportari.

Tertia Conclusio.

SI Monasterium destructum, sit non habentium proprium, neque aliqua bona in communi, qualia sunt Monasteria omnia nostri sacri Ord. D. Frãciſci Regularis Obseruantiæ, ex auctoritate & benignitate Apostolica habemus, vt eorundem Monasteriorum bona, transferantur de prioribus locis ad alia loca, vbi fit Monasterij alicuius translatio. Hoc habemus ex concessione Clementis Quarti, & Leonis X. vt diximus supra in fine Articuli. 1. circa quod de nouo nihil dicendũ occurrit.

Bona Monasterij destructi, in nostro Ordine, transferuntur ad aliud, vbi de nouo ædificatur.

QVAESTIO XXXV.

De Collegijs tam virorum, quam mulierum in Congregatione viuentium, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quidnam sit Collegium, & vnde dicatur?

Conclusio.

Collegium dictum est à colligendo, siue colligãdo plures, vt simul habitent.

COLLEGIVM est, plurium simul habitatio: dictumquè est Collegium, à colligendo, siue colligando, quia scilicet aliqui simul colliguntur seu colligantur in vnũ, vt simul habitent. Hęc Collegij descriptio siue diffinitio, desumpta est *ex gloss. in l. 1. ff. quod cui vni. no.* de qua meminit Sylu. *verbo, Collegium, n.* 1. Sed inter DD. magna lis & controuersia reperitur, circa differentiam, quæ versatur inter Collegium, corpus & Cõgregationem. Dicunt enim quidam, quod Congregationẽ duo solummodo conficere possunt, Collegium autem nonnisi tres, iuxta *l. Neratius. ff. de verb. signific.* Qui tres, vt Collegium faciant, debẽt simul habitare communiter: nam si seorsum habitent, nõ dicentur Collegium sed corpus, iuxta sententiam Bartoli, *in rubric. ff. de Collegijs illicitis.* Sed alij alia omnino contraria incedunt via: nam congregationes simul habitantium appellant corpora, vt glossa ibidem, alias vero non appellant nisi collegia. Albericus in suo Dictionario, *verbo, Collegium,* dicit corpus esse genus quoddam ad collegium, quod ait tantummodo esse simul habitantium, & ad societatem, quam ait esse etiam habitantiũ seorsum. Nos tamen in hac tanta, tãtorum doctorũ diuersitate & cõtrarietate, breuitati vt studeamus, Collegium, corpus & societatẽ, proprie dici posse arbitramur, omnem congregationẽ aliquarum personarum, in aliquem finem vnitarum, siue simul siue seorsum habitent, ita vt dictio illa copulatiua, & apposita in rubrica, *de collegijs & corporibus* nõ proprie ponatur, & vt cum coniungit diuersa (iuxta *gloss. in rubr. ff. de iur. & fact. ignoran. & c. querelam, de*

Difficultas. Quænam differt inter Collegiũ, corpus & Cõgregationem.

Quidnam requiratur ad Collegiũ, et an Collegium necessario requirat plures an vero conseruari possit in solo vno?

simonia) sed improprie, ita vt tantum valeat, quod *id est, vel siue,* vt notant *DD. in l. 1. de pactis, & in c. ex parte, de rescript.* Hoc tamẽ addito & præsuppositio, quod ad collegium constituendũ, de iure ciuili requiruntur saltim tres (vt diximus) *ex l. Neratius. ff. de verb. sign.* de iure vero canonico saltim duo, iuxta *c. 1. de elect.* adeò quod nullũ collegiũ, siue Ecclesiasticũ siue seculare, in vno solo cõstitui siue fundari possit. Verũ est tamẽ, quod semel constitutũ atq; fundatũ in multis, benè potest totũ ius collegij venire ad vnum, & cõseruari in illo vno, cuius casus est expressus *in l. sicut. §. fin. ff. quod cuiusque vniuersitatis nomine,* quod etiam tenet glossa solemnis & communiter recepta, *in c. gratum, verbo maiorem partem, de postul. Prælator.* & Panor. ibidem & *in d. c. 1. de election.* Quod adeo verum est, quod si omnes Cardinales exirent de Conclaui, postquam ad eligendum Papam, in ipsum cõuenerunt excepto vno, ille solus posset eligere Papam, vt tenet glossa memorabilis *in Clemen. ne Romani, §. porrò, verbo, omnes, de elect.* quamuis is vnus, in quem resideret ius Collegij Apostolici, non posset eligere semetipsum, *per cap. per nostras, de iure patro.* propter multas rationes, quas ibi afferunt Doctores, breuitatis causa in præsentiarum à nobis omissas. Videantur ibidem si placuerit, ab ijs quibus id opus fuerit: nam non vacat per tempus tot ac tanta in tam breui compendio dicere.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit Collegium?

Conclusio.

OMne Collegium est duplex, quoddam Ecclesiasticum, quoddam vero seculare. Hæc Conclusio est certa, nec de ea quispiam est qui dubitet. Solummodo est differentia inter Doctores, in constituendo atque

Omne Collegium est duplex quoddã Ecclesiasticũ, quoddã vero seculare.

atque aſſignando, quodnam Collegium dicatur, ſeu dici debeat Eccleſiaſticum, quod vero ſeculare? Cui difficultati, ex communiori reſolutione reſpõdetur, illud Collegium dici Eccleſiaſticum, vbi omnes aut maior pars eſt Clericorũ, iuxta *l. quod maior pars. ff. ad munici. & c. cum omnes, de conſtit.* quod etiam tenet Bartol. *l. fin. ff. de Colleg. illic.* Secu lare vero & Laicum, vbi omnes vel maior pars cõ gregatorum ſunt Laici. Eſſe etiam Collegium Eccleſiaſticum & Clericorum, data partium æqualitate, dicit Panormit. *in cap. ex litteris, de conſtit.* quia (inquit) magis dignũ attrahit ad ſe minus dignũ, iuxta *cap. quod in dubijs, de conſecratio. Eccleſ. vel Alt.* Horum Collegiorum quodlibet, proprio ſubijcitur Iudici, ſiue Prælato reſpectiue. Eccleſiaſticus Eccleſiaſtico, Laicus vero ſeculari, licet ſit differentia, & controuerſia inter Doctores, an Collegium ſeculare, etiam ſubijciatur Epiſcopo, & Col legæ ipſius conueniri poſſint coram eo, quoad tẽporalia bona, quæ ipſi in ſua congregatione habent, aut ſaltem quoad ſpiritualia, & quoad actus Eccleſiaſticos? Qua de re Nauarro facit Conſilium & eſt tertium in ordine, libro ſecundo, Cõſilio de foro competenti, vbi tenet quod quamuis Collegium ſeculare ſiue Laicum, non ſubijciatur Epiſcopo, quoad bona temporalia, ſubijcitur tamen ei dem, quoad ſpiritualia, & quoad omnes actus Eccleſiaſticos. Quod probat multis atque efficaciſſimis rationibus, à me pro nunc breuitatis cauſa omiſſis, vt ad alia tranſeamus, quæ ſunt magis pro pria mei inſtituti & profeſſionis, ac præſentis pro poſiti.

Difficultas. Quodnam Collegium dicatur Eccleſiaſticum, quod vero ſeculare.

ARTICVLVS III.

Vtrùm facere aliquod Collegium, ſit licitum, an vero illicitum?

RAtio dubitandi eſt: nam in iure ciuili, in Digeſtorum libris, reperitur quidam ti tulus, de Collegijs illicitis. Circa quod etiam variæ atque diuerſæ verſantur Doctorum opiniones, de quorum communiori re ſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

COmmuniter & regulariter loquendo, omnia Collegia Cõgregationes, & corpora in vnum coadunata, ſine iuſta cauſa & auctoritate legitima Superioris, ſunt illicita. Probatur hæc concluſio, *ex l. collegia. §. in ſumma. ff. de Collegijs illicitis*, & ita tradit Bartol. *in l. 1. & vltima. ff. eodẽ titulo*, poſt Innocentiũ *in cap. dilecta, de exceſsibus Prælatorum*, & in ſupradicta lege ponuntur hæc expreſſa verba. *Si qui niſi ex Senatus conſulti, vel Cæſaris auctoritate, Collegium coierint, huiuſmodi Collegium celebratum contra Senatus conſulta, mandata & conſtitutiones, ſtatim diſſol uendum eſt.* Id quod ſimiliter ſtatuitur atque diſpo nitur, quadam noſtrarum partitarũ, *l. 4. tit. 3. part. 6.* Sed moderanda, & limitanda eſt ſupradicta con cluſio, in caſu quo Collegium fiat Religionis cauſa, vel in aliquem bonum finem, de quo ſit ſecunda concluſio.

Communiter & Regulariter loquẽdo, omnia Collegia, Congrega tiones, et cor pora in vnũ coacta, ſine iu ſta cauſa & auctoritate le gitima Supe rioris, ſunt illicita.

Secunda concluſio.

COllegium factum atque coactum Religio nis cauſa, ſeu in aliquem bonum finem, non eſt illicitum ſed licitum. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Sylueſter, *verbo Collegium quæſtion. 2.* & Nauarr. libr. 2. conſil. de forocompe tent. concluſion. 3. numer. 3. & in miſcellaneis, miſcellanea, 24. num. 2. & dicit Sylueſter, hanc eſ ſe ſententiam Innocentii, *in c. dilecta, de exceſſ. Præ lat.* (quidquid alij dicant) & quod homines cuiuſ cumque profeſsionis, etiam Grammatici atque negotiatores, ſine cuiuſpiã licẽtia, ſed propria au ctoritate, poſſunt ſimul conuenire & coadunari in vnum, & facere ſibi rectorem aut Syndicum, dum modo coeant & Collegium faciãt, in aliquem bo num finem, ſeu pro aliqua honeſta & iuſta cauſa, vt puta ad defenſionem ſuæ iuſtitiæ, vel vt ne in ſuis officijs fiat alicui fraus, & multo magis, ſi id faciant cauſa pietatis ſiue Religionis. Et quod licita ſint eiuſmodi Collegia, probat Sylueſter vbi ſupra, ex multis iuribus, quibus leges pro hibendo aliqua, videntur concedere alia. Atque ita dum dicunt quod Senatuſconſulto, Collegia illicita arcentur & prohibentur, conſequenter vi dentur dicere, quod licita conceduntur. Illicitum autem Collegium, eſt quod fit aliquo malo fine, & tale eſt deſtruendum, iuxta *l. vltimam. ff. de Colle gijs illicitis*, Bart. etiam *in l. 1. ff. eod. tit.* dicit quod iure communi Collegia, quæ fiunt Religionis cau ſa ſunt permiſſa; quod & probat, *per l. 1. ff. quod cu iuſcunq;* Idem tenet Nauar, vbi ſupra, & dicit quod talia Collegia poſsũt cogi & erigi, ſine autoritate Superioris, ſecundum Bartolum, & Innocent. & alios Doctores Iuriſperitos, quos ibi allegat, vi deatur ibidem.

Collegiũ coactũ Religionis cauſa, et in aliquem bonũ finem, cũ legitima licẽ tia, non eſt il licitũ ſed lici tum.

Quænã dicã tur Collegia licita quæve ro illicita, et quod talia ſunt deſtruẽ da.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ſit licitum Collegium aliquo rum hominum vel mulierum in cõ gregatione viuentium, tria ſubſtan tialia Religionis vota emittentiũ, ſi nullum viuendi modum à Sede Apoſtolica approbatum habeant, ſiue profiteantur?

Concluſio.

COllegium hominum ſeu mulierum, in Congregatione viuentium, triaq; ſub ſtantialia vota emittentium, etiamſi ad titulum Religionis viuãt, ex quo proin de pium atque laudabile videatur, adhuc tamen ſi nullum viuendi modum à Sede Apoſtolica ap probatũ profiteantur, talis congregatio eſſe vide tur illicita, & iure prohibita. Hæc Concluſio, vt apparet, eſt expreſſe determinata in Concilio Lug dunenſi, quod habetur, *in c. vltimo, de Religioſis do mibus, & in c. vnico, eod. tit. in 6.* vbi reprobãtur Reli giones

Nõ eſt licitũ Collegiũ Eccleſiaſticorũ quorũ cũque etiã tria ſub ſtantialia vo ta emittẽtiũ, ſi non profi teantur ali quem viuen di modũ, per

Sedē Apostolicam approbatum.

giones omnes, quæ nullam Sedis Apostolicæ approbationem seu cõfirmationem meruerunt. Idē habetur in Extrauaganti. *sancta Romana & vniuersalis Ecclesia*, vbi damnantur quidã Fratricelli siue beguini, qui se dicebãt esse de Tertio Ordine beati patris nostri Francisci (sed non erant) & iniungitur excommunicationis pœna, vt nulli de cætero talem ritum valeant assumere. Probatur præterea supradicta Conclusio, nam vt colligitur ex Concilio Tridentino, *sess.* 25. *c.* 1. omnes tam viri quam mulieres, in Congregatione aliqua viuentes, vt huiusmodi Cõgregatio siue Collegium sit licitũ, profiteri debent aliquam Regulam, aut saltim aliquem viuẽdi modum, approbatum per Ecclesiam, dicitur enim ibi, *vt omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulæ quam professi sunt. præscriptum, vitam suam instituant atque componant*: ergo vbi nulla talis habetur regula, aut modus aliquis viuendi approbatus per Ecclesiam, talis Congregatio, & huiusmodi Collegium simul viuentium & habitantium in vnum, ex decreto præd. Concilij, cẽseri & dijudicari debet illititũ. Quod & cõfirmatur etiam ex Constitutione Sixti IIII. quæ habetur in quadam Bulla, quæ incipit: *De tesianda*, & refertur in Compendio: *Verbo Tertiarij Fratres. §. 10. vbi excommunicantur Fratres Prædicatores & Minores, recipientes seu admittentes, ad priuilegia seu immunitates suorũ Ordinum, quoscũq; vtriusque sexus laicos, prætextu Ordinis Tertij seu alterius modi viuendi, nisi dicti Tertij Ordinis habitũ gestauerint, et professionem solitã emiserint, et in congregatione viuant, non obstantibus quibuscumque.* Quæ Sixti IIII. Constitutio, licet in quãtum excommunicat recipientes ad Ordinem Tertium, eos qui non viuunt in Congregatione; derogata sit per Leonem. X. eius successorem, qui licentiam & facultatem dedit, recipiendi eas mulieres, quæ emisso castitatis voto, in proprijs domibus habitant, vt dicemus statim quæstione sequenti, cum agemus dẽ Tertiarijs, & habetur in Supplemento, fol. 28. in Bulla, quæ incipit: *Nuper sacro Lateranensi Concilio*, attamen in quantum, Sixtus IIII. excommunicat, recipientes ad priuilegia eos qui solitam professionem non emiserint, non est sua constitutio reuocata, quin vero manet in sua vi, & sic prædicta censura, (vt videtur) comprehendit Prælatos Ordinum Prædicatorum & Minorum, admittentes seu recipientes, ad supradicta priuilegia, quoscunque homines vel mulieres, in Cõgregatione viuentes, (quos cõgruentissimo vocabulo vocare possumus Collegas) qui non emiserint professionem, fieri solitã in dicto Tertio Ordine, quamuis emittant tria Religionis substantialia vota, & promittant obediẽtiam, paupertatem, & castitatem, induantur q; vestibus eiusdem coloris, quibus induuntur Fratres eiusdem Religionis, si non profitentur aliquam Regulam, eisdem Fratribus datam, aut saltim aliquem viuẽdi modum, per Sedem Appostolicã approbatum. Ex quibus constat clare, id quod in nostra conclusione diximus, nempe huiusmodi Collegia esse illicita, reprobata atque prohibita vtroque iure, Canonico atque ciuili.

QVAESTIO XXXVI.

De Fratribus & Monialibus Tertiarijs, in Septem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quisnã Sãctorũ omniũ primus, Tertiariorum Fratrum atque Monialium Ordinem adinuenit siue instituit?

Conclusio.

Qui primus omnium Sanctorum, Tertiariorum Ordinẽ adinuenit, & instituit, fuit Sãctissimus P. N. Franciscus

QVI primus omnium sanctorũ, Tertiariorum Ordinem adinuenit & instituit, fuit Beatissimus, Seraphicus Pater noster Franciscus. Hæc Conclusio probata atque confirmata existit, testimonio & auctoritate Ecclesiæ, quæ in officio eius diei, inter alias ad ipsius honorem sequẽtem canit Antiphonam: *Tres Ordines hic ordinat, primumque Fratrum nominat Minorum, pauperumque fit dominarum medius, sed pœnitentium Tertius, sexum capit vtrumque.* Quæ verba, vt plenius intelligantur atque clariora fiant, adnotare oportet, ex monumentis nostri sacri Ordinis in principio, quod cum Beatissimus Pater noster Franciscus, anno Domini 1205. nostro Fratrum Minorum Ordini felicissimum dedisset principium, suæq; Regulæ quam instituerat, ab Innocentio III. (licet viuæ vocis oraculo tantum) approbationẽ & confirmationem obtinuisset, & Licentiã prædicandi generalem, pro se & suis Fratribus, cum titulo & nomine Prædicatorum de pœnitentia: & eidem officio & ministerio incumbendo, operanq; dando, beatissimam Claram ad se, seu vero potius ad diuinum seruitium adduxisset & conuertisset, ipsius etiam Sacrum Ordinem & Religionem fundasset, quod & factũ dicitur anno 1212: Cũ ad feruentissimam sanctissimi nostri Patris prædicationem, certatim tum homines tum mulieres, etiam matrimonialibus legibus astrictæ, vndequaque eumdem vt sequerentur atque imitarentur conuenirent, cuperentq; proinde obnixe, Regulam aliquam, aut certas quasdam leges sibi tradi, quibus vitam suam & mores, iuxta Euangelicæ legis perfectionem, in viam salutis facilius possent dirigere: importunis eorum precibus exagitatus, eisdemq; annuendo, & benigne condescendendo, quemdam Tertium Ordinem instituit, quẽ vtriusque sexus, viris & mulieribus, virginibus siue

vxo-

vxoratis, aut non ſolutis, communem eſſe voluit, Fratrumq; ſiue Sororum de pœnitentia nuncupari, pro eo quod ab eodē ſanctiſſimo Patre, in eum finem, ad agēdam ſcilicet pœnitentiam, fuerit peculiariter deſtinatus, & inſtitutus, qua etiā de reſaltem verbo tenus, certum modum, ſiue formam tradidit illis. Sumpſit exordium, facer iſte Tertiariorum Ordo, vt ex dictis monumentis, & Chronicis noſtri ſacri Ordinis conſtat, anno Incarnationis Dominicæ 1221. quibus vt dictum eſt, etſi certa Regula in ſcriptis, ab ipſo ſanctiſsimo Patre tradita non inueniatur, certiſsimum tamen eſt quod ſaltem verbo tenus, certas quaſdam leges eiſdem dedit, quibus inſtruerentur, & ab alijs diſtinguerentur, & magis ac magis in diuino ſeruitio poſſent proficere. Præfatæ leges ſiue Regulæ, poſtmodum fuerunt præſentatæ Sūmo Pontifici, Nicolao IIII. qui fuit ſacræ noſtræ Religionis Frater, dictus antea Frater Hieronymus de Eſculo, ab ipſoq; in vnum collectæ, Tertiarijs prædictis, tam ſolutis, quam etiam coniugatis, in formam cuiuſdam Regulæ redactæ, obſeruandæ ſunt traditæ. Fuit autem prædictus Ordo, approbatus, & cō firmatus Primo ab Honorio III. poſtmodum vero a Gregorio IX. & tandē ab Innocentio IIII. Nicolao IIII. pluribuſq; alijs ſummis Pontificibus, qui & ipſum fauoribus plurimis, atque priuilegijs ſunt proſequuti, illuſtrarunt & condecorarunt. Cum vero ſacra hæc Tertiariorum viuēdi forma, in dies magis ac magis floreret, meliuſq; audiret, fertur in prædictis Chronicis, & Monumentis noſtri Ordinis, quod illuſtriſsima quædā, ſimul atq; pientiſsima fœmina, nomine Angelina de Termis Ciuitellæ Comitiſſa, apud Aprutios, coacta bona illuſtrium fœminarum, & iuuencularum manu Fulginæ (quæ Vmbriæ ciuitas eſt) Conuentum quemdam ſibi conſtruxit, atque ædificauit, ſub titulo S. Annæ, illumq; cum eiſdem ingreſſa Sororibus, tribus Monaſticis votis, obedientiæ ſcilicet caſtitatis, & paupertatis emiſsis, ſub obediēcia Minorum Fratrum ibidem incluſa, vſque ad mortem ſanctiſsime perſeuerauit, & ſanctiſsimo huic viuendi modo, Tertiariarum incluſarum ſimul viuentium, illuſtriſsimum dedit principium. Cuius quidē exemplo poſtmodum, aliæ ſanctiſsimæ virgines permotæ, ſpretis totius mūdi illecebris, pro prijs facultatibus in medium prolatis, breuiſsimi temporis ſpatio, in diuerſis Italiæ partibus, octo Monaſteria ædificari curarunt, in quibus ſub habitu & legibus dicti Tertiarij Ordinis, ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, Deo Opt. Max. deſeruirent, gratiſsimumq; eidem exhiberent famulatum. Ab his ſacra Sororum Tertiariarum, ſimul atque in Congregatione viuentium, religio ſumpſit initium. Quē poſtea viuendi modum, Martinus V. & Eugenius IIII. Pōt. Maximi, ſtatutis Apoſtolicis, cōſtitutionibus & cōceſſionibꝰ quā plurimis illuſtrarūt & cōdecorarūt, quorū ſit mētio in Monumētis Ordinis, primæ impreſſionis, f. 46. & ſecūdæ, fol. 42. cōc. 47. Sed tandem cum ad exemplum prædictarum Sororum & fœminarum, quam plurimi quoque viri, diuerſis in partibus, aliqua Cœnobia erexiſſent, & conſtruxiſſent, ibidemq; commorarentur, ſub habitu & norma præfati Tertij Ordinis S. Franciſci, triplici Monaſtico emiſſo voto, indieſq; ſupra modum multiplicarentur, Leo I. P. M. huiuſmodi Tertiariorum Ordinem, plenius atque amplius quam antea extiterat, illuſtrare volens, de nouo eundem confirmauit, anno Domini 1521. prædictiſque Fratribus atque Sororibus, propriam aliam dedit Regulam, vtcunque ab ea, quam Nicolaus IIII prius conſtruxerat diſſimilem, eandem tamē in ſubſtantia. Et hæc eſt, quā nunc communiter obſeruant Tertiarij prædicti, in Congregatione viuentes, cuius etiam fit mentio in Chronicis noſtri ſacri Ordinis, & in Supplemento, fol. 35. conceſ. 119. & hæc quantum ad huius ſacri Ordinis initium dixiſſe ſufficiat.

Quo tempore Tertiariorū. S. Franciſci Ordo, ortum & originem duxerit, quātum ad ſeculares viros ac mulieres.

A quibus ſūmis Pontificibus, approbat⁹ exiſtat Tertiariom Ordo

Quo tempore Tertiarij ſimul viuere in Congregatione cœperunt.

Quo tempore Fratres Tertiarij, viuere cœperint Religioſe, cōuētualiter, atq; incommuni.

ARTICVLVS II.

Vtrum in alijs quoque Ordinibus ſiue Religionibus, reperiantur Fratres & Sorores, dicti Tertij Ordinis?

Prima Concluſio.

IN Prædicatorum ſiue Fratrum Dominicanorum etiam Ordine, reperiuntur Fratres, & Sorores Tertij ſui Ordinis. Hæc concluſio, eſt expreſſa D. Antoni de Floren. in ſuo hiſtoriali, 3. parte tit. 23. ca. 14. §. 2. vbi & dicit beatiſſimum Patrem Dominicum, etiam inſtituiſſe Tertium Ordinem, ſiue Tertiarios Fratres & Sorores de pœnitētia. Quod & fecit forſan imitatus Beatum Patrem noſtrum Franciſcum, cuius fuit cōtemporaneus, & quammaxime deuotus & nimia eidem familiaritate coniunctus. Pro huiuſmodi Fratribus & Sororibus Tertiarijs Dominicanis, Summus Pontifex Iulius II. Breui quodam ſuo, directo quondam Reuerendiſſimo Patri, Thomæ de Vio Caietano, tunc temporis Generali magiſtro, ampliſſimam conceſſionem fecit, eidem concedens, quod mulieres prædicti Tertij Ordinis, quæ Sorores de pœnitentia nuncupantur, & collegialer viuunt, ſi illi placuiſſet, & ipſæ hoc cuperent, ex benignitate Apoſtolica, tria vota Religionis in manus ſuas, aut illorum quos ad hoc duxerit deputandos, licite emittere valerent. Et in alio Breui, eidem directo, poſtmodum idem Iulius II. hoc ipſum confirmauit, addens vt profiterentur, coram ſupradicto Generali magiſtro, ſeu altero vices eius gerente, ſupradictæ mulieres & Sorores de pœnitentia, obedientiam ſecundum Ordinem, ſeu potius Regulam S. Auguſtini, & quod propter hoc, nō teneatur ad clauſurā, neque ad officium diuinum, magis quā ex ſua Regula Tertij Ordinis ſiue habitus tenentur. hæc ibidem.

Etiā in Prædicatorū Ordine, habētur Fratres, atq; Sorores Tertij Ordinis.

Secunda Concluſio.

AVguſtiniani & Carmelitani, ac etiam Fratres Ordinis Minimorum, ſuos ſimiliter habent, Fratres Tertiarios & Sorores, quos etiam, communi vocabulo vocant de pœnitentia. Hæc concluſio conſtat ex Breuibus ſiue priuilegijs diuerſis, quæ hac de re habentur in ſupradictis Religionibus, quibus ſibi conceditur, habere poſſe ſupradictos,

Auguſtinēſes & Carmelitani nō nullæ aliæ Religiones ſuos etiā habēt Fratres et Sorores

Tertiarios ſeu qui cõmuniter de pœnitẽtia nũcupantur.

ctos Fratres Tertiarios & Sorores, quæ priuilegia in præſentiarum breuitatis gratia a me omittuntur, cum facile videri poſſint, in libro dicto Monumenta Ordinis, ſeu potius in Compendio prędictorum Ordinum.

Monu. Ordi. 2. impreſſ. fo. 180. & 249. et refertur in cõp. ver. Tertiarij Fratres et Sorores, in fin. et verbo mulieres.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſupradicti Fratres Tertiarij & Sorores, ſint vere & proprie Religioſi & Religioſorum proprie comprehendantur nomine?

De multiplici differentia Fratrũ Tertiariorũ, quæ olim fuit in Eccleſia, ſimiliter atq; Sororum.

PRo huius Articuli intelligentia, & vera reſolutione, libuit præmittere, quod antiquis temporibus, tanta & tam varia fuit ſupradictorum Fratrum & Sororum Tertij Ordinis differentia atque diuerſitas, vt Doctores iuriſperiti hac de re loquentes, non vno eodemq; modo, ſed diuerſiſſimo fuerint locuti. Affirmatibus quibuſdam, omnes eos eſſe vere & proprie Religioſos, negantibus vero alijs & dicentibus, nullos eorum comprehendi Religioſorum nomine. Quæ quidem confuſio & æquiuocatio, omnino, vt e medio tollatur, atq; in præſenti Articulo diſtincte procedamus, præ oculis habere oportet, vt tradit priuilegiorum collector, verbo Tertiarij Fratres & ſorores poſt. §. 24. in reſolutione quam facit & ſatis colligitur ex Chronicis & Monumentis Ordinum, quod ſupradicti Fratres & Sorores Tertij Ordinis, in triplici ſunt, ſeu potius fuere olim differentia. Quidam enim illorum & primi tempore, non faciebãt tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, quin vero neque in congregatione viuebant, aut communiter habitabant, ſed vel ſeorſum in aliquibus eremitorijs, aut in proprijs domibus cum ſuis vxoribus, filijs & familijs, (qui erãt vxorati,) vel aliter ſi erant ſoluti, ad modum quo aliæ perſonæ ſeculares, hoc ſolo excepto, quod dicebantur Fratres de pœnitentia, & obſeruabant certas quaſdam leges ſiue Regulas, quas (vt diximus) pie creditur, dediſſe eis beatiſsimum Patrem noſtrum Franciſcum, circa ſuum viuendi modum & formã agendi pœnitentiam, quas poſtea amplius atque expreſsius, (quadam ex ipſis compilata Regula,) tradidit illis Nicolaus IIII. alias dictus Frater Hieronymus de Eſculo, qui fuit Frater noſtri ſacri Ordinis. Hoc dixerim de Tertiarijs noſtris: quod etiã feciſſe credendum eſt, Beatiſſimum Patrem Dominicum, alioſque eiuſdẽ Tertij Ordinis reſpectiue, inſtitutores & fundatores, pro ſuis Fratribus Tertiarijs. Alij vero erant Fratres Tertij Ordinis, & Sorores, qui emittebant prædicta tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, in manibus ſuorum Superiorum aut prælatorum coram tota cõmunitate, non tamen profitebantur certam aliquam & determinatam Regulam, per Sedem Apoſtolicam approbatam, quia tunc forſan, non erat approbata illorum Regula, ſaltim pro Regula, ſed certum quendam viuẽdi modum, quorum alij ſeu aliæ, habitabant communiter & in Congregatione, alij vero non, ſed ſeorſum & ſeparatim, in Eccleſijs ſeu eremitorijs, vel in proprijs domibus. Tandem tertio reperiuntur modo in Eccleſia, aliqui Fratres & Sorores Tertij Ordinis, de pœnitẽtia nuncupati, qui poſt ſuſceptum eiuſdem Religionis habitum, de manu Prælati potentis Religioni eidem incorporare, poſt expletum etiam probationis annum, emittunt tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, ſimulque profitentur certam atque determinatam Regulã, à Summo Pontifice & per Sedem Apoſtolicam approbatam, nempe á prædicto Nicolao IIII. aut Leone X. & ſub vno habitu & obedientia vnius Prælati, viuunt in Congregatione communiter, ad modum quo cæteri alij Religioſi. Hoc præmiſſo notabili ac ſublata ſupradicta confuſione, propoſito Articulo, reſolutiue reſpõdeo, per ſequentes cõcluſiones.

Prima Concluſio.

Fratres, et Sorores Tertij Ordinis, non profitẽtes aliquã certã atque determinatã Regulã, non ſunt aut fuerant vnquã, vere et proprie Religioſi, ſiue Religioſæ.

OMnes ſupradicti Fratres & Sorores Tertij Ordinis, qui nõ profitẽtur nũc, aut profitebãtur olim, certã determinatã Regulam, per Sedẽ Apoſtolicam approbatam, non ſunt modo nec fuerũt vnquam olim, proprie & vere Religioſi, ſiue emittant tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, ſiue non, etiam ſi habitent ſeu habitarent communiter, ſeu vero ſeorſum, aut ſeparatim. Hæc cõcluſio, eſt certa & manifeſta, & eam tenet expreſſe Nauarro, in innumeris ſuæ doctrinæ locis, ſed maxime in comment. 1. de Reg. ſuper *c. cui portio*, 12. q. 2. nume. 18. & . & in conſilijs, libr. 3. de Regul. conſ. 54. num. 1. Cuius concluſionis vnicũ ac totale fundamentum eſt, *c. vnicum, de voto, & voti redempt. lib. 6.* vbi Bonifacius VIII. agens de voto ſolemni, quod ſolum facit vere & proprie quẽpiam eſſe Religioſum, in hæc, quæ ſequuntur prorumpit verba: *Illud ſolummodo Religionis votum ſolemne eſt, quantum ad dirimendum matrimonium poſt cõtractum, quod ſolemnizatum fuerit, per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis.* Ex quo Bonifacij decreto manifeſte colligitur, quod in duobus tantum caſibus, inuenitur ſolẽne votũ, in ſuſceptione ſacrorũ Ordinũ, & in profeſſione expreſſa ſiue tacita, alicuius Religionis per Sedẽ Apoſtolicam approbatæ, quod nunquã fit ſiue certa & determinata Regula. Quin vero hoc adeò eſt præciſe neceſſarium, ad hoc vt quiſpiam ſit aut cenſeri poſſit Religioſus, quod quantumcunque quis ſuſcipiat alicuius Religionis habitum, à potenti etiam eundem dare, ſitque in probatione per annum, atque profiteatur, & in profeſſione emittat tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, ſi non id fiat ſecundum aliquã certam, & determinatam Regulam, & in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata pro Religione, votum nullatenus erit ſolemne, etiam ſi Congregatio, in qua ſupradicta emittuntur vota, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, approbata ſit ab Eccleſia, pro bono modo viuendi. Hoc dicit expreſſe Nauarro, vbi ſupra, quod & efficaciſſime probat ex Gloſſa in *Clementina 2. Cum ex eo, de ſent. excommun.* verbo tertio, ac ex multis alijs iuribus. Et tandem concludit, eſſe de eſſentia, & ratione Religionis proprie dictæ, quod ſupradicta tria

Nõ ſufficit, vt Religio aliqua ſit approbata ab Eccleſia pro bono modo viuendi, ad hoc vt votum in ea emiſſum, ſit ſolemne.

Quod nã dicatur ſolẽne votum Religionis.

tria vota,emittãtur & fiãt,in Religione aliqua ap probata pro Religione,nec ſufficit vt fiant in aliquo ſtatu approbato etiã per Sedem Apoſtolicã, non pro Religione,ſed pro bono modo viuendi. Hoc eſt itaq;certiſſimum atque conſtitutiſſimum & de quo nulli dubium.

Secunda Concluſio.

Fratres,et Sorores Tertij Ordinis profitentes certã & determinatam Regulã, vere & proprie ſunt Religioſi, ſiue Religioſæ.

FRatres Tertiarij & Sorores etiam Tertiariæ ſiue de pœnitentia nuncupatæ, quæ viuunt in Congregatione,& emittunt tria Religionis eſſentialia,& ſubſtantialia vota, in aliqua Religione approbata pro Religione, & ſecundum aliquam certam atque determinatam Regulã,verè & proprie ſunt Religioſi ſiue Religioſæ. Hæc concluſio planet conſtat ex ſupradictis,in præcedenti concluſione,neque maiori vlla indiget probatione, cum,vt ſupponitur,in Congregatione viuant,atque emittant tria Religionis eſſentialia & ſubſtãtialia vota,in Religione approbata, & ſecundum aliquam certam atque determinatam Regulam, quæ eſt exacta voti ſolemnis diffinitio,& quod facit vere,& proprie Religioſum. Ex his colligere poterunt,Patres cuiuſcunque Ordinis, quinã Fratres ſiue Sorores,ſui Tertij Ordinis,dici debeant & poſſint,vere & proprie Religioſi, nam non eſt in votis,neque meimuneris atque propoſiti; id in præſentiarum diiudicare aut dicere. Solummodo dico,loquẽdo de Fratribus ac Monialibus Tertiarijs noſtri ſacri Ordinis,quod qui vel quæ in Congregatione viuunt,atque profeſſionem emittũt, iuxta formam traditã in hac ſecunda concluſione,vere & proprie ſunt Religioſi, non vero alij ſeu aliæ,vtcumque viuant, & quomodocumque nuncupentur,ſi aliter profeſſionem emittant. Et loquẽdo de illis,nõ verò de iſtis, Sixtus IIII. Bulla quadã ſua,quæ incipit: *Ad Chriſti Vicarium*,& habetur in monumentis Ordinis,*Statuit atque decreuit,quod ipſorum profeßio,vim & valitudinem haberet voti ſolemnis,ac omnem induceret effectum, quem inducit votum ſolemne,factum cuiquam de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Et diſtrictè præcepit atque mandauit,omnibus & ſingulis cuiuſcumque gradus, dignitatis, Ordinis,aut conditionis fuerint,ſub quorum cura vel iuriſdictione,prædicti Tertiarij Fratres,vel Sorores tũc degebãt,aut in futurũ degere cõingeret,ne Fratres vel Sorores prænominatos præfactũ votũ modo prædicto emittentes,matrimoniũ contrahere vel ante contractum conſummare,aut Religionem ipſam dimittere & ad ſecularem vitam redire,vllo modo permittant, decreuitque irritum,& inane,quidquid in contrarium fuerit factum,ac ipſos Fratres vel Sorores id facientes, excommunicationis ſententia innodatos fore*, habetur in mon. Ord.1.impreſ.f.33.& 2.f.117.con.256.& refertur incompend.verbo Tertiarij Fratres & Sorores-§. 7. Similem Bullam ſiue priuilegium, habent Patres Ordinis Prædicatorum, à Paulo III. ſibi conceſſam,anno 1542.quę incipit,*Exponi nobis nuper feciſtis*,quæ circũ fertur inter alia priuilegia eiuſdem Ordinis, videatur ibidem.

***

ARTICVLVS IIII.

Quinam Fratrum ſiue Sororum, ſupra dicti Tertij Ordinis, perfruantur gratijs,priuilegijs atque immunitatibus eiſdem conceßis?

Prima Concluſio.

Omnes Fratres Tertiarij & Sorores tria eſſentialia Religionis vota, ſecũdũ certã aliquã Regulã profitentes,& ſub obediẽtia Minorũ Fratrũ degentes, eorumdem perfruuntur priuilegijs.

TErtiarij ſiue Tertiariæ in Congregatione viuentes,& tria Religionis eſſentialia,& ſubſtantialia vota,obediẽtiæ, caſtitatis & paupertatis, iuxta Nicolai III. aut Leonis X. certam & determinatam Regulam emittentes,ac ſub obedientia Minorum Fratrum exiſtentes,omni procul dubio,perfruuntur omnibus gratijs,& priuilegijs tẽporalibus & ſpiritualibus, necnon & immunitatibus, ſpecialiter eiſdem Tertiarijs, & vniuerſaliter nobis Fratribus Minoribus conceſſis. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta,& conſtat ex Monumentis, & priuilegijs noſtro ſacro Ordini conceſſis,quæ cum lõgum quidem eſſet,velle in præſentiarũ recenſere;conſulto prætermittũtur. Sed hac de re videatur ſpecialiter compendium noſtrorum priuilegiorum,*verbo,Tertiarij Fratres,& Sorores*, per plures paragraphos & maxime reſolutio, quã ibidẽ facit Collector eorumdem priuilegiorum in fine. §.24. recolligendo omnia quæ ad hanc materiam ſpectant,vbi ad hoc propoſitum inuenire licebit plura, eaq; notatu digniſſima. Sed loquendo de alijs Tertiarijs,viris ſiue mulieribus in Cõgregatione nõ viuẽtibus,fuit olim inter Doctores,magna lis & controuerſia,vtrum gauderent omnibus noſtris priuilegijs temporalibus,& ſpiritualibus. Quidã enim dicebãt quod ſic, alij vero quod nõ, ſed ſolummodo ſpiritualibus: cuius opinionis eſt priuilegiorum collector loco ſupra citato, vbi dicit quod quamuis Innocent. VIII. vt habetur *in Monument. Ordin. 1. impreſ.* fol. 64.& 2. fol. 69. conceſ. 146.& in ſupplem. fol. 100. conceſ. 375. cõceſſerit & extẽderit,omnes gratias & indulta,conceſſa Fratribus & Sororibus,incõmuni viuentibus, etiam illis qui viuunt in particulari, vt etiam refertur in compendio verbo vbi ſupra. §. 11. eiuſmodi tamen conceſſio intelligi debet, ſolummodo de gratijs ſpiritualibus & proforo cõſcientiæ, non autem de temporalibus. Nam cum facta fuerit tantum viuæ vocis oraculo, nihil poterat de ſeruire pro rebus temporalibus,ſiue pro iudiciali foro. Et addit quod dato caſu,quod extenderetur etiã ad tẽporalia, ac deſeruire poſſet pro iudiciali foro,non deberet intelligi niſi de illis,qui fecerunt prius profeſſionem in communitate,& poſtea virtute alicuius priuilegij,ſiue diſpenſationis, ſeceſſerunt in aliqua ſolitaria loca,ad viuendum in particulari(vt tunc temporis fieri conſueuerat) & quod hoc non cõſtat nimis clare. Ex quo infert quã grauis fuerit error,quorumdã religioſorũ,qui intuitu pietatis & deuotionis,incõſiderate procurauerũt,quod Tertiarij prædicti, in aliquibus partibus nõ ſoluerẽt decimas neq;primitias

mitias, aſſerẽdo exemptos eoseſſe, ab huiuſmodi oneribus, quin verò & à ſolutione tributorum & vectigalium, Dominis temporalibus debitorũ, præſertim redundando, id in non modicum damnum vicinorum prædictorum Tertiariorum, & exactorum reddituum, quia eiuſmodi onera talis ſint cõditionis, vt qãtũ aufertur vni vel pluribus exemptis ſiue priuilegiatis, tantum ſuperimponat alijs, non exemptis neq; priuilegiatis de populo. Dicit præterea quod qui præfatam exemptionem procurauerunt, incurrerunt in excommunicationis ſententiam, poſitam a Sixto IIII. in quadam ſua Bulla, quæ incipit *Deteſtanda*. Quæ quamuis non habeatur in libris priuilegiorum Ordinis impreſsis, eius tamen fit mentio in quadam priuilegiorum tabula, copilata per quendam cõmiſſarium Romanum, & modo habetur in compẽdio. §. 10. Sed quidquid de hoc ſit, poſt Innocent. VIII. prædictum, in Concil. Later. celebrato ſub Leone X. circa Tertiarios prædictos noua quædã emanauit conſtitutio, qua *ſtatuit, quod Fratres & Sorores Tertij ordinis, in proprijs ſuis domibus habitantes valeant ſepulturam eligere vbi voluerint, & quod in die Paſchatis tantum Euchariſtiam, nec non extremam vnctionem, cæteraque Eccleſiaſtica ſacramenta (pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) a proprio Sacerdote parrochiali ſuſcipere debeant. Sed voluit, quod ad onera quæ laicis incumbunt perferenda teneantur, & quod in ſeculari foro, coram iudicibus ſecularibus poſsint cõuenire.* Habetur in ſupplemento, fol. 26. conceſ. 86. & refertur in comp. verbo, vbi ſupra. §. 19. Inſuper decreuit. *Quod prædicti Tertiarij in proprijs domibus habitantes, nullatenus admittantur tempore interdicti ad audienda diuina in Eccleſijs Ordinũ, quorum ſunt Tertiarij, ſi eiuſmodi interdicto cauſam dederint, aut ipſam nutriant ſeu foueant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel fauorem quoquo modo præſtiterint.* Et hoc eſt quod nunc obſeruatur in praxi. Quo præmiſſo atq; præſuppoſito, de huiuſmodi Tertiarijs ſecunda ſtatuitur concluſio.

Secunda Concluſio.

TErtiarij etiam in Congregatione non viuentes, ſiue viri ſiue mulieres, noſtris perfruuntur priuilegijs ſpiritualibus, in omnibus quæ per prædictum Concilium Lateran. non fuerunt ſibi ſublata. Hæc concluſio ſatis conſtat ex dictis, & ponitur expreſſe á collectore priuilegiorum loco vbi ſupra. Quã dicit generaliter eſſe intelligendam, de quibuslibet Tertiarijs, viris ſiue mulieribus, in particulari & extra communitatem viuentibus, exceptis illis mulieribus, quæ Tertiariarum habitum portantes publice, expreſſe continentiã virginalem ſeu viduatam promiſerint, quæ (inquit) omnibus noſtris priuilegijs, tam temporalibus quam ſpiritualibus gaudent, quibus perfruũtur collegialiter viuentes, per aliam conceſsionẽ prædicti Leonis X. quæ habetur in ſupplemento, fol. 26. conceſ. 87. His exceptis, omnes alij generaliter dicit cõprehendi in ſupradicto decreto Cõcilij Lateran. quia ait: vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Videatur collector vbi ſup. §. 19. & 20. Videatur etiam liber nuperrime a uobis cõcriptus, atque in lucem editus, de prædictis Tertiarijs & explicatione ſuæ Regulæ, ſed maxime cap. 6. & 11. vbi de hoc argumento adinuenire licebit (ni fallor) omnia, quæ deſiderari poſſunt.

In calce huius Articuli libuit aduertere, quod Moniales Tertij Ordinis, etiam profeſſæ & Religioſæ, atque in Congregatione viuentes, quæ in aliquibus partibus noſtræ Hiſpaniæ, Ordinarijs ſubduntur, non verò nobis Fratribus Minoribus, (vt credo) non gaudent ſupradictis priuilegijs, nam vt aperte conſtat ex ipſis, non conceduntur niſi his tantum, qui degunt ſub obedientia Minorum Fratrum & ab ipſis gubernantur. Videatur hac de re, ſpecialiter Bulla Nicolai IIII. quæ habetur in Monumẽtis Ordinis, primæ impreſſionis, folio 93. & ſecundæ, fol. 116. conceſsione 255. vbi dicit ſuam benedictionem præfatis Tertiarijs, qui iuxta ſuum conſilium, elegerint Viſitatores de Ordine Fratrum Minorum, & conceſsit vt gaudeant ipſi priuilegijs, eidem Ordini a Sede Apoſtolica conceſsis, ac in poſterum concedendis. Videatur etiam hac de re conſtitutio Pij V. quæ incipit: *Ea eſt officij noſtri*; edita anno 1568. & alia Gregorij XIII. quæ incipit: *Ex benigna*. edita anno 1575. Vbi definitur, ſolummodo noſtris priuilegijs, gratijs exẽptionib⁹, & immunitatibus gaudere, qui ſunt Tertij Ordinis, ſancti Frãciſci de pœnitẽtia nũcupati, in Congregatione viuentes, tribus votis ſubſtantialibus adſtricti & profeſſi, & ſub Ordinis Minorum Superiorum Regularis Obſeruantiæ obedientia degentes, ſub clauſura etiam viuentes, ſi ſunt mulieres. Quibus ſolummodo Tertiarijs, ad inſtar eorum qui ibi dicuntur reformati, concedunt ſupradicti Pontifices, omnia priuilegia conceſſa nobis Fratribus Minoribus de Obſeruantia, quod eſt maxime notandum, atque memoriæ cõmendãdum. Nam certe, ego neſcio quo iure, aliæ Tertiariæ non reformatæ, & ſub Ordinatione & noſtra obedientia non viuentes, noſtris potiantur priuilegijs, & gratijs ſpiritualibus, & temporalibus, niſi forte ad id particulare habeant priuilegium. Sed ipſæ videant ſeu potius qui illarum gerunt curam, niſi forſan cum exemptione obtinuerunt etiam, communicationis priuilegium.

Quod Sorores Tertiariæ quæ non degunt ſub obedientia Minorum Fratrũ, non eorũdem perfruuntur priuilegijs.

Nota hoc val de pro Monialibus Tertiarijs.

ARTICVLVS V.

Quo habitu debeant indui præfati Fratres, & Sorores Tertij Ordinis, Seraphici Patris noſtri Franciſci, tam Religioſi, quam ſeculares.

Prima Concluſio.

HAbitus ſupradictorum Tertiariorum Religioſorum, & viuentium in Congregatione, ſecundum Regulam confirmatam per Nicolaum IIII. ſiue Leonem X. coloris eſſe debet, nec prorſus nigri nec prorſus albi. Hæc concluſio habetur expreſſa, in ſupradicta Regula Nicolai IIII. quod per Leonem X. in ea quam poſtmodum fecit, non eſt immutatum: ſed quia prædictus Nicolaus IIII. nihil dixerat de

Tertiariorũ noſtri ordinis ſancti Franciſci habitus, debet eſſe coloris, nec prorſus nigri nec prorſus, albi, ſed mix

ti, aut aburie lati, & forma infraſcripta.

rat de forma huiuſmodi habitus, ac etiam de colore obſcure locutus eſt, poſtea Iulius II. quadam ſua Bulla, quæ incipit. *Viſis & diligenter conſideratis*, ſtatuit, *quod huiuſmodi Tertiarij talem portarent habitum, quod patenter diſtinguatur, à Fratribus primi Ordinis ſancti Franciſci.* Habetur in Monumentis noſtri Ordinis, ſecundæ impreſſionis, fol. 215. conceſſione 519. & refertur in compedio, verbo, Tertiarij. §. 18. vbi etiam dixit. *Quod quocumque nomine nuncupentur, & vbicumque ſunt per vniuerſum Orbem, habitus ſemper ſint vniformes, & communes omnibus vbiq; tam in forma, quam in colore, ita quod nulla ſit differentia in habitibus eorum. Et de forma (inquit) quod ad minus habeant caparonem latum, vt de ſuper ſcapulas deſcēdat ab vtraq; parte per quatuor digitos; in longitudine vero, tam à parte anteriore, quam à poſteriori, attingat infra cingulum, vt ſuper illud poſſit cingi, color vero ſit magis ad nigredinem tendens, quam ad albedinem*, quaſi diceret, id quod Hiſpano ſermone dicitur, *aburielado.* De cingulo autem huiuſmodi Fratrum Tertiariorū, dicitur in prædicta Regula Nicolai IIII. quod ſit corrigia, & non chorda, ad modum cingu li Minorum Fratrū. Hæc omnia notat, & aduertit Collector priuilegiorum *verbo, Tertiarij Fratres, & Sorores*, in fine. §. 24. Sed contrarium fieri video, maxime in dictis Hiſpaniarum partibus, & nihil horum prorſus obſeruari, quodq; contra ſuā ipſorum Regulam & prædictas tantorum Pontificum Conſtitutiones, & determinationes, ſupradictiFratres Tertij noſtri Ordinis, in chorda ſiue cingulo, forma, figura, & colore habitum deferunt fere omnino ſimilem nobis Fratribus Minoribus, ex quo oriuntur quandoq; innumera ſcandala, & inconuenientia non pauca, quæ reformari oporteret à Patribus Prælatis, quibus eorum cura incūbit. Sed ipſi videant, neque enim volo, falcem in alienam meſſem mittere.

Secunda Concluſio.

Qualis eſſe debeat habitus; Fratrū noſtri Tertij Ordinis, qui non ſunt vere et proprie Religioſi.

LOquendo de alijs Fratribus noſtri Tertij Ordinis, non ſolemniter profeſſis nec vere & proprie Religioſis ſed ſecularibus, ipſorum habitus eſſe debet ſtatui ſuo conueniens atque rationi condecens: quoad formam, prout ipſum deferunt alij viri ſeculares, quoad colorem vero, coloris cinericij ad modum, quo & nos Minores Fratres. Hæc concluſio eſt expreſſa Collectoris priuilegiorum, vbi ſupra, in quo loco dicit eſſe verosimile, talem habitum, voluiſſe Beatiſſimum Patrem noſtrum Franciſcum, quod deferrent prædicti Fratres Tertiarij, non ſolemniter profeſſi, nec vere & proprie Religioſi, ipſius Tertij Ordinis, cum videatur ab antiquo in illis partibus, in quibus præfatus ſanctus inſtituit prædictum Tertiū Ordinem, & vbi pro maiori parte cōuerſatus eſt, quod obſeruata ſit & de præſenti obſeruetur talis forma habitus. Et dicit prædictus Collector, quod conſuetudo, ſeu potius corruptela obtinuit iam contrarium, in diuerſis Prouincijs & mundi Regnis, aſſumendo diuerſas formas habituū, & interdum conſimiles habitibus Fratrum Minorū, quod eſt expreſſe contra noſtra priuilegia, & materia multorum ſcandalorum. Tandem ſubdit, quod non poſſunt prædicti Tertiarij, ſeculares ſiue non Religioſi deferre chordam noſtram, cum neque id poſſint alij, qui viuunt etiam collegialiter, id prohibente ipſorum Regula. Sed quantum ad hoc crediderim, quod decipitur Collector, nā chordam noſtram vt riſque deferre licet, ex conceſſione alia Iulij II. confirmata poſtmodum per Clementem Septimum, quadam ſua Bulla, quæ incipit: *Ad vberes fructus.*

ARTICVLVS VI.

Quibuſnam ſubijciantur, ac ſubijci debeant ſupradicti Fratres Tertiarij & Sorores noſtri Tertij Ordinis, & per quos debeant gubernari?

Prima Concluſio.

Fratres Tertiarij, et Sorores noſtri Ordinis ſolēniter profeſſi per noſtros Prælatos regi debent et gubernari, ex ſummorū Pōtif. decretis.

LOquendo de Fratribus, & Monialibus Tertiarijs noſtri Ordinis, ſolemniter profeſſis, & Religioſis, multorū ſum morum Pontificum decretis, atque conſtitutionibus ſtatutum eſt, vt per nos Minores Fratres gubernentur, nobiſq; in omnibus & per omnia ſubijciantur. Hæc Concluſio conſtat primo ex ſua Regula, vbi Nicolaus IIII. ſtatuit atque decreuit, quod prædicti Fratres Tertiarij, ſub quo nomine comprehenduntur modo ſeculares & Religioſi, quamuis illo tempore tantum eſſent ſeculares, procurent aſſumere viſitatores, & reformatores de Ordine Fratrum Minorū, & quibus hoc fecerint, ſanctam ſuam dedit benedictionem. Habetur in Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, fol. 33. & ſecundæ, fol. 116. conceſſione 254. & 255. & refertur in Compendio, *verbo, Tertiarij Fratres, & Sorores*, §. 3. & 4. Secūdo conſtat id ipſum ex quadam Bulla Sixti IIII. quæ habetur in eiſdem Monumentis primæ impreſſionis fol. 80. & ſecundæ, fol. 92, conceſsione 201. & refertur in Compendio, vbi ſupra, §. 8. vbi. *Statuit, quod Generales, & Prouinciales noſtri Ordinis Minorum, & eorum Vicarij, tam Conuentuales, quam Obſeruantes, habeant ſub ſua iuriſdictione, omnes Fratres et Sorores, Tertij Ordinis Beati Franciſci, vbilibet infra Prouincias eis commiſſas conſiſtentes, ac eos charitatiue viſitent, et eoſdem iuxta Regularia inſtituta dicti Ordinis, inſtruant et reforment, necnon et corrigant, etiam per ablationem habitus dicti Tertij Ordinis, ſi id qualitas exceſſus exegerit, Et ſimiliter ſtatuit, quod prædicti Prælati Ord. Min. poſſint recipere, volentes aggregari huiuſmodi Tertio Ordini, ac etiam quod poſſint, eiſdem Tertiarijs deputare viſitatorem, ſeu confeſſorem, prædicti Ordinis Minorum de Obſeruantia, vel Conuentualiū, prout eis plus placuerit, qui eiſdē Tertiarijs omnia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare debeat.* hæc vbi ſupra. Tertio probatur hoc, idē ex alia Bulla Iulij II. *Qua confirmauit literas Sixti IIII. ſuprapoſitas, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiecit, ſuppleuitq; omnes, et ſingulos, iuris et facti defectus, ſi quiforſan interuenerunt in eiſdem. Et inſuper de nouo ſubiecit, omnes Fratres et Sorores Tertij Ordinis, vbique locorum, per vniuerſum orbem conſiſtentes, ſub obedientiæ,*

dientia,et correctione Generalis,et Prouincialium, Fratrũ Minorum de Obſeruantia,et conuentualiũ,ita quod eos viſitare et corrigere poſſent,iuxta formam prædictarum literarum Sixti IIII.et ſuper his imponit graues cẽſuras, prædictis Tertiarijs,niſi cum effectu paruerint, huiuſmodi literis infra certum terminum,ac etiam ſuper hoc dedit conſeruatores. Habetur in ſupplemento, f. 223.conceſſione 529.& refertur in Compẽdio,verbo vbi ſupra,§.16.& idẽ Iulius dedit poſtea alias literas,ad confirmationem ſupradictarum, cum magnis clauſulis,& non obſtantijs,ac deputatione conſeruatorum. Habetur vbi ſupra,fol.225.cõceſſione 530 & in Compẽdio,vbi ſupra,§.17. Quæ Summi Pontificis Conſtitutiones,obſeruatæ fuerunt ſemper antiquis temporibus, ſubijciebanturq; prædicti Tertiarij,ſuperioribus Prælatis Fratrum Minorum Obſeruantium,ſeu Conuẽtualiũ, ita quod erat locus præuentioni,vt notat Collector priuilegiorum, *verbo, Tertiarij Fratres, et Sorores, in fine, ibi, quoad ſecundum gradũ Tertiariorum.* Sed ſpecialiter atque expreſſius, pro prædictis Religioſis Fratribus & monialibus,hoc idem ordinatũ eſt,per Bullam ſupertus citatam,Pij V. quæ incipit: *Ea eſt officij noſtri*, & aliam Gregor. XIII. quæ incipit: *Ex benigna*, quibus Ordinem prædictum reformando,in noſtris Hiſpaniarum partibus, omnes ipſius Fratres & moniales,noſtro Generali Fratrum Minorum omnino ſubiecerunt,ac præceperunt,per eundem ſub certo modo & forma debere regi & gubernari. Quare quidquid ſit de Italia & alijs Prouincijs,quamuis in aliquibus partibus Hiſpaniæ,aliqua ſit huiuſmodi Tertiariorum Prouincia,proprium ſuum habens miniſtrum Prouincialem:ille tamen cum tota ſua Prouincia,ſubijcitur in omnib⁹,& per omnia,noſtri ſacri Ordinis Generali Miniſtro. A qua Generali regula ſolum modo excipiuntur non nullæ Moniales dicti Tertij Ordinis,quæ vel ex particulari priuilegio aliquorum ſummorum Pontificum, aut etiam conſentientibus noſtris Prælatis de Obſeruantia, Ordinariorũ ſe obedientiæ & iuriſdictioni ſubderunt:de quibus ſuprã dixi nimis probabiliter, me certe nõ videre,aut ſcire rationem & cauſam, ob quam noſtris perfruantur priuilegijs, cum vt ſupradictum eſt,& ex eiſdem ſuperque ſatis conſtat,non fuerint conceſſa,niſi exiſtentibus ſub cura,regimine,& obedientia Prælatorum noſtri ſacri Ordinis. Forſan erit huius rei ratio & cauſa, quia cum exemptionis priuilegio,conceſſum fuit etiam eiſdem,vt habere poſſent eo non obſtante, noſtrorum priuilegiorum communicationem, de quo non curo.

Secunda Concluſio.

Super Tertiarijs ſecularibus, Prælati noſtri Ordinis, non habent vere & proprie iuriſdictionem.

LOquendo de alijs Tertiarijs ſecularibus, & non vere & proprie profeſſis,ſuper ipſos non habent Prælati ſacri noſtri Ordinis,proprie & vere iuriſdictionem. Hæc concluſio eſt expreſſa Collectoris priuilegiorum,vbi ſupra,poſt §.24.innotabilibus, ibi, *quoad primum gradum Tertiariorum*, quam & probat,nam ij non conuertuntur in perſonas Eccleſiaſticas,ſed remanẽt vt perſonæ mere ſeculares;ex quo infert,quod reſpectu eorundẽ, non extenditur iuriſdictio & gubernatio,Fratribus Minoribus ſuper Tertiarijs commiſſa & conceſſa,ac pro tanto (inquit) quod Bulla Eugenij IIII. quæ dat prædictis Fratribus Minoribus iuriſdictionem ſuper Tertiarijs extra communitatem viuentibus,debet intelligi de illis,qui fecerunt profeſſionem in cõmunitate, & poſtea aliqua iuſta de cauſa,viuunt forſan extra illam. Et addit, quod ſi forte reperiretur aliqua Bulla,quæ conferret expreſſe iuriſdictionem nobis Fratribus Minoribus,ſuper prædictos Fratres Tertiarios, qui manent in ſeculo,cum vxoribus & filijs,aut alio ſimili modo,reputãda eſſet tanquam ſubreptitia, vtpote quæ videretur eſſe contra puritatem noſtræ Regulæ & profeſſionis. Nam cum Tertiarij de quibus loquimur,non ſint perſonæ Religioſæ,ſed mere ſeculares,non poteſt(inquit) conuenire ſupradictis Fratribus,ſuper illos habere iuriſdictionem.

Qualiter ſe habere debeant Minores Fratres,circa gubernationem Fratrum Tertiariorum ſeculariũ.

Tantum modo ergo habemus nos Minores Fratres,ſupra eiuſmodi Tertiarios,poſſe facere quandã diligẽtiã,& habere eorundem curã ſpiritualẽ, pro meliori ac maiori directione animarum ſuarum,audiendo ipſorum confeſſiones,& conferendo illis Sacramentum Euchariſtiæ, frequentius quam alijs fidelibus,nec non communicando eis aliquas indulgentias,& peccatorum remiſſiones, & alia ſimilia ſpiritualia,quemadmodum fit Confratribus & Oblatis noſtri ſacri Ordinis. Et adhuc,inquit,Collector nõ habemus tãtã auctoritatẽ, ſuper huiuſmodi Tertiarios,ac ſuper Oblatos perpetuos,niſi ipſi ſimiliter ſe offerrẽt & donarẽt in forma iuridica,nec tunc eſſet etiam,niſi quædã obligatio mutua & reciproca,ſine præiudicio decimarum,vectigalium & tributorum, ac iuriſdictionum Eccleſiaſticarum ſiue ſecularium,quibus manent ſemper obligati,vt alij mere ſeculares, iuxta determinationem Concilij Lateranenſis ſuperius citatam. Prædicta omnia ſunt Collectoris priuilegiorum,& quidem multum notanda ac memoriæ commendanda.

Inſuper aduertendum eſt,quod ab huiuſmodi Tertiarijs ſecularibus,non poteſt à nobis Fratribus Minoribus,recipi aliquod votum Religionis, ſed ad pluspoteſt fieri quædam acceptatio,ſeu admiſſio,ad ſupra dictam Tertiam Regulam,exhortando illos quod eam obſeruent,& adiuuando eos in confeſſionibus,& alijs ſpiritualibus prout dictum eſt,ſicut alijs Confratribus Ordinis. Poſſunt tamen huiuſmodi Tertiarij,ad inſtar modi, qui obſeruatur communiter in Confraternitatibus,habere veluti Superiores aliquos ex ſe ipſis, qui nominentur Miniſtri,ſeu Oeconomi,vel alio nomine,vt eorum curam habeant, ad conuocandum eos,vel etiam corripiendum & puniendum fraternaliter,ſi deliquerint. Hæc etiã habẽtur ex Collectore vbi ſupra.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrũ nũc inueniãtur in Hiſpaniarum partibus, aut recipi poſsint, huiuſmodi Fratres et Sorores Tertiariæ ſeculares

ANte quam ſuprapoſito Articulo reſpondeam, eidemq; reſolutiuam concluſionem adhibeã, adnotare libet ex priuilegiorũ Collectore, non reperiri aliquod Breue ſeu Bullã, conceſſam nobis Fratribus Minoribus, aut Prædicatoribus, circa iſtã materiam, vt ſcilicet poſſemus recipere aliquos Fratres vel Sorores, qui dicerentur Tertiarij ſiue de pœnitẽtia, & in proprijs domibus habitarent. Sed quamuis huius rei, pro noſtro aut Prædicatorũ Ordine, nõ habeatur aliqua Bulla, ſeu Breue aliquod expreſſum, vt id facere poſsimus, ſufficit, ſuperq; ſatis eſt, antiquiſsima conſuetudo, qua ab vtriuſq; horum ſacrorum Ordinũ, exordio & principio, ſemper fuit in praxi, & conſuetudine poſitũ, habere huiuſmodi Tertiarios Fratres, & Sorores. Præter quam quod in Bulla, quæ hac de re haberur pro Auguſtinianis, eiuſmodi conceſsionis, ſeu permiſſionis fit mentio expreſſa, vt videre eſt in Monumentis, ordin. ſecũdæ impreſ. fol. 177. conc. 412 & fol. 246. conc. 596. & 597. vbi dicitur, quod. *Eugenius IIII, & Martinus V. confirmauerunt literas Bonifacij IX. inſerendo illas de verbo ad verbũ, in quibus conceditur, quod Generali, & cuilibet officiali, Prioribus Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, in quibuſcũque Prouincijs conſtitutis, licitũ ſit, quaſcũque mulieres, idoneas, aliquod Canonicum obſtaculum non habẽtes, quæ habitu Regularẽ dicti ordinis, ad inſtar mãtellatarũ, ſeu pinzochoraru, Ordinũ Fratrum Minorũ, & Prædicatorum habere ac geſtare voluerint, tã virgines quã matrouas, ac viduas, in mantellatas ſeu pinzochoras prædicti Ordinis Eremitarum, recipere, & admittere, ac earũ ſingulis habitũ Regulirẽ eiuſdem Ordinis Eremitarum exhibere, ad inſtar huiuſmodi Mantellatarũ, ſeu pinzocherarũ Ordinum Fratrũ Minorũ, et Prædicatorũ præfatorũ poſsint, prout ſecundũ Deũ, ſaluti animarũ earundẽ ſalubrius vi-ſum fuerit expedire.* Ex hac conceſſione ſatis cõſtat, qualiter ante conceſſionem prædicti priuilegij, Fratres Minores & Prædicatores, habere huiuſmodi mulieres, dictas Mantellatas, ſeu Pinzochoras, ſeu quocũque alio nomine nuncupentur, iam erat in conſuetudine poſitũ. In Italia dicũtur Bizochæ ſiue Pinzochoræ, in Hiſpania Beatæ, apud Auguſtinianos Corrigiatæ, pro eo quod corrigiã ipſius Ordinis portant, ſed apud nos cõmuni vocabulo Mantellatæ dicebãtur olim, quia deferebant mantellũ cinerei coloris, ad inſtar coloris habitus noſtri ſacri Ordinis. Addo, quod dato caſu, quod ſupradictæ Auguſtinianorũ literæ, nõ fuiſſent emanatæ, adhuc ad id extat priuilegiũ Sixti IIII. cõceſſum Fratribus Carmelitis, quod habetur in Monumentis Ordinis, 2. impr. fol. 184. conc. 462. item 1. impr. f. 97. & 2. fo. 180. conc. 426, & refertur in Comp. *verbo, Tertiarij Fratres, et Sorores*, §. 26 & 27. vbi hoc ipſum expreſſe cõceditur, cuius cõmunicatione, huiuſmodi mulieres poſſunt recipi ab omnibus, qui priuilegiũ habent cõmunicationis. Quo præmiſſo notabili, ſuprapoſito Articulo, breuiſsime reſpõdeo, per ſequẽtẽ cõcluſionẽ.

Nota qualiter ante conceſsionẽ huiuſmodi priuilegij, Fratres minores Prædicatores habere Tertiarios, iam erat in conſuetudine poſitam.

In Hiſpaniarũ partibus, nimis florẽt prædicti Tertiarij ſeculares, quamuis eos recipere, olim fuerit prohibitum.

Concluſio

QVãuis prohibitum fuerit in Hiſpania olim, recipi atq; habere huiuſmodi Fratres Tertiarios, & Sorores ſeculares, per noſtras Cõſtitutiones generales Toletanas factas, anno 1585. poſtea tamen cõtrarijs ſtatutũ fuit in alio Toletano capitulo, celebrato anno 1606. idq; iuſtiſsimis de cauſis. Qui hac de replura videre voluerit, eaq; nota tu digniſsima conſulat libr um quem nuper de prædictis Tertiarijs feci, Hiſpano ſermone cõſcriptũ, vbi ni fallor adinuenire licebit omnia, quæ ad hoc propoſitũ poſſunt deduci. Cõſulat etia Cõpẽdiũ noſtrorũ priuilegiorũ, *verbo, Tertiarij Fratres, & Sorores*; & ibi Collectorẽ, vbi plura dicit, eaq; notatu digniſsima, de principio & progreſſu ipſorũ, et de priuilegijs eiſdẽ cõceſsis de, multipli cidifferẽtia etiã quæ fuit olim circa hoc, & rebus ad huius argumenti genus ſpectantibus, quæ pro ſito art. & tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XXXVII.

De officio diuino, & obligatione recitãdi ipſum & horas Canonicas, in viginti Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit diuinum officium, & vnde ortum habuerit, & originem

Prima Concluſio.

Officium diuinum, dicũtur horæ Canonicæ ab Eccleſiaſticis viris ex præcepto Eccleſiæ recitãdæ.

OFficium diuinum, dicitur ſeries horarum Canonicarum, à cunctis Eccleſiaſticis & Religioſis viris, ex præſcripto Eccleſiæ, certis temporibus recitandarum, ex antiquiſsima Patrum, & Apoſtolorum traditione, & eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ inſtitutione. Hæc Concluſio, eſt exacta & præſtantiſsima diuini officij diffinitio, qua Canonicæ horæ & preces Deo fiendæ, in quibus ipſius diuini officij ratio cõſiſtit, pariter comprehenduntur, ſimulq; fit mentio de antiquiſsima earumdem inſtitutione. Dicũtur autem prædictæ preces Deo factæ, *horæ*: vt dicit Nauar. capitul. 3. de oration. & Canonicis horis, numer. 26. nõ quidem ab *orando*, vt quidam perperam dixerũt, nõ attẽdẽtes, quod *hora*, ſit nomen, & ſcribatur, cum *H*, quæ eſt aſpirationis no-

ta, *oro vero, oras*, quod eſt verbũ ſine illa: ſed quia abinitio certis quibuſdam horis, fuerunt deputatæ, atque deſtinatæ, à quibus etiam & deſumpſerunt nomen. Quæ quidem horæ ſunt matutinum, Laudes, Prima, tertia, ſexta, & nona, Veſpertinum, & Completorium quibus totum diuinum officium, nocturnum pariter atque diurnum, cõprehenditur. Eiuſmodi autẽ horæ ſiue preces, pro eo etiam dicuntur Canonicæ, quia fiunt iuxta præſcriptũ ſacrorũ Canonũ ac ſecundum Regulã, ibidem à ſanctis Patribus traditã (Canon enim Græce, idem eſt, quod Latine Regula, vt habetur in *c. Canon diſt. 3.*) Quibus etiã addi poteſt, alia peculiaris ratio, & ea eſt, quia omnes, qui ex ſacris Canonibus recitare obligantur, ad eaſdem recitandas tenentur, & hæc dicta ſufficiant circa diuini officij diffinitionem.

Secunda Concluſio.

Huiusmodi diuinũ officiũ nõ eſt aliquod humanum inuentũ, ſed cæleſte inſtitutum, ordinatum, adinſtar eorũ quæ in ſacra pagina ſcripta Reperiuntur.

HIuiſmodi diuinum officium, quod ſupradictis Canonicis horis continetur, non eſt aliquod humanũ inuentum, quinuero cœleſte quoddam inſtitutum, è cœlo diuinitus inſpiratum, & ordinatũ, ad inſtar eorum quæ in ſacra pagina reperiũtur. Hæc cõcluſio ſtatuitur contra impijſſimum, atq; blaſphemum Lutherũ, & alios noſtri huius, quin vero & antiqui temporis hæreticos, perperam affirmantes, ritũ quem in diuinis officijs dicendis, & horis Canonicis decantandis, ſacra noſtra nunc obſeruat Eccleſia, non eſſe rẽ Deo charã & gratam aut diuinitus inſpiratã, ſed papiſtarum inuentum vt ipſi aiunt. Hunc errorẽ quem admodum & multos alios deſumpſit prædictus Lutherus, ſacrilegus, diaboli ac totius perditionis filius ex Vvaldẽſibus, quibus AEneas Syluius libro quẽ inſcripſit de Origine Bohemorũ, inter plures, hunc etiã impingit, inuerecunde vt dicerent, in horis Canonicis decantandis, ac diuinis officijs dicendis, fruſtra à nobis teri tempus. Quem Vvaldẽſiũ errorẽ, vt inquit Thomas Vvaldenſis, in initio quinti ſui tomi de Sacramẽtalibus, ſuſcitauit poſtea Ioannes Vviclef, qui dicere non erubuit, q̃ quamuis vtcunq; Deũ orare, ac diuinas eius laudes perſoluere, non ſit malum, quin vero bonum, non tamen eſt æquũ aut conueniens, quod in eo faciẽdo arctetur quiſpiã, ad hoc vt oret certo & determinato tempore, ſed liberũ debere eſſe cuilibet, vt oret vel non oret, ſi voluerit aut quãdo voluerit, & contrariũ repugnare dicebant, hominũ libertati, quaſi Chriſtiana libertas in eo ſita eſſet, vt nulli diuinæ aut humanæ Chriſtiani ſubijciantur legi. Vt autem iuxta propheticũ dictũ, obſtruatur os loquentiũ iniqua, conſtet q; omnibus, peruerſorum horum hominũ cogitationes, quam vanæ ſint, in hoc & ſequentibus articulis, breuitate qua nitor, conabor pro viribus, nõ nullis rationibus oſtendere, & probare, Ritũ quem in hiſce rebus noſtra ſacra ſeruat Eccleſia, in perſoluẽdo diuino officio, ac diuinis laudibus ordinate decãtandis, non Papiſtarũ eſſe placitum, vt perquã inuerecundẽ affirmat Lutherus, alij q; hæretici, ſeu aliquod humanum inuentum, quinuero rem anti quiſſimam, & practicatam, iam inde ab Eccleſiæ naſcentis exordio, & à tẽpore ſanctorum Apoſtolorum, cuius & in ſacra pagina frequentiſſima habetur mentio, tãquã de traditione cœleſti, Deo chara & grata, ac diuinitus inſpirata. Et vt ab ſtatuto & determinato tẽpore orandi, ſumamus exordiũ, non ſatis, quinuero neq; à primis labijs diuinã Scripturam ſalutauit, qui eius rei non plura ac fere innumera adinuenit teſtimonia. Et vt plures alios prætereã, de Daniele Propheta refertur in ipſius hiſtoria, quod diuino appulſus lumine. *Ingreſſus Domum ſuam, apertiſque feneſtris in cenaculo contra Hieruſalem, non ſemel, ſed tribus ſemper temporibus in die, flectebat genua ſua, & adorabat Deum, confitebaturq; Dño Deo ſuo, ſicut & antea facere conſueuerat.* Verba ſunt expreſſa. In quibus ad noſtrũ propoſitum, ſpecialiter veniunt notãda illa, quibus dicitur quod non ſemel, ſed ſemper in die, ſtatutis tribus tẽporibus flectebat genua ſua, & orabat, &c. Quid ad hæc dicẽt hæretici. Quid garrit Vviclef, murmuratq; Lutherus, contra noſtrũ orandi modum, & ritum quem in dicendis, atque decantandis horis canonicis, noſtra nunc ſeruat mater Eccleſia? Nonne vident in ſacra pagina, à ſanctis Patribus ſtatutũ & determinatũ certũ orãdi tẽpus, idq; poſitũ fuiſſe ab eiſdẽ in conſuetudine? Quid enim aliud ſignificãt verba illa, *ſicut et antea facere conſueuerat?* Afferamus aliud ad idem ſacræ Scripturæ teſtimoniũ, ſitq, illud de Dauide Regio Pſalte: de quo in libris Paralip. & in Pſalmis ſæpiſſimẽ, atq; frequentiſſime legitur, quod medijs noctibus, ſurgebat ad confitẽdũ Dño, atq; in Die ſepties etiã laudẽ dicebat illi. Quinuero neq; cõtentus idipſum per ſemetipſum feciſſe, omnes inuitabat & prouocabat ad ſimile, ac dicebat. Benedicã Dñm in omni tẽpore, ſemper laus eius in ore meo. In Dño laudabitur anima mea, audiant mãſueti, & lætẽtur. Magnificate Dñm mecũ, & exaltemus nomen eius in idipſum. Et vt oſtendatur ſummã quã habebat curã, dicitur de eo, quod plurimos facer dotes, leuitas, & cantores inſtituit, plurimoſque templi miniſtros, haud minus quatuor millia numero, qui die noctuq; diuinis laudibus decãtãdis, inceſſanter incũberent, hoc ordine, vt ſingulis horis, ſingulares etiã cantores eſſent conſtituti atq; aſſignati, qui per vices ſuas in eo officio & munere, ſemper eſſent occupati, & ab hoc ſancto atque laudabili exercitio, nũquã deſiſterẽt, Quid ergo dicũt Hęretici de pſallendi, & orãdi ſtatuto & determinato tẽpore? Sed quid moror, in re adeo clara & manifeſta, plura dicere, deficiet certe tẽpus enarrantem, ſi quæ de hoc argumenti genere dici poſſent, referenda forent ad vnguẽ. Sed faciamus miſſa Veteris teſtamenti teſtimonia, & veniamus ad Nouũ, & tẽpus legis gratiæ, quod quã gratiſſimo cœpit, aduentu Chriſti Dñi & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, vbi etiam quam plurimis ac fere innumeris exemplis, & teſtimonijs ipſius, & Sanctorum ſuorum Apoſtolorum, eadem veritas, comprobari, & illuſtrari poteſt. Satis ex Euangelijs conſtat, quod inceſſanter Chriſtus Dñs orabat, & orationi incumbebat, ſed habebat nihilominus in id præcipuum atq; determinatũ tẽpus, vtpote magis cõmodũ, medijs noctibus hinc de illo dicitur, Luc. *6. quod exibat in montem ſolus orare, & quod erat illic pernoctans in oratione Dei* D. etiam Ioannes Euangeliſta de eo, dicit capitul. octauo, *quod per rexitin montem Olineti, orare,*

1. Paralipon. capit. 23. 24. Pſalm. 118.

orare, & quod valde diluculo iterum venit in templum, Quid clarius dici potuit, aut quæ maior confuſio pro hæreticis, irridentibus & ſubſannãtibus, orãdi & laudandi Deum ſtatuta, & determinata tempora? Quod Chriſti Domini exemplum, ſancti ſui Apoſtoli, & diſcipuli imitantes, idipſum indeſinẽter faciebant, atque ſtatutis horis, in templum ad Deum adorandum, die noctuq; conueniebant, vt expreſſe habetur in ipſorum Actibus, nam ca. 3. dicitur, *quod Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*, & c. 10. *quod Petrus aſcendit in ſuperiora vt oraret, circa horã ſextam.* Ex quibus locis, ſuper illa verba circa horam ſextã, & circa horã nonã ſuper ſatiſq; colligitur quod olim etiã ante tẽpora Chriſti Dñi & ſanctorũ Apoſtolorũ, apud antiquos Iudæos erãt ſtatuta tẽpora & in hũc finẽ deſtinatæ & determinatæ horæ, ad laudã dũ Deum & vacandum orationi. Quã ſemper conſuetudinem, obſeruauerunt ſancti Apoſtoli, à quibus ab Eccleſiæ naſcetis exordio, hæc orandi determinata tempora, ad nos vſque peruenerunt, & inceſſanter proceſſerunt, abſque vlla intermiſſione, vt conſtat ex Eccleſiaſticis hiſtorijs, & ex innumeris Concilijs, & ſanctorum Patrum teſtimonijs. Ex Conc. Ag. can. 8, Turo. can. 14. Laod. can. 15. Carth. c. 10. Aquiſgra. cap. 132. & 133. & ex Diuo Clemẽte Alexand. de conſtitutionibus Apoſtolicis, Caſſian. lib. 3. de inſtit. Monach. c. 4. Iſidoro lib. 1. de officijs, c. 23. atque etiam ex D. Hieronymo, Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, quorum omnium teſtimonia, cum facile poſſem referre, breuitatis gratia in præſentiarum facio Miſſa. Quod cum ita ſit, perperam & abſque vlla prorſus ratione & cauſa, garriunt hæretici, & huiuſmodi horarum, determinatum numerum, & orandi præfixum tempus condemnant, dicentes non eſſe rem Deo charam, & gratam, neq; antiquam, ſed nouam, quinuero humanũ & Papiſtarũ inuentum. Deberent potius fateri, vt & nos diximus in ſupradicta concluſione, poſtquam id conſtat adeò expreſſe, ex tot tantiſq; ſacræ Scripturæ adductis teſtimonijs, tantis Concilijs, & tantorũ Patrum auctoritatibus, diuinam eſſe inſtitutionẽ, & rẽ à Deo Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ ſanctæ diuinitus inſpiriratam, ordinatam & inſtituta, ad inſtar eorũ, quæ habentur & referũtur in Scripturis, & iuxta illud quod conſtat feciſſe olim antiquos Patres, Patriarchas, & Prophetas, quinuero & Chriſtum Dominum, & ſanctos eius Apoſtolos, atque diſcipulos, vt in vtriuſq; teſtamenti ſacra pagina, ſatis expreſſe habetur.

ARTICVLVS II.

Quotnam ſint horæ canonicæ, ab Eccleſiaſticis & Religioſis viris recitãdæ?

Duæ ſũt hac de re opiniones.

Prima opini.

HAc dere, duæ comuniter circunferuntur DD. opiniones. Prima eſt, quam tenet gloſſ. *in clem. 1. de celebr. miſſarum*, & eſt comunior, aſſerentium ſeptem tantum eſſe horas canonicas, nempe Matutinum ſiue temporis Matutini hora, prima, tertia, ſexta nona, Veſperæ & Cõpletorium, vt omnibus ſeptem diei tẽporibus, laudes Deo dicamus, iuxta illud Regij pſaltis, Pſalm. 118. *Septies in die laudẽ dixi tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Quam etiam ſuam opinionem confirmant, quia (inquiunt) per ſeptem prædictas horas canonicas, repræſentãtur myſteria omnia Dominicæ paſſionis, contenta in illo ſenario, ſatis memoria digno & à cũctis laudato, quod refertur à gloſ. *in d. clem. 1. de celebratione miſſarum*, & eſt tenoris ſequentis.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis,
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima replet ſputis, cauſam dat tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus eius nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo completa reponit.

Ioannes Caſſia. lib. 3. de inſtitutis Monaſt, c. 3. Gabriel ſuper canon. lect. 15, eidem opinioni & ſententiæ adhærentes, dicunt propterea ſeptem eſſe eiuſmodi horas canonicas, atque Eccleſiam ſepties in die ſpecialiter orare ſemper conſuetã fuiſſe, vt mundi repræſentaret creationem, ſeptẽ diebus fuiſſe factam & completam, & humani generis redemptionem, ſeptem etiã horis cõſummatã.

Secunda opinio.

Sed alia eſt aliorum opinio, aſſerentium prædictas horas canonicas eſſe octo, diuidunt enim Matutinum in tres nocturnos, qui durant vſque ad Laudes, quæ etiam durant vſque ad primam, atq; in primã, tertiam, ſextam, nonã, Veſperas & Cõpletorium. Hanc opinionẽ tenet Archidiaconus, *in cap. presbyter, 91. diſt.* & D. Antoninus 2. part. ca. 14. §. 1. Separant iſti Auctores, Matutinum à ſeptẽ horis, aſſerendo laudes eſſe primam horam diei artificialis. Et quia hæc opinio magis placet, propter appoſitiſſimas atq; efficaciſſimas rationes, quas pro ſe habet, de ea ſequẽtẽ ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Quod octo ſint horæ Canonicæ, ſeptime atq; congruentiſſime ſuſtineri poteſt.

QVod octo & non ſolum ſeptem, ſint horæ Canonicæ, ſine præiudicio alterius opinionis, ſatis optime neque incongrue ſuſtineri poteſt. Probatur hæc Concluſio: primo, ex facto & expreſſa auctoritate Regij pſaltis, qui quidem poſtquam de ſeipſo dixerat, Pſalm. 118. Quod media nocte ſurgebat, ad confitendum Domino, tandem ſubdit, quod ſepties in die, laudes dicebat illi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. Quaſi expreſſius diceret, quod in nocte & die, non ſolum ſepties, ſed & octies; confitebatur Domino Deo ſuo, & laudabat ipſum. Quod & confirmari, comprobariq; optime poteſt, ex Concilio Agathenſi, relato in ſupradicto, *c. presbyter 91. diſt. & c. 1. de celebratione miſſarum*, vbi prædictæ horæ, prima, tertia, ſexta, nona, & veſperæ & Completorium, à nocturno officio diſtinguuntur & ſeparantur, & dicitur quod de ſeptem diei horis, intelligatur illud Prophetæ, ſepties in die laudem dixi tibi; de nocturnis autem vigilijs, quod idem ipſe ait ibidem, media nocte ſurgebã ad cõfitẽdum tibi. Sed quod laudes à nocturnis matutinis ſeparentur, ac debeat diſtingui & ſeparari, probatur expreſſe, & eſt ciuſdẽ rei quãmaximũ indiciũ nã ex antiquiſſima Eccleſiæ cõſuetudine, ad laudes quaſi ad quãdã nouam horam, de nouo pulſantur cymbala, & cũ ipſas inchoamus, de nouo dicimus, iterumq; repeti

mus,Deus in adiutorium meum intende, quod eſt omnium horarum initium.Habent etiam laudes proprios pſalmos,proprias antiphonas, peculiaria capitula,proprium Hymnũ, propriamq; Orationem Quid igitur eis deficit, vt non particularis hora,ab alijs diſtincta dicantur,congruentiſſimeq; dici poſſint?His omnibus addo, quod in die Natiuitatis Dominicæ,inter prædictos tres nocturnos & laudes, miſſa quæ dicitur Gallicana, ſeu mediæ noctis cantatur, celebratur atque interponitur.Et præterea, ex præſcripto Eccleſiæ, in quadam rubrica Miſſalis Romani,nuper reformati, ſtatuitur quod miſſa (matutino ſaltim abſoluto) dicatur, quod quidem Eccleſiæ ſtatutum, diſtinctionem facit,aut ſaltim facere videtur,inter matutinum & laudes:Quibus,& fauere etiam videtur,antiquiſſimaEccleſiæ conſuetudo, nam vt inquit D.Iſidor.lib.de officijs eccleſ.c.19. & Thomas Vvald.lib.de ſacramentalibus,ca.24. olim tres nocturni,dicebantur in tribus vigilijs, ſiue tribus noctis partibus, diuidendo eam, more militari ſolito,ad agendas excubias: laudes autẽ canebantur in quarta vigilia,& poſtmodum deſtinatis temporibus,dicebantur per Ordinem aliæ diei horæ.Conſonat præterea,huiuſmodi orandi modus,in octo horas diuiſus,præcepto & ſtatuto, quod Eſdras legitur ordinaſſe olim,vt habetur in eius ſecundo libro c.9.nempe vt antiqui Iudæi,à Babylone in Hieruſalem recenter reuerſi, octoties quolibet in die,Deo pſallerent,in die inquã naturali, quater die quaterque nocte. Quod & nos etiã facimus,ſi tribuamus nocti, veſperas,& completorium,matutinum,& laudes, diei vero, primam,tertiam,ſextam,& nonam Qua de re videndus eſt Guillelmus Durandus in ſuo Rationali,lib.5.tit.de Laudibus,&D.Anto.2.p.tit.9.c.12. §.& ſupradictus Archidiacon.*in d.c..presbyter.91. diſt.*& poſt omnes Nauar.lib.de horis Cano.ca.3. num.18.Et hæc dicta ſufficiant pro iſto Articulo.

ARTICVLVS III.

De congrua Horarum canonicarum, inſtitutione ac diuiſione.

Concluſio.

Conueniẽtiſſimũ fuit, vt ad Deum laudandum, ſpeciales eſſent conſtitutæ, atque determinatæ horæ.

CONgruentiſſimum atque conuenientiſſimum fuit,vt ad Deum laudandum, ſpeciales eſſent conſtitutæ,& determinatæ horæ.Hæc cõcluſio iam aliqualiter conſtat ex ſupradictis.Sed nunc ſupereſt dicamus,quo fine ſancti Apoſtoli,atque primitiuæ Eccleſiæ fideles & alumni,idipſum ſtatuerunt,& determinarunt.Dico ergo quod cum videret ſancti Apoſtoli,& primitiuæ Eccleſiæ antiqui fideles,dixiſſe Chriſtum Dominũ, Redemptorem & Seruatorem noſtrum & magiſtrum omnium,præſtantiſſimum,Luc.18.oportere orare ſemper, & nunquã deficere,ac iuxta conſilium ſiue præſcriptum D. Pauli 1.ad Theſ.5. orandum eſſe ſemper, ſine intermiſſione:non valentes intelligere, propter humanam fragilitatẽ,neceſſitates hominũ varias,& continuas occupationes,qualiter id fieri poſſet, cum temporis aliquid eſſet indulgendum, & concedendum corporis refectioni, aliquid ſomno & ſimilibus:quo ardebant ſemper orandi deſiderio ac Chriſto eidem,in omnibus obſequendi, atque obtemperandi, ſtatuerunt, & determinauerunt, peculiaria quædam,diei ac noctis tempora, quæ orationi ſemper deſtinata forent, eundem diem, noctemq; in octo partes diuidentes,in quarũ qualibet omnes(ſed præſertim ſacerdotes) Eccleſiã adibant,orationi & contemplationi vacabant,& diuinas laudes canebant,atq; ad modũ militum, excubias facientium,ſeu nautarũ & eorũ,qui nauigant mare,noctem in quatuor partes,ſeu ſtationes nocturnas(quas vigilias appellabant) diuidebant,earũ ſingulas tribus durantes horis,quæ faciunt duodecim.Ex quibus tres primæ, incipientes ab occaſuSolis,quãdo ſopor & ſomnus,vtplurimum cubare cogit homines,primam vigiliã appellabãt,ſecundam vero,tres deinde ſequentes cõplectẽtem horas vſq; ad mediam noctẽ:media autem nocte vſq;ad tertiam horam,cõputabatur tertia vigilia,& quarta denique, vſq; ad mane di luculũ,quod communiter dicitur ſexta hora,noctẽ compurando Hiſpanorum more.Simili quoq; ordine,diem etiã in quatuor partes diſtribuebãt. Quarum prima,quæ incipiebat à ſupradicta hora ſexta,vſq; ad nonam,dicebatur prima,quã ſubin de ſubſequebatur tertia,quæ & durabat à dicta hora nona,vſque ad duodecimam, à qua incipiebat ſexta,quæ & finiebatur in hora tertia pomeridiana,quæ erat principiũ horæ nonæ,quæ peracto ſuo circulo, poſt horarum trium ſpatiũ terminabatur,atq; ita cõplebatur vnus artificialis dies vigintiquatuor horarum.Hoc igitur modo antiqui illi Patres primitiuæ Eccleſiæ,noctem diemq; partiebantur & diuidebant,neq; vlla erat ex ſupradictis horis,in qua ipſorum aliqui,diuinis laudibus decantandis non incumberent,vacarentq; orationi,ſed ſpecialiter de nocte.Et dicit D.Iſidorus, libr.1.de diuinis officijs, capitul.23. & Thomas Vvaldenſis de ſacramentalibus, capitul.24. quod in ſingulis tribus vigiliis, quæ ternis (vt dictum eſt) conſtabant horis , pronunciabant atque dicebant ſingulos nocturnos , in prima dicebatur primus , in ſecunda ſecundus , in tertia vero tertius , ac deniq; mane diluculo , in quarta vigilia,omnes ad cõcinendum diuinas laudes, ad Eccleſiam ſimul conueniebant , imitantes id, quod olim diximus ordinaſſe atque ſtatuiſſe Eſdram,lib.2.c.9.Vltra vero dicta,quæ de nocte faciebant,ſimili quoque modo in die,pronunciabãt primam,tertiam,ſextã,& nonam,veſperas atque Completorium ſingulas horas ſeparatis temporibus,ſingulariter dicendo & pronunciando.Neque deſunt Actores graues qui aſſerant,quod Patres antiqui,ter in vna quaque nocte,ad orandum aſſurgebant,iſti vel illi, ad hunc modum. Prima noctis vigilia quãdo plebs omnis dormiebat,ſurgebant ſoli Clerici,qui & propterea tempeſtiue cubabant.Poſt mediã vero noctem , Clerici & cõiugati,tã fœminæ quã mares.Ante vero quam eluceſceret,omnes vtriuſq; ſexus , toluti , pueri & puellæ, teſtate id Coſma,libro illo quẽ edidit, de modo,quo horæ ſunt recitãdæ,*verbo officiũ*.At poſtea,refrigeſcente charitate, cõcupiſcentia & malitia inualeſcente & creſcẽte,ob multa turpia

Qualiter antiqui Eccleſiæ Patres , diei ac noctis tempus diuidebãt

quæ

quæ paſſim in Eccleſijs, his nocturnis congregationibus fieri aſſuebant, antiqua illa ceſſarunt, & ſtatutum atque ordinatum eſt, vt clerici dumtaxat, noctu ad ſupradictas vigilias aſſugerent, ad diuinas canendas laudes, diuinumq; officium perſoluendum, non vero alij. Qui quidem mos, ſancta & laudabilis conſuetudo, in multis Eccleſijs Cathedralibus adhuc viget, ſed generaliter in omnibus Religionibus bene ordinatis, vſque hodie perſeuerat. De qua antiqua conſuetudine, & ſupradictarum horarum diuiſione, videatur doctiſſimus Doctor Nauar. libro, quem inſcripſit de Oratione, & horis canonicis, c. 3. à num. 30. vſque 50. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaq; notatu digniſſima. Videatur etiã ſapientiſſimus magiſter Soto lib. 10. de iuſtitia, & iure, q. 5. art. 1.

ARTICVLVS IIII.

Fueritne expediens, quod in Eccleſia ſancta noſtra, Matutinũ & Laudes, medijs noctibus canerentur, & dicerentur?

HAnc difficultatem moueo, in laudem huius antiquiſſimæ, multũq; Deo gratæ & laudabilis cõſuetudinis, expergiſcendi, vigilandi, atque medijs noctibus aſſurgendi, ad diuinas canẽdas laudes, orationi & contemplationi vacandum, & extollendũ & laudãdũ nomẽ Dñi. Haud enim defuere ex hæreticis olim, qui fãcto huic Religioſo exercitio veriti nõ fuerint detrahere, aſſerẽtes & dicẽtes, datam atque conceſſam fuiſſe à Deo hominibus noctem, ad ſomnum & ad quietem, non vero ad vigilandum & laborãdum. Qua quidem ratione, priſci temporis fideles, relictis ſtratis ſiue lectulis, totam aut ſaltem maiorem noctis partem, in oratione & contemplatione, diuiniſq; laudibus inſumentes, veluti ſubſannabãt atque irridebãt, & præterquam quod id facere ſuperfluum, vanum atque inane dijudicabant, proprijs ſuis factis, Chriſtianam Religionem, grauem, oneroſam, atque intolerabilem, eoſdem reddere dicebant. Hunc errorem Thomas Vvaldenſis, libro ſuo de ſacramentalibus c. 25. tribuit Ioanni Vuiclef, ſuiſque aſſeclis, & ſectatoribus. Sed D. Hieronymus in epiſtola ad Ruſſinum, tribuit ipſum alij hæretico nomine Vigilantio, qui aiebat, noctem in ſomno & quiete, non vero in vigilijs aut rebus pœnoſis, eſſe terendam & inſumendam. Quam ob cauſam idem D. Hieronymus, eumdem ſubſannando atque irridendo (Vigilãtij mutato nomine) Dormitantium appellabat, & dicebat, quod dum contra ſuum proprium nomen & vocabulum, adeo ardenter diligebat ſomnum, & vigilias execrabatur, non quidem Vigilantius, ſed vere Dormitantius veniebat nũcupandus. *Quid eſt* (inquit D. Hieronymus) *quod dormitare velit Vigilantius? et non potius audiat Saluatorem, diſcipulos ſuos increpantem, eo quod non potuerint ſecum vigilare, et dicentem, Matth. 26. Vigilate, et orate, vt non intretis intentationem?* Hæc D. Hieronymus. Ad oſtendendum igitur, quam ſit ſancta & laudabilis, quam Deo chara & grata, hæc conſuetudo vigilandi, ac medijs noctibus aſſurgendi, ad incumbendum diuinis laudibus, & quod non eſt res noua, ſed antiqua in Eccleſia, & quæ quammaximũ habet in diuina Scriptura fundamentum, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Conſuetudo, quæ viget in Eccleſia vigilandi, atque exurgẽdi medijs noctibus non eſt noua ſed antiqua, & quæ in Scriptura magnum habet fundamẽtum.

VIgilandi & aſſurgẽdi noctis tempore, ad laudandum Deum, ſancta & laudabilis conſuetudo, quæ viget in Eccleſia, non eſt res noua, ſeu aliquod humanum inuentum, quinuero antiquiſſima & quæ in Scriptura ſacra, veteris & noui Teſtamenti, quammaximum habet fundamentum. Hæc Cõcluſio adeo eſt clara, & manifeſta, vt fere nulla indigeat probatione, libet tamen illam illuſtrare, nonnullis petitis è ſacra pagina teſtimonijs. Facit in primis ad hoc, quammaxime illud quod habetur, Pſalmo 1. vbi Dauid Regius pſaltes, viri iuſti atq; timentis Deum, mores & conditiones deſcribens, inquit, *quod in lege Domini, erit ſemper voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Ac ſi ijs verbis expreſſus diceret, qui eiuſmodi eſt, non contentus diuinæ legis contemplationi vacare per diem, quod idipſum facere curabit etiam de nocte. Quod & ipſe ſuo exemplo, ſatis præſtitit ſemper, quãuis eſſet Rex, multiſque negotijs præpeditus & occupatus. Hinc erupit illa eiuſdem vox Dominum alloquentis, de qua ſuperius diximus: *Septies in die laudẽdixi tibi*, Pſ. 118 & iterũ: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ*, ibidem. Simile eſt etiam illud: *Dñe Deus ſalutis meæ, in die clamaui, et nocte corã te, &c.* & illud: *In die tribulationis meæ eum exquiſiui manibus meis, nocte contra eum* (ideſt coram eo) *et non ſum deceptus. Renuit conſolari ánima mea, memor fuit Dei, et delectatus ſum, et exercitatus ſũ, et defecit ſpiritus meus. Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, et non ſum locutus. Cogitaui dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, et exercitabar, et ſcopebam ſpiritum meum.* Quæ nam quæſo verba, apta magis ad hoc propoſitum adduci potuere, ad comprobandam prædictam cõcluſionẽ, & oſtendendum noſtrum intentum? Sũt hac de re, expergiſcẽdi vigilãdi, & aſſurgẽdi medijs noctibus, ſeu noctis quieto tẽpore, ad diuinæ orationi vacãdũ, diuinas canẽdas laudes, in Scriptura ſacra, ſed præſertim in Pſalmis, tot ac tanta teſtimonia, vt deficeret quidem tempus enarrantem. Qua propter, multis alijs, breuitatis gratia prætermiſſis, ſolummodo contentus ero, adduxiſſe illud Pſalmi 33. quo loco, prædictus Regius Pſaltes, diuino afflatus ſpiritu, omnes in vniuerſum Dei ſeruos, ad eundem laudandum inuitans, in ſequentia verba prorupit. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini. Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* Ac vt ne quæreretur ab eo, quo tẽpore, quaue diei naturali ſparte, gratior illi erit eiuſmodi occupatio, ſanctũve exercitiũ? Subdit, ac dicit, q; de nocte. *In noctibus* (ait) *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dñm*, & promittit

nihil minus, quam diuinam benedictionem, talia facientibus, adijciens. *Benedicat tibi Dominus ex Sion* (pro benedicet) *qui fecit cœlum & terram.* Omnia ista sunt valde notanda, ac memoriæ commendanda. Sed vt ne quis dicat, dicereue audeat, esse hæc veteris Testamenti testimonia, & quod in Nouo, non licebit similia reperire, secundam libuit hac de re apponere conclusionem.

Secunda Conclusio.

Sancta et laudabilis cõsuetudo, vigilãdi de nocte, desũpta fuit ex Euãgelio, ex doctrina et exemplo Christi Domini, et sanctorum Apostolorum,

SAncta & laudabilis consuetudo vigilandi, ad incumbendum & vacandum orationi, diuinas canendas laudes, & ad similia sancta & religiosa exercitia, desumpta fuit ex doctrina sancti Euangelij, atque ex exemplo Christi Domini, & sanctorum Apostolorum & discipulorum eius. Hæc cõclusio, est etiam certa & manifesta, possetq; comprobari fere innumeris testimonijs, sed breuitatis causa omissis alijs, dum taxat afferemus aliqua. Quam in Euangelio sint laudatæ, atque commendatæ, noctis vigiliæ, nemo credo est qui nesciat. Quis non audiat, continuas illas Christi Domini resonantes voces, apud Matthæum, c. 24. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, & adducta similitudine de iure addidit. *Illud autem scitote, quoniam si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domũ suã: ideo* (inquit) *et vos vigilate et estote parati, quia nescitis, qua hora Filius hominis venturus sit.* Et infra. *Beatus seruus, quem cũ venerit dominus eius, inueniet vigilantẽ.* Hæc apud Matthæum, & similia multa habẽtur apud Lucam & alios Euangelistas. Additur etiam incõmẽdationem vigiliarum prædictarũ, quod. *Si Dominus in secunda vigilia venerit et in tertia vigilia venerit, et ita inuenerit, beati sunt serui illi*, & postea ne quis à vigilijs prædictis vlla ratione se vellet excusare, subdidit, *quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate, etc.* Quid amplius dici potuit aut clarius? Neque solummodo verbo, Christus Dominus & Redemptor noster, vigilias in Euangelio commendauit, verum etiam & magis, proprio suo nos docuit exemplo. Legimus enim in Euangelijs frequentissime, eumdem pernoctasse, & vigilasse in montibus, & desertis de nocte, vt diuinæ contemplationi vacaret. Tale est illud Ioãnis 8. *Perrexit Iesus solus in montem Oliueti, vt oraret, & mane dilaculo iterum venit in templum.* Quorũ testimoniorũ, multa alia passim licebit reperire. Cuiusmodi viuendi modum, sancti sui Apostoli atque discipuli, strenuissime sunt semper imitati. Hinc est, quod D. Hieronymus explicans illa Matthæi verba, c. 25. *Media nocte clamor factus est*, &c. inquit, sanctos Apostolos & discipulos Christi Domini, semper consueuisse orare & vigilare, ac Deũ laudare medijs noctibus, id quod & fideles illius temporis facere docuerunt, ipsiq; obnixe illud semper obseruarunt, ex antiquissima sancto rum Apostolorum traditione. Ad hoc propositum facit, quod dixisse ferrur olim Plinius Iunior, quadam sua epistola ad Traianum, loquendo de antiquis Christianis illius temporis, *hanc sci licet solummodo fuisse summam suæ culpæ, siue erroris, quod soliti essent, ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secũ inuicem, et quod propterea necabantur & interficiebãtur.* Quin vero & Eusebius Cæsa. *lib. 2. suæ historiæ eccles. c. 17.* refert Philonem Iudæum, hoc ipsum attestantem, & dicentem de illis. D. etiam Isidorus lib. 1. suorum officiorum, c. 19. inquit, quod quia olim in primitiua Ecclesia, infestissimæ erant nocturnæ dæmonum incursiones & illusiones, sancti Patres antiqui sanctum & conducibile dijudicarunt, contra ipsas armari Christi fideles, nocturnis vigilijs & orationibus, atque inde ortum & originem habuisse, dicere nocturnum officium. Sed quam sit hæc hora appositissima ad laudandum Deum, diuinasq; laudes canendas, latissime tradit D. Ambrosius super Psal. 118. explicans illa verba: *media nocte surgebam ad cõfitendum tibi.* Inquit enim quod nõ inconsulto, neque casu dixit Dauid, *Media nocte, &c. tunc enim* (inquit) *feruet carnis illecebra, coquitur cibus, potusq; digeritur, qua nacta occasione tentator Diabolus multis tẽtamentis interdum carnem illidit, et animum occupat, cõtra quæ expediens erat armari, è contra vigilijs, et orationibus.* Verba sunt expressa D. Ambrosij. Sed quid de antiquorum Sanctorum patrum, & Religiosorum orationibus atque contemplationibus dicam? est ne aliquod tempus, orationi, meditationi, & cõtemplationi aptius, aut ab ipsis magis obseruatum, quam profundum silentium noctis? *Omnia tempus habent* (inquit Sapiens) *suis q; spatijs transeunt vniuersa sub Sole*, at experientia ipsa testante & ex antiquorum Patrum traditione atque virorum Religiosissimorum diuturna cõsuetudine, cõpertum semper extitit, quod cum vnaquæque mundi res, proprium suum habeat certum & determinatum tempus, silentij profunditas, & tranquillitas noctis, sanctissimo huic exercitio, orationis, contemplationis, atque meditationis, quã maxime congruit, & ad diuinas canẽdum laudes. Neque vero in hisce rebus, de nocte exerceri (vt perperam hæretici dixerunt) terere est tempus; quin vero ipsum, proprio suo aptare, atque applicare officio, & muneri. Non enim, vt ipsi docẽt & autumant, concessit nobis Deus noctis tempus, solummodo ad dormiendum, & ad indulgendum ventri & insumendum totum ipsum, in somno & quiete, sed potius, vt hac nacta occasione, mentis quieti, orationi, meditationi, ac rerũ cælestium, contemplationi vacemus, tunc scilicet, quando sensibus, alijsq; rebus à suo vsu cessantibus, mens ipsa introrsum est pacatior atq; contẽplationi aptior. Plura hac de re dici possent, sed hæc pro dicto Artic. dicta sufficiant.

De conueniẽtia horæ nocturnæ, ad orãdum et cõtemplãdum, Deo q; vacãdum.

ARTICVLVS V.

An fuerit expediens, vt in Ecclesijs supradictæ horæ, nocturnæ pariter & diurnæ, in choro alta & sonora voce, ab Ecclesiasticis & Religiosis viris canerentur & dicerentur?

Nota circa laudabilẽ consuetudinẽ canẽdi, et psallendi in choris, alta et sonora voce.

NIhil non faciunt, semper perfidi hæretici, vt irrideant, destruant, atque (si sibi liceret) è medio tollant, nostræ sanctæ Ecclesiæ antiquas laudabiles, con-

conſuetudines & traditiones. Sed inter alia, ſemper habuerunt exoſas, & inuiſas diuinas laudes, irriſerunt & ſpreuerunt, cantus ſiue cantica, quæ fiunt in Eccleſijs & in choris, a viris religioſis & Eccleſiaſticis. Hac de re multa, eaq; notatu digniſſima, dicit Pater Illephonſus à Caſtro, noſtri huius Salmanticenſis Conuentus, & Prouinciæ D. Iacobi, ac deniq; totius noſtri ſacri Ordinis, magnum decus & ornamentum, libro illo ſuo aureo, quē inſcripſit, aduerſus hæreſes, *verbo cantus*. Qui hæreticorū primus, ſubſannauit atque irriſit Eccleſiaſtica canta, fuit quidam Hilarius, de quo B. Aug. lib. 2. Retract. c. 11. mentionem facit, illiuſque errorem prodit, & creditur, quod fuerit ex hæreticis Arrianis, & de illorum numero, de quibus dicitur, quod canticis etiam ſacris detrahebant, pro eo quod in eiſdem Chriſtum Dominum audiebant laudari, quem ipſi alias, ſummopere deprimere cupiebāt. Vnde & D. Ambr. in quadā oratione de Baſilicis tradendis, quæ habetur in 5. libro ſuarum epiſtolarum, inuehens contra Augentium hæreticum, dixit, *quod cum Chriſtus Dominus laudatur, Arrianorum amentia verberatur*. Et addit, quod Geraſeni olim, præſentiam Chriſti ferre nō poterant, vt habetur apud Matth. c. 8. ſed iſti (inquit) peiores Geraſenis, nec laudationem Chriſti ſuſtinere poſſunt. Videbant, inquit, Geraſeni olim pueros, gloriam Chriſti concinentes atque extollentes, iuxta id quod ſcriptum erat in Pſalmo 8. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum et vltorem*, & irridebant ipſi, ætatulā fidei plenam, dicentes: Quid clamāt? Quibus & Chriſtus Dominus reſpōdit: *Si ij tacuerint, lapides clamabūt*. Quaſi diceret, clamabunt fortiores clamabūt & iuuenes, clamabūt & maturiores, clamabūt & ſenes. Supradicta verba ſunt D. Ambr. ſatiſq; ex eis conſtat, Arrianos olim, plurimū detraxiſſe laudibus Chriſti in Eccleſia decātādis. At credit prædictus Pater Ildephōſus à Caſtro, nō eoſdē murmuraſſe ex eo, quod decāntabant laudes, ſed quia decantabant illas Chriſto, quem ipſi infeſtiſſimum habebant, & qui in eorumdem opinione, non erat verus Deus, aut veri Dei Filius, ſed pura quædam creatura. Vnde, (inquit) ipſius laudes moleſte ferrent, etiam ſi non cantu, ſed ſolūmodo voce illas dixiſſent? Sed quid quid de hoc ſit, (non enim in hiſce rebus immorari volo, aut id facere per tempus licet,) eiuſmodi errorem ſupradicti Hilarij, qui Eccleſiaſticis cāticis abſolute detrahebat, poſtmodum ſuſcitauerunt Vualdenſes, exiſtimantes, atque dicentes, fruſtra tēpus in hiſce reb' teri. Quos poſtea ſequutus eſt Ioan. Vuiclef, qui adeo cantus Eccleſiaſticos exoſos habuit, illiſq; detraxit, vt cantantes in Eccleſia, *Sacerdotes Babal* vocare nō erubuerit, quibus cum clamore orantibus, dixiſſe fertur Elias Propheta olim, eoſdem veluti ſubſannando atque irridendo: *Clamate voce maiori, Deus enim veſter, forſan cum aliquo loquitur, aut in diuerſorio eſt, ſiue in itinere, aut certe dormit, clamate, vt excitetur*. Sic aiebant ſupradicti hæretici Ioannes Vuiclef, ipſiuſq; ſequaces & aſſeclæ, interpellandos eſſe eos, qui in Eccleſia, alta & ſonora voce canunt, & dicendos ſacerdotes Bahal, quoniam ſic clamant, ac ſi Deus dormiens illos non audiret, ipſorumq; vocibus à ſomno eſſet excitandus. Non eſt mei muneris atque propoſiti, in præſentiarum cum huiuſmodi perfidis hæreticis agere, aut diſputare, neq; enim eſt præſentis ſpeculationis, aut breuitas cui tantopere ſtudeo illud permittit. Et quamuis ex Catholicis, nullū eſſe credā, qui nunc hanc ſanctam antiquiſſimam, nimiumq; laudabilem Eccleſiæ cō ſuetudinem, audeat vllo modo condemnare, Libuit tamen in præſenti Articulo, prædicti erroris meminiſſe, vt rerum omnium, quæ ad hoc propoſitum diuini officij, atque Eccleſiaſticarum laudum materiam ſpectant, quoad maxime fieri poſſit, aliqualis ſaltem habeatur notitia. Vnde prætermiſſis ſupradictis hæreticis, propoſitæ difficultati, breuiter, & reſolutiue reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Sancta et laudabilis cōſuetudo. canendi in Eccleſia et decendi diuinū officium, alta et ſonora voce antiquiſſima eſt, et quæ in Scriptura ſacra magnum habet fundamentum

SAncta atque laudabilis conſuetudo, canendi in Eccleſijs, & pronunciandi diuinum officium in choris, alta & ſonora voce, & quod ſic horæ canonicæ, nocturnæ pariter atque diurnæ, dicantur ab Eccleſiaſticis, & Religioſis, viris, antiquiſſima eſt, & quæ in Scriptura ſacra quammaximum habet fundamentum, neque inutilis dici vllo modo poteſt, quinuero vtiliſſima atque expedientiſſima. Hæc concluſio adeo eſt certa & manifeſta, vt fere nulla alia indigeat probatione, quam vt ex Scriptura ſacra, aliquibus petitis locis illam illuſtremus, & mōſtremus atque oſtēdamus: id Deo Opt. noſtro Max. quammaxime eſſe gratum, inuectaq; atque introductam in Eccleſiam ſanctam noſtrā militantem, hanc antiquiſſimam & nimis laudabilem cōſuetudinem, ex exemplo & doctrina Chriſti Domini, & SS. Apoſtolorum, necnō ex eo, quod paſſim in eadem ſacra pagina refertur, fieri in cœleſti & triumphanti patria, ab Angelis & Sanctis. Et vt ab hoc vltimo exordiamur, de ſanctis Angelis, quod verſentur inceſſanter in cœlo in hoc ſancto exercitio, ſacræ Scripturæ expreſſa habentur teſtimonia. Quorum primum, & quidem ſatis inſigne, eſt ad hoc propoſitum, illud quod refertur apud Iſaiam, c. 6. vbi dicitur: *Vidiſſe illum, Dominum, ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & quod plena erat domus à maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum*. Et ſubdit: *Seraphim ſtabāt ſuper illud, ſex alæ vni & ſex alæ alteri. Duabus velabāt faciē eius, & duabus velabāt pedes eius, ac duabus volabant*. Vtque oſtēderet, quale erat ipſorum potiſſimum, præcipuum, atque cōtinuum exercitium, addit, *quod clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituū, plena eſt omnis terra gloria eius*. Similia verba reperire licebit, in Apocalypſi D. Ioan. Euangeliſtæ c. 4. vbi & ad maiorem eiuſdem rei exaggregationē, dicitur, *quod requiē non habebant, die ac nocte ſancta illa quatuor animalia*, (de quibus ibidē loquitur) *ſēper dicētia, Sāctus, Sāctus, Sāctus, &c.* Quid amplius in Eccleſiaſticorū canticorū laudē, aut maius dici potuit, quā eam eſſe ſanctorū Angelorū in cœlo, occupationem perennē, exercitium cōtinuū, cui addicti ſunt, & à quo nūquam ceſſant aut deſiſtūt, ſed inceſſanter eidem incumbunt? Super quæ loca ſunt multum notanda illa clamoris, verba, *cla-*

mantia, & dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. quæ licet non per loquutionis vocalis proprietatem, ſed tropice aut parabolice veniant intelligenda, multum tamen faciunt, ad confirmandam atque comprobandam, hanc alta & ſonora voce, canendi & cantandi, ſanctam & laudabilem conſuetudinem, quæ viget in Eccleſia. Sed vt non plus nimio, hiſce in rebus noſtra protrahatur oratio, affe ramus ſolum modo aliud teſtimonium ex nouo teſtamento, cum etiã ex veteri plura alia poſſemus adducere, & ſit illud, quod habetur apud D. Lucam. c. 2, vbi dum agitur de glorioſa Chriſti Domini Natiuitate, dicitur apparuiſſe ibidem eo tempore, ſanctos Angelos cantãtes: *Subito (inquit) facta eſt cum Angelo, multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cui non Eccleſiaſticorum atq; Religioſorum, erit quam gratiſſimũ, penes hoc ſanctum exercitium, ſanctos Angelos imitari, & diu noctuq; exerceri atque occupari, in hac ſancta, adeo Deo grata, & laudabili occupatione, canendi & pſallendi ac dicendi inceſſanter in choro diuinas Deo laudes? Et vt nõ quiſpiam ab eo, vllo ſe modo velit ſubtrahere, aſſerendo & dicendo, in ſacris concionibus aut Chriſti fideliũ audiendis confeſſionibus, præpeditum ſe eſſe & occupatum, audiat & aduertat obſecro, D. Paulũ de prædictis Angelis dicentem: *Omnes eos adminiſtratorios eſſe ſpiritus, in miniſterium miſſos, propter illos qui hæreditatem capiunt ſalutis,* quo nihilominus nõ obſtãte, nõ propterea ceſsãt à diuinis laudibus, in cæleſti patria decãtãdis, nec deſiſtũt vnquã à prædicto ſancto ſuo, atq; laudabili exercitio. At dicet quiſpiã: homo ego ſum, nõ vero Angelus, nec poſſum tot ac tãtis rebus incumbere, omniaue ſimul facere. Huic ipſe, Dauidem Regium pſaltem & Prophetam, non grauabor in æmulationem, ſiue exemplum adducere, qui quidẽ, licet eſſet Rex magnus, multiſq; occupationibus præpeditus, nihilominus tamẽ adiuinis laudibus, canendi, & pſallẽdi Dño nũquã deſiſtebat, & deſiderio excitãdi, & prouocandi omnes in idipſum, adeò Sancto huic exercitio erat addictus, vt fere videretur nihil ſe aliud curare aut facere, neq; alijs in rebus velle exerceri & occupari. Et prætermiſſis innumeris, hac de re quæ dici poſſent (deficeret enim tempus enarrãtem) hinc erupit illa eiuſdem vox: *Pſalm. 33. Benedicã Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: in Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen eius in idipſum.* & alibi: *Pſal. 83. Cor meum, & caro mea exultauerũt in Deum viuum.* Sed miſſa hæc facientes, vt huic rei vltimam imponã manum, afferre ac dicere libuit, illud quod habetur in *c. de hymnis de conſec. d. 1.* & eſt Concil. Toletan. 4. vbi dicitur, *quod de Hymnis & Pſalmis in Eccleſia canendis, Saluatoris noſtri, & Sanctorum Apoſtolorum, innumera habentur exempla.* Quod & ex Scriptura ſacra oſtẽdere, haud quaquam erit difficile, & monſtratur ibidem. Nam Matt. 26. fertur, quod Chriſtus Dominus cantauit: *Et hymno (inquit) dicto, exijt Ieſus in montem Oliueti.* Hic hymnus fuit, quoddã canticũ, factum in laudẽ Dei, quo quaſi diuino quodã clypeo, ad paſſionis ſuæ agonem, ſiue præliũ, Chriſtus ſe muniuit & præparauit. Hymnus enim eſt Græca vox, quæ Latine, cãticũ ſiue laudẽ ſonat: ſicut dicit D. Aug. in expoſitione Pſ. 27. *Hymni ſunt laudes Deicũ cantico.* Vtrumq; enim Hymnus deſignat, & laudem & canticum, non vero vnum abſque altero. Quod ad hoc canticorum Eccleſiaſticorum propoſitum, quamaximefacit, multumque eſt memoriæ cõmendandum. Quod Apoſtoli etiam ſancti, & Diſcipuli Chriſti Domini, in laudem Dei, non ſolum Pſalmos recitauerint, quinuero & hymnos ſæpe ſæpius cantando dixerint, ex multis cõſtat ſacræ Scripturæ teſtimonijs. Sed omiſſis pluribus alijs, pro mille ſufficiat, conſiliũ ſiue præceptum, quod primitiuæ Eccleſiæ fidelibus præſtitiſſe fertur D. Paulus, ſcribens ad Epheſios, 5. atq; ad Coloſſen. 3. vbi monuit illos, vt in Hymnis & cãticis ſpiritualibus, cõtinue & inceſſanter exercerentur. Quod etiam ipſe, exemplo ſuo feciſſe fertur, dũ exiſtens in carcere, ſimul cũ Sylla prædilecto ſuo diſcipulo, media nocte vtriq; cãtarunt ac diuinas matutinas dixiſſe ferũtur laudes. Sic enim habetur in Actibus Apoſtolorũ, *c. 16. Quod media nocte orantes & cantantes, laudabant Deum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant.* Et ſubditur: *Et ſubito terræmotus factus eſt magnus, ita vt moueretur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſunt ſoluta, &c.* Quo facto atque miraculo, ſatis cõfirmata atque comprobata remanẽt, Eccleſiaſtica cãtica, & nocturnæ dũ uinæ laudes, quã Deo noſtro Max. ſint acceptæ & gratæ. Sed tãdẽ, eiuſmodi laudes & Eccleſiaſtica cãtica, extolluntur, approbãtur atq; laudãtur, miriſq; encomijs in cœlum vſque efferuntur, in innumeris Concilijs. In Conc. Aga. c. 39. can. 21. in Laod. can. 15. in Cartha. c. 10. quibus dicitur fuiſſe ſemper, in Eccleſia ſancta noſtra, vſitatiſſimum atque obſeruatiſſimum, vt diuinæ laudes, nocturnæ pariter atque diurnæ, alta & ſonora voce in choris dicerentur, imitantes cœleſtes ſanctoſq; Angelos, qui in triumphanti idipſum indefinẽter faciunt. Qua etiam ratione prædicta Eccleſia, præfatione quadam, horum mentionem faciens, obnixe, ſed humiliter à Deo expoſtulat, vt cum illorum vocibus, noſtras etiam admittere non dedignetur, proferens illa Miſſæ verba, quæ communiter dicuntur: *Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur, Supplici confeſſione dicente, Sanctus, &c.* Vt autem conſtet, ex hoc ſancto atque laudabili exercitio, quanta proueniant commoda, & reſultent vtilitates, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Multa commoda et vtilitates, in Eccleſia Dei ſancta proueniũt, ex hoc quod diuinæ laudes, alta et ſonora voce dicantur

MVlta ſunt commoda atque vtilitates, quæ in Eccleſia ſancta noſtra reſultant, ex hoc quod officium diuinum, nocturnũ pariter atq; diurnũ, publice in choris, alta & ſonora voce cantetur, ſiue canendo dicatur, ab Eccleſiaſticis & Religioſis viris. Hæc cõcluſio probabitur, fietq; ſatis perſpicua, referendo huiuſmodi cõmoda ſiue vtilitates. Quarum prima eſt, quod prædictis canticis vt plurimum fidelium animi, facilius ad compũctionem flectuntur & commouentur. Hanc vtilitatẽ affert Rabanus, antiquus quidã auctor, lib. de inſt. cleric. c. 76. qui hac de re agẽs ait: Pſalteriũ idcirco cũ melodia cantilenarum ſuauium, ab Eccleſia frequentatur, quò facilius fidelium animi, ad com

pun

punctionem flectantur. Et quales debeant eſſe voces cantantium, inſinuare volens, ſubdit, quod perfecta vox, debet eſſe alta, clara atque ſuauis. Alta, vt ſufficiat, clara vt aures adimpleat, ſuauis vt animos audientiũ ſuauiter demulceat, atque ad Deum laudandum conuertat. Et addit, quod ſi ei aliquid ex his defuerit, perfecta vox eſſe non poterit. Ad quod propoſitum facit quammaxime, quod dixit olim D. Augu. lib. 9. ſuarum confeſſionum, cap. 6. & 7. vbi cum Deo agens, de his Eccleſiaſticis canticis, aiebat. Quantum Domine fleui, in hymnis & canticis tuis ſuaue ſonantibus, Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliqueſcebat veritas in cor meum. AEſtuabãt inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis. Plura alia dicit ibi ad hoc propoſitum, & in epiſtola 118, cap. 18. quæ miſſa facio breuitati ſtudens.

Secunda Eccleſiaſticorum canticorum vtilitas eſt, quam refert D. Baſil. oratione in Pſalmum primum, vbi inquit, quod huiuſmodi canticis, ſuauibus & beneſonantibus, ſine tædio imò verò cum gaudio & maxima voluptate, laudes Dei perſoluuntur. Ad quod etiam facit, quod dixit olim Lactantius Firmianus lib. 6. cap. 21. Si voluptas eſt audire ſeculares cãtus & carmina, Dei laudes canere & audire, nõne iucũdum erit? Hæc inquit ſunt, vera ac bona cantica, hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt. Verba ſunt expreſſa Lactant. Firmiani.

Tertia vtilitas eſt, quod hac ratione, teſtamur Ethnicis atque hæreticis, nos nõ erubeſcere Euãgelium Chriſti, iuxta illud Pauli, *Non erubeſco Euãgelium, virtus enim Dei eſt, omni credenti in ſalutẽ.* Neque etiam fidem noſtram: nam vt etiam docet D. Ambroſ. in oratione, de tradendis baſilicis, dictũque fuit ſupra, cum Chriſtus laudatur, Arrianorum amentia verberatur. Sic etiam & hoc tempore, prædictis Eccleſiaſticis canticis dicere, poſſumus, quod Ethnicorum & hæreticorum corda, veluti molliuntur, verberantur & excruciantur in dies.

Quarta vtilitas eſt, quod per hoc fideles oſtendunt, legem Dei eſſe ſuauem, nõ vero moleſtam, iugumque Chriſti Domini, non graue ſed leue, vt dixit idem Matth. 11. Ad quod etiam facit quammaxime, quod dicebat Dauid olim Pſalm. 118. *Cãtabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Tãdem vltima vtilitas eſt, vt per hoc Deo noſtro perfectam omni ex parte reddamus ſeruitutem & obſequium, dum & ardentiſſimis votis atque deſiderijs, corporali etiam voce, interius atque exterius, laudes eius pro viribus celebrare contendimus, iuxta illud Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Qui hac de re plura videre deſiderat, conſulat Patrem Fratrem Ildephonſum à Caſtro, loco ſupracitato, & Magiſt. Soto lib. 10. de iuſtitia & iure, quæſt. 5. artic. 2. Ex dictis, ſuperque ſatis conſtabit, quanta commoda, atque vtilitates, ex diuinis canticis in ſancta Eccleſia reſultent, qualiter etiam huiuſmodi cantica, ab antiquis Patribus, fuerũt ſemper ſumma reuerentia & veneratione habita, ſolummodo autem hæreticis, inuiſa & exoſa, & ab eis veluti inutilia dijudicata.

ARTICVLVS VI.

Quonam modo, in Eccleſijs & Eccleſiaſticorum atque Religioſorum choris, Pſalmi & diuinæ laudes, ſunt de cantandæ, & an ſit quandoque licitus cantus Organicus?

CIrca præſentem articulum, plura forent dicenda, ſed maioris breuitatis & claritatis gratia, quæ ad ipſum ſpectant, reſolutiue explicabuntur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

QVod Clerici, Eccleſiaſtici atque Religioſi, quibus competit in Eccleſijs & choris, diuinas laudes perſoluere, optime ſciant canere, quoad maxime fieri poterit, ſemper ab Eccleſia extitit ſummopere commendatum. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & poteſt multis iuribus & rationibus comprobari. Eſtque expreſſa deciſio Rotæ, *tit. de conceſſione præbend. deciſione 18. et gloſſ. in clement. 1. eodem tit.* vbi inter alias conditiones & qualitates, quas Clerici & Eccleſiaſtici, dicuntur habere debere, vna eſt, & quæ nõ infimũ tenet locum, vt ſciant bene atque expedite canere. Hanc etiam ob cauſam, nuperrime Tridentinum Concilium ſeſſio. 23. capit. 18. inter alia ad reformandum Eccleſiaſticum ſtatum ſpectantia, præcepit in ſingulis Cathedralibus Eccleſijs, vt puerorum collegium erigi, inſtitui atque fundari, curetur obnixè, & vt ibidem habitu clericali induti, addiſcant ea, quæ ſunt cantus, ſimul & grammatices, & computi Eccleſiaſtici, quò poſtmodum in ſuis officijs, rectè ac congruè valeant & poſſint miniſtrare. Cui quidem rei, & ratio ipſa quammaxime fauet. Etenim cum cantus (ſiue planus, ſiue vero organicus ille ſit) ob id in Eccleſiam ſanctam noſtram, fuerit introductus, vt medium conueniens fiat, ad augendam fidelium deuotionem, magiſque ac magis, ipſorum animos ad diuinas laudes, diuinũque cultum excitandum, ſi quibus hoc competit ex officio, id non rectè calleant, neque ſtrenuè facere ſciant, quin vero vtriuſque cantus ſint prorſus ignari, quonam modo aut pacto, fideles ad deuotionem, & non potius ad riſum & diuinarum rerum contemptum, ex hoc nacta occaſione, excitabuntur & prouocabuntur? Ad hoc facit etiam quã maxime illud, quod dixit Beatus Hieronymus olim, lib. 3. commenta. ſuper epiſtol. ad Epheſ. capit. 5. & habetur *in cap. cantãtes, 92. diſtin.* nempe quã maxima eſſe reprehenſione dignos eos, qui ita cãtant, vt fideles ex ſuo cantu occaſionem deſumãt, vnde potius ad riſum quam ad deuotionẽ & Dei cultum poſſint prouocari. Debet enim (inquit) eſſe cantus, occaſio quædã præparatoria, qua magis ad deuotionem atq; ad diuinum cultũ fideles excitentur & diſponantur, ita, vt conceptus & melodia militantis Eccleſiæ, eſſe quodammodo videatur, ad inſtar cæleſtis triumphantis, vt ex hoc magis

Quod Clerici atque Religioſi optime ſciant canere, ad diuinas perſoluendas laudes, quammaxime oportet, etab Eccleſiaco mendatũ fuit ſemper.

gis ad diuinas laudes, hominum ac Christi fideliũ, incitentur & prouocentur animi. Hæc Conclusio generaliter intelligenda est, de quocumque cantu, siue ille sit planus, siue vero organicus. Et certe multum reprehensibiles sunt, qui ignorant & nesciunt, id quod ex officio scire tenentur, & ex sua maxima imperitia, quos excitare ad deuotionem, atque Dei cultum deberent, prouocant ad perturbationem, risum siue fastidium, ipsorum mẽtes distrahendo, & à debita attentione remouendo. Quod meo quidem videri, neque minus faciunt, qui non callentes artem, siue vsum cantus organici, illius ve quem communiter figuratiuum aut contrapunctum vocant: contra punctum, quin vero & contra omnem prorsus bonam harmoniã, siue cõcentum, in diuinis officijs persoluendis, cãtitant, seu quod dicitur, cõtrapuntare nõ cessant, ansam præbendo alijs ridendi, alijs vero murmurandi, sumentes etiã occasionẽ, distrahẽdi seipsos & alios, à debita diuinorum officiorum attentione & consideratione, quod etiam quam maxima est animaduersione dignum. Debent igitur quicumque Ecclesiastici & Religiosi, quibus id faciẽdi cura incumbit, pro officij sui munere, obnixe curare, addiscere cantum, saltim planum, vt apte, congruenter & debite, explere possint ea, ad quæ ex sui status & officij ratione obligantur. Sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Curandũ quã maxime est, vt diuinum officium, debita cum attentione persoluatur, siue id fiat cantando, siue vero recitando.

SIue officium diuinum, orando aut recitando dicatur, siue vero in tono, aut submissa voce, in cantu plano, organico, aut figuratiuo, obnixe atque summopere est curandum, vt apte, congruenter, & cum pausa, & quammaxima fieri poterit, attentione & deuotione dicatur. Hæc etiam conclusio, est sententia omnium Doctorũ, & quæ ab omnibus communiter commendatur, quæ & comprobari potest, quam pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus. Et probatur primo, auctoritate D. Cypriani, sermone de oratione Dominica, nõ procul à fine, vbi ad hoc propositum sequentia ponũtur verba. *Quãdo Fratres dilectissimi, orationi astamus, vigilare atque incumbere ad preces, toto corde debemus. Cogitatio carnalis omnis, et secularis abscedat, neque quidquam tunc animus aliud, quam id solum cogitet, quod precatur. Nam et ideo Sacerdos in Missa, ante Orationem, præfatione præmissa, præparat Fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, vt dum plebs respondet, habemus ad Dominum, admoneatur se nihil aliud, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, ac soli Deo pateat, neque ad se hostem Dei, tempore orationis venire patiatur.* Verba sunt expressa prædicti D. Cypriani, & quidem valde notanda, ac memoriæ cõmendanda. Quod & confirmat D. Hieron. vt habetur *in cap. cantantes, distin. 92.* vbi explicans illa D. Pauli verba, ad Ephes. 5. *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*, inquit, *Audiant hoc ij, quibus psallendi in Ecclesia incumbit officium, Deo non voce, sed corde cantandum.* Vbi & acriter reprehendit eos, qui in tragœdorum modum, guttur & fauces, dulci medicamine liniunt, vt populũ delectent. Et addit, quod in Ecclesia, non sunt Theatrales moduli audiendi, aut cantandi, sed in timore & opere, & in scientia Scripturarum, Deo est orandum. Super quæ verba glossa ibi dicit plura, eaque notatu dignissima, ad ostendendum & monstrandum, qualiter Deo magis cordis deuotione, quam voce sit cantandum. Cuius etiam glossæ celebres sunt quidam illi versus, quos proinde hic transcribere libuit:

Non vox sed votum, non condula musica, sed cor,
Non clamans, sed amans, caniat in aure Dei.

Vide multa, eaq; notatu dignissima, pro attẽtione mẽtis, qua nos orare oportet

Facit & ad hoc *cap. sedulo, dist. 38.* vbi id ipsum dicitur. Quibus omnibus accedit, etiam sententia D. Pauli, qui & scribens ad Corinth. 1. capit. 14. de suis orationibus agens aiebat. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est, quid ergo, orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psalliam et mente.* Quæ verba explicãs D. Augustin. inquit, *quid prodest strepitus labiorum, si mutum est cor*, & super Psal. 39. ait. *Dicant labia quod habet cor, habeat cor quod labia dicant.* Ad quod etiam facit, quod D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 4. dicit, *quod animarum verba sunt ipsa cordis desideria, in quibus tanto quis minus clamat, quanto minus desiderat, et tanto maiorem vocem in aures intercumscripti spiritus exprimit, quanto se in eius desiderium plenius fundit.* Supradicta omnia confirmantur, per id quod dixit Diuus Cyprianus, loco supracitato cum fideli quolibet faciens verba. *Quonam modo à Deo audiri postulas, cum te ipsum non audias? Vis Deum esse memorem tui cum rogas, cum tu ipse memor tui non sis?* Verba quidẽ sunt notatu dignissima. Adhoc facit etiam, quod Christus Dominus dixit, Ioannis 4. nempe, quod *Deus spiritus est, et eos qui ipsum adorant, in spiritu et veritate oportet eum adorare.* Facit & id, quod dicere solitus erat D. Bernard. *Si cor non orat, os in vanum laborat.* Et certe Deum, vocetenus solum modo laudantes, ab eodem per Isaiam, cap. 29. & in Euangelio, Matth. 15. acriter reprehenduntur illa notanda verba. *Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me, sine causa colunt me.* Hoc est, in vanum & absque aliquo prorsus fructu, quod certe oporteret Religiosos & Ecclesiasticos omnes, multum reminisci, atque attente considerare. Relinquitur ergo, quod diuinum officium, vtcumque dicendum sit, siue solum voce & recitando, siue vero in tono aut cantando, cantu plano seu organico, curãdum obnixe est, vt apte, congrue, cum pausa, & quoad maxime fieri poterit, cum magna animi attentione, deuotione & consideratione dicatur, psallendo simul, voce, lingua, mente, & spiritu, ne alias, quod de se, Deo adeo erat gratum atque iucũdũ, ob defectum prædictarum circunstantiarum debitarum, inuisum, iniucundum, atque vituperabile reddatur.

Tertia Conclusio.

Cantus organicus, siue figuratiuo si, debite, et cum moderatione si cantetur, nullatenus est illicitus, aut ab Ecclesiasticis choris alienus.

LOquendo specialiter de cãtico figuratiuo seu organico, quamuis propter eiusdem abusum, & multorum cantorum lasciuiam, seu potius dissolutionem, ac vanitatem nimiam, à quam plurimis interdum parui fiat, aut forsan reprehẽdatur; si tamen debite religiose, & decenti cum moderatione cantetur, in diebus valde festiuis, ac magnis festiuitatibus, non est illicitus, neque ab Ecclesiasticorum, aut Religiosorum choris erit dicendus alienus, huiusmodi cantus. De materia huius conclusionis possem plura dicere, quæ breuitatis gratia

tia facio missa. Solummodo aduerto, quod hac de re extat notabilis quædam extrauagans Ioannis XXII. 1. *de vita & honest. cler.* vbi multa dicit, de cãtu & psalmodia cantanda, in Dei Ecclesiam introducta, ad fidelium deuotionem acuendam & excitandam. Et acriter reprehẽdit, cantu prædicto organico siue figurato cantantes, seu potius immoderatos gestus, vultus & vocum mutationes, quę in huiusmodi cantu communiter à cantoribus emittuntur & fiunt, in tragœdorum modum, guttura & fauces, dulci medicamine colliniendo. Et est ad litteram idipsum, quod D. Hieron. dixit *in supradict. cap. cantantes*, vbi etiam eos reprehendit acriter, præcipitque stricte ibidem, vt non id fiat. Qua de re, & de communibus defectibus, qui circa hoc negotium, contingunt vt plurimum, plura eaque notatu dignissima, videre qui voluerit, consulat Nauar. lib. illo suo *de oratione & horis canon. capit. 16. num. 30. cum sequentibus*, vbi multis ostendit, qualiter supradictus cantus organicus, communiter est in causa, vt non audiantur, aut saltem minus bene intelligantur voces, quæ canuntur in Ecclesia, atque vt plurimum attentionem adimit, eorum qui officio assistunt diuino, præsertim apud eos, qui vix explicant, siue pronunciant verba, asserentes solo cantu, citra vim & significationem vllam verborum, peritos cantores debere mouere, auditorum animos. Vnde (inquit) fit, vt prædictus cantus, omnino operetur contrarium eius, ad quod fuit adinuentus, atque in diuinis officijs permissus. Quem abusum esse dicit peccatum, prædictus Nauar. quod & probat ex aliquibus iuribus, quæ breuitatis causa omitto & præterea, quia delectare velle in diuinis officijs, magis cantu quam verbis, & ipsorum significatione, peccatũ est. Ad quod probandum, inducit D. August. lib. 10. suarũ confessio. cap. 53. in hæc verba dicentem. *Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res quæ canitur moueat, peccare me pœnaliter confiteor, et tunc mallem non audire cantantem.* Addit supradictus Nauar. quod ad hoc vt cantus organicus, in diuinis officijs sit licitus, duo sunt simul necessaria, primum vt non cantetur delectationis dandæ, vel accipiendæ gratia, alterum ne cantetur, existimando quod cantare, ex se magis placeat & arrideat Deo, quam officij recitatio: sed tantummodo ad prouocandam atq; excitandam deuotionem, propriam vel alienam, qui cantorum omnium finis, esse debet primarius & principalis, quamuis secundario, & minus principaliter, velle sibi seu alijs audientibus placere, aliquo bono fine, non (inquit Nauarro) erit peccatum. Quod & ex multis probat, vbi supra capit. 6. nu. 12. & cap. 16. num. 34. & super *capit. inter verba*, 11, *quæst.* 3. *num.* 208. *et num.* 390. quæ omnia sunt valde notanda, atque memoriæ commendanda. Concludendo ergo resolutiue dico, vt huic rei vltimam imponam manum, quod si huiusmodi cantus organicus, debite fiat, modeste, atque deuote, vt & quamplurimi cantores, sed præsertim Religiosi faciunt, aut facere saltim tenẽtur, haud quaquam crediderim esse illicitum, aut ab Ecclesiasticorum & Religiosorum choris vllo modo alienũ, vt in conclusione est dictum, maxime in diebus solemnibus, valde festiuis, & magnis solemnitatibus. Et respondendo atque satisfaciendo prædictæ extrauaganti dico, quod non simpliciter & absolute, Ioan. XXII. in illa, aut D. Hieron. *in dicto capit. cantantes*, eundem prohibet, sed solummodo cãtorum aliquorum luxum, seu potius lasciuiam, neque damnant cantum organicum & figuratiuum; sed ipsius minus conuenientem, atque immoderatum vsum, vt ex eorumdem verbis constare facile poterit. Dico præterea, quod supradicta Ioan. XXII. extrauagans, non quantum ad omnia fuit vsu recepta: nam ea non obstante, in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, & multis non Cathedralibus, quin vero & quamplurimis Religiosorũ choris, ab illo tempore vsque nunc, supradictus cantus organicus, quãmaxime fuit in vsu, & publice frequentatur, nec propterea id ipsum facientes, vllo vnquam tempore reprehensi, aut puniti fuerunt à Prælatis, siue locorum Ordinarijs. Quin vero Concilium Tridentinum *sessio. 22.* vbi agit de obseruandis & vitandis in celebratione missarũ, non innouauit supradict. extrauagantem, sed solummodo præcepit, vt Prælati remouere studeant à suis Ecclesijs, eas musicas siue cantus, quibus (siue organico, siue plano cãtu fiat) lasciuum aut impurum aliquid admisceatur, quod obnixe atque summo studio procurandum est. Hac de re videatur gloss. *super dicto cap. cantantes, dist. 92.* vbi habetur, qualiter sit cantandum, qua voce, quo gestu, qua cordis deuotione, & quando cantare alicuius delectationis gratia, sit vel non sit peccatum.

Quænam sint necessaria, ad hoc vt cãtus organicus sit licitus, et qui semper esse debeat, cantorũ omniũ finis.

Nota valde ex glossa, qualiter sit cantandum, qua voce, quo gestu, qua cordis deuotione et quando cãtare alicuius delectationis gratia, sit vel non sit peccatum.

ARTICVLVS VII.

Quinam teneantur dicere, seu recitare Officium diuinum?

Prima Conclusio.

Ad dicendum & recitandũ officium diuinum, tenẽtur omnes Clerici, in sacris Ordinibus constituti.

AD dicendum, siue recitandum diuinum officium, tenentur in primis, omnes in vniuersum Clerici, in sacris Ordinibus constituti. Hæc conclusio, est omnium Doctorum communis, & probatur primo, *ex capit. presbyter, de celebratione Missarum*, vbi habetur, *quod presbyteri omnes, obligantur ad dicendum diuinum officium*. Vbi presbyterorum nomen secundum Glossam, extenditur ad omnes Clericos in sacris Ordinibus cõstitutos, iuxta tenorem *cap. si quisquam, de cohab. cler. et mulier.* Quod etiam habetur adhuc expressius, *in cap. dolentes, etiam de celebr. Miss.* vbi Innocent. III. eadem de re agẽs, minores etiam Clericos comprehendit, præcipitque eis in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum celebrent, *quantum eis Deus dederit, studiose pariter et deuote.* Idem habetur, *in cap. fin. dist. 92.* quod incipit. *Si quis presbyter.* Facit etiã ad id, potissima ratio fundata in cõsuetudine, quæ est optima legum interpres, & ratio inde emergit. Nam omnis qui sacris initiatur, singulari Dei beneficio, diuino cultui mancipatur, atque in illo statu constituitur, qui ex se & ex suo officio & munere, ad diuinas laudes perfoluendas est institutus, iuxta illud Isaiæ. 43. *Omnis qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum*, & infra, *populum forma-*

formaui mihi, laudem meam narrabit: ergo eo ipso quo quis ordinatus eſt, atq; in Clericorum numerum aſcriptus, obligatus eſt tali vinculo, ad diuinas laudes narrandas & dicendas, modo ſibi ab Eccleſia præſcripto. Videatur hac de re D. Thom. quod libet. 6. art. 8. & Sylueſt. verbo, *hora, quæſt. 2, et 3.* Soto lib. 10. de iuſtitia & iure, quæſt. 5. art. 3. & Naua. libro de oratione & horis Canonicis, capit. 7. nume. 2. vbi omnes ſupradicti Auctores, multis etiã agunt de obligatione, qua tenẽtur Clerici, qui ſolummodo ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti, quique nulla potiuntur Eccleſiaſtica præbenda. Nam quamuis Panormit. in ſupra dicto capite presbyter, circa hãc ré ſuſpẽſus ſit, & in alteram propendeat partem. Paludanus vero in 4. diſtinct. 15. quæſt. 5. dicat, ad aliquid plus teneri ipſos quã Laicos, non eſt id credendũ de præcepto ſeu obligatione præcepti, ita vt huius rei omiſſio aliqua ſit culpa & peccatum, ſed ſolummodo de honeſtate ſi voluerint. Et abſque dubio dicendum eſt, quod ad nullas tenentur recitandas Canonicas horas, neque ad dicendum canticum graduum, ipſi nec vero alij, qui alijs gradibus infra Subdiaconatum ſunt inſigniti & ordinati, quod eſt certum, & ita tenetur communiter, id quod & multis rationibus probant Soto & Nauarro, & Sylueſter, & alij ſupradictis locis.

Secunda Concluſio.

Omnes habẽtes Eccleſiaſticum beneficium, ſiue præbendam ſub Clericali titulo, tenentur ad ſoluẽdum diuinum officium.

OMnes etiam habentes aliquod Eccleſiaſticum beneficium, ſiue præbendam ſub Clericali titulo, tenentur ſub pœna peccati & lethalis crimi nis, ad perſoluendum diuinum officium. Hæc con cluſio eſt etiam certa, de qua eſt expreſſus textus, *in cap. fin. diſt. 92.* cuius hæc ſunt verba, *Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, ad quotidianum officium perſoluendum teneatur.* Vbi ſecũ dum omnes Doctores, per illud verbum, *deputatus*, intelligitur, quicumque titulum habens alicuius beneficij, vt diſtinguatur à duobus prioribus membris, *Presbyter* atque *Diaconus*. Facit etiam ad hoc, *cap. quid ad te, et cap. diuerſis fallacijs, de Cleric. coning. et cap. fin. de reſcriptis, lib. 6.* vbi habetur, *quod beneficium non datur niſi propter officium.* Facit *et cap. cum ſecundum Apoſtolum, de præbend.* vbi dicitur, *Clericos omnes ad onus eligi, atque adeo non eſſe à mercede depellendos.* Et præter ſupradicta iura, eſt etiam ad id ratio appoſitiſsima. Nãſi Laici perſoluunt decimas, alioſque redditus Clericis, non eſt certe ob aliud, niſi vt & ipſi pro eis ante Deum, intercedant ſuis orationibus, & laudẽt eum, quod illi propter continuas ſuas occupationes facere nequeunt, tenendum ergo eſt firmiter, quod id facere tenentur. Qua quidem ratione D. Anton. 3. part. titu. 15. cap. 14. §. 1. & multi alij grauiſsimi Doctores, dicunt Clericos & beneficium habentes, teneri recitare Canonicas horas pro communi plebe, non ſolum ex præcepto Eccleſiæ, verum etiam ex iuſtitia naturali. Sed etiã intelligenda eſt ſupradicta concluſio, quemadmodum & præcedens cum præciſione, ita quod ſicut ſacer ordo ſine beneficio, obligat ad perſoluendum diuinum officium, ita & beneficium abſque ſacro Ordine.

Hic ſolet diſputari de habente beneficium tenue, præſtimonialia, penſiones, & alia huius generis, an teneatur dicere atque perſoluere diuinum officium? Quæ omnia facile cũ poſſem dicere, breuitatis gratia facio miſſa, & ab ipſis conſultò abſtineo, quia non ſunt præſentis ſpeculationis, neque enim ſpectant ad Religioſos, cum quibus in præſentiarum eſt ſermo. Videantur apud Summiſtas, Sylueſt. *verbo hora, quæſt. 13. et 4.* Soto lib. 10. de iuſtit. & iure, quæſt. 5. art. 3. Nauarro de oratione, cap. 7. nume. 2. & 3. vbi etiam videri poterit, quænam ſit obligatio, recitandi officium Beatæ Mariæ & Defunctorum, & Pſalmos Pœnitentiales & Cãticum graduum, tam in Choro quam extra Chorum, vbi eſt conſuetudo: nam & ab his omnibus conſultò ſuperſedeo, vt breuitati ſtudeam.

Tertia Concluſio.

Omnes Religioſi Clerici, ſiue ad chorũ profeſsi, tenẽtur etiam ſoluere officium diuinum.

OMnes etiam Religioſi Clerici, ſiue profeſsi ad Chorum (quod dico ad diſtinctionem Fratrũ Laicorum) tenentur etiam ad dicendum & perſoluendum diuinum officium. Hæc concluſio eſt etiã fere omnium Doctorum communis, vt videre eſt apud Magiſtrum Sotum loco ſupracitato. Vbi refert quamplurimos Doctores illam tenentes, & inquit, non eſſe qui contrarium aſſerere audeat, & quod neque ipſe auderet, quamuis ſit dubium de iure & ratione, qua ad id ipſum obligantur, cum vt ſupponitur, neutrum ſupradictorum capitũ illos cogat, nempe nec Ordo ſacer, in his qui non ſunt ſacris initiati, nec vero beneficium, quia vt ſupponitur illud non habent, & nulla fieri apparet reliqua obligationis ratio. Quapropter Caietanus olim in Summa, *verbo hora*, §. 1. dixit ſe non reperire textum aut rationem, neceſſario probantem, quod Religioſi ſacris non initiati, teneantur ad pronuntiandum officium diuinum, & horas Canonicas, & certe inquit, niſi cõſuetudo illos obliger, de qua dicit nihil ſe ſcire, ad id non tenentur ex ſua profeſsione, hactenus Caietanus. Sed Magiſter Soto, loco ſupracitato & Nauarro in diuerſa ſunt ſententia & opinione, & plures afferunt rationes, quæ traduntur hac de re à Doctoribus, quarum meo quidem iudicio, omnium eſt aptiſsima, conſuetudinis & ipſorum ſtatus, quam tradit D. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 4. §. 1. vbi inquit Religioſos profeſſos, ad Chorum & ad Clericatum, ad perſoluendum diuinum officium teneri, atque ex eo eſſe obligatos, quia Religiones in quibus ſunt profeſsi, approbantur ab Eccleſia, non ſolum vt ipſi pro ſemetipſis orent, verum etiam vt idem faciãt pro vniuerſali Eccleſia, tanquam eius fideles miniſtri, & pro ſuis benefactoribus, ſiquidem eorum eleemoſynis aluntur, & ſuſtentantur. Hoc certe necnon antiquiſsima, celeberrima & multum laudabilis conſuetudo, vno omnium antiquorum Patrum conſenſu, recepta atq; approbata, meo quidem videri, omni proculdubio, vim habet præcepti, aut ſaltim vt verius & rectius loquamur, explicat & declarat, hoc eſſe ſemperque fuiſſe præceptum, & quod nullus Religioſorum qui Choro addicti & dedicati ſunt, ab huiuſmodi obligatione ſoluendi diuinum officium excipiatur. Qui plura hac de re videre deſiderat, conſulat Sylueſtrum, Sotum & Nauar. locis ſupracitatis.

Nota opinionẽ ſingularẽ Caietani, circa obligationẽ recitandi, Religioſos ſacris non initiatos, diuinum officium.

Nota appoſitiſsimam rationẽ, ſuper qua fundatur obligatio Religioſorũ, ad perſoluendũ diuinum officium.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm omnes ſupradicti, teneantur dicere & recitare officium diuinum, ſtatutis horis?

Prima Concluſio.

Omnes horæ Canonicæ, dicendæ ſunt, ſuis ſtatutis horis, non verò in alijs, abſque legitima & rationabili cauſa.

OMnes horæ Canonicæ, ſiue quæ publice in Eccleſia canuntur, ſiue quæ priuatim atque in particulari, à Clericis, Beneficiarijs & Religioſis, extra ipſam recitantur, dicendæ ſunt ſuis debitis & ſtatutis horis, & non alijs, abſque legitima & rationabili cauſa. Hæc concluſio eſt omniũ Doctorum communis, quam tenet Syluеſter, *verbo, hora*, q. 10. & Soto, lib. 10. de iuſtitia, & iure, q. 5. art. 4. concl. 2. Nauarro de oratione, & horis Canonicis, cap. 3. num. 45. & probatur *ex Clement. 1. de celebratione Miſſarum*, vbi id ſtrictè ita fieri iubetur, & in cap. 1. *decretalium, eod. tit.* Ad quod propoſitum Ioan. And. in d. c. 1. *de celebratione Miſſarum*, refert, olim quendam Angelum, Eremitæ cuidam Sancto, in recitandis horis, ſtatutã ſiue debitam præuenienti horam, comedendas attuliſſe vuas immaturas, poſtponenti verò marcidas, dicenti autem illas, ſtatuta & debita hora, maturas & ſanas. Ad inſinuandum quidem, eſſe Deo quammaxime placidum & gratum, vt horæ Canonicæ, debitis & ſtatutis horis atque temporibus perſoluantur, & vt non anticipentur neque poſtponantur, abſque iuſta, legitima & rationabili cauſa. Sed hoc non eſt nimium ſtrictè intelligendum, ſed largo modo & plus minúſve, vt communiter dicitur. Dicit tamen Magiſter Soto, quod quamuis in communi, id ita fieri adeò ſit neceſſariũ, vt eius omiſſio ſit culpa (& dicit quod eſt mortalis) priuatim tamen, tẽpora atque ordinem, horarum dicendarum mutare etiam ſine cauſa, licèt aliqualis ſit culpa, non tamen inquit erit mortalis. Cuius ſui dicti, primam partem, de horis in communi debito tempore dicendis, probat, quia pergrandis fieret offenſa Eccleſiæ, ſi ordo horarum dicendarum, ab ipſa ſtatutus intermittatur, quod & probat ex aliquibus iuribus, & rationibus valde notandis, à me breuitatis gratia prætermiſſis quæ poterũt videri ibidẽ. Tãdẽ dicit, non hoc ipſum euenire, ſi fiat priuatim ab Eccleſiaſticis perſonis in particulari, quod dictum fuit in ſecunda parte, cum ex hoc nullum in Eccleſia exoriatur ſcandalum, vnde & id facere, ad ſummum erit culpa venialis, quamuis fiat abſque vlla prorſus cauſa. Et ad commmune Sũmiſtarum axioma, quo dicitur horarum ordinem non eſſe in præcepto, dicit prædictus Soto, id eſſe intelligendum, cum duabus limitationibus. Prima quantum ad eos qui priuatim orant (vt dictũ eſt) ſecunda, etiam quantum ad illos (quamuis fiat ſine iuſta cauſa) quod non obligat ſub reatu culpæ mortalis ſed tantum venialis. Secus eſt autem de horis in communi, ſeu in Choro & communitate dicendis, nam ipſarum ordinem prætermittere abſque iuſta & legitima cauſa, omni proculdubio (inquit Soto) eſt peccatum mortale, & hæc eſt fere communis Doctorum reſolutio.

Nota hoc valde pro recitãdis horis Canonicis debito tempore.

Quamuis in communi, horarum tẽpus variare, vt plurimum ſit mortale, non tamẽ dum dicuntur in particulari, erit pluſquam venniale.

Secunda Concluſio.

Horarum Canonicarũ ordinem inuertere, ex iuſta & rationabili cauſa, nec incommuni, neque in particulari, peccatum eſt.

HOrarum ſtatutum Ordinem, immutare atque inuertere, quoad tempus, iuſta aliqua exiſtente, legitima & rationabili cauſa, dijudicanda arbitrio boni viri, nullũ prorſus eſt peccatum, ſiue id fiat in communi ſiue verò in particulari. Hęc Concluſio, eſt expreſſa Syluеſtri, vbi ſupra, & Nauar. etiãvbi ſupra, n. 58. & ſequentibus, ſed maximè, num. 65. & 71. vbi & adducit plures caſus & cauſas, ob quas prædictum horarum ordinem, licet inuertere atque immutare. Et addit id quod certiſſimum eſt, nempe quod maior cauſa requiritur & neceſſaria eſt, ad immutandas horas publicas, in Eccleſia à temporibus debitis, quam ad mutandas eas quæ priuatim dicuntur, quia (inquit) maior effectus maiorem cauſam expoſcit: iuxta c. 1. §. *hoc notandum, qui fœuda dare poſſunt, &c. licet ex quadam, de teſtibus*, & iuxta dictum Bald. *in l. 1. ff. de ſenat.* & certum eſt, quod maior effectus eſt, mutare officium publicũ, quam priuatum. Vnde infert, quod quamuis ad anticipandam, priuatam recitationem horarum, ſufficiat propoſitum agendi aliquam rem honeſtam, publicam ſiue priuatam, ea hora qua recitari deberet, quæ quidem neque antea nec poſtea, ita commode fieri poſſet, iuxta mẽtem D. Thom quodlib. 5. art. 28. non tamen id ſufficit, ad mutandum diuinum officium, quod publice fieri debet, neque ipſius horam, id enim requirit publicam & generalem cauſam, vt pote concionem, ſiue proceſsionem publicam, aut aliquid ſimile. Videatur hac de re, ſupradictus Nauar. latiſsime, num. 73.

ARTICVLVS IX.

An liceat inuertere, ſeu immutare horarum Canonicarum ordinem?

DIfficultas præſentis art. alia eſt, à difficultate præcedentis. Nam in prędenti fit ſermo, de mutatione horarum à tẽpore debito; hic autem de inuerſione aut mutatione ipſarum quantum ad ordinem, dicendo horam primam antequam matutinum, ſeu tertiam antequam primam.

Concluſio.

Iuſta & legitima interueniente cauſa, nullũ eſt peccatum, inuertere aut immutare, horarum Canonicarũ ordinẽ in particulari

IVſta interueniente cauſa & in particulari, nullũprorſus eſt peccatũ, inuertere aut immutare, horarum Canonicarũ dicendarum ordinem. Hæc Concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto, lib. 10. de iuſtitia, & iure, q. 5. art. 4. & Nauar. lib. de Oratione, cap. 3. num. 65. vbi & ponit exemplum, de eo qui recitat tertiam ante primã, nonam ante ſextam, Completorium ante Veſperas & ſimilia, &c. & dicit iuſtam eſſe cauſam, inuertendi eiuſmodi ordinem, in eo qui addictus eſt Choro, quando Chorus ipſe incipit dicere tertiam, tempore quo ipſe non dixit primã, & ſic de alijs, quo caſu inquit, licebit eidem, canere & pſallere cum Choro, illã quam dicit horam, & poſtea dicere primam, ſeu aliam

aliam horam omiſſam. Quod probat de mente, & ſententia D. Anton. 3. part. titul. 13. c. 4. §. 4. dicentis, quod etiamſi per negligentiam aut incuriam, imò verò & ſcienter id fieret, non eſſet peccatum pluſquam veniale, neque induceret obligationẽ, iterandi horam iam dictam, licet ordine præpoſtero. Hoc ipſum affirmat Angelus, *verbo, hora.* §. 18. & Sylueſter, *eod. verbo hora.* q. 9. verſ. 4. & Soto loco ſupra citato, & colligitur ſatis ex eo, quod dixit Innocent. in iam multoties citato, cap. *dolentes, de celebratione Miſſarum, in fine.* Quæ pro iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS X.

An ſit peccatum, orare ſeu recitare diuinum Officium, & Canonicas horas, ſedendo, ſtando, deambulando, &c?

Nota quod neque ex iure diuino antiquo, nec nouo, expreſſe conſtat, quo geſtu, qua diſpoſitione, aut corporis habitu, orare, aut recitare teneamur.

PRo huius articuli intelligentia, libuit præmittere ex Nauar. li. de Oratione, & Canonicis horis, quod nullo iure diuino, nec naturali, nec ſupernaturali, tempore veteris teſtamenti nec noui, aut legis gratiæ, deſcriptũ aut declaratum reperitur, quo geſtu, quáve diſpoſitione, aut corporis habitu, orare aut recitare teneamur. Nam in nullo veteris aut noui teſtamenti loco habetur, an id facere teneamur erecti, an genuflexi, humi iacentes, aut pectora tundentes, oculis in cœlum ſubleuatis, an verò in terram defixis, aut ſeruatis alijs corporis geſtibus. Quamuis in pagina vtriuſque teſtamenti, reperiantur plura loca & teſtimonia, ex quibus vtcunq; poſſumus colligere, quænam ſit melior & aptior orandi, ſeu recitandi diſpoſitio. D. Paulus, vt colligitur ex ſua epiſtola ad Epheſ. cap. 3. flexis orabat genibus, ibi: *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* & in 1. epiſtola quam ſcripſit ad Timoth. c. 2. dicebat: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, &c.* quibus autoritatibus multas alias ſimiles, in ſacra Pagina licebit reperire. Attamen nullum ibi ſeu alibi, eſt ſtatutum præceptũ, quod obliget nos id ipſum vt faciamus, & quod quando oramus, flectamus genua, ſiue tollamus ad cœlum manus. Solummodo eſt in præcepto, vt cum deuotione oremus, vt ſuper prędictum locum Pauli, recte dicit D. Thom. & ipſius Commentator Caietanus. Quin verò, nec communi iure ſummorum Pontificum aut Conciliorum, hac de re quidquam habetur ſtatutum atque determinatum, circa geſtus ſeruandos in recitandis horis, publice ſiue priuatim. Tantummodo enim ſunt pauca quædam, ex cõſuetudine præſcripta, pro his qui recitant vel cantant, horas publicas in Choris, & locis publicis. Quorum eſt vnum vt cum dicitur, Gloria Patri, &c. omnes aſſurgamus, quod cum legitur Euãgelium, erecti ſtemus, quod cum eleuatur vel defertur prope nos ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, genua flectendo illud adoremus atque veneremur: ſimiliter & cũ nomen Ieſu Chriſti Domini noſtri pronunciatur, eidem vt capita ſubijciamus, & inclinemus, & ſimilia, &c. quæ omnia introducta ſunt conſuetudine antiquiſſima, ab ipſis Apoſtolis deriuata, ſeu vt alijs placet, ab ipſomet Chriſto Domino & Saluatore noſtro, & per Apoſtolos & aliorum Chriſtianorum manus, ad nos vſque traducta. Quas traditiones futuras eſſe in Eccleſia, ſatis aperte inſinuauit Apoſtolus Paulus, 1. Corinth. 11. dicens: *Cætera cum venero diſponam,* & 2. ad Theſſal. 2. vbi ait: *Itaq; fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis à me, ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam, &c.* Super quæ loca, fundat huiuſmodi conſuetudines & antiquas Eccleſiæ traditiones, Thomas VVald. de Sacramen. cap. 28. demonſtrans, contra hæreticos omnes antiquas ceremonias, quas nunc ſeruat Eccleſia, in Miſſa atque in diuino Officio, ortum habuiſſe & traditas fuiſſe ab Apoſtolis. Nec negari poteſt, inquit, D. Auguſt. homilia de Euchariſtia, & 2. ad Corinth. 16. quod geniculatio atque alij geſtus humiles, licet per ſe non placeant, nec diſpliceant Deo, multum tamẽ proſunt, ad quemlibet hominem mouendum, & ad hoc vt ipſe ſe humiliet, & ad cõcipiendum mentis affectum. Cuius rationem eſſe dicit D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 2. quia naturale eſt nobis, per res ſenſibiles & viſibiles, peruenire ad inſenſibiles atque intelligibiles, & ex adoratione exteriori, moueri ad interiorem. His igitur ſic conſtitutis, propoſito articulo, reſponde tur per ſequentem Concluſionem.

Nota valde, pro Eccleſiæ ſanctæ traditionibus, & qualiter ortum, & originem duxerint à Chriſto Domino, & ab Apoſtolis.

Concluſio.

Quenam ſit priuatim recitandi horas, ſufficiens atque cõueniẽs diſpoſitio.

QVi priuatim orat, ſeu dicit Canonicas horas, abſque peccato orare, atque ipſas dicere poteſt, pedes, eques, procumbens, iacens, vel recumbens, ambulans, aut quieſcens, pro temporis, & aliarum circunſtantiarum diuerſitate, modo attente, & cum debita deuotione id faciat. Illa tamen eſt melior atque aptior orandi diſpoſitio, & recitandi diuinum officium, & quamcunque orationem aliam, quæ magis excitat & prouocat ad deuotionem, illa verò ſufficiens, quæ nullo modo impedit deuotionem ſiue attentionem prædictã. Hæc Concluſio eſt expreſſa Nauarri, aut ſaltim ſatis colligitur ex ipſius doctrina, lib. de Oratione, cap. 4. à num. 12. & ſequentibus, vbi tradit varias atque diuerſas orandi formas, & diſpoſitiones, ſed tandem concludit ſecundum Innocent. & Oſtienſem, *in cap. 1. de celebratione Miſſarum*, quod poteſt quis orare atque horas recitare, ſedendo, ſtãdo, deambulando, &c. modo id fiat ſine aliorum ſcandalo, & ſeruatis alijs circunſtantijs, quæ conducunt ad attentionem, aut ſaltim non impediũt habere illam. Et hæc pro dicto articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XI.

Qua attentione ſit recitandum, & perſoluendum diuinum Officiũ, & an actualis attẽtio ſemper requiratur?

Ratio dubitã di pro iſto articulo.

ET certe videtur, quod non ſit neceſſaria actualis attentio, imò verò ſufficiat, quod diuinum Officium, dicatur & proferatur voce tenus. Nam Apoſtolus Paulus, in epiſtola ad Hebræos, cap. vlt. de Oratione

tione atque diuinis Laudibus agens, vocat ipsam fructum labiorum. *Per Christum* (inquit) *offeramus hostiam laudis Deo semper, ideſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Quo etiam dicendi modo, vsus est Clemens Quintus verbis mutuatis à supradicto Apostolo, in Concilio Vienens. *Clementin. 1. de celebratione Missarum.* Quem textum tractans ibi Gloss. inquit, ipso probari, sola pronũciatione vocali siue verbali horarũ, adimpleri posse præceptũ easdem recitandi, licet interdum animus alio voluatur. Quibus accedit, nam non videtur credendum, quod sancta nostra Mater Ecclesia, intendat imponere filijs suis, onera importabilia, & laqueos quibus illaqueentur atque irretiantur: sed recitare ita attente horas, vt mens ad alia non feratur, videtur quasi omnino impossibile, & quod non sit id semper positum in hominis potestate, cum nec sanctissimis viris semper cõtigerit, quin vero olim propheta magnus, diuinus, regiusque psaltes Dauid, Psalm. 36. conquerebatur atque lamentabatur interdum de se, quod cor eius dereliquerat eum, sufficit ergo horas Canonicas, atque diuinum officium, voce tenus, & labijs dumtaxat pronunciare, & actualis intentio seu attentio, nõ semper necessaria esse videtur, cum ad impossibile nemo obligetur, & id quod positum non est in nostra potestate, ad culpam neque ad pœnam, nobis non potest aut debet imputari. Hæc sunt, quæ adduci possunt pro ratione dubitandi, ad hunc articulum. Pro cuius intelligentia & resolutione aliqua oportet aduertere. Et primo ex Diuo Tho. 2. 2. quæst. 82. art. 14. & ex alijs, quod in oratione plura possunt contingere, & plures ipsius reperiuntur effectus, qui tamen de facto multoties separãtur ab inuicem. Horum est primus mereri, secundus impetrare, tertius consolari (qui tres referuntur à D. Thom. loco supracitato) quibus & addi potest quartus, nempe satisfacere præcepto, quintus satisfacere etiam pro pœna temporali, debita pro peccatis venialibus, vel iam remissis mortalibus, quorum vnum multoties separatur, atq; reperitur sine alio vt dixi. Nam multi merentur orando, qui non impetrant, quod proscunt aut petunt. Meruit quidem Diuus Paulus, petendo & postulando, vt lex membrorum suorum, repugnans legi mentis suæ & rationi, & stimulus carnis remoueretur ab ipso, tamen non illud impetrauit, vt 2. Corint. 12. habetur. Quinvero eidem fuit responsum, sufficit tibi Paule gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. E contrario vero quando que multi, in perniciem suam impetrant postulata, nec tamen merentur, quin vero potius demerentur & peccant, vt peccauit Israeliticus populus, petendo Regem, quod quidem obtinuit, vt habetur 1. Reg. 8. Multi insuper, nec merentur, nec impetrant, & satis faciunt nihilominus præcepto, quo orare seu recitare tenentur, si cuti qui in statu peccati mortalis, preces effundunt, & proferunt quas vouerunt, vt ab aliqua tẽtatione liberentur, certum est quod non merentur per ipsas gratiam neque gloriam, nec forte impetrant postulata, satisfaciunt tamen suis votis & obligationibus, ad effectum non peccandi. Sæpe numero etiam aliquis recitando consolatur, citra meritum & citra impetrationem, quin vero & citra adimpletionem præcepti, & potest esse exẽplum, in eo qui deuote & fusis lachrymis, recitat aliquam partem suarum horarum, sine animo tamen atque intentione ipsas finiendi, aut voluntarie se diuertendo & distrahendo. E contrario autẽ potest quis mereri, impetrare & præceptum adimplere, nullam percipiendo animæ suæ consolationem, ob graues tẽtationes, aut euagationes, quas Sathan, humani generis hostis, dum recitamus nõ semel nobis inuitis immittit & suggerit, ac tandem vltimo, potest oratio esse satisfactoria, pro peccato siue pro pœna peccati venialis, seu mortalis iam remissi, & non meritoria ob aliquam particularem causam siue defectum, vt tenet communis opinio. Hæc omnia sunt valde notanda & memoriæ commendanda.

Nota plures orationis effectus, qui in eadem inueniuntur.

Secundo præmitto, quod triplex attentio reperiri potest, in oratione vocali. Vna qua attenditur ad sola verba, ne in illis seu in ipsorum prolatione error fiat, secunda qua attenditur non ad sola verba, sed etiam ad ipsorum verborum sensum, tertia, qua attenditur ad orationis finem, qui est eleuatio mẽtis in Deum, seu Deus ipse, & id quod petitur. Inter quas tres attentionum species per se consideratas, secunda est præstantior prima, & tertia secunda. Prima iterum est communis omnibus, doctis & indoctis, secunda vero nonnisi doctis, aut saltim eis qui intelligunt linguam Latinam, & idioma callentibus quo recitatur, tertia autem, tam his quam illis, id quod & est in oratione quammaxime procurandum. Et solum habent hanc attentionem viri perfecti, qui vt mente firma affigantur Deo quando orant, rebus omnibus vale dicunt, ac omnium aliorum obliuiscuntur. His præmissis, pro clariori resolutione eorum, quæ ad propositum spectant articulum, sequentes statuo conclusiones.

Nota quod triplex attentio reperiri potest, in oratione vocali.

Prima Conclusio.

Quænam attẽtio, præcise sit necessaria in horarũ canonicarũ recitatione, ad hoc vt actus sit moraliter bonus, aut etiam meritorius.

AD hoc vt actus orationis seu recitationis horarũ, sit moraliter bonus, si fiat extra gratiã, aut etiam apud Deum esse possit meritorius, si ex gratia procedat, non est simpliciter necessarium, vt attentio actualis totam orationem comitetur, sed sat est virtualis, & vt qui oraturus accedit animaduertat, quid operis agat seu incipiat, & non voluntarie diuertatur, siue ex proposito: nam huiusmodi attentionis vis, virtute per totum actum durat, & facit illum esse humanum & moraliter bonum, aut etiam meritorium si fiat in gratia, vt dictum est. Hæc conclusio est expressa D. Thom. 2. 2. quæst. 83. artic. 13. in corpore, & eandem tenet Nauar. lib. de Oratione, cap. 13 num. 15. & Soto libro 10. de iustitia & iure, quæstio. 5, art. 5. conel. 1. & 2. vbi agens de necessitate attentionis ad orandum, præsupponit de mente D. Thom. vbi supra, & ex Arist. 5. Metaph. quod aliquid esse necessariũ, dicitur dupliciter. Vno modo secundum quid, nempe illud per quod melius, commodius atque decẽtius peruenitur ad finem, quo quidẽ modo equus, secundum quid necessarius dicitur, ad iter agendum. Altero vero simpliciter, vtpote sine quo res finem suum attingere nequit, quomodo cibus, ad vitam est necessarius simpliciter, quia sine ipso

ipſo peragi non poteſt omnino. Pari modo, inquit Soto, attentionis neceſsitas, duobus contingit modis, vno, vt tamdiu duret & perſeueret attentio, quãdiu oratio ipſa durat & perſeuerat, quod quamuis ſit quammaximum atque ſplendidiſsimum orationis ornamentum, & magnum decus ſingulis verbis attendere, qui ſis qui oras, quid & cum quo loquaris: at non id eſt ſimpliciter neceſſarium, ad hunc ſenſum, quod aliter non ſatisfiat recitandi & orandi debito ſiue præcepto. Altero vero modo, neceſſaria eſt attentio, vt cum quis ad orandum ſe accommodat, attendat ad id quod facere aggreditur, & non voluntarie diuertatur, quo quidem modo, attẽtio ſimpliciter neceſſaria eſt, & ſummopere oportet, vt qui oraturus accedit, animaduertat quid operis incipiat. Hæc attentio, inquit Soto, dicitur virtualis, & ſufficit ad hoc vt orandi ſeu recitãdi actus, ſit moraliter bonus, ſi fiat extra gratiam, nam per illam efficitur actus humanus, aut etiam meritorius, ſi ex gratia procedat, quamuis attentio ipſa actualis, totam orationem non comitetur: nam ſufficit prędicta attentio virtualis quæ virtute primæ attentionis, per totum illum actum durat. Per quod manet explicata ſimul atque probata ſupradicta Concluſio.

Nota hoc valde, & qualiter in horarum recitatione, attentio ſufficiat virtualis, ſi non haberi poteſt actualis.

Secunda Concluſio.

Quænam attẽtio requiratur, ad hoc vt orationis actus, ſit aut eſſe poſsit impetratorius.

AD hoc etiam, vt orationis actus ſit aut eſſe poſsit impetratorius, non eſt ſimpliciter neceſſaria actualis attentio, quæ totam orationem comitetur, & tandiu perſeueret, quandiu oratio ipſa durat: ſed ſufficit etiam, vt quis in initio attẽdat id quod petit & quod facere intẽdit, quo facto, ſi cætera adſint, impetratoria eſſe poterit. Hęc concluſio eſt etiam D. Thomæ, & Magiſtri Soti, & Nauarri, vbi ſupra, de qua nihil modo nouum occurrit dicendum, præter id, quod in præcedenti concluſione eſt dictum.

Tertia Concluſio.

Quænam attẽtio requiratur, ad hoc vt oratio ſit conſolatoria, & ſpecialis quædam mentis rẽfectio.

AD tertium orationis effectum, qui eſt interior animi conſolatio & delectatio, & ſpiritualis quædam mentis refectio, dulciſsimaque recreatio, quæ ex diuino colloquio, cum Deo imo dimanare ſolet, ſimpliciter eſt neceſſaria actualis attentio, quæ totam orationem comitetur, ſitque ipſius veluti indiuiduus comes, & aliter prædictus nullatenus ſequetur effectus. Hæc concluſio, eſt etiam omnium prædictorum Doctorum vbi ſupra, ad quam probandam adducit D. Thom. illud D. Pauli 1. Corinth. 14. *Si orem lingua (ſcilicet ſola) ſpiritus meus orat, ſed mens mea ſine fructu eſt, quid ergo, orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Supradictæ cõcluſionis ratio appoſitiſsima eſt, quia prædicta actualis attentio, eſt cauſa coæua, huius ſpiritualis conſolationis atque delectationis, ſicque iuxta ſententiam Philoſop. ceſſante cauſa, ceſſabit etiam omnino effectus. Non enim huiuſmodi mentis refectio, in ſolo habitu ſed in actu ſpiritualis vitæ conſiſtit, quo fit, vt virtualis attentio, in id non ſufficiat, & ſtare nequeat niſi attentione præſente & actualiter exiſtente.

Quarta Concluſio.

Quænam attẽtio requiratur, ad hoc vt oratio ſit ſatisfactoria, et ſufficiens, ad implendum præceptum.

AD hoc vt orationis actus ſeu recitationis horarum Canonicarũ ſit, & eſſe poſsit ſatisfactorius, præcepto & obligationi perſoluendi diuinũ officium, ſufficit quælibet ſupradictarum trium attentionum, quæ poſitæ ſunt in ſecundo notabili. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto, loco ſupracitato concluſione quinta, vbi & latiſsime tractat de his tribus ſpeciebus attentionum, graduãdo ipſas, & dicendo tertiam & vltimam eſſe omnium fructuoſiſsimam, & quæ quammaxime procurari debet in oratione, & horarum Canonicarũ recitatione, diuinam ſcilicet maieſtatem habere præſentem, & quoad fieri poſsit, mentis oculis intueri, cũ quo orantes loquimur, attẽdendo etiam ad noſtram exiguitatem, & neceſsitatem eorum, quæ petimus & poſtulamus, ita vt in ipſis verificetur quæ traditur à Sanctis diffinitio orationis, nempe, quod eſt aſcenſus ſeu eleuatio mentis in Deum. Multa dicit prædictus Magiſter Soto, de attentione, conſtituendo & demonſtrando, differentiam & diſcrimen, quod verſatur inter attentionem & deuotionem, quamuis vulgus vtrumque pro eodem reputet. Et ait, quod attentio ſuperiori modo explicata, eſt obligatoria atque in præcepto, cunctis Clericis & Religioſis, orantibus & Canonicas horas recitare volentibus. Quod probat idem Soto concluſione ſexta, primo ex verbis Innocentij Tertij in Concilio generali, quæ habentur in ſupradicto *c. dolentes, de celebratio. Miſſar.* vbi loquendo cum ſupradictis, in ſequentia prorrumpit verba. *Diſtricte præcipimus, in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent pariter et deuote.* Et aduertit ſupradictus Soto, quod verba illa, *diſtricte præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ*, planiſsime ſignificant atque oſtendunt, vim præcepti obligantis, ſub reatu peccati mortalis. Neque enim (inquit) vllius eſt apparentiæ aut momenti, illorum cauillatio & excuſatio, qui dicunt illic præceptum non ferri, ſuper modum attente deuoteque orandi & recitandi, ſed ſuper ſubſtantiam actus, vt ſcilicet, diuinum officium, integre atque totaliter perſoluatur. Non inquam, vllius eſt momenti prædicta cauillatio. nam cum præceptum orandi & recitandi Canonicas horas, iampridem extitiſſet in Eccleſia multis retro annis, non de illo aut circa ipſum, tunc aliqua fuit obortai quæſtio, in ſupradicto Concilio, ſed circa modum recitandi attente pariter & deuote, quod quidem multum in præceps ibat, curatumque proinde obnixe fuit, ſub præcepto hoc inſtaurare, & ſtatutum fuit, vt officium diuinum debita cum attentione perſolueretur. Attendere autem (inquit) nihil eſt aliud, quam ad id quod dicitur, mentem habere præſentem, ita vt quod lingua foris perſonat, mẽs ſimul intus concipiendo loquatur. Quod ſub alijs verbis olim dixit D. Auguſtin. de oratione agens, *hoc ſemper verſetur in corde, quod profertur in ore.* Vt enim dicit Diuus Paulus 1. Corinth. 14. mens eſt atque eſſe debet, quaſi verborum anima: nam quę ſine anima ſunt, voces dantia, ſiue tibia ſiue cithara, non tam verba ſunt quam ſonitus, & quaſi vox

Nota hoc valde, pro attentione, quæ neceſſaria eſt in oratione, & in recitandis Canonicis horis.

tubæ

tubæ eſt ille, qui ſine attentione canit aut orat. Ad quod propoſitum facit etiam quammaxime, id quod dixit D. Bernard. ſermo. 23. ſuper Cantica. *Immolantes hoſtias laudis, iungamus verbis ſenſum, ſenſui affectum, affectui exultationem, exultationi grauitatem, grauitati humilitatem, humilitati libertatem.* Sed vt ne quis perterreatur, rigore ſupradicti mandati & præcepti, accipiat aliam concluſionem, quæ etiam erit prædictorum & totius huius quæſtionis atque difficultatis reſolutio.

Nota hoc valde.

Quinta Concluſio.

Præceptũ orãdi & recitandi horas Canonicas, ſufficienter adimplet, qui in initio attendit quod agit nec poſtea voluntarie atq; conſulto diuertitur.

PRæceptum recitandi horas Canonicas, atque perſoluendi diuinum officiũ, ſufficienter adimplet, qui in initio orandi, attendit id quod agere aggreditur, talemque attẽtionem inter orandum, conſulto atque ex profeſſo, ſiue ex propoſito non interrumpit. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto, cõcluſione ſeptima vbi ſupra quam & multis exemplis & rationibus comprobat. Et eandem tenet Nauar. de oratione cap. 13. numer. 13. & ſequentibus, vbi huiuſmodi recitandi modum, vocat recitandi propoſitum virtuale, ſiue attentionem virtualem, & dicit in horis recitandis ſimpliciter eſſe neceſſarium, vt qui orant, habeant ſemper propoſitum actuale ſiue virtuale, expreſſum ſiue tacitum, attendendi & vacandi Deo. Ad quem ſenſum reducit & explicat, doctrinam Paluda. in 4. diſtinct. 15. quæſt. 5. & 6. dicentis, in oratione eſſe neceſſariam attentionem actualem, ideſt quod oratio naſcatur & procedat, ex intentione actuali eam dicendi, & quod orationis attentio, in principio eſſe debet actualiter intenta. Eadem eſt omnino ſententia D. Thom. 2. 2. quæſtio. 83. artic. 13. in corp. & ſolut. ad 3 argument. Solummodo ſupereſt inueſtigare & explicare, quamdiu huiuſmodi intentio ſeu attentio duret, & quando dicatur interrumpi? Ad quod breuiter & reſolutiue reſpondeo, cum Magiſtro Soto vbi ſupra, quod tamdiu durat, quamdiu quis nihil conſulto & meditate agit, per quod animum à priori attentione diſtrahi deprehendat. Nam vt inquit D. Thom. ſi quis ex propoſito, in oratione mente vagetur, peccatũ erit, & impeditur orationis fructus. Attamen quoties quis data opera, mentem ab attentione non dimouet, præceptum orandi & recitandi nõ omittit, neque ipſius oratio, ſine fructu aut merito erit. Vnde vt timoratis conſcientijs conſulamus dico, quod nemo cenſendus eſt, ab attentione orandi ex propoſito diſtrahi, niſi hæc duo ſimul concurrant, primo quod orationis tempore, in alio occupetur negotio, quod ſuapte natura orationis attentioni aduerſetur, ſecundo quod aduertat & cognoſcat, quod per illud, à tali attentione dilabitur. Imò verò dicit Caietanus in Summa, verbo, horæ Canonicæ, quod ſi quis vltro & voluntarie, inter orandum aliquid cogitet, per quod ab attentione dilabatur, quouſque inſpiciat ſe diſtrahi, ſemper reputatur inaduertenter diuagari, atque adeò excuſatur à tranſgreſſione præcepti & habendi attentionem, impletque ſubinde orãdi mãdatum. Hoc idem tenet etiam Nauar. de oratio. & Canon. horis, cap. 13. num. 18. & ſequentibus, vbi ad hoc propoſitum, dicit plura eaque notatu digniſſima, ex quorum notitia dependet reſolutio multarum difficultatum, quæ hic ſolent adduci: an ſcilicet orandi præceptum adimpleat, qui orat & recitat, ſe veſtiendo, induendo, manus lauando vel ſcribendo, aut ſubſignando litteras ſeu quippiam ſimile? Dico breuiter, quod ſi per illa quis ſciens & prudens, atque aduertens ſe diſtrahi, totaliter attentionem amittat, non adimplet ſi tamẽ illa non tantam adhibeat diligentiam, ſiue attentionem expoſtulent, vt fieri ſimul nequeant, adimplet atque ſatisfacit præcepto, etſi contra orationis dignitatem male faciat, & peccet ſaltem venialiter, haud forte mortaliter. faciendo cõtra præceptum attente recitandi. Aduerto tamen, multum oportere ſumma vt adhibeatur diligentia & procuretur, attentionem habere in recitando: nam ſi negligentia fuerit talis, quod peccetur etiam venialiter, licet talis oratio ſit ſatisfactoria præcepto recitandi, non tamen eſſe poterit meritoria. Quia ſicut idem omnino actus, non ſimul eſſe poteſt bonus & malus, ita neque meritorius & demeritorius, aut per illum poteſt quis, bene & male mereri. Non enim per peccatum veniale, quidquam mereri poſſumus, vt tenet communis Doctorum reſolutio, & tractat eleganter Nauar. in ſuo Manuali, prælud. 7. num. 22. & lib. de oratione capit. 2. nume. 7. & cap. 3, num. 43. & cap. 6. num. 34. quæ omnia ſunt valde memoriæ commendanda, vt non amittamus & perdamus meritum noſtrarum orationum, quando ſic oramus, ſeu horas Canonicas recitamus. Videatur etiam hac de re, Sylueſt. *verbo, hora, quæſt.* 11. latiſsime. In calce huius articuli libuit aduertere, id quod diximus de attentione in oratione & recitandis Canonicis horis, ac perſoluendo diuino officio, eſſe etiam intelligendum de eo qui priuatim & ſua ſpõte orat, nempe quod tenetur ſic orans, attentionem habere ad ſenſum ſupradictũ, alias peccabit, quamuis ſua oratio ſit voluntaria. Quod ſi dicas, qualiter peccabit, cum ora. e (vt ſupponitur) nullatenus teneatur, an nõ licebit ſibi diuina canere, abſque attentione, eo modo quo & artifex interdum, aliqua canit prophane, mentem diuertẽdo ſine peccato, quocumque voluerit, abſque vlla prorſus attẽtione? Reſpondeo & dico quod non, & ita reſpondet Soto vbi ſupra, dicendo quod non eſt bona collectio ſiue argumentatio. Non teneor orare: ergo neque quando oro, teneor attentionem habere. Nam licet licitum ſit alicui orare, quando voluerit, aut nõ orare ſi noluerit, ſi ad id nullo aſtringatur præcepto, & ab operibus Religionis nonnunquam deſiſtere, dum tamen ea facit, ex ipſarum rerum natura, tenetur debite illa facere, & ſtudioſum actũ debitis circunſtantijs veſtire, ne contemptor atque irriſor apud Deum habeatur. Hoc ſpecialiter verum habet, dum quis orat proprie, atque cum Deo loquitur: nam ſi quis dum aliquod negocium peragit, pſalmos velit decantare, vt ſic melius malas cogitationes deuitet, & caueat, nõ id quidem vitio illi erit tribuendum, cum nõ illud faciat per modum orationis, ſed per modum recreationis. Sed dices: Eritne vtrobique peccatum mortale, vltro & voluntarie ſe diuertere, & non habere attẽtionem, dum quis priuatim & citra præceptum orat, ac Clericus ſeu Religioſus, idipſum in recitando,

Difficultas. Quamdiu attẽtio virtualis duret.

Nota valde circa diſtractionem mentis in oratione, ſeu cum oratur.

Nota hoc valde, pro attentione & diſpoſitione mẽtis, neceſſario requiſita in oratione.

Difficultas.

Nota bene vide, qualiter procurãda sit attẽtio in orationibus alias voluntarijs, & non obligatorijs.

tando, siue dicendo horas Canonicas faciens: Respondeo quod non: nam vbi præceptum interuenit orandi, eodem præcipitur attentio, & sic illam vltro & voluntarie non habere, si inaduertentia fuerit notabilis, est peccatum mortale, postquam non fit satis præcepto, at vbi libere & citra obligationem oratur, sola erit culpa venialis, indecenter orare, & non habere attentionem pro orationis dignitate. Vnde in his orationibus priuatis & voluntarijs, distractio etiam meditata (nisi adsit contemptus) nunquam erit mortalis, sed tantum venialis.

ARTICVLVS XII.

Qualiter sit intelligenda concessio Leonis X. circa defectus occurrentes in Officio diuino?

PRo huius articuli intelligentia, oportet præmittere, quod prout habetur in Supplemen. fol. 59. conces. 69. & refertur in Compend. *ver. officium diuinũ* 1. §. 8. Leo X. cum videret, quam plures Fratres Minores, vt plurimum diuersis agitari scrupulis, circa recitandum Officium diuinum, qui non parum ipsorum conturbabant conscientias, paterna benignitate illos consolari volens, concessit eisdem, *quod dicendo horas Canonicas, & alia officia diuina, in Choro vel extra, satisfaciant præcepto, cap. dolentes. de celebratione Missarum, de dicendo studiose pariter & deuote, ac etiam Regulæ suæ, etiamsi propter aliquam fatigationem vel aliam causam, dicant sedendo aut deambulando, vel non integre proferẽdo verba prout sunt scripta, propter negligentiam aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, propter defectũ linguæ seu alias, quæ litercumque horas imperfecte dicant, aut cum mentis distractione, & sensuum vagatione, dum tamen non ex malitia hæc faciant, & quod qui cum talibus male proferentibus, vel alias supradictos defectus facientibus, dicunt officium, non teneantur reiterare ab alijs imperfecte dicta, aut ab eis nõ integre audita, propter distantiam localem, vel strepitum seu aliam causam, sed satisfaciant præcepto Ecclesiæ & Regulæ suæ, qualitercumque audiendo, quæ alij debent dicere, præsertim in Choro.* Hæc Leo X. Cuius quidem concessio, est maxima consolatione plena, & valde conducens, ad tollendos atque deponendos, multorum Religiosorum scrupulos, & pacandas & quietandas ipsorum timoratas cõscientias. Sed oportet in hoc articulo, tradere ipsius veram atque genuinam intelligentiam, quod fiet per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Supradictacõcessio Leonis X. sicut & multa alia priuilegia quæ habentur, potius sunt explicatio et declaratio iuris cõmunis, quã priuilegia.

SVpradictum Leonis priuilegium, sicut & multa alia, nostro sacro Ordini seu alijs, in similibus rebus à diuersis Pontificibus concessa, potius sunt atque esse videntur, declarationes iuris communis, quam priuilegia. Hæc conclusio est expressa Doctoris Nauar. libro de oratione & horis Canonicis, cap. 19. num. 84. & sequentibus, cuius conclusionis ratio est, quia fere omnia, in supradicto priuilegio contenta, secundum ius commune fieri possunt, vt constabit ex infra dicendis. Sed nihilominus quamuis huiusmodi priuilegia, secundum hanc sententiam, de nouo nihil concedant vltra ius commune, multum tamen conferunt, ad pellendos scrupulos, & pacandas multorum timoratas conscientias, atque etiam quando causæ in id de iure communi requisitæ, non sunt ita vrgẽtes, vt secundum Epicheiam & iustam legis interpretationem, intelligantur esse claræ & manifestæ, vt constabit ex infra dicendis, ea propter ad singularia & particularia descendendo, secundam statuo conclusionem.

Secunda Conclusio.

Illa verba in dicto priuilegio contenta, sedẽdo aut deambulãdo, nõ aliquid concedũt vltra ius commune.

ILla verba, *sedendo aut deambulando*, non aliquid de nouo concedunt vltra ius commune. Probatur hæc conclusio: nam vt diximus articulo 10. de iure communi, nullus est statutus modus orandi, & recitãdi horas Canonicas, imò verò potest quilibet absque peccato, orare atque ipsas recitare, pedes, eques, procumbens, iacens vel recumbẽs, ambulans aut quiescens, pro temporis & aliarum circunstantiarum diuersitate. Illa tamen (vt dixi) censetur aptior & melior orandi siue recitãdi dispositio, quæ orantem magis excitat, & prouocat ad deuotionem, illa vero sufficiens, quæ nullo modo impedit deuotionem siue attentionem eãdem, vt diximus de mente Nauarri. Quod dictum est de recitantibus officium diuinum, sedendo aut deambulando, intelligendum suo quoque modo est, de dicentibus ipsum, se vestiendo, aut aliquid simile operando, quod attentionem debitã minime impediat, prout latius dictũ est in articulo præcedẽti.

Tertia Conclusio.

Illa quoque verba vel nõ integrè proferendo, etc. nõ etiã aliquid concedũt vltra ius commune.

ILla quoque verba, *vel non integre ea proferendo, &c.* non etiam aliquid concedunt de nouo, vltra ius commune. Hæc etiam conclusio est Nauar. loco supracitato, num. 84. 85. & 86. nam intelligenda sunt, ita quod huiusmodi defectus, non efficiãt partem diuini officij adeo notabilem, vt ob illam debeat repeti aut reiterari, vt latissime probat idẽ Nauar. eodem libro de Oratione loco citato, & in pluribus alijs locis. Nam priuilegia restringenda sunt, non vero amplianda, iuxta regulam, *quæ contra iura, de regulis iuris, lib. 6. & capit. porro, de priuilegijs.* Nec ob id dicendum est, quod supradictũ priuilegium nihil proderit, contra id quod dicitur, *in cap. in his de priuilegijs, & in leg. si quando. C. de inoffitio. testament.* Nam dico primo, quod licet huiusmodi priuilegia, nihil concedant vltra ius, adhuc tamen multum conferunt & prosunt, ad pellendos scrupulos & pacandas conscientias, & ad alios effectus ibidem contentos. Nec enim militat eadem ratio, in omittentibus partem notabilem, & in his qui omittunt aliquam partem, versum aut psalmum. Vel dico secundo, prout dicit idem Nauarr. nume. 88. quod prosunt supradicta priuilegia, ad supplendam & tollendam obligationem, qua Religiosi nonnunquam adstringuntur, ad supplendum sub pœna saltim peccati venialis, illos defectus, qui sunt peccata venialia. Pro quo aduertit, quod prædictum priuilegium, non excusat à peccato etiam veniali, eum qui admittendo aliquos defectus, in eo contentos peccasset, nisi fuisset priuilegiatus, solummodo enim conceditur

Priuilegia sunt restringenda, nõ vero ampliãda.

Priuilegium semper debet aliquid operari.

Quid prosit hoc et alia similia priuilegia.

in

in fauorem eius, vt non obſtantibus dictis defectibus, ſatisfaciat decreto, *cap. dolentes*, etiam ſi eos poſtea non ſuppleat. Nam multi ſatisfaciunt præcepto recitandi, etiam peccando venialiter, quamuis non mereantur, vt dictum eſt in præcedenti articulo, & illud dicit idem Nauarro vbi ſupra, cap. 13. n. 121.

Quarta Concluſio.

Illa etiã verba dum tamẽ non ex malitia hæc faciãt nihil operantur vltra ius commune.

per peccatum veniale, nihil poſſumus mereri, cum per illud demereamur, et vno atq; eodem actu non poſſumus bene et male mereri.

ILla etiam verba. *Dum tamen non ex malitia hæc faciant*, nihil operantur vltra ius commune. Hæc concluſio patet: nam ſi ex malitia ſupradicta fiãt, diſtrahendo ſe, ita vt non habeant attentionẽ, ſeu intentionem ad minus virtualem, ſatisfaciẽdi præcepto recitandi, non ſatisfaciunt, & ſi malitia eorum fuerit quædam diſtractio voluntaria, & diuagatio venialis mentis, non tollens totaliter prædictam intentionem, ſiue attentionem, ſatisfaciũt quidem, non tamẽ merentur, quia per peccatum veniale nihil poſſumus mereri, cum per illud demereamur, & vno eodemque actu, non poſſumus bene & male mereri, vt ſupra in præcedenti articulo dictum eſt.

Quinta Concluſio.

Neq; illa verba, non tenẽtur recitare ab alijs imperfectedicta, aut ab eis nõ integre audita, aliquid operantur vltra ius commune.

Nota proſtrupulosis, et reiterãtibus ſuperſtitioſe ea quæ omittere videntur de officio diuino.

NEque etiam illa verba. *Non teneantur reiterare, ab alijs imperfecte dicta, aut ab eis non integre audita*, aliquid operantur vltra ius commune. Probatur hæc concluſio: nam ſecundum ius commune, illi ſolum peccant mortaliter, omittendo recitare officium diuinum, qui per ſuam incuriam ſiue negligentiam, omittunt eius aliquam notabilem partẽ, vel qui id agunt per contemptum ſeu cum notabili aliorum ſcandalo, alias enim non eſt peccatũ, niſi ad multum veniale. Vnde non eſt vtilis repetitio aliquorum ſcrupuloſorum, qui quaſi murmurãdo, ſupplent in Choro ſiue extra Chorum, quæ ab alijs imperfecte ſeu minus perfecte dicuntur, imò talis repetitio à viris doctis & timoratis, ſuperflua & quaſi ſuperſtitioſa dijudicatur, & reputatur, & peccatum inquietans intellectũ dicitur, cum ſit maius Dei obſequium, attendere & audire illa trãquille, humiliter & deuote, prout refert Paluda. in 4. d. 45. q. 20. Quænam dicatur pars notabilis, ſeu non notabilis in diuino officio, multis tractat Nauar. lib. de Oratione, c. 10. à n. 43. & deinceps, quæ breuitatis cauſa omitto, cum id relinquatur viri probi ac prudentis iudicio, videatur ibidem.

ARTICVLVS XIII.

An in dicendis & recitandis horis, ſit neceſſario ſeruandus ordo Breuiarij Eccleſiæ Romanæ, atque eidem ſe omnes Clerici, & Religioſi debeant conformare?

Nota circa cõuenientiam, ſiue differentiam ſeruandam, ab omnibus in recitãdo officio diuino.

DRo intelligentia huius articuli, adnotare libuit ex Magiſtro Soto, libro 10. de iuſtitia & iure, quæſtione quinta articulo primo, concluſione quarta, quod quãuis fuerit quammaxime conueniens, vt in recitando officio diuino, quantum attinet ad ſubſtantiam ipſius, ſumma eſſet conformitas & concordantia in Eccleſia, ita vt quemadmodum, vna eſt omniũ fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, quem omnes in vniuerſum fideles colunt & profitentur, ita etiam vnum eſſet omnium diuinum officium, quantum attinet ad ſubſtantiam ipſius, quæ conſiſtit in pſalmodia, ſiue pſalmis recitandis, orationibus & precibus dicendis: nihil tamen incongruit, imò verò (inquit) congruentiſſimum atque conuenientiſſimum fuit, vt in eadem Eccleſia, quantum ad accidentalia, iuxta varias Regiones & Prouincias, ac diuerſos viuendi modos, Eccleſiaſtici & Religioſi, in horis Canonicis dicendis atque perſoluendis, nonnihil variarent. Eſſetque Eccleſia, eo modo, quo illam olim regius pſaltes depinxit, ac ſe vidiſſe dixit, Pſalmo 44. ſtantem ſiue aſſiſtentem, à dextris ſponſi, in veſtitu deaurato, circumdatam varietate. Sicque (ait) ab Eccleſiæ naſcentis exordio, effectum eſt & conſuetudine poſitum: nam quæ canenda aut recitanda erant in Canonicis horis, non eadem prorſus fuerè ſemper apud omnes, quin vero in diuerſis Eccleſijs & Religionibus, diuerſi ſemper fuerunt orandi & pſallendi modi, vt colligitur *ex capit in die, de conſecratione diſt. 5. & ex cap. placuit, diſt. 12.* In quo quidem capit. *placuit*, quia multæ & nimiæ olim erant varietates, & modi recitandi, præceptum fuit, vt in modo & pſallendi diuini officij, cũ Eccleſia Metropolitana omnes ſe cõformarent Clerici. Sed in Religionibus, officium diuinum fieret, ſecundum ſua cuiuſque ſtatuta. Ad quod etiam facit, *capit. de his, & capit. nouit, eadem diſtinctione.* Videatur hac de re Syluester, *verbo, hora, quæſtione prima.* Hoc itaque obſeruatum fuit in Eccleſia, per multorum annorum curriculum. Quia tamen ab aliquibus, diuerſa fuere conſtructa Breuiaria, hoc obnixe Concilium Tridentinum reformare ſtuduit, vt conſtat *ex ſeſſione 25. de Breuiario & Miſſali reformandis*, quibus cum vltimam impoſuiſſet manum Pius Quintus Pontifex Maximus, anno Domini 1568. Idibus Iulij, Pontificatus ſui anno 3. Conſtitutionem quandam edidit, quæ incipit. *Quod à nobis*, & communiter circumfertur in initio Breuiarij Romani reformati, qua *præcepit omnibus Eccleſiaſticis, atque Regularibus, vt cum prædicto Breuiario Romano, per ſupradictum Concilium Tridentinum reformato, omnes ſe conformarent, eoque vterentur, & nullo alio vti poſſent, neque ipſi quicquam addere vel minuere, abolendo quæcumque alia breuiaria antiquiora, quouis priuilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus promulgata, omnemque illorum vſum, de omnibus orbis Eccleſijs, Monaſterijs, Conuentibus, Militijſque & Ordinibus & locis virorum, vel mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium diuinum, Romanæ Eccleſiæ ritu dici conſueuit, aut debet, illis tamen exceptis, quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, 200. annos antecedant & alijs certis Breuiarijs, vſos fuiſſe conſtiterit.* Hæc Pius Quintus, iuxta cuius conſtitutionem, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Omnes conſtituti in præfata conſtitutione Pij V. in perſoluēdo diuino officio, atque recitādis Cano. horis, cum S. R. Eccleſia, ſe conformare tenentur.

OMnes contenti in præfata Conſtitutione Pij Quinti, in perſoluendo diuino officio, atque recitandis Canonicis horis, cum ſancta Romana Eccleſia, neceſſario ſe conformare tenentur. Hæc concluſio, non aliqua indiget probatione, cum ſatis conſtet ex ſupradictis. Solummodo aduerto, quod iuxta dictam Conſtitutionem, nos Minores Fratres, exempti eramus à prædicta obligatione, propter Ordinis ſacri noſtri antiquitatem, quę antecedit non ſolum ſupradictos, 200. annos, verum etiam pertingit ad 400. ſed tamen ex particulari & ſpeciali noſtræ Regulæ præcepto, quod habetur cap. 3. in perſoluendo diuino officio, eidem Romanæ Eccleſiæ tenemur conformari, atque ita fit, eſtque à cunctis noſtris Fratribus obnixe obſeruandum. Sed curioſitatis gratia inquirere libuit,

Difficultas. An exiſtis extra Conuentum, in recitando diuino Officio ſi poſſint cū aliis conformari.

an hac conſtitutione ſtante, exiſtentes extra Conuentum, poſſimus cum alijs Fratribus aliarum Religionum, per ſua Breuiaria perſoluere diuinum officium, eiſdem nos conformando, & ſatisfaciendo debito noſtræ Regulę, & generali præcepto recitandi diuinum officium? Et ratio dubitandi eſt, quia in Monumētis noſtri Ordinis, primæ impreſſionis, folio. 55. & ſecundæ, folio 138. conceſſ. 105. habetur quædam cōceſſio Innocentij Quarti, qua id expreſſe concedere videtur, *quod ſufficiat ad perſoluendum debitum, ad quod Fratres ratione ſuæ Regulæ tenentur, neque iterum proprium officium dicere teneantur.* Difficultas igitur eſt, an ſupradictum priuilegium, ſit abrogatum & reuocatum, per præfatam Conſtitutionem Pij Quinti, per illa verba. *Omnem que illorum vſum, etc.* Cui difficultati Fratres noſtri

Prædictæ difficultatis reſolutio.

Ordinis, quidam affirmando, alij vero negādo reſpondent, ſed ego breuiter ſub aliorum cenſura dico, prædictum priuilegium quantum ad hoc, non eſſe per ſupradictam Conſtitutionem reuocatum. Primo quia in illo excipiuntur Ordines & Religiones, quæ illam antecederent ducentorum annorum ſpacio, vt dictum eſt. Secundo nam Pius Quintus, reuocando omnia priuilegia in contrarium, debet intelligi quantum ad hoc, quod non ſemper relinquatur vſus prædicti Breuiarij Romani, attamen quando non ſemper, ſed ſemel aut bis, quiſpiam virtute ſupradicti priuilegij, & cum cauſa legitima ibi expreſſa, cum alijs Religioſis in Choro ſe conformat, non videtur contraire Conſtitutioni prædictæ, de recitando ſupradicto Breuiario, etiam ſi ibidem, & in alia Conſtitutione Gregorij XIII. quæ habetur ſimul cum officijs Hiſpaniarum, præcipiatur vt ordo Breuiarij minime immutetur aut relinquatur. Propter eandem rationem, eo non obſtante etiam credo & exiſtimo, non eſſe peccatum ſaltem mortale, ſemel aut duabus vel tribus vicibus, Breuiarij prædicti ordinem immutare ſiue inuertere, recitando de Sancto, eo die, quo habebat recitari de feria. Eſſet tamē mortale peccatum, id ſæpe facere, cum ſic recitans tranſgrediatur impoſitum ſibi præceptum, & notabiliter deficiat ab vnitate & cōformitate, quam ſupradicti Pontifices haberi voluerunt, in horis Canonicis recitandis, quam Concilium Toletanum Quintum olim ſummopere commendauit, cap. 3. §. 11. Prædictam ſententiam tenet Medina Dominicanus in ſua Summa confeſſ. capit. 4. & Emanuel Rodericus, tom. 1. Quæſtio. Regular. quæſt. 42. art. 8.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Officium diuinum, ſit ſemper perſoluendum in Eccleſia, ſeu in loco ſacro?

Prima Concluſio.

Officium diuinum, & horæ Canonicæ in cōmuni, in loco ſacro et Eccleſia, ſubpræcepto ſunt celebrandæ & recitandæ.

LOquendo de officio diuino, & horis Canonicis in communi, & ſolemniter recitandis, in Eccleſia de præcepto ſunt celebrandæ, ſub peccato mortali. Habetur hæc concluſio, *in Clement. Graui, de celebratione Miſſarum*, vbi horæ Canonicæ in Eccleſijs iubentur dici & pſalli. Ratioque ad id eſt appoſitiſſima: nam & propterea cōſtructæ ſunt Eccleſiæ & Templa, vt latiſſime probat Magiſter Soto, lib. 10. de iuſtitia & iure, quæſt. 5. artic. 1. concluſione 3, & art. 4. concluſione etiam 3. nimirum vt illic horæ Canonicæ, & Miſſarum ſolemnia fiāt & celebrentur. Dicit tamen, quod ex priuilegio nihil obſtat, quominus in aulis principum ſeu alibi, eadem officia interdum canantur, quamuis de Miſſa videatur ſibi, quod non deberet in domibus priuaris dici, neque id vllo modo permitti. Videatur Syluеſter *verbo, hora, quæſt.* 10. & Nauar. de Oratione & horis Canonicis, cap. 5. à nu. 1. & ſequent.

Secunda Concluſio.

Loquendo de officio diuino et horis Canonicis, priuatim recitādis, vbivis dummodo locus non ſit indecens, poſſunt dici.

LOquendo de Officio diuino & horis Canonicis priuatim recitandis, vbi vis dūmodo locus non ſit indecens poſſunt dici. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, quam etiam tenet ſupradictus Soto, vbi ſupra, quo loco & refert opinionem Innocentij & Hoſtienſis, quorum meminit Syluеſter, *verbo, hora*, §. 3. aſſerentium Clericum beneficiatum, teneri ſingulis diebus, horas dicere & recitare in Eccleſia, niſi iuſto aliquo impedimento excuſetur, & quod alias ſi in camera eas dicat, nō reddet debitum: ſed hoc inquit Soto, multum eſt rigidum, ac ſine ſufficienti fundamento dictum, ac proinde neque tenendum. Dicit præterea Soto, quod quamuis priuatim diuinum officium, vbique poſsit perſolui, curandum tamen obnixe eſt, vt nō in foro aut in vicis, more aliorum negotiorum ſecularium id fiat: nam præterquam quod, attentioni præbetur impedimentum, non etiam habet illā honeſtatem & decentiam, quam res ipſa poſtulat pro ſua dignitate. Idem dicendum eſt de alijs locis indecentibus, vbi prophana fiunt, ſeu determinatis ad compotandum, aut in loco vbi naturæ ceditur, quod (inquit) non eſſe poterit abſque culpa, propter indecentiam. De his omnibus, & de fructibus qui ſubſequuntur ex eo, quod oratio fiat in Eccleſia & loco ſacro, videatur latiſſime Nauarro vbi ſupra.

ART.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm omittens recitare ſemel, ſeptem horas Canonicas, peccet vnum peccatum, an vero plura?

Concluſio.

Omittẽs vnico die, ſeptẽ horas Canonicas, peccat quidem mortaliter, ſed non committit plura peccata, ſed vnicum tantum.

OMittens vnico die, ſeptem horas Canonicas, peccat quidem mortaliter & grauiter, at non committit plura peccata, ſed vnicum tantum. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. lib. de oratione, cap. 7. numero. 6. quam & eſſe dicit Giraldi Carthuſiani, in tractatu de horis Canonicis, quæſt. 8. & ratio concluſionis eſt: nam omnes ſeptem horæ Canonicæ, vna ſunt tantum oratio, ſeu pro vna vnius diei oratione cõputantur, iuxta diffinitionem earumdem, quam de mente Cardinalis & aliorum, tradit ſupradictus Nauarr. loco ſupracitato, numero primo, vbi dicit, quod horæ Canonicæ, ſunt oratio publica, ſub certo pſalmorum numero, lectionum & aliorum huiuſmodi, à ſanctis Patribus, ad Dei laudem ordinata, & per ſeptem congruentes horas diſtributa. Cũ igitur ſint omnes vnica tantum oratio, conſequenter dicendum videtur (inquit prædictus Nauar.) quod eas vnico die prætermittẽs, aut non pronuncians, vnam tantum orationem omittit, atque ita vnicum tantum committit peccatũ mortale, licet grauius quam ſi omitteret dimidium officij, ſeu vnam tantummodo aut alteram horam, ſeu partem eius notabilem. Eſt autem intelligenda concluſio, de eo, qui peccat non pronunciando ſupradictas horas, non autem de eo, qui deliberate proponit eas nõ recitare. Hic enim toties quoties proponit omittere, omnes aut aliquam ipſarum in particulari, cum ſit ſub peccato obligatus ad dicendum ipſas, toties peccat mortaliter. Sed hæc difficultas longiorem requirebat diſputationem, circa peccatorum numerum in confeſsione explicandum, à qua conſultò ſupерſedeo, vt non hic liber, plus dilatetur nimio, remittendo lectorẽ ad Summiſtas, ſed præcipue ad Nauarrum in Manuali, cap. 25. num. 97. & in prædicto lib. de oratione cap. 7. à num. 6. & ſequentib.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm Prælati diſpenſare poſsint, cum ſuis ſubditis infirmis, in recitando diuino Officio?

Nota conceſſionẽ Leonis X. pro Fratribus infirmis.

ERro huiuſmodi Articuli intelligentiã præmitto, quod Leo X. & habetur in Monu. ordin. ſecundæ impreſſ. fol. 49. conceſſ. 171. & refertur in Compendio verbo, *Officium diuinum*, 1. §. 10. cum ſibi fuiſſet expoſitum, quod aliqui Fratres ſcrupuloſi, quando ſunt infirmi, fere nunquam poſſunt, aut ſciunt ſe determinare, quando licite poſſunt dimittere dicere horas Canonicas, quando vero non, *conceſſit quod ſiue propter febrem aut dolorem intenſum, vel aliam infirmitatem, Fratres fuerint grauati, ſatisfaciant dicendo pro horis Canonicis, Pſalmis & Hymnis, Pater noſter, Aue Maria, vel alia iudicio Prælati ſeu præſidentis loci, aut Conuentus aſſignanda, & hoc quando medicus corporalis, ſi commode poteſt haberi, dixerit infirmo eſſe ſuæ ſaluti nociuum recitare.* Huius occaſione quæritur nunc. An poſsimus vti huiuſmodi priuilegio, & reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Prælati bene poſſunt diſpẽſare, cum ſibi ſubditis infirmis, in recitãdo diuino officio.

PRælati bene poſſunt diſpenſare, cum ſibi ſubditis infirmis exiſtentibus, in recitando diuino officio. Hæc concluſio conſtat ex ſupradictis, & vt verum fatear, ſupradictum priuilegium, vt dictum eſt iam de mente Nauarri, parum vel nihil concedit de nouo, cum id etiam habeatur de iure communi. Nam ſecundum Innocentium & Hoſtiẽſ. *cap. 1. de celebratione Miſſarum*, omnis illa infirmitas, quæ infirmo nocumento eſſe poteſt, directe ſeu indirecte (notabiliter tamen) excuſat à recitatione horarum. Vnde cum hoc ita ſit, ac Summus Pontifex Leo X. non libere & abſolute, facultatem concedat Prælatis, vt pro libito diſpenſare poſsint cum ſupradictis infirmis Fratribus, ſed tunc ſolum, quando medicus corporalis, ſi commode haberi poteſt, iudicauerit id eſſe nociuum infirmo, certe videtur quod nihil nouum concedat vltra ius commune. Ita ſentit Nauarr. libro de oratione, capit. 19. nume. 88. Et videatur hac de re Sylueſter *verbo, hora, quæſt.* 4. Sed Eugenius Quartus, aliud priuilegium amplius atque copioſius fertur conceſsiſſe Monachis Congregationis ſanctí Benedicti, exiſtentibus in Hiſpaniarum partibus, *vt ſcilicet quilibet pro tempore Abbas, Prior, ſiue Prælatus, quorumlibet Monaſteriorum præfatorum, libere poſsint diſpenſare, cum omnibus & ſingulis, præſentibus & futuris Monachis, quorumcumque Monaſteriorum huiuſmodi, qui ſine tædio non poſſunt dicere horas Canonicas, & quod tempore infirmitatis vel poſt quam conualuerint, loco horarum ac officiorum, ad quæ alias tenebantur, dicant aliquid certum, ad arbitrium ipſorum miniſtrorum, & non teneantur ad illud officium canonicum, ac cum Prælatis ipſis ſimili modo, quilibet presbyter Monachus, per quemuis eorum eligendus, etiam diſpenſare poſsit.* Eandem conceſsionem pro infirmis & ſenibus, fertur conceſsiſſe Martinus Quintus, pro Fratribus ſancti Hieronymi, prout habetur in Compendio Mendicantium, *verbo, infirmi Fratres*, §. 11. & 12. Sed difficultas eſt, an Religioſus liberatus propter eius infirmitatem, à recitatione horarum Canonicarum, ſit etiam liberatus ab earum auditione, aut à parte quam poſſet recitare? Hanc difficultatem tangit Nauar. lib. ſupradicto de oratione, capit. 11. num. 6. Et quamuis non defuerint qui dixerint, Religioſos teneri ad audiendas horas, & ad recitãdam illam ſaltem partem, quam poſſunt; nihilominus contrarium concludit Nauar. cum Innocent. & Hoſtienſ. *in cap. de celebratione Miſſarum*, propter aliquas rationes & cauſas ibidẽ adductas, & à me in præſentiarum breuitatis cauſa prætermiſſas, quarum ea eſt præcipua, quia iure cauetur, vt Clerici horas pronuncient, non vero quod

Nota quid cõceſſerit Eugenius Quartꝰ, pro Fratribus Benedictinis, exiſtentibus in Hiſpaniarũ partibus.

Difficultas. An liberatus propter infirmitatẽ, à Recitatione horarum, liberatur ab auditione.

illas audiant audire ve teneantur, & quia odia sunt restringenda, non vero amplianda aut extendenda.

Nota valde, pro medicis, sine ratione & causa, licẽ tiam concedẽ tibus, & præ cipientibus, vt infirmi nõ recitent offi cium diuinũ.

In calce huius articuli adnotare libuit, id quod aduertit supradictus Nauar. loco supracitato nume. 4. quod nonnulli medici, ita sunt faciles in absoluendis ægrotis, ab obligatione recitandi diuinum officium, & à legibus Ecclesiasticis, imò verò & ab ipsius Dei præceptis, ac si ipsimet essent eorum auctores, quod summopere esset vitãdum nec propterea illis semper est credendum: namvt inquit D. Ambrosi. super Psalm. 118. & habetur *in cap. contraria, de consecrat. distinct. 5. contraria sunt diuinæ cognitioni præcepta medicinæ, quia à ieiunio reuocãt, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt, ita quod qui multum se medicinis dederit, se ipsum sibi abnegabit.* Dictum est valde notandum, ac memoriæ commẽdandum, quod propterea in præsentiarum adducere libuit.

ARTICVLVS XVII.

Vtrùm Officium diuinum, possit dici mentaliter, in toto aut pro magna parte?

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod Leo X. vt habetur in Supplemento, folio. 59. concess. 170. & refertur in Compendio, *verbo, officium diuinum*, 1. §. 9. Concessit, *vt ne Fratres Minores, mutuo se impediant in diuino officio, aut alijs sint fastidiosi, quod illa quæ in Ordinario, iubentur dici secretò sub silentio, tam in horis Canonicis quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter se per librum, quia aliqui deuotius sic dicunt, & absque impedimento & fastidio aliorum, & quod eodem modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis sit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* Hæc Leo X. vbi supra, hac concessione præmissa, quæritur nunc, an id fieri possit, & respondetur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

officium diuinum, aut saltim aliqua ipsius pars prætermissa, sat est quod dicatur mentaliter.

OFficium diuinum, seu aliqua ipsius pars prætermissa, sat est quod dicatur mentaliter. Hæc cõclusio constat ex dictis, in prædicto notabili. Circa quod priuilegium aduertit Nauarr. de oratione cap. 19. n. 88. quod in quãtum dicit, sufficere dicere horas Canonicas, absque expressione vllius verbi vocalis, per quod audiri possint ab alio, licet nõ sit peculiare priuilegium, quia id etiam est de iure communi, est tamen particulare, quatenus dicit, quod sufficit dicere pure mentaliter, absque vlla voce, secreta vel publica: nam omnis (inquit) oratio publica vel secreta, requirit verba saltim mentalia secreta, inter dentes seu labia formanda & pronuncianda. Nam canones & statuta Breuiariorum decernunt, vt horæ Canonicæ, voce aliqua dicantur, non vero, quod mente tantummodo concipiantur, aliud enim est aliquid dicere mẽte aut voce, aliud vero sola mente cogitare. Vnde supradicta Leonis concessio, quoad hoc est amplissimum priuilegium, & valde conducens, pro scrupulosis Fratribus.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrùm Religiosus, præfectus alicui Ecclesiæ seculari, possit aut teneatur, illius officium recitare?

Conclusio.

Ecclesiæ alicui seculari, Religiosus, præfectus perpetuo, potest illius officiũ recitare, non tamen si ad tempus tantummodo sit translatus.

ECclesiæ alicui seculari, Religiosus præfectus perpetuo, potest illius quin vero & tenetur officium recitare, non tamẽ si ad tempus tantummodo sit translatus. Hæc conclusio est expressa Syluestri, *verbo, hora, quæst. 1. dicto 6.* quam & probat ex Hostiensi *in capit. illa, dist. 12. et exgloss. in Clement. fin. de celebratione Missarum*, sed addit, quod fallit hoc, in Religiosis Ordinis Prædicatorum, quibus ex proprijs eorum constitutionibus, licet officium illius Ecclesiæ ad quam transierint recitare, etiam si non perpetuo, sed ad tempus transferantur. Nec hoc esse videtur contra intentionem & constitutionem Pij Quinti, præcipientis Regulares omnes, debere se omnino cum Breuiario Concilij Tridentini iussu nuper reformato conformare: nam Pius Quintus intelligendus est, de Regularibus siue Religiosis, existentibus in suis Conuentibus & intra suas proprias Religiones, vbi per dictum Breuiarium Romanum horas Canonicas recitare præcipiuntur, non autem de illis, qui auctoritate Apostolica seu alias, perpetuo vel ad tempus, ad aliquas Ecclesias conuolauerint. Ij enim de iure communi, tenẽtur sequi formam illius Breuiarij, quod in ipsis auctoritate Apostolica fuerit receptum. Et idem dico de Monachis ad beneficia secularia translatis, quod possunt recitare horas Canonicas, secundũ formam Breuiarij quod in talibus Ecclesijs recitatur.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm ratione alicuius negotij aut rei grauis, possint Fratres diuinum Officium immutare?

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod *Leo X. concesserit Fratribus Minoribus, vt possint officia feriarũ, quæ sunt prolixiora, anticipare diebus quibus sunt otiosi et officia festiua, quæ sunt breuiora, reseruare in illos dies, quibus credunt se fore occupatos, concionibus et confessionibus, modo id non faciant in fraudem, sed ad melius studendum, prædicandum et confessiones audiendum.* Habetur in Supplement fol. 59. concess. 170. & quamuis non inueniatur in priuilegiorum nostrorum compendio, refertur tamen à Nauar. de oratio. cap. 19. num. 88. quo præsuppositio priuilegio, quæritur an eo modo vti possimus? Cui difficulta ti respondetur, per sequentẽ conclusionem.

Con-

Concluſio.

Optime nunc poſſunt Fratres, vti ſupradicto priuilegio, neque id facere videtur eſſe contra ſupradictã conſtitutionẽ Pij V. de conformitate ſeruanda in diuino officio.

OPtime nunc poſſunt Fratres, vti ſupradicto priuilegio, neque id facere, videtur eſſe cõtra ſupradictam conſtitutionem Pij V. de conformitate ſeruanda in diuino officio. Pro huius concluſionis intelligentia, ſimul & probatione, eſt notandum, quod ſicut dicit ſupradictus Nauar. vbi ſupra dicta conceſſio Leonis X. non videtur priuilegiũ, quia tantumdẽ & forte amplius, videtur fieri poſſe ſtando in iure communi. Nam ſecundum legem communem ordinariam, cum ſuperuenerit aliqua occupatio ſubita, vel eiuſmodi quod non poteſt ei prouideri, nec omitti ſine ſcãdalo aut peccato, iuſta cauſa eſt, non recitandi horas Canonicas, iuxta DD. communiter. Et illud tenet Sylueſt. *verbo, hora, q. 15. in fin.* & ponit exemplũ, vt ſi occurreret neceſſitas ſubita omittendi horas, ad pacificandũ populum rixari volentem, & venientem ad arma, & non eſſet qui verſimiliter poſſet ſufficienter obuiare. Aut ſi ſit aliquis prædicator ſolẽnis, vel lector, in caſu neceſſitatis, propter lectionẽ ſeu prædicationem, poſſet totaliter omittere officium diuinum. Et idem dicit de confeſſarijs, audientibus confeſſiones in Septimana ſancta aut tempore ſubilei, ad quod quærendum ſiue lucrandum, oporteret vnum ſolum, omniũ in vna hebdomada audire confeſſiones. idem tenet Nauarr. & dicit eſſe omnia hæc de iure communi, ex quo conſtat, quod ſupradictum Leonis priuilegium, parum vel nihil concedit. Sed nihilominus dico, eſſe valde vtile atque proficuum, ad pacandas & aſſecurandas timoratas conſcientias, in caſu ſiue caſibus, quibus non ſit tam ſtricta & arcta neceſſitas. Nã omne priuilegium, vltra ius commune, ſemper aliquid debet operari, & aliquid de nouo concedere. Solum modo ſupereſt probare & oſtẽdere, qualiter id facere, non ſit contra præfatam conſtitutionem Pij V. de conformitate diuini Officij, cum Breuiario Romano. Et dico, quod Pius V. ibi ſolummodo tollit libertatem, recitãdi per aliud Breuiarium, quã ſupradictum, & aliter recitãdi officium diuinum, reuocando omnia priuilegia in contrarium, quando tolleretur vſus Breuiarij ſupradicti, non tamẽ prohibet quod aliquando, interueniente aliqua iuſta & legitima cauſa, in aliquo caſu vel caſibus, aliud recitari non poſſit, ad modum contentum in priuilegio ſupradicto, cum ſicut dictũ eſt idipſum, quin vero & aliquid amplius, alias liceret ſecundum ius commune, nec Pius V. reuocat ius commune.

Nota ex quibus cauſis, ex priuilegio, aut etiam ex iure communi, immutari poteſt, aut etiam omnino prætermitti, recitatio diuini officij.

ARTICVLVS XX.

Vtrùm defectus commiſsi, in recitando diuino Officio, per aliquid poſsint ſuppleri?

Concluſio.

Multa ſunt priuilegia, et remedia conceſſa, per quæ defectus cõmiſsi in recitando diuino Officio, poſſunt ſuppleri.

IN noſtri ſacri Ordinis Monumentis, multa & varia ſunt priuilegia & remedia, per quæ defectus commiſſi in recitando diuino Officio, poſſunt ſuppleri. Hæc cõcluſio non aliter habet probari, quam referendo ipſa. Et in primis Sixtus Quartus *conceſsit omnibus miſsis, in recitatione diuini officij, non valentibus perſoluere diuinũ officium, bene ac diligenter in choro prout tenentur, quod ſi per defectum viſus vel auditus, aliquid prætermiſerint, non teneantur illud omiſſum iterum perſoluere, ſed dicãt vnum pſalmum in ſiue horarum, & hoc ſufficiat eis.* Habetur in libro dicto, Monumenta Ordinis primæ impreſſ. fol. 62. & ſecundæ fol. 66. conceſſ. 98. & in Supplem. fol. 100. conceſſ. 383. & refertur in Compendio, *verbo, officium diuinũ, 2. §. 2.* Et Innoc. VIII. ſimiliter conceſſit, *quod quando Fratres Minores aliquid dimittunt de diuino officio, non ex dolo, poſsint illud ſupplere cum aliquo pſalmo, vel dicendo Orationem Dominicam vel Aue Maria.* Habetur in Monument. ſecundæ impreſſ. fol. 69. conceſſ. 149. & hoc idem ad litteram reperitur conceſſum, per Alexandrum Sextum vt habetur in Supplement. fol. 99. conceſſio. 362, & refertur in Compendiõ vbi ſupra, §. 3. & præterea Leo X. conceſſit, *quod quicumq; dixerit poſt quamlibet horam dicei, infraſcriptam orationem, & in fine illius vnum Pater noſter & Aue Maria, proſelici ſtatu ſuæ Sanctitatis & Eccleſiæ ſanctæ Dei, conſequatur plenariam remiſsionem omnium defectuum in illa hora, humanæ fragilitate commiſsorum.* Habetur in Supplem. fol. 61. conceſſ. 168. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 5. & oratio, quæ dici debet, eſt quæ ſequitur. *Sacroſanctæ atque individuæ Trinitati, Crucifixi Ieſu Chriſti Domini noſtri humanitati, et beatiſsimæ ac glorioſiſsimæ Virginis Mariæ fœcunditati, ſiue integritati, et omnium Sanctorum vniuerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus, et gloria ab omni creatura, nobiſque remiſſio peccatorum, per infinita ſæculorum ſæcula, Amen, et beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, et beata vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominum, Amen. Pater noſter et Aue Maria,* pro intentione ſupradicta. Et poſtea idem Leo, ampliando prædictam gratiam, cõceſſit quod nõ ſolum ſufficiat, ſupradictam orationem dicere, pro ſupplemento vnius horæ, quando dicitur per ſe ſola, ſed etiam omnium horarum, quando dicuntur ſimul ſiue vno contextu, licet aliquod paruum internallum inter vnam & aliam fiat. Habetur in Supplement. fol. 94. conceſſ. 294. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 6.

defectus cõmiſsi in recitando diuino officio poſſint ſuppleri

Circa quas prædictas conceſſiones, dicit Nauar. de oratione, cap. 19. num. 84. & ſequentibus, quod huiuſmodi priuilegia, potius videntur declarationes iuris communis, quam priuilegia. Nam illud Sixti IIII quo indulſit, vt cũ aliquo pſalmo poſſint ſuppleri defectus illi, qui fiunt in choro, eo quod non poſſunt Fratres bene audire vel videre, quod que nõ teneantur repetere, illud ipſum quod omiſerũt, potius (inquit) videtur ius commune quam priuilegium, adeo vt ſecundum ius commune, ſæpe numero nõ ſit neceſſe, ſupplere cũ alio pſalmo, propter impoſſibilitatem, aut propter alias rationes, quas ibidem in concl. 8. à num. 80. adducit. Præterea inquit, quod quando dicitur, quod Fratres poſſint ſupplere, cum ſupradicto pſalmo ſeu aliter, quod omiſſum eſt in diuino officio, intelligendum eſt, de parte non notabili, & quando tã modicũ & exiguũ eſt quod omittitur, quod licet omitteretur cum culpa, & non ſuppleretur, non imponeret neceſſitatẽ repetẽdi ſub pœna peccati mortalis.

talis. Insuper inquit, quod supradicta omnia priuilegia & similia intelligenda sunt, quando id fit non ex dolo, neque ex malitia, sed ex humana fragilitate, prout ibidem dicitur: nam qui ex dolo & ex malitia diuinum officium recitant male, contrahendo syllabas, deglutiendo dictiones atque incipiendo suos versus, priusquam ij cum quibus recitant absoluant suos, grauissime (inquit) peccant, mortaliter quidem, si fiat notabilis confusio & irreuerentia, sin minus venialiter, & tales defectus non supplentur, per prædicta priuilegia. Quod quidem est summopere aduertendum atque notandum, ne priuilegia prædicta, sint aliquibus negligentibus occasio, male horas Canonicas recitandi. Hactenus de isto articulo & de tota hac quæstione diuini officij.

QVAESTIO XXXVIII.

De Ordinibus Sacris, quantum ad Episcopos & alios Prælatos, habentes facultatem dandi, & conferendi ipsos, in decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit Ordo sacer?

CVM iuxta sententiam, & doctrinam Aristote. omne æquiuocum prius sit diuidendum, quam diffiniendum, antequam prædicti sacri Ordinis, diffinitionem constituamus, adnotare oportet, quod Ordo dupliciter sumitur, vno modo proprie, & sic est sacramentum imprimens characterem, vt dicemus statim; alio modo improprie & large, & sic non est sacramentum, neque characterem imprimit, sed est deputatio quædam ad diuinum cultū, vt prima tonsura, vel ad aliquod officium, vt Episcopatus, quamuis & de his quæstio & controuersia sit inter Doctores, Canonistas & Theologos, an sint dicenda Ordines proprie, necne, de qua differentia videndus est Syluest. *verbo, ordo, 1. num. 1.* Quo notabili præmisso, propositæ difficultati, respondetur per duas sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Ordo sacer, est signaculū quoddam, in quo specialis potestas, traditur ordinato.

ORdo sacer, est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato. Hæc ordinis sacri diffinitio, est Magistri sentent. in 4. dist. 24. de cuius explicatione videatur Syluest. loco supracitato, vbi & dicit de mente D. Thomæ, etiam in 4. distinct. 24. quod huiusmodi Ordo sacer est sacramentum, & competit ei diffinitio Sacramenti, cum in eius susceptione, adhibeatur quædam consecratio per visibilia signa, per quam ordinati disponuntur ad dispensationem diuinorum sacramētorum, conferturque illis in eo gratia, quæ est necessaria non solum ad digne suscipiendum quodlibet sacramentum, sed etiam ad digne illud ministrandum, atque in ipso imprimitur character, de quo videndus est etiam Syluest. *verbo character.*

Ordo sacer est Sacramentum, & confert gratiam, imprimitque characterem.

Secunda Conclusio.

Septem sunt ordines sacri

ORdines sacri, proprie atque in rigore loquendo, sunt tantum septem, quatuor minores qui non sunt sacri ratione materiæ, cum non habeant actum circa materiam sacram, vtputa Calicem vel Eucharistiam, seu quidpiam aliud simile, licet sint sacri secundum se, cum sint sacramēta, & tres maiores, sacri secundum se & etiam ratione materiæ. Quorum incipiendo ab infimo, primus est, Exorcistatus, secundus Lectoratus (sub quo etiam continetur Psalmistatus & Cantoratus) tertius est Ostiariatus, quartus Acolytatus, quintus Subdiaconatus, sextus Diaconatus, septimus Presbyteratus. Hæc conclusio est omnium Doctorum cō munis, satisque colligitur ex his, quæ habentur in iure, *in cap. si officia, distinct. 59. & cap. 1. distinct. 77.* Quorum prædictorum omnium, sufficientia numerus & ordo, sumitur secundum septem respectus ad Eucharistiam, vt quam latissime tradit D. Thomas in 4. sentent. distin. 24. vbi & videndus est Magister Soto, quæst. 1. per quatuor continuos articulos, in quibus hac de re cumulatissime tractat, asserendo & assignando, congruentissimas ipsorum diffinitiones, officia & munera, quæ cū facile possem dicere, ab his omnibus in præsentiarum, consulto supersedeo, vtpote quia non sunt præsentis speculationis, nec vero mei muneris, atque propositi, maiorem enim requirebant tractationē. Sat sit aliquid nunc sic succincte atque in communi dixisse, vt prædictarum rerum aliqualis saltem haberetur notitia, & vt pateret via, ad ea quæ in subsequentibus sunt dicenda.

quamuis & ipsi intra se differant.

ARTICVLVS II.

Virùm Regulares & Religiosi, necessario debeant ordinari, a proprijs Episcopis, in quorum diœcesibus commorantur?

PRo huius articuli intelligentia, & vt rerum omnium, plenior habeatur notitia, libuit in præsentiarum præmittere, quod Regulares & Religiosi olim, non necessario habebant ordinari à proprijs Episcopis, in quorū diœcesibus commorabantur.

Erat

Erat enim in id ſpeciale priuilegium Clementis IIII. quod habetur in Monum. Ordin. primæ impreſ. fol. 56. & ſecundæ fol. 140. conceſſ. 312. & in Supplem. fol. 96. conceſ. 321. & refertur in Comp. *verbo, ordines ſacri, §. 1. Quo conceſsit facultatem liberam, ad hoc vt Fratres Minores promoueri poſſent ad ſacros ordines, per quoſcunque Catholicos Epiſcopos, communionem & gratiam Sedis Apoſtolicæ habentes, & hoc abſque aliqua examinatione, per huiuſmodi Epiſcopos faciendo, et abſque omni promiſsione vel obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum.* Quæ quidem conceſſio quamuis quoad illud de examine, poſtea fuerit reuocata, per Leonem X. in Concil. Lateranen. & nunc nouiſſime per Concilium Trident. vt in amplius infra ſuo proprio loco dicemus, non tamen viſa fuit reuocata, per prædictum Concilium, quātum ad hoc, quod dicti Regulares & Religioſi, ordinari poſſent, à quocumque Catholico Epiſcopo. Nam id quod habetur *ſeſſ. 23. c. 8.* nempe, *quod vnuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur*, non intelligebatur olim, habere locum in Regularibus & Religioſis, aut ſaltem cum ipſis nūquam ſic fuit practicatum, quin vero à quocunque Catholico Epiſcopo ordinabantur, & cenſebatur quod poterāt ordinari, ſine aliqua licentia Epiſcopi ordinarij, prout expreſſe etiam olim, declarauit Pius V. Pontifex Max. in ſuo Motu proprio ſeu Bulla, quæ incipit: *Etſi Mendicantium*, & teſtatur Paraſellus in ſuo priuilegiorum Compendio, fol. 109. non tamē poterāt Epiſcopi, Regulares prædictos ordinare, ſine licentia ſuorum Prælatorum ordinariorum. Addo, quod nec quando id faciebant, tenebantur adhibere aliquam diligentiam, ſuper certificatione qualitatū, quæ in idipſum requirebantur, ſed fidem faciebant ſuorum Prælatorum litteris, de his rebus aſſerentibus atque teſtificātibus, prout faciebant, tenenturque nunc facere Epiſcopi, de literis collatis ab alijs ſuis Coepiſcopis, ſuper qualitatibus ſuorum ſubditorum, prout explicauit atque declarauit Sixtus V. quadam ſua Bulla, qua dixit, non eſſe ſuæ mentis & intentionis, vt in hiſce rebus ſe intromittant, ſed quod Ordinarij ipſorum ordinandorum, facere teneantur diligentiam prædictam, cum ſibi ſubditis dimiſſorias petentibus, ad hoc quod poſſint ordinari, iuxta Concilium Tridentinum & ſacros Canones, & in Dimiſſorijs prædictis, in conſcientia ſua certificationem de illis facere, nec oportere Epiſcopum ordinātem, cum talibus portantibus Dimiſſorias, nouam diligentiam facere ſuper requiſitis, niſi tātum in examine, ſuper idoneitate & litteratura. Idipſum (inquā) faciebant ſemper Epiſcopi olim, cum Regularibus & Religioſis prædictis, Dimiſſorias ſiue patētes litteras à ſuis Prælatis portātib⁹, ad hoc vt iuxta prædicta ſua priuilegia, à quolibet catholico Antiſtite, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, gratiam & cōmunionē habente, poſſent ordinari. Hæc igitur olim, vſq; ad annū 1596. Sed his in hoc ſtatu exiſtentibus, aliqua forſan ex hoc exoriri apparuerunt inconuenientia, quibus permotus ſanctiſſimus Dominus Clemens VIII. contrarium fieri decreuit & ſtatuit, id quod & faciendum eſt, niſi incōtrarium quicquam habeatur, & ſic, iuxta ipſius decretum, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Regulares & Religioſi quæ maxime fieri poſsit nō exiſtente legitimo impedimento, à proprijs Epiſcopis debent ordinari.

Nota decretū Clement. VIII. ſuper ordinatione Religioſorū.

REgulares & Religioſi, quammaxime fieri poterit, & non exiſtente legitimo aliquo impedimento, à proprijs Epiſcopis, in quorum diœceſi commorantur, debent ordinari. Hæc Concluſio ſatis videtur eſſe conſona iuri, & decretis prædicti Concilij Triden. ſed maxime illi, quod habetur loco vbi ſupra, quo dicitur, *vt vnuſquiſq; à proprio Epiſcopo ordinetur*, quod & intelligendum etiā eſſe cū Regularibus, expreſſe declaratū eſt, per Illuſtriſſimos Cardinales ſacræ Congregationis (vt dicitur) de mandato prædicti Papæ Clementis VIII. Quorum decretum, vt nihil hic deficiat, libuit apponere, & eſt tenoris ſequentis: *Congregatio Concilij cenſuit, Superiores Regulares, poſſe ſuo ſubdito identidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis, ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen diœceſanum, nēpe illius Monaſterij, in cuius familia, ab his ad quæ pertinet, is Regularis poſitus fuerit. Et ſi diœceſanus abfuerit vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopū, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria, conceſsionem dimiſſoriarum, in tempus quo Epiſcopus diœceſanus, vel abfuturus vel nullis habiturus eſſet ordinationes. Verū cū à Superioribus Regularibus, Epiſcopo diœceſano abſente vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtiq; huiuſmodi cauſam, al ſentia Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ & paſsiuæ priuationis, & alias arbitrio eiuſdem Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ reſeruatas, pœnas incurrant. In quorum fidem, &c. Datis Romæ die 15. menſis Martij 1596.* Hæc vbi ſupra, & refertur à Capuccino, in addi. ad Compendiū, *verbo, Ordines ſacri, §. 4. in fine.* An hoc communiter obſeruetur, poſitumque ſit in praxi, nō determino, alio rum eſto iudicium.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Epiſcopi ordinare poſsint, Regulares in ſuis domibus, ſine licentia Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus, eorum Monaſteria ſunt conſtructa & ædificata?

RAtio dubitandi eſt, nam Sixtus IIII. vt habetur in Monum. Ordin. primæ impreſ. fol. 63. & ſecundæ fol. 67. conceſ. 106. & refertur in Compen. verbo, vbi ſupra, §. 3. conceſſit, *quod quilibet Catholicus Epiſcopus, poſsit celebrare Ordines ſacros, temporibus ad hoc ab Eccleſia deputatis, in locis Fratrum Minorum de Obſeruantia, pro Fratribus prædictis dumtaxat.* Quod & Leo X. ampliādo conceſſionē prædictam, poſtea iterū conceſſit, vt habetur in Supplem. fol. 60. conceſ. 179. & refertur in Compend. vbi ſupra, §. 6. & *verbo be-*

bo, benedicere, §. 15. quod quilibet Catholicus Episcopus, in locis & personis prædictorum Fratrum, possit omnes actus Episcopales exercere.

Hæc deseruiant pro ratione dubitandi. Sed eis nihilominus non obstantibus, in contrarium statuitur Conclusio.

Conclusio.

Regulares hodie, nõ possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus sine licentia Diœcesanorũ in quorũ districtu eorũ Monasteria sunt sita & ædificata.

REgulares hodie, nõ possunt ab Episcopis ordinati, etiam in suis domibus, sine licentia Diœcesanorum, in quorum districtu eorum Monasteria sunt sita & ædificata. Hæc conclusio habetur expressa, in Concil. Trident. *sess. 6. c. 5.* cuius hæc sunt sequentia verba; *Nulli Episcopo, cuiusuis privilegij pretextu, liceat Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidẽ Ordinario subiectas tantum. Si secus factũ fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati, ab executione Ordinum, sint ipso iure suspensi.* Hæc Concilium, vbi supra. Per quæ verba, dum dicitur, *sine expressa licentia*, reuocata est supradicta Sixti IIII. & Leonis X. ac etiam alia, eiusdem Leonis X. facta in Concil. Later. quæ referuntur in Supplem. fol. 26. cõcess. 78. & in Compend. *verbo, Ordines sacri, §. 7.* qua concedebatur, *vt sufficeret prius ipsum diœcesanũ Episcopum, vel eius Vicarium, super hac cum debita reuentia requirere, poteratque Episcopus quilibet ordinare Fratres, eodem à sua Diœcesi absente, vel absque rationabili causa contradicente.*

Difficultas. Vtrum Episcopus, faciẽs Ordines, ordinare possit aliquas personas sibi non subiectas, de licentia propriorum Ordinariorum.

Sed circa illa verba, *in personas eidem Ordinario subiectas tantum.* Difficultas insurgit, neque cõtemnenda, An Episcopus faciens Ordines, in aliqua diœcesi de licentia Diœcesani, ordinare possit, nõ solum personas eidem Ordinario subditas, verũ etiam Clericos, & Fratres aliarum Diœcesum, legitimas licentias atque Dimissorias portantes? Circa quam difficultatem, varios atque diuersos esse inueni Doctores, quos hac de re consului, & fere nihil litteris mandatum reperio. Sub cẽsura tamen & correctione cuiusliber melius sentientis, dico, grauissimis Doctoribus iurisperitis, visum fuisse quod sic, cum tamen de eorumdem idoneitate, sufficientia atque legitima facultate, ad Ordines recipiendos, constet ipsi Episcopo Ordinario, in cuius diœcesi ordinationes fiunt. Nã (inquiunt) præfata Concilij verba, *et in personas, eidẽ Ordinario subiectas tantum*, ad hunc sensum solum modo sunt intelligenda, quod prædicti Episcopi, ordinare non possunt eos, qui Episcopo diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis Ordinarijs, litteras Dimissorias habeant legitimas, ad recipiẽdos Ordines, illasque repræsentẽt ante Episcopum Ordinarium. Quod & communiter semper obseruari vidi in praxi, in nostris Hispaniarum partibus. Neque hucusque circa hanc rem de nouo aliquid statutum inuenio, præterquam quod Regulares & Religiosi, vt in præcedẽti Articulo diximus, communiter & regulariter loquendo, non existente aliquo legitimo impedimento, probato & de quo certa fides habeatur, ex decreto Clementis VIII. à proprijs Ordinarijs Episcopis debent ordinari, quod an sit in praxi necne, non determino, alio rum sit iudicium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Episcopi ordinare possint Regulares, sacris Ordinibus extra tempora?

RAtio dubitandi est, nam vt habetur in Compendio priuilegiorum Mendicantium ex priuilegijs Monachorum sancti Benedicti, *verbo, Ordines sacri, §. 9. Eugenius IIII. concessit olim, vt singuli Monachi, præsentes et futuri, Ordinis sancti Benedicti, ad id idonei, quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit siue nominauerit, semel dumtaxat in anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines, vna et eadem die, etiam extra tẽpora à iure statuta, à quibuscumq; Catholicis ritualibus gratiam et communionẽ Sedis Apostolicæ habentibus, cuius sui super hoc licẽtia minime requisita, suscipere, dictisq; Antistites eisdẽ Monachis, Ordines huiusmodi tunc conferre possint.* Hæc Eugenius IIII. vbi supra. Quo priuilegio communiter vtebantur & fruebantur olim, omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Quinuero & in priuilegijs Ordinis sancti Hieronymi, habetur aliud simile, quo (vt dicitur) *Alexander VI. concessit quod Prior generalis Ordinis prædicti S. Hieronymi, et singuli Priores eiusdem Ordinis, presentes & futuri, possint eligere quẽcumq; Episcopum Catholicum, communionẽ Sedis Apostolicæ habẽtem, qui personas singularum Monasteriorum huiusmodi ad id idoneas, ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines, etiam extra tẽpora à iure statuta, tribus diebus Dominicis, siue festiuis duplicibus, succedentibus promouere possit, Diœcesanorum licentia super hoc requisita.* Habetur in Compend. priuil. mendicantium verbo vbi supra §. 11. Quibus concessionibus (vt dixi) vtebantur & fruebantur olim, omnes Fratres Ordinum Mendicantium, & qui priuilegium habebant, eorumdem communicationis, ordinabantur que extra tempora. Quod & de facto, etiam post Conc. Trid. in nostris Hispaniarum partibus, fieri interdum & practicari vidi, nescio quo quorumdam vt dicitur, grauissimorum Salmancensiũ Doctorũ & iurisperitorum consilio, neque omnino ab hac sententia & opinione discedit, Emanuel Rodericus, in suis qq. Reg. 3. tom. quæst. 23. articul. 5.

Sed quidquid de hoc sit, pro alia in contrarium parte, meo quidem videri, facit quamimaxime, id quod habetur in Concil. Trid. *sess. 23. c. 8.* vbi expresse dicitur, *quod ordinationes sacrorum Ordinum, statutis à iure temporibus celebrentur. &c.* Quibus verbis, quamuis non id dicatur atque apponatur statim, reuocari videntur supradicta priuilegia. maxime cum postea in eodem Concilio *sess. 25 ca. 22.* quasi epilogando omnia, quæ in sessionibus præcedentibus dicta fuerant, cõcludat prædictũ Concilium, dicendo; *Hæc omnia & singula, in superioribus decretis contenta, obseruari præcipit sancta Synodus, in omnibus Cœnobijs, & Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorũcũque Monachorum et Regularium, &c. nõ obstantibus eorũ omniũ et singulorum priuilegijs, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, & mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon*

consti-

conſtitutionibus & Regulis etiam iuratis, atque etiam conſuetudinibus vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus, &c. Quibus omnibus, circa propoſitum Articulum, de non habendis ordinationibus extra tempora, facit etiam, *Extranag. Pij II. quæ incipi. Cum exſacrorum*, vbi ſuſpenduntur ſic ordinati, ibi *neque extra tempora, &c.* & nunc nouiſſime ſpeciali ter accedit conſtitutio Sixti V. contra male promotos, quæ incipit, *Sanctum, ac ſalutare*, vbi ſtricte, ac ſub grauibus pœnis præcipitur, *vt nemo extra tempora ordinetur*. Facit ad idem quia licet Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. & nunc nouiſſime ſanctiſſimus noſter Paulus V. Religionum priuilegia confirmauerint: ſemper tamen fuit exceptione facta, atque appoſita clauſula, *dum tamen non ſint contatria decretis Concilij Tridentini, aliiſq; Conſtitutionibus Apoſtolicis*: Talia enim, neque confirmata ſunt, neque ea confirmare vnquã voluerũt. Vnde ſupradicta ſententia atque opinione prætermiſſa, vt huic rei vltimam manum imponam, ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Opinio et ſententia, quæ dicit, poſſe Regulares nũc, virtute ſupradictarũ priuilegiorũ, ab Epiſcopis ordinari, Ordinibus ſacris extra tẽpora, nullo modo videtur probabilis aut ſequẽda.

OPinio & ſententia quæ dicit, poſſe Regulares nunc virtute ſupradictorum priuilegiorum, ab Epiſcopis ordinari, Ordinibus ſacris extra tẽpora, nullo modo mihi videtur probabilis aut ſequenda. Huic ſententiæ & concluſioni adhæreo, propter fortiſſima teſtimonia, quæ pro ſe habet, vt viſum eſt, licet & olim in ea fuerim opinione, quod contraria non ſua prorſus probabilitate carebat. Sed quidquid de hoc ſit, hæc ſententia eſt verior & ſecurior, ac proinde ſequenda, & tenenda, cum ſit & iuri communi, & decretis ſacri Concilij Tridentini & ſpeciali conſtitutioni prædicti Pij II. & nunc nouiſſime Sixti V. contra male promotos, magis conformis. Nec obſtat dicere, quod in Concilio Tridentino prædicto, quando dicitur atque præcipitur, *vt ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis à iure temporibus celebrentur*, nõ fuit appoſita conſulto, priuilegiorum clauſula reuocatoria (vt dicunt Doctores contrariæ ſententiæ) & ex eodemmet loco patet, quod inquiunt factum reperitur ſæpe alibi, ſed maxime quando fuit dictũ, *quod vnuſquiſq; à proprio Epiſcopo ordinetur*; quo loco ſtatim priuilegia in contrarium reuocantur; & vt videtur, generalis eſt Concilij prædicti conſuetudo & regula, in omnibus Capitulis vbi aliquid præcipit executioni mandari, contra Regularium priuilegia, quod ſtatim apponatur reuocatoria clauſula, quod non ſit quando dicitur, vt ordinationes ſacrorum Ordinum, ſtatutis à iure tẽporibus celebrentur: hoc (inquam) non obſtante, dico contrarium eſſe tenendum & dicendum, nã ſufficit, ſuperq; ſatis eſt id vt fiat ſicut & factum eſt poſtmodum *ſeſſ. 25. c. 2.* vbi generaliter, adeo clare & expreſſe (vt viſum eſt) reuocantur omnia & ſingula Regularium priuilegia, ſub quibuſcumque formulis verborum concepta, contraria decretis eiuſdem Concilij Tridentini, & vt dicitur, in expreſſis non eſt locus coniecturis, & qui totum dicit nihil excludit. Propter quæ & quia idipſum expreſſius poſtmodum eſt conſtitutum & declaratum, in ſupradicta Conſtitutione Sixti V cõtra male promotos, huic ſententiæ & opinioni ſtandum eſſe cenſeo, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque, & contrariam nullo modo tenendam aut ſequendam.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Epiſcopi poſsint Regularibus, in vna & eadem die, duos ſacros Ordines conferre?

RAtio dubitandi eſt, nam vt dictum eſt in præcedẽti Articulo, *Eugenius IIII. conceſsit Monachis ſancti Benedicti, præſentibus & futuris, vt omnes etiam ſacros Ordines, vna & eadem die ſuſcipere poſsint, et quilibet Epiſcopus illos ſibi coferre*. Quibus & accedit, quod loquendo de Minoribus Ordinibus. Nauar. in Manuali. c. 25. nu. 71. & c. 27. num. 241. credit fieri poſſe, quod vna & eadem die conferãtur, iuxta gloſſam in *c. de eo, de temp. ordi. et c. 2. de eo qui furtim ordinat*. etiam nunc poſt Concil. Trid. in eo cum quo Epiſcopus diſpenſaret, vt initiaretur non ſeruatis temporum interſtitijs, quinuero & poſſe illos ſuſcipere, ſimul cum Subdiaconatu in eadem die, vbi talis eſt conſuetudo, quam ſecundum D. Anton. 3. part. tit 14. c. 16. valere dicit, quia (inquit) Concilium Trident. prædictam conſuetudinem non tollit, aut ſubmouere intendit. Facit etiam pro ratione dubitandi, quod nunc nouiſſime Sixtus V. in dicta ſua Conſtitut. quam fecit contra male promotos, licet graues pœnas proponat, cõtra Prælatos, qui quempiam ordinauerint, non ſeruatis temporum interſtitijs, aut in vna & eadem die ſeu continuatis diebus, pluribus ſacris Ordinibus, addit tamen in fine, *ſine rationabili cauſa*, ex quibus verbis à contrario ſenſu colligitur, quod cum illa, idipſum facere ſit lititum, & maxime cũ Regularibus habẽtibus in id ſpeciale priuilegiũ, quale videntur habere prædicti Monachi Benedictini, quinuero & quicumque alij, qui cõmonicationis priuilegium habent, neque propterea in dictas pœnas incurrere aut in vllas alias. Sed ijs nõ obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Prima Concluſio.

Duo ſacri Ordines abſque ſpeciali priuilegio, denouo cõceſſo, nulli omnino in vna & eadẽ die poſſunt conferri.

NVllus Epiſcopus, abſque ſpeciali & particulari priuilegio, & inculto, de nouo conceſſo, cõferre poteſt alicui etiam Regulari, duos ſacros Ordines in vna & eadem die, etiam ſi ad id faciendũ, prætendat habere ſe, quantumcumque legitimã, nimis vrgentem & rationabilem cauſam. Hæc Concl. probatur primo, quia in Concil. Trident. expreſſe id fieri prohibetur, in illis verbis, quæ habẽtur *ſeſſ. 23. c. 13. Duo ſacri ordines non in eadem die, etiã Regularibus conferantur, priuilegijs atque indultis quibuſcumque conteſsis, in contrarium non obſtantibus*. Quid quæſo expreſſius aut clarius dici potuit? Vnde & valde miror, quod adhuc quidam in ea perſiſtant ſententia, vt credant regularium priuilegia quod hoc non eſſe reuocata. Sed probatur præterea dicta Conclu. ex quadam decretali, in

i. cum

c.cũ dilectus, iuncta gloſſa de temp. ord, vbi *dicitur quod olim quidam Archiepiſcopus, non potuit in hac d ſpenſare, cum quodam electo in Epiſcopum, vt ſcilicet, in vna & eadem die, duo ſacri Ordines ſibi conferrentur, & quia certus Epiſcopus id ipſum fecit, ſuſpendi vſus eſt & ſubditur, quod id fieri non poterat, niſi ex ſolius Papæ diſpenſatione.* Quæ verba valde notant atque ponderant, ibid. Innoc. & Hoſt. vt refert Syluest. *verbo, ordo,* 2. q. 7. vbi & ad hoc allegat plura alia iura, *c. qui in aliquo, d. 51. c. qui Eccleſiaſticis, d. 36. c. ſi qui Epiſcopi* 1. q. 1, *c. litteras, & prad. cap cum dilectus, de temp. ord.* Qua de re videndus eſt etiam Nauarr. in Manuali cap. 25. num. 71. Cum ergo iuxta communem iuris regulam, ius nouum numquam deroget antiquo, niſi id expreſſe dicat, & ius antiquum (vt viſum eſt) expreſſe habeat id, vt nullatenus, fiat & dictus Epiſcopus id facere non potuerit, ex tam legitima atque vrgente cauſa, qualis erat ordinare electum in Epiſcopum, haudquaquam credendum eſt, quod Sixtus V. in d. ſua conſtitutione, contra Concilium Tridentinum prædictum, & contra tot iura, indulgere voluerit, quod fieri poſſet contrarium, in illis verbis, *ſine rationabili cauſa*, quinuero ea occurrente, recurrendum erit ad Papã, ſiue ad ipſius illuſtriſsimũ Nuncium, in id auctoritatẽ habentẽ, & contrarium faciens, præterquam quod mortaliter peccabit, erit ipſo facto ſuſpenſus, & ſimiliter qui illos ſuſcepit à poſteriore ordine ſuſcepto, vt inferius dicemus. Hæc dixerim de Ordinibus ſacris maioribus. Sed quid de prima Tonſura & Minoribus, ſeu de Subdiaconatu ſimul cum prædictis Minoribus? Reſpõdeo & ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Minores etiã ordines, dari debent per temporum interſtitia niſi aliud Epiſcopo videatur.

MInores etiam Ordines, non in vna & eadem die debent cõferri, ſed per temporum interſtitia, niſi Epiſcopo aliud magis expedire videatur. Hæc Concluſio habetur expreſſa, *ſeſſ. 23. c. 11.* vbi adnotanda veniunt verba illa, *niſi Epiſcopo aliud magis expedire videatur.* Quænam cauſa in id requiratur, dicetur inferius, vbi de hoc ſpecialẽ faciemus Articulum. Habetur etiam hæc concluſio, *in c. 2. de eo qui furtim ordin.* Sed Nauar. vbi ſupra tenet contrarium, & credit quatuor Minores Ordines (quamuis nõ id fieri debeat regulariter) poſſe in vna & eadem die conferri, illi cum quo Epiſcopus diſpentaret, vt non ſeruatis interſtitijs initiaretur, quinuero & poſſe ſuſcipere illos ſimul cum Subdiaconatu, id quod & tenet Ioa. Gutier. lib. qq. canonic. q. 26. n. 31. Sed ego cum illis hac in re, neque aſſentio neque diſſentio, non enim volo iudicẽ agere, aliorum eſto iudicium, poſſit ne id aut non poſſit practicari, maxime nunc poſt conſtitutionem Sixti V. contra male promotos. Sed aduerto, quod in caſu quo id facere oporteat & prædicta opinio ſequẽda ſit, maioris erit difficultatis id facere, cõferendo quatuor Minores Ordines, in vna & eadẽ die, ſimul cum Subdiaconatu: nam primum relinquitur Epiſcopi iudicio abſolute, ſecundum vero non abſolute, ſed reſpectu habito ad Eccleſiæ vtilitatem ſiue neceſſitatẽ: quod eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Epiſcopi ordinare poſsint, Regulares ſeu alios, non ſeruatis temporum interſtitijs?

Prima Concluſio.

Minores etiã Ordines, conferri non debent, niſi per temporum interſtitia.

MInores etiam Ordines, iuxta Concilij Tridentini decretum, conferri habent per temporum interſtitia. Hæc Concluſio iam ſatis patet ex ſupradictis, & habetur expreſſe, in *d. c. 11. ſeſſ. 23.* Sed vt diximus, relinquitur id Epiſcopi arbitrio, nulla expreſſa alia cauſa, Eccleſiæ vtilitatis, ſeu neceſſitatis.

Secunda Concluſio.

Ad Subdiaconatus ordinem, multo minus poteſt quiſpiã promoueri, niſi ſeruato interſtitio vnius anni, à ſuſceptione poſtremi gradus.

AD ſubdiaconatus ordinem, multo minus poteſt quiſpiam promoueri, niſi ſeruato interſtitio vnius anni, à ſuſceptione poſtremi gradus, ordinis Minorum. Hæc Concluſio habetur etiam expreſſa, in dicto Concilio, vbi ſupra, in illis verbis: *ij vero non niſi poſt annũ, à ſuſceptione poſtremi gradus, Ordinum Minorum promoueantur.* Hoc dixit, poſtquã egit de Ordinibus Minoribus prædictis.

Tertia Concluſio.

Ad Diaconatus & Presbyteratus ordinem, ſunt ſeruanda interſtitia vnius anni.

AD Diaconatus & Presbyteratus ordinem, etiam ſunt ſeruanda temporum interſtitia, vnius anni, ab vno ordine ad alium. Habetur hæc concluſio, in ſupradicta *ſeſſ. 23. c. 13. & 14.* vbi poſt quam Concilium latiſſime egit, de omnibus o dinibus, tam minoribus quam maioribus, & de modo & forma, in eiſdem conferendis ſeruanda, poſt alia in ſequentia prorumpit verba.

Promoti ad ſacrum Subdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſunt verſati, ad aliorem gradum (niſi aliud Epiſcopo videatur) ſcẽdere nõ permittantur, & in cap. ſequenti, dicitur, *quod ad Presbyteratus ordinem, aſſumantur ij, qui etiam ad minus in Diaconatu, per annum integrum miniſtrauerint; niſi ob Eccleſiæ vtilitatem aut neceſsitatem, aliud Epiſcopo videretur.* Hæc Concilium, ſupradictis in locis. Quæ quidem decreta, etiam ſi de Regularibus expreſſam, ſeu ſpecialem mentionem non faciant; communis eſt tamen Doctorũ ſententia & Reſolutio, quod abſque diſcrimine, de clericis atque etiam de Regularibus ordinãdis ſunt intelligẽda. Id quod ſpecialiter conſtat, ex conſtitutione Sixti V. contra male promotos de qua mentionem fecimus ſupra, in illis verbis: *Quemcunque ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis aut militiæ Regularem.* Sed difficultas eſt, quiſnam poſſit in huiuſmodi interſtitijs diſpenſare? Qua de re fiet ſermo in ſequenti articulo.

(..)

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Quibusnam incumbat, in ſupradictis interſtitijs diſpenſare? Prælatis regularibus, an verò Epiſcopis?

Prima Concluſio.

Facultas diſpenſandi in interſtitijs cum regularibus, nõ competit ipſorũ Prælatis, ſed Epiſcopis.

EAcultas diſpenſandi in interſtitijs, etiã cum Regularibus, non competit ipſorum Prælatis, ſed Epiſcopis. Probatur hæc Concluſio, ex ſupradicto Concilio Tridentino, Seſſione 23. cap. 11. vbi agens de Minoribus Ordinibus, poſtquam dixit, quod per temporum interſtitia conferantur, ſubdidit, *niſi aliud Epiſcopo, magis expedire videatur.* Quibus verbis, Epiſcoporum, non verò Prælatorum regularium iudicio plane committitur interſtitiorum diſpenſatio. Ac paulo inferius loquendo de promotione à ſupradictis Ordinibus Minoribus, ad Subdiaconatum, cum præcepiſſet Concilium, vt non fiat id, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus, ſubdit etiam, *niſi neceſſitas aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi aliud expoſcat.* Idem ipſum dicitur infra cap. 13. loquendo de Diaconatu, atque vt dicitur in expreſſis, non eſt locus coniecturis. Quibus omnibus addo, quod licet Concilium, ſupradictis in locis Epiſcopi, ſeu Epiſcoporum non expreſſiſſet nomen, ſed vteretur ſolummodo abſolute, verbo Ordinarij, ſeu Ordinariorũ, adhuc Ordinarij nomine, Epiſcopus non verò Prælatus Regularis, veniret intelligendus, & hoc eſt certum & abſque omni prorſus dubio. Nam quamuis Prælati Religionum, ſed maximè Generales & Prouinciales, reſpectu ſuorum ſubditorum, verè etiam ſint Ordinarij, & ordinariam habeant iuriſdictionem, in abſoluendo & diſpenſando cum ſuis ſubditis: quando tamen aliquod decretum, ſacrorum canonũ, Bulla ſiue Motus proprius, abſolutionem aut diſpenſationem alicuius cauſæ, Ordinario cõmittunt abſolutè, in dubio intelligendum id ſemper eſt, de Epiſcopo, non verò de Prælatis Regularibus prædictis, cum iuxta Ariſtotelis regulam, analogum per ſe ſumptum, ſtet pro famoſiori ſignificato. Id quod & expreſſius probatur à ſimili, ex Bulla quæ dicitur Cruciata, vbi quando datur facultas eligendi Confeſſorem, approbatum per Ordinarium, communis eſt Doctorum omnium reſolutio, quod Ordinarij nomine, intelligitur venirque intelligendus Epiſcopus, non verò Regularis eiuſdem Confeſſoris Prælatus. Sed tandem hæc veritas, iam eſt diffinita, per illuſtriſſimos Cardinales, ſacræ Congregationis Regularium, vt tradit Paraſellus in ſuo Compendio priuiligiorum, fol. 225. qui hac de re ab eo conſultati, anno 1573. dicit, eoſdem ſibi reſponſum adhibuiſſe: *Quod Prælati Regulares non poſſunt diſpenſare in interſtitijs, in literis Dimiſſorijs, quibus mittunt ſuos ſubditos ad ſuſtipiendos Ordines. Sed dicti Prælati cum mittunt ſuos ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos, et expedire iudicauerint ac neceſſe habuerint, vt cum eiſdem in interſtitijs diſpenſetur, in prædictis litteris Dimiſſorijs, humiliter debent exorare ſupradictos Epiſcopos, vt id faciant cum omnibus, vel cum tali, aut tali.* Addit Paraſellus, quod non neceſſum eſt, vt deſcendant ad aſſignationem alicuius cauſæ, quamuis interdum, non ſit incongruum id ipſum facere, & quod ſupradicti Epiſcopi, id tenẽtur efficere, abſque vlla vtilitatis ſeu neceſſitatis inquiſitione, fidem eiſdem faciendo iuxta leges vrbanitatis, & quod hac in re ipſi affirmauerint, atque neceſſarium eſſe dixerint, tale dijudicare. Sed quid dicendum eſt, de alijs ordinandis non religioſis nec Regularibus, ſed Clericis, Epiſcopis alijs ſubiectis, cuinam competit cum eis, in interſtitijs diſpenſare, ordinatori, an verò Epiſcopo mittenti ſuum ſubditum ad ordinandum? Reſpondeo, & ſit ſecunda Concluſio.

Ordinarij nomine, abſolute ſumpto ſemper intelligitur Epiſcopus, nõ vero regulares Prælati, quamuis & ipſi alias ſint Ordinarij.

Nota valde qualiter prælati regulares, ſe habere debeãt cũ ſuis ſubditis, per Epiſcopos, in interſtitijs diſpenſari.

Secunda Concluſio.

Diſpenſare in interſtitijs cum ordinando, pertinet in clericis, ad Epiſcopũ ipſorum ordinarium, nõ vero ad ordinatorem.

QVando Epiſcopi ordinarij, propter aliquam cauſam non faciunt ordines, & alibi cum Dimiſſorijs ſubditos ſuos mittunt ad ordinandũ, ad ipſos ſpectat in interſtitijs diſpenſare, non verò ad Epiſcopum ordinatorem, ſeu qui ordines facit. Hæc Concluſio ſatis colligitur, ex ſupradicta Concilij Tridentini Seſſione 23. cap. 16. in illis verbis, quando dicitur, quod *nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut ſuæ Eccleſiæ neceſſarius, etc.* vbi notanda ſunt verba illa, *iudicio ſui Epiſcopi.* Sui (inquit) reſpectu habito ad ordinandum, ex quo clarè colligitur, id pertinere ad proprium eiuſdem Epiſcopum ſiue Prelatum, non verò ad ordinatorem, ſeu ordines celebrantem. Ratioque ad id eſt appoſitiſsima, nam nullus melius aut congruentius, poterit in ſupradictis interſtitijs diſpenſare, aut ea de re iudicare, quam proprius Epiſcopus, qui ſcit & cognoſcit, vtilitatem & neceſsitatem Eccleſiæ, vbi talis ordinandus debet reſidere. Quod & ex alio loco prædicti Concil. licet etiam colligere, Seſsione 23. cap. 13. vbi de ſupradictis interſtitijs agẽdo, ſubditur, *niſi aliud Epiſcopo videatur*, vbi certum eſt, nomine Epiſcopi, intelligendum eſſe ordinandi Diœceſanum, non vero ordinatorem, nam ſi vellet Concilium, quod Epiſcopus ordinans diſpenſaret, illud procul dubio ibidem expreſsiſſet. Præterquam quod ſemper, quando Concilium ſiue ius, committit diſpenſationem alicuius caſus ſiue cauſæ, dicendo Epiſcopo abſolutè, intelligendũ venit Epiſcopus ouis, cum qua fieri debet ciuſmodi diſpenſatio, vt ex multis locis Conciliorum generalium & iuris canonici, breuitati niſi tantopere ſtuderemus, facile fuiſſet colligere. Multa præterea ſunt in prædicto Concilio, ex quibus eadem veritas colligi poteſt, ſed præſertim ex eo quod habetur in cap. 11. *eiuſdem*, Seſsio. 23. vbi poſtquã dicitur, vt nullus Minoribus initietur, niſi interſtitijs peractis, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur, ſubditur, *vt eo accuratius, quantum ſit huius diſciplinæ pondus poſſint edoceri, ac in vnoquoque munere iuxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant.* Certum eſt quod in prædicto decreto, Concilium loquitur de proprio ordinandi Epiſcopo, non vero de alio. Similiter in cap. 14. dicitur, *quod curet Epiſcopus, vt ij ſaltem Dominicis diebus & feſtiuis ſolemnibus, ſi curam habuerint animarum*

Nomine Epiſcopi abſolute ſumpti ſemper intelligitur ordinarius, & Diœceſan⁹.

rum tam frequenter celebrent, vt ſuo muneri ſatisfaciãt: In omnibus ſupradictis locis, & innumeris alijs à me breuitatis gratia omiſſis, dicendo & nominando abſolutè Epiſcopum, intelligendum venit de Epiſcopo ordinario, ouis ſiue ordinandorum Diœceſano. Sicque ad propoſitum redeundo, quando ſupradicti Epiſcopi ordinarij, non faciunt aut celebrant ordines, & mittunt ſubditos ſuos ad ordinandum aliò, in litteris Dimiſſorijs fidem debent facere, cum eiſdẽ in interſtitijs, ex iuſta cauſa fuiſſe diſpenſatum, quo facto Epiſcopus ordinator, circa prædicta interſtitia, nihil aliud de nouo debet requirere, ſed intelligere abſque dubio id ita eſſe, & conuenire talis Eccleſiæ vtilitati, ſeu neceſſitati, vt dicti Epiſcopi teſtificantur. Sed loquẽdo de Abbatibus, Minores ordines valentibus cõferre, quid iuris? Reſpondeo, & ſit tertia Cõcluſio.

Abbatibus Regularib⁹ facultatem habentibus, ad ſuos ſubditos ordinibus Minoribus initiandos, etiã cõpetit, cum eiſdem in interſtitijs diſpenſare.

Tertia Concluſio.

QVando Prælati, ſunt Abbates Regulares, qui vt infradicemus, per ſe ipſos ordinibus Minoribus, ſubditos ſuos poſſunt ordinare, ipſosque ordinauerint, ad eoſdem ſpectat, non verò ad aliũ, cum eiſdem in interſtitijs diſpenſare. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, cum & ipſi circa ſupra dictos ſuos ſubditos, auctoritatem habeant Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, vt habetur in iure & pluries à nobis eſt dictũ, & in 2. tom. dicetur amplius. Sed probatur præterea, nam acceſſorium ſequitur naturam principalis, quo fit, vt ſi ipſis competit, illos poſſe ordinare, cõſequenter etiam conueniat, & cum eiſdem in interſtitijs diſpenſare. Alienum enim eſſet prorſus à iure atq; ratione, quod Abbas illos ordinaret, & aliunde interſtitiorum diſpenſationem mendicaret. Sed dices, quid iuris, ſi non per ſe Abbas, huiuſmodi ſubditos ordinauerit cum poſſet, ſed aliò miſerit eos ad ordindãum, quia nempe eſt infirmus ſiue occupatus, in tali caſu, cui competet interſtitiorum diſpenſatio? Dico quod huius difficultatis reſolutio, adhuc ſub iudice eſt, & quia de ea ſcriptum nihil reperi, quod plene ſiue vſque quaq; ſatisfaciat, hac in re nolo iudicem agere. Quidam dicunt, quod competit Epiſcopo ordinatori, iuxta ſupradicta; alij verò quod præfato Abbati: liceat cuilibet tenere quod voluerit, aut conſulantur illuſtriſſimi Cardinales, Congregationis ſacri Concilij, ſiue Regularium.

ARTICVLVS VIII.

Quænam ſit cauſa ſufficiens & neceſſaria, ad diſpenſandum in interſtitijs prædictis?

Prima Concluſio.

Ad diſpenſandum in interſtitijs Minorũ ordinum, quæcunq; cauſa videtur ſufficere, etiamſi non multum ſit neceſſaria.

AD diſpenſandum in interſtitijs Minorũ ordinum, quæcunque cauſa videtur ſufficere, etiamſi non multum ſit neceſſaria. Probatur hæc Concluſio, nam Concil. Trident. Seſſio. 23. cap. 11. vbi hac de re agit, poſtquam dixit, *quod nemo ad Minores ordines, niſi per temporum interſtitia promoueatur*, nulla prorſus facta mentione de cauſa, ſubdit, *niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur*. Quod quidem non dixit, loquendo de promouendis ad Subdiaconatus ordinem, nam de iſtis ait, *vt non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus, Minorum ordinum promoueatur, niſi neceſſitas aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi aliud expoſcat*. Ex quibus verbis clare colligitur, quod maior cauſa eſt neceſſaria & requiritur, ad diſpenſandum in interſtitio vnius anni, poſt ſuſceptos Minores ordines, vt ad Subdiaconatum aſcendatur, quam ad diſpenſandum in interſtitio, quod debet haberi, vt aſcendatur ab vno gradu Minorum ordinum, ad alium altiorem: ſed ad recipiendum Subdiaconatum non completo interſtitio vnius anni, ſufficit vtilitas aut Eccleſiæ neceſſitas iudicio Epiſcopi: ergo ad diſpenſandum in Minoribus ordinibus recipiendis, & ipſorum interſtitijs, quæcunque minor cauſa ſufficit, cum Concilium nullam expoſcat, ſed id in totum iudicio Epiſcopi relinquat. Quod & confirmatur, nam & interſtitium ſupradictorum Minorum ordinum, & vnius gradus ad alterum, de iure non eſſe debet annus, neque Concilium annum requirit, aut conſtituit aliquod tempus determinatum, ſed illud relinquit iudicio Epiſcopi, quod magnum argumentum eſt, in id quamcunque cauſam ad diſpenſandum ſufficere. Sed quid de interſtitio vnius anni, requiſito ad Subdiaconatum, à ſuſceptione poſtremi gradus Minorum ordinum? Reſpondeo, & ſit ſecunda Concluſio.

videtur ſufficere etiam ſi nõ ſit multũ neceſſaria.

Secunda Concluſio.

In illis Epiſcopatibus, in quibus erat antiqua conſuetudo, ante Concilium Trid. dandi omnes Ordines Minores, ſimul cũ ſubdiaconatu, nõ eſt improbabile, poſt præfatum Concilium id ipſum fieri poſſe.

NON eſt omnino improbabilis, eorum ſententia, & opinio quæ dicit, quod in illis Epiſcopatibus, in quibus erat antiqua conſuetudo, ante Cõcilium Tridentinum, dandi omnes Ordines ſimul cum ſubdiaconatu, quod etiam nunc poſt præfatũ Concilium id ipſum poſsit fieri. Hæc Concluſio, vt etiam dixi ſupra, in fine ar. 5. eſt expreſſa Nauarri in Manuali. c. 25 num. 71 & c. 27. num. 241. quam & probat, ex Gloſſa communiter recepta, *in c. de eo, de tempo. ordi. & ex cap. 2. de eo qui furt ord.* & ex D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 16. §. 16. & fundat eam in hoc, quod quamuis Concilium, locis ſupracitatis, quo ad hoc reuocet priuilegia omnia, non tamen (inquit) derogat conſuetudinibus. Quod & confirmatur, ex doctrina, quam in ſimili caſu, adducit Armilla, *tit. ordo §. 6.* argumento deducto, *ex c. quod translationem, de temp. ord.* Neque dictis obſtare videtur, conſtitutio Sixti V. edita contra male promotos, vbi ſtricte præcipit, obſeruari concilium quo ad interſtitia, non obſtantibus quibuſcumque &c. nam reſponderi poteſt, quod etiam prædictus Sixtus, non reuocat conſuetudines, ſed tantũ præcipit, quod ſeruetur prædictum Concilium Tridẽtinum. Dixi notanter atque conſulto in concluſione, quod non videtur eſſe omnino improbabilis, ſententia & opinio quę hoc dicit, propter tantorum virorum auctoritatẽ, & iura & rationes quas pro ſe habet, At ego nihilominus, in præſentiarũ, neque illam approbo neq; reprobo, aut volo hac in re iudicem agere, aliorum eſto iudicium.

Tertia Concluſio.

Maior cauſa requiritur,

AD aſcendendum à Subdiaconatu ad Diaconatum, non ſeruato interſtitio vnius anni, non tanta

ad ascendẽdum à Minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, non seruato interstitio, quam ad ascendendum à Subdiaconatu ad diaconatum.

tanta causa est necessaria aut requiritur, quanta ad ascendendum à Minoribus Ordinibus, ad Subdiaconatum. Probatur hæc Conclusio, ex verbis Concilij Tridentini prædicti, loquendo de progressu ab vno in aliud. Nam ad hoc vltimum, vt cõstat ex fine, *c.* 11. *sess.* 23. requiritur, *necessitas aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi determinanda*, ad illud vero primum, nihil tale exposcit Concilium, sed absolute illud relinquit Episcopi iudicio. Quod vt pateat, prædicti Concilij libet verba referre, quæ habentur, *in c.* 13. Inquit Concilium: *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltim in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum non permittantur ascendere: nisi aliud Episcopo videatur*, & nullam facit mentionem de supradicta necessitate, aut Ecclesiæ vtilitate. Cuius quidem rei si quæratur causa, ob quam supradicta verba non fuerint apposita, fateor me prorsus illam ignorare, nisi forte factum id fuerit, quia in ascensu à minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, mutatur status, in ascensu vero à prædicto Subdiaconatu ad Diaconatum, non mutatur status, nam iam est mutatus, vnde videtur, quod primum illud, maiori consideratione atque dispensatione indigeat. Ferat ratio nem aliam, cui occurrerit, nam mihi alia non occurrit.

Quarta Conclusio.

Ad ascendendum à Diaconatu ad Sacerdotium siue Presbyteratũ, non seruato interstitio, maior causa requiritur, quã in omnibus supradictis.

AD dispensandum in interstitio vnius anni, secundum dictum Concil. requisito, ad ascendendum à Diaconatu, ad sacrum Presbyteratus Ordinem, maior causa requiritur, quam in omnibus supradictis. Hæc conclusio est certa & vera, quæ & potest colligi ex verbis eiusdem Concilij: nam ad dispensandum in interstitio vnius anni, requisito ad ascendendum à Subdiaconatu ad Diaconatum, nullam causam requirit, sed illud remittit iudicio Episcopi, vt dictum est, & constat, *ex ca.* 13. *sess.* 23. ad ascendendum vero ad Subdiaconatum, post susceptionem postremi gradus Minorũ Ordinum, dicit etiam vt id non fiat nisi post annum, nisi necessitas aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat, vt constat, *ex c.* 11. Vbi notandum venit, quod loquitur disiunctiue, *nisi necessitas aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat*, insinuando quod quælibet illarum sufficit (necessitas inquam aut vtilitas) at vero ad ascendendum à Diaconatu, ad sacrum Presbyteratus Ordinem, omnia supradicta expostulat Concilium, & non quidem disiunctiue, sed copulatiue loquitur & simul, vt constat *ex c.* 14. vbi sequentia verba habentur: *Ad Presbyteratus Ordinem non assumantur, nisi qui ad minus, per annum integrum in Diaconatu ministrauerint, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur.* Quibus verbis Concilium, vtendo dictione copulatiua, insinuare plane voluit, quod in supradicto ascensu, & ad dispensandum in dicto interstitio, vtilitas atque necessitas simul debent interuenire, ac probari iudicio Episcopi. Neque id mirum, cum Presbyteratus ministerium, sit alijs omnibus maius & altius, & onus (vt dicitur) humeris etiã Angelicis formidandũ, pro quo facit, *c. cũ sit ars artiũ, de ætate et qua. præsi.*

Nota hoc valde pro promouendis ad sacrum Presbyteratus Ordinem.

Difficultas

Sed dices, quid intelligitur vtilitatis siue necessitatis nomine, ad dispẽsandum in interstitijs? Syluester, *verbo ordo*, 3. §. 10. *in fin.* in casu quodam ibi proposito, dicit quod tũc dicitur exigere, vtilitas Ecclesiæ, vt aliquis ordinetur, quando indiget ministris, & non sunt alij idonei, præter illum qui habet ordinari, tunc vero necessitas expostulat idipsum, quando omnino nullus est alius. Sed certe ista nimis rigida atque rigorosa sunt. Etenim si hoc necessario foret expectandum, fere nunquã posset dispensari in supradictis interstitijs. Et quidem Syluester loquitur in casu valde dissimili; tũc scilicet, quando Episcopus vult aliquem compelere, ad Ordines suscipiendos inuitum, & tunc certum est, quod non potest ipsum compellere, nisi adsit prædicta necessitas aut Ecclesiæ vtilitas. Vnde non ita stricte credo, esse pensandam atque considerandam, supradictã necessitatem aut vtilitatem, sed tunc dicetur esse Ecclesiæ vtilitas, quãdo sunt pauci idonei ministri, & aliqualiter vtile erit, quod aliquis ordinetur, tunc vero necessitas, quando non solum sunt pauci Ecclesiæ ministri, verum etiam deficiunt idonei & non idonei. Quæ etiam omnia, moraliter consideranda sunt, siquidem non consistunt in puncto indiuisibili, sed habent suam latitudinem, quæ in omnibus alijs rebus moralibus reperitur. Aut dijudicanda erit supradicta vtilitas, siue necessitas, arbitrio boni viri, cum iuxta, *l. 1. c. de iure, deliberandi*, quæ à lege non habent præfixam determinationem, relinquantur arbitrio boni viri. Boni inquam atque prudentis Prælati siue Episcopi, qui hac in re non esse debet strictus nimis, memor illius sapientis dicti, Prou. 30. *Noli esse nimium iustus, nam qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Et hoc dixisse sufficiat pro isto Articul.

Quid intelligatur necessitatis siue vtilitatis nomine, ad dispẽsandum in interstitijs.

Difficultatis prædictæ resolutio.

Quæ à lege non habent præfixã determinationem, relinquũtur arbitrio boni viri.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum Monachalium Religionum Abbates, & maxime Benedicti, sibi subditis Minores Ordines possint conferre?

Prima Conclusio.

Abbates Benedicti olim, de iure cõmuni antiquo, cõferre poterant Minores Ordines sibi subditis, nõ solũ Monachis, verũ etiã & laicis, in quos ordinariam Ecclesiasticã habebãt iurisdictionem.

SE iure communi antiquo loquendo, Abbates Ordinum Monachalium Benedicti, Minores Ordines poterant conferre sibi subditis, non solum Monachis, verum etiam & laicis, in quos ordinariã Ecclesiasticam habebant iurisdictionem. Hæc Conclusio habetur expressa, *in c. Abbates, de priuil. libr. 6.* cuius hæ sunt sequentia verba, post alia: *Nec liceat eis, alijs quam suis Monachis & Monasteriorum suorum conuersis, et qui ad illa conuolauerint, et in quos Ecclesiasticam et quasi Episcopalem obtinẽt iurisdictionem, primam Clericalem tonsuram conferat, nisi eis id competat ex pleno præfatæ sedis indulto.* Ex quo loco à contrario sensu colligitur, quod illis, in quos prædictam habebant iurisdictionem, non solum Monachos, verum etiam & laicos, bene poterant eiusmodi primam Clericalem

ricalem tonſuram conferre. Quod & expreſſe tenet Syluеſter, *verbo ordo.3.q.2.* & extedit illud ad omnes Minores Ordines, quamuis dicat id non competere, niſi dumtaxat Abbatibus Mitratis Benedictis, atque Pontificalibus inſignijs decoratis, prout in tali dignitate conſtitutis fieri conſueuit, atque in Presbyterorum Ordinem receptis. In exteras vero perſonas, id haud quaquam poterant efficere, niſi ſpecialis Sedis Apoſtolicæ priuilegio fuiſſent muniti. Sed quicquid de hoc ſit, iam hæc omnia immutata ſunt, per Concilium Tridentinum. Vnde & de iure nouo aliter eſt dicendum. De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

De iure nouo, innouato per Concil. Trid. iam nō licet Abbatibus, etiā mitratis et benedictis, Minores Ordines conferre, niſi ſolum Regularibus ſibi ſubditis.

DE iure nouo loquendo, innouato per Concilium Tridentinum, iam non licet Abbatibus prædictis, vtcumque Mitratis ac Benedictis, Minores Ordines conferre, niſi dumtaxat Regularibus ſibi ſubditis. Hæc concluſio habetur expreſſa in dicto Conc. *ſeſſ.23.cap.10.* cuius hæc ſunt ſequentia verba: *Abbatibus ac etiam alijs quibuſcumque quamuis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores ordines conferre.* Hæc Concil. Ex quo loco colliguntur duo. Primo à cōtrario ſenſu, quod Regularibus ſibi ſubditis, bene poſſunt Abbates quicumque exempti, Tonſuram Minoreſq; Ordines conferre. Secundo quod non idipſum poſſunt facere, cum alijs etiam ſibi ſubditis, & in quos etiam ordinariam Eccleſiaſticam habent iuriſdictionem, ſi Regulares non extiterint. Per quæ ceſſant, quæſtiones & difficultates, quæ hic ſolebant adduci, de Abbatibus exemptis, inuitatis ab alijs Abbatibus etiam exemptis, an poſſent ordinare, Monachos alterius Monaſterij exēpti, non ſibi ſubditos, ſimiliter & nouitios, & qui ad ipſorum Monaſteria conuolauerint, vt ibidem conuertantur & fiant Monachi, quod facere olim erat ſibi conceſſum, per ſupradictum, *c. Abbates, de priu. lib.6.* cum re vera omnes prædicti ſint ſæculares, non vero Regulares ſibi ſubditi atque ſubiecti, vt determinat Concil. Trid. prædictum. Quæ omnia plenius conſtant, ex quadam conſtitutione Extrauaganti, Pij. V. cuius meminit Nauarro, c.27.num.158. vbi habetur, quod ſolummodo conceditur licentia Abbatibus prædictis, initiandi Regulares ſibi ſubditos, non vero alios, quod eſt multum notandum atque memoriæ commendandum.

Tertia Concluſio.

Abbates etiā nō benedicti, primam Tōſuram alioſq; Minores Ordines, ſibi ſubditis Regularibus cō ferre poſſūt.

EIuſmodi munus & officium, exercere poſſunt nunc, non ſolum Abbates Benedicti, verum etiam & non benedicti, primamque tonſuram & Minores Ordines conferre, Regularibus ſibi ſubditis. Probatur hæc Concluſio, nam & ad id ſpeciale habent priuilegium, Eugenij IIII. ac Iulij II. Conceſſum Ordini Ciſtertij & Congregationi Montis Oliueti, & ſanctæ Iuſtinæ ſeu Montis Caſſini, quo conceditur, quod licet munus benedictionis, eiſdem Abbatibus non impendatur, omnibus tamen & ſingulis honoribus, præeminentijs, prærogatiuis, iuribus & inſignijs, Abbatibus Benedictis Competentibus, fungi poſſint. Quod vt dicitur, etiam Leo X. conceſſit, Cōgregationi Camaldulenſi, prout tradit Collector priuileg. prædicti Ordinis Ciſtertij, *tit. Abbas, §.4. & 5.* aſſerens id quod in prædicta noſtra Concluſione eſt dictū, nempe quod ſupradicti Abbates, etiam non Benedicti, poſſunt Regularibus ſibi ſubditis, primam Tonſuram & Minores Ordines conferre, etiam ſtando in decretis Concil. præd. Trident. Pro cuius maiori intelligentia atque declaratione, aduertendum eſt, quod olim ſecundum ius commune antiquum, idipſum facere poterant Abbates non Benedicti, electi in Abbates, ſi Epiſcopi different eoſdem benedicere, iuxta ea quæ traduntur à Doctoribus communiter, *in c.1. de ſupplen. neglig. Prælat.* vbi ſequentia ponuntur verba. *Statuimus, vt ſi Epiſcopus, tertio cum humilitate ac deuotione, ſicut conuenit requiſitus, ſubſtitutos Abbates forte renuerit benedicere, eiſdem Abbatibus liceat, proprios Monachos benedicere & alia quæ ad huiuſmodi officium pertinent exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.* Quæ quidem deciſio atque determinatio, ſatis fuit iuridica, ſeu quod dicitur iuri conſona, nam quamuis ſecundū ius, ſicut in Epiſcopis neceſſaria eſt conſecratio, ita & pro Abbatibus prædictis requiritur benedictio, at inter eos circa hoc, adhuc eſt latiſſimum diſcrimen, nam Epiſcopus non dicitur neque proprie eſt Epiſcopus, niſi ſit conſecratus, vt habetur in iure, *in c. licet, de transl. Epiſcop. c. tua, de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli,* & tradit late Pan. *in c. eam te,* vnde & poteſt repelli per exceptionem, vt ne fiat Epiſcopus, vſque ad conſecrationem, prout habetur, *in c. ſuper his, de accuſat. & c. noſti, de electione,* at Abbas electus & confirmatus: etiam non benedictus ſeu ante benedictionem, dicitur Abbas, atque vt viſum eſt, *in c.1. de ſuppl. neglig. Prælat.* ex negligētia & cōtumacia ſuperioris Epiſcopi, nolentis eū benedicere, poterat adhuc facere & exercere omnia Prælaturæ ſuæ munera & officia. Quorum ratio differentiæ eſt, nam Epiſcopo per conſecrationem confertur ordo, & ipſius conſecratio in iure dicitur ordinatio, vt conſtat ex *c. quoniam quidam d.75*, at Abbatibus per benedictionem, nullus confertur Ordo, neque ipſorum benedictio in iure dicitur ordinatio. Vnde fit, quod adhuc non benedicti, non ſolum de iure ſpeciali, verum etiam, & de iure communi, in caſu prædicto Minores Ordines poſſunt conferre ſibi ſubditis, cum electi & confirmati in Abbates, etiam ante benedictionem, ſint vere & proprie Prælati & Abbates, & per benedictionem, nulla ſibi ordinatio conferatur.

De differentia, quæ verſatur, inter Epiſcopos ante cōſecrationē, & Abbates ante benedictionem.

(* *)

*

ART.

ARTICVLVS X.

Vtrùm omnes Ordines, tam maiores quam minores, ſint, dicique debeãt, vnum tantum Sacramentum, an vero plura?

Concluſio.

Ordines maiores & minores, ſunt vnũ tantum Sacramentũ.

OMnes Ordines tam maiores quam minores, ſunt atque efficiunt vnum tantum Sacramentum, non vero plura. Hæc Cõcluſio eſt expreſſa D. Thomæ, *in 4. ſent. d.24. art.3.* vbi & dicit, quod diuiſio Ordinis in ſeptem, non eſt alicuius integralis in ſuas partes, aut vniuerſalis in ſua particularia, ſed cuiuſdam poteſtatiui in ſuas potentias, cuius plenitudo eſt tantummodo in Sacerdotio. Et ponit exemplum de anima rationali, quæ diuiditur in vegetatiuam, ſenſitiuam atque intellectiuam, quæ quidem virtute ſunt plura, ſed reuera non ſunt niſi vnica tantummodo anima. Hoc etiam tradit Sylueſter, *verbo, ordo, 1. q.2.* & dicit idem eſſe de mente Palud. qui ait, quod Ordo eſt vnum Sacramentum, non vnitate indiuiſibilitatis, ſicut punctum, neque vnitate continuitatis, ſicut linea, aut perfectione vnius formæ, ſicut corpus animatum, ſed perfectione vnius finis, quia licet ex diuerſis Ordinib⁹ ſpecialibus conſtituatur, omnes tamen ordinantur ad vnum actum, ſcilicet ad conſecrationem Euchariſtiæ. Videatur etiam hac de re Magiſter Soto, *in 4. ſent. d.24. q.1. art.3.* vbi de omnium & ſingulorum prædictorũ Ordinum proprijs actibus, latiſſime tractat, quod & facit Sylueſter *verbo, ordo, 2 q.3.* vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima, quæ quia longiorem requirebant diſputationem, & tractationé, nec ſunt mei muneris atque propoſiti, breuitati ſtudens, conſultò in præſentiarum facio miſſa, videãtur ibidé. Hactenus de iſto Articulo & de tota Quæſtione.

QVAESTIO. XXXIX.

De Ordinibus ſacris, quantum ad perſonas ordinandas & promouendas, in decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ante legitimam ætatem, aliqui ordinari poſſint?

Quæ ætas requirebatur olim, ad Minores Ordines ſuſcipiẽdos?

PRO Huius Articuli intelligentia, præmittere libuit ex Sylueſtro, in Summa, *verbo, ætas, num.2. dicto 3.* quod olim ad ſuſcipiendos Ordines, in prima Tonſura, requirebatur ætas ſeptem annorum completorũ, per *c. in ſingulis, d.77.* & etiã pro tribus Minoribus Ordinibus, vt dicitur *in d. c. in ſingulis*, & ante hanc ætatem, conferens illos alicui, niſi vt Religionem intraret, ſuſpenſus erat ipſofacto per annum, à collatione eiuſdem Ordinis, *per c. nullus Epiſcopus, de temp. ord. lib.6.* Sed pro Acolytatu, requirebatur ætas, duodecim annorum cõpletorũ, vt dicitur *in d. c. in ſingulis.* Pro Subdiaconatu, 18. annorum inchoatorum, pro Diaconatu vero 20. annorum, pro Presbyteratu autem 25 vt habetur *in Clement.* quæ incipit: *Generalem, de ætat. & qualit. ordin.* Hæc olim erant de iure communi antiquo lõquendo, & ſi quis ante dictam ætatem ordinabatur, ſuſcipiebat quidem characteris ordinem, non tamen executionem, vſque ad tempus completum, vt habetur *in d. Clement. generalem*, neque in his poterat Epiſcopus diſpenſare. Sed nunc per Conc. Trident. iam hæc omnia ſunt immutata, nam quicquid ſit de prima Tonſura & Minoribus Ordinibus, de quibus nihil quoad hoc, de nouo ibidem reperitur ſtabilitum, de maioribus loquendo, habetur *ſeſſ.23. c.12.* vt nullus in poſterũ ad Subdiaconatus Ordinem, ante 22. ad Diaconatus vero, ante 23. ad Presbyteratus autem, ante 25. ætatis ſuæ annum promoueatur. Et additur, quod aduertant Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos, debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſit ſenectus. Et ne quiſpiam putaret, hæc tantum eſſe conſtituta atque ordinata pro Clericis, de Regularibus additur: *Regulares quoque, neque in minori ætate, nec ſine diligenti examine Epiſcopi ordinentur, priuilegijs quibuſcumque, quoad hoc penitus excluſis,* & vt habetur in Extrauag. *Cum ex ſacrorum*, quæ eſt Pij II. omnes qui ante legitimam ætatem, Ordinem aliquem ſacrum accipere præſumpſerint, ipſo iure à ſuorum Ordinum ſunt executione ſuſpẽſi, & ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem miniſtrent, incurrunt irregularitatem, quod eſt certiſſimum, atque conſtitutiſſimum. & omni proculdubio. Hoc præmiſſo atque præſuppoſito notabili, veritatis elucidandæ gratia, præſentem Articulum libuit proponere. Vtrum ſcilicet, ante legitimam ætatem, aliqui ordinari poſſint vt cunctis pateat, qualiter priuilegia omnia, quæ Regularibus cunctis, circa hoc fuerunt olim conceſſa, iam per Conc. Trid. penitus ſint annullata & reuocata.

Quæ ætas requiratur ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, ex Conc. Trid.

Sed vt eorũ aliqualis habeatur notitia, dico q

vt constat ex *Monum. nostri sacri Ordin. 1. impress. fol. 65. & 2. fol. 69. concess. 147. & Supplem. fol. 99. concess. 356.* & refertur in Compendio, *verbo, dispensatio* §. 14. Innocent. VIII. olim *dispensauit, cum nostro sacro Fratrum Minorum Ordine, quod postquam Fratres huiusmodi attigerint 23. ætatis annum, dum tamen sufficientes essent, promoueri possent ad Sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante iure, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.* Et idem Innocent. postea concessit, *quod Generalis & Prouinciales, possent dispensare cum Fratribus suis, in 22. anno completo, quoad Sacerdotium,* vt habetur in dictis Monument. *prima impression. fol. 65. & 2. fol. 69. concession. 178. & in Supplemento fol. 96. concession. 356.* & refertur in eodem Compend. verb. vbi supra, §. 15. vbi & aduertit priuilegiorum Collector, quod his non obstantibus, post mortem Innocent. VIII. prædicti, qui supradictas concessiones siue dispensationes fecit, in Capitulo generali Florentiæ celebrato, pro potiori rerum harum obseruantia, factum fuit, sequens statutum: *Insuper cum ad Ordinem Sacerdotij, non debeat quis ascendere faciliter, nisi cui suffragetur ætas, & morum grauitas, deinceps cum aliquo non dispensetur vt Sacerdos efficiatur, qui 25. ætatis suæ annum nondum attigerit, aut si casus necessitatis emerserit, propter Sacerdotum paucitatem, saltem qui dispeesauerit, consilium quatuor Guardianorum simul requirat, qui supra dispensandi necessitatem debeat arbitrari, quorum conscientiæ sint oneratæ, vt quod erit necessariũ pẽsatis vndiq; pensandis, ipsi consulant.* Hæc vbi supra, sicque olim erat positum in consuetudine, obseruabaturque in communi praxi, neque super hac ætate necessario requisita, dispensabatur cum aliquo, nisi in prædicto casu, ac existente aliqua magna necessitate; & interueniente iusta & rationabili causa. At nunc eadem etiam existente, idipsum fieri non potest, prout dicetur in conclusione sequenti.

Conclusio.

Post Concil. Trid. nullus, ante legitimã ætatem ab eo positam, põt ad sacros Ordines promoueri, neque quoad hoc, aliquod priuilegiũ Regularibus suffragari potest.

NVnc post Concilium Tridentinum, nullus omnino, ante legitimam ætatem ab eo positam, promoueri potest ad sacros Ordines, neque quoad hoc, aliquod Regularibus suffragari potest priuilegium. Hæc Conclusio habetur expressa loco vbi supra, ab illis verbis, *nullus in posterum*, vsque ad illa, *priuilegijs quibuscumque, quoad hoc penitus exclusis*: & vbi verba adeo sunt clara, & expresse determinata, vt dicitur, nullus est locus coniecturis. Et aduerto, vt nulli sit error di occasio siue causa, quod post Concil. Trident. nulla est facta concessio, Religioni alicui saltem quam ipse viderim autenticam, qua concedatur eiusdem professoribus & alumnis, vt ad Presbyteratus Ordinẽ promoueri possint, ante 25. annum prædictum. Nam quamuis feratur in Comp. Societatis Iesu, *titul. de Concilio Tridentino*, §. 3. quod Pius V. olim, anno Domini 1566. 13. Martij, concesserit quoddam viuæ suæ vocis Oraculum, seu potius declarauerit, quod nostri fratres Minores in foro conscientiæ tantum, vti possimus omnibus gratijs & priuilegijs, per antecessores suos concessis, etiam quoad illas, quæ sunt restrictæ, seu derogatæ per Conc. Trident. cuius quidem vi næ vocis Oraculi copia, vt dicitur, habetur Authentica Toleti, in archiuo nostri Conuẽtus sancti Ioannis Regum: nihilominus eiusmodi viuæ vocis Oraculo, nullatenus vti licet, nam vel non est multum authenticum, & quamuis sit authenticum, illud postea reuocauit Sixtus V, per aliam nouam suam Constitutionem, quæ incipit, *Sanctã & salutare*, facta contra male promotos, qua stricte præcepit, seruari Conc. Trident. præd. non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, editis etiam in Concilijs generalibus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Quã etiam Sixti Constitutionem, Clemens VIII. postea confirmauit, anno Domini 1595. pridie Kalend. Mart. Põtif. sui anni V. quamuis in alijs eamdem moderauerit. Sed quoad hoc de ætate ac alijs, de quibus infra dicemus, stricte præcepit seruari Cõc. Trid. Et sanctissimus Dominus noster Paulus V. quamuis priuilegia nostra confirmauerit, fuit tamen, vt iam supra diximus, ea lege & pacto, atque cum hac exceptione, seu potius addito, quatenus non sunt contraria decretis Conc. Trid. præd. cæterisque Apostolicis Constitutionibus. Vnde circa hoc & reuocationem prædicti viuæ vocis Oraculi (si quod fuit) & quod iam eo vti nullus potest, etiam in foro conscientiæ, nulla iam subest ratio dubitandi. Quod hic dixisse visum est, vt ne quispiam ignorantiam prætendat, nam Deus non irridetur, & in hijs quæ tanti sunt periculi, locus nõ est dandus fraudibus siue falsis atque siniſtris relationibus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm anni prædicti, requisiti iuxta Concilium Tridentinum, ad suscipiendos sacros Ordines, requiratur necessario quod sint completi, an vero sufficiat quod sint incepti?

Conclusio.

Sufficit ad receptionem sacrorum Ordinũ, quod anni à Conc. assignati, sint incepti, non vero requiritur quod sint completi.

SVfficit supradictos annos esse inceptos, nec necessario requiritur, quod sint completi. Hæc Conclusio est omnium Doctorum communis, de qua & videndus est Syluester, *verbo, ætas, q. 2.* vbi & mouet hanc difficultatem, quomodo veniat dignoscendum, an annus debeat esse completus & an sufficiat inchoatus, quãdo dubitatur de mente alicuius statuentis, siue disponentis. Et respondet iuxta Gloss. *in Clement. generalem, de ætate, et qualit.* quod si ætatis tempus ponatur, in ablatiuo, cum præpositione *in*, vt si dicatur, quod ordinetur, quis, quoad Subdiaconatum in anno 18. quoad Diaconatum vero, in anno 20. quoad Sacerdotium siue Presbyteratum, in 25. sufficit inchoatio. Si vero ponatur in genitiuo, vt si dicatur, quod sit ætatis, 18. 20. aut 25. annorum, tunc (in quit) requiritur cõplemẽtũ. Quod & probat auctoritate multorum Iurisconsultorum, sed maxime Bart. *in l. si cui,*

ſi cui, ff. de legat. 1. vbi generaliter loquendo dicit, quod quando ætas profertur in genitiuo, requiritur, vt ſit completa, at poſita in ablatiuo, cum præpoſitione in, ſufficit, quod ſit inchoata. Et addit, quod ſi ponatur ſine præpoſitione, requiritur quod ſit completa & conſummata, *iuxta Clem. primam de ſequeſtratione poſſeſſionum & fructuum.* Si autem (inquit) ponatur in accuſatiuo, cum verbo ſignificante rem perfectam, aut cum præpoſitione *per*, vel in futuro coniunctiui, requitur etiam completa, iuxta *l. non putabam, & l. ſi annus, ff. de cond. & demonſtrat.* Sine tali autē verbo, ſi de fauore agitur ſufficit inchoatio, ſi vero de odio requiritur complementum, iuxta *l. ad Rempublicam, ff. de muner. et hono.* In accuſatiuo autem, cum præpoſitione *ad*, ſufficit inchoatio, iuxta *l. qui filium, ff. ad Trebell.* Hæc ſupradictus Sylueſter, de mente Bartoli. Quæ quidem ſunt valde notanda atque memoriæ commendanda, ſi quidē deſeruire poſſunt, pro multis caſibus, quorū quidē exēpla adducere nō libuit, vt breuitati ſtudeā, & quia longiorem requirebant diſputationem; poterunt tamen videri in locis prædictis. Sed redeundo ad propoſitum, vnde digreſſi ſumus, dico quod anni prædicti, ſecundum Concil. Trident. ad ſacros Ordines ſuſcipiēdos, ſufficit vt ſint inchoati, non vero requiritur, quod ſint completi: tum propter prædicta, tum etiam quia de fauore agitur, & vt dicitur, odia reſtringi, fauores vero conuenit ampliari, ac tandem quia id ſimiliter, fuit olim interpretatum atque declaratum, ſecundum antiquū ius, in ſupradicta *Clementina generalem.* Et certē etiam Concilij ipſius verba, ſatis id indicant, cum dicat quod nullus promoueatur, ad Subdiaconatus Ordinem, ante 22. ad Diaconatus vero, ante 23. ad Presbyteratus autem, ante 25. ætatis ſuæ annum. Nam cum non addiderit completum, ſatis datur intelligi, ſufficere eoſdem fuiſſe inceptos: id quod communis vſus iam ſatis declarauit. De hac ætate ordinandorum, videndus eſt Magiſter Soto, *in 4. ſentent. d. 25. q. 1. art. 2.* & Nauarro in Manuali, *c. 25. nu. 30. et 27. num. 155.* & Ioannes Gutierrez, *lib. 1. ſuarum qq. Canon. q. 26. num. 8.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Regulares ordinari poſſint, abſque literis Dimiſſorijs, & cuiuſnam eſſe debeant, proprij Prælati, an vero Epiſcopi diœceſani?

RAtio dubitandi eſt, nam in Concil. Trident. *ſeſſion. 23. capit. 8.* hac de re agendo, dicitur, quod nullus etiam cuiuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, ordinetur etiam ſtatutis temporibus, niſi eius probitas ac mores, Ordinarij ſui teſtimonio commendentur. Ex quibus verbis, cum abſolute dicatur, Ordinarij ſui, inferre olim nonnulli Epiſcopi voluerunt, ad eoſdem hoc pertinere, & aſſerebant quod quoad hoc Ordinarius, non erat Regularium ipſorum Prælatus, ſed Epiſcopus diœceſanus. Sed his non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

PAtentes literæ Dimiſſoriæ, ſiue commendatitiæ, quibus Regulares ordinandi ſunt, eſſe debent ſuorum Prælatorum Ordinariorum; non vero Epiſcopi diœceſani. Hæc concluſio probatur primo, ex prælegato loco Concil. Trident. poſtquam illud committit, ordinandorum Ordinario Prælato. Nam negari nullo modo poteſt, quod Generales & Prouinciales, ſeu etiam inferiores Prælati, vbi id in cōſuetudine eſt poſitum, quoad hoc Prælati ſint Ordinarij. Nec de hoc vlla eſſe poteſt ratio dubitandi, cum Concilium ipſum dicat, in prædictis literis commendatitijs, debere ordinandi ipſius probitatem & mores cōmendari. Quo enim pacto quæſo, tuta & ſecura conſcientia, facere id ipſum poſſent Epiſcopi, reſpectu Regularis, quem forſan nunquam cognouerunt. cuius etiam probitatem, vitam & mores haud quamquam plene nouerūt? male certe neque hoc ipſorum iudicio rectè poterat committi, Cōfirmatur hoc præterea ex alio Cōcilij loco, in eadem ſeſſ. c. 10. argumento deducto à contrario ſenſu, vbi Abbates & alij quicūque Prælati, quantumuis exempti, prohibentur literas prædictas Dimiſſorias concedere, aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab alijs ordinentur: ex quo colligitur quod cum propriis ſubditis Regularibus, non idipſū facere prohibētur. Quod ergo in prædicto loco dicitur de Abbatibus exēptis, intelligendū perinde eſt de alijs Prælatis ordinarijs, ſimilem iuriſdictionem habentibus. Denique hanc ſentētiam tenet Nauar. lib. 1. Conſ. de tempo. ord. cōſ. 26. & 27. & Enriquez, li. 7. de indulg. c. 26. in princ. Et vt omnis dubitandi omnino tollatur occaſio, ea de re iam habetur expreſſa declaratio, Breue, aut Priuilegium, Clementis VIII. conceſſum ad inſtantiam Illuſtriſſimi Monaſt. de Alcobaça, Regni Portugaliæ, quod incipit: *Vt ea quæ pro*, datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 9. Martij anno 1592. Pontif. ſui anno 1. & habetur autenticum, in libr. priuileg. eiuſdem Monaſt. vbi dictus Clemens VIII. hoc clare dicit: ac præcipit inter alia, *vt literæ Dimiſſoriæ Abbatis prædicti Monaſterij, à quibuſcumque locorum Ordinarijs, ad mittantur et recipiantur.* Id quod & dicitur fuiſſe declaratum, ab Illuſtriſſimis ſacræ Congregationis Cardinalibus, fuitque hoc quammaxime iuri ac rationi conſonum, nam vt dixi, quis magis ſuo potius, ferre poteſt teſtimonium, de probitate vitæ ac moribus Religioſi ordinādi, quam proprius eiuſdem Prælatus, vtpotè qui per diutinam conuerſationem, & longiſſimi temporis ſpatium, vt dicitur ipſum, intus & in cute nouit, tractauit atque obſeruauit? Non quidem hiſce de rebus Epiſcopus diœceſanus, vllo modo poſſet fidem facere, de re quam non plene nouit, aut noſſe vllo modo potuit, niſi falſum ferendo teſtimonium, Prædictis omnibus addo, quod & ad id, aliqua extant

Patentes literæ ordinandorū, debent eſſe ſuorum Prælatorum Ordinariorū nō vero Epiſcoporum.

Nota circa hoc declarationē Clem. VIII. et Congregationis Cardinalium

priuilegis, quæ per Concilium nullo modo videntur eſſe correcta, innouata aut reuocata, concedentia aut (vt verius dicam) præſupponentia & dicentia, quod Monachi ſiue Regulares, cum ſuorum Prælatorum Dimiſſorijs literis, debent & poſſunt ordinari, non vero ſine illis. Habentur in Monument. Ordin. multis in locis, breuitatis cauſa à me omiſſis, & referuntur in Compend. Mendi. *verb. Ordin. ſacri*, §. 1. & 2. & in Compendio Ordin. Ciſtertij, titul. ordin. §. 2. & Compend. Societat. Ieſu, tit. eodem, §. etiam 2.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm habitis literis prædictis, Commẽdatitijs ſiue Dimiſſorijs ſuorum Prælatorum coram Epiſcopis Regulares præſentati, ab eiſdem poßint, aut debeant examinari?

HVic Articulo pro ratione dubitandi, deſeruiet id quod habetur in Monum. Ordin. conceſſiſſe olim Eugenium Quartum Monachis ſancti Benedicti, Congregat. Italiæ, nempe, *vt à quotumque Epiſcopo, ordinari poſſent, abſque aliquo dictorum Monachorum examine.* Quod & Clemens Quartus, etiam conceſſit nobis Fratribus Minoribus, & habetur in Monument. ordin. primæ impreſſionis fol. 56. & 2. fol. 140. conceſſion 312. & in Supplement. fol. 96. conceſſ. 312. & refertur in Compendio *verb. Ordines ſacri*, §. 1. Nam quamuis poſtea Leo X. in Concil. Lateran. *Statuerit, quod Fratres ad Ordines promouendi, poſſent per Ordinarios, de Grammatica, & ſufficientia examinari*: addidit tamen *quod dum modo competenter reſpondeant, libere debent admitti*, prout habetur in Supplement. fol. 26. conceſſ. 78. & refertur in Compen. vbi ſupra, §. 7. Hæc deſeruiant pro ratione dubitandi. Sed his non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Regulares, bene poßunt ab Epiſcopis examinari, quamuis habeant patentes & Dimiſſorias literas à ſuis Prælatis.

QVamuis Regulares, habeant patẽtes literas, Dimiſſorias ſiue commendatitias, à proprijs Prælatis, bene poſſunt nihilominus ab Epiſcopis, ſibi ſi placuerit, examinari. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Concil. Tridentin. *ſeßion. 23. capit. 12.* vbi ad hoc propoſitum, poſt alia ſequentia ponuntur verba: *Regulares quoque neque in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuſcumque, quoad hoc penitus excluſis.* Quod inquit Concil. ie præcipere, antiquorum Canonum veſtigijs inhærendo, poſtquam præceperat idipſum, capitul. 7. vt fieret cum Clericis, quod non etiã ab Epiſcopis ordinarentur, ſine præuio diligenti examine. Et licet poſt huiuſmodi Concilij decretum, aliqua teneantur priuilegia, Regularibus conceſſa, ordinari vt poſſint, nullo præuio Epiſcoporum examine, vt dicitur conceſſiſſe olim Gregor. XIII. pro Religioſis Societatis Ieſu, eiuſmodi tamen priuilegium, & omnia alia ſi quæ ſunt, poſtmodum fuere reuocata, per nouam Cõſtitutionem, quam fecit Sixtus V. *contra male promotos ſiue ordinatos*, quæ vt ſupra diximus, incipit *Sanctum et ſalutare.* Vnde reſolutiue eſt dicendum, quod in rigore loquendo, & ſtando in virtute decreti prædicti Cõcilij Tridentini, & ſupradictæ Conſtit. Sixti V. Regulares optime poſſunt ab Epiſcopis examinari, de Grammatica & ſufficientia, quamuis ſint à ſuis proprijs Prælatis examinati & approbati. Nec literæ Dimiſſoriæ eiſdem conceſſæ, penes hoc ad aliud deſeruiunt, quam vt fidem faciant de ſua licentia ad ordinandum, & de ordinandorum moribus, vitæ probitate atque integritate. Addo, quod quamuis ſimul reddatur teſtimonium, de ſufficientia quam habent, ſi Epiſcopi prædicti vrbane agendo, huic rei fidem facere noluerint, ius quidem habent ad hoc, vt ſi voluerint poſſint Regulares prædictos iterum examinare. Quod verum licet ſit, tamen hac in re qui ſunt deuoti at prudentes Epiſcopi, ſuam exonerando conſcientiam, cum conſcientijs Prælatorum ipſorum Religioſorum commendatitijs literis, plenam atque omnimodam, fidem ſolent facere; quod & omnes, ſi volunt rectè facere poſſunt.

ARTICVLVS V.

Vtrum Religioſi Societatis Ieſu, ſine titulo beneficij aut patrimonij, poſſint & debeant ordinari?

DEſeruiet etiam pro ratione dubitandi, eius quod quæritur in præſenti Articulo, id quod habetur *in Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2.* vbi dicitur, *quod nullus in poſterum ordinetur, niſi ad certam beneficij ſiue patrimonij.* Quod quidem decretum, etiam Sixtus V. in dicta ſua Conſtit. contra male promotos, confirmauit atque corroborauit. Et quamuis ſit communis opinio, prout aduertit Nauar. in Man. c. 27. num. 258. quod huiuſmodi decretum, non extenditur ad Regulares, quia vt inquit D. Anton. 3. par. tit. 14, *pro Regularibus ſed præcipue Mendicantibus, pro titulo deſeruit ſporta*: cum tamen prædicti Religioſi Societatis Ieſu, licet vere ſint Rugulares & Religioſi, (etiam Scholares, vt ſupra diximus) poſt emiſſa, expleto biennio tria vota ſimplicia, ſunt tamen Regulares & Religioſi reuocabiliter, poſſuntq; in caſu, ab eadem Societate dimitti & expelli, non immerito, ratio inſurgit dubitandi, an etiam ipſi comprehendantur, in Concil. Trid. decreto prædicto, nec ordinari poſſint, niſi ad titulum beneficij ſiue patrimonij, quemadmodum & cæteri Clerici ſæculares. Videretur enim alias fruſtrari mens, finis atque intentio Concilij, poſtquam poſſet poſtea cõtingere, vt prædicti à ſocietate ſuperius dicta dimittuntur, remaneãtque in ſæculo depauperati, ſicut alij Clerici, ſine beneficio & patrimonio, & cogantur cum ſui Ordinis dedecore mendicare, quod omnino

Con-

Concilium loco vbi ſupra prætendit vitare. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Religioſi Societatis Ieſu, etiam ſcholares, ordinari poſſunt, ſine titulo patrimonij, aut beneficij.

REligioſi Societatis Ieſu etiam Scholares, & qui (vt dicitur) ſolummodo primam profeſſionem fecerunt, aut tria ſimplicia vota emiſerunt, ordinari poſſunt & debent, ſine titulo patrimonij, aut beneficij. Hæc concluſio fere eſt communis reſolutio, imo vero credo, quod de ea iam nullus poteſt dubitare, nam certiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod Concilij decretum prædictum, nõ extenditur ad Regulares & Religioſos, & citra cõtroverſiam etiã, eſt quod prædicti viri Societatis Ieſu, etiam Scholares, ſunt vere Regulares & Religioſi. Vnde cũ Conc. Patres rectè calluerint, ac plene nouerint ipſorum inſtitutũ & ſtatum, & de illis haudquaquam talia dixerint, vt ſcilicet non ordinarentur, niſi ad titulum beneficij, ſiue patrimonij, non id videtur dicendum ſiue affirmãdum, ſine ſufficienti cauſa & fundamento, Deniq; vt hac de re omnis tolleretur occaſio, & ratio dubitandi, Gregor. XIII. quadam ſua Conſtitutione, iam hoc ipſum explicauit & declarauit, quod non obſtante conſtitutione Pij. Quinti, qua dixit, decretum Concilij prædictum, non eſſe ſeruãdum cũ Religioſis profeſſis, huius Societatis, imo vero declarauit ad eoſdem ſolummodo non extendi, quod etiam idipſum intelligatur, cum ſcholaribus, nondum ſecunda profeſſione profeſſis vt refertur *in Comp. eiuſdem Societat. tit. ordo*, §. 2. Neque his obſtat, quod prima ſolummodo profeſſione profeſſi, ſeu qui tria tantum ſimplicia vota emiſerunt, propter aliquas cauſas, interdum à Societate prædicta, poſſint & ſoleant expelli, & contingere poſſit, vt cum ſui Ordinis etiam & ſtatus dedecore, cogantur mendicare, nam malè euẽtus, ſecundum iuris Regulã vt habetur, *in l. inter ſtipulam. §. ſacro, ff. de verb. obligation.* non in conſideratione veniunt, cum eueniant quaſi per accidens, nec ſemper rebus omnibus mundi, vndequaque poſſit prouideri. Ariſtotel. etiam 1. Metaphyſ. dixit, quod ea quæ ſunt per accidens, non cadunt ſub ſcientia, & ſic in hoc eſt ſtandum, interimdum non aliud per Apoſtolic. ſedem, dicitur, ſiue determinatur.

Nota hoc val de pro viris Societatis Ieſu.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Regularis ordinatus extra tempora, ſeu ante legitimam ætatem, aut ſine literis Dimiſſorijs Ordinibus ſacris, ſit ipſo facto ſuſpenſus?

PRo huius Articuli intelligentia præmitto, ex Nauarro in ſuo Manual. c. 25. nu. 70. & 27. num. 155. & ſuper *c. accepta, de reſtitution. ſpolia. oppo.* 8. atque ex Ioanne Gutierrez, in ſuis qq. Can. lib. 1. quæſt. 26. num. 8. & Salzedo in practica doctiſſimi atque Illuſtriſsimi viri Bernardi Diaz de Lug. c. 22. quod olim multi grauiſſimi DD. tenuerunt, quod in prædictis caſibus, de iure communi antiquo loquendo, qui ordinabantur non erant ipſo facto ſuſpenſi, ſed ſuſpendebantur, & mandabantur ſuſpendi, per *capitul. vel non eſt compos, de tempor. ordin.* Quam ſententiam tenet Gloſ. *in Clem. generalem, de ætat. & qualit. ord. & in d. ca. vel non eſt compos.* Et tenuit eam D. Antonin. 3. part. titul. 14. ca. 16. & Ioann. Maior. in 4. d. 24. quæſt. 2. At hodie per Extrau. Pij II. quæ incipit: *Cum ex ſacrorum*, contrarium omnino videtur dicendum, & quod qui ante legitimam ætatem, vel ſine literis Dimiſſorijs, aut extra tempora ordinantur, non ſolum ſuſpendendi veniunt, verum etiam & ſunt ipſo facto ſuſpenſi. De quo, & ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Recipientes ſacros Ordines extra tempora, vel ante legitimã ætatẽ, aut ſine literis Dimiſſorijs, ſunt ipſo facto ſuſpenſi.

HOdie recipientes ſacros Ordines extra tempora, vel ante legitimã ætatem, aut ſine literis Dimiſſorijs, ipſo ſunt facto ſuſpenſi, non ſolum Clerici, verum etiam Regulares. Hoc ſpecialiter atque ex propoſito dixerim, quia non deſunt quidam Auctores, qui in ea fuerunt ſententia, & opinione, vt crediderint, Extrau. præd. *Cum ex ſacrorum*, ad Regulares non extendi, ſed dumtaxat ad Clericos, de ipſis enim (inquiunt) expreſſe loquitur, vt patebit intuenti, non vero de Monachis, ſiue Religioſis, & vt dicitur in iure, à diuerſis non fit illatio. Nec negari poteſt, quod Monachi, & Clerici ſint diuerſi, cum id ſatis conſtet, *ex rubrica & titulo, ne clerici, vel Monachi.* Certum etiã eſſe dicunt, quod conſtitutio ſolummodo agens de Clericis, Religioſos ſiue Regulares minime comprehendit, ſicut & vice verſa, conſtitutio loquens de Regulibus ſolum domo, non comprehendit Clericos ſeculares, vt habetur expreſſe, *in Clement. 1. iuncta Gloſſ. verb. Religioſus, de reb. Eccleſiæ. non alien.* Sed nihilominus tenendum eſt, id quod dictum eſt à nobis in concluſione, eſtque certum atque ſine dubio, nam Sixtus Quintus in alia ſua Extrauagant. ſiue Conſtitutione, quam fecit contra male promotos, prædictæ Conſtitutionis Pij Secundi mentionem faciens, ad Regulares prædictos, etiam extendi, ſatis expreſſe declarat, in illis verbis, *quemcumque ſæcularem, vel cuiuſuis Ordinis, aut militiæ Regularem.* Et certe ratio ipſa huic reſolutioni fauet: nam licet quantum ad alia quam maxima ſit differentia inter Clericos, & Monachos, ſiue Regulares, maxime quando agitur de materia, quæ vel tantum concernit Clericos vel tantum Monachos: at quando materia eſt, quæ æqualiter reſpicit vnum & alterum, qualis eſt materia Ordinum recipiendorum, & vt non recipiantur extra tempora, ſeu ante legitimam ætatem, aut ſine literis Dimiſſorijs, nulla prorſus inter ipſos eſt differẽtia. Quod ſi prædictus Pius II. vſus fuit nomine *Clericí*, non vero expreſſe Monachos, ſiue Regulares nominauit, ex eo fuit quia nullus qui

nõ ſit Clericus, & ſaltim prima Tõſura & Minoribus Ordinibus initiatus, ac per hoc in fortẽ Domini vocatus, ad ſacros Ordines prædictos poterat, aut poteſt promoueri. Hinc eſt, quod vſus fuerit nomine Clerici, & nec quidẽ male, quinuero nimis iuridice, nã Clerici nomẽ in hoc ſenſu, vniuocũ eſt, & nomine atq; definitione cõuenit, & comprehẽdit Clericos, tã ſeculares quam Regulares, quibus cõtingere poteſt, promoueri ad ſacros Ordines. Sunt prætera in iure plura capita, quæ quãtum ad aliqua, æqualiter Clericos ſæculares, & Regulares comprehendunt, quæ habentur *in toto tit. de vita, et honeſt. Cler. et tit. d cohabit Cler. & mulier.* & ſic hac de re, non eſt dubitandum.

Solummodo eſt difficultas, an qui extra tempora, ſeu ante legitimam ætatem, vel ſine literis Dimiſſorijs, ſacris Ordinibus initiantur, non quidem ex dolo aut malitia ſed bona fide, remaneant ipſo facto ſuſpenſi, vt verbi gratia, qui ordinatus eſt ante legitimam ætatem, exiſtimando id ſibi licere ob aliquam cauſam, quia forſan ſuo Ordini aliqua fuerit facta conceſſio, aut ea de re aliquod habeatur viuæ vocis Oraculum, licet non multum autenticum? Huic difficultati reſpondet Nauar. lib. 1. conſil. de tempor. ordin. conſil. 8. dicendo, quod tales non ſunt ſuſpenſi. Nam conſtitutio prædicta Pij II. ſolummodo apponit ſuſpenſionem, contra præſumentes, & certum eſt quod verbum præſumere, dolum atque malitiam deſignat, quo fit, vt qui bona fide & probabili ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcipit, ſuſpenſus minime ſit. Quod probat ex doctrina Cardinal. in Clement. 1. quæſti. 38. de priuileg. Videatur ibi Nauarr. & in comm. Super *capitulum accepta de reſtitut. ſpolia. oppoſition.* 8. nam plura dicit ad hoc propoſitum, eaq; notatu digniſſima.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm qui initiatur prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus extra tempora, aut non ſeruatis interſtitijs, vel ſine literis Dimiſſorijs, aut cum falſis, ſit ipſo facto ſuſpenſus?

HAc de re Nauarr. libr. 1. Conſil. titul. de tempor. ordina. & quali. ipſorum, plura facit conſilia, de cuius doctrina & reſolutione, ſequentes ſtatuo Conc luſiones.

Prima Concluſio.

Stando in iure communi olim, qui initiabatur prima Tonſura aut Min. Ordin. extra tẽpora, aut ſine literis dimiſſorijs, vel cũ falſis, nõ erat ipſo facto ſuſpenſus.

STando in iure communi olim, qui initiabatur prima Tonſura, aut ſuſcipiebat Minores Ordines extra tẽpora, aut ſine literis Dimiſſorijs, vel cum falſis, ſeu non ſeruatis interſtitijs, quamuis peccaret, non tamen remanebat ipſo facto ſuſpenſus. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. loco vbi ſupra, ſed maxime conſil. 6. numer. 2. & 29. numer. 1. & 4. & 30. numer. 3. & conſil. 31. & 32. & ſæpe alibi. Quam & probat ex doctrina Arch. & multorum aliorum, *in c. vel non eſt compos, de tempor. ordin. et c. Lugdunenſis, 9. quæſt. 2. et Gloſſ. in c. eos, eod. titul. libr.* qui omnes dicunt, quod quamuis huiuſmodi mereatur ſuſpendi, ſecundum iura, *per cap. quod translationem, et d. cap. vel non eſt compos, de tempor. ordin.* non tamen de facto incurrit huiuſmodi ſuſpenſionem; peccabit tamen & grauiter. Et addit prædictus Nauarr. hoc eſſe etiam tenendum atque dicendum, poſt ſupradict. Extrauagan. Pij Secundi, *cum ex ſacrorum*, nam illa vt patebit intuenti, ſolummodo loquitur, de ſuſcipientibus Ordines ſacros, extra tempora, vel ante legitimam ætatem; aut ſine literis Dimiſſorijs, ſeu cum falſis (quod eſt idem) non tamen loquitur de prima Tonſura, nec de Minoribus Ordinibus. Vnde inquit; neque ideſt dicendum, cum ſecundum antiquã iura, in dictis caſibus non incurreretur olim prædicta ſuſpenſio. Quod late probat in ſuo Manual. capit. 25. numer. 70. & capit. 27. numer. 241. & quod fecit Pius Secundus, in d. ſuã Extrauagant. ſolummodo (inquit) fuit, ſuſpẽdere ordinatos Ordinibus ſacris in dictis caſibus, & declarare eos eſſe ipſo facto ſuſpenſos, atque irregulares ſi celebrent; non tamen ibi mentionem fecit de prima Tonſura, aut Minoribus Ordinibus, quapropter ſic initiati, quamuis peccent grauiter & mortaliter, mereanturque ſuſpendi, eſt tamen (inquit) illud peccatum, quod ſola contritione deletur, neque ipſo facto ſunt ſuſpenſi, Religioſi neque alij, & ſi ſint Clerici ſæculares, beneficiumque eiſdem conferatur, collatio facta tenet. Sed difficultas eſt, an eiuſmodi modo ſint ſuſpenſi, per nouam Conſtitutionem Sixti Quinti, contra male promotos & ordinatos, quæ incipit, *ſanctum & ſalutare*? de quod ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Poſt Conſtitutionem Sixti V. etiã initiati prima Tõſura, & Minor. Ord. in prædictis caſibus, ſunt ipſo facto ſuſpenſi.

POſt præfatam Conſtitutionem Sixti Quinti; omnes ſupradicti, prima Tonſura, Minoribuſque Ordinibus initiati, ſæculares & Regulares, cuiuſcumque gradus & conditionis extiterint, ipſo facto ſunt ſuſpenſi, atque etiam Epiſcopi, eoſdem ordinantes extra tempora, vel ante legitimam ætatem, ſeu ſine literis Dimiſſorijs, aut non ſeruatis temporum interſtitijs. Hæc Concluſio conſtat ex expreſſis verbis dictæ Conſtitut. *ibid. ad primam Tonſuram, Minoreſque Ordines* (quo loco loquitur de Epiſcopis ordinãtibus) & ibi, *eoſdem Clericos poſt hæc male promotos* (vbi loquitur de ipſis ſic ordinatis) & tam iſti quam illi ſuſpenduntur ipſo facto, vt patebit intuenti. Hac de re videatur Nauarr. loco ſupracitato, & in varijs atque diuerſis conſilijs, quæ circa hanc materiam facit; vbi & inuenire licebit, ea quæ erant olim de iure communi antiquo, & quæ dicẽda ſũt de iure nouo hodie. Aduerto tamẽ, quod quando

quado prædictus Nauar. eiuſmodi fecit conſilia, nondum in lucem prodierat, prædicta Extrauag. ſiue Conſtitutio Sixti V. atque ita dicit ibi multa, quæ modo non poſſunt dici, ſuſtineri aut obſeruari, vt aduertunt Scholia facta ad dicta conſilia, quod eſt multum notandum atque memoriæ cõmendandum. Vt enim dicitur, diſtinguenda ſunt tempora, vt concordentur iura.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Prælatus Regularis, poteſtatem habens ad diſpenſandum, cum aliquo ſibi ſubdito ad omnes Ordines, conceſſa licentia ad Minores quatuor & ad Subdiaconatũ, viſus fuerit diſpenſare, vt promoueri poſsit poſtmodũ, etiam eo mortuo, ad omnes alios.

Concluſio.

Prælatus in hoc caſu, quo ad omnes ſacros Ordines viſus eſt diſpenſare.

PRælatus in ſupradicto caſu, viſus eſt diſpenſare, quoad omnes ſacros Ordines. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. lib. 1. conſ. de temp. ordin. conſil. 45. & libr. 3. de Regular. conſil. 37. vbi dicit, in propoſito caſu, eſſe tenendum atque credendum, Prælatum prædictum, facultatem habentem à Papa, ad diſpenſandum in id, cum aliquo ſibi ſubdito, voluiſſe diſpenſare in totum, ac totaliter eiuſmodi ſubditum feciſſe habilem, ad ſuſcipiendos omnes etiam alios ſacros Ordines. Quia inquit, non eſt veroſimile, quod voluerit eumdem habilitare, nunc ad iſtum, nunc vero ad illum ſacrum Ordinem, quia non eſſet boni ac prudentis Prælati id feciſſe, cum periculo vt eo mortuo, neceſſarium eſſet iterum, ad Papam confugere. Præterquam quod Commiſſariorũ, communis atque ordinarius eſt ſtylus, vt auctoritatem habens, & facultatem ad diſpenſandum cum aliquo, ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, & habilitandum ipſum, vnico id faciat actu, non vero pluribus, & ſic eſt præſumendum de Prælato ſupradicto. Vt enim habetur, *in capit. 1. de ſcrut. ab ordin. faciend.* non eſt præſumendum de bono Prælato, aliquod malum & ſtultum, vtque dicitur *in iure, in l. ſi poſsidetis, C. de probation. & Gloſſ. in l. neque Nateles, eodem titul.* inſolita non ſunt credenda aut præſumenda, ſed quæ communiter accidunt, facit & c. *non eſt veriſimile, de præſump.*

Nota quod inſolita non ſunt credenda, neque de bono prælato, aliquod malũ & ſtultum.

Quæ pro iſto Articulo, breuiter dixiſſe ſufficiat.

(.?.)

ARTICVLVS IX.

Quinã actus, ſint iure prohibiti actualiter ſuſpenſis, in quibus ſe exercendo atque intromittendo, efficiuntur irregulares?

Prima Concluſio.

Siue excõmunicatus, ſuſpenſus, irregularitatem incurrit ſolũ modo exercẽdo illos actus, qui alicui Ordini ſunt deputati.

SIue excommunicatus ſuſpenſus, ſolum modo pœnam irregularitatis incurrit, exercendo illos actus, qui ſunt ſpecialiter deputati, alicuius Ordinis miniſterio. Hæc Concluſio eſt expreſſa Innoc. & Panor. *in c. fin. de exceſſ. Prælat.* & eſt exemplum in eo, qui ſuſpenſus ab Ordine ſacro, Miſſam dicit, quãuis ſit Sacerdos, aut cantat Euangelium, exiſtens Diaconus, aut, epiſtolam cum apparatu ſolemni, cum ſit Subdiaconus. Sed non incurrit irregularitatem prædictam, qui ſine apparatu ſolemni illã cantauerit, aut aliqua reſponſoria, ſiue pſalmos in Eccleſia, faceret ve aliqua diuina officia, quæ fiunt ac fieri ſemper conſueuerunt, etiam à laicis. Vnde iuxta communem Doctorum ſententiam, duo ſimul ſunt neceſſaria, ad hoc vt ordinatus, excommunicatus, ſiue ſuſpenſus, incurrat in irregularitatem. Primo: vt officium ſit diuinum ſeu ſacrum: alterum verò, vt ſit deputatum alicui certo atque determinato Ordini. Qua de re videatur Nauar. in Man. c. 27. n. 163. & nos infra, plura dicemus in 2. tom. dum agemus de cenſuris Eccleſiaſticis. Sed dices, quid ſi prædictus ſuſpenſus aut excommunicatus, in ſeſſione ſeu ſtatione, ſe conſtituat inter alios Sacerdotes, & intromittat in electionibus & alijs actibus, qui ſolummodo conueniunt ſacris inſignitis, aut Sacerdotibus tantum ſunt deputati? eritne eiuſmodi per hoc factus irregularis? Reſpondeo, & ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Excomunicatus, aut ſuſpenſus, alijs rebusquã ſu pradictis ſe ingerẽdo, irregularitatẽ nõ incurrit, ſed peccat mortaliter.

QVamuis prædictus ſuſpenſus, ſiue excõmunicatus, eiuſmodi rebus ſe ingerendo, mortaliter peccet; non tamen incurrit irregularitatẽ. Hæc Concluſio eſt Paner. vbi ſupra. Et quidem, quod peccet mortaliter, manifeſtum eſt, cum faciat actum iure ſibi prohibitum, argumento eorum, quæ notantur in iure *in c. cum inter, de elect.* & multis alijs, & præterea, quia ordinatus, ſuſpenſus, ſiue excõmunicatus, licet gaudeat priuilegio Can. *Si quis ſuadente diabolo. 17. q. 4.* ac fori, vt determinant ſacri Canones, *in c. aduerſus, c. inter alia de immunit. Eccleſ.* non tamen gaudet alijs priuilegijs, honoris & dignitatis, conuenientibus ſibi ratione Ordinis, quẽ habet, vtputa quod ſit capax collationis alicuius beneficij, ſecularis ſeu Regularis, ſeu alicuius dignitatis, vel honoris, *iuxta, c. 2. & c. ſi celebrat, de Clerico excomunicato, miniſtr.* Vnde & *Gloſ. in c. ei, de præbend. lib. 6, ver. ætas*, conſtanter tenet, præbendam ſacerdotalem, hoc eſt, quæ actum ſacerdotalem requirit, in eo cui conferenda eſt, dandam non eſſe ei, qui factus eſt Sacerdos ante legitimam ætatem, tũ, quia iſte talis potius

Nota quod nemo debet ex delicto reportare commodum,

interdicendus eſt, ac ſuſpendendus ab Ordinis vſu, ſecundum ſacros Canones, *per c. vel non eſt compos, de temp. ord.* tum etiam, quia vt habetur in iure, *l. itaq; fullo. ff. de furtis, et c. 1. depoſitul. Prælat.* nemo debet ex delicto reportare commodum, aut propter delictum, aſſequi id, quod ſine illo nũ quam fuiſſet aſſequutus. Quod vero in prædicto caſu, non incurratur irregularitas, multis probat Nauarr. lib. 1. Conſil. in diuerſis conſilijs, titulo de ætat. & qualit. ordin. quæ breuitatis gratia in præſentiarum referre omitto, cum hoc ſit certiſſimum atque conſtitutiſſimum.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm ordinatus ante legitimam ætatem, & factus propterea ſuſpenſus, perueniendo ad eam, miniſtrare poſsit, abſque vlla aliqua deſuper accepta diſpenſatione, ſuumque Ordinem ſolemniter exercere?

Concluſio.

Ordinatus ante legitimã ætatẽ, & factus propterea ſuſpẽſus,

ORdinatus ante legitimam ætatem, cum remaneat ipſo iure ſuſpenſus, ſi temere Ordines recepit, neceſſarium eſt, vt priuſquam Ordinem exerceat, à ſuſpenſione abſoluatur, neque ante, etiamſi attingat ætatem, per ſacros Canones, & ſanctum Cocilium Tridentinũ requiſitam, abſque abſolutione prædicta, alium poteſt ſuſcipere Ordinem, aut in ſucepto ſolemniter miniſtrare. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, & eam tenet expreſſe Nauarr. in ſuo Manu. c. 27. n. 151. & ſequentibus, & in quamplurimis ſuorum Conſiliorum locis. Cuius quidem ratio, etiam in promptu eſt, nam per ſuſpenſionem prædictam, ſecundum omnes, impeditur à ſuſcipiendis alijs Ordinibus, & ab adminiſtrãdo in iam ſuſceptis. Suſpenſio enim totaliter & abſolute, ſuſpendit ab executione omnis Ordinis ſacri. Aduertendum eſt tamen, nõ niſi conſulto à me poſitum fuiſſe in concluſione, ſi temere Ordines ſuſcepit, etenim ſi id fecerit bona fide atque ex probabili ignoratia, vt iam ſupra dixi in Articulo ſexto huius quæſtionis, de mente & ſententia Nauar. non incurrit ſuſpenſionem. Qua de re videatur ſpecialiter, *in c. accepta, de reſt. ſpoliat. oppo. 8. n. 32, & lib. 1. Cõſil. de temp. ord. conſ. 8.* & in Manuali *cap. 27. n. 155.* & addit Nauarr. quod celebrando, eadem ignorantia perſeuerante, non etiam incurrit irregularitatem, etiamſi poſtea celebret, antequam perueniat ad legitimam ætatẽ, eadem ignorãtia perſeuerante. Quæ ſi fuerit talis vt eundem non excuſet, peccabit (inquit) mortaliter, eo quod ſic celebrauerit; nõ tamẽ efficietur irregularis, ſiquidẽ à principio, nunquã fuit ſuſpẽſus ipſo facto, nec ſuſpenſio ipſa aduenire poteſt, adueniente poſtea mala fide, vt tradit Syluest. *verbo, ord. 3. q. 8.* Et hæc de iſto Articulo ac tota Quæſtione dicta ſufficiant.

debet à ſuſpẽſione abſolui, antequam miniſtret, ſeu ad alium ordinem aſcendat.

QVAESTIO. XL.

De celebratione Miſſarum, & his quæ ad Miſſam, rite ac recte celebrandam ſpectant, in quatuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit Miſſa, quæ in noſtra ſacra Eccleſia quotidie celebratur?

Prima Concluſio.

Miſſa eſt oblatio, ad Deũ per Sacerdotis, miniſterium tranſmiſſa.

MISSA eſt oblatio quædam, ad Deum per Sacerdotis miniſterium tranſmiſſa. Hæc Miſſæ diffinitio eſt D. Thomæ, 3 p. q. 83. artic. 4, & Hugonis de ſancto Victore, & tradit eã Syluester, *verbo Miſſa*, 1. n. 1. vbi & dicit, quod poteſt etiã dici Miſſa, ab emiſſione Catechumenorum & excommunicatorum. Sed hæc Miſſæ deſcriptio, aliqualiter apparet friuola, quamuis re vera, Catechumeni atque excõmunicati, foras ſint mittendi, interim dum agitur ſiue celebratur miſſa. Qua ratione melius eſt, vt dicamus cum D. Thom. prout dictum eſt, quod eſt oblatio quædam ad Deum, per Sacerdotis miniſterium tranſmiſſa. Et duo ſunt quæ in eadem mittũtur, ſiue transferuntur ad Deum; nempe Sacerdotis orationes, & ipſum Euchariſtiæ ſacrificium. Quorum primum, efficaciam habet ex opere operantis (vt dicitur) ſaltem in quantum eſt meritorium, ſeu impetratorium: ſecundum vero ex opere operato. Qua ratione quantum attinet ad id, quod ſubſtantiale & eſſentiale eſt in Miſſa, (quod eſt ſacrificium,) ſecundum D. Thomam & omnes communiter Doctores, æque bona eſt Miſſa, mali ſacerdotis ac boni; licet quantum attinet ad orationes annexas, melior ſit melioris, indiſtincte & abſque vlla dubitatione.

Sed

Sed de hoc alias, cum hac de re ſpecialem fecerimus mentionem, ſed ſupereſt modo, afferamus aliam Miſſæ diffinitionem ſiue deſcriptionem, ampliorem atque clariorem. De qua ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Miſſa eſt actio quædam, qua corpus & ſanguis Chriſti, in memoriam paſſionis ipſius, offeruntur Deo Patri.

MIſſa, quæ in ſacra noſtra Eccleſia celebratur, eſt actio quædam diuina, qua ex Chriſti Domini inſtitutione, in memoriam ipſius paſſionis, panis & vinum, ſub certis verbis, in eiuſdem corpus & ſanguinem tranſmutantur, conuertuntur & tranſubſtantiantur, ac Deo Patri ſub eorumdem ſpecie offerũtur. Hæc miſſæ diffinitio ſiue deſcriptio, nonnullis additis & mutatis, deſumpta eſt ex Nauarro in Manua. *capit.* 25. *nume.* 111. vbi hac de re plura dicit, ſed ſpecialiter, quod hæc dictio, *miſſa*, vt perperam Hæretici conantur dicere, nõ eſt res noua, ſed antiqua, nec voluntarie ab Eccleſia confecta, ſed deducta ex Sanctis Patribus, atq; ex eo quod in Bibliis ſacris & textu Hebraico, & Chaldaico expreſſe continetur, nempe à quodam verbo *miſſach*, cuius mentio Deuteron. 16. & ſignificat *oblationem ſpontaneam*, quam in Euchariſtiæ ſacramento ſiue ſacrificio, nunc etiam nos ad Deũ mittimus, per Sacerdotis miniſterium, interim dũ dicitur ſiue celebratur miſſa. Vnde nec incongrue Fœlix Papa *in cap. ſufficit, de conſecratio. diſtinct.* 1. Et Gregorius IX. *in cap. Salonitanæ, diſt.* 63. Concilium etiam Toletanum *in cap. nihil, 7. quæſt.* 1. vtuntur hac voce, phraſi, ſiue dicendi modo, *facere miſſam*, pro dicere miſſam. Nec immerito, cum in ipſius Miſſæ ordinario, præcipua eiuſdem pars, actio nuncupetur & appelletur, prout aduertit & notat Innocent. *lib.* 3. *cap.* 4. *de ſacrifi. miſſ.* vbi vocat eam miniſterium, prout & ſubtiliter tradit etiam Caiet. tractatu *de ſacrifi. miſſ.* adducens in id, illa Chriſti Domini verba, ad Apoſtolos, & omnes in vniuerſum ſacerdotes. Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, & illa. *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Qui hac de re & de hoc venerabili Miſſæ ſacrificio, plura videre voluerit, & de varijs eiuſdem etymologijs, conſulat Illuſtriſsimum Cardinalem Bellarminum *lib.* 5. *de Euchariſt. cap.* 1.

Quid ſignificet Miſſa.

ARTICVLVS. II.

Vnde ortum & originem duxerit, Miſſa, quæ in ſacra noſtra Eccleſia quotidie celebratur?

VAriæ ſunt hac de re Doctorum ſententiæ & opiniones, ſaltem ſecundum apparentiam. Nam Hugo lib. 2. de ſacrament. p. 2. cap. 4. Miſſæ inſtitutionem tribuere videtur D. Petro, ex quo dicit, eundem Antiochiæ primum miſſam celebraſſe. Sed in *capit. Iacobus, de conſecrat. diſtinct.* 1. dicitur quod Iacobus Frater Domini ſecundum carnem, cui primum credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, cuius claritas per totum Orbem circumfulſit, in Scripturis nobis Miſſæ celebrationem tradiderunt. Vbi notandum venit verbum, *tradiderunt*, ſecundum translationem Græcam, quamuis ſecundum Vulgatam, habeatur *addiderunt*. Sed quidquid de hoc ſit, quod certum eſt atque tenendum, explicabitur per ſequentem cõcluſionem.

Concluſio.

Miſſæ inſtitutor, & auctor fuit Chriſtus Dominus.

MIſſæ, quæ quotidiè in ſacra noſtra Eccleſia celebratur atq; conficitur, inſtitutor & auctor fuit, non quidem D. Petrus aut Iacobus ſiue Baſilius, ſed Chriſtus Dominus. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Hugonis lib. 2. de officio Eccleſ. vbi ait, quod miſſa inde ortum atq; originẽ ſumpſit, à tempore quo Chriſtus in cœna, corpus & ſanguinem ſuum conſecrauit, tradenſque diſcipulis ſuis dixit. *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quæ ſententia eſt vera atque tenenda, & eam tenet gloſſ. *in d. cap. Iacobus, de conſec. diſt.* 1. vbi illa verba, quæ ſecundum linguam Græcam, ſonant *tradiderunt*, non ſic eſſe dicit vertẽda, ſed *addiderunt*, ad hunc ſenſum, quod ipſi fuerunt, non qui tradiderunt Eccleſiæ, ſed qui addiderũt, ordinem celebrandæ Miſſæ. Nam verba (inquit) quibus in miſſa Chriſti corpus conficitur, ab ipſo Domino ſunt tradita, prout ſatis conſtat in multis capitulis, quæ habentur *de conſecrat. d.* 2. Sed poſtea Iacobus & Baſilius, Cæſarienſis Epiſcopus, multique alij, addiderunt aliqua, pertinentia ad decorem & ſolemnitatem Miſſæ, prout expreſſe dicitur, *in cap. Eccleſiaſticarum, diſt.* 11. & ſic eſt intelligẽdum & interpretandum *dict. cap. Iacobus.* In quorũ numero, primum tenuere locum ſancti Apoſtoli, ſed maxime D. Petrus & D. Iacobus. Et id forſan fuit, quod dicere voluit Hugo ſupradictus, quando dixit, quod ipſe Antiochiæ primum Miſſam celebrauit: vel intelligendum eſt aduerbium illud, *primum*, habito reſpectu ad tempus, quo Miſſa Antiochiæ primum celebrata eſt, non vero ad aliud, ſeu ad alias mundi partes. Nam certum eſt, idque tenendum de fide, quod Chriſtus Dominus, in ſua ſanctiſſima paſſione, primam miſſam celebrauit, & id quod eſſentiale & ſubſtanciale eſt in ipſa, idem ipſe inſtituit & ordinauit, nempe conſecrationis verba, quę ſunt formã, & conſecrationis materiã: nam neque alijs verbis vti poſſumus, aut ſuper aliam materiam celebrare, & qui contrarium intentaret, nihil profecto prorſus efficeret. Et etiã certum eſt, quod multo ante tempore, quam D. Petrus Antiochiæ miſſam celebrauerit, iam in Eccleſia Miſſæ celebrari cæperunt, vt ſatis colligitur ex illo, quod habetur Actuum 2, vbi dicitur, *quod erãt Apoſtoli quotidie perſeuerantes vnanimiter in orationibus, & communicatione & fractione panis.* Quæ vltima verba, multi Doctores interpretantur, de celebratione Miſſæ & pane ſuperſubſtantiali, qui ibidem communicantibus frangebatur & miniſtrabatur. Neque enim veriſimile eſt, quod ſancti Apoſtoli hoc voluerint carere ſuffragio, adeoque ſuperno beneficio, quin vero ſtatim à feſto Pentecoſtes, antequam per vniuerſum Orbem diuiderentur, & diſpergerentur, Miſſas celebrare cœperunt, & panem ſuperſubſtantialem prædictum, in hoc ſacroſancto Euchariſtię ſacramento confecto, fidelibus communicare. Dicendũ eſt igitur reſolutiue, Miſſam inſtitutam eſſe à Chriſto Domino (vt dictum

est in conclusione)& quod postea facta Apostolorum diuisione,per vniuersum Orbem, vnusquisque in sua propria Ecclesia,solemnem instituit & ordinauit Missarum celebrationem,eo modo,quo nunc peragitur,D.quidem Petrus Antiochiæ, Iacobus autem Hierosolymis, & alij in alijs locis, ita vt verbum illud Hugonis, *primum, seu primus*, non referatur ad ordinem temporis,sed ad loci celebrationem.

ARTICVLVS III.

Quænam sint Missæ partes principales & præcipuæ, & qualiter ipsa celebranda sit?

Difficultas præsentis articuli,longiorem requirebat disputationem & tractationem,multaque se offerebant dicenda, circa hoc propositum, quammaxima cõsideratione digna,circa ea quæ fiunt,ac fieri iubentur, interim dum fit & celebratur sacrificium Missæ. Sed cum id facere per tempus non liceat, & propter breuitatem cui studemus tantopere,difficultati propositæ,resolutiue respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Tres sunt missæ partes præcipuæ.

TRes sunt Missę partes principales & precipuę; quædam quæ ante mysterium consecrationis præmittuntur, aliæ ad consecrationem spectant, aliæ eandem subsequuntur.Hæc conclusio est expressa D.Thomæ 3.part.quæst.83.art.4.vbi quærit an conuenienter fuerint ordinata, ea quæ ab Ecclesia circa hoc sacramentum dicuntur. Sed hac de re specialiter videdus est Magist.Soto,explicãdo eundem D.Thom.in 4.sentent.distin,13.quęst. 2.art.4.vbi in particulari agit de omnibus supradictis latissime,aperiendo & explicãdo,ipsorum arcana & mysteria omnia,etenim sunt eisdem plena neque ipse aliquid intactum seu intentatum relinquit,quod non declaret,incipiendo à confessione Sacerdotis, quæ fit ante Altare, vsque ad totius Missæ partem vltimã, qua dicitur, *Ite Missa est*.Ostendendo & demonstrando etiam, quid eorum vnum quodque, designet atque significet,cui mysterio correspondeat,vnde,seu à quo & quo tempore,Missæ cerimoniæ quæ fiunt ab Ecclesia,ortũ habuerunt & originem?Circa quæ multa dicit mirabilia & notatu dignissima,quæ libenter ipse prosequerer,ni tempus enarrãtem deficeret, neque reuocaret ad alia,videantur ibidem. Quibus perspectis,constabit manifeste atque planissime, congruẽtissime quidem,omnia fuisse ab Ecclesia,quin vero à Christo Domino,sanctisque Apostolis constituta & ordinata,nihilque prorsus esse,aut inueniri posse,in toto Missæ sacrificio, à principio vsq; in finem,quod non ex institutione eiusdem Christi Domini, atque à sanctis Apostolis,& priscis illis Patribus primitiuæ Ecclesiæ, ortum habuerit & originem, quodque non sit, etiam magnæ alicuius rei significatiuum, ac valde conducens ad Fidelium omnium institutionem,& debitam venerationem,tanti & tam admirabilis Sacramenti. Sit secunda conclusio

Secunda Conclusio.

Missa celebrãda est,secundum Ordinarium præsixũ, quod prætermitti non debet,nec potest sine peccato,sine speciali priuilegio,aut rationabilis causa excuset.

MIssa in omnibus & per omnia, tam in dictis quam in factis,facienda & celebranda est,secundum Ordinarium Romanum,atque Rubricas Missalis ipsius,quia omnia plena sunt mysterijs & sacramentis, & tenemur id facere sub præcepto, nisi ab aliquibus speciale aliquod priuilegium habeatur,aut rationabilis causa excuset. Hæc cõclusio est Syluestri,*verbo,Missa*,1.*quæst*.2. vbi discurrẽdo per singula,ostendit qualiter obligẽt sub peccato mortali, etiam ea quæ videri forsan possent minutissima,cum fieri præcipiantur in iure atque in eorum multis apponatur,non seruantibus depositionis pœna,quæ quidem communiter nõ cõsueuit ab Ecclesia poni,nisi vbi factum contrariũ, omnino est peccatum mortale.Et in quæstio.5.sequenti addit, quod Sacerdos nihil prorsus aliud debet dicere in Missa,præter id quod in Missali cõtinetur,argumento deducto,*ex cap.visum, & cap.de nominibus,de consecra.dist*.1.ad quod etiam facit quã maxime,illud quod dicit Seraphicus Pater noster D.Bonauentura, nempe quod cogitare Sacerdos potest in Missa,aliqua deuota,sed addere siue exprimere non licet sibi,quod est valde notandum. Et Magist.etiam Soto,loco supracitato,hocipsum valde commendat, vt à Sacerdotibus in Missa, non aliæ orationes dicãtur,quam illæ quæ in Missali continentur,quia(inquit)nefas est,alias priuatas cum illis sacris commiscere, quæ instituit Ecclesia,& sunt maximis mysterijs plena. Solummodo ergo oportet,attente considerare,meditari ac reuerenter proferre,& dicere,quæ cõstituta sunt ab Ecclesia. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat prædictum D.Thom.loco supracitato,artic.4.& 5.& Magist.Soto ibidem.

Nota hoc val de ex D. Bonauent. circa celebrationẽ missæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fuerit expediens in Ecclesia, quod Sacerdotes ad Missam celebrãdam,sacris vterentur vestibus?

Circa ornamẽta Ecclesiastica, quid sentiant Hæretici.

HAeretici Lutherani,ceremoniarum omnium sanctæ Ecclesiæ,irrisores & contemptores, eiusdemque capitales inimici,etiam sacrorum vestimentorum vsum atque ornatum,in Missis celebrandis, irridٍent,damnant atque condemnant. Sed immerito quidem sicut & cætera alia omnia,cum videamus non solum apud sacros,verum etiã & prophanos Auctores omnes antiquos,tam Iudæos quam Gẽtiles olim, ornamentis seu vestimentis suo more sacris,in suis sacrificijs faciẽdis,vsos semper fuisse,idque duplici ex causa, primo ad maiorem populi attentionem captandam,circa sacra & diuina,secundo ad ornandũ & condecorandum suorũ Sacerdotum officium. Quæ duæ causæ cum etiam apud nos,& maxime hoc noui Testamenti tempore militent,quin vero & præcipue,immerito quidem & absque omni prorsus causa & ratione,præ

dicti

dicti Hæretici Lutherani, nostrorum sacrorum ornamentorum vsum, & consuetudinem subsannāt, atque irrident. Sed quidquid de hoc sit, neque enim vacat per tempus, cum illis bellū inire, aut eosdem impugnare, cum non sit præsentis speculationis, propositæ difficultati respondeo, per sequentem conclusionem.

Conclusio.

conueniētissimū fuit, vt nostri temporis Sacerdotes, in Missis celebrādis, sacris vterentur vestibus et ornamentis.

CONuenientissimum fuit & quammaxime rationi consonum, vt nostri temporis Sacerdotes, in Missis celebrandis, sacris vterentur vestibus & ornamentis. Hęc conclusio est certa & manifesta, multisque Iuris Canonici decretis comprobata, de qua & videndus est Diuus Hieronymus in epistola ab Fabiolam, Rabanus, libro de institut. cleri cor. Hug. lib. 1. de Sacrament. & maxime cap. 45. Innocent. de officio Missæ. Ratio etiam ad id est appositissima: nam præter duas supradictas causas, de captanda populi attentione, circa sacra & diuina, & ornando atque condecorando Sacerdotum ministerio & officio, expediebat quammaxime, vt nostri temporis Sacerdotes induti sacris, sacra & diuina facerent, quibus & passionem Christi Domini repræsentarent, nostrosque affectus & spiritus excitarent, ad eandem cogitandam, contemplandam & meditandam, quo & efficacius eiusdē passionis fructum percipere mereremur. Hinc est vt Sacerdotum in Missis celebrandis, ornamenta & vestes, quę sunt sex, videlicet, *amictus, alba, zona, manipulus, stola, & casulla*, specialissimas & particularissimas suas habeant repręsentationes, eorum vestimentorum, quæ nō sine magno mysterio, in passione sua sacra, vsus atque indutus fuit Christus Dominus. De quorum omnium significatione, qui plura videre desiderat, eaque notatu dignissima, consulat Doctores supradictos, sed maxime Origenem super Leuiticum, vbi congruentissimam omnium horum reddit rationē. Quæ quidem, cū facile possem referre, consulto ab ipsis in præsentiarum abstineo, vt non plus nimio lōgiorem protraham sermonem, & quia nō sunt præsentis speculationis. Satis sit de congruitate & conuenientia supradictorum vestimentorum, aliquid sic in communi atque in vniuersali dixisse. Reliqua videantur apud Doctores supradictos, & maxime apud Magistrum Sot. in 4. sentent. dist. 13. quæst. 2. art. 4. vbi hisce de rebus agit latissimè.

ARTICVLVS V.

Quisnam possit celebrare Missam?

Prima Conclusio.

De iure loquēdo, omnis et solus sacerdos, legitime ordinatus & nō impeditus potest Missā celebrare.

DE iure diuino loquendo, omnis & solus Sacerdos, legitime ordinatus & nō impeditus, Missam potest celebrare. Hęc conclusio est certa, & habetur expressa *in cap. 1. §. vno, de summa Trinitate, & fide, & capit. vltimo, de consecrat. dist. 1.* habetur etiam *in cap. perlectis, dist. 25.* quod est D. Isidori, vbi expresse dicit, ad solum Presbyterum pertinere, sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in Altari conficere & celebrare. Probatur insuper conclusio, ratione D. Tho. 3. part. quæst. 82. artic. 1. vbi multis probat, proprium esse solius Sacerdotis, hoc sacramentum conficere, sed specialiter hac ratione, quia (inquit) hoc sacramentum, tantę est dignitatis & excellentiæ, vt non conficiatur hec vero confici possit, nisi in persona Christi Domini, & ab illis tātummodo, quibus in id ipse suā indulserit auctoritatem atq; porrexerit potestatem: sed huiusmodi potestas, vt ex Euangelio satis constat, solummodo competit, & concessa fuit Apostolis & Sacerdotibus, quos idem Christus in cœna instituit & ordinauit, quibus etiam hoc munus & officium cōmisit, in illis verbis. Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, & iterum. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*: ergo ipsis solis competit, hoc sacramentum conficere & celebrare, non vero alicui alij. Tandem hæc veritas determinata est in Concil. Florent. vbi aperte dicitur, solis presbyteris esse concessam potestatem consecrandi & conficiendi hoc venerabile Sacramentum, corporis & sanguinis Christi, adeo vt si quis extra Ordinem sacerdotalem, id facere tentaret (quod magnum, inquit Concilium, esset facinus, & sacrilegiū nefandum) omnino nihil prorsus efficeret. Hinc sancta nostra mater Ecclesia, in quodam hymno, compositō à prædicto D. Tho. de hoc admirabili sacramento, sequētia verba canit:

Nota verba D. Tho. mira circa hoc sacramentum.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit,
Solis Presbyteris, quibus sic congruit,
Vt sumant, et dent cæteris.

Hoc itaque est tenendum de fide. Hac de re videatur Magist. Soto in 4. sentent. distinct. 13. quæst. 1. art. 1. disputando cum Hæreticis, vbi multa dicit, eaque notatu dignissima, de veritate huius cōclusionis. Sed quia ea in præsentiarum recensere, nobis per tempus non licet, nec pręsentis est speculationis, ad eundem remitto lectorem, & sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Adeo verum est, quod conficere hoc sacramentū, est proprium Sacerdotum, vt quātūcumq; nefarius sit Sacerdos, si de facto (quod absit) celebrare intentet, verū conficiet Sacramentum.

ADeo verum est, quod conficere hoc sacramentum, proprium munus & officium est Sacerdotum, vt quantumcumque nefarius sit Sacerdos, etiam hæreticus, schismaticus, excommunicatus, aut etiam degradatus, si de facto (quod absit) celebrare intentet, verum conficiet sacramētum. Hæc conclusio est expressa D. Thom. in 4. sent. d. 13. & 3. p. q. 82. art. 5. 6. 7. & 8. vbi expresse hoc probat, de omnibus supradictis in particulari, auctoritatibus & rationibus. Et primo auctoritate D. August. lib. de corpore Domini, & habetur *in c. intra Ecclesiam, 1. q. 1. et in c. vtrum, de consecrat. d. 2.* vbi ait, *quod intra Ecclesiam Catholicam, in mysterio corporis et sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus, perficitur Sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris, & in virtute Spiritus sancti.* Verba sunt expressa D. August. & lib. 2. contra Parmen. de eisdem agens idem D. August. inquit. *Aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere, aliud non dare, aliud non recte dare. Mali & peruersi Sacerdotes, quamuis careant secundo, habent tamen primum.* Ratione etiam probatur conclusio à D. Tho. nam character sacerdotalis, super quem fundatur hoc sacramentum conficiēdi potestas, indelebilis est,

eſt,& per nullum peccatũ poteſt deleri aut amitti,vt tenendum eſt de fide:ergo quantumcumque ſit Sacerdos peccator, hæreticus ſiue ſchiſmaticus,excommunicatus aut etiam degradatus (ſi celebrare tentet) verum conficiet Sacramentum. Quod ſupradicti omnes veram habeant circa hoc poteſtatem,ex eo etiam conſtat,& fit liquidũ cuilibet illud conſideranti & intuenti, ſiquidem poſtea ipſi, redeuntes ad vnitatem Eccleſiæ, eidem dum reconciliantur,non iterum reordinantur,ſed recipiuntur atque admittũtur in ſuis proprijs Ordinibus & gradibus:ſignum igitur eſt, non eoſdẽ amiſiſſe prædictam ſuam poteſtatem,quantum ad rem & ſui ſacerdotij gradum, etiã ſi ſint degradati.Hac de re videatur ſpecialiter Magiſt. Soto loco ſupracitato diſt.13.quæſt.1.art.5.6.7.& 8.

Tertia Concluſio.

De iure Canonico & Eccleſiaſtico loquendo, nullus irregularis Sacerdos, nec ſuſpẽſus, &c. Miſſam poteſt celebrare.

DE iure Canonico & Eccleſiaſtico loquendo, nullus irregularis,ſuſpẽſus,ſimoniacus,ſchiſmaticus,aut excõmunicatus, degradatus,ſiue depoſitus, aut quilibet publicus & notorius peccator,neque vero occultus,in mortali exiſtens(abſque præuia confeſſione aut ſaltem contritione) Miſſam poteſt celebrare.Hæc concluſio eſt omniũ Doctorum communis,de qua & videndus eſt D. Tho.& Sot. locis ſupracitatis,& Sylueſter *verbo Miſſa,q.1.& verbo,Euchariſtia,2.q.1.& 2.*& ratio huius cõcluſionis eſt:nam omnes ſupradicti, ſunt iure prohibiti celebrare,vt conſtat ex multis variis atque diuerſis iuribus & ſacris canonibus,à me in præſentiarum breuitatis cauſa omiſſis,quia peruia iſthæc ſunt,& paſſim reperiuntur in iure,neq; mei eſt propoſiti,ea hic ex profeſſo tractare,aut in hoc tempus inſumere,cum id ad Summiſtas ſine Scholaſticos potius pertineat. Quorum officium, non ego in præſentiarum agere intendo, ſed reſolutiue dicere, ea quæ ſciri nunc oportet,& neceſſaria videntur.

ARTICVLVS VI.

Quænam ſit materia & forma Sacramenti Euchariſtiæ, & qualiter ſit diſponenda & præparanda,ad dicẽdam & celebrandam Miſſam?

Prima Concluſio.

Materia Euchariſtiæ,quãtũ attinet ad Chriſti corp⁹, eſt ſolus panis triticeus, cuiuſcumque ſit ſpeciei.

NEceſſaria & præciſa materia, ad conficiendum ſacramentum Euchariſtiæ,quãtum attinet ad Chriſti Domini corpus, eſt ſolus panis triticeus, cuiuſcũque ſit ſpeciei.Hæc concluſio eſt diffinita expreſſe in Cõcilio Florentino ſub Eugenio Quarto,& in Concilio Carthaginenſi,& habetur *in cap. in ſacramento, de conſecratio.diſtinct.2.*vbi dicitur,frumentum eſſe propriam huius ſacramenti materiam, & per frumentum intelligit ſolummodo panem triticeum, vt declarauit poſtea Concil.Trident.ſeſsio.22.capit.1.Et ſufficit,quod ſit cuiuſcumque ſpeciei (vt dictum eſt)nam ſicut in vino albo,vel nigro, conſecrare licet ſanguinem,abſque delectu & diſcrimine, ob hoc quia vinum album & nigum in genere conueniunt,ac vtrumque re vera vinum eſt, quamuis diuerſæ ſint ſpeciei, ita & in quolibet pane,dummodo ſit triticeus,licebit corpus conficere & conſecrare, quamuis vnum triticum longe ab alio differat ſpecie,cum in genere conueniant. Et quamuis inter Naturales ſit differẽtia, nec modica de quibuſdam granis,ſintne triticum an non, ad nos tamen Theologos,in præſentiarum nõ ſpectat id diffinire,neq; de huiuſmodi ſpeciebus phyſice diſputare,ſat ſit dixiſſe, quod ſi aliquod ipſorum ſit vere panis triticeus, eſt vera materia huius ſacramenti & conſecrationis,ſin vero nõ. Hac de re videatur Sylueſt. *verbo Euchariſtia,1.quæſt.2.3.& 4.*& Magiſt.Sot.in 4.diſtinct.9.quæſt.vnica,artic.1.& 3. vbi & ad hoc propoſitum quamplures mouet difficultates. Sed quod panis triticeus, ſit neceſſaria atque præciſa, ineffabilis huius Sacramenti materia,probat D.Tho.3.part.quæſt.79.artic.1.ex eo,quia vt omnes referunt Euangeliſtæ, in eadem Chriſtus Dominus conſecrauit. *Accipiẽs* (inquit Matthæus capit.26)*panem,benedixit ac fregit dicens,accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Idem que omnino dicunt cæteri Euãgeliſtæ. Cuius quidem rei,idem D.Thom.ibidem plures rationes affert & congruentias,à quibus referendis in præſentiarum conſultò ſuperſedeo, cum apud ipſum facile legi ac videri poſsint. An vero huiuſmodi panis triticei,debeat eſſe certa & determinata materia,magna vel modica,abſens vel præſens,azyma an vero fermentata? De his & ſimilibus, pertractãt latiſſime Doctores Scholaſt.in 4.ſent.d.9. vbi & innumeras afferũt atq; diſſoluũt difficultates,quas cum facile poſſem referre, & determinare, at quia non ita breuiter,neq; in tam exigui tẽporis ſpatio vt oporteret,breuitati conſulens, in præſentiarum facio miſſas. Non enim eſt id nunc mei muneris,nec præſentis ſpeculationis, vt pote, qui ſolummodo ſtudeam Religioſos omnes, de præcipuis difficultatibus inſtruere, non vero omnia,quæ afferri poſſent ſimul dicere.

Secunda Concluſio.

Materia Euchariſtiæ, ad conſecrãdum Chriſti Domini ſanguinẽ, eſt ſolummodo vinum vitis.

MAteria etiam præciſa atque neceſſaria, ſacramenti Euchariſtiæ,ad conficiendum & conſecrandum Chriſti Domini ſanguinem,eſt ſolummodo vinum vitis.Hæc concluſio eſt etiam determinata,in omnibus locis ſupradictis, & de qua nulli omnino dubitare licet, & probat eam D. Thom. quia nempe in tali vino,Chriſtus Dominus & Saluator noſter,hoc ſacramentum inſtituit,vt innuũt Euangeliſtæ omnes,ſed maxime Matth. cap.26. vbi ait quod poſt conſecrationẽ panis,*accepit calicem & gratias agẽs dedit illis, dicens bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus, noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Poſt quę dicta verba ſubiungit, *dico autem vobis quod non bibam amodo,de hoc genimine vitis,&c.* Pro quorũ verborũ intelligẽtia,adnotare oportet, quod,quãuis in conſecratione ſupradicta ſanguinis,non fiat expreſſa mentio vini vitis,ſicut in cõſecratione corporis,facta eſt expreſſa mentio panis,de hoc enim dicitur expreſſe,quod accepit panem, de illo vero nõ niſi tantummodo,quod accepit calicẽ,quod quidem ex ſe indifferens eſt,& ad aquam & ad vinum,

num, cum tamen poſtea dixerit & addiderit, *dico autem vobis, quod non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* aperte quidem inſinuauit atq; declaratum fuit, quod calix erat vini, non vero aquæ, quinimo & vini vitis, non vero alterius rei, ac proinde quod in eiuſmodi vino tantummodo vitis, non autem in aqua, aut in alio liquore eſt conſecrandũ, quodque hæc eſt præciſa huius cõſecrationis materia. Quod ingenioſe, & eleganter nimis, aduertit D. Chryſoſtom. homil. 83. ſuper Matthæum, ac per hoc damnatum eſſe dicit, errorẽ illorum, qui aqua ſolummodo, in hoc ſacro myſterio vtuntur, ipſamq; dicunt ſufficere ad huius ſacramenti materiam. Qui error damnatur *in cap. ſicut, de conſecratio. diſtinct. 2.* vbi & ad propoſitum noſtræ concluſionis, reperire licebit, plura alia iura, quæ ibi adducuntur, *cap. in ſacramentorum, cap. non oportet, cap. in ſacramento*, quod eſt Concilij Carthaginenſis 3.

Quod aqua ad conſecrationẽ apponẽda ſit vino, at in paruiſſima quantitate.

Quod ſupradicto vino, ex præcepto atque inſtitutione Eccleſiæ, apponenda ſit aqua, in modiciſſima & paruiſſima quantitate, conſtat ex auctoritate Alexandri Papæ *in cap. 1. de conſecrat. diſtinct. 2.* Id tamen non eſt præciſe de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti Eccleſiæ, vt conſtat ex auctoritate D. Cypriani, relati *in cap. ſcriptura, de conſecratio. eadem diſtinct.* Sed apponitur, neceſſario; apponenda eſt, propter rationes quas affert D. Thom. vbi ſupra art. 6. Quarum eſt prima, quia creditur probabiliter, quod Chriſtus Dominus ſic conſecrauit, in vino lymphato propter ſobrietatem, aut ſecundum patrium morem. Ad quod etiam alludit illud, quod habetur Prouerbiorum. 9. *Bibite vinum quod miſcui vobis.* Secunda propter repræſentationem Dominicæ paſſionis, quia vtrumque (ſanguis ſcilicet & aqua) in paſsione, ex Chriſti Domini latere profluxerunt, vt inquit D. Ioan. cap. vlt. Tertia, ad ſignificandum effectum huius ſacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani, cũ ſuo capite Chriſto. Vnde Iulius Papa *in cap. cum omne, eadem diſtinctio.* dicit, *videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtẽdi Chriſti ſanguinem, cum ergo in calice, vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur.* Et tandem quarto, apponitur vino aqua, quia hoc cõpetit vltimo effectui huius ſacramenti, qui eſt introitus in cœleſtem atq; æternam vitam. Ad quod propoſitum facit, quod D. Ambroſ. lib. 5. de ſacrament. cap. 1. ait, *redundat aqua in calicem, et ſalit in vitam æternam.* Qui hac de re plura videre deſiderat, conſulat præfatos D. Thom. & Mag. Sot. in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 6.

Notãdæ ſunt ſignificationes ſupraditæ mixtionis aquæ vino.

Tertia Concluſio.

Forma Sacramenti Euchariſtiæ, quantũ ad corpus eſt, hoc eſt corpus meũ, quãtum vero ad ſanguinẽ, hic eſt enim calix, &c.

FOrma ſacramenti Euchariſtiæ, quantũ ad corpus eſt, *Hoc eſt corpus meum*, &c. quantum vero ad ſanguinem, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, &c. vſque *in remiſſionem peccatorum.* Hæc concluſio eſt ex expreſſa D. Thom. 3. part. quæſt. 78. art. 1. 2. & 3. & Magiſt. Sot. in 4. ſentent. diſtinct. 11. quæſt. 1. artic. 1. 2. & 3. vbi circa ſupradictas formas, dicũt plura eaque notatu digniſſima, ſed ad Scholaſticos & ſcholas pertinentia magis, quam ad me in præſentiarum, à quibus proinde ſuperſedeo: nam requirebant tractationem atque diſputationem longiſſimam. Solummodo dico, quod quamuis huius admirabilis ſacramenti Euchariſtiæ, plures ſint materiæ, plures etiam formæ, altera corporis, altera vero ſanguinis, dicique proinde poſſint plura ſacramenta, cum quodlibet eorum ſeorſum, vere & realiter ſit ſacramentum, melius eſt tamen vt dicamus, vnum eſſe tantum ſacramentum, vnitate integritatis ſeu aggregationis, cum vnus ſit etiam ipſarum finis, qui eſt Chriſti fidelium mentes reficere. Sed quia hoc fit atque ordinatum & inſtitutum eſt, vt fiat per modum & aſſimilationem ad refectionem corporalem, & corporalis refectio non integratur ſolo cibo, aut ſolo potu, ſed vtroque ſimul, cõuenientiſſimum fuit, vt hoc ſacramentum in ſupradictis duabus ſpeciebus conficeretur, quibus perficitur & integratur.

Sacram. Euchariſt. dicendum eſt vnũ, nõ plura, aut vnum totale plura vero partialia.

ARTICVLVS VII.

An Sacerdotes teneantur, quotidie celebrare?

Variæ ſunt hac de re ſententiæ & opiniones.

CIrca hanc difficultatem, Doctores Theologos & Canoniſtas, in tres claſſes reperio diuiſos. Quidam enim dicunt, teneri Sacerdotes celebrare quotidie, ita vt Sacerdos, qui ex propoſito ſeu negligentia, illud omittit, mortaliter peccet. Hæc opinio eſt quorundam Canoniſtarum, quos refert Archidiaconus & Sylueſter, *verbo, Miſſa, 1, quæſt. 7. in 4. dicto*, & innituntur cuidam dicto B. Ambroſij, & habetur *in cap. ſi quotieſcumque, de conſecrat, diſtinct. 2.* vbi in ſuarum remedium culparum, quotidie ſe celebrare dicebat. *Ego quia quotidie pecco, quotidie accipere debeo medicinam*, vbi & innuere videtur, alios ad id ipſum teneri. Alia eſt aliorũ opinio, quos refert D. Tho. 3. part. quæſt. 82. art. 10. aſſerentium, Sacerdotes poſſe licitè, omnino à celebratione ceſſare, atque in totũ à dicenda Miſſa abſtinere, niſi id ſibi aliunde incumbat, aut ex cura ſiue beneficio celebrare teneantur, aut ſacramẽta populo ſibi ſubdito præbere. Tertia opinio & media, eſt D. Thom. loco ſupracitato, dicentis eſſe quidem peccatum, Sacerdotes non celebrare in magnis feſtiuitatibus, & in illis diebus in quibus populus communicare conſueuit, vt in die Natalis Domini, in Paſchate Reſurrectionis, & Pentecoſtes & alijs. Vt autem hac in re perſpicuum fiat, quid tenendum eſt, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Nullus Sacerdos, tenetur celebrare quotidie ex præcepto, quin vero nec omnibus diebus feſtiuis, niſi qui animarũ habẽt curam, qui diebus feſtis celebrare tenentur, niſi per aliũ populo deſeruiãt.

NVllus Sacerdos tenetur celebrare quotidie, imò verò nec in omnibus diebus feſtiuis, exceptis animarum curam habentibus, qui dictis diebus celebrare tenentur, niſi per alium populo ſibi ſubdito ſatisfaciant. Prima huius concluſionis pars, colligitur *ex cap. quotidie, de conſecratio. diſtinct. 2.* quod eſt D. Auguſtini, de Eccleſiaſtic. dogmat. capit. 53. & eſt quidem capitulum ſatis notabile, vbi dicit, celebrationis actum ex ſe indifferentem eſſe, & neque laudandum neque vituperandum. *Quotidie celebrare & Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero*, inquit Diuus Auguſtinus. Secunda vero pars concluſionis, probatur ex *capit. 1. de celebratione Miſſarum*, vbi expreſſe habetur, quod animarum curam habentes, celebrare

brare ex præcepto tenentur, & ſacramenta populo ſibi ſubdito miniſtrare, per ſe vel aliũ. Vnde dico, quod qui ob ſui indignitatẽ & propter huius ineffabilis ſacramenti reuerentiam, diutius à celebrando abſtineret, non peccabit, quin vero ſecundum D. Bonauent. & Albertum Magnum, niſi officium, ſeu ſtatus id exigat, bonum eſt medium in his tenere, aliquando celebrando, aliquando vero à celebratione abſtinendo. Ad quod facit quod plures ſancti olim, præ maxima ſua humilitate, & huius ſacroſancti Sacramenti reuerentia, à receptione Sacerdotij, & celebratione Miſſarum, per totam ſuam vitam abſtinuerunt, vt conſtat exemplo D. Marci Euãgeliſtę, qui ſibi ipſi pollicem dici tur amputaſſe, vt indignus Sacerdotio haberetur. Similiter etiam dicitur, quod Seraphicus P. N. Frãciſcus, cum eſſet Diaconus, tantiq; meriti, pro humilitate, eximiaque Sacramenti huius reuerentia ad Sacerdotium nullatenus vnquam voluit promoueri.

Secunda Concluſio.

Nulli Sacerdoti licet, omnino à celebratione ceſſare, etiam ſi ei animarum cura non incumbat.

NVlli Sacerdoti licet, omnino (hoc eſt per totam vitam) à celebratione ceſſare, etiamſi nulla ei parrochialis Eccleſia, aut alterius obligationis cura incumbat. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ, loco ſupracitato, & ponitur contra Alexand. Alenſ. 4. part. quæſt. 51. memb. 2. aſſerentem, Sacerdotes ab omni tali obligatione eſſe liberos, niſi propter animarum curam, ſeu beneficium, vel ratione accepti ſtipendij, id ſibi incũbat, ſeu alias, aut niſi hoc eis à ſuis ſuperioribus iniũgatur, nec peccare etiam ſi per totam vitam nunquam celebrẽt. Id quod dixit etiam Caietanus ſuper D. Thomam 3. part. quæſt. 82. art. 10. non alia ratione, niſi quia non hac de re extat præceptum, neque id habetur determinatum in iure. Sed contrarium tenet D. Thom. vbi ſupra, & Ricard. diſtinct. 13. art. 1. quæſt. 2. & Durandus & Paludan. eadem diſtinctio. & quæſt. & Sylueſt. *verbo, Miſſa, 1. quæſt. 7. in 4. dicto*, & omnes communiter Summiſtæ. Quæ ſententia probatur primo: nam omnes tenentur gratia ſibi data vti, cum faciendi idipſum fuerit tempus opportunum, neque illam licet negligere, aut in vacuum recipere, iuxta illud Pauli, 2. Corinth. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim, tempore accepto exaudiui te, et in die ſalutis adiuui te*, ſed opportunitas celebrandi, & offerendi ſacrificium, non ſolum attenditur, per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramẽta miniſtrare, ſed principaliter per comparationẽ ad Deũ, cui ſacrificium ipſum offertur, ac fieri debet, vel per comparationem etiam ad ipſum miniſtrantem, & habentem celebrandi poteſtatem, & offerendi hoc inæſtimabile ſacrificium: ergo ſecluſa ratione priori, propter ſolam hanc poſteriorem, tenetur etiam Sacerdos interdũ celebrare, neq; ſibi licet omnino à celebratione ceſſare, ſeu abſtinere. Ad quod facit, quod dixit olim D. Ambroſ. in quadam ſua oratione cum Deo loquendo. *Grauc eſt, quod ad menſam tuam, mundo corde et manibus innocentibus non venimus, ſed grauius, ſi dum peccata metuimus, ſacrificia non reddamus.* Verba ſunt valde notanda, ex quibus ſuperque ſatis, noſtrum intentum colligitur.

Tertia Concluſio.

Sacerdos etiã ſi nullam habeat animarũ curam, tenetur præcipuis feſtis celebrare, & maxime in illis diebus, in quibus fideles conſueuerunt communicare.

SAcerdos, etiamſi nullam habeat animarum curam, tenetur ſaltem præcipuis anni feſtis celebrare, & maxime in illis diebus, in quibus fideles conſueuerunt communicare. Hæc concluſio eſt D. Tho. vbi ſupra, quam & probat ex illo, quod habetur 2. Machab. 4. vbi acriter reprehenduntur, quidam praui veteris legis ſacerdotes, qui nõ circa altaris officia, prout tenebantur dediti erant, cõtempto Templo & ſacrificijs neglectis, quid ergo (inquit) dicendum eſt de noſtri temporis Sacerdotibus, idipſum facientibus? Probari etiam poteſt præterea concluſio, hac efficaciſſima ratione: nam Chriſtus Dominus, poteſtatem quam dedit Sacerdotibus, & characterem ſacerdotalẽ habentibus, hoc ſacramentum miniſtrandi, ſecluſa quacumq; iuriſdictione, & animarum cura ſibi conceſſit, atque ipſis præcepit, vt in memoriã ſanctiſſimæ ſuæ paſſionis ea vterentur, per illa verba Matthæ. 26. *hoc facite in meam commemorationem*, quibus ſecundũ communem ſententiam ſanctorum Patrum, non tantum iniunxit conſilium, verum etiam & præceptum dedit hoc faciendi: ergo niſi interdum id faciant, peccabunt proculdubio mortaliter, ſiquidem prætermittunt præceptum, & quidem in re adeo graui. Atque ex hoc corruit opinio Caietani aſſerentis hoc nullatenus eſſe peccatum mortale, quia (inquit) nullus textus iuris Canonici hoc dicit, neque alicubi habetur expreſſum: nam cõſtat ex dictis eſſe præceptum, à Chriſto Domino poſitum, quando dixit illa verba, *hoc facite in meam commemorationem*. Hoc ipſum præcipit, aut ſaltem innuit ius naturale, iuxta quod quilibet tenetur, gratiam Dei, diuinitus ſibi traditam, non negligere, neque in vacuum recipere. Quibus & alia accedit ratio & ea eſt, quod nulli licet omnino, alteri occaſionem ſcandali præbere, & certe Sacerdos, qui per totam vitam numquam celebraret, male apud omnes & merito audiret, & graue de ſe ingereret ſcandalum, quod non eſt faciendum. Facit & *c. dolentes, de celebrat. Miſſar.* vbi acriter reprehendũtur Sacerdotes, qui Miſſarum ſolemnia facere omittunt, & vix celebrant quater in anno. Verba ſunt expreſſa Conc. Concludendo igitur dico, quod cũ celebrandi præceptum ſit affirmatiuum, non vero negatiuum, obligat quidẽ ad ſemper, ſed non pro ſemper, hoc eſt, in aliquibus diebus, non vero in omnibus. Obligabit autem inquit D. Tho. in magnis feſtiuitatibus, atque in illis diebus, in quibus alij fideles conſueuerũt communicare. Et hæc de iſto articulo dicta ſufficiant. Videatur hac de re Sylueſt. vbi ſupra, & Mag. Sot. in 4. d. 13. q. 1. art. 10.

ARTICVLVS VIII.

An ſit licitum eodem die, plures Miſſas celebrare?

Prima Concluſio.

Prohibitũ eſt de iure cõmuni Sacerdoti, pluries in die Miſſas celebrare.

PRohibitum eſt de iure communi Sacerdoti, pluries in die Miſſas celebrare, ſicut & ipſis atque Laicis, pluries in die communicare, niſi aliquando ex priuile-

gio,

celebrare, sicut & illi et cuilibet Laico, pluries in die communicare.

gio id alicui fuerit conceſſum. Hæc cõcluſio habetur expreſſa, *in cap. ſufficit, de conſec. d. 1.* vbi dicitur quod valde felix erit Sacerdos, qui ſemel in die vnã Miſsã digne celebrauerit. Cuius & hęc ratio ibidem redditur, vt vel ſic vnica Chriſti paſsio repræſentetur, quia Chriſtus Dominus ſemel eſt paſſus, & totum mundũ vnica oblatione redemit, & vt inquit D. Paulus, cũctos in perpetuũ ſanctificauit. Idem habetur *in cap. conſuluiſti, et cap. te referente, de celebrat. Miſſar.* Sed aliqui ſunt caſus, in quibus eadem die pluries poteſt celebrari, non quidem propter ſtipendium, aut pecuniam, nec propter inanem gloriam, ſed propter neceſsitatem, ſiue indulgentiam, de quibus ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

In die Natiuitatis Domini licitũ eſt plures Miſſas celebrare.

IN die Natiuitatis Domini, licitum eſt plures Miſſas celebrare, & hoc qualitercumque fiat, cum interuallo ſiue ſine interuallo, modo ante auroram, pluſquam vna non dicatur. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, quam & probat Sylueſt. *verbo, miſſa, 1. quæſt. 7. ex cap. conſuluiſti, de celebrat. miſſ.* vbi habetur, quod in prædicto Natiuitatis die, licet ter celebrare, & ponit ibi Sylueſter decem alios caſus, in quibus licitum etiam eſt, pluries in die celebrare propter neceſsitatẽ: ſed in fine addit, quod non eſt neceſsitas, vbi idipſum per alium poteſt ſuppleri. Quam ob cauſam, nolui in præſentiarum ſupradictos caſus recenſere atque enumerare: nam ſi neceſsitas ita ſtricte eſt conſulenda, vt ille ibidem dicit, ac in præſenti caſu facere par eſt, ex omnibus illis, vnus dumtaxat, modo poſitus eſt in conſuetudine, nempe quãdo quiſpiam Sacerdos ſiue Clericus, præeſt duabus Eccleſijs vnitis, duabus Miſsis indigentibus, & non eſt alius qui earum vnã poſsit dicere, quia ex inſtitutione ſui beneficij, habet annexam duarum Eccleſiarum curam, & neceſſario duæ Miſſæ debent dici. Hac de re qui plura videre voluerit, conſulat Nauar. in ſuo Manuali, capit. 25. num. 87. & Patrem Suarez Societatis Ieſu, tomo 3. ad tertiã partem D. Thom. quæſt. 83. art. 2. diſputatione 80. ſectione 3. vbi ad hoc propoſitum multa dicũtur, quammaxima animaduerſione digna.

ARTICVLVS. IX.

In quo loco ſit celebranda Miſſa, & an in Altari portatili, poſsit celebrari?

Prima Concluſio.

Ad perficiendum ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum, antiquiſsimũ eſt in Eccleſia, templa benedici & conſecrari.

ANtiquiſsimum eſt in noſtra ſancta Eccleſia, Templa benedici & conſecrari, ad conficiendum & offerendum, ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 3. part. quæſt. 88. art. 3. quem explicat Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. vbi circa conſtructionem, benedictionem atque conſecrationem Templorum & Eccleſiarum, diſputat latiſsime cum hæreticis, id quod etiam facit prædictus Suarez, ſupradicto ſuo 3. tom. ad tertiam partem. D. Tho. quæſt. 88. art. 3. diſputatio. 8. ſect. 1. 2. & ſequentibus, à quorum omnium tractatione, in præſentiarum conſultò ſuperſedeo, quia neque eſt præſentis negotij, neque illud ſuſtinet breuitas, cui tantopere ſtudeo, trãſeamus ad alia.

Secunda Concluſio.

De iure communi antiquo celebrari nõ poteſt, niſi in locis ab Epiſcopo cõſecratis, aut de ipſorum licentia.

DE iure communi antiquo loquendo, celebrari non poteſt, niſi in locis ſacris, & ab Epiſcopis conſecratis aut ſi non ſint conſecrata, ſaltem de ipſorum licentia. Hæc concluſio habetur expreſſa, *in cap. nullus, de conſecrat. diſtinct. 1.* quod eſt decretum Sylueſtri Papæ, vbi dicitur, *quod nullus presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in locis ſacris & ab Epiſcopo cõſecratis, ſi ſui ſacerdotij de cætero particeps eſſe voluerit.* Idem habetur in alio decreto Felicis Papæ, quod incipit. *Sicut non aliæ*, eadem loco, vbi dicitur, *quod ſicuti Sacerdotes conſecrantur, ita etiam et Baſilicæ et Altaria debent conſecrari.* Facit & ad hoc, *cap. altaria*, quod eſt Concil. Agath. & *capit. miſſarum ſolemnia, de conſecrat. eodem titulo.* Sed poſtmodum cum tanta eſſet difficultas, in Eccleſijs cõſecrandis: nam ipſarum conſecratio fieri non poteſt, niſi ab Epiſcopis, vt patet *ex capit. nemo, de conſecrat. diſtinct. 1.* idque Chriſmatis vnctione, alijſq; benedictionibus, & ſolemnitatibus, quæ in Epiſcoporum Pontificali habentur, neque facile fieri poterãt, ſtatutum proinde fuit ab Eccleſia, vt ſatis eſſet, Eccleſias eſſe benedictas, quia in benedictione ipſarum, non tot ac tantis ceremonijs opus eſt, Quapropter ſupradicti canones, de neceſsitate Eccleſiarum conſecrandarum, iam nunc non habentur in vſu, ſed ſufficit ſola Eccleſiarum benedictio.

Tertia Concluſio.

In Eccleſia, non conſecrata, hodie bene poteſt celebrari, exiſtẽte neceſsitate, imò vero in Eccleſia non benedicta aut in campo, dũmodo id fiat de licẽtia Epiſcopi, & ſuper aram conſecratam lapideam.

HOdie exiſtente neceſsitate, bene poteſt celebrari, in Eccleſia non cõſecrata, imò verò nec benedicta, & in campo, ſeu alibi, dũmodo fiat de licentia Epiſcopi, & ſuper aram conſecratam lapideam. Hæc concluſio habetur expreſſa, *in cap. concedimus, de conſecrat. d. 1.* de qua videndus eſt Sylu. *verbo, Miſſa. 1. q. 5.* Idem extendit Archidiaconus de domibus priuatis, & de cãpo in exercitu Chriſtianorum, maxime quando communicare debent fideles, & ij quibus imminet periculũ mortis. Addit tamen Archidiaconus, quod in nullo caſu & in nullo euentu, celebrare licet ſuper mare, vel ſuper fluuium, vbi probabiliter timeretur de ſanguinis effuſione periculum, cum nauis continuo moueatur. Sed aduerto circa illud, quod dixit Archidiaconus de celebrando in domibus priuatis, quod iã id non licet, ſed obnixe obſeruandum eſt, quod nunc nouiſsime, ſanctiſsime atque rectiſsime ſtatutum atque decretum eſt per Conc. Trid. *ſeſſio. 22. in decreto de obſeruandis & cauendis, in celebratione Miſſarum*, vbi habetur, *vt non permittatur celebrari in domibus priuatis, atque omnino extra Eccleſiã & Oratoria ad diuinum cultum dedicata, ab ipſis Ordinarijs.* Circa quam conſtitutionem de Oratorijs, videndus eſt Mag. Sot. vbi ſupra, & Bernar. Diaz de Lugo in ſua practica, cap. 34. & 39. & Nauar. in Manua. cap. 25. nume. 81. & 82. & Emanuel Rodericus in Summa, 1. part. capit. 244. num. 14. vbi habentur plura, quæ perſpicere haud quaquam erit inutile. Sed difficultas eſt, an poſsit celebrari & dici Miſſa,

In mari aut in ſtunto non licitum eſt celebrare.

Nota circa celebrationem Miſſarum in domibus particularibus.

ſa, in Altari portatili, & an priuilegia quæ hac de re habentur in Religionibus, modo ſint in vſu, eiſque vti poſſimus, an vero ſint per ſupradictum Concilium reuocata, cui reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Quarta Concluſio.

Priuilegia cõceſſa ad celebrandum in Altari portatili, iam eſſe videntur reuocata per Cõcil. Trident.

PRiuilegia & facultates, per diuerſos Romanos Pontifices conceſſæ, nobis Fratribus Minoribus, atque Prædicatoribus, celebrandi in Altari portatili, iam nunc per Concil. Trid. videntur reuocatæ. Hæc concluſio probatur, ex *ſeſſ. 22. decreto ſupradicto, de obſeruãdis & euitãdis in celebratione Miſſarum*, vbi in fine ſequens apponitur clauſula, *non obſtãtibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, atque conſuetudinibus quibuſcumque.* Et quod talia priuilegia, fuerint per Conc. prædictum reuocata, tenet expreſſe Nauar. in ſuo Manua. cap. 25. num 82. & Suarez 3. tom. ſuper 3, partem D. Tho. quæſt. 83. art. 3. ſectio. 3 except. 4. & Emanuel Roder. in ſua ſumma, 1. part. cap. 244. num. 14. Sed in fine addit, hoc eſſe verum in foro exteriori: nam in interiori & conſcientiæ, (inquit) bene poſſunt Fratres, vti ſuis priuilegijs, per quandam conceſſionem factã viuæ vocis oraculo, à Pio Quinto, qua cõfirmauit omnia noſtræ Religionis priuilegia, in foro conſcientiæ tantum, etiamſi ſint contra prædictũ Cõcil. Trid. Sed tamen, circa hoc nolo ego in præſentiarum iudicé agere, imò verò, crediderim, ſupradictum viuæ vocis oraculũ, iam eſſe omnino nullũ, quia licet re vera, vt dicitur, fuerit conceſſum, poſtmodum tamen fuit reuocatum, per nouam cõſtitutionem Sixti Quinti, quæ incipit, *Sanctum & ſalutare*, factam licet in diuerſa materia, & ad aliud propoſitum, contra male promotos & ordinatos, vbi ſtricte præcipitur, in omnibus & per omnia, ſeruari debere d. Concil. Trid. non obſtantibus quibuſcũque priuilegijs, & viuæ vocis oraculis, &c. Quia vero Concilium, non abſolute prohibet, celebrari in Altari portali, ſed tantum vt Epiſcopi, non illud conſentiant, non obſtantibus quibuſcũque, & prædictis Epiſcopis facultas ibidem cõceditur, vt cum ſibi expedire videbitur, in aliquo caſu, alicui vel aliquibus, in id licentiam dare poſſint, celebrandi in Altari portatili, & quod ſuis perfruantur priuilegijs, & maxime ceſſante ſcãdalo & qualibet prohibitione, libuit in præſentiarũ eorumdem aliqualem mentionem efficere, vt ſaltem cũ fuerint quæſita, ſciri valeat, vbinã poſſint inueniri. Habentur in Monum. noſtri Ord. 1. impr. fol. 59. & 2. fol. 143. conceſſ. 344. & iterum in lib. 1. impreſſ. fol. 70. conceſſ. 373. & in Supplem. fol. 99. conceſſ. 331. & refertur in Comp. priuileg. *verbo, Altare, per plures, §. et in capit. his, de priuilegijs*, & in Compend. Societatis, *tit. oratoria*, & ſæpe alibi.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Miſſa, noctu & ante lucem, licite poſſit celebrari?

PLura forent dicẽda, circa materiã huius articuli, & multa dicũt Doctores Scholaſtici atque Summiſtæ, de quorum reſolutione, ſequẽtes ſtatuo cõcluſiones.

Prima Concluſio.

De iure communi loquendo, nulli licet noctu, et ante lucẽ celebrare exceptis Epiſcopis.

DE iure communi loquendo, nulli licitum eſt, noctu & ante lucem celebrare, exceptis Epiſcopis. Hæc concluſio eſt omnium DD. communis de qua videndus eſt ſpecialiter Sylueſt. *verbo, Miſſa, 1. quæſt. 6.* vbi dicit, quod ante diem ſiue noctu celebrare, ſecundum omnes eſt peccatum mortale. Addit tamen, intelligẽdum eſſe diem, ab aurora, & ex quo incipiunt apparere ſigna orizontis, ſeu orientis Solis, & hoc ſecundum omnes. Suarez 3. tomo ſuper 3. partem D. Thomæ, quæſt. 89. art. 2. diſputat. 8. ſectio. 4. hac etiam de re agit, adducens plures congruentias, ob quas non ſit noctu, ſed de die celebrandum. Inter quas præcipua mihi videtur vna, quamuis myſtica, quia (inquit) in prædicta Miſſa, offertur, & ſacrificatur Chriſtus Dominus, qui eſt cãdor lucis æternæ, & quia hoc ſacrificium, eſt non veteris teſtamenti, ſed noui & legis gratiæ, in qua diuina lux, illuxit in cordibus noſtris, & claritas Dei illuſtrius communicatur. Sed litteralis vera atque genuina ratio, huius præcepti ſiue conſuetudinis, vt non noctu ſed de die celebretur, ea eſſe videtur, quia ante hoc ẽp., communiter & regulariter loquendo, non ſunt homines conuenienter apti atq; diſpoſiti, ad tractandum diuina, & venerandum vti par eſt, hoc venerabile ſacramentum, & forſan quia hoc magnæ Religionis opus, expediebat eſſe publicum, & quod non ſecreto ſed publice, & cum debita reuerentia celebraretur, ne forte ex nocturnis conuẽticulis, aliqua mala exorirentur, aut ſuperſtitionis occaſio aliqua, in dicendis Miſſis reperiretur. Ab hac generali regula, excipitur nox ſanctiſſimę Natiuitatis Chriſti Domini, & etiam Reſurrectionis ipſius, *per cap. nocte, de conſecrat. diſtinct. 1.* Sed aduertit Syluester, quod in nocte Natiuitatis, non licet de nocte, omnes tres Miſſas celebrare, quod & probat ex hoc, quia non licet noctu celebrare, niſi ex ordinatione Eccleſiæ, aut de licentia Papę, ſed Eccleſia (inquit) nihil ordinauit circa hoc, niſi de Miſſa mediæ noctis: ergo aliud in alijs Miſſis facere non eſt licitum, quin vero expreſſe prohibitum. Erit tamen (inquit) licitum ſic celebrare, vt ſecunda Miſſa incipiatur, ab initio auroræ ad ſenſum ſupradictum. In hoc vltimo dicto Syluestri, contrarius eſt illi omnino Suarez, loco ſupracitato, qui affirmanter tenet & multis rationibus cõprobare contendit, omnes ſupradictas tres miſſas, dici poſſe de nocte, & ante auroram, ſed hac in re nolo ego in præſentiarum iudicem agere. A ſupradicta etiam generali regula, excipiuntur Epiſcopi, ſi in itinere celebrare velint, aut ante ſe celebrare faciant aliquando, de nocte id ſibi facere licet, iuxta gloſſ. *in cap. fin. de priuileg. lib. 6.* de quo videndus eſt Nauar. in ſuo Manua. capit. 25. nume. 85. & ſupradict. Suarez loco ſupracitato, ſectio. 3. vbi & dicit præfatos Epiſcopos, auctoritatem habere diſpenſandi, in hac prohibitione celebrandi de nocte, & facultatem ad id poſſe concedere qui buſcumque alijs, non quidem generaliter: nam hoc ad ſolum Pontificem Romanum ſpectat, ſed particulariter & in aliquo ſpeciali & particulari caſu.

In nocte ſacra Natiuitatis et Reſurrectionis Dominicæ, licitum eſt ante diem celebrare.

An licitũ ſit in die Natiuitatis omnes tres Miſſas ante diem celebrare.

Secun-

Secunda Concluſio.

Ex particulari priuilegio, multi poſſũt celebrare noctu, ſeu ante ortum ſurgentis auroræ.

LOquendo de particulari iure, ſiue ex ſpeciali priuilegio, multæ Religiones & alij habent facultatem celebrandi noctu, ſiue ante ortum ſurgentis auroræ. Hæc concluſio eſt etiam Sylueſtri loco ſupracitato, vbi dicit hanc facultatem habere communiter, omnes Cardinales, & ex priuilegio multos Regulares, ex ſuis particularibus priuilegijs. Ad quod propoſitum dicitur in Monumentis Ordinis, quod Pius Secundus conceſſit *Generali Fratrum Minorum, quod poſſit dare Fratribus auctoritatem, celebrandi Miſſas, per vnam horam ante auroram.* Habetur in Supplement. fol. 97. conceſſ. 346. & refertur in Compend. *verbo, miſſa*, 2. §. ſecundo, & Sixtus Quartus, *conceſſit eiſdem Minoribus Fratribus de Obſeruantia, quod Sacerdotes neceſſitatis cauſa, poſſint ante & poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare.* Habetur in Monumen. prima impreſſione, folio 63. & 2. folio 67. conceſſione 109. & in Supplement. folio 96. conceſſione 324. & refertur in Compend. vbi ſupra §. 3. Quæ quidem priuilegia, vt videtur, non ſunt per Concilium reuocata, quidquid dicat Nauarro in ſuo Manuali, capit. 25. numero 85. nam Concilium vbi hac de re agit, non reuocat priuilegia celebrandi Miſſam ante tempus, ſeu poſt tempus à iure ſtatutum, ſed ſolummodo præcipit Epiſcopis, vt non permittant celebrare, alijs quam debitis horis, quod dicit inter multa alia, vt patebit intuenti, *ſeſſione 22, in decreto de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ*; at non reuocat priuilegia, quæ aliud faciendi, aliquibus fuerunt conceſſa. Sicque ſupradictus Suarez loco ſupracitato, non meminit talis reuocationis, nec de ipſa vllam prorſus mentionem facit, quin vero præſupponendo, quod remanent priuilegia prædicta in ſuo vigore, in tertia exceptione à ſupradicta regula generali, non celebrandi noctu, inquit, quod ex priuilegio aliquibus conceſſum eſt, vt vna vel duabus horis ante auroram, celebrare poſſint, quia inquit, priuilegia ſemper ſunt intelligenda, ſecundum anticipationem totius temporis in priuilegio conceſſi, ad totum illud tempus, in quo ſine priuilegio Miſſa poſſet legitime celebrari ac dici. Ita quod ſi priuilegium concedit, vnius horæ anticipationem, Miſſa poterit inchoari tribus horis ante ortum Solis, cum ſine priuilegio poſſit inchoari duabus horis ante Solem. Et ratio inquit, eſt clara, quia priuilegium ſemper aliquid debet operari, & tantum valet ac tantum operatur, quantum ſonat. In calce huius articuli libuit aduertere, quod Leo Decimus, vt habetur in Supplement. folio 92. conceſſione 275. & refertur in Compendio vbi ſupra, § 6. *Conceſſit nobis Fratribus Minoribus de Obſeruantia, vt de licentia Noſtrorum Superiorum, quorum conſcientijs ſe remittit, quomodo Fratres debeant vti hac gratia, poſſint celebrare illicò poſt Matutinum, & etiam poſt meridiem, præſertim diebus, quando eſt de audienda Miſſa præceptum, & quando Fratres debent ambulare, ſeu quando de via veniunt, & non poſſunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commode poſſint Miſſam audire, vel honeſte celebrare.* Hæc conceſſio eſt valde notanda. De quo priuilegio & de alijs, cum non ſint generalia aut in iure contenta, ſed particularia, perſonalia, vel regularia, dicendum eſt, cum ſupradicto Suarez, quod cum vt ſic non cadant ſub ſcientiam, vnuſquiſque debet ſuam conſcientiam conſulere quammaxime, & attendere & ſcire, quo priuilegio liceat ſibi vti, vt non terminos ſibi profixos tranſgrediatur.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm poſt meridiem, aliquando liceat Miſſam celebrare?

Nota hoc val de ex Nauar. circa tempus dicendi Miſſam poſt meridiem.

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod Nauarro in Manuali, capit. 25. numero 85. & 86. vbi hac de re agit, quamuis dicat, quod communiter & Regulariter loquendo, eſt illicitum celebrare poſt præteritam notabiliter horam ſextam, quæ eſt diei hora duodecima, computando & compartiendo illam, more Hiſpanico, ſecundum Ioannem Andræam *in capit. primo de celebratione Miſſarum*, vniuerſaliter receptum, inquit tamen, ſuo iudicio id eſſe minus bene dictum, tum quia non eſt textus nec ratio, quæ prohibeat Sacerdotibus ieiunis, vbi ſine ſcandalo fieri poteſt, Miſſam facere ante nonam, quæ eſt hora tertia pomeridiana, ſecundum computationem prædictam, tum etiam, quia hæc potius eſſe videtur proprijſſima hora, cum Miſſa ſit oblatio & ſacrificium incruentum, à Sacerdote in perſona Chriſti factum, omnino idem, quod eadem hora, ab ipſomet Chriſto fuit oblatum cruentum, quod fuit quaſi quædam prima Miſſa, vt expreſſe tenet idem Nauarro *in capit. ſolent, de conſecratione, diſtinctione ſecunda*, & breuius ac melius in repetitione *capit. ſi quando, eadem diſtinctione, numero* 44. Vnde & dicit, id ſe frequenter feciſſe, præſertim diebus Feſtiuis, vt & ipſe & ſui iter facientes, & poſt meridiem peruenientes ad loca intenta, ſatisfacere poſſent præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa. Ex quo etiam infert, quod priuilegia, de dicenda Miſſa poſt meridiem, potius continent ius commune, quam priuilegium aliquod particulare, & tantummodo proſunt, ad ſedandos animos ſcrupuloſorum, vt & multa alia priuilegia. Nec prædictis (inquit) obſtat, decretum Concilij Tridentini *ſeſſione* 22. quatenus prohibet, ne Sacerdotes alijs horis, quam diurnis celebrent: nam id (inquit) intelligendum eſt, de horis ante lucem, vel poſt nonam, qua prædicta oblatio Chriſti conſumata fuit. Et addit, quod in quadrageſima, Miſſa potius deberet dici poſt nonam, quæ eſt hora tertia poſt meridiem, & hora cænandi ſiue comedendi in die ieiunij, quam ante, vt docet Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 147. articulo ſeptimo. Hæc Nauarro vbi ſupra, quam eius ſententiam prius tenuit Durandus in

quarta diſtinctione 13. quæſtione ſecunda, & Summa Angelica, & Roſella, *verbo*, *Miſſa*. De hac etiam ſententia & opinione, mentionem facit Suarez, tertio tomo ſupra tertiam partem D. Thomæ, quæſtione 83. articulo ſecundo, diſputatione 80. ſectione quarta, vbi gratia difficultandi ipſam, plura adducit eaque notatu digniſſima, ſed nihilominus contrariæ ſententiæ adhæret ipſe, quæ verior eſt & tenenda, de qua & ego ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Supradicta Nauarri ſententia, iā nūc ſuſtineri non poteſt, quin vero Miſſæ omnes ante expletum meridiem, debēt ſaltim inchoari, communiter & regulariter loquendo.

SVpradicta ſententia Nauarri, iam nunc ſuſtineri nullatenus poteſt, imò vero regulariter loquendo, Miſſæ omnes inchoari debent, ante expletam meridiem, & ante duodecimam horam. Hæc ſupradicta concluſio, eſt ſententia fere omnium Doctorum communis, de qua videndus eſt Gabriel, lectione 14. ſuper Canonem, & Ioannes Maior in quarto diſtinctione 13. quæſtione quarta & Soto, in eodem, quarta diſtinctione eadem, quæſtione ſecunda articulo ſecundo, & libro 10. de iuſtitia & iure, quæſtione quinta articulo quarto, & Suarez loco ſupracitato, vbi dicit quod regulariter loquendo, poſt meridiem celebrari non poteſt, niſi ex priuilegio, aut exiſtente aliqua rationabili cauſa in aliquo raro caſu, vt ſi, verbi gratia, Feſtum ſit ſolemne, & Miſſa publica & concio non finiatur, vſque ad vnam vel duas horas poſt meridiem, tunc (inquit) Miſſa priuata inchoari poteſt, poſt finitum ſolemne officium, maxime ne aliqua pars populi Miſſa priuetur, ſecundum doctrinam Leonis Papæ, in Epiſtola 81. ad Dioſcorum, capit. ſecundo, quod eſt multum notandum, & memoriæ commendandum. Idem (inquit) permitti poteſt, ſi ratione itineris occurrat neceſſitas, celebrandi in die Feſto paulo poſt meridiem, dummodo vnius horæ tempus non excedatur, etiam ſine priuilegio, quod & ſignificauit Soto, vbi ſupra, & huic fauet etiam conſuetudo, imò verò & regula ipſa Miſſalis, in quo, quando hac de re agitur, non ſine cauſa appoſita eſſe videtur, illa particula, *communiter*, ad inſinuandum, quod in caſu aliquo & rationabili exiſtente cauſa, aliter fieri poteſt. Præterquam quod res morales (vt inquit prædictus Suarez) quando non ſunt per legem omnino limitatæ & declaratæ, non debent indiuiſibiliter definiri, ſed morali modo, plus minusve, per vnam aut dimidiam horam. Nec prædictis (inquit) obſtat, Conſtitutio Pij Quinti, quæ incipit. *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, quæ hac de re prodijt, præcipiendo vt Miſſæ non dicantur poſt meridiem, reuocando priuilegia omnia in contrarium conceſſa: nam dicta Conſtitutio loquitur, atque intelligenda eſt, de illis qui regulariter & abſque cauſa, poſt meridiem & horam Veſpertinam ſacra faciebant, non vero quando id fit in aliquo raro caſu, & iuſta interueniente atque exiſtente rationabili cauſa. Quod etiam ex ipſius Pij Quinti verbis, quæ in dicto pio motu habentur facilius licet colligere, ibi, *nullatenus præſumant*, quod quidem verbum *præſumant*, audaciam atque temeritatem deſignat, non vero quodcumque contrarium factum damnat, vt ad aliud propoſitum dicit Nauarrus *in capit. ſtatuimus, 19. quæſtione tertia, numero 51.* & in Manuali, capit. 27. numero 155. & numero 159. Patet præterea, quia etiam dicitur in dicto Motu proprio, id vt non fiat *quocumque prætextu*, per quæ etiam verba, inſinuare viſus eſt Pius Quintus, velle vt non id fiat, prætextu aliquarum licentiarum ſeu priuilegiorum, aliquorum Summorum Pontificum; nam omnia ibidem per ipſum reuocantur, non tamen eſt credendum, quod loquitur de prætextu cauſæ legitimæ, ſi idipſum aliquando, raro & rationabili cauſa exiſtente fiat. Hæc omnia, inquit prædictus Suarez dicta ſunt, ſtando in communi iure, ſecus autem erit, ſi poſt ſupradictam Conſtitutionem Pij Quinti, aliquod circa hoc fuerit impetratum, atque conceſſum priuilegium, nec extet reuocatum, tunc enim illi erit ſtandum.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm liceat Miſſam celebrare ante Matutinum, ſeu antequam Laudes dicantur?

Probari contenditur, non eſſe licitū Miſſam dicere ante recitatum Matutinum, quin vero & ante Laudes.

HAc re hac, eſt opinio quorundam aſſerentium, non eſſe licitum Miſſam celebrare, ante recitatum Matutinum, neque antequam Laudes dicantur, quin vero & addunt quidam, eſſe peccatum, ſacrificare ſeu ſacrum facere ante primam dictam, etiam ſi quis intendat eam poſtea recitare. Huius opinionis meminit Nauarro libro de oratione & horis Canonicis, capit. tertio, numero 68. & eam eſſe dicit Diui Anton. tertia parte, titulo 13. capit. 14. §. 1. & Angeli, *verbo Miſſa*, §. 42. poſt Hoſtienſem quem ipſi allegant; & Suarez, tertio tomo, ad tertiam partem Diui Thomæ, quæſtione 85. articulo tertio diſputatione prima, refert plures alios Auctores huius opinionis, & re vera eam videtur tenere Syluеſter, *verbo, Miſſa, primo quæſtione ſexta, in quarto dicto*, ſaltem quantum ad Matutinum & Laudes. Fundantur omnes ſupradicti Authores, in antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, quam dicunt vim habere legis atque præcepti, & conſequenter in re graui obligare ſub peccato mortali. Quod autem hæc ſit res grauis, exinde probant, quia grauitas materiæ, iudicio prudentum æſtimanda eſt, & certum eſt (inquiunt) quod omnes communiter prudentes & ſapientes, verſati in hac materia, hanc rem dijudicant eſſe grauem, Miſſam dicere atque celebrare, ante dictum Matutinum & Laudes. Probatur præterea hæc opinio, quia ex inſtitutione Eccleſiæ, Matutinum cum Laudibus, eſt officium nocturnum, Miſſa vero Diurnum, quo fit vt inuerſio talis ordinis, eſſe videatur contra omnem prorſus rationem, & ex conſequenti valde culpabilis, quæ

quæ quidem tranſgreſſio adiuncta conſuetudine Eccleſiæ, etiam videtur eſſe mortalis. Prædictis omnibus accedit, regula ipſius Miſſalis Romani, quæ hac de re agens, inquit, *vt Miſſa dicatur Matutin. ſaltim abſoluto*, & poſtea inter alios Miſſæ defectus, enumeratur Matutinum non ſimul cum Laudibus prius dixiſſe. Nec vero dicendum videtur quod ibi annumerentur, niſi defectus graues & multum culpabiles. Hæc ſunt huius opinionis fundamenta; quibus non obſtantibus, in contrarium eſt aliorum ſententia, dicentium Miſſam, Matutinum & Laudes, res eſſe omnino diſtinctas, nec connexionem inter ſe habere, quæ ſententia & opinio videtur verior, pro qua & ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Non eſt peccatum mortale, Miſſam ante Matutinũ celebrare, licet ſit ſancta atque laudabilis conſuetudo, nõ id ſine vrgenti cauſa facere.

QVamuis ſancta ſit, atque laudabilis conſuetudo, recitandi ad minus Matutinum, priuſquam Miſſa dicatur, id tamen ex aliqua rationabili cauſa non facere, priuſque celebrare, nullatenus eſt peccatum mortale, ſed ſolummodo veniale, aut forſan nullum peccatum. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto, libro decimo, de iuſtitia & iure, quæſtione quinta, articulo quarto, & in quarto diſtinctione 13. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo in fine. Quam etiam tenet ac multis defendit Suarez, tertio tomo, ad tertiam partem Diui Thomæ, quæſtione 83. articulo tertio, diſputatione 82. ſectione prima. Cuius concluſionis præcipuum fundamentum eſt, quia nullum eſt præceptum, obligans ſub mortali Sacerdotes, ad recitandum Matutinum, priuſquam Miſſam dicant ſeu faciant, ſiue id fiat priuatim, ſiue cantando in Miſſa publica & Conuentuali. Quod nullum tale ſit præceptum, in Euangelio poſitum à Chriſto Domino, nec ab Eccleſia expreſſe in iure Canonico traditum perſpicuum eſt, neque de hoc dubitabit quiſpiam. Quod autem nec conſuetudine, id tamquam illicitum, & mortale fuerit introductum, probant prædictus Soto, & Suarez, multis rationibus. Primo, quia non omnes Eccleſiæ conſuetudines, quamuis laudabiles, obligant ſub peccato mortali. Secundo, quia neque conſuetudo Eccleſiæ circa hoc, tale præceptum inuoluere vllo pacto cenſenda eſt, cum ſacrificium Miſſæ non computetur inter Horas Canonicas, ſed per ſe ab antiquo ſua habuerit ſtatuta tempora, ſaltim ſolemnis Miſſa, quam maiorem appellant, vt ſcilicet, diebus Feſtiuis, dicatur poſt tertiam, *capit. nocte, de conſecratione, diſtinctione prima*, in profeſtis autem poſt ſextam, vt conſtat, *ex capit. ſoleut, eadem diſtinctione*, in diebus vero ieiunij poſt nonam. Hæc de Miſſis ſolemnibus. De priuatis autem, nihil eſt in iure cautum, præterquam quod niſi ex priuilegio, ante lucem neque poſt meridiem non celebretur, excepta nocte Natiuitatis Domini. Si igitur (inquiunt prædicti Doctores) ſoluere licet nocturnum officium, ſexta aut nona die hora, quin vero & intra totum diem, neque id facere eſt peccatum mortale; ſed tantummodo ad amplius veniale ſi fiat ſine cauſa, vnde fit conſequens, quod dicere ſeu celebrare Miſſam, ante recitatum Matutinum & Laudes, ſit mortale, cum hæc munera atque officia ſint diſtincta, neque vnum aliquam habeat neceſſariam connexionem cum alio? Neque ad hoc, valet dicere, id eſſe propter ordinem, iam conſuetudine Eccleſiæ introductum, & propter indebitam celebrandi Miſſam diſpoſitionem: nam contra hoc eſt, quod talem ordinem inuertere, ex rationabili cauſa, nulla culpa eſt, aut ſaltim venialis, vt etiam ſupra dictũ eſt de Horis Canonicis recitandis, quæ habent inter ſe ordinem. Quanto ergo minus, hic obligabit ordo in dicenda Miſſa, quæ neq; eſt Hora Canonica, neque cũ illis aliquã habet neceſſariã connexionẽ. Ad illud vero quod dicitur de indebita diſpoſitione, dicunt prædicti Doctores, quod diſpoſitio debita celebrandi Miſſam, tantũ eſt vt non celebretur niſi à ieiuno, neque cum conſcientia peccati mortalis, & de hoc aliqui Canones in iure reperiuntur, at quod quis prius horas recitauerit, ſeu contemplationi vacauerit (quamuis id facere quammaxime ſit proficuum) non eſt tamen præceptum, aut diſpoſitio præciſe debita, & neceſſario requiſita, ſed ſolummodo conſilium, & ſancta atque laudabilis conſuetudo, quam cum rationabili cauſa prætermittere, nullum omnino erit peccatum, ſine vero illa, ad multum erit peccatũ veniale. Quod etiam multis alijs rationibus probant ſupradicti Auctores, & dicunt quod rationes & argumenta, in contrarium adducta pro alia opinione, non quidquam aliud concludunt.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Miſſa neceſſario dici debeat à Sacerdotibus ieiunis?

Prima Concluſio.

Miſſa neceſſario dicẽda eſt à Sacerdote ieiuno, & qui cumque cibus aut potus præſſumptus, ex inſtitutione Eccleſiæ, impedit huius Sacramenti ſumptionem.

MIſſa neceſſario dicenda eſt, à Sacerdote ieiuno, & quicumque cibus aut potus præſſumptus, ex inſtitutione Eccleſiæ, impedit huius Sacramenti ſumptionem. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ, tertia parte, quæſtione 80. articulo octauo, quam & probat auctoritate Diui Auguſtini in Epiſtola ad Ianuarium 118. & refertur *in capit. liquido, de conſecratione*, vbi inquit, *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, prius in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi.* Qui quidem mos vt creditur, ex traditione Apoſtol. ab ipſo Chriſto Domino, ortum & originem duxit, ſicque vſque hodie, idipſum in vniuerſo Orbe ſeruatur. Idem habetur, *in capitulo. Sacramenta, de conſecratione, diſtinctione prima*, quod eſt Concilij Carthag. 3. capit. 29. & *in cap. nihil, ſeptima, quæſtione prima*, ex Concilio Toletano, ſeptimo. Et quamuis hæc Concilia, non ſint niſi Prouincialia, extat tamen decretum Concilij Conſtantinopolitani generalis, *ſeſſione*

13. vbi hoc idem ſtatuitur. Quod adeo ſtricte in Eccleſia ſeruatur, vt ad Miſſam celebrandam, ex communi omnium reſolutione, requiratur non quodcumque ieiunium, ſed omnino ieiunium quod dicitur naturæ, quod eſt nihil prorſus præguſtaſſe, etiam minimam partem aquæ, vini, aut cuiuslibet alterius rei, vt tradit Diuus Thomas in præallegato articulo, in ſolutione ad quartum. Et Innocent. III. *in capit. ex parte, de celebratione Miſſarum* præcipit, vt in die Natalis Domini, ſeu alio die, dum Sacerdos ſecundam celebraturus eſt Miſſam, in prima earum, Calicis lotionem nullo modo ſumat. Supradicti præcepti Eccleſiaſtici, triplicem rationem ſiue cauſam, reddit D. Thom. loco ſupracitato. Prima in honorem huius Sacramenti, vt ſcilicet Corpus Chriſti, intret in os hominis, non aliquo cibo aut potu refectum, ſiue coinquinatum, quin vero omnino ieiunum. Secundo propter ſignificationem, vt per hoc intelligatur, Chriſtum Dominum, qui eſt res ineffabilis huius Sacramenti, eiuſque charitatem diuinam, debere primum fundari in cordibus noſtris, iuxta illud Matth. 6. *primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera omnia adijcientur vobis.* Ac tandem tertio, propter periculum vomitus & ebrietatis, quæ quandoque contingit ex inordinatis cibis & potibus, vt dicit Apoſtolus, 1. Corinth. 11. Ab hac generali regula, excipit D. Thom. infirmos, qui ſtatim communicandi ſunt, etiam non ieiuni, ſi de eorum periculo dubitetur, ne ſine cõmunione decedant, vt habetur, *in capit. Presbyter, de conſecratione diſtinctione ſecunda*, ex Concilio Vvormacieſi. Hæc omnia ſunt, de mente & doctrina Diui Thomæ. Sed hæretici rerum omnium Eccleſiaſticarum, ac bonarum conſuetudinum irriſores, & ſubſannatores, hoc Eccleſiæ præceptũ, & ſanctam atque laudabilem conſuetudinem, vt & omnia alia ſubſannant & irrident, & contrarium probare nituntur, aliquibus apparentibus rationibus, petitis ex locis ſacræ Scripturæ, male intellectis, ſiniſtre adductis, ac peius interpretatis, à qua ego in præſentiarum tractatione ſuperſedeo, cum per tempus non liceat de his agere, neque ſit præſentis ſpeculationis. Videatur hac de re Magiſter Soto, in quarto, diſtinctione 12. quæſtione prima, articulo octauo, & Suarez, tertio tomo ad tertiam partem Diui Thomæ, quæſtione 80. articulo octauo, diſputatione 68. ſectione tertia, quarta, quinta, & ſexta, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm nocturna pollutio, impediat Miſſæ celebrationem?

Prima Concluſio.

Nocturna pollutio, non impedit Miſſæ celebrationẽ,

QVando pollutio nocturna, immunis omnino fuerit à culpa, ſeu tantummodo, habuerit culpam annexam venialem, non impedit de neceſſitate, ſumptionẽ huius Sacramenti, aut celebrationem Miſſæ, ſecus autem, ſi in cauſa fuit aliquod peccatum mortale. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. tertia parte, quæſtione 80. articulo ſeptimo, vbi & latiſſime tractat, ex quibus cauſis euenire ſoleant huiuſmodi nocturnæ pollutiones, & oſtendit qualiter multoties fiant, abſque vllo prorſus peccato, vel ſaltim cum ſolo peccato veniali. Ad quod probandum, particulariter adducit, ex Collationibus Sanctorum Patrum, quod cum quidam Frater iuuenis, frequenter prædictas pateretur pollutiones, ſemperque temporibus Feſtiuis, quibus erat communicaturus, ſeniores Conuentus, comperto quod ex parte ſua (vt videbatur) nulla huius rei cauſa præceſſerat, arbitrantes ac prudenter nimis dijudicantes, id fieri ex tentatione & dæmonum illuſione, ad retrahendum illum à ſacra Communione, decreuerunt vt propter hoc non à Communione ceſſaret, & refertur quod cũ hoc fuiſſet factum, ſtatim prædictæ ceſſarunt pollutiones, & dæmonum illuſiones (valde notanda res.) Plura alia dicit Diuus Thomas ad hoc propoſitum, quæ longum eſſet nimis in præſentiarum referre, monſtrando qualiter etiam id aliquando contingat, ex infirmitate naturæ, atque ex alijs cauſis. Concluditur ergo, quod vtcumq; illud ſit, ſi cauſa non ſit peccatum mortale, non neceſſario impedit ſumptionem huius Sacramenti, nec celebrationem Miſſæ, vt dictum eſt in concluſione.

ſi fuerit immunis à culpa mortali.

Nota qualiter, multoties pollutiones nocturnæ, abſq; vlla prorſus culpa, ſolent contingere & euenire.

Secunda Concluſio.

NOcturna pollutio, ex decentia & congruentia, impedit ſumptionem prædicti Sacramenti & celebrationem Miſſæ, niſi adſit neceſſitas aut aliqua rationabilis cauſa, celebrandi & communicandi. Hæc concluſio, eſt etiam Diui Thomæ loco ſupracitato, cuius & duplicem reddit rationem, primum propter corporalem fæditatem, quæ ex ſupradicta pollutione ſemper reſultat, cũ qua propter reuerentiam tanti Sacramenti, non decet accedere ad Altare (ſaltim ſine præuia confeſſione.) Secundo, propter euagationem mentis, quæ etiam ipſam pollutionem ſubſequitur, præſertim quando ex aliqua turpi cogitatione præceſſit etiam veniali. Sed tamen quamuis hoc ex congruitate, aliquod ſit impedimentum, debet tamen propter neceſſitatem poſtponi, vt dixit D. Gregor. in Epiſtola ad Auguſt. Anglorum Epiſcopum, quæ habetur, in regiſtro lib. 12. capit. 10. reſpondendo ad decimam interrogationem eiuſdem Auguſtini, & refertur in *cap. vir cum propria*, 33. q. 4. vbi & dicit eſſe neceſſitatem, quando communicare exigit dies feſtus, aut proprium miniſterium, vt ſi Sacerdoti id incumberet ex officio. Circa hanc materiam, innumera plura poſſent dici, quę breuitatis gratia prætermittuntur, vt ne liber iſte nimium excreſcat. Videatur & conſulatur D. Thom. articulo ſupracitato, qui eſt valde notabilis, & ſuper ipſum Magiſter Soto, in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. artic. 7. & Suarez, 3. tomo ad tertiam partem, D. Thom. q. 80. art. 7. diſput. 68. ſectio. 1. & 2. vbi ad hoc propoſitum adducuntur plures caſus, & dicuntur plura eaque notatu digniſſima.

Nocturna pollutio, ex decẽtia & cõgruẽtia, impedit ſumptionem prædicti Sacramẽti & celebrationem Miſſæ, niſi adſit neceſſitas aut aliqua rationabilis cauſa celebrandi & communicandi.

QVAEST.

QVAESTIO. XLI.

De Missæ altissimo mysterio, quatenus est sacrificium, in vigintiquatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Missa sit sacrificium?

NON est mei muneris atque propositi, nec præsentis speculationis, hac de re agere cum hæreticis, neque vero tractare etiam cum Catholicis, illas nimium subtiles & metaphysicas quæstiones, quæ circa hoc argumenti genus, cõmuniter afferuntur & disputantur in scholis, sed solũmodo, ponere breuiter aliquot paruas difficultates morales, seu ad mores pertinentes, illas præsertim quæ speciali aliqua ratione, pertinere videantur ad Religiosos & Regulares, vt præ manibus habeantur, quæ proprio ipsorũ statui specialiter congruũt. Et vt difficultas præsentis articuli, plenius innotescere possit, ac certo sciri qualiter altissimum Missæ mysterium, quo Christus Dominus immolatur, atque sacrificatur quotidie, vere & proprie sit, ac dici debeat sacrificium, præmittere in præsentiarum libuit, sacrificij eiusdem diffinitionem, siue potius descriptionem. Et omissis hac de re, varijs dicendi modis dico, *quod sacrificium* proprie loquendo & in rigore, dicitur & est quædam externa atque sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo ac solemni ritu, in ipsius cultum & honorem, aliquo modo immutetur, facta à publico & legitimo ministro siue Sacerdote. Quibus verbis, exactissime tota sacrificij nominis significatio, describitur & comprehenditur, ita vt ex his facile sit, ad ipsius essentiam, quidditatem atque naturam indagandam peruenire. Ex ipsis enim plane colligitur, qualiter licet generali quadam ratione, atque communi vocabulo loquendo, quælibet operatio in Dei cultum relata, interdum in sacra Scriptura sacrificium nuncupetur, appellarique consueuerit, etiam interna contritio, iuxta illud Psalmi 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, laus item vocalis, iuxta illud etiã Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, necnon & eleemosyna, iuxta illud Pauli ad Hebræos 13. *Talibus enim hostijs promeretur Deus*, nihilominus tamen, hæc omnis significatio metaphorica est, atque ex alia priori quæ sola vera & propria est deriuata: nam proprie atque in rigore loquendo, sacrificium non est nec dici debet, nisi solummodo illa externa atque sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur & dicatur, vt legitimo ac solemni ritu, in ipsius cultum, gloriam & honorem aliquo modo immutetur, & hoc à publico & legitimo ministro siue Sacerdote. Quod facile licebit videre, & manifeste perspicere, ex discursu totius veteris testamenti, vbi ea olim solummodo dicebantur sacrificia, in quibus res aliquæ solemni ritu, in Dei cultum & honorem mactabantur & immolabantur. In quo sensu sacrificia distinguebantur, ab alijs aliarum virtutum actibus & operibus, vt à misericordia, iuxta illud Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, ab obedientia, iuxta illud, quod habetur libro primo Regum capit. 15. *Melior est obedientia quam victima*, atque ab alijs. In hac etiam significatione, intelligendum venit, quod dixit olim Regius psaltes, Psalm. 50. *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* Cuius etiam vocis significatio, in nouo testamento est frequentissima, eaquæ vtitur Diuus Paulus, passim in suis epistolis, sed maxime in Epistola ad Hebræos, capit. quinto, vbi ad hoc propositum allegat illud Psalmi 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Præmiserat Diuus Paulus, quod *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum*, atque explicare volens, quale sit proprium eius munus & officium, addit illud esse, *vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, &cæt.* vbi vtitur sacrificij nomine, in sensu à nobis prædicto. Qua præmissa sacrificij diffinitione, propositæ modo difficultati, respondetur per sequentem conclusionem.

Quidnam sit sacrificium, et quibus rebus conueniat sacrificij nomẽ.

Conclusio.

MIssa, qua sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, conficitur & celebratur, & Christus Dominus immolatur quotidie, vere & proprie est nouæ legis sacrificium. Hæc conclusio est certa, & tenenda de fide, & habetur expresse determinata, in Concil. Tridentin. sessione 22. capit. primo, vbi apponitur doctrina de sacrificio Missæ, in cuius primo capitulo, sequentia apponuntur verba. *Quoniam sub priori testamento, teste Diuo Apostolo Paulo, ad Hebræos septimo, propter Leuitici sacerdotij imbecillitatẽ, consummatio perfecta non erat neque esse poterat, oportuit Deo Patre misericordiarum ita disponente & ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech exurgere, Dominum Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui vna oblatione omnes posset, quotquot sanctificandi essent, consummare atque ad perfectum adducere*, & additur ex cap. nono & decimo, eiusdem Epistol. & facit, *capit. semel immolatus, cum sequentib. de consecrat. distinctione 2. Is Deus & Dominus noster Iesus Christus, etsi iuxta doctrinam Diui Pauli, semel seipsum in ara Crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat in cœna nouissima qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ visibile (sicut hominum natura exigebat) relinqueret sacrificium, quo cruentũ*

Missa qua mysteriũ Eucharistiæ conficitur & celebratur, & Christus Dominus immolatur quotidie vere & proprie est nouæ legis sacrificium.

illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus, in remiſſionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſe in æternum conſtitutum declarans: Corpus & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earum rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui teſtamenti miniſtros conſtituebat & Sacerdotes, vt ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotium ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit, per hæc verba dicens, manducate & bibite ex hoc omnes, hoc facite in meam commemorationem, quod ſemper Eccleſia Catholica tenuit & tenet, intellexit & docuit. Hactenus Concilium. Ex cuius verbis & determinatione prædicta, à ſanctis Patribus facta, clare conſtat de inſtitutione Euangelici huius Sacerdotij, & facultate conficiendi & conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, tradita Apoſtolis & cunctis Sacerdotibus noui teſtamenti, rite & legitimè ordinatis, & offerendi ipſa Deo Patri, in perfectiſſimum, altiſſimum atque gratiſſimum ſibi ſacrificium. Quo ſacrificij etiam nomine, vſi ſunt Concilij Patres, in præfatione ſeſſionis eiuſdem, vbi vocatur mirabile hoc myſterium, *verum & ſingulare ſacrificium.* Et ſpecialiter in ſequenti ſecundo capitulo, de eiuſdem ſacrificij effectu diſſerentes dicunt, *quod in hoc diuino ſacrificio quo Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis, ſemel ſeipſum cruente obtulit, ac proinde ſacrificium iſtud, vere eſſe propitiatorium, & per ipſum fieri, vt ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad ipſum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Verba ſunt expreſſa ſupradicti Concilij. Ex quibus etiam ſatis conſtat, qualiter hoc altiſſimum & ineffabile Miſſæ myſterium, vere & proprie dicendum ſit ſacrificium, idquod tenendum eſt de fide. Quod etiam multo ante tempore, Concilium Toletanum, 12. aſſeuerauit, capit. quinto, vbi hoc ipſum ſacrificium, verum & ſingulare vocatur, idquod & omnes ſancti Patres, antiqui & recentiores, vnanimi conſenſu vbique faciunt. Quorum teſtimonia & loca, facile licet ſuiſſet referre, in præſentiarum tamen non libuit, vt ne longius noſtra protrahatur oratio, cum ſint peruia atque innumera, paſſimque reperiantur, viderique poſſint vbique, & maxime apud D. Thom. tertia parte, quæſtione 83. articulo primo, vbi tractat de hoc altiſſimo myſterio, & quærit an in hoc admirabili Euchariſtiæ ſacramento, Chriſtus Dominus immoletur quotidie. Quod etiam facit Magiſter Soto, in quarto, diſtinctione 13. quæſtione ſecunda articulo primo, eundem Diuum Thomam explicãdo. Eadem de re agit Suarez, in tertio tomo ad tertiam partem Diui Thomæ, ſuper quæſtione 83. articulo primo. diſputatione 73. vbi tractat de ſupra dicto ſacrificio Miſſæ. Solummodo oportet aduertere, id quod & omnes Sancti Patres, tam antiqui quam iuniores vnanimiter faciunt, quod per hoc ineffabile Euchariſtiæ ſacramentum, Chriſtus Dominus & Saluator noſter, veterum ſacrificiorum multitudinem atque diuerſitatem, in hoc vnum ac ſingulare ſui Corporis & Sanguinis ſacrificium, tranſtulit & commutauit. Qua de re videantur, quæ dicit D. Leo Papa, ſermone ſeptimo de paſſione, Diuus Chryſoſtomus, ſuper Pſalm. 95. & D. Auguſtin. libro decimo de Ciuitate, capit. 20. & libro decimoſeptimo, capit. decimo & de Baptiſmo, libro tertio capit. vltimo, & contra Fauſtum, cap. decimo octauo, & 21. & lib. primo, contra aduerſar. legis, & prophet. capit. 20. Quæ omnia, ſancta noſtra Mater Eccleſia, in Miſſali Romano, in quadam ſua Collecta confirmat, ſequentem orationem dicens. *Deus qui legalium differentiam hoſtiarum, vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti, &c.* Eſt igitur hoc tremendum myſterium, & admirabile Euchariſtiæ ſacramentum, vere & proprie ſacrificium, quin vero ſacrificiorum omnium maximum, quæ Deo offerri vnquam potuerunt, ſiue poſſunt, & vt ſic loquamur, ſacrificiorum ſacrificium, ſingulare & vnicum, cuius comparatione veteris legis ſacrificia omnia, non hoc quidem promerebantur nomen, niſi forſan ea ratione dumtaxat, in quantum erant ſigna quædam, huius veri venerãdi, vnici & ſingularis ſacrificij. Denique quod ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, vere & proprie ſacrificium ſit nuncupandum, ex hoc etiam clariſſime patet, quia in eo Chriſtus Dominus immolatur, atque externa & ſenſibili actione, in Dei cultum & honorem dicatur & offertur (quæ eſt propria & vera ratio ſacrificij & diffinitio) vt ſupra diximus, in initio articuli. Quod autem hoc ita fiat, expreſſe conſtat ex docti ina Diui Auguſtini, in libro ſententiarum Proſperi, & habetur *in cap. ſemel immolatus, de conſecratione, diſtinctione ſecunda,* vbi quæ ſequuntur ponuntur verba. *Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, ſed quotidie immolatur in altaris Sacramento.* Quod eſt omnino idem, quod loco ſupracitato dixit Concilium Tridentinum, capit. ſecundo. Poſt quæ dicta verba, paulo inferius, addit prædictus Diuus Auguſtinus, *vna itaque & eadem eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Quod proinde dicitur, quia in paſſione ſua ſacra, Chriſtus Dominus cruente, in hoc vero altaris myſterio, non quidem cruente, ſed incruente immolatur, & offertur atque ſacrificatur. Diuus etiam Thomas loco ſupracitato, duplicem reddit rationem & cauſam, ob quam hoc admirabile Sacramentum, *ſacrificium* appelletur & nuncupetur, atque in eo Chriſtus Dominus immolari & ſacrificari dicatur. Primo quia eſt imago quædam paſſionem Chriſti repręſentans, qua facta eſt cruenta ſupradicta immolatio. Secundo, quia per hoc Sacramentum nos etiam participes efficimur, fructus Dominicæ Paſſionis, iuxta id quod canit Eccleſia, in quadam ſua Collecta, ſiue oratione, *dicendo, quod quotieſcumque huius hoſtiæ commemoratio celebratur, toties opus noſtræ redemptionis exercetur.* Exerceri autem noſtræ redemptionis opus, nihil eſt omnino aliud, quam Chriſtum Dominum in hoc Sacramento incruente, quotidie ſpiritualiter, immolari atque ſacrificari. Multa alia ad hoc propoſitum dici poſſent, & quidem notatu digniſſima, quæ quidem breuitati ſtudendo, conſultò facio miſſa, vt apud ſupradictos Auctores videantur.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Miſſæ ſacrificio, principalis Sacerdos & offerens, ſit Chriſtus Dominus.

CIRCA difficultatem præſentis Articuli, fuit olim quorundam Theologorum placitum, aſſereutium in altiſſimo hoc Miſſæ ſacrificio, principalem Sacerdotem & offerentem, non eſſe Chriſtum, ſed Sacerdotalem oblationem, illi ſolummodo tribui, quaſi remote, pro eo quod ſacrificij huius oblationem ipſe inſtituit, & iuxta eius voluntatem atque præceptum in altari offertur, & præterea, quia in hoc ſacro ſancto ſacrificio, ipſius merita operantur. Quam ſuam opinionem probare contendebant ex eo, quia Chriſtus Dominus in prædicto ſacrificio (vt videtur) neque interna intentione, neque verò externa actione, actu ſemper ſe offert, quotieſcunque hoc Miſſæ ſacrificium offertur, & celebratur: ergo non ipſe dicendus eſt principalis offerens ſiue Sacerdos, neque cauſa vllo modo per ſe huius ſacrificij, ſed ſolus Sacerdos qui illud offert, per poteſtatem ab eodem ſibi traditam in idipſum, & iuxta ritum ab ipſo inſtitutum, Chriſtus autem Dominus (inquiunt) ſolummodo denominatiue dicitur offerēs, huiuſque ſacrificij miniſter & Sacerdos, denominatione quadam extrinſeca, vt cauſa remota atq; per accidens. Conſequentia apparet legitima, antecedens autem videtur manifeſtum, aut ſaltim id quod in eo dicitur, nimis apparet probabile, nā quantum attinet ad internam intentionem, gratis atque ſine fundamento, confictum videtur dicere, Chriſtum Dominum nunc ſemper eſſe intentum ſeu attentum, & quaſi ſolicitam atque actualem intentionem ſemper habere, ſe ipſum offerendi in ſingulis Miſsis. Quantum verò attinet ad actionem externam, ſine qua ſacrificium ſenſibile eſſe non poteſt, videtur etiam, quod tota ſacrificij huius actio externa, à ſolo Sacerdote fiat, ac proinde quod ipſe ſit ſacrificij huius ſolus principalis Sacerdos & miniſter, non verò Chriſtus. Quod & confirmatur, nam vt videtur, Chriſtus Dominus, non aliter in hoc Sacramento ſacrificium offert, quam in baptiſmo baptizat, aut in pœnitentia abſoluit: ſed Chriſtus Dominus in baptiſmo, non baptizat, neque in pœnitentia abſoluit, proprie & per ſe, aut tanquam principalis miniſter, ſed ſolummodo per accidens, extrinſeca quadam denominatione, quia nempe ab ipſo ſunt inſtituta, baptiſmi & pœnitentiæ Sacramenta, & ab illo virtutem & efficaciam habent: idem ergo dicendum eſt in propoſito caſu, non verò aliud.

His tamen non obſtantibus, contraria ſententia eſt verior, de qua ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

IN Miſſæ ſacrificio, principalis Sacerdos & offerens, Sacerdotum miniſterio, eſt Chriſtus Dominus, nec tantum eſt cauſa per accidens aut remota, ſed vera & propria. Hæc Concluſio eſt expreſſa Conc. Trid. Seſſi. 22. c. 2. & D. Tho. 3. p. q. 82. art. 7. in ſolut. ad 3. & q. 83. ar. 1. in ſolut. etiam ad 3. vbi expreſſe inquit: *Quod Sacerdos in Miſſæ ſacrificio, non ſuā propriam agit perſonam ſed Chriſti, in cuius perſona et virtute pronuntiat verba illa ad conſecrandum præciſe neceſſaria, hoc eſt corpus meum, vel, hic eſt Calix ſanguinis mei, etc.* & addit, *quod in orationibus quas dicit, loquitur etiam, non in perſona propria, ſed in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate conſtituitur.* Idem tenet Diuus Thomas in 4. diſtinct. 13. quæſt. 1. artic. 1. quæ ſententia eſt communis omnium Thomiſtarum, de qua videndus eſt Soto, ſupradicta diſt. quæſt. 2. art. 1. & Suarez, 3. tom. ad 3. part. Diui Thom. quæſt. 83. art. 1. diſput. 77. ſect. 1. vbi ad hoc ipſum, refert innumeros Auctores, quos breuitatis cauſa omitto. Sed probatur præterea Concluſio, aliquibus efficaciſsimis rationibus, & primo, nam Chriſtus Dominus in Scriptura ſacra, non quidem ſemel ſed multoties, nuncupatur & dicitur, *Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedech*, Pſalm. 109. & ad Hebræ. cap. 7. qui ordo, vt de ſe patet, in oblatione altiſsimi huius ſacrificij perficitur, completur & exercetur: ſed non potuit dici Sacerdos in æternum, ſecundum iſtum ordinem, per ſolam oblationem & ſacrificium, quod in cœna peregit, hoc eſt, per ſolam hoſtiam cruēntam, quam in Paſsione ſua obtulit, & in cruce peracta eſt: ergo dicendum eſt, eundem inſigniri tali nomine, pro eo quod nunc etiam perpetuo ſacrificat, per ſe & per ſuos Sacerdotes, offerens ſub ſpeciebus panis & vini, de nouo quotidie ſuum ſanctiſsimum Corpus & ſanguinem, in altari ſiue Miſſæ ſacrificio. Quod & confirmari poteſt, ex doctrina Diui Pauli in epiſtola ad Hebr. cap. 7. vbi conſtituens differentiam inter nouam & veterem legem, inquit, *Quod in veteri plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, at in noua Chriſtus Dominus eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Quibus ſane verbis, inſinuare videtur Diuus Paulus, quod etiā nunc Chriſtus Dominus, offerat ſemetipſum, per ſe ſimul & Sacerdotes, alioquin ſi ipſe nunc, omninò ab hoc ſe offerendi munere & officio ceſſaret, proculdubio in pluralitate Sacerdotum, nulla eſſet prorſus differentia, inter legem nouam & veterem, ſiquidem & nunc moriuntur, morteque permanere prohibentur, noui teſtamenti Sacerdotes, quemadmodum & Sacerdotes veteris legis olim. Probatur inſuper prædicta Concluſio, ex ſententia D. Auguſt. lib. 10. de Ciuitat. Dei, cap. 20. vbi poſt alia multa verba, quæ hac de re dixerat, concludit dicens: *Per hoc & Sacerdos eſt ipſe Chriſtus offerens, et ipſe oblatio, cuius rei Sacramentum, quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificiū, cum ipſius corporis ipſe ſit caput et ipſius capitis ipſe ſit corpus. tā ipſa per ipſum, quam ipſe per ipſam aſſuetus offerre:* Quæ quidem verba, ex eiuſdem ore deſumpſit Innocen. Tertius, in Concilio Lateranenſi, & habetur, *in capit. firmiter, de ſumma Trinitate, et Fide Catholica,*

In Miſſæ ſacrificio, principalis Sacerdos, et offerēs eſt Chriſtus, idq; proprie et per ſe, non vero per accidens aut remote, licet id etiam fiat per Sacerdotem.

vbi dicitur quod. *Vna eſt vniuerſalis Eccleſia, extra quã nullus omnino ſaluatur, in qua idem ipſe eſt Sacerdos & ſacrificium Chriſtus Ieſus, cuius corpus & ſanguis in Sacramento Altaris, ſub ſpecie panis & vini veraciter cõtinetur, offertur & immolatur.* Idem omninò dicit D. Auguſt. 4. de Trinitate, cap. 7. & Ireneus, lib. 4, cõtra hæreſes, cap. 32. & 34. & D. Cyprian. epiſt. 63. vbi inquit, *quod Sacerdos in altari, vice Chriſti fungitur.* Quod etiam expreſſe determinauit olim, Concilium Florent. dicens: *Quod Sacerdotes hoc conficiũt myſterium in perſona Chriſti.* Sed quid moror in his plura dicere, cum expreſſiſſime habeatur hoc ipſum, in Concilio Trident. Seſſ. 22. cap. 2. vbi ſequẽtia ponuntur verba. *Vna eademque eſt hoſtia, idem nũc offerens, Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Sed ſpecialiter hac de re, videndus eſt D. Chryſoſt. hom. 13. in Matt. vbi etiã ſequẽtia notabilia ponuntur verba: *Qui tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur modo*, & idem dicit in pluribus alijs locis. Et homilia de proditione Iudæ, dicit: *Cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam, ipſe enim eſt qui offert & qui offertur.* Tandem vltimo probatur atque corroboratur, ſupradicta noſtra Concluſio, quia hoc ſic dicere magis eſt conſonum dignitati, & perfectioni huius altiſſimi ſacrificij; magis etiã conforme, auctoritatibus ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum, nec per hoc quidquam detrahitur aut derogatur, auctoritati & dignitati Chriſti, quin verò confert quam plurimum ad validitatem ſeu potius valorem, ineffabilis huius ſacrificij, hoc ita dicere, vt infra latius eſt dicendum. Vera ergo eſt atque ab omnibus tenenda ſupra poſita Concluſio.

Reſpondetur ad argumẽta cõtrariæ ſententiæ.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur, quod ad exactam perfectionem altiſſimi huius ſacrificij, & vt omninò eſſet æquale ex parte offerentis, ſacrificio Crucis & cœnę, in qua Chriſtus Dominus ſemetipſum cruenter obtulit, oportet dicere, quod & ipſe Chriſtus, per ſe ipſum etiam nunc, aliquo modo ſemetipſum offert, & non tantum per Sacerdotum miniſterium, ſiue per legatum, eundem repręſentantem, hoc enim modo dicendo, melius ſaluatur quod de eo communiter dicitur, nempe quod eſt Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, & quod etiam nunc, exercet munus & officium, ſummi & æterni Sacerdotis. Et quando dicitur, quod nõ id agit intentione interna, neque actione externa, negatur; nam eodem actu & concurſu, quo concurrit cum Sacerdotibus, ad huius ſacrificij actionem, ſe gerit vt ſupremus Dei cultor, & interceſſor pro omnibus, totam illam actionem ordinando in Dei cultum, eamque Patri repræſentando, in memoriam ſanctiſſimę ſuæ paſsionis, vt propitius ſit hominibus. Quin verò addo, quod eodem actu & cõcurſu, quo concurrit ad ſupradicta ſacrificia, actu de omnibus illis cogitat, & actu vult concurrere, ac de facto cõcurrit, cum omnibus Sacerdotibus hoc ſacrificium offerentibus. Non enim concurrit, tanquam inſtrumentum inanimatum, ſed vt verè animatus, operando per intellectum & voluntatem, atque in cœlo exiſtens, intuetur omnes actiones miniſtrorum ſuorum, & vult in omnibus & per omnes. Deum patrem ſuum omnipotentem, colere & placare, & hoc ſacrificium illi offerendo pro hominibus intercedere: quod ſumma facilitate poteſt efficere, idque interna intentione intendit, non obſtante quod loco diſtet, aut quod per ſe ipſum ſenſibilia verba non proferat, ſed per ſuos miniſtros Sacerdotes, cum hæc non ſint de ratione offerentis, vt ſic. Ex dictis ſatis colligitur, id quod in Concluſione eſt dictum, nempe, quod in hoc altiſsimo Miſſæ ſacrificio, Chriſtus Dominus, eſt principalis Sacerdos & offerens, & qui quotidie ſemetipſum offert, per ſe & per ſuos Sacerdotes, neque hoc illi conuenit ſolum modo denominatione extrinſeca, & per accidens ſiue remote, vt volunt Doctores contrarię ſententię & opinionis, ſed verè & propriè. Videatur hac de re Suarez, loco vbi ſupra, & hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ſint etiam offerentes alij, à Chriſto Domino & a Sacerdotibus Miſſam dicentibus, ac ſacrificantibus?

Concluſio.

Fideles omnes, ſacrificio Miſſæ aſtãtes & aſſiſtẽtes, ſunt etiam verè offerentes

FIdeles omnes, ſacroſancto Miſſæ ſacrificio aſtantes & aſſiſtentes, ſunt etiam verè offerentes. Hæc Concluſio eſt cõcors omnium Catholicorum ſententia, quam tenet expreſſe D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. & 7. & q. 83. art. 1. & Innocent. lib. 3. de myſterio Miſſæ, cap. 5. & 6. & Gabriel lectione 27. in Cano. & innumeri alij Auctores, quos refert Suarez, to. 3. ad 3. par. D. Thom. q. 83. art. 1. diſput. 78. ſectione 3. vbi & refert quamplures Sanctorum auctoritates, id ipſum inſinuantes atque dicentes. Ac tandem concludit dicendo, quod hæc veritas expreſſe colligitur, ex illis verbis Canonis Miſſæ: *Et omnium circunſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis.* Quæ verba explicans ſupradictus Innocent. ſuper Canon. inquit, pro eo eſſe dicta atque in Canone appoſita, quia prædictum Miſſæ ſacrificium, non ſolum offertur à Sacerdotibus, ſed etiam ab vniuerſis fidelibus, maximè aſſiſtentibus, eidemque aſtantibus, quæ eſt verior & communior expoſitio verborum illorum. Quod & expreſſius colligitur, ex alijs verbis quæ in eodem Canone ponuntur, ex illis nempe: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus.* Vbi familiæ nomine, plebs aſtantium fidelium intelligitur, quæ etiam ad dictam oblationem aliquo modo concurrit. Qua etiam ratione additur ibidem: *Vnde & memores Domine, nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta fidelis, eiuſdem Chriſti filij tui Domini noſtri, offerimus præclaræ maieſtati tuæ, &c.* Quæ prædicta omnia verba, in plurali poſita, ſatis innuũt, quod plebs fidelium aſtantium, ſiue aſſiſtentium Miſſæ ſacrificio, ſimul cum Sacerdotibus celebrantibus, ad hoc ſacrifi

crificium venerandum, celebrandum atque offerendum concurrit. Qui & dicendi modus, conformis est antiquo modo loquendi sacræ Scripturæ, in qua fidelis populus, etiam dicebatur olim offerre & sacrificare, vt constat ex illis verbis, Exod. 3. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in Deserto*, & Numeror. 28. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis*, & Leuitici etiam 23. dicitur: *Offeretis holocaustum Domino*. Quibus in locis fit sermo, non ad Sacerdotes solummodo, sed & ad ipsam plebem. Quin verò, & Diuus Augustinus, libro quæstionum veteris testamenti, quæst. 46. expresse dicit: *Quod illi etiam dicuntur offerre, quorum sunt oblationes, quas super altare ponit Sacerdos, & ipsorum reputatur sacrificium, quorum munere offeruntur*. Fauet etiam huic sententiæ, & ipsa ratio eiusdem sacrificij, quod debet esse quid commune omnibus, cum sit cultus publicus, & solemnis totius populi. Et præterea quia offerre sacrificium Deo, quodammodo est cunctis hominibus naturale, vt experimento constitit in lege naturæ & scripta, vbi à fidelibus quam plurima oblata sunt sacrificia, vt satis constat ex sacra Scriptura veteris testamenti, quo quidem munere, priuari non debuit nouum testamentum, siue lex gratiæ, vt non etiam fideles, per suos Sacerdotes sacrificia Deo possent offerre.

Difficultas. Quid efficiat in sacrificio Missæ, fideles à quo dici possint offerentes?

Sed difficultas est, in explicanda actione, siue cõcursu fidelium, circa hoc sacrificium, à quo vel à qua, offerentes dicantur seu dici possint. Nam offerre nihil esse videtur aliud, quam oblationem efficere, quod quidem vt de se patet, in aliqua actione consistit. Vt igitur aliquis dicatur seu dici possit offerens, necesse est, vt aliquo modo ad efficiendam oblationem eandem concurrat, quod laicis siue non Sacerdotibus, non videtur qualiter possit competere, atque ex consequenti, quo nam modo dici possint offerentes. Et augetur difficultas, nam duplex tantum hac in re, intelligi potest oblatio, vna interna per interiorem deuotionem fidelium, altera verò externa, in qua proprie visibile sacrificiũ consistit, quæ tantũ modo Sacerdotibus videtur posse competere. Circa hãc difficultatem, multi multa dicunt, quæ longũ esset nimis in præsentiarũ recẽsere. Sed resoluiue dico, primo, quod fideles astãtes siue assistentes sacrificio Missæ, dicũtur ac dici possunt offerentes, vno modo generalissima quadam ratione, quia sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos in Missa sacrificium offert. In quo sensu non solum astantes, verum etiã & omnes absentes fideles, dici possunt offerẽtes, quia omnes interiori actu, & intentione quasi habituali & interpretatiua, videntur consentire in omnibus sacrificijs, quæ in tota Ecclesia fiunt, & velle virtualiter vt suo etiam nomine offerantur, & eorum fructum in quantum possunt, participare. Sed hæc denominatio, est valde remota & multum generalis. Vnde ea prætermissa, secundo dico, quod fideles assistentes & circunstantes, altero modo magis speciali, dicuntur & dici possunt offerentes, in quantum ad ipsum sacrificium, habẽt aliquem specialem concursum, non solum per deuotionem internam, sed etiam per ipsam operationem externam, eidem assistendo, & adhuc specialius, qui specialiori aliqua ratione, sunt eiusdem sacrificij causa, petendo & procurando ipsum, aut etiam dando eleemosynam, & stipendium Sacerdoti vt Missam dicat & sacrificium faciat, vel inseruiendo ipsi sacrificanti. Qui omnes tãto magis atque perfectius, hanc rationem offerendi participant, quanto magis vel pluribus modis, ad ipsum offerendum sacrificium concurrunt & cooperantur. Atque ita magis offert, qui in missa ministrat, & seruit, quam qui solummodo assistit, & sic de alijs, vt amplius infra dicemus. Per quæ fit satis propositæ difficultati, ac simul etiam rationibus dubitandi.

Difficultatis resolutio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Missæ sacrificium, possit pro alijs, ab offerentibus offerri?

Resẽtis articuli difficultas intelligi potest, & de ipso Sacerdote offerente, sacrificante & ministrante, seu Missam dicente, & de alijs qui cum ipso vel per ipsum, prædictum offerunt sacrificium, iuxta sensum prædictum in præcedenti articulo. Et siue ab his seu ab illo sacrificium Missæ offeratur, pro ipsius intelligentia oportet aduertere, quod Missæ sacrificium, qua parte est actus bonus, & vt dicitur, ex opere operantis, vim habet merendi & satisfaciendi, sicut omnes alij actus boni, & hoc non solum quatenus est actus (vt sic loquamur) ipsius missantis seu Missam dicentis, sed etiam quatenus est actus Ecclesiæ, per eius ministerium & ipsius nomine factus. Qua verò parte, continet orationẽ siue orationes, vim etiam habet impetrandi, sicut & omnes aliæ orationes bonæ, tam quatenus sub nomine Ecclesiæ, & per eius ministrum dicuntur, quam quatenus procedunt ab ipso Sacerdote, missam dicente & celebrante. Sed præter hos, merendi, satisfaciendi, atque impetrandi actus, quos Missa habet, qũa ratione est sacrificium, habet etiam qua parte est & continet Sacramentum, gratiam operari, vt etiã dicitur, ex opere operato, sed hoc soli sacrifico communicanti, atque alijs circunstãtibus, forte etiam communicantibus. Sed omissa hac consideratione & ratione merendi, cum certũ sit, quod vnus non potest alteri mereri siue pro alio, qui non habuerit gratiam capitis (qualem solus Christus Dominus habuit) deueniẽdo ad duos reliquos, huius sacrificij fructus, qui sunt esse impetratorium & propitiatorium, siue impetrare & satisfacere, quæritur in præsenti Articulo, an huiusmodi fructus, tam Sacerdos celebrans, quam alij simul cum ipso offerentes, pro alijs non simul astantibus, possint offerre? Cui difficultati resolutiue respondeo, per sequentes Conclusiones.

Nota valde, qui nam sint sacrificij Eucharistiæ fructus, et quibus etiã pro sint.

Prima Conclusio.

Certissimum est, Sacerdotem sacrificã tem seu Missam dicẽtem, pro alijs posse ipsam of-

CErtissimum est, Sacerdotem sacrificantem seu Missam dicentem, pro alijs etiam posse ipsam offerre, applicando eis sui sacrificij fructum. Hæc Conclusio est certa, & eam tenet expresse D. Th. 3. p. q. 79. art. 5. & 7. vbi quærit, vtrùm hoc Sacramentum prosit alijs, quam sumentibus, & dicit quod sic. Pro cuius intelligentia, & probatione

ferre, applicãdo eis fui sacrificij fructum.

notat, hoc differre inter mysterium Eucharistiæ, vt Sacramentũ est, & vt sacrificium est, quod qua ratione est Sacramentum prodest tantũ sacrificãti, & sumẽti, aut alijs sumẽtibus ipsum, at verò vt est sacrificiũ, prodest etiam alijs, pro quibus offertur. In quo sensu explicat illa Christi Domini verba, quæ ponuntur in forma consecrationis sanguinis, Matt. 26. *Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorũ.* Quæ verba sic explicat D. Tho. pro vobis, *scilicet sumẽtibus*, & pro multis, *idest, pro alijs quibus applicatum fuerit, seu pro quibus offertur.* Quod (inquit) & cõfirmat cõmunis vsus & sensus totius Ecclesiæ, nam Sacerdotes non solũ pro se, sed etiã pro alijs prædictum sacrificium offerunt, iuxta illud quod habetur, in Canone, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificiũ laudis.* Sed quod hoc ita dicendum sit, ex eo etiam colligitur, nam id annexum esse videtur, Sacerdotali muneri, cum eorundem Sacerdotum officium id exposcat quã maximẽ, iuxta illud quod dixit olim D. Paulus, ad Hebræos 5. *Quod Sacerdos pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona et sacrificia pro peccatis, non tantum suis, sed etiam totius populi.* Quod & semper fecerũt Sacerdotes, in lege naturæ, & in lege veteri, multoque melius tenẽtur id ipsum facere in lege gratiæ. Sed aduerto, quod per hoc non tollitur, quin Sacerdos ipse, si impetratione aut propitiatione indigeat, sacrificij sui fructum, seu satisfaciendi atque impetrandi, possit sibi reseruare, & illius fructum duplici ex capite seu duplici titulo percipere, & quatenus offerens est, & quatenus etiam pro se Missam dicens siue faciens: quod etiam contingere potest his, qui debite assistunt ministerio Missæ, vt fructum suum habeant, per modum offerentium, & vltra id illud quod Sacerdos seu alij voluerint ipsis applicare, quod est multum notandum ac memoriæ commendandum, pro valore Missæ. Sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Non solũ Sacerdotes, verum etiam et alij Missæ assistentes, & cũ ipsis sacrificium offerentes, propitiationis sæpe fructum, pro alijs applicare possunt.

NOn solum Sacerdotes, verum etiam & quicunque alij, ministerio & sacrificio Missæ assistentes, & cum ipso simul offerentes, offerre atq; applicare possunt, fructum suæ propitiationis seu satisfactionis, qui ad ipsos spectat, etiam pro aliis. Hæc Conclusio est pari modo certissima, & constat ex illis generalibus principijs, ab omnibus Theologis, vnanimi consensu receptis, nempe quod vnus potest orare & impetrare pro alio, atque etiã pro alio satisfacere aliqua in hunc finẽ opera pietatis faciendo, satisfactionemque suam eidem applicando: ergo eadẽ ratione qua in omnibus alijs rebus, potest sacrificij huius fructum propitiatorium, atque satisfactorium applicare, quod est pro illo sacrificium offerre, quantum attinet ad suam partem, quæ illi debebat obuenire. Nam hoc non repugnat ex natura sacrificij, vt omnis qui ipsum offert, eo modo quo illud offert, possit pro quocunque voluerit, ipsius fructum offerre & applicare: neque etiam repugnat ex ratione talis sacrificij, quia nulla hac de re, per Ecclesiam est facta prohibitio, nec est cur hæc potestas & facultas, huiusmodi offerentibus denegetur. Sed intelligẽda sunt supradicta omnia, primo de fructu qui in hoc sacrificio consurgit (vt dicitur) ex opere operantis, nam de fructu, qui consurgit aut consurgere potest (vt dicitur) ex opere operato, aliqua maior est difficultas, de quo statim dicemus in sequenti Articulo. Intelligenda sunt præterea secundo, in subiecto capaci, ita quod illi, pro quibus offertur, supradictus fructus satisfactorius seu impetratorius, sint conuenienter dispositi, atque (vt ita dicam) capaces ad percipiendum ipsum, nam non licet sanctum dare canibus, & ineptum est quempiam suam satisfactionem seu impetrationem, applicare velle subiecto incapaci. Vnde ferenda est semper intentio applicantis, & interpretanda quãdo orat, siue suam satisfactionem applicat, pro vno aut pro multis, vt id fiat secundum suam capacitatem, ita quod si propter aliquam rationem & causam, non proficiat vni, prodesse possit alijs. Videatur hac de re Suarez, loco supracitato, quæst. 83. art. 1. disp. 78. sect. 3.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sacrificium Missæ, debeat & possit, pro omnibus hominibus modo viuentibus, etiam infidelibus offerri, & etiam pro defunctis?

De multiplici viuentium hominum differentia, qui sunt in mundo, & qualiter eis applicari possit, Missæ sacrificium.

PRo huius Articuli intelligentia, oportet præmittere, varios hominum status. Et dico quod ex hominibus in hac vita degentibus, quidam sunt fideles, alij verò infideles, quidam baptizati, alij verò non baptizati, seu Catechumeni, quidam adulti, alij infantes, quidam iusti, alij verò peccatores, & inter peccatores, quidam ab Ecclesia tolerati, alij verò non tolerati, sed quodam modo separati aut præcisi, vt excommunicati. Præterea, inter infideles, quidam sunt Ecclesiæ iurisdictioni subiecti, & consequenter eius censuris ligati, vt apostatæ à fide quam in baptismo susceperunt, fueruntque professi, alij verò sunt omninò extra Ecclesiæ iurisdictionem, qui proinde eius censuris non ligantur, sed neque possunt ligari, vt Iudæi, & reliqui omnes infideles, qui fidem nondum susceperunt, nec vnquam fuerunt baptizati. Hoc quantum ad viuos. Sed de defunctis loquendo, sunt etiam ipsorum ordines & gradus. Nam quidam sunt valde mali, vt damnati in inferno existentes (sub quo membro, infantes etiam comprehenduntur, qui sine baptismo decesserunt, quamuis & ipsi non habeant pœnam sensus, sed tantummodo damni) alij sunt valde boni, vt beati existentes in cœlo & cœlesti patria (sub quibus etiam comprehendere possumus, iustorum animas, qui fuerunt olim in sinu Abrahæ) quamuis status iste omninò iam cessauerit, atque inter hos & illos, illi qui sunt constituti in Purgatorio, qui quamuis non sint mali, quin verò potius boni, habent tamen reatum pœnæ, quo detinentur, & qua necesse habent expurgari. De his igitur omnibus in vniuersali, intelligi potest à nobis proposita difficultas, cui & breuiter atque resolutiue, respondeo per sequentes Conclusiones, quarum quælibet explicabit, quæ cõueniunt cuilibet, iuxta prædictum constitutum ordinem.

Tres sunt de functorum ordines, & qualiter eis applicari etiam possit Missæ sacrificium.

Prima

Prima Concluſio.

Quodlibet Miſſæ ſacrificium, offerendum aliquo modo eſt, pro vniuerſali Eccleſia militante, & pro omnibus membris eius.

QVodlibet Miſſæ ſacrificium, offerendum aliquo modo eſt, pro vniuerſali Eccleſia militante, & pro omnibus membris eius, hoc eſt pro omnibus baptizatis viuentibus, qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationem, ab ipſius communione ſunt præciſi, ſeiuncti aut ſeparati. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum cõmunis, de qua ſpecialiter videndus eſt Scotus, quodlibeto 20. & Gabriel, ſuper Canone, lectione 20. & 27. & colligitur, *ex c. vſum, de conſecratione, diſt. 1.* quod eſt Concilij Cabilonen. 2. & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 2. Canone 3.* vbi hac de re agendo, ſequentia habentur verba: *Siquis dixerit Miſſæ ſacrificium, non eſſe propiciatorium, vel ſolum prodeſſe ſumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Et præterea conſtat idipſum, ex vſu totius Eccleſiæ, & ex verbis ipſius Miſſalis in Canone, vbi Eccleſia præcipue nominatur. Quod adeo verum & certum eſt, vt non poſsit Sacerdos, ab hac generali oblatione quempiam excludere, abſque graui peccato, propter odium formale aut virtuale, quod ad proximum haberet, contrarium ſi faceret, aut propter ſcandalum, idipſum ſi publice fieret. Nam licet non teneamur ex charitate, pro ſingulis orare, tenemur tamen neminem à communibus orationibus excludere, prout tradit D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & 9. & Nauarr. lib. de Oratione cap. 19. nu. 120. Peccabit præterea id faciens, quia agit contra Eccleſiæ inſtitutionem & intentionem, cuius miniſter & legatus eſt ipſe Sacerdos.

Secunda Concluſio.

Miſſæ ſacrificiũ, bene etiã poteſt offerri pro Catechumenis nondũ baptizatis.

PRo Catechumenis fidelibus, nõdum baptizatis bene poteſt offerri Miſſæ ſacrificium. Hæc Concluſio eſt certa, & forſan quando fit oblatio pro vniuerſali Eccleſia, Catechumeni ibidem etiam comprehenduntur, quia ſibi ſunt ſubſtantialiter vniti per fidem quam poſtulant: quamuis nondum actu per gratiam, aut ſaltim per baptiſmum & character em. Sed quidquid de hoc ſit (neque enim eſt præſentis ſpeculationis) probatur Concluſio ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, refert enim Clemens, lib. 8. cap. 4. 5. & 6. orationes publicas, olim fieri ſolitas in Miſſa pro Catechumenis, ſicut & nunc hodie fiunt in die Paraſceues. Idem tenet Chryſoſt. in ſua Lyturgia, & Auguſt. in epiſt. 107. ad Vitalem, vbi expreſſe dicit, Sacerdotem aſtantem ad Altare, orare pro Catechumenis, vt illis Deus inſpiret deſiderium regenerationis, quam dicit eſſe antiquam traditionem Apoſtolicam. Idẽ refertur in lib. de eccleſ. dogm. cap. 30. Et ſi quando legatur, quod prohibita ſit oratio pro Catechumenis, vt in Concil. Bracharen. 1. cantic. 35, quod etiam habetur apud Chryſoſt. homil. 3. in epiſt. ad Philipp. intelligendum id eſt, de Catechumenis decedẽtibus ſine baptiſmo ſpecialiter, non vero de alijs.

Tertia Concluſio.

Sacrificium etiã Miſſæ offerri poteſt, pro quibuſcũque infidelibus, dummodo non ſint excõmunicati.

SAcrificium Miſſæ offerri etiam poteſt, pro quibuſcumque infidelibus, dummodo non ſint hæretici, aut per Eccleſiam excommunicati. Hæc concluſio eſt etiam certa, de qua videndus eſt Suarez, 3. tom. ad 3. partem D. Thom. q. 83 art. 1. diſp. 78. ſect. 2. vbi eam miris & efficaciſſimis rationibus comprobat: & primo quia id facere, ex natura rei non eſt malum, nec à Chriſto Domino ſeu ab Eccleſia aliqua ratione prohibitum. Secundò, ex vſu veteris legis, in qua fiebant olim ſacrificia, pro gẽtibus ſiue gentilibus, vt pro Dario, vt habetur primo lib. Eſdræ. cap. 6. pro Spartiatis, 1. Machab. 12. pro Heliodoro, 2. Machab. 3. quæ conſuetudo ſumebatur in ratione ſacrificij, quæ tunc ex ſpeciali præcepto Dei, non erat aliquo modo limitata, multo ergo minus & nunc limitari poteſt aut debet, cum noſtrum altaris ſacrificium, de ſe ſit magis ſufficiens, magisque meritorium atque vniuerſale. Tertio probat Suarez idipſum, ex conſuetudine ipſius Eccleſiæ, pro quo affert quamplures ſanctorum auctoritates, quas ego breuitatis cauſa omitto, quia non poſſunt in tam breui compendio tanta dici. Ac tandem quarto & vltimo, probat idipſum, nam ſacrificium Crucis Chriſti cruentum, pro omnibus oblatum fuit, etiam pro infidelibus; ergo idipſum fieri debet hoc etiam tempore, in hoc incruento eiuſdem repræſentatiuo. Nec dubitari vllo modo poteſt, quod de facto Eccleſia ſancta mater noſtra, orando pro ſuo augmento, pro infidelibus etiam oret, ſaltem indirecte, cum non aliter augeatur, ſiue augeri poſſit fidelium numerus, quam per conuerſionem infidelium ad ipſam. Vnde dico, quod quandocumque apud aliquem Sanctorum repertum fuerit, non eſſe orandum in Miſſa, niſi pro his qui ſunt membra Chriſti, dicendum eſt, vt dicit ſupradictus Suarez cum D. Tho. in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiun. 1. ad quartũ, quod tunc offertur pro membris Chriſti, quando offertur vt fiant actu membra Chriſti, quæ antea tantũ modo erant membra in potentia.

Quarta Concluſio.

Pro excõmunicatis, excõmunicatione maiori, ſiue ſint fideles ſiue vere apoſtatæ, non licet Miſſæ ſacrificium offerre, oratione publica.

PRo excommunicatis, excommunicatione maiori, ſiue ſint fideles ſiue vero apoſtatæ, nullo modo licet Miſſæ ſacrificium offerre, oratione publica, ſeu agendo perſonam publicam. Probatur hæc Concluſio, nam id prohibitum eſt facere per Eccleſiam, vt habetur, *in cap. á nobis & 2. & c. ſacris, de ſentent. excommun.* & hic eſt vnus ex effectibus maioris excommunicationis, excommunicatum, fructu atque participatione ſacramentorum Eccleſiæ priuare. Dixi oratione publica, & agendo perſonam publicam, nam oratione priuata, licitũ eſt etiam in memento, orare pro excommunicatis, vt tenet Suarez loco ſupracitato, contra Sotum, videatur ibidem, nam nõ per tempus licet, in tot rebus immorari.

Quinta

Quinta Concluſio.

Loquendo de defunctis dãnatis, certiſsimũ eſt, quod nõ poteſt pro ipſis, Miſſæ ſacrificium offerri.

LOquendo de defunctis dãnatis, certiſſimũ etiã eſt, quod nõ poteſt pro ipſis, Miſſæ ſacrificium offerri. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Auguſtini in Enchirid. c. 109. & lib. 1, de origine animæ, cap. 9 & 10. & lib. de cura agenda pro mortuis, c. 1. & D. Gregor. lib. 34. Moral. c. 13. & 16. & 4. Dialogor. c. 34. idem habetur, *in cap. pro obeuntibus*, 13. q. 2. vbi dicitur, *non eſſe offerendum ſacrificium pro impijs defunctis*, quod intelligendum eſt, quando conſtiterit, eos eſſe mortuos in peccato mortali. Similiter in Concil. Brac. 1. c. 34. *prohibetur ſacrificium offerri pro ijs, qui violentam mortem ſibi ipſis intulerunt*, vt habetur, *in c. placuit.* 16. q. 2. In hac Concl. conueniunt vnanimiter omnes DD. Scholaſtici, in 4. diſt. 45. vbi omnes dicunt, non eſſe orandum pro damnatis, quia ipſorum deſperata eſt correctio. Et hæc eſt propria & genuina ſupradictæ Concluſionis ratio, quia nempe illi non ſunt iam membra Chriſti, nec eſſe poſſunt actu nec potentia, neque ipſius paſſio illis vllo modo poteſt prodeſſe: ergo non eſt pro ipſis offerendum ſacrificium, nec orandum modo conſtet eos damnatos eſſe, vt dictum eſt, non vero aliter.

Sexta Concluſio.

Pro defunctis iam beatis, et de quibus certo creditur, quod ſint in gloria conſtituti, nullatenus etiam eſt offerendũ ſacrificium propitiatorium.

PRo defunctis iam beatis, & de quibus certo creditur, quod ſint in gloria & Paradiſo conſtituti, nullatenus etiam eſt offerendum ſacrificium propitiatorium. Hæc Concluſio eſt etiam certiſſima, & ratio eius in promptu eſt, quia non ipſi indigent aliqua ſatisfactione, aut propitiatione, poteſt tamen offerri ſacrificium in ipſorum honorem ac Dei laudem. Circa quam Concluſionem, videatur Suarez loco ſupracitato, ſect. 3. vbi multis agit, qualiter pro defunctis beatis & ſanctis, offerri poſſit ſacrificium laudis, in gratiarum actionem Deo, pro beneficijs illis collatis, ex quo quidam honor reſultat eiſdem ſanctis, quod & facere videtur Eccleſia, quando dicit in Miſſa, illa verba, *vt illis* (nempe ſanctis) *proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, &c.* Videatur ſupradictus Suarez, quia multa dicit, eaque notatu digniſsima, quæ ipſe referre, et ſi vellem, per tempus non valeo, nam ad alia progrediamur oportet.

Septima Concluſio.

Pro animabꝰ purgatorij certiſsimũ eſt offerri poſſe Miſſæ ſacrificium, illiſque prodeſſe, in quantum eſt ſatisfactoriũ & impetratorium.

PRo animabus purgatorij, certiſſimum eſt offerri poſſe ac deberi, Miſſæ ſacrificium, illis q; ſpecialiter prodeſſe, in quantum eſt ſatisfactorium atque impetratorium. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in Concilio Tridentino. *ſeſſ. 22. c. 2. & can. 3.* quod & confirmat antiquiſſimus vſus, & traditio totius Eccleſiæ, & tradunt vnaniminiter omnes Doctores Scholaſtici, in 4. diſt. 45. & ratio Cõcluſionis in promptu eſt, nam ſupradictæ animæ Purgatorij, adhuc ſunt & degunt in pœnis, quæ per oblationem ſupradicti ſacrificij, quammaxime ſibi remitti poſſunt. Sed an hæc propitiatio ſit certa & infallibilis, habeatque ſuum effectum, vt dicitur ex opere operato, dicetur amplius in ſequentibus Articulis, Hæc pro nunc reſolutorie dicta ſufficiant.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum hoc Miſſæ ſacrificium, aliquem habeat effectum ex opere operato, in illis pro quibus offertur?

In Miſſæ ſacrificio, duplex effectus conſideratur, alter ex opere operantis, alter vero ex opere operato.

PRO tituli intelligentia eſt notandum, quod in ſacrificio Miſſæ, duplicem pro nunc effectum poſſumus conſiderare, quorum alter dicitur ex opere operantis, alter vero ex opere operato. Et quia hæc ſub obſcura ſunt, vt ab omnibus percipiãtur atque intelligãtur, volo illa paucis explicare & declarare. Effectus qui hac in re prouenit, aut prouenire poteſt, ex bonitate & operatione miniſtri offerentis, dicitur ex opere operantis, qui vero prouenit, nõ ex bonitate & operatione miniſtri operantis, ſed ex vi & virtute ſacrificij, in non ponentibus obicem, ille dicitur prouenire ex opere operato. De quibus multa dicuntur, à Doctoribus Scholaſticis, in ſacramentorum materia, quæ breuitatis cauſa à me prætermittuntur, nam non per tempus licet, in tot rebus immorari. Hoc igitur præſuppoſito, dico, quod hac de re fuit olim quorumdam Theologorum placitum, aſſerentium quod proprie & ſimpliciter loquendo, Miſſæ ſacrificium, nullum habet effectum ex opere operato, ſed ſolummodo ex opere operantis. Cuius opinionis fundamentum erat, quia omnis effectus ex opere operato, pendet ex aliqua Chriſti Domini promiſſione, cũ id non conueniat operi ſiue ſigno externo, ex natura ſua: ſed nulla (inquiunt) repromiſsio alicuius effectus gratiæ, in Scriptura ſacra legitur facta huic ſacrificio, quatenus ſacrificium eſt, diuerſa ab ea quæ facta eſt eidem, quatenus Sacramentum eſt, nam manducationi & potationi tantummodo carnis & ſanguinis Chriſti, facta eſt æternæ vitæ repromiſſio, vt legitur in Euangelio Ioan. 6. in illis verbis: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, idemque dicendum eſt de ſanguine, non autem eorumdem oblationi ſeu ſacrificationi: ergo huiuſmodi oblatio ſiue ſacrificium, nullum omnino habet effectum ex opere operato, ſed ſolummodo ex opere operantis. Hoc eſt huius ſententiæ, præcipuum atque totale fundamentum. Sed his non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Nota quorũdam Theologorũ opinionem circa Miſſæ ſacrificiũ.

Prima Concluſio.

Certiſsimum eſt, Miſſæ ſacrificiũ aliquem habere effectũ ex opere operato, dependentem

CErtiſſimum eſt Miſſæ ſacrificium, aliquem habere effectum ex opere operato, dependentem tamen ex diſpoſitione eius, pro quo offertur. Hæc ſententia eſt expreſſa. D. Thom. 3. p. q. 79. art. 5. & q. 82. ar. 1. & in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. & diſt. 45. q. 2. ar. 1. quæſtiun. 3. & ar. 3. quæſtiun. 1. ad. 3. & Caietani tomo 2. opuſculorum, tract. 3. q. 2. & idem

tamen ex diſpoſitione eius, pro quo huiuſmodi ſacrificium offertur.

idem tenet Scotus quodlibeto 20. & multi alij Doctores, quos refert Suarez 3. tomo ad 3. part. D. Thom. q. 83. art. 1. diſput. 79. ſect. 1. Et vt omnis tollatur æquiuocationis occaſio, dico, quod quantum attinet ad præſentem difficultatem, non eſt controuerſia, nec ad hoc propoſitum attinet, agere de cauſalitate phyſica ſiue morali ſacramentorum, de qua adeo grauis eſt lis & controuerſia, inter D. Thomam & Scotum, ſolummodo enim in præſentiarum dicimus, quod ſiue hoc vel illo modo fiat, hoc ſacrificium ex vi ſua, habet aliquem effectum ex opere operato, qui infallibiliter cõfertur in non ponentibus obicem, vltra omne meritum, impetrationem & ſatisfactionem operantis. Hoc præmiſſo atque præſupoſito, probatur modo Concluſio, primo ex cõmuni Eccleſiæ conſenſu, omnes enim perſuaſum habent, ſacrificium hoc, ex vi ſuæ inſtitutionis, habere ſingularem vim atque efficaciam, ad applicandum aliquem fructum ſatisfactionis ac redẽptionis Chriſti, iuxta id quod habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. c. 1.* vbi expreſſe dicitur. *Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc ſacrificium, vt illius, id eſt, ſacrificij crucis ſalutaris virtus, in remiſsionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*, quod & ſequenti capitulo latius docet idem Concilium: ſed hæc applicatio cum fiat ex vi inſtitutionis Chriſti, includit cauſalitatem, quæ eſt ex opere operato, ergo nullatenus id negari poteſt aut debet. Conſequentia inde patet, nam ſi ſolum virtutem haberet hoc ſacrificium, ex merito & ſatisfactione operãtis, nihil haberet ſingulare, vltra alia ſacrificia, ex vi ſuæ inſtitutionis, imo neque in hoc ſuperaret ſacrificia veteris legis, aut legis naturæ, nam etiam illa habebant, aut ſaltem habere poterant, ſimilem effectum & virtutem, operandi ex opere operantis, vel per modum impetrationis, dicendum eſt igitur, quod ineffabile hoc ſacrificium, habet ſuum peculiarem effectum, operandi ex opere operato, ſiquidem ex peculiari ſua inſtitutione, habet hanc virtutem, & vim applicandi Chriſti Domini paſſionem & redemptionem, prout dixit Concil. Triden. Secundõ eadem probatur Concluſio, nam Eccleſia ſemper intellexit, & communis doctrina ſanctorum Patrum, atque Doctorum Scholaſticorum, tenuit & tenet, fructum huius ſacrificij, non pendere ex gratia ſiue ſanctitate miniſtri offerentis, imo vero quamuis Sacerdos ſit malus, prodeſſe valde ei pro quo ab illo applicatur; ſignum igitur eſt certiſsimum, quod habet ſuum effectum & efficaciam ex opere operato, alias enim magis penderet ex iuſtitia, & opere operantis & offerentis, quam ex diſpoſitione eius, pro quo offertur vt videre licet in quolibet alio opere ſatisfactorio, quod quidem non eſt dicendum. Tertio ſic argumentor ad idem, nam omnia ſacramenta nouæ legis, habent effectum & efficaciam ex opere operato: dicendum ergo eſt, quod & hoc ſacrificium habere debet, aliquem ſimilem effectum ſibi proportionatum. Conſequentia inde patet, nam vtrũque ſpectat ad dignitatem Chriſti ipſum inſtituentis, & excellentiam nouæ legis, nec minus dignum aut perfectum cenſendum eſt hoc ſacrificiũ in ratione ſacrificij, quam ſint ſacramenta ipſa in ſuo genere, cum etiam ipſum, cum vno ſacramentorum ſit idem realiter, licet conſiderari poſit, & de facto conſideretur, & quatenus ſacramẽtum, & quatenus eſt ſacrificium. Probatur vltimo ſupradicta Concluſio, nam alias ſequeretur, oblationem huius ſacrificij, qua in hoc altiſſimo myſterio, Chriſtus Dominus offertur, non eſſe de ſe magis fructuoſam, magisque applicatiuam redẽptionis Chriſti, quam ſit oblatio interna, eiuſdem Chriſti & paſſionis ipſius, ſeu externa quam vnuſquiſque fidelis, quolibet alio opere, ſeu priuata deuotione faceret: conſequens autem eſt abſurdum & contra totius Eccleſiæ conſenſum & traditionem, omnes enim ſentiunt, prædictum ſacrificium re ipſa oblatum, habere ſpecialem efficaciam, vltra omne deſiderium operantis, & vltra interiorem actum: dicendum eſt ergo habere illam ex opere operato.

Secunda Concluſio.

Hoc Euchãriſt. ſacrificium, non habet prædictũ effectum ex opere operato niſi in quantum innititur ſacrificio Crucis Chriſti, à quo deſumit ſuam virtutem & efficaciam.

HOc Euchariſtiæ ſacrificium, non habet prædictum effectũ, & efficaciam ex opere operato, niſi in quantum innititur ſacrificio Crucis Chriſti, à quo deſumit ſuam virtutem & efficaciam. Hæc Concluſio eſt certa, & tenenda de fide, nam certiſſimum eſt, quod paſsio Chriſti, eſt vniuerſalis cauſa omnium effectuum gratiæ, ſiue per ſacramẽta, ſiue per quodcumque aliud inſtrumentum conferantur: hac enim ratione dixit D. Paulus ad Hebræos 10. *quod Chriſtus Dominus olim, vna oblatione crucis, cõſummauit cũctos in ſempiternum ſanctificatos*, quia nempe ab illa oritur omnis gratia, omnisque noſtra ſanctificatio. Eandem ob cauſam idem Paulus ad Rom. 3 inquit, *quod Deus Pater, propoſuit Chriſtum propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius*, quod etiam fatetur Concil. Trid. *ſeſſ. 22. c. 1. & 2.* vbi dicit *efficaciam huius ſacrificij affirmari, atque conſtitui ſine iniuria ſacrificij crucis Chriſti, quia inſtitutum eſt, vt per ipſum ipſius ſalutaris ſacrificij crucis Chriſti, virtus nobis applicaretur.* Vera eſt igitur ſupradicta Concluſio. Ad argumentum ſeu rationem dubitandi, contrariæ opinionis reſpondetur, quod quamuis de hoc nulla fuerit facta in Scriptura ſacra repromiſsio huic ſacrificio, ſufficit tamen vt id habeat ex ſua inſtitutione, & auctoritate Chriſti Domini, de quo eſt cõmunis conſenſus Eccleſiæ, & eunctorum ſanctorũ Patrum. Videatur hac de re ſupradictus Suarez loco ſupradicto.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium, ſit aut eſſe poſsit, fructuoſum alio modo, quam ſupradictis, nempe ex opere operato, aut ex opere operantis?

RAtio dubitandi eſt, quia nullum videtur eſſe medium, inter duos iſtos operandi modos: nam vel effectus fundatur in promiſſione Chriſti, facta ipſi

ipſi operi externo, & vt ſic eſt ex opere operato; aut vero non, ſed tantummodo innititur operantis merito, & vt ſic eſt ex opere operantis, nec alius videtur poſſibilis operandi & cauſandi modus. Vt igitur hanc difficultatem exacte reſoluamus, diſtincteque in eiuſdem elucidatione procedamus, diſtinguere prius oportet, tria quæ in hoc ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, poſſunt ac debent conſiderari. Primum eſt id quod habet hoc ſacrificium, ex vi actualis oblationis, vt eſt à proximo miniſtro offerente, nempe à Sacerdote. Secundum, id quod habet ex vi actualis oblationis, vt à principali offerente, nempe à Chriſto. Iam enim diximus ſupra, quod Chriſtus hic, eſt principalis offerens & principalis Sacerdos, & dicitur offerre, non tantum quia miniſter in perſona ipſius offert illud, aut ex vi ipſius inſtitutionis, verum etiam quia per aliquem proprium actum, actu concurrit ad ipſam oblationem. Tandem tertio in prædicto ſacrificio conſiderari poteſt, quod ipſum in ſe habet ex vi ſuæ inſtitutionis & promiſſionis Chriſti. Quibus præſuppoſitis, propoſitæ difficultati reſpondetur, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Sacerdos ſacrificiū Miſſæ offerens, cætera ſi adſint, poteſt per hanc oblationē meri ſibi de cōdigno, & ſatisfacere etiā atq; impetrare aliquid ex opere operantis.

LOquendo de Sacerdote proximo offerente, certum eſt poſſe ipſum pro ſe, per hanc oblationem mereri de condigno, & ſatisfacere etiam atque impetrare ex opere operantis, ſi ſit in gratia & cum debita diſpoſitione, & reliquis circumſtantijs, hoc ſacrificium offerat. Hæc Concluſio eſt certa & de ea nulli dubium: nam certum eſt, quod hæc oblatio & ſacrificium, eſt opus honeſtum atque virtuoſum, quinuero omnium praſtantiſsimum, ac proinde ſicut per cætera bona opera honeſta & virtuoſa, homo iuſtus poteſt promereri pro ſe, & ſatisfacere & impetrare, ita quinuero & multo melius, Sacerdos per hoc opus, cum adeo ſit excellentius & magis virtuoſum. Quod & confirmatur, nam in lege veteri & naturæ, Sacerdotes olim offerētes ſacrificia, concurrentibus cæteris circunſtantijs, merebantur de condigno, & ſatisfaciebant atque impetrabant interdum quod petebant: ergo idem ipſum poteſt etiam nunc facere Sacerdos, & eo magis quo hoc Miſſæ ſacrificium, eſt opus tanto melius atque dignius ex ſuo obiecto. Aduertendum tamen eſt, quod effectum meriti de condigno, non habet ſed neque habere poteſt, extra ipſum operantem, cum non poſſit alijs communicari, requirit enim hoc vt ſupradiximus gratiam capitis, poteſt tamen communicari effectus impetrationis & ſatisfactionis, atque pro alijs offerri, nam quoad hæc eadem eſt ratio de hac oblatione conſiderata vt eſt opus operantis, & de alijs operibus meritorijs, ſatisfactorijs atque impetratorijs.

Effectus meriti de cōdigno nō poteſt alijs applicari niſi ab habēte gratiā capitis, bene tamē effectus impetrationis; & ſatisfactionis.

Secunda concluſio.

Loquendo de Chriſto Domino, principali offerente, & de hac oblatione & ſacrificio, prout eſt ab ipſo, certum eſt etiam, quod modo non eſt actu de nouo meritorum & ſatisfactorium, ex opere operantis Chriſti, prout nunc.

LOquendo de Chriſto Domino principali offerente, & de hac oblatione & ſacrificio, prout eſt ab ipſo, certum eſt etiam, quod modo non eſt actu de nouo meritorum & ſatisfactorium, ex opere operantis Chriſti, prout nunc. Hæc etiam Concluſio eſt certa & manifeſta, & probatur, nam Chriſtus Dominus, iam non eſt in ſtatu merendi aut ſatisfaciendi vt de ſe patet, & tenet communis ſententia, & tradit latiſsime D. Thom. 3. p. q. 19. per plures articulos, & Doctores ibidem, vnde ſupra dicta oblatio, ſub hac ratione & conſideratione, nullum nunc poteſt habere effectum, per modum meriti & ſatisfactionis de condigno, quamuis habere poſſit effectum, per modum impetrationis. Licet enim Chriſtus Dominus, vt inquit prædictus D. Thom. 3. p. q. 21. nunc non ſit in ſtatu merendi & ſatisfaciendi, eſt tamen in ſtatu orandi atque impetrandi. Vnde quando hoc ſacrificium actu offert, pie credendum eſt quod Chriſtus ipſe, ſpecialiter impetrat aliquid pro nobis, eo modo & ea efficacia, qua id facit in cælo pro nobis orando, qui impetrandi effectus proprie loquendo, non pertinet ad opus operatum, cum non pendeat ex actuali aliqua promiſſione (vt ſupra diximus) ſed dici poteſt pertinere ad opus operantis Chriſti. Solum modo nunc ſupereſt inueſtigare, id quod habet hoc ſacrificium, ex vi ſuæ inſtitutionis & promiſſionis Chriſti, de quo ſit tertia Concluſio.

debac oblatione & ſacrificio, prout eſt ab ipſo, certū eſt, quod non eſt actu & de nouo meritorium & ſatisfactorium, ex opere operantis Chriſti, prout nunc.

Tertia Concluſio.

Miſſæ ſacrificium ex vi ſuæ inſtitutionis, & promiſſionis Chriſti, operatur ex opere operato iuſtiſſimum meritum et rigoroſam ſatisfactionē ipſius, in remiſſionem noſtrorū peccatorum.

HOc Miſſæ ſacroſanctū ſacrificium, ex vi ſuæ inſtitutionis & promiſſionis Chriſti, habet operari ex opere operato, iuſtiſſimum meritum & rigoroſam ſatisfactionem ipſius, in remiſſionem noſtrorum peccatorum. Hæc Concluſio eſt certa, ſed plenius explicabitur atque declarabitur inferius, quando in ſpeciali dicemus, quem habeat effectum hoc ſacrificium ex opere operato. Nunc reſtat difficultas, vtrum præter ſupradictos operandi modos, ex opere operato & ex opere operantis, hoc ſacrificium eſſe poſſit, alio modo fructuoſum ijs, pro quibus offertur, vel qui ipſum offerunt. Quæ eſt difficultas propoſita, in præſenti Articulo, de qua ſit quarta Concluſio.

Quarta Concluſio.

Præter ſupradictos effectus habet hoc ſacrificiū, ex vi ſuæ inſtitutionis et vt offertur in perſona Chriſti, ſpeciales alios, ad impetrandum ea, pro quibus obtinendis offertur.

HOc ſacrificium, præter ſupradictos effectus, operandi ex opere operantis & ex opere operato, ex vi ſuæ inſtitutionis & vt offertur in perſona Chriſti, habet ſuum ſpecialem valorem & vim, ad impetrandū eos effectus, pro quibus obtinendis offertur. Hæc Concluſio eſt certa, omniumque Doctorum communis, de qua vidēdus eſt Suarez. 3. tom. ad 3. par. D. Tho. q. 85. ar. 1. diſp. 79. ſect. 2. *ibi, dico primo*, vbi dicit plura ad hoc propoſitum notatu digniſſima, ſed ſpecialiter quod quamuis intelligamus, proximum miniſtrum ſiue Sacerdotem eſſe indignum, atque ex hoc capite oblationem eius non habere aliquem valorem, adhuc tamen debemus intelligere, ſacrificium ipſum ex vi ſuæ inſtitutionis, à qua habet vt in perſona Chriſti offeratur, retinere valorem ſuum & ſuam vim, ad impetrandum illud pro quo offertur, quia ſemper offertur in perſona Chriſti Domini, & iſte offerendi modus, eſt diſtinctus ab operatione miniſtri, & ab actuali oblatione interiori, quam Chriſtus pro nobis intercedendo, etiā exercet in cœlis

Quali-

Nota Lector vel de pro excellentia huius veneradi ſacrificij.

Qualiter iſte operandi modus, ſit diſtinctus ab illo, quem habet hoc ſacrificium, operandi ex opere operato, multis tradit & probat ſupradictus Suarez loco ſupracitato, afferendo quatuor huiuſce rei differentias, quas ipſe lubens referrem, ſed quia non licet per tempus, ipſas breuitatis gratia facio miſſas: maiore enim requirebant diſputationem: ſi placuerit poterunt videri ibidem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc Euchariſtiæ ſacrificium, conferat primam gratiam, & remiſſionem culpæ mortalis, per ſe atque ex ſua primaria inſtitutione, ſeu quod dicitur, ex opere operato?

VCuſque egimus in generali, de varijs operandi modis, huius admirabilis atque venerandi ſacrificij, nunc ſuper eſt, vt in particulari dicamus, explicemusque effectus, quos cauſat hoc vel illo modo, inter quos cum primus atque præcipuus ſit, ſeu eſſe poſſit, infuſio primæ gratiæ, & remiſſio mortalis culpæ, merito quæritur in præſenti Articulo, Vtrum hunc effectum per ſe cauſet, atque ex ſua primaria inſtitutione? Qua de re ſunt duæ extremæ opiniones.

Duæ ſunt hac de re opiniones.

Prima opin.

Prima opinio eſt afferentium, hoc ſacrificium immediate & per ſe, ratione rei oblatæ, conferre primam gratiam & remiſſionem mortalis culpæ, ex opere operato, faciendo hominem ex attrito contritum, non quidem per mutationem actus attritionis, in actum contritionis (id enim haud quaquam fieri poteſt, vt tenet verior, quinuero & communis doctrina) ſed per infuſionem gratiæ habitualis, qua attritio ipſa formatur, ſicut fit per baptiſmum & pœnitentiam. Itaque ſecundum hanc opinionem, ſi Sacerdos offerat ſacrificium Miſſæ, pro aliquo peccatore, & contingat in eodem inſtanti, in quo ſacrificium perficitur, illum peccatorem eſſe attritum, non vero contritum, ex vi talis ſacrificij, dabitur ei in eodem inſtanti, gratia habitualis, qua efficiatur contritus, ſiue intelligatur dari phyſice, per ſacrificationem ipſam, vel per terminum eiuſdem ſacrificationis, qui eſt Chriſtus, ſub ſpecibus oblatus, ſiue vero ſolum moraliter (infallibili tamen conſecutione) quia nimirum per modum ſacrificij, ita reddit Deum nobis placabilem, vt nos ſtatim in ſuam gratiam atque amicitiam recipiat. Hæc opinio, ſic explicata, tribuitur Gabrieli, ſuper can. lect. 57. & comprobatur ab aliquibus Doctoribus, innumeris Sanctorum & Conciliorum auctoritatibus, quas affert Suarez loco ſupracitato, ſectione 3.

Secunda opin.

Alia eſt opinio aliorum, in alio extremo contraria, afferentium, hoc ſacrificium nullo modo poſſe conferre primam gratiam, vel remiſſionem culpæ mortalis (vt dicitur) ex opere operato. Hanc opinionem tenet Cano. lib. 12. de locis, cap. 13. ad nonum, & multi alij Doctores, quos refert ſupradictus Suarez, quorum fundamentum eſt, nam hoc ſacrificium non habet effectum, niſi in homine iam iuſto, vt ſatis inſinuat Concilium Tridentinum, & multi ſancti Patres: ergo non poteſt conferre primam gratiam, ſaltem per ſe & ex ſua inſtitutione, quia non poteſt conferre effectum, quem neceſſario debet præſupponere, vt poſſit operari, vt conſtat in Sacramentis quæ dicuntur, viuorum. Diximus autem, per ſe & ex directa ſua inſtitutione, nam vtrum ſaltem per accidens, id poſſet efficere, & an poſſit hoc ſacrificium virtute ſua, conferre augmentum gratiæ, inferius tractabitur. In hac igitur adeo graui & controuerſa quæſtione & difficultate, mallem aliorum expectare ſententiam, quam propriam meam ſtatuere: breuiter tamen & reſolutiue, quod verius atque tenendum videtur, explicabitur per ſequentes aſſertiones.

Prima Concluſio.

Non poteſt negari, quod ſacrificium Miſſæ vim habeat ad obtinendam nobis à Deo remiſſionem peccatorũ, etiam mortaliũ & quoad culpam, & cõſequẽter gratiæ primæ infuſionem.

NOn poteſt negari, quod hoc ineffabile Miſſæ ſacrificium, vim habeat ad obtinendam nobis à Deo, remiſſionem peccatorum etiam mortaliũ, quoad culpam, & conſequenter gratiæ primæ infuſionem. Hæc Concluſio eſt conformis ſupradictæ primæ opinioni, & ſolummodo differt ab ea, pene hoc, quod Auctores primæ opinionis, dicunt id fieri, virtute prædicti ſacrificij, ex opere operato atque infallibiliter, quod quidem non dicimus nos in præſenti aſſertione, imo in ſequenti id expreſſe negabimus, vt cõſtabit inferius. Quid quid tamen de hoc ſit, pro ſupra poſita Concluſione, faciunt innumera ſanctorum Patrum atque Conciliorum teſtimonia, afferentia & dicentia, valere hoc ſacrificium ad remiſſionem peccatorum, & ad gratiam conſequendam, quæ quoniam ſunt peruia, in præſentiarum non libuit eadem referre, neque enim eſt locus, vbi liber hic tot ac tanta capere poſſit, qui illa videre voluerit, conſulat ſupradictum Suarez, loco ſupracitato. Vnum autem Concilij Tridentini locum inter alia præcipuum, hac de re viſum eſt non omittere, vt pro multis deſeruiat, & habetur, *ſeſſ. 22. c. 2.* vbi dum de effectu huius venerabilis ſacrificij, loquitur Concilium, poſt multa alia ponuntur ſequentia verba: *Huius quippe ſacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Quibus verbis multa ſimilia loca, apud ſanctos Patres, paſſim licebit reperire: Ex quibus conſtat, prædictum ſacrificium habere eiuſmodi effectũ, remiſſionis peccatorum quoad culpam, & conſequenter primæ gratiæ infuſionẽ. Neque Doctores ſecundæ opinionis, vt credo, hoc in vniuerſali ſic dictum, vllo pacto negant, ſed neque negare poſſunt, ſalua fide & abſque erroris periculo. Et quando illud negare videntur, loquũtur de effectu ex opere operato, vt communiter dicitur, in quo ſenſu recte loquuntur, noſque eis aſſentimur, de quo ſit ſecunda Concluſio.

(* *)

*

Supra

Secunda Concluſio.

Supradictũ ſacrificium, non confert per ſe atque ex directa ſua inſtitutione, et vt dicitur ex opere operato, primam gratiã, vel peccati mortalis remiſsionem.

SVpradictum Miſſæ ſacrificium, non confert per ſe atque ex directa ſua inſtitutione, & vt dicitur ex opere operato, prædictam primam gratiam vel peccati mortalis remiſsionem. Hæc concluſio eſt conformis, ſecundæ ſupradictæ opinioni, quam quidam veram adeo eſſe credunt, vt dicant contrarium omnino, ſe nullo modo audere affirmare. Fundamentum huius Concluſionis eſt, nam hic effectus ex opere operato, non poteſt colligi ex ſola rei natura, etiam ſuppoſita ſubſtantiali huius ſacrificij inſtitutione, quinuero ad id neceſſaria eſt peculiaris lex, & Chriſti repromiſſio: ſed hæc nullibi in Scriptura ſacra reperitur, nec vero affirmari poteſt cum ſufficienti fundamento: ergo non id eſt dicendum. Et confirmatur, nam de rebus ſupernaturalibus atque diuinis myſterijs, quæ ex ſola Dei voluntate pendent, nihil eſt temere affirmandum, neque ſine ſufficienti fundamento; ratione & autoritate dicendum, & niſi Scripturæ ſacræ & principijs reuelatis ſit valde conſentaneum, ſed neque in ſacra Scriptura, neque in ſanctis Patribus, vlla fit vnquam mentio operis operati, aut talis operandi modi, neque habetur vnde id ſufficienter poſſit colligi: ergo non eſt temere id affirmandum. Conſequentia patet. Minorem autem ſic probo, nam in ſancto Euangelio (vt iam ſupra diximus) comedentibus, & bibentibus tantummodo, carnem & ſanguinem Chriſti, vita æterna eſt repromiſſa, in illis verbis Ioan. 6. *Qui mã ducat meam carnem, viuet in æternum*, &c. idemq. eſt iudicium de ſanguine, non autem ijs pro quibus offertur, hoc venerabile ſacrificium, certo & infallibiliter. Nec Concilia aut ſancti Patres alicubi loquuntur de eiuſmodi effectu, cauſato ex opere operato, aut dicunt gratiam per hoc ſacrificium ex opere operato ſic dari, ſine contritione & ſufficienti diſpoſitione operantis, ſed ad ſummum indicãt, ipſam diſpoſitionem per hoc ſacrificium à Deo poſſe impetrari & concedi: ergo nihil amplius eſt dicendum. Eo vel maxime, quia ex contraria ſententia & poſitione, innumera ſequerentur, eaque grauiſſima inconuenientia. Primo ſequeretur, Sacerdotem conſecrantem in peccato mortali, poſſe iuſtificari per ſolam conſecrationem, dummodo in ea actualiter non peccet & attritus ſit, quinuero licite poſſe accedere, Sacerdotem ad ſacrificandum pro ſe, cum ſola attritione ſcita & cognita, poſtquam ſic faciendo, accederet ad remedium per ſe inſtitutum & ordinatum, ad tollendum peccatum ex opere operato, per quod ſtatim inſtificabitur, & ſic iam iuſtificatus, poterit etiam licite ſumere Sacramentum cum eadem attritione, facta iam contritione per infuſionem gratiæ, quæ omnia non videntur dicenda. Præterea ſequeretur, aliquem peccatorem, exiſtentem in peccato mortali, qui prius attritionem habuit, ipſo nihil amplius de ſe atque de ſua ſalute ſiue emendatione cogitante iuſtificari poſſe, ſolummodo ex eo quod alius pro eo Miſſam dicat. Hæc & multa alia ingentia ſequuntur inconuenientia, ex hoc quod affirmetur & ſuſtineatur, prædictum Miſſæ ſacrificium, ex opere operato gratiam conferre, & remiſſionem peccatorum. Quæ cum ſint omnia abſurda & à communi ſenſu Eccleſiæ aliena, nullatenus ſunt concedenda, & conſequenter neque id eſt dicendum. De his inconuenientibus videatur Suarez vbi ſupra, vbi ad hoc propoſitum plura dicit eaque notatu digniſſima.

Tertia Concluſio.

Supradictum Miſſæ ſacrificium, valet ad impetrandam primam gratiam, & remiſſionẽ peccatorũ, impetrando ad id ſufficientẽ diſpoſitionem.

SVpradictum Miſſæ ſacrificium, recte valet ad impetrandam primam gratiam, & remiſſionem peccati mortalis, impetrando & obtinendo à Deo ad hunc effectum ſufficientem diſpoſitionem. Hæc Concluſio eſt communis doctrina omnium Theologorum, & eſſe videtur communis ſenſus ſanctorum Patrum qui hac de re loquuntur. In hoc etiam ſenſu eſt intelligendum, ſupracitatum Concilium Tridentinum, quando dixit, *quod hac Dominus oblatione placatus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia nobis dimittit.* Et probatur Concluſio, à ſufficienti partium enumeratione, nam negari non poteſt, ſupra dictum ſacrificium, efficere prædictum effectum, vt diximus in prima Concluſione, tenendũ eſſe de fide: ſed non id infacit ex opere operato, vt dictũ eſt in ſecunda: ergo facit illud per modum impetrationis, vt poſitum eſt in tertia. Conſequentia inde patet, à ſufficienti partium enumeratione, quia non eſt alius cauſandi modus præter illos. Sed an iſte impetradi modus, fiat immediate vel mediate: eſt difficultas inter Doctores, de qua ſtatuitur quarta & vltima Concluſio.

Quarta Concluſio.

Hoc ſacrificiũ nõ valet etiã per modũ impetrationis ad conferendam gratiam & remiſſionẽ peccatorũ immediate, homini exiſtẽti in peccato mortali, & per ſolam attritionẽ diſpoſito.

HOc ſacrificium non valet, etiam per modum impetrationis, ad conferendam vel obtinendam primam gratiam, & remiſſionem peccatorum immediate, homini exiſtenti in peccato mortali, & per ſolam attritionem diſpoſito. Volo dicere, quod ſine media contritione aut confeſſione, hoc ſacrificium inmediate, non operatur ſupradictum effectum, ita vt perſeuerãte ſola attritione, infundatur alicui gratia, abſque aliquo ſacramento realiter ſuſcepto. Hæc Concluſio probatur, nam id dicere & affirmare, eſt præter communem legem ordinariam à Deo inſtitutam, & contra id quod habet communis ſanctorum Patrum doctrina. Deus enim neminem ſtatuit iuſtificare, niſi per baptiſmum reſpectu peccatorum antea commiſſorum, aut per pœnitentiam vel abſolutionem, reſpectu eorum quæ poſtea ſunt commiſſa, & hoc in re ſuſcepta aut in voto vt per contritionem: ergo contrarium dicere eſt prorſus ſine fundamento. Dicendũ eſt igitur, hoc quod ſacrificiũ, eſt quidem potens impetrare nobis primam gratiam, atque remiſſionem peccatorum, non tamen immediate ſed mediate, impetrando & obtinendo ad hunc effectũ, ſufficiẽtem diſpoſitionem, neque id parui eſt momẽti, ſed plurimũ æſtimandũ. Hæc ſententia ſic explicata & declarata, eſt expreſſa D. Thom. in 4. diſt. 12. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiunc.

ſtiuncula 2. ad 4. vbi ad hoc propoſitum dicit, Euchariſtiam, in quantum eſt Sacramentum, habere effectum in omni viuente, in quo requirit vitam præexiſtere, ſed inquantum eſt ſacrificium, habere effectum, etiam in alijs pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantum. Vnde ſi eos diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet, & per cõſequens peccata mortalia eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed inquantum gratiam cõtritionis eis impetrat. Verba ſunt D. Tho. vbi ſupra. Sed qualis ſit etiam hæc impetratio, certa & infallibilis, ita vt dici poſſit ex opere operato, an vero non ita certa & infallibilis, quæſtio & controuerſia eſt inter Scholaſticos Doctores, quam difficultatem, vt potius ad Scholas, quam ad mores pertinentem, breuitatis gratia in præſentiarum facio miſſam, videatur ſupradictus Suarez vbi ſupra.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Euchariſtia, ſiue Miſſæ ſacrificium, ex opere operato & per ſe, cõferat ad habitualis gratiæ augmentu?

Sententia & opinio quorundam.

DE re hac duæ ſunt Doctorum opiniones. Prima eſt aſſerentium, ſacrificium hoc, oblatum pro homine iuſto, conferre illi ex vi ſua, aliquod habitualis gratiæ augmentum, non quidem ratione alicuius actus meritorij, qui in illo excitetur, hoc enim (inquiunt) neque contingit, neque affirmari poteſt, cum ſufficienti fundamento, ſed immediate & per ſe. Huius opinionis fundamentum eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ, per ſe confert augmentum gratiæ: ergo & ſacrificium ipſum Euchariſtiæ. Cõſequentia inde patet: nam hoc ſacrificium, in ſuo eſſe eſt tam perfectum, atque in ratione ſacrificij magis intentum, quam in ratione Sacramenti. Cõſequenter dicunt, huius opinionis Doctores, quod quamuis hoc ſacrificium, per ſe non ſit inſtitutum ad dandam primam gratiam & remiſsionem peccatorum ex opere operato, per accidens tamen, poteſt hunc effectum efficere & cauſare, interueniẽte bona fide, & remoto obice per attritionem: nã iuxta communem Theologorum opinionem, quid quid confert augmentum gratiæ ex opere operato, conferre etiam poteſt (ſaltem per accidens) primam gratiam & remiſsionem peccatorum, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, & in omnibus alijs Sacramentis, quæ dicuntur viuorum, ergo idem erit in hoc ſacrificio. Sed his non obſtantibus, contraria ſententia eſt verior, de qua ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

Miſſæ ſacrificium, nõ confert etiã augmentum gratiæ, ex opere operato.

MIſſæ ſacrificium, non confert etiam augmentum gratiæ, ex opere operato. Probatur hæc concluſio: nam vt ſæpius ſupra iam diximus, omnis effectus ex opere operato, fundatur in aliqua Chriſti promiſsione, qua id ſtatuit atque repromiſit: ſed in tota pagina noui teſtamenti, nulla talis repromiſsio facta legitur huic ſacrificio, vt ſacrificium eſt, nec reſpectu gratiæ, vt in præcedenti articulo diximus, nec vero reſpectu augmenti ipſius ex opere operato, nec tale verbum in Concilijs, aut apud antiquos Patres reperitur: ergo id non eſt dicendum, nec affirmandum, ſine ſufficienti fundamento. Plures etiam rationes ad hoc probandum, affert iam ſæpe citatus Suarez 3. tomo, ad 3. part. D. Thom. quæſt. 83. art. 1. diſputatione 79. ſectione 4. ibi videantur, cum non ſicuti voluiſſemus, in ijs omnibus immorari liceat.

Secunda Concluſio.

Per ſupradictum ſacrificium, nõ etiã poteſt cõferri prima gratia ſeu remiſsio peccatorũ, etiam per accidens, ex opere operato.

PEr ſupradictum ſacrificium, non etiam poteſt conferri prima gratia, ſeu remiſsio peccatorũ, etiam per accidens ex opere operato. Hæc etiam concluſio probatur: nam quod non poteſt per ſe conferre ex opere operato augmentum gratiæ, non etiam poteſt eodem modo, etiam per accidẽs dare primam gratiam, nec remiſsionem peccatorum: ſed hoc ſacrificium (vt dictum eſt in præcedenti concluſione) non poteſt per ſe, ex opere operato, conferre augmentum gratiæ: ergo nec primam gratiam & remiſsionem peccatorum per accidens, cum non ſit ad id inſtitutum, nec de hoc aliqua habeatur Chriſti repromiſsio. Poteſt tamẽ vtrumque effectum conferre, per modum impetrationis, impetrando nobis ſufficientem diſpoſitionem ad ipſos, vt dictum eſt in præcedenti articulo, de quo etiam latius videatur ſupradictus Suarez loco ſupra citato.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Miſſæ ſacrificium, remittat peccata venialia, ex opere operato?

IN præſenti articulo, loquimur de culpa peccati venialis, ſeu peccatorum venialium, non autem de pœna: nam de pœna correſpondente venialibus & etiã mortalibus, in ſequenti articulo eſt dicendum. Et agendo modo de culpa, vt ſeparentur certa ab incertis. Dico in primis certiſsimum eſſe, quod hoc ſacrificium, quantum ad culpam peccatorum venialium, ad minus habet totam efficaciam, & omnes illos operandi effectus impetratorios, quos habere diximus, ad remiſsionem peccatorum mortalium: nam ſi hoc ſacrificium, propter ſuam maximam efficaciam atque dignitatem, potens eſt ad impetrandum peccatori auxilium, quo conuertatur & liberetur à mortalibus: multo ergo magis & melius, potens erit ad impetrandum iuſto, remiſsionem peccatorum venialium, de quo non eſt dubium, & conſtat ex doctrina Sanctorum, qui citantur *in cap. vtrum ſub figura, & cap. iteratur, capit. quid ſit ſanguis, de conſecratione, diſt. 2.* vbi ad hoc propoſitum dicitur, quod hoc ſacrificium, *offertur in remiſsionem noſtrorum peccatorum, & quod quotidie offertur, quia quotidie peccamus.* Quod intelligendum eſt, de peccatis venialibus, de quo etiam intelligendum venit Concil. Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 1.* vbi habetur, *per hoc ſacrificium applicari nobis virtutem*

paſsionis Chriſti, in remiſsionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, vbi dum ponitur verbum, *quotidie*, clare datur intelligi, quod ſit ſermo de peccatis venialibus, vt ſcilicet eorum remiſſionem & veniam conſequamur. Hoc eſt itaque certum. Solummodo eſt ergo difficultas, an id fiat (vt dicitur) ex opere operato, ita quod ex promiſſione Chriſti, aliquid amplius habeat hoc ſacrificium, ad remiſſionem peccatorum venialium, quã mortalium, & an Miſſæ ſacrificium pro me (verbi gratia) oblatum, me etiam nihil cogitante & ſciente, abſque vllo actu meo, quo ego formaliter aut virtualiter culpas veniales deteſter, ſed ſolummodo non ponendo obicem, actualis ſeu virtualis complacẽtię, ex opere operato & per ſe illas remittat.

Duæ ſunt hac de re opiniones.

Hac de re ſunt duæ extremæ opiniones. Prima opinio aſſerit, hoc ſacrificium, delere peccata venialia, quantum ad culpam ex opere operato.

Secunda opinio negat, & dicit hoc ſacrificium, non remittere culpas etiam veniales, immediate & per ſe, ſed mediante actu ſuſcipientis. Vtriuſq; opinionis fundamẽta, latè refert ſupradictus Suarez, ſed ego, quod hac in re melius atque probabilius videbitur, explicabo per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Miſſæ ſacrificium, non remittit culpas peccatorũ venialium, per ſe ac ex opere operato, et ſine ſpeciali actu ſuſcipiẽtis.

MIſſæ ſacrificium, non remittit culpam etiam peccatorum venialium per ſe & ex opere operato, ſine ſpeciali actu ſuſcipientis. Probatur hæc concluſio: nam licet remiſſio pœnæ fieri poſſit, per ſolam extrinſecam condonationem, non tamen remiſſio culpæ etiam venialis, & ſine infuſione alicuius doni habitualis ſeu actualis, quo tollatur illa macula, quam peccatum veniale in anima delinquentis relinquit, & quæ rationẽ habet culpæ habitualis. Non enim poteſt fieri homo ex malo bonus, aut ex aliqualiter peccatore, non peccator, ſine aliqua ſui mutatione actuali ſeu habituali: ſed hoc ſacrificium per ſe, non efficit in homine pro quo applicatur, talem mutationem ex opere operato, nec aliquod habituale donum illi infundit: ergo neque remittit aut delet per ſe, & immediate culpam peccati venialis. Relinquitur ergo, vt id fiat ſolum per impetrationem, obtinendo & impetrando ad prædictum effectum, congruam & ſufficientem diſpoſitionem, idque frequentius atque facilius, cum ſubiectum ſupponatur gratum, magiſque diſpoſitum, iuxta differentiam, quæ eſt inter peccatum mortale & veniale.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Miſſæ ſacrificium, ex opere operato, valeat ad remiſsionem pœnæ, correſpondentis peccatis mortalibus, ſeu venialibus?

Concluſio.

Hoc Miſſæ ſacrificium, ex directa inſtitutione ſua,

HOc Miſſæ ſacrificium ex directa inſtitutione ſua, habet vim ſatisfactiuam, & valet ad remittendam ex opere operato, aliquam pœnam temporalem, debitam pro peccatis mortalibus ſiue venialibus. Hæc concluſio eſt expreſſa ſententia D. Thom. 3. parte quæſt. 79. art. 5. & conſtat ſatis ex ſupradictis, vt dicitur à ſufficiẽti partium enumeratione. Nam hoc Miſſæ ſacrificium, habet aliquem effectum ex opere operato, vt luculenter oſtendimus in ſexto articulo, & hic effectus non eſt collatio alicuius doni actualis ſiue habitualis, vt dictum eſt in articulo octauo: ergo debet eſſe ablatio alicuius mali: ſed non culpæ, vt etiam dictum eſt ibidem: ergo pœnæ ex culpa derelictæ, quod eſt intentum. Qui quidem effectus quammaxime eſt accommodatus prouidentiæ, quam Chriſtus Dominus habuit de omnibus rebus. Nullum enim Sacramentum per ſe primo, inſtitutum eſt à Chriſto Domino, ad hunc peculiarem effectum, ſcilicet remiſſionem pœnæ. Nam licet per baptiſmum tollatur pœna, illud tamen eſt, quaſi conſequenter, quatenus eſt culpæ annexa, nec illa eſt pœna debita peccatis commiſſis poſt baptiſmum, ſed ante baptiſmum. Præterea pœnitentiæ ſacramentum, quamuis per ſe auferat pœnam æternam, non tamen omnem temporalem, ſed commutat æternam in temporalem, maiorem vel minorem, iuxta maiorẽ vel minorem ſuſcipientis diſpoſitionem, iuxta communem omnium ſententiam. Quod ſi interdum omnem remittit, id eſt, propter perfectam diſpoſitionem, & non quia directe ſit inſtitutum, ad tollẽdum omnem reatum pœnæ. Reliqua etiam ſacramenta ſuos habent proprios effectus, & particulares fines, præter remiſſionem pœnæ. Decuit ergo ac fuit quammaxime conſonum prouidentiæ, quã Chriſtus Dominus habuit de hominibus, & dilecta ſua Eccleſia, vt ad hũc particularem effectum, remiſſionẽ ſcilicet pœnæ relictæ ex peccatis mortalibus ſiue venialibus, aliquod eſſet in Eccleſia inſtitutum remedium, in idq; directe ordinatum, & hoc quidem eſt Miſſæ ſacrificium, quod ſemper aliquam pœnæ partem remittit, ex opere operato. Vnde ſicut hoc ſacrificium, ſemper eſt impetratorium, ob dignitatem Chriſti offerentis, independenter à ſanctitate miniſtri, ſiue Sacerdotis proximè offerentis, vt dictum eſt, ita etiam ſemper eſt ſatisfactorium, ob applicationem ſatisfactionis Chriſti ex opere operato, & independenter à ſanctitate miniſtri. Et præter hunc effectum, quod habet ex opere operato ad remiſſionem pœnæ, habet etiam per modum impetrationis hoc idem ſacrificium, poſſe cõferre etiam vlterius ad alicuius pœnæ remiſſionem. Quod ſic eſt intelligendum, quod licet per hoc ſacrificium, vt dictum eſt, ex opere operato pœna remittatur, at non ſemper tota, ſed pauca quædam, pro vniuſcuiuſque deuotione & diſpoſitione: ille ergo reatus pœnæ aut pœnarum, quæ remanent poſt prædictum effectum ex opere operato, remitti etiam poſſunt per ſupradictum ſacrificium, per modum impetrationis. Nam per hoc quod contulit illum effectum ex opere operato, non amiſit ſuam vim quam habebat, ad operandum eumdem effectum, reſpectu pœnę, quę remanſit, quæ omnia ſunt quam maxima conſolatione plena. Videatur hac de re Suarez vbi ſupra, quæſt. 83. art. 1. diſputat.

habet vim ſatisfactiuã, & valet ad remittendam ex opere operato, aliquã pœnam temporalem, debitam pro peccatis mortalibus ſiue venialibus

79. ſectione 6.

(*)

ART.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm hoc Missæ sacrificium, valeat etiam quoad bona temporalia, & quomodo?

HActenus dictum est de bonis spiritualibus, pro quibus valere potest hoc Missæ sacrificium, superest vt agamus modo, de bonis temporalibus, & inuestigemus an etiam bona temporalia, per ipsum ex opere operato conferantur? Nam certum est quod bona temporalia, non sunt extra latitudinem eorum effectuum, quæ per Christum ex opere operato conferri possunt, cum videamus (Ecclesia illud attestante) quod salus corporis, ægrotis & infirmis, per sacramentum extremæ vnctionis, ex opere operato conferatur. In hac re quod tenendum est, breuiter explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Certum est, quod bona tẽporalia, aliquo modo esse possunt, effectus huius sacrificij.

CErtum est quod bona etiam temporalia, aliquo modo esse possunt, effectus huius altissimi sacrificij. Probatur hæc conclusio: nam certum est quod omne bonum, pro quo obtinendo hoc Missę sacrificium offertur, potest esse aliquo modo effectus ipsius, alias enim inutiliter atque imprudenter, offerretur in eum finem: sed Ecclesia semper consueuit offerre hoc sacrificium, etiam pro temporalibus bonis obtinendis, vt constat ex antiquis Liturgijs, & ex communi Missæ ritu, quem nunc seruat Romana Ecclesia in dicendis Missis, vbi inter alia dicimus, quod offerimus ipsum, *pro nostra, & totius mundi salute*, quin vero & in Missali, sunt Missæ institutæ pro salute, & pro pace communi, pro terræ fructibus, & pro alijs occurrentibus necessitatibus: ergo huiusmodi bona, bene esse possunt effectus altissimi huius sacrificij.

Secunda Conclusio.

Supradict. sacrificium, nõ præstat dicta bona ex opere operato, sed tantũ per modũ impetrationis.

SVpradictum Missæ sacrificium, non præstat dicta bona ex opere operato, sed tantum per modum impetrationis. Hæc conclusio satis constat ex supradictis: nam vt sæpe diximus, effectus ex opere operato, fundatur in speciali Christi pro missione, siue institutione huius sacrificij in eum finem: sed in Scriptura sacra, neque alibi, nulla talis habetur: ergo intentum. Sed quod valeat per modum impetrationis, perspicuum est: nam si vt dicit Diuus Thomas 2.2. quæstione 83. articulo 15. & 16. & tenet communis Theologorum schola, impetratio orationis etiam se extendit ad bona temporalia, multo ergo melius & magis, impetratio huius sacrificij in idipsum valebit, cum in eo multæ contineantur orationes, & omnis iusta oratio, iuste possit hoc sacramento iuuari. Neque contra dignitatem altissimi huius sacrificij, & personæ infinitæ in eo oblatæ est, vt temporalia bona per ipsum etiam petantur, cum id fiat, fierique debeat, non primario, sed secundario.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm prædictum sacrificium, habeat aliquem effectum, ex opere operato, in omnibus offerentibus ipsum?

POstquam egimus in communi, atq; etiã in particulari, de effectibus huius altissimi sacrificij, ac de modis quibus per ipsum conferuntur, aut conferri possunt, superest vt declaremus nunc, quibus personis conferat seu tribuat huiusmodi fructum. Pro cuius intelligentia præmitto, quod personæ, quibus prodesse potest, sunt aut saltem esse possunt, in duplici differentia, quidam enim sunt offerentes, alij vero pro quibus hoc sacrificiũ offertur. Licet enim interdum, vna eademque persona, esse possit offerens & pro qua sacrificium offertur, possunt tamẽ ad inuicem personaliter separari, istæ duæ rationes. Nam potest esse offerens & nullo modo pro se offerre, sed totum sacrificij sui fructum alteri applicare, & è conuerso potest contingere, quod nullo modo quis offerat, nec sacrificio interfit, & tamen totaliter pro ipso offeratur. De quibus omnibus casibus in particulari, oportet in præsentiarũ agere & disputare: at in præsenti articulo agemus solummodo, de offerentibus hoc sacrificium, in sequenti vero de illis, pro quibus offertur. Quæritur ergo nunc, quis fructus correspondeat, huiusmodi sacrificio, & offerentibus ipsum ex opere operato. Pro quo distinguere oportet offerentes, qui vt in superioribus diximus, ad quatuor capita reducuntur, seu reduci possunt. Nam primus offerens est Christus Dominus. Secundus dici potest Ecclesia, cuius etiã nomine offertur, sub qua etiã comprehenduntur aliquo modo omnia eius membra. Tertius offerens est Sacerdos ipse, qui vt minister atque in persona Christi offert illud. In quarto ordine sunt omnes alij, qui specialiter cum ipso Sacerdote concurrunt, ad idem sacrificium offerendum. De quibus omnibus quid sit dicendum, explicabitur breuiter, per sequentes cõclusiones.

Prima Conclusio.

Quid correspondeat oblationi huius sacrificij, consideratæ vt est oblatio Christi existẽtis in cœlo actualis et personalis.

OBlationi huius sacrificij, consideratæ vt est oblatio Christi existẽtis in cœlo, actualis & personalis, & per proprium actũ internum ipsius, cõsideratæ etiam vt distincta, ab oblatione quæ per Sacerdotem fit, repræsentando personam eiusdem Christi, hoc modo quamuis illa actio impetratiua sit, sicut & Christi oratio existentis in cœlo, etiam impetratiua est, non tamen illi correspondet aliquis fructus ex opere operato. Probatur, nam illa oblatio Christi vt sic, non est nunc de nouo satisfactoria, nec meritoria, cum Christus Dominus nũc non sit in statu merendi & satisfaciendi, vt iam supra dictum est, neque etiam est applicatiua præcedẽtis satisfactionis Christi ex opere operato, quia secundum legem ordinariam Christus non applicat ex opere operato, fructum passionis suæ, nisi per sacramenta, & per sacrificium sensibile in eius persona oblatum. Videatur hac de re Suarez loco supracitato, sectione 8.

Secunda Concluſio.

Quid correſpondeat, ex oblatione prædicti ſacrificij, omnibus fidelibus, in quãtum ſunt mẽbra Eccleſiæ tantum.

LOquendo de Eccleſia & membris eius, quatenus etiam ſunt offerentes, quãuis remotiſſime & ſolummodo habitu, atque extrinſeca quadam denominatione, licet quidam dicant, quod omnibus illis & ſingulis, correſpondeat aliqua pars fructus ex opere operato, & quod conſequuntur ex opere operato, remiſſionem alicuius pœnæ, per omnia & ſingula ſacrificia quæ offeruntur, hoc ſolo quia dicũtur offerre, & quatenus ſunt membra Eccleſiæ offerentis per Sacerdotes, etiãſi ipſi nullum actum habeant circa ſacrificia, nec Sacerdos ſpeciali intentione applicet eis ſacrificij fructum, contrarium tamen eſt verius, & multo probabilius. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Suarez loco ſupracitato, quam & probat: nam contraria ſententia, licet præſeferat ſpeciem pietatis, nullum tamen habet ſolidum ac firmum fundamentum, quia ſola denominatio extrinſeca offerentium, & per quandam remotam & extrinſecam habitudinem, non videtur eſſe ſatis, ad percipiendum fructum ex opere operato. Quod & probat hac ſpeciali ratione: nam fructus paſſionis Chriſti, non applicatur ex opere operato, niſi per propriam aliquam actionem, vel receptionem ſenſibilem alicuius ſacramenti, vel per ſpecialem applicationem illius: ſed in præſenti caſu, nõ fit ſpecialis applicatio alicuius ſacramenti, nec ſic offerentes recipiunt aliquid, per quod talis fructus ſibi applicetur, vt per ſe notum & manifeſtum eſt; neque etiam aliquid agunt, quia tãtum habitu & non actu, & per extrinſecam denominationem dicuntur offerentes: ergo nullum recipiũt fructum ex opere operato. Sed dices, ſufficire, quod Sacerdos offerat nomine Eccleſię, ad hoc vt illa oblatio ſit impetratiua ſpeciali modo, adeo vt quamuis Sacerdos ſit malus & iniquus, nihilominus illa actio vim ſuam habeat impetrandi: ergo ſimiliter hoc ſatis eſt, adhoc vt illa oblatio ſit ſatisfactiua ex opere operato, indepẽdenter à ſanctitate miniſtri. Sed conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: nã eſt diſpar ratio, de impetratione & ſatisfactione. Ad impetrandum enim ſufficit ſanctitas habitualis totius Eccleſię, & eius intẽtio, ad quam reſpiciens Deus, quando nomine illius fit oratio vel oblatio, inclinatur ad concedendum id quod petitur, in quo conſiſtit impetrationis ratio, & ad hoc ſufficit illa habitudo & extrinſeca denominatio, quamuis ipſa Eccleſia per ſe ipſam non ſpecialiter oret, ſicque Sacerdos orans in perſona Eccleſię, illius ſanctitatem Deo repræſentat, quamuis ipſe non ſit ſanctus: at ad ſatisfaciendum de nouo ex opere operato, non ſufficit hæc repræſentatio, ſed neceſſaria eſt realis actio vel paſſio, alicuius perſonæ Deo gratæ, vnde fit vt talibus offerentibus, nullus fructus correſpondeat ex opere operato, vt dictum eſt.

Tertia Concluſio.

Loquendo de oblatione ipſius Sacerdotis vt ſic, certum eſt, quod illi prout offert in perſona Chriſti, aliquis proprius fructus correſpondet ex opere operato.

LOquendo de oblatione ipſius Sacerdotis vt ſic, certum eſt quod illi prout offert in perſona Chriſti, aliquis proprius fructus correſpondet ex opere operato. Hæc ſententia eſt expreſſa Diui Thomæ 3. part. quæſt. 79. art. 5. & 6. & communis: cuius concluſionis ratio eſt, quia hoc ſacrificium habet effectum ex opere operato, vt pluries oſtenſum eſt: ergo maxime reſpondet illi, vt eſt actio miniſtri à Chriſto deputati, & per quem Chriſtus ipſe operatur. Plures alias rationes, affert ad hoc ſupradictus Suarez, videantur ibidem: nam non poſſum in ijs diutius immorari, aut plura dicere.

Quarta Concluſio.

Quid correſpondeat, ex oblatione prædicti ſacrificij, omnibus alijs offerentibus eidemque aſſiſtentibus.

LOquendo de cæteris priuatis offerẽtibus, qui proprium aliquem concurſum habent, ad oblationem huius ſacrificij, cum Sacerdote ſiue per ipſum, dicendum etiam eſt, quod omnibus & ſingulis, correſpondet aliquis proprius fructus ex opere operato: ita quod ſi conſtituamus hominem aſſiſtentem, vel miniſtrantem Miſſæ ſacrificio; cui Sacerdos intentione ſua ſpeciali, nullum applicet ſacrificij fructum ex opere operato, adhuc homo ille aliquem conſequetur fructum, ſuæ aſſiſtentiæ ſeu miniſterij ex opere operato. Hæc concluſio videtur eſſe D. Tho. vbi ſupra, & eam tenet expreſſe Caietan. tom. 2. opuſc. tract. 3. quæſt. 2. & Sylueſt. verbo, *Miſſa*, 1. *quæſt.* 9. & alij multi, cui & fauere videtur cõmunis ritus Eccleſiæ in celebrãdo Miſſã, quãdo dicitur in Canone, *pro quibus tibi offerimus, vel, qui tibi offerũt*, quibus verbis, fieri videtur ſermo de offerentibus, diſtinctis ab ipſo Sacerdote, quod & liquidius patet, ex antecedentibus verbis, quando etiam dicitur, *& omnium circunſtantiã, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Nam non ſine cauſa, diſtinguuntur hęc duo verba, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, ſed vt videtur ad inſinuãdum, quod illæ duæ habitudines ſiue rationes, proprie & per ſe ſumptæ, ſingulæ ſufficiunt ad percipiendum aliquem prædicti ſacrificij fructum, ex opere operato, alias rationes, ſatis congruas ad hoc, adducit ſupradictus Suarez, loco ſupracitato ibi videantur.

illi prout offert in perſona Chriſti, aliquis proprius fructus correſpondet ex opere operato.

Nota pro eũdẽtibus Miſſam, & aſſiſtentibus eidẽ ſacrificio Miſſæ.

Quinta Concluſio.

Sacerdoti offerenti ſacrificium Miſſæ, duplex fructus ex opere operato correſpondet.

SAcerdoti offerenti ſacrificium Miſſæ, duplex fructus ex opere operato correſpondet. Hæc concluſio ſequitur ex ſupra dictis: nam Sacerdos ibi duplicem induit perſonam, Chriſti ſcilicet & propriam, & ſub vtraque ratione offert: ergo ſub vtraque etiam illi, ſacrificij huius fructus correſpondet. Nam quatenus offert in perſona Chriſti, & quatenus eſt miniſter publicus, correſpondet illi fructus ex opere operato, quem modo diximus: & certum eſt, quod propter hoc publicum miniſterium quod gerit, non exuit rationẽ priuatæ perſonæ, ſub qua etiam concurrit: nam vt inquit D. Paulus ad Heb. 7. etiam ipſe indiget, vt pro ſe offerat, neque in hoc eſſe debet peioris conditionis, quam reliqui priuati offerentes: ergo ſub hac ratione etiam correſpondet illi alter fructus. Quo fit, vt ſi Sacerdos ſit iniquus & iniuſtus, eius oblationi reſpondeat prior fructus, nihilq; ex illo minuatur, nõ tamẽ ipſi correſpõdet ſecũdus, ſed priuabitur illo peculiari fructu quẽ haberet, ſi vt priuata perſona ſanctè offerret. Hinc etiã eſt, quod quãuis huiuſmodi Sacerdos, offerat ratione accepti ſtipendij, nullam facit iniuriã ei, pro quo offert ſacri-

ſacrificium,quia iam illi applicat totum fructum, qui correſpondet ſacrificio,vt eſt à miniſtro publi co,ſub hac enim ratione ſtipendium accepit,ſcilicet, vt miniſter publicus Chriſti. Vt autem ſciatur ac notum fiat, quænam ſit differentia, inter prædictum duplicem fructum,dico breuiter,quod eſt differentia multiplex. Prima,nam fructus qui correſpondet oblationi ſacrificij, vt in perſona Chriſti à Sacerdote offertur, non eſt principaliter propter ipſum, ſed propter populum ſeu alios pro quibus poteſt offerri ſacrificium, quia tunc Sacerdos gerit perſonam publicam, & eſt interceſſor inter Deum & populum. At vero alius priuatus fructus, præcipue eſt propter ſingulares offerentes, qui non offerunt vt miniſtri publici, ſed vt perſonæ priuatæ, quibus datum eſt, vt ſua priuata oblatione, ex ipſo ſacrificio aliquid haurire poſſint. Secunda, quia prior fructus qui eſt à Sacerdote, tanquam à perſona publica, poteſt alijs applicari, quod & commiſſum eſt ipſi Sacerdoti offerenti tanquam miniſtro, poſterior verò fructus, non eſt certum quod alijs poſſit applicari,& priuari ipſe offerens,omni fructu ex opere operato, ſed certum eſt, quod dat alteri fructum communem, vt ſic loquamur, ideſt, qui procedit ab ipſo, vt à perſona publica, ipſe vero fruitur ſuo peculiari fructu, reſpondente ſuæ priuatæ perſonæ, oblationi & deuotioni. Neque enim eſt qui aſſerat aut dicat, teneri Sacerdotem ratione accepti ſtipendij, offerre pro alio, hunc ſuum proprium & particularem fructum. Tertia differentia eſt, quod ad priorem fructum, non eſt neceſſaria ſanctitas Sacerdotis, vt docet Diuus Thomas tertia parte quæſtione 82.articulo ſexto,& in quarto diſtinctione 45.quæſtione ſecunda,articulo primo,quęſtiuncula tertia & Soto,in quarto diſtinctione 13.articulo primo,& omnes Doctores communiter, quod & confirmari poteſt ex multis iuribus, *ex capit nocet, capit. intra, 1. quæſtione prima, & capite vtrum ſub figura, de conſecratione diſtinctione ſecunda.* At vero ad poſteriorem, neceſſaria eſt ſanctitas Sacerdotis,& ſi miniſter eſt indignus, fructus eius eſt nullus.Quorum ratio eſt manifeſta : nam Sacerdos quoad priorem fructum, non gerit perſonam ſuam ſed Chriſti, & ideo ſicut hac ratione, oblatio eſt grata & munda, ita etiam eſt efficax, quia non applicatur meritum miniſtri ſed Chriſti,quod non contingit reſpectu poſterioris fructus. Accedit & ad hoc quædam congruentia : nam cum huiuſmodi fructus, non ſit propter perſonam Sacerdotis,vt talis eſt,ſed propter Eccleſiam, non debuit dependere ex ſanctitate eius. Hac enim de cauſa dicunt Doctores, quod ſacramenta æque per malos & bonos miniſtros,perficiunt & ſanctificant alios. Quod & confirmatur : nam alias ſequeretur, Miſſam mali Sacerdotis & peccatoris,oblatam pro animabus purgatorij, nihil illis prodeſſe. Item ſequeretur Sacerdotem ſacrificantem in peccato mortali,recepto ſtipendio,non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſed teneri iterum in gratia ſacrificare, quæ omnia ſunt abſurda neq; dicenda. Aſſerendum eſt ergo, quod eſt maxima differentia, inter fructum qui eſt à Sacerdote offerente vt perſona publica,& illum qui eſt ab ipſo offerente,vt perſona priuata.

De differẽtia quæ verſatur inter fructum huius ſacrificij correſpondentem Sacerdoti, vt eſt perſona publica, & correſpondentem ei dem,vt perſona priuata.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Miſſæ ſacrificium,habeat effectum ex opere operato, in his pro quibus offertur,non ponentibus obicem?

IN præcedenti Articulo, egimus ſolummodo de illis,qui hoc ſacrificium offerunt, in hoc vero agendum eſt de his, pro quibus offertur.Et quæſtio eſſe poteſt,de fructu correſpondente huic ſacrificio ſecundum ſe,& vt eſt à miniſtro in perſona Chriſti offerente,& de fructu correſpondente vnicuique priuato offerenti,de quibus omnibus dicemus per ordinem,in ſequenti concluſione.

Concluſio.

CErtum eſt Miſſæ ſacrificium,habere ſuum effectum ex opere operato,in eis pro quibus offertur à Sacerdote, & quibus talis fructus applicatur,etiamſi ille pro quo fit oblatio,nullo modo offerat,dummodo obicem ſeu impedimentum non ponat.Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis,& manet ſatis probata ex ſupradictis. Sed poteſt vlterius probari ſequenti ratione:nam hoc ſacrificium,habet ſuum effectum ex opere operato, qui dandus eſt alicui infallibiliter,ſi non ponat obicem(hoc enim ſonat verbum illud, *ex opere operato*) ſed ille,cui dandus eſt huiuſmodi effectus,non eſt determinatus à Chriſto ex inſtitutione ſua, nec determinatur nunc, per voluntatem eius vt exiſtentis in cœlo : ergo non eſſe poteſt alius,niſi ille quem Sacerdos offerens, ſua intentione determinauerit,ſeu pro quo ſacrificiũ obtulerit,& cui ſupradictũ effectum applicauerit.Conſequentia eſt legitima,& tenet à ſufficienti partiũ enumeratione.Sed difficultas eſt notãda,& maxima animaduerſione digna,ſi Sacerdotis intẽtio & miniſtri ſit iniqua,& contra iuſtitiã vel cõtra obedientiã,noluerit ſacrificij ſui fructũ ſupradicto applicare,an fructus ſit efficax,deturq; nihilominus efficaciter effectus illi,pro quo tenebatur applicare,non ponẽti obicẽ.Et ſit exemplũ.Tenetur quiſpiam Sacerdos, ex iuſtitia applicare ſacrificium ſuum,Petro vel Paulo,à quibus ſtipendium accepit, vel quia præcipit hoc illi ſuus Superior, ſiue Prælatus,& nihilominus ille applicat illud Franciſco,ſiue alteri,quo quidem caſu certũ eſt, quod facit contra iuſtitiam,vel contra obedictiam, ſed quæritur nunc,an detur effectus efficaciter Petro ſiue Paulo,an vero Franciſco?Hæc difficultas grãdis eſt, & quæ longioré requirebat diſputationẽ, circa quam Doctores Scholaſtici multa dicũt.Quidam enim aſſerũt,in tali caſu ſacrificium operari ſuum effectum,non iuxta volũtatem miniſtri, ſed iuxta ipſius obligationem,ideſt,in eo,pro quo tenebatur offerre,non autem in eo,pro quo actu offert.Hoc dicere videtur Scotus,quod.20.& Gab. in Can.lect.26.quia(inquiũt)Chriſtus nõ applicat fructum ſuum,per iniurioſam actionẽ. Alij hac in re diſtinctione vtũtur,&dicũt,quod obligatio Sacerdotis ad offerẽdum pro aliquo oriri poteſt,vel

Certũ eſt Miſſæ ſacrificiũ, habere ſuum effectũ ex opere operato,in his pro quibus applicatur, non ponentibus obicem.

Difficultas notanda.

ex propria voluntate & priuato contractu, vt quia promisit seu stipendium accepit, vel ex voluntate Superioris. In priori casu dicunt, præsentem voluntatem, prævalere priori obligationi: nam cum illa prior obligatio ortum habuerit à priori voluntate, per posteriorem retractatur, & licet mala sit, cum tamen sit posterior & absoluta, factum tamen tenet, licet male faciat, sacrificij fructum alteri applicando. In posteriori vero casu dicunt, voluntatem Superioris prævalere, ac vincere Sacerdotis voluntatem propriam, quod præcipue verum habet in Religiosis, qui nec velle habent nec nolle, vnde non obstante sua voluntate, sacrificij fructus applicatur iuxta voluntatem Superioris. Hanc sententiam & opinionem, tenēt grauissimi Doctores, & inter alios Corduba, lib. 1. sui quæstionarij, quæstio. 3. opinione 6. & Ledesma in sua Summa, 2. part. quæst. 16. artic. 14. circa finem. Sed Suarez loco supracitato, sectione 9. contrarium omnino tenet, & multis argumentis & rationibus comprobat, quod in supradicto casu, Sacerdotis offerentis actualis intentio prævaleat, & sacrificij fructus applicetur illi, cui de facto applicare illud intendit, & pro quo actualiter offertur, quidquid alias repromiserit, & Prælatus siue Superior præceperit, tenebitur tamen in conscientia, quisquis ille sit Sacerdos, siue sæcularis siue Religiosus, aliam Missam pro illo alio dicere. Hac in re adeo graui & controuersa, ac in tanta grauissimorum Doctorum varietate, nolo ego iudicē agere, liberum sit cuilibet, ex his duabus opinionibus eligere quam maluerit. Et hæc pro isto articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm omnis Sacerdos Missam dicēs, teneatur quoties sacrificat, applicare aliquam partem fructus sacrificij sui, ex opere operato pro tota Ecclesia, vt inter eius membra diuidatur, iuxta proportionem Deo cognitam, fundatam forsitan, in singulorum deuotione & dispositione?

Ratio dubitandi.

PVlchra quidem difficultas. Et ratio dubitandi est, quia omnes fere Auctores dicunt, omnibus baptizatis habētibus reatum pœnæ, & non ponentibus obicem, obuenire partem aliquam fructus ex opere operato, ex omnibus sacrificijs quæ in Ecclesia Dei fiunt. Vnde & ortum atque originem duxit, illa vulgaris diuisio, triplicis fructus huius Missæ sacrificij, prout à Sacerdote applicari potest. Primus dicitur specialissimus, & est ille qui respondet Sacerdoti, vt priuatæ personæ. Secundus dicitur specialis, & est ille, quem Sacerdos applicare debet ei, pro quo specialiter offerre tenetur. Tertius dicitur generalis seu generalissimus, & inquiūt ꝙ est ille, quem omnia Ecclesiæ membra participant, quam partē Sacerdos tenetur illis applicare. Hāc sententiam tenet Scotus, quod l. 20. & Gabriel super Canon, lect. 26. & Corduba, lib. 1. q. 3. opin. 6. & Ledesma, in 4. 2. p. q. 16. art. 14. & Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 1. sed Suarez, 3. tom. ad 3. p. D. Thom. q. 83. art. 1. disput. 79. sectio. 9. ab hac sententia recedit, quantum ad hoc quod huiusmodi fructus, sequatur & obueniat eis, vt dicitur, ex opere operato, concedit tamen id esse per modum impetrationis, & inquit, quod forsan Scotus, cæterique alij Doctores, hoc tantum dicere voluerunt. Iuxta cuius sententiam, sequentem statuo conclusionem.

De triplici fructu sacrificij Missæ.

Conclusio.

Quamuis omnia Ecclesiæ membra, percipiāt aliquē fructum, ex omnibus sacrificijs quæ fiunt in toto mundo, id tamen non est ex opere operato, sed per modum impetrationis.

QVamuis omnia Ecclesiæ membra, percipiant aliquem fructum, ex omnibus sacrificijs quæ fiunt in toto mundo, id tamen non est ex opere operato, sed per modum impetrationis. Prima huius conclusionis pars, probatur ex communi vsu Ecclesiæ. Semper enim Ecclesia ab initio habuit, vt omnia sacrificia offerantur, etiam pro ea, & pro omnibus membris eius, idque fuit quamma xime rationi consonum, & charitati congruum, vt & de communi sacrificio, omnes communiter participarent, & aliquem perciperent fructum: sed absentes non participant vt offerentes, quia actu vt supponitur, & iam supradiximus, nihil tale intendunt: ergo necessum fuit & rationi ac charitati consonū & congruum, vt pro eis etiam offerretur, vt vel sic aliqua ratione participarent. Sed quod huiusmodi participatio, nō sit ex opere operato, & quod Sacerdos, ex sua præcisa obligatione, non teneatur hunc eis fructum necessario applicare (quæ erat secunda conclusionis pars) probatur, quia hoc non habetur ex aliqua Christi institutione, quod Christus Dominus imposuerit diuinum præceptum, omnibus Sacerdotibus, applicandi huiusmodi fructum, aut aliquam partē eius, neque Ecclesia vnquam tale quid ordinauit de facto, vt scilicet applicetur suis membris absentibus, talis fructus ex opere operato, sed solūmodo vt oretur pro eis, & pro omnibus in persona eiusdem Ecclesiæ, quod solū valet quoad impetrationem: ergo intentum. Quod & præterea hac fortissima ratione confirmatur: nā si ita esset, & omnibus animabus existentibus in purgatorio, applicaretur aliqua pars fructus, ex omnibus mundi sacrificijs ex opere operato, facillimo negotio à purgatorio liberarentur, quod nō ita creditur euenire. Idemque argumentum fieri posset, de viuis & maxime existentibus in gratia per aliquod tēpus: nam si ex omnibus Missis & sacrificijs, quæ fiunt in toto mundo, semper atque ex opere operato perciperent aliquam pœnæ remissionem, vix possent habere aliquem reatum pœnæ, dicendum est ergo, quod quamuis omnia membra Ecclesiæ, participēt aliquem fructum ex omnibus sacrificijs, nō tamen id est ex opere operato, neque certo & infallibiliter, sed solummodo per modum impetrationis, quæ quidem impetratio, non fundatur in merito ipsius Sacerdotis offerentis, sed in sanctitate Ecclesiæ & dignitate ipsiusmet sacrificij, quod forsan occasionem dedit Scoto, & alijs auctoribus, asserendi hunc fructum esse ex opere operato, & non ex opere operantis.

ART.

ARTICVLVS XVI.

Quando Sacerdos, ob incuriam seu ignorantiam, non applicat sacrificij sui fructum, vel ei applicat qui non indiget, aut non est capax, quid fiet de tali fructu?

Conclusio.

Quotiescumque sacrificij Missæ applicatio non fit, ipsius fructus reponitur in thesauro Ecclesiæ.

IN his & similibus casibus, & quotiescúque sacrificij huius applicatio non habet effectum, ipsius fructus reponitur in thesauro Ecclesiæ. Hæc cõclusio est omnium Doctorum communis, de qua & videndus est Suarez loco supracitato, sect. 9. in 3. quæsito, vbi inquit, quod melius dicetur huiusmodi fructum, manere in thesauro Ecclesiæ quam reponi, cum nondũ exierit à thesauro, nec sit aliquis fructus de nouo comparatus, & à Deo iã acceptatus, sed aliqua pars fructus passionis Christi, quę exire deberet, quando efficaciter non applicatur, remanet in ipso Ecclesiæ thesauro. Qui quidem thesaurus, nihil est aliud, quam acceptatio quædã diuina, cui etiã nihil de nouo additur ex vi talis sacrificij: nam in illo sacrificio, vt in persona Christi fit, nulla fit de nouo satisfactio. Et est simile de baptismo: nam quando baptismus seu aliud Sacramentum, propter aliquã causam priuatur suo effectu, nihil de nouo reponitur in thesauro Ecclesię, sed solum impeditur, ne extrahatur ex thesauro meritorum Christi aliquid, quod conferendũ erat Sacramentum suscipienti, si digne susciperet. Addit tamen supradictus Suarez, quod rarissime, aut numquam, continget casus, in quo Sacerdos non applicet sacrificij sui fructum, cum ad id sufficiat intentio formalis, seu virtualis: nam si harum quælibet sufficit, ad conficiendum Sacramentum, vt tenet communis doctrina, multo ergo melius, dicendum est sufficere ad applicandum sacrificij sui fructum. Et præterea, quia omnis Sacerdos, qui nõ applicat ipsum alteri, virtualem saltim intentionẽ habere videtur, quod velit ipse frui fructu illius. Circa huiusmodi applicationem seu non applicationem, & diuersum modum applicandi ponit ibidem aliquas difficultates, quæ curiosæ atque ingeniosæ licet sint, vtilitatemque afferre possent, ã me consultò in præsentiarum omittuntur, ne longius debito, mea protrahatur oratio.

Quidnam sit thesaurus Ecclesiæ.

ARTICVLVS XVII.

Vtrùm personæ priuatæ, offerẽtes simul cum Sacerdote, possint fructũ suum alijs applicare, aut pro alijs offerre?

VIdam Doctores sunt asserentes, circa hanc difficultatem, Sacerdotem nõ posse alijs applicare sacrificij sui fructum, quem vocant specialissimum, præsertim quando ipsemet Sacerdos indiget tali fructu, quia (inquiunt) esset contra ordinem charitatis, quod etiam & consequenter dicunt, de cæteris priuatis offerentibus: nam etiam vt sic Sacerdos se habet, vt quidam priuatus offerens. Non tamen est certum, an supradicti Auctores loquantur de fructu, qui prouenit ex opere operato, an vero de fructu, qui dicitur ex opere operantis. Sed nihilominus contraria sententia videtur verior & tenenda, de qua fit conclusio.

Conclusio.

Licitũ est Sacerdoti, alijsque offerentibus, suum fructũ sacrificij huius, quibus voluerint applicare.

SAcerdotibus & cæteris priuatis offerentibus, licitum est sacrificij sui fructum, cui voluerint applicare, neque id facere erit cõtra charitatem, etiamsi ipsi indigeant. Hanc conclusionem tenet supradictus Suarez loco supracitato, sectio. 9. vlti modo dubio, quam & probat, quia prędictus fructus non est remissio alicuius culpæ, neque gradus alicuius sanctitatis gratiæ, sed solum modo satisfactio & remissio alicuius pœnæ: sed in huiusmodi malis pœnæ, non est contra charitatem Dei, quempiam suo iuri cedere, priuando se tali commodo vt alteri benefaciat: igitur licitum erit idipsum facere. Quod & confirmatur ex communi omnium piorum vsu, applicant enim multoties, suam satisfactionem pro animabus purgatorij, non quia existiment se illis non indigere (esset enim hæc arrogans cogitatio) sed quia sperant alijs modis, sibi interim prouideri posse, vel quia volunt alijs benefacere, etiamsi ipsi aliquid amplius patiantur, aut certe quia existimant, quod in hoc ipso charitatis opere magis merentur, & hoc bonum meritorium satisfactioni ipsi, iudicant esse præferendum. In calce tamen supradicti dubij, dicit prædictus Suarez, quod licet prædicta conclusio verum habeat, respectu fructus qui dicitur operis operantis, secus tamen est de fructu, qui dicitur ex opere operato: nam de hoc probabilius (inquit) est, quod non potest alijs applicari, quod & in vniuersum dicit, de omni effectu qui est ex opere operato, & proprium & personale beneficium, & quasi priuilegium alicui personæ concessum, quod non potest in alium transferri, & adducit exemplum, de indulgentia, quæ non potest alteri applicari, nisi in ipsa indulgentia hoc expresse concedatur. Qua de re videatur D. Thom. in 4. distinct. 20. articu. 5. quæst. 3. ad secundum, videatur etiam Suarez loco supracitato.

ARTICVLVS XVIII.

Quænam sint necessario requisita, in eo pro quo sacrificium offertur, vt in ipso habeat effectum ex opere operato?

Conclusio.

Quatuor sunt requisita, ad hoc vt sacrificium Missæ

AD hoc vt Missæ sacrificium, habeat effectum ex opere operato, in illo pro quo offertur, quatuor sunt necessario requisita, nẽpe capacitas, status dispositio, & indi-

ex opere operato, suũ habeat effectũ, in illo pro quo offertur

indigentia. Hæc concluſio eſt certa, & probabitur diſcurrendo per ſingula. Primo dico, quod requiritur *capacitas*, quam baptiſmus confert: nam ſine charactere baptiſmali, nullus eſt capax effectus prædicti ſacrificij, vt expreſſe tenet D. Tho. 3. par. quæſt. 79. art. 7. ad 2. vbi hoc probat ex multis ſanctorum auctoritatibus, & D. Chryſoſt. homil. 3. ad Philip. hoc expreſſe dicit, & in hoc ſenſu, dicunt omnes communiter Doctores, quod baptiſmus eſt Sacramentorum omnium ianua, Et idem intelligendum eſt de fructu huius ſacrificij, qui reſultat ex opere operato. Quibus omnibus ſauet Eccleſia, quæ in mortuorum memento dicit. *Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei*, ideſt cum Baptiſmo, *& dormiunt in ſomno pacis*, vbi notanter baptiſmus, ſignum ſeu ſacramentum fidei nuncupatur. Secũdo requiritur *ſtatus*, per quod intelligitur, quod talis ſit in ſtatu viatoris, & non in vltimo termino, beatitudinis ſiue damnationis cõſtitutus: nam huiuſmodi, vel nõ indigent vel frui non poſſunt, fructu prædicti ſacrificij. Circa hoc eſt difficultas, de animabus purgatorij, an participent de huius ſacrificij fructu, ex opere operato, & in eis effectum habeat hoc ſacrificium, certò & infallibiliter, an vero per modum ſuffragij, ſupplicãdo Deo, vt de congruo acceptet ſeu acceptare dignetur, & applicare illis prædictum fructũ? Qua de re eſt magna lis & controuerſia inter Doctores Scholaſticos, ſed quia breuitati tantopere ſtudeo, & difficultas hæc magnam requirebat diſputationem, & ad ſcholas pertinet potius quam ad mores (oportebat enim hic inſerere totum indulgentiarum tractatum, quod vnum integrum expoſtulabat librum) ab illa ſuperſedeo, videatur Suarez loco ſupracitato, ſectione 10.

Difficultas notanda.

Tertio requiritur *Diſpoſitio*, de qua etiam diſpoſitione, magna lis eſt & conttouerſia inter Doctores, an neceſſario eſſe debeat, per ornatum gratiæ habitualis? Quidam enim affirmant, alij vero negant, & vtraque opinio fortiſſima habet fundamẽta, quæ non congrue poſſunt nunc recenſeri aut pertractari, & proprerea illa in præſentiarum facio miſſa, contentus ſolummodo dixiſſe, quod tutius eſt, vt hoc ſacrificium efficaciter operetur, gratiam à Deo poſtulare, idq; obnixe procurare, vt congruentiorem diſpoſitionem. De qua re, & pluribus alijs, maxime notatu dignis, conſulatur vbi ſupra prædictus Suarez.

Quarto & vltimo requiritur *Indigentia*, ad effectum prædicti ſacrificij, vt operetur ex opere operato, quod eſt dicere, vt is pro quo offertur, habeat aliquem reatum pœnæ temporalis, relictum ex culpa remiſſa, ſeu aliter. Quæ indigẽtia neceſſaria eſt: nam ſicut in naturalibus, vt agens agat poſitiue, neceſſe eſt ſupponere aliquam priuationem, & vt agat priuatiue (ideſt expellendo contrarium) neceſſe eſt, vt ſupponat aliquid formæ in ſubiecto, ita & in propoſito, neceſſaria eſt prædicta indigentia, & quod ſuperſit aliquis reatus pœnę: nam ſi tota eſt expulſa, nihil ſupereſt prædicto ſacrificio agendum. Quam ob cauſam atq; ob defectum talis indigentiæ, in beata Virgine, ex opere operato, nihil poſſet hoc ſacrificium conferre, idemque eſt iudicium in alijs non indigentibus.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm Miſſæ ſacrificium, ſit intenſiue infinitum?

HAec difficultas celebris atque famoſiſſima eſt, à qua proinde quam citiſſime me expediam, dicendo præciſe ea, quæ ad ipſius intelligentiam viſa fuerint neceſſaria, cætera reſeruando, vt latius diſputentur in ſcholis, vbi eſt proprius harum diſputationum locus, cum res hæc ſit, valde inter Scholaſticos Doctores controuerſa.

Duæ hac de re opiniones.

Dico igitur, quod circa hanc difficultatem, duæ ſunt extremæ opiniones. Prima eſt Caietani, 3. p. q. 97. art. 5. & 2. tom. opuſc. tract. 3. q. 2. & Sylueſt. *verbo, Miſſa, 1. q. 9.* & Magiſt. Cano, de locis Theologicis, lib. 12. cap. 13. ad 10. & Magiſt. Sot. in 4. d. 11. quæſt. 2. art. 5. & d. 13. quæſt. 2. art. 1. & aliorũ multorum, aſſerentium effectum ſacrificij Miſſæ eſſe infinitum intenſiue, ac conſequẽter vnã Miſſam, eſſe valoris infiniti, & ex ſuâ quantitate ſufficere ad ſatisfaciẽdum pro pœnis omnium peccatorũ, tam viuentium, quam mortuorum. Cuius opinionis vnicum atque totale fundamentum eſt, quia hoc ſacrificium eſt infinitum ex parte rei oblatæ, quæ eſt Chriſtus Dominus, & nõ eſt minus ex parte offerentis. Nã licet Sacerdos ſecundũ ſe, ſit perſona finita, nõ tamẽ illud offert in ſua perſona, ſed in perſona Chriſti, eſtque (vt ſic loquamur) æquiualẽter, quaſi alter Chriſtus, in repræſentatione Chriſti, qui eſt principalis offerẽs. Vnde (inquiũt) fit vt nõ minus ſit infinitum & infiniti valoris, ac ſacrificiũ ipſum Crucis Chriſti, ſeu quod in Cruce obtulit Chriſtus. Sed nihilominus cõtraria ſententia, eſt verior atq; tenẽda, de qua ſit cõcluſio.

Concluſio.

Miſſæ ſacrificium, prout oblatũ à Sacerdote, non habet effectũ ſeu valorem infinitum intenſiue.

SAcrificium Miſſæ, prout oblatum à Sacerdote, non habet effectum ſeu valorem infinitum intenſiue. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 3. p. quæſt. 79. art. 5. & in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 3. ad 2. & D. Bonauent. ibidem, art. 2. q. 3. ad vltimum & Scoti, quod. 20. & Gabriel, in Can. lect. 26. & 27. & Ricardi, Paludani & Durandi, in 4. diſt. 45. & Magiſt. Sot. lib. 9. de iuſt. & iure, quæſt. 2. art. 2. & Couar. *in cap. alma mater*, 1. *part.* §. 5. *num.* 5. *& ſequentibus*, & aliorum multorũ, quos ibi refert. Cuius etiam opinionis, vnicum ac totale fundamentum eſt: nam quamuis res oblata, vt ſupponitur, in hoc ſacrificio ſit infinita, vt omnes fatẽtur, quia vt dixi, eſt ipſe Chriſtus Dominus; oblatio tamen ipſa (in qua eſſentia huius ſacrificij conſiſtit) eſt finita & ab offerẽte finito (qualis eſt Sacerdos) quamuis offerat in perſona Chriſti. Hanc concluſionem tenet etiam Suarez 3. tomo ad 3. part. D. Thom. quæſt. 83. diſput. 79. ſectio. 11. quamuis alia ipſe procedat via, quantum ad infinitatem ſacrificij, de quo in præſentiarum non libet dicere, ſed nihilominus concludit, quod effectus ex opere operato, quem hoc ſacrificium poteſt conferre, eſt finitus intenſiue. Dicit tamẽ hoc ſacrificium, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ, habere effectũ & valorem infinitum ad impetrandum. Quod qualiter

liter ſit intelligendum, ſatis conſtat ex ſupradictis, videatur ibidem. De materia huius Articuli, videatur etiam Nauar. lib. 3. Conſiliorum, de celebratione Miſſæ, conſil. 7. & in Man. ca. 25. num. 92. & lib. de Orat. c. 20. num. 77.

ARTICVLVS XX.

Vtrùm effectus huius ſacrificij, ſit infinitus ſaltim extenſiue, ita vt oblatum pro multis, tantum valeat ſingulis, ac ſi eſſet oblatum pro vno ſolo?

DIfficultas hæc, longe diuerſa eſt à præcedenti, quamuis communiter cum ipſa ſoleat confundi. Bene enim ſtat, quod aliqua cauſa, effectum producat finitum, ipſumque communicet aut ſaltim communicare poſſit, ſubiectis (ſi eſſent) infinitis. Vt ſi verbi gratia, ignis produceret calorem vt 8. ipſumque vt 8. communicaret in pluribus ſubiectis ſiue infinitis ſimul, ac illud facere poſſet ſucceſſiue. Ita in propoſito, ſtare optimè poteſt, vt ſacrificium Miſſæ, valoris eſſet finiti, & quod hunc eũdem valorem extenſiue, ſubiectis communicaret infinitis, aut ſaltim pluribus, ita perfectè ac ſi communicaretur ſolummodo vni. Hoc præmiſſo dico, quod hac de re conformiter ad ea, quæ in præſenti Articulo dicta ſunt, duæ ſunt etiam extremæ opiniones. Quidam enim perſiſtẽtes in huius ſacrificij infinitate, ratione infinitæ rei oblatæ, conſequenter dicunt, effectum huius ſacrificij, integre multiplicari, in omnibus & ſingulis perſonis pro quibus offertur, in quocumque numero ſint, & abſque vllo termino, nec minui fructum vnius, ex cõſortio aliorum, atque in hoc ſenſu (inquiũt) hoc ſacrificium eſſe infinitæ efficacitatis extenſiue. Hanc opinionem tenet Caiet. Sylueſt. & Cano, locis ſupracitatis, & multi alij Doctores Thomiſtæ. Sed alij è contrario dicunt, hoc ſacrificiũ, non eſſe infinitum, ſed finitum intenſiue, & ipſius fructum etiam extẽſiue, atque ita aplicatum multis, non multiplicari in eis, ſed diuidi, & conſequẽter eſſe minorem in ſingulis. Hanc ſententiam tenent D. Thom. Scotus, Gabriel, & Sot. & DD. citati in præcedenti Articulo. Vt igitur, quod hac in re tenendum eſt, reſolutiue dicam, ſit Concluſio.

Duæ ſunt hac de re opiniones.

Concluſio.

Effectus ſacrificij Miſſæ, reſpõdens oblationi Sacerdotis vt ſic, quẽ ipſe poteſt pro alijs offerre, finitus eſt, vnde ſi pro multis offeratur, minor pro

EFfectus ſacrificij Miſſæ, reſpondens oblationi Sacerdotis vt ſic, quem etiam ipſe poteſt pro alijs offerre, finitus eſt, vnde ſi pro multis offeratur, ſiue diuerſis intentionibus ſpecialibus, ſiue vna tantum communi, vt pro populo & pro tota communitate, fructus eius minuitur in ſingulis, tantoque magis, quanto illi plures fuerint, ſuppoſita vniformi applicatione. Hanc concluſionem tenent DD. ſecundæ opinionis, & dicit Suarez, loco ſupracitato, in præced. art. ſect 12. quod neque ipſam negant, ſed neque negare poſſunt, primæ opinionis DD. quia non tractant de hoc effectu, ſic applicato, ſed de illo qui correſpondet offerentibus, vt offerentes ſunt, qui quidem nõ minuitur, ex eo quod cũ Sacerdote, ſimul ſint plures offerẽtes, magis quam ſi eſſet dumtaxat vnus. Alias ſequeretur, quod audientes Miſſam, & aſſiſtentes ſeu ſeruientes, Sacerdoti ſacrificanti, ſolum ob multitudinem audientium, minorem fructum reciperent, quod non eſt dicendum. Sed quidquid de hoc ſit, probatur modo ſupradicta concluſio. Primo ex communi vſu Eccleſiæ, nam ſi extenſiue, hoc ſacrificiũ oblatũ pro multis, ita prodeſſet ſingulis, ac ſi dumtaxat fuiſſet oblatum pro vno, numquam Eccleſia ſtatuiſſet, quod ipſius fructus vni vnquam tantũ modo applicaretur. Cur enim priuaret cæteros, tanto ac tam copioſo fructu, ſi abſque vnius detrimento, poſſent multi alij æqualem fructum participare? Sed iuxta Eccleſiæ communem vſum ita fit, vt quandocumque ſacrificiũ debet offerri, pro anima Petri (verbi gratia) illi omnino, quantũ eſt ex intentione Sacerdotis applicetur effectus, & nõ alijs: Signũ igitur eſt quod oblatum pro multis, non ita prodeſt ſingulis, ac ſi fuiſſet oblatũ pro vno. Et confirmatur, nam aliàs ſequeretur, quod per ſe loquendo, & ex vi inſtitutionis huius ſacrificij, poſſet Sacerdos plura ſtipẽdia integra accipere, ratione vnius ſacrificij, ſeu quod idem eſt, poſtquam à pluribus plura ſtipendia acceptt, omnibus illis vnico ſacrificio ſatisfacere, totũ illud ſingulis applicãdo, poſt quã æque illis prodeſt ac ſi pro illis tantum offerretur: conſequens autem non eſt admittendum, aut concedendum, quia abſurdum & contra communem Eccleſiæ vſum: ergo nullatenus hoc eſt dicendũ. Confirmatur ſecundo, etiam ex vſu & communi ſenſu eiuſdem Eccleſiæ, nam ſemper Eccleſia tenuit & tenet, quod plura ſacrificia oblata provna & eadem perſona, plus illi proſunt, quam vnum ſolum, aliàs enim, vt quid ſine cauſa dici iubẽtur tot Miſſæ, & tot offerri ſacrificia? ergo etiã oblata pro duabus perſonis, minus illis proderunt, ſicut & vnum oblatum pro vtraque. Ratio quidem efficaciſſima eſt. Hac de re videatur ſupradictus Suarez loco ſupracitato, vbi plura dicit ad hoc propoſitũ, eaq; notatu digniſſima, à quib⁹ breuitatis gratia abſtineo, & quia in præſentiarum, non eſt neceſſarium amplius dicere. Videatur etiam Nauar. locis ſupracitatis in præcedenti Articulo, & *in c. viſum, de conſec. d. 1. & c. non mediocriter, de conſecration. diſtinct. 5.*

deſt ſingulis ac ſi fuiſſet oblatum pro vno.

ARTICVLVS XXI.

De quo Sancto, aut Feſto, vt plurimũ, debeat dici, ac celebrari Miſſa?

IRca hanc difficultatem, eſt peculiaris quædã opinio, quã tenuit olim Sũma Angelica, ſequendo Pan. *qui in c. quidã laicorũ, de celebr. Miſſa* dicit, quod Miſſa adeo neceſſario celebranda eſt, de eo de quo fit officium, quod Miſſam peculiarem dicens, ſiue ſpecialem de aliquo Sancto, non ſatisfacit præcepto de audienda Miſſa. Nam Miſſa quæ præcipitur, eſt

Nota ſingularem ſummæ Angelicæ opinionem, circa celebrationẽ Miſſæ, & ipſius auditionem.

Missa de Sancto, vel quæ secundum officium diei festi, dici debet. Qua ratione, inquiunt Doctores, qui sequuntur hanc opinionẽ, *in d. c. quidam, & in c. hoc, de consecratione, d. 1.* quod tales Missæ peculiares, celebrari debent in occulto, non vero in publico, pro illis, quibus ex præcepto audienda est Missa. Hanc opinionem refert Syluester, *verbo, Missa, 1. q. 4.* & eidem adhærere videtur, dicens quod seculares audientes, ex ignorantia excusantur, licet non celebrantes: sed infra in eod. *verbo, Missa, 2. q. 4.* se modificat, & inquit, hoc esse intelligendum ex congruitate, non vero ex necessitate, seu de præcepto, quod probat ex Archid. *in c. 2. de celeb. Missa.* De cuius & aliorum resolutione, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Regulariter loquẽdo, Missa dicenda est de Festo, de quo celebratur diei officium.

Missa regulariter loquendo, dicenda est de Festo de quo celebratur officium. Hæc conclusio habetur expressa, *in d. c. quidam laicorum*, & de Ecclesijs Collegiatis & Conuentualibus, habetur, *in Clement. 1. eodem titulo*, & contrarium faciẽtes, & dimittentes Missas proprias, propter peculiares, reprehenduntur, *in d. c. quidam laicorum.* Sed dicit Archid. hoc esse faciendum ex congruitate, non vero ex necessitate, nec teneri quempiam, ad propriam Missam audiendam, quia *nec cap. Missas, de consecr. d. 1.* vbi Missa diebus Dominicis audiri præcipitur, hoc dicit, sed indistinctè loquitur, neque in toto iure tale præceptum reperitur. Et præterea, quia laboriosum & onerosum esset nimis, mulierculas, & idiotas atque ignorantes viros, ad id adstringere & obligare, interrogare ac scire, an Missa sit de Festo, vel non sit de festo, propria vel non propria. Quibus omnibus accedit, communis vsus, quia nullus vnquam existimauit vsque hodie, quod audiendo Missam non propriam sed votiuam, in die Dominico aut festiuo, præceptum non adimpleatur, de audienda Missa.

Secunda Conclusio.

Reprehensibile est, Sacerdotes passim, ad instantiam sæcularium, Missas diei omittere proprias, propter votiuas, & peculiares.

Sacerdotes sine causa multum reprehensibile est (etsi non sit damnabile) ad instantiam laicorum, dimittere Missas proprias, propter peculiares. Hæc conclusio est Archid. loco supracitato, cui addit Syluester, secundum aliquos, quod non tolum est reprehensibile, verum etiam damnabile, atque mortale, hoc dicit, *verb. Missa, 1. & 2. q. 4.* quamuis postea se limitet, modificet atq; declaret. Quod sit reprehensibile perspicuum est, cum teneamur in Missali & celebratione Missarum, cõformari cum Breuiario & officio diurno. Quod autem illud sit damnabile, siue mortale, hucusque non vidi, in aliquo Auctore graui, etiamsi officiũ sit duplex, nam quamuis id fieri prohibeatur, crediderim tamen, quod non id obliget sub mortali. Curandum nihilominus est, vt Missa quoad maxime fieri possit, sit Breuiario & officio Diurno atq; diuino conformis, nam speciale officium vtilius est, & oratio diei, magis directe & immediate mouet, ad impetrandum aliquid à Deo, vt tradit D. Thom. in 4. d. 45. Qua de re videatur Nau. lib. 3. Cõsil. de celebr. Miss. consil. 6. & Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 1. vbi & dicit, vt non prædictus immutetur ordo, quod qui Missam tenetur celebrare pro defuncto, satisfacit celebrando de Festo. Videatur etiã hac de re Syluest. *verb. Missa, 1, q. 7. in 5. d.* vbi inquit, quod tantum prodest Defuncto Missa dicta de aliquo Sancto, sicut & de mortuis, & e contrario.

ARTICVLVS XXII.

Vtrùm Missa mali Sacerdotis, tantum valeat, ac boni?

Hanc difficultatem tangit D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. vbi eam difficultat, aliquibus argumentis, curiositatis atque exercendi ingenij gratia, in contrariũ propositis. Sed nihilominus assertiue tenet, quod Missa Sacerdotis boni, magis valeat quam mali. Quod vt plenius intelligatur, sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Quantum attinet ad sacramentum, licet non minus valeat Missa mali Sacerdotis quam boni, secus tamen est quantum attinet ad orationes & ad alia.

Quamuis quantum attinet ad Sacramentum, & sacrificium, non minus valeat Missa mali Sacerdotis quam boni, siquidem ab vtroque idẽ Sacramentum conficitur, attamen quantum ad orationes & alia, Missa boni Sacerdotis, magis fructuosa est quam mali. Hæc cõclusio est expressa D. Thom. loco supracitato, & prima ipsius pars nulla indiget probatione, siquidem vt idem ipse dicit ac multis probat in art. 5. & 7. eiusdem quæstionis, mali etiam Sacerdotes consecrant & consecrare possunt, & vt inquit D. Aug. lib. de corp. Domini, & refertur, *in c. intra Ecclesiam, 1. q. 1. & in c. vtrum sub figura, de consec. d. 2. intra Ecclesiam Catholicã, in mysterio corporis & sanguinis Dñi, nihil àbono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia nõ in merito cõsecrantis, sed in verbo perficitur creatoris & in virtute Spirit' sancti.* Sed quod, quoad orationes & alia sit magis fructuosa Missa boni Sacerdotis quã mali, probat idẽ D. Tho. *ex c. ipsi Sacerdotes, 1. q. 1.* vbi habetur, *quod quanto digniores sunt Sacerdotes, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur.* Quod adeo verum est, vt orationibus Sacerdotis existentis in peccato, nullus fructus accrescat apud Deum, quia nullius meriti sunt apud ipsum. Sed intelligendum hoc est, de orationibus particularibus ipsius, nam loquendo de orationibus, quæ à Sacerdote malo in persona totius Ecclesiæ proferuntur, nulli dubium est, quod huiusmodi orationes, quatenus sunt ab Ecclesia, etiã sunt fructuosæ, sed nihilominus, adhuc magis proficuæ ac fructuosæ sunt orationes Sacerdotis boni, quam mali. Nam licet per vtrasque applicetur passio & meritum Christi, applicatio tamẽ & oblatio, quæ fit per Sacerdotem bonum, magis valet apud Deum (cæteris paribus) quam illa, quæ fit per Sacerdotem malum. Videatur hac de re D. Thom. loco supracitato, & Magister Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 6. vbi hac de re plura dicit, eaque notatu dignissima.

ARTI-

ARTICVLVS. XXIII.

Quænam sint iusta Missarũ stipendia?

Prima Conclusio.

Si Missarum stipendia, taxata sunt à Superiore auctoritatem habente, illa cẽ senda sunt iusta, ita vt maiora, vlla ratione nõ possint exigi.

SI Missarum stipendia, taxata sunt a Superiore, auctoritatem habente, illa cẽsenda sunt iusta, ita vt maiora, vlla ratione non possint exigi. Hæc Conclusio est communis, & specialiter eam tenet Suarez, 3. to. ad 3. p. D. Tho. q. 83. ar. 6. disput. 86. sect. 2. & probatur, nam licet Missarum stipendia, nõ sint vere pretia, tamen quatenus in eis dandis, & recipiẽdis, ratio iustitiæ intercedit, seruant proportionem quandam, & in eis necesse est, aliquod medium æqualitatis inueniri, sine qua nec vera ratio iustitiæ, nec medium illius reperiri potest: ergo sicut pretia rerum possunt communi lege, & publica potestate taxari, ita & iusta Missarum stipendia, vltra quam taxationem, aliquid maius exigi non potest. Consequentia patet, à paritate rationis. Et præterea probatur dicta Conclusio, quia cum hoc medium nõ sit ex natura rei diffinitum, non potest certiori modo aut via determinari seu præscribi, quam si lege comuni & publica potestate taxetur, quæ potestas est vniuersalis in Ecclesia & Romanis Pontificibus, particularis vero in Episcopis, respectu suarum diœcesum. Vnde si stipendium Missæ, est communi lege taxatum, siue illud sit sufficiens, vel insufficiens, non licet pro vna Missa, plura stipendia percipere, etiamsi dicatur, illud non sufficere aut satis esse, pro congrua Missam dicentis sustentatione, vt latius dicetur infra.

Secunda conclusio.

Si Missarum stipendium, non sit cõmuni lege taxatũ, illud erit iustum, quod est in communi consuetudine positũ receptum & approbatum, & tale fuerit dijudicatũ arbitrio boni viri,

SI Missarũ stipẽdia, nõ sint cõmuni lege taxata, illud erit iustũ, quod communi cõsuetudine fuerit receptũ, & approbatũ seu quod à viris prudentibus & Deum timentibus, communiter peti & dari solet. Hæc Conclusio & sententia, est vera & magis communis, de qua & videndus est supradictus Suarez vbi supra, conc. 2. vbi & probat eam hac ratione, nam secluſa dicta lege taxante, hæc est communis via censendi, & iudicandi iusta rerum pretia, & vt diximus, hoc Missarum stipendium, quamuis propriè loquendo non sit pretiũ, cum illo tamen proportionem seruat. Et confirmatur, quia non debet committi cuiuscumque voluntati, vt suo arbitrio possit iustũ Missarũ stipendiũ taxare, augere vel minuere, hoc enim repugnaret rationi iustitiæ: ergo quãdo communi lege & auctoritate publica, id non est diffinitum, neque intercedit lex, ex communi æstimatione & consuetudine, quæ vim habet legis, ipsum erit perpendendum atque dijudicandum.

Tertia Conclusio.

In quo casu, pro vna Missa licitũ sit

SI Missarum stipendia, lege aut consuetudine sint iam taxata, & commendantes Missas vt teneantur, noluerint totum illud dare, sed diminutũ stipendium persoluere, in tali casu licebit Sacerdotibus, pauciores Missas dicere, & aliquid amplius percipere, non quidem habita ratione, ad decentem & congruam Sacerdotis sustentationem (vt amplius infra dicemus) sed ratione habita, ad quantitatem iusti stipendij, debitam secundũ legẽ, aut cõmunẽ cõsuetudinẽ; ac iustam æstimationẽ, nec vlla in hoc est obligatio restituẽdi. Hæc cõclusio etiã est certa, & quæ cõmuniter tenetur à Doctoribus, de qua videatur Suarez vbi supra, quæ & verũ habet quãmaxime, quãdo iustũ Missarum stipendium, per legem seu per consuetudinem taxatum, sine scandalo & litibus atque alijs inconuenientibus exigi non potest; in tali casu inquit Suarez, licitum est stipendium taxatum & certo sibi debitum, ex lege aut consuetudine percipere, sicut de alijs debitis liquidis & certis, quæ non possunt commode exigi, dicunt communiter Doctores. Sed aduerto, quod cum huiusmodi stipendium, consuetudine vel communi lege taxatum, non cõsistat in indiuisibili, sed suam habeat latitudinem, vt & illam habent omnium rerum pretia, in quibus solent gradus distingui atque assignari, infimum, medium, & summum, si quis Sacerdos, semel fuit contentus, cum stipendio mediocri vel infimo (dum tamen illud sit iustum) non potest postea, Missas pro arbitrio suo, ad minorem numerum redigere, reducendo ipsas ad summum & rigorosum stipendium. Nam hoc esset contra iustam dantis voluntatem, & etiam esset furtum & iniusta acceptio rei alienæ, inuito rationabiliter domino, ita tenet Suarez vbi supra, & Cord. lib. 1. sui quæstionarij q. 4. Quæ omnia intelligenda esse sentio, dum tamen ex parte Missas commendantis, non interueniat manifesta iniustitia, cogendo pauperes Sacerdotes, ad hoc vt vili stipendio sint cõtenti & illo quod nulla ratione pertingit, nec versatur intra latitudinem iusti precij, alias non commendatarius; vt ipsi Sacerdotes vi & egestate oppressi, vocetenus promittant tot aut tantas Missas se dicturos. Nam in hoc casu, non obstante hac verbali promissione, crediderim, quod possint licite minuere Missarum numerum, reducendo ipsas ad iustum, quamuis non rigorosum precium siue stipẽdium. Quod maxime verum habet, in opinione eorum, qui tenẽt iustum Missarum stipendium, esse congruam aut saltim pusillam & exilem Sacerdotis sustentationem. Sed nota & pondera verba illa, *saltim pusillã & exilem sustentationem*, nam loquendo de congrua & decenti (quod aiunt) sustentatione, contrarium omnino esse dicendum videtur, quia multis pateret locus fraudibus, de quo sit quarta conclusio.

plures pietatias recipere.

Nota hoc valde.

Nota hoc valde, pro Missarum stipendijs.

Quarta Conclusio.

Iustum Missarum stipendium, non est pẽsandũ aut considerãdũ ex congrua & decenti Sacerdotis sustentatione, neq;

IVstum Missarum stipendium, non est pensandũ aut considerandum, ex congrua & decenti Sacerdotis sustentatione, neque ex integra pecuniæ quantitate, qua Sacerdos indiget ad suam cõgruam & decentẽ sustentationem, & maxime taxata ad libitum. Hæc conclusio statuitur contra Magistrum Sotum, & alios tenentes contrarium. Sed nihilominus nostram sententiam, tenet Medina, Nauarr. Cordu & Suarez locis supracitatis, quæ

ex 1. 4. grape cuniæ quanti tate, qua Sacerdos indiget, ad ſuam cõgruã & decentem ſuſtẽtationẽ, maxime taxata ad libitum.

quæ & probatur, primo ex conſuetudine Eccleſiæ, nam Eccleſia taxans interdum iuſta Miſſarum ſtipendia, non attendit ad pinguem, congruam atque decentem Sacerdotis ſuſtentationem, ſed ad puſillam & exilem, & ſine qua, vt ſic loquamur, viuere non poſſunt. Secundo probatur, nam ſi tota ſuſtentatio congrua & decens, debereturSacerdoti, pro vnius Miſſæ ſtipendio, ſequeretur, quod Sacerdoti valde honorato, atque in dignitate conſtituto, plus ſtipãdij deberetur, quam alteri, pluſque poſſet ipſe iuſte percipere, quod dicere innumera atque ingentia afferre poſſet inconuenientia, quæ conſulto in præſentiarum referre non libet. Præterea probatur concluſio, nam actio ſacrificandi vt de ſe patet, non requirit integrum diẽ, ſed ad amplius, vnam horam aut dimidiam, non eſt igitur cur Sacerdos, propter hoc ſolummodo miniſterium, congruam totiusdiei expoſcat ſuſtẽtationem. Exerceatur in alijs rebus, & ſi opus fuerit, labore aliquo decẽti & pertinẽte ad honeſtatem, & ſi neſcit diſcat. Neque enim id facere, alienum erit à iure, & ab antiqua Eccleſiæ conſuetudine, quinuero ipſi multum conforme, iuxta id quod ſtatutum olim erat, in Conc. Carth. 4. ca. 52. & habetur, *in c. Clericus victum 91. diſt.* vbi præcipitur Clericis, de labore manuum ſuarum victum quærere, ſine ſui officij detrimento, & idem habetur in alijs Capitulis eiuſdem diſtinctionis, quæ videri poterunt.

Quinta Concluſio.

Non poteſt Sacerdos, ſeruata, iuſtitiæ æqualitate, ratione vnius Miſſæ, percipere niſi vnũ iuſtũ & adæquatum ſtipẽdium, & contrarium facere eſt contra iuſtitiam, regulariter loquendo.

NOn poteſt Sacerdos, ſeruata iuſtitiæ æqualitate & æquitate, ratione vnius Miſſæ, percipere niſi vnum iuſtum & adæquatum ſtipendium, ſiue ab vna ſiue à multis perſonis, & contrarium facere, omnino eſt cõtra iuſtitiam, atq; mortale peccatũ, & obnoxium reſtitutioni. Hæc Concluſio eſt Nauarr. in Man. c. 25. num. 67. vbi latiſſime hac de re agit, & de obligatione applicandi totũ valorẽ Miſſæ, ei qui iuſtum ſtipendium dedit. Videatur hac etiam de re, ſupradictus Suarez loco ſupraciato, vbi excuſat Caietanum, aſſerendo, quod nũquam ille dixit contrarium, aut quod cum vna Miſſa, Sacerdos pluribus poſſet facere ſatis obligationibus. Hæc concluſio, nulla alia indiget probatione, cum ſatis conſtet ex ſupradictis, & ſic finem impono propoſito Articulo.

ARTICVLVS XXIIII.

Vtrùm Epiſcopi & Religionum Prælati Generales, ex cauſa poſſint reducere Miſſas, quæ dicuntur Capellarum, ſeu Anniuerſariorum, ad minorem numerum?

Concluſio.

Epiſcopi, & Generales Ordinũ, ex permiſſione & decreto Conc.

EPiſcopi & Generales Ordinum, ex permiſſione & decreto Conc. Tridentin. poſſunt Capellarũ & Anniuerſariorũ Miſſas, iuſta interueniente cauſa, ad minorem numerum reducere. Hæc concluſio, nõ aliter probari poteſt, quam referendo verba eiuſ dẽ Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de reformat. c. 4.* hac de re agẽdo, vbi ſequentia habentur, *Quia ſæpe contingit, in quibuſdam Eccleſijs, vel tam magnum Miſſarum celebrãdarum numerum, ex varijs defunctorum relictis impoſitũ eſſe, vt illis pro ſingulis diebus, à teſtatoribus præſcriptis, nequeat ſatisfieri, vel eleemoſynam huiuſmodi pro illis celebrandis, adeo tenuem eſſe, vt non facile inueniatur qui velit huic ſe muneri ſubijcere, vnde pereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur; ſancta Synodus, cupiens hæc ad pios vſus relicta, quo plenius atque vtilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, vt in Synodo Diœceſana, itemq; Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua cõſcientia, in prædictis Eccleſijs, quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem, viderint expedire. Ita tamen vt eorũ ſemper defunctorum, cõmemoratio fiat, qui pro ſuarũ animarum ſalute, ea legata ad pios vſus reliquerunt.* Hæc Concilium vbi ſupra. Quod intelligendum eſt eos poſſe facere, diſpenſando vt ex multis pitantijs, efficiatur vna, victui diurno neceſſaria & ſufficiens, ad ſenſum ſupradictum in præcedenti Articulo, & reducendo Miſſas ad minorem numerũ. Circa quam Conſtitutionem, inſurgit difficultas, an id poſſint etiam facere Epiſcopi, & prædicti Prælati, in Eccleſijs ſibi ſubiectis extra Synodum, vel generale Capitulum? Et videtur quod non, nam Concilium præcipit, vt id fiat in Synodo, ſeu in Capitulo Generali, atque vt dicitur in expreſſis non eſt locus coniecturis. Sed nihilominus, quantum ad Epiſcopos, contraria ſententia eſt verior, nempe quod Epiſcopi, ad hoc vt temperare poſſint, onera dicendi plures Miſſas, in beneficijs ſiue Capellanijs ſibi ſubiectis, nõ indigẽt conſenſu Congregationis Synodalis. Hoc tenet Enriquez, 2. tom. tit. 9. de Miſſa, c. 22. num. 6. lit. p. & dicit eſſe communem opinionem omnium recentiorum. Idem tenet Naua. in Manual. c. 25. nu. 138. vbi addit quod Epiſcopi id poſſunt facere iure communi, neque quoad eos Concilium ſtatuit ius nouum, ſed ſeruari iuſſit antiquum, quod probat ex multis capitulis: Sed quoad Abbates & Generales, dicit factum fuiſſe ius nouum, & quod nõ id facere poſſunt, niſi in generali Capitulo, vt ibidem dicitur. Et aduerto quod in vtriſque, intelligenda eſt ſupradicta facultas illis conceſſa, reſpectu earum Miſſarum, quæ ante prædictum Conc. Trid. erant impoſita, in magna multitudine, & cũ magno onere, non vero de alijs, quæ de nouo occurrunt, & ita fertur fuiſſe declaratum ab Illuſtriſſimis Cardinalibus ſanctæ Congregationis, Concilij interpretibus, anno 1578. vt teſtatur Paraſellus, in Comp. de priuil. fol. 232. & quod hac de re conſultata dicta Congregatio, reſpondit, hanc taxationem eſſe intelligendam, de Miſſis tantum, non vero de alijs ſuffragijs, neque de Miſſis in fundatione poſitis, ſed pro alia cauſa à teſtatoribus relictis. Sed reuera, eadem cauſa & ratione exiſtente, in his & in alijs ſimilibus, nõ videtur, cur Epiſcopi & Abbates, & Prælati Generales, idem etiã facere non poſſint, habito ſemper reſpectu ad intentionem prædicti Concilij Tridentini, & curando

Triden. benè poſſunt, capellarum & anniuerſariorũ, Miſſas iuſta interueniente cauſa, ad minorem numerum reducere.

Difficultas,

Nota hoc valde.

do quammaxime, circumspecti esse in re tanti pōderis ac momenti, qualis est facultas de mutanda testatorum voluntate, quod proinde in iure soli Papæ reseruatur. Vnde ad faciendam prædictam Missarum taxationem, siue diminutionem, non debent nisi cum magna cautela, & iusta causa procedere, atque ita id facere, vt quanto minus fuerit possibile, voluntas testatorum atque institutorū, Capellarum siue Anniuersariorum defraudetur, & quod dicta diminutio re aliqua alia compensetur, & fiant pro prædictis defunctis aliquæ memoriæ, seu commemorationes & collectæ, quod maxime consulit Nau. *lib. 3. Consil. de celebrat. Miss. consil. 6. num. 9.* Et hæc de isto Articulo & de tota hac Quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO. XLII.

De Religiosis, quantum ad administrationem sacramenti Eucharistiæ, in Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religiosi & Regulares, administrare possint sæcularibus, Sacramentum Eucharistiæ, absque licentia suorum Paræcianorum?

Conclusio.

Prohibitū est Religiosis et Regularibus administrare sæcularibus, sacramentum Eucharistiæ, absque parochialis presbyteri licentia.

CVnctis prohibitum est Religiosis & Regularibus de iure communi, administrare sæcularibus sacramentum Eucharistiæ, absque parochialis Presbyteri speciali licentia, & contrarium facientes sunt excommunicati ipso facto, & absolutio Sedi Apostolicæ reseruatur, non obstantibus quibuscumque. Hæc conclusio habetur expressa, *in Clem. Religiosi, de priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum.* vbi omnia supradicta habentur verba. Nec solum prohibitum est ipsis, Eucharistiam ministrare laicis, verum etiam Sacramentum extremæ vnctionis; & matrimonia solemnizare, aut excommunicatos absoluere, præterquam in casibus à iure expressis, vel priuilegio Sedis Apostolicæ eisdem concessis. Idemque est iudicium, de sentētijs per statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis: & quantum ad hoc, generali Religiosorum comprehenduntur nomine omnes communiter Regulares, de quibus diximus supra, quæst. 10. art. 1. & sequentibus, nam non est in votis hic, quæ iam semel dicta sunt, iterum referre.

Nota circa licentiam requisitam, generalem vel specialem, ad administranda Sacramēta

Sed circa licētiam, in id necessario requisitam, est aliqualis controuersia inter Doctores, & omissis alijs dicendi modis, dico breuiter, necessariā esse parochialis Presbyteri licentiam specialem, vt in cap. Clement. habetur: sed per hoc quod dicitur specialis, non tollitur, quin sufficiat generalis, subdito aut confessario tradita. Nam generalis clausula, sub se etiam comprehēdit omnia particularia & specialia, nisi de mente proponentis cōtrariū cōstet, euidētia quadā morali, prout habetur in iure, *in l. qui pecuniam, ff. de pecul. lega. & l. qui peculium, ff. de pecul. & l. si quando, C. de inoffic. testam. & ibi glossa.* Vnde si parochus aliquis, det licentiam sibi subdito, vt a quocumque Sacerdote possit Eucharistiam sumere, haud dubium est, quod possit eam etiam recipere à Religioso, & respectu illius sit quasi specialis, quia non est credendum, quod dans prædictā licentiam sic generalem, voluerit Religiosos excipere in particulari, aut sub ea non comprehendi, quidquid circa hoc aliqui dicant, adducendo rationem quandam satis friuolam. Quæ quidem ratio, non militat in proposito casu; imo omnino cessat: nam maiori atque potiori ratione, prædicta licentia extendi debet ad Religiosos, vtpotè communiter loquendo magis idoneos, ad dictum ministerium peragendum, quam ad Clericos, non ita vt plurimum sufficientes & idoneos. Neque negari potest vllo modo, quod in licentia & concessione generali, veniant intelligēda, etiā ea, quæ specialiter quis esset concessurus, si ab ipso peterentur, prout habetur in iure, *l. 1. C. quæ res pigno. dari.* Et vt hac in re omnis dubitādi tolleretur occasio, habetur in Suppl. fo. 101. concel. 401. quod Eugenius IIII. illud iam olim declaranit, *quod quando Sacerdos parochialis, dat licentiā suo subdito, vt à quocūque recipere possit Eucharistiā, in eo casu possit eam recipere à Religiosis, quibuscumque non obstantibus, &c.*

Nota quod generalis clausula, sub se comprehēdit, omnia particularia & specialia, nisi cōtrarium constet, de mente proponentis.

Nota quod in licentia & cōcessione generali, intelligēda veniūt quæ specialiter quis esset cōcessurus, si ab eo peterētur.

Addo, quod quamuis licentia prædicta plebani seu parochiani Presbyteri, specialis aut generalis modo supradicto, sit necessario requisita, ad hoc vt Regularis siue Religiosus, sæcularibus ministrare possit Sacramentum Eucharistiæ, sufficiet tamen superque satis erit, si eam aliashabuerit ab Episcopis, & multo melius atque potiori ratione si à Summo Pontifice, cum hi omnes secundum ius & sacros Canones, dici possint & debeant plebani, & paroeciani suarum diœcesum & Ecclesiarum, & Summus Pontifex totius vniuersalis Ecclesiæ. Nec enim est alienum à iure, diœcesim totam, Parochiam nuncupari vt constat, *ex c. de parochia, & c. ad hæc, de offic. Archid.* quod etiam tenet Innoc. *in c. cum non ignores, de præb.* & Hostiensis, *in c. omnes, de pœnit.* idem tenet Sot. in 4. d. 18. quæst. 4. art. 1. ic.

art.3. Horum tamen, vt præmiſſum eſt, licentianõ exiſtente, nullatenus poſſunt Regulares, ſiue Religioſi, laicos communicare. Nã præterquã quod id eſt ſibi iure prohibitum, per ſupradictam Clementinam, eiuſmodi actus de iure, etiam requirit iuriſdictionem, vt conſtat ex Conc. Carthag. 1. c. 7. & ex Cõc. Mileu. c. 8. Vnde adhuc prædicta Clementina non extante, ſine Ordinarij licentia, peccatum eſſet mortale de ſe, Religioſos laicis, hoc Sacramentum miniſtrare, vtpote factum ſine debita iuriſdictione & facultate. Quod eſt intelligẽdum, niſi alias adeſſet bona fides, & intercederet præſumpta vel interpretatiua voluntas paſtoris, tunc enim poſſet excuſare peccatum omne, aut ſaltem mortale. Quam quidem ob cauſam, ſemper vſu & conſuetudine poſitum atque receptum fuit, vt ad id faciendum, extraherentur atque impetrarentur, à Summis Pontificibus particularia priuilegia; nihil ob aliud, niſi quia ſemper omnes intellexerunt, ad debitè hoc ſacramentum fidelibus adminiſtrandum, prædictam requiri iuriſdictionem, & ſine ipſa, id omnibus eſſe interdictum ſed maxime Religioſis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſit aliquod priuilegium Apoſtolicum, conceſſum Regularibus, ſiue Religioſis, vt poſſint fidelibus laicis, hoc ſacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare?

PRo huius Articuli intelligẽtia, præmitto, quod omnia priuilegia conceſſa Religioſis, ad hoc ſacramentum adminiſtrandum, ante dictam Clementinam ſeu conſtitutionem Clementis V. (quidquid alij contendant dicere, fuerunt per ipſam reuocata, vt ex eadem conſtat, ibi, *nullo Religioſis eiſdem, ſuper hoc exemptionis, vel alio priuilegio ſuffragante.* Quod firmiter credo eſſe verum, & contrarium dicere, non habere videtur vllam ſpeciem probabilitatis, vt enim dicitur, in expreſſis non eſt locus coniecturis. Sed quamuis hoc ita ſit, non potuit tamẽ prædictus Summus Pontifex, ligare manus aliorum ſummorum Põtificum, ſuorum ſucceſſorum, quin & ipſi poſſent, iuſta exiſtente cauſa ſi vellẽt, eiſdem Regularibus & Religioſis, iterum eamdẽ indulgẽtiam & facultatem concedere, cum par in parem non habeat imperium & poteſtatem, idque maxime in humanis conſtitutionibus, quæ pendent ex mera concedentium voluntate, vt cõſtat ex multis iuribus á me breuitatis gratia omiſſis. Vnde ſicut Clemens V. potuit tollere circa hoc, Religioſorum exemptionem, atque reuocare priuilegia facta & conceſſa Regularibus, à ſuis prædeceſſoribus, potuerunt etiam ipſius ſucceſſores, decreta ab ipſo facta, & inſtituta circa hoc reuocare, cum æqualis ſit poteſtas in omnibus, & omnes in iure Põtificio æqualiter ſuccedãt, cũ pleni tudine poteſtatis, iuxta id, quod habetur in iure, *in c. propoſuit, de conceſ. præben.* potuit ergo in hiſce rebus fieri mutatio & variatio, atque ita effectum eſt de facto. Quapropter reſpondendo propoſito Articulo, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Poſt ſupradictam Clementem V. nõnulla ſunt Regularibus conceſſa priuilegia, quibus poſſunt abſq; cuiuſuis licẽtia, laicos cõmunicare.

POſt ſupradictum Clementem V. aliqua ſunt conceſſa priuilegia, Regularibus ſiue Religioſis, quibus abſque cuiuſuis presbyteri Curati ſeu alterius licentia, laicos poſſent communicare. Hæc concluſio non aliter probanda eſt, quam adducendo & referendo eiuſmodi priuilegia. Primũ priuilegium ad id conceſſum, poſt ſupradictũ Clementem V. fuit Nicolai etiam V, & habetur in Monumentis Ordinis primæ impreſsionis fol. 30. & ſecundæ, fol. 114. conceſſ. 249. & in Supplem. fol. 55. conceſſ. 159. & refertur in Compendio, *verbo, communicare*, §. 4. qui quidem *conceſsit Generalibus, et Prouincialibus Miniſtris, et omnibus Confeſſoribus Ordinis Minorum, deputatis ad audiendas confeſsiones ſeculariam, vt poſsint omnibus quarumcumque diœceſum, quorum confeſsiones audierint, ſacratiſsimi corporis Dominici communionem dare, omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ.* Eandem conceſſionem ad literam fecit poſtea Sixtus IIII. vt habetur in locis ſupradictis & Refertur in Compendio vbi ſupra §. 5. quinuero & Leo X. de nouo conceſſit id ipſum, quod Nicolaus V. & Sixtus IIII. & declarauit, *quod licet audire confeſsiones ſæcularium, non poſsint niſi in ſupradictis Breuibus nominati, miniſtrare tamen ſacramentum Euchariſtiæ, tempore conceſſo, poſſet quilibet Sacerdos Religionis.* Et circa id quod dicitur de die Reſurrectionis, declarauit, *quod nõ poſſit miniſtrari Sacramentum Euchariſtiæ, in die quo celebratur feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti dumtaxat, ſine Rectoris parochialis, aut Diœceſani licentia.* Ita habetur in Supplemento, fol. 58. conc. 160. & refertur in Compendio, verbo, vbi ſupra, §. 9. Idem conceſſit poſtea Iulius II. prout habetur in Supplem. fol. 11. conceſſ. 43. pro Ord. Minimorum & refertur in Compend. vbi ſupra, §. 13. Ex quibus conſtat, qualiter licitum ſit Religioſis atque Regularibus quibuſcumque, priuilegium communicationis habentibus, laicos, quorum audierint confeſſiones communicare, ipſiſq; Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare. Et aduerto, quod pro familiaribus noſtris atque domeſticis, & pro pauperibus in hoſpitalibus noſtris degentibus, nulla per ſupradictum Clementem V. facta eſt reuocatio aut prohibitio, & quod Religioſi exiſtẽtes ibidem, ſacramentum Euchariſtiæ, quinuero & omnia Eccleſiaſtica ſacramenta, eiſdem poſſent adminiſtrare, ſi ad id haberent licentiam, aut priuilegium, nam hoc expreſſe excepit prædictus Clemens V. à generali illa ſua prohibitione, in fine eiuſdem Clementinæ, in illis verbis, *ſane Religioſis illis*, vſque, *nullum ex præmiſsis volumus quoad hoc præiudicium generari.* Sed circa ſupradicta priuilegia, eſt difficultas, quid intelligatur per illa verba, *præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ*, & quid dicere voluerit poſtmodum, Leo X. declarando, *quod non poſsint miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, in die quo celebratur feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti dumtaxat ſine Rectoris parochialis, aut Diœſani licentia?* Circa quod quidem, multi multa dicunt,

Difficultas.

dicunt: ſed omiſſis varijs dicendi modis, rebus omnibus intime conſideratis, hac de re ſequentem ſtatuo concluſionem.

Secunda Concluſio.

Dici Paſchatis nomine, in d. clemen. intelligenda eſt, cõmunio paſchalis, qua Eccleſiæ præcepto fit ſatis.

PEr diem Paſchatis, ſiue per diem Reſurrectionis, intelligenda eſt communi paſchalis, non quidẽ materialiter ſed formaliter, hoc eſt, prout præcepta eſt à lege, quæ ſtatuit ſemel in Paſchate communicare. Hæc Concluſio, & ſententia eſt Patris Suarez, 3. tom. ad. 3. part. D. Thom. quæſt. 80. artic. 11. diſput. 70. ſect. 2. ibi, *ſentio igitur veriorẽ opinionem*, vbi aſſerit, nomine Paſchatis, intelligi numerum illum quindecim dierum, à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiue, in quibus, ex decreto Eugenij IIII. quolibet ipſorum dierum communicando, adimpletur præceptum, poſitum *in c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. et remiſſio.* Iuxta quam explicationem dico, quod illa communicatio Paſchalis, in dicto capitulo fieri præcepta, interdicta eſt Religioſis, & præceptũ vt nõ ſupradicto tẽpore laicos cõmunicẽt, ſine Rectoris parochialis, aut Diœceſani licẽtia. Quod ſicinſtitutum & præceptum fuit, vt ſaltem hoc tempore oues recognoſcerent vultum ſui Prelati, atque paſtoris: facta tamen tali communione, & adimpleto iam Eccleſiæ præcepto, licitum eſt ipſis, ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, ſiue id fiat prima die Reſurrectionis, ſiue alio quocumque die. Vnde dico, quod vbi eſt conſuetudo legitima & præſcripta, ſatisfaciendi ſupradicto præcepto, cõmunicãdi in quolibet Quadrageſimæ die, non etiã poterunt Regulares, & Religioſi, laicos communicare, quantum ad effectum adimplendi huiuſmodi præceptum, etiam in die Cineris ſine Diœceſani licentia, nam quantum ad hoc ille cenſetur eſſe dies Paſchatis, ſiue Reſurrectionis: ſecus eſt (vt dixi) ſi voluerint ob deuotionem id facere, & poſtea vt præceptum adimpleant, iterum communicare.

Difficultas.

Sed vlterius eſt difficultas, an ſit aliquod priuilegium conceſſum, quo Regulares poſſint laicos communicare, etiam in ipſo die Paſchatis ſiue Reſurrectionis? Et ratio dubitandi eſt, quia in Compendio Ordinis D. Hieronymi, §. 2. & 6. continetur, quod Nicolaus V. anno 1458. Pontificatus ſui anno 4 quarto Kalend. Octobris, conceſſit Fratribus prædicti Ordinis, *quod deputati, vel pro tempore deputandi Confeſſores, in Monaſterio Beatæ Mariæ de Guadalupe, ſacramentum Euchariſtiæ, quibuſcumque perſonis, ad prædictum Monaſterium confluentibus, etiam in die Paſchatis miniſtrare, libere et licitè poſſint, Diœceſanorum aut cuius libet alterius licentia minime requiſita.* Quod vt ibidem dicitur, Paulus III. confirmauit etiam & ampliauit, anno 1. ſui Pontificatus, 13. Kalend. Februarij, vt fuit acceptum teſtimonio Illuſtriſſimi Antonij cuiuſdam Cardinalis, ſeu Pœnitentiarij Apoſtolici, *et quod ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, non obſtantibus contrarijs quibuſcunque.* Quæ quidem conceſſiones, quamuis (vt dictum eſt) fuerint ſpecialiter factæ, prædicto Monaſterio de Guadalupe, tamen vt dicitur, per conceſſionem Pij IIII. & Pij V. illæ & ſimiles conceſſiones, factæ particularibus Monaſterijs dicti Ordinis, factæ ſunt poſtea communes, omnibus Monaſterijs eiuſdem Ordinis, etiam ſi in his non militarent cauſæ & rationes, propter quas fuerunt alijs conceſſæ atque indultæ, vt dicitur in Compendio D. Hieronymi. Hoc ſuppoſito atque præmiſſo, cũ ſupradictum priuilegium, factum fuerit iam totius dicti Ordinis, eſt opinio atque ſententia quorundam Auctorum, quod ipſo poterunt etiam vti & frui omnes Ordines & Religiones Mendicantes, & alij qui priuilegium habent communicationis, & Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare omnibus Chriſti fidelibus in ſuis Eccleſijs, etiam in die Paſchatis ſiue Reſurrectionis, & quod ſic communicando, ſatisfaciunt ipſi laici Eccleſiæ præcepto. Nec prædictis, inquiunt obſtat, quod in multis Religionibus, abhinc multis retro annis, ſeruata ſit conſtitutio Leonis X. & aliorum Summorum Pontificum, præcipientium atque ſtatuentium, vt communio laicis non daretur, in die Reſurrectionis, ſiue in die Paſchatis: ex quo videtur quod per non vſum ſit ſublata conceſſio prædicta, & alia facta à Iulio II. de qua ſupra, facta Fratribus Minimis, & aliæ conceſſiones factæ Ordini D. Hieronymi: præſertim cum Regularium priuilegia à Sũmis Põtificibus nõ cõfirmẽtur, niſi quatenus ſunt in vſu. Nam huic obiectioni, inquiũt, dici poteſt, quod cõfirmãdo Põtifices priuilegia, quatenus ſunt in vſu, non reuocant aut reuocare videntur, ea quæ non ſunt in vſu, quia priuilegia ſunt ſtricti iuris, & in ipſis, non valet argumentum à contrario ſenſu, licet iure communi valeat in alijs, & regulariter loquendo; Sicque confirmando illa quatenus ſunt in vſu, relinquuntur alia in ſuo robore, quod antea habebant. Vnde cum prædicta priuilegia, non fuerint expreſſe reuocata, videtur Auctoribus prędictis, quod ſuã vim & robur habent etiam modo, cum Pius V. & alij Summi Pontifices, generaliter omnia noſtra priuilegia confirmauerint, cum clauſula, *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, per quam dictam clauſulam confirmati videntur, etiam ea priuilegia, quæ per non vſum ſunt abrogata. Prædictis omnibus accedere dicunt, quod Sixtus V. Pontifex Maximus in ſua Bulla, vbi fecit etiam confirmationem, omnium priuilegiorum noſtri Ordinis Minorum, regularis Obſeruantiæ, confirmauit ea ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, & ſubticuit ſiue nõ appoſuit verba illa, *quatenus ſunt in vſu*, ex quo ſecũdum communem modum, prædictas clauſulas interpretantiũ, videtur colligi, quod non ſolum dicta priuilegia confirmauerit, verum etiam & de nouo conceſſerit illa, ac per conſequens de nouo viſum fuit concedere, ſupradictum priuilegium Iulij II. factum Fratribus Minimis, & illa alia quæ conceſſa fuerunt prædicto Ordini D. Hieronymi, in quibus nulla facta fuit exceptio de die Paſchatis. Et cum prædicta priuilegia Ordinis D. Hieronymi, tam ſint recenter cõceſſa, videtur etiam, quod non poſſit allegari contra ea, non vſus ſeu derogatio per non vſum, qui legitimam inducat præſcriptionem, præſertim cũ non vſus minime præiudicet ignorãtibus, & talis non vſus ex ignorantia priuilegiorum fuerit introductus, in dictis Religionibus. Hæc dicunt Doctores ſupradictæ opinionis, quos honoris & reue-

Nota priuilegium, quod habent Monachi Ord. D. Hieronymi, Hiſpaniæ reſidentes in conuentu dominæ noſtræ de Guadalupe.

Notaquod in priuilegijsnõ valet argumentum a cõtrario ſenſu, licet valeat in alijs.

reuerentiæ cauſa, hic referre aut nominare nolui.

Sed quamuis prædicta omnia, ſtando in puncto iuris, ac ſecundum communem Doctorum doctrinam, qui agunt de priuilegiorum interpretatione & declaratione, vtcumque verum habeant, contrarium tamen credo eſſe tenendum, & prædicandum, ſaltim propter ſcandalum. Vnde reſolutiue dico, quod cum ſecura conſcientia, & abſque maximo peccati atque etiam excõmunicationis periculo, Fratres Mendicantes vtcumque priuilegium habentes communicationis, vti non poſſunt modo, ſupradictis priuilegijs, conceſſis ordini D. Hieronymi & Minimorum, neque communicare laicos, in die Paſchatis, neque vero oportet id vllo modo facere, aut prædicta priuilegia publicare, cum Curati id nimis ægreferant, & Epiſcopi quammaxime contradicant, & nolint circa hoc, eiſdem aliud priuilegium ſuffragari, niſi ſolummodo ſupradictum Leonis X. vbi excipitur dies Paſchatis, ſeu Reſurrectionis, & in ipſo ſibi interdicitur laicos communicare.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm deficiente Parocho, & vrgente aliqua neceſsitate, Religioſi poſſint infirmos communicare, in mortis articulo, ſine Parochi ſpeciali licentia & priuilegio?

HAc in re Doctores inuenio, inter ſe cõtrarios & diuiſos. Nauar. enim in Manuali, capitul. 21. num. 52. expreſſe dicit, quod Religioſi & alij Sacerdotes, non poſſunt ſine Parochi licentia, expreſſa vel tacita, aut priuilegio, (etiam extra Quadrageſimam aut Paſcha) in infirmitate ſiue mortis articulo, quempiam communicare, ſeu Euchariſtiæ ſacramentum alicui miniſtrare. Ad quod adducit Cardinalem *in Clement. 1. de priuileg. q. 1.* & Sylueſtrũ *verbo, excommunicatio, 7. excommunicatione* 14. §. 3, & ait, quod contrarium facientes peccant mortaliter, niſi ignorantia eos excuſet, quodq; qui abſq; tali licẽtia illud miniſtrat, ſi eſt Religioſus, remanet excommunicatus *per ſupradictam Clementinam primam de priuilegijs.* Sed nihilominus ſententia Nauarri, quantum ad infirmos attinet, & loquendo de mortis articulo, alijs Auctoribus non infimæ qualitatis, videtur ſcrupuloſa atque nimis rigoroſa, neque communiter tenetur: nam inquiũt in tali caſu, eſſe videtur generalis Parochianorum licẽtia præſumpta, & hoc ſufficit, ad hoc vt quilibet Sacerdos, etiam Religioſus, abſque peccati ſeu excommunicationis periculo, poſſit id facere. Et quia hæc ſententia eſt magis pia, pro ea ſequẽtem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

In caſu vrgentis neceſſitatis ſiue infirmitatis & exiſtente mortis articulo, deficiente Parocho, licet abſq; ipſius licentia & priuilegio infirmũ iam moriẽtẽ communicare.

IN caſu vrgentis neceſſitatis ſiue infirmitatis, & exiſtente mortis articulo, deficiente Parocho, probabile eſt, licitum eſſe cuilibet Sacerdoti, abſque ipſius ſpeciali licẽtia ſiue priuilegio, infirmum iam iam morientem communicare, idque facere poſſunt, citra omne peccatum, & periculũ excommunicationis, etiam ſi ſint Religioſi. Probatur hæc Concluſio, nam ſi propter aliquam rationem & cauſam, id fieri nõ poſſet, maxime quia actus communicandi & miniſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum (vt ſupradictum eſt) de iure communi, requirit iuriſdictionem, & ſine priuilegio fieri non poteſt, niſi à proprio Parocho, ſeu ab alio ipſius licentiam habente, idque præſertim in die Paſchatis, vbi etiam cum priuilegio fieri prohibetur, per ſupra allegatam Conſtitutionem Leonis X. & aliorum Summorum Pontificum, & quia caſus communicandi infirmos, in articulo mortis exiſtentes, videtur ſimiliter reſeruatus proprijs Parochis, cum ſit actus diuini præcepti adimpletiuus, de communicando in articulo mortis: ſed hæc ratio non ita premit, vt cum maximo fundamento, contrarium dici aut affirmari non poſſit: ergo intentum. Conſequentia eſt legitima. Probo minorem, nam in tali caſu, vrgens neceſſitas, cum aliqualiter videatur extrema, dum vt ſupponitur inſtat periculum mortis, & haberi non poſſit præſentia Parochi, aut poſtulari ipſius licentia, diſpẽſare videtur in hoc, quod quilibet Sacerdos, licite poſſit viaticum dare infirmo, ſiue ſit Religioſus ſiue non, id quod & facere tunc videbitur, ex licẽtia ſaltem rationabiliter præſumpta eiuſdem Parochi, de quo nullatenus eſt dubitandum aut præſumendum, velle ipſum, quod eius parochianus ſine viatico moriatur, & ſine perceptione Euchariſtiæ Sacramenti diſcedat. His omnibus addi poteſt, quod quando Parochi voluntas, adeo eſſet iniqua & iniuſta, vt de ea contrarium colligi aut dubitari poſſet, in dicto caſu adeſſe videtur, ſaltẽ voluntas Epiſcopi, aut Summi Pontificis, omnium ſummi & ſupremi Parœciani, etiam rationabiliter præſumpta, de quibus non ſolũ poteſt, quinuero debet præſumi, quod idipſum velint in tali caſu: ergo id facere abſque vllo priuilegio, & ſine Parochi licentia, non erit illicitum. Quod etiam, hac ratione confirmatur à ſimili, nam iure cõmuni, conceſſa eſt cuilibet ſimplici Sacerdoti licentia, vt in abſentia Parochi, audire poſſit cuiuslibet confeſſionem, in articulo mortis exiſtentis: ergo & eodem iure, licitum erit etiam cuilibet, eadem neceſſitate vrgente, & proprio Parocho nõ exiſtente, ſupradictum infirmum communicare, eique ſacramentum Euchariſtiæ præbere. Nam quamuis Euchariſtiæ Sacramentum, nõ ſit ita ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium ac Pœnitentiæ, eſt tamen valde neceſſarium: & licet etiam neceſſitas ſumendi ipſum, non ſit extrema, eſt tamen valde grauis, & quammaxime conſolatoria decedẽtibus, & in articulo mortis exiſtẽtibus, habere viaticum, & hoc ſufficit, vt abſque omni priuilegio, & Parochi licentia, cum ſola voluntate interpretatiua, & rationabiliter præſumpta, ipſius Parochi, aut Epiſcopi ſeu Summi Pontificis, vel etiã communis iuris (quod in tali caſu diſpenſare videtur) id facere ſit licitum. Qui huic ſententiæ & opinioni adhærent, dicũt, quod ſupradicta omnia procedunt, loquendo ſine priuilegio, quidquid dicat Soto in 4. diſt. 12. q. 1. art. 11. §. 2. & Suarez, 3. tom. ad 3. part. D. Thom. q. 82. art. 3. diſputatione 72. ſect.

72. ſect. 2. dubio vltimo, & Emmanuel Roderic. to. 1. quæſt. 56. art. 4. & 5. quia loquendo cum priuilegio & iuxta conceſſiones ſupradictas, nulla prorſus eſt difficultas, nam Leo X. & alij Summi Pontifices, nullum caſum reſeruarunt aut exceperunt, niſi ſolummodo diem Paſchatis prædictum, & vt cõmuniter habetur in iure, caſus exceptus, firmatã regulã in contrariũ. Nec inquiũt, valet dicere, quod excipiatur etiam cõmunio, in articulo mortis, cum ſit præcepti diuini cuiuſdã adimpletiua: nam hoc non obſtat, quominus in caſu extremæ neceſſitatis, deficiẽte Parocho id fieri poſſit, propter rationes ſupradictas. In hac tantorum Doctorum controuerſia atque diuerſitate, nolo ego iudicem agere, ſat ſit eaſdem in præſentiarum recenſuiſſe ac retuliſſe, & dixiſſe, quod Concluſio poſita, videtur magis pia, & ſatis probabilis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Sacerdotes ſæculares, in noſtris Conuentibus celebrantes, ſacramentum Euchariſtiæ ſæcularibus miniſtrare poſſint?

Concluſio.

Seculares presbyteri, in Eccleſijs mẽdicantiũ celebrãtes, de Prælati ſiue Sacriſtæ licẽtia, bene poſſunt ſæcularibus, Euchariſtiæ ſacramẽtum miniſtrare.

PResbyteri ſæculares, in Eccleſijs Mendicantium celebrantes, licite poſſunt de eorumdem licentia, hoc eſt, Prælati ſiue Sacriſtæ, vtriuſque ſexus fidelibus, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare. Probatur hæc Concluſio ex priuilegio Iulij II. conceſſo Fratribus Ordinis Minimorum, quod habetur in Supplemento, fol. 11. conceſ. 43. vbi *conceſſit Fratribus Ordinis Minimorum, vt in Eccleſijs ſuis, quoties opus fuerit, poſſint miniſtrare, & miniſtrari facere ſacramentum Euchariſtiæ, Curialibus, mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac alijs quibuſcumque perſonis.* Refertur in Compendio, *verbo, communicare*, §. 13. in quibus prædictis verbis, dum dicitur *miniſtrare aut miniſtrari facere*, plane datur intelligi, quod id etiã poſſunt committere, alijs Sacerdotibus ſæcularibus, in noſtris domibus miniſtrantibus. Et quamuis Collector priuilegiorum, *verbo, communicare*, §. 13. aduertat, poſtmodum præfatam conceſſionem, eſſe modificatam pro foro exteriori, per Leonem X. in Concilio Lateranenſi, prout habetur ibidem, §. 10. hoc tamen non obſtante, inquit, quod licite dicto priuilegio, vti poſſunt Fratres Mendicantes, in foro conſcientiæ, quia idem Leo poſtea, quodam ſuo viuæ vocis oraculo, reualidauit ac de nouo conceſſit, omnia quæ per huiuſmodi Cõcilium, de noſtris priuilegijs fuerunt reſtricta, ſiue reuocata. Sicque communiter obſeruatur in praxi, & ita tenet Medina Dominicanus, in ſua inſtructione Confeſſ. lib. 1. c. 11. §. 3. & Enriquez, 2. tomo de Euchariſt. lib. 7. num. 1. littera cc. & Cordub. in addi. ad Compend. *verbo, communicare*, qui omnes aſſerunt quemlibet Sacerdotem ſæculare, in noſtris domibus celebrantem, de licentia Prælati ſiue Sacriſtæ, poſſe Chriſti fidelibus Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare, idemque poſſunt in Monaſterijs noſtrarum Monialium ſanctæ Claræ, aut Conceptionis, de licentia Abbatiſſæ, ſub cura Fratrum Minorum exiſtentium, cum illis etiam ſint conceſſa, omnia noſtra priuilegia, per Sixtũ Quartum & Leonem X. vt ſuo proprio loco dicemus.

Difficultas.

Sed difficultas eſt, an ſit neceſſum, quod huiuſmodi presbyteri ſæculares, ſint expoſiti & approbati ab Epiſcopo, vt in noſtris domibus poſſint ijſdem Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare? Quidã dicunt quod ſic, & quod talis adminiſtratio non poteſt committi, niſi Sacerdotibus ab Epiſcopo expoſitis & approbatis, iuxta formam Concilij Tridentini. Qua de re videndus eſt Suarez 3. tom. ad 3. p. q. 82. art. 3. diſput. 72. ſect. 2. Sed alij dicunt quod loquendo in rigore, id non eſt neceſſarium, nam Concilium prædictum, ſolummodo loquitur de expoſitione & approbatione, pro ſacramentali cõfeſſione, vt ex ipſius verbis expreſſe conſtat, & cum lex illa quodammodo ſit odioſa, quatenus limitat atque reſtringit iuriſdictionem alias cõceſſam, potius eſt reſtringenda, quam ampliãda. Probant id præterea, quia inquiunt, non eſt eadem ratio, de ſacramento Pœnitentiæ & adminiſtratione Euchariſtiæ, quia in illo adminiſtrando, multo maior ſufficentia requiritur, quam in iſto, quod ſolummodo cõſiſtit in applicando ſacramentum cõſecratum, ad vſum recipientis ſiue communicantis. Hac in re nolo etiam ego ferre iudicium, ſed ſat ſit, hoc hic incidenter dixiſſe, videatur Suarez loco ſupradicto.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Epiſcopi poſſint agere cõtra Religioſos, qui ſacramentum Euchariſtiæ, & alia ſacramenta in ſupradicta Clementina prohibita, ſine Parochorũ licentia adminiſtrauerint?

Prima Concluſio.

Epiſcopi bene poſſunt agere, cõtra Religioſos, qui contra formã prædictæ Clement, ſæcularibus ſacramẽta miniſtrauerint.

CErtiſſimum eſt, omnique dubio procul, quod Epiſcopi poſſunt agere contra Religioſos, qui Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, & Matrimonij ſacramenta, contra formam prædictæ Clement. miniſtrauerint, aut miniſtrare præſumpſerint. Hæc Concluſio non aliter poteſt melius probari, quam referendo, verba eiuſdem Clementinæ, *Religioſi, de priui. & exceſſi. priuilegiatorũ*, vbi hac de re agendo, dicitur, *quod datur facultas locorum Ordinarijs, poſtquam eis de hoc conſtiterit, vt prædictos Religioſos excommunicatos, faciant publice denunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem, ſuper hoc exemptionis, vel alio priuilegio ſuffragante.* Verba ſunt expreſſa dictæ Clementinæ. Sed adnotare oportet, verbum illud, *præſumpſerint*, quod ſecundum communem ſententiam, audaciam atque temeritatem deſignat, quod non contingit in eo, qui prædicta faceret, non

quidem ex præſumptione ſed ex ignorantia, putando id ſibi pro tunc licere aliqua ratione, vel ex ratihabitione & licentia Parochi, rationabiliter præſumpta, quo quidem caſu, ſecundum Caietanum, & communem Doctorum ſententiã, excommunicatio minime incurritur, neque Epiſcopi in tali caſu, contra huiuſmodi iuſte poſſent agere Oportet tamẽ Religioſos ipſos id probare, aut aliqua iuſta ratione & cauſa ſe excuſare, & onus probandi incumbit illis, nam qui dicit, probare tenetur, ſecundum communem regulam iuris. Vnde infertur, quod Epiſcopi prædicti, poſſunt agere contra Religioſos, prædicta ſacramenta adminiſtrantes, & aſſerentes ſe ad id habere licentiam, ſiue priuilegium, & compellere eos, vt ipſum exhibeant, ac rationem facti reddãt. Quod & probatur, quia ſi id non poſſent, maxime ex eo eſſet, quia tenerentur eis credere, dicentibus & aſſerentibus, ſe habere tale priuilegium: ſed non tenentur id facere, aut eis credere niſi illud oſtendant, alias pateret via multis dolis & fraudibus: ergo intentum, &c. Hoc etiam tenet expreſſe Innoc. *c. ex parte, de verb. ſignificat.* vbi inquit, quod quando exemptio non eſt notoria, debet priuilegium oſtendere, qui dicit ſe illud habere, & eſſe exemptum. Quam doctrinam ſequuntur omnes communiter ſcribentes, nec in eo expoſtulando, Epiſcopi ipſi dici poterunt excedere. Sed hoc nihilominus non obſtante, ſit ſecunda Concluſio.

Vbi exẽptio non eſt notoria, priuilegiũ debet oſtendere, qui aſſerit ſe eſſe exemptum.

Secunda concluſio.

Si notoria eſſet exemptio Epiſcopus in iuſte ageret, expoſtulando & petendo priuilegium.

TAm notoria & clara eſſe poteſt Religioſorum exemptio, & ipſorum priuilegiorum confirmatio facta, & licentia ſiue facultas adminiſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum, & alia in ſupradicta Clementina prohibita, vt Epiſcopi expoſtulando priuilegium, & petendo rationem & cauſam prædicti miniſterij, rationabiliter dicãtur excedere, ſeu iniuſte agere. Declaratur concluſio hoc modo, & dico, quod ſi (verbi gratia) Epiſcopus alicuius ciuitatis, vellet modo ſe intromittere, in res, ſiue perſonas Religioſorum, noſtri ſacri Ordinis D. Franciſci, aut ſancti Dominici, ſeu aliorum notorie exemptorum, & de ipſis dijudicare, prætendẽdo eſſe ſibi ſubditos atq; ſubiectos, & expoſtulãdo ab eis exemptionis priuilegium, certum eſt, quod in tali caſu excederet, & iniuriã illis irrogaret, cũ adeo ſit notoria & clara prædictorũ Religioſorum exemptio, vt nullam poſſet prorſus prædictus Epiſcopus, iuſtam ignorantiam allegare. Hæc Concluſio ſic explicata, eſt Henrici, Innocentij, & Ioan. Andreæ, *in d. c. ex parte, de verb. ſignific.* vbi dicendo, quod quando exemptio aut priuilegium nõ eſt notorium, oſtendi debet, à contrario ſenſu, dicere atque affirmare videntur, quod vbi eſt notoriũ, nec debet oſtendi, nec vero peti. Sed quid ſi Religioſus oſtendat priuilegium, per quod Sacramenta adminiſtrat, ſiue adminiſtrare poſſe præſumit, contra prædictam Clementinam, & Epiſcopus dubitet, an valeat dictũ priuilegiũ, & an per illud ſit derogatum Clementinæ, quid in tali caſu eſt faciendum? Reſpondeo, & ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Quid Prælati & Epiſcopi debeant facere, in caſu quo dubitant de alicuius exemptionis priuilegio.

EPiſcopus etiam in tali caſu, non poteſt agere contra Religioſos exemptos, impediendo eis ſacramentorum adminiſtrationem, ſed tenetur, vel ſimpliciter obedire, non reſiſtendo Superiori, nempe Summo Pontifici, aut adire & conſulere, eadem de re prædictum Summum Pontificem, ſiue ipſius Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Nuntium. Hæc Cõcluſio eſt certa & manifeſta, & quæ communiter tenetur à Doctoribus, & probatur primo, quia ſi in tali caſu, licitum eſſet Epiſcopis reſiſtere, & impedire Religioſis exemptis, Sacramentorum adminiſtrationem, maxime quia credunt, quod adminiſtrant ea ſine licentia: ſed non id in dicto caſu contingit, nam agendo cum licentia Superioris, ſemper in tali licentia intelligitur etiam inferioris incluſa: ergo intentum. Secundo probatur Concluſio, nam in ſua propria cauſa, nemo poteſt aut debet, eſſe ſimul actor & iudex, vt tenet cõmunis ſententia *in ſupradicto cap. ex parte*, ſed ſi Epiſcopus prædictus, de facto quia nempe dubitat, de validitate priuilegij alicuius, ageret contra priuilegiatum. priuilegium oſtendentem, eique impediret ſacramẽtorum adminiſtrationẽ, iam in ſua propria cauſa, ſe ſimul actorem & iudicem exhiberet: ergo id ſibi facere non licet. Eo vel maxime, quia difficultas quæ oriri poſſet, circa priuilegiũ & ipſius validitatem, vel eſſet de eo quod ſit vitiatum aut ſubreptitium, vel quod iam ceſſauerit, aut quod per illud ius commune non ſit ſublatum, vel quod non ſic neque ſic, ſed ſic vel aliter, debet intelligi: ſed in his omnibus, nõ ſpectat neque pertinet ad Epiſcopum id dijudicare, cum illius tantummodo, ſit legem interpretari, cuius eſt illam condere: ergo Epiſcopi in tali caſu, contra Religioſos non poſſunt agere. Ita tenet communis reſolutio Doctorum *in d. cap. ex parte*, & Imola, *in Clementina, abuſionibus, de pœnitentijs, & remiſſionibus*, vbi inquit, quod Epiſcopus non poteſt iudicare de priuilegijs Papæ, & quod de aliquo priuilegio, aut de ipſius validitate ſi dubitet, conſulat Romanum Pontificem. Id quod & Clemens IIII. expreſſe determinauit, pro Ordinibus Mendicantibus, vt habetur in Monumentis Ordin. 1. impr. fol. 30. & ſecundæ fol. 31. conceſ. 31. & refertur in Compend. *verbo, priuilegium*, § 5. interdicẽdo Epiſcopis prædictis, de priuilegijs eorum iudicare, aut ipſa interpretari, niſi in ampliorẽ atque fauorabiliorem partem: ergo Religioſi in tali caſu, non poſſunt ab Epiſcopis excommunicari, aut declarari eos eſſe excommunicatos, per Clementinam ſupradictam, quouſque à ſuperiori determinetur, ſua priuilegia eſſe inualida aut ſubreptitia, & vim non habere. Quod ſi perperam id fecerint, ac de facto eoldem excommunicauerint iniuſte, iuſte puniẽtur iuxta ſacros Canones, *per c. nemo, 2. q. 1.* vbi agitur de pœna iniuſte aliquos ex cõmunicantium. Quod igitur faciendum eſt in ſupradictis caſibus eſt, quod Domini Epiſcopi, adeãt Superiorem prædictorum Religioſorum, qui eſt, vel Summus Pontifex, aut ipſius Illuſtriſſimus Nuncius Apoſtolicus, ſingulis in partibus (reſpectiue) cõſtitutus, ad decidẽdas atq; determinãdas huiuſmo-

huiuſmodi lites & cauſas, vt ipſe determinet & declaret, quid in caſu talis dubij faciendum ſit, & eorum determinationi & decreto eſt ſtandum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Religioſi in partibus Indiarum exiſtentes, & adminiſtrantes Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Ecclesiaſtica ſacramenta, de licentia Hiſpaniarum Regum, in id auctoritatem habentium, incidant in excommunicationem ſupradictæ Clementinæ, & contra ipſos Epiſcopi poſſint agere, declarando eos eſſe excommunicatos?

Quâ auctoritate & poteſtate, Hiſpaniarũ Reges, Religioſos mittant ad Indos, ad miniſtrandũ eiſdẽ ſacramẽta & interdum vt Curatorũ locum teneant.

AT quod quæritur in præſenti Articulo, magis liquidũ atque perſpicuum fiat, præmittere oportet, qua auctoritate & poteſtate, prædicti Hiſpaniarum Reges, Religioſos ſupradictos, ad prædicta loca mittant, facultatem etiam ipſis concedendo, vt Eccleſiaſtica ſacramenta ibidem adminiſtrare poſsint, & interdum vt Curatorum locum teneant. Et dico quod ſupradicti Reges, non id faciunt ſua auctoritate & poteſtate ordinaria, vtpote qui compertum habeant, quod ipſa de per ſe, non ſe extendit ad ſpiritualia, & quod rerum omnium ſpiritualium diſpoſitio, tantummodo ad Romanum ſpectat Pontificem, ſed faciunt id ex delegatione & ſpeciali commiſsione eorumdem Romanorum Pontificum, qui attendentes, ad ſpirituale augmentum fidelium, necnon & infidelium exiſtentium in illis partibus, ſupradictos Reges, ſuos legatos & commiſſarios fecerunt & cõſtituerunt, & dominia illorum Regnorum illis cõ ceſſerunt, cum plenaria poteſtate adminiſtrandi in ipſis & diſponendi, non ſolum temporalia, verum etiam ſpiritualia, ad ſupramemoratum finem, vt ſcilicet fideles ibidem exiſtentes, conſeruarentur & augmẽtarẽtur, infideles vero cõuerterẽtur, & tãquam oues ſine voce balantes, ad Eccleſiæ gremium reducerentur. Sicque facultatem illis fecerunt, mittendi ad ſupradicta loca & regna, ex mendicãtibus Fratribus quoſcumque voluiſſent, Prædicatores & Confeſſores, & miniſtros idoneos, ad prædicandum & confeſſiones audiendum, & peragendam animarum curam, & omnium ſpiritualium rerum executionem. Hoc vt firma habetur fide, primus illis conceſſit Alexãder VI. quod & ſimiliter omnes ſui ſucceſſores fecerũt, & hoc iure vtũtur Hiſpaniæ Reges, quando ſupradictos Religioſos mittunt, tanquam veri hac in re Sedis Apoſtolicæ delegati & Vicarij. Quo tanquam certo atque indubitato præmiſſo propoſito Articulo, per ſequentes reſpondeo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Religioſi in Indiarum partibus exiſtentes, de licentia Hiſpaniarum Regũ, bene poſſuntibi dẽ Eccleſiaſtica miniſtrare ſacramenta, abſq; vllo excommunicationis periculo.

REligioſi, qui in prædicto nouo Orbe & Indiarum partibus, de licentia Hiſpaniarum Regũ, fidelibus ibidem exiſtentibus, & infidelibus ad fidem ſe conuertentibus, Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtrant, nullo modo incidunt in excommunicationem, poſitam in dicta Clementina, quamuis id faciant ſine licentia Parochorum, ſecluſo omni alio priuilegio. Probatur hæc Concluſio, primo ex ſupradictis, quia illud faciunt de licentia & ſpeciali mandato, in id auctoritatem habentis, nempe Legati Summi Pontificis, quales in propoſito caſu, vt dictum eſt, ſunt Hiſpaniarum Reges: ſed ſi ſupradicti Religioſi id facerent, de licentia Summi Pontificis, aut ſui Legati ſiue Epiſcopi, certum eſt quod non inciderent in ſupradictam excommunicationem: ergo nec modo incidunt, facientes illud de licentia prædictorum Regum. Confirmatur Concluſio, nam excommunicatio ſupradictæ Clementinæ, non fertur niſi id adminiſtrantes prædicta ſacramenta, ſine licentia Preſbyteri parochiani: ſed Summus Pontifex, vt tenet communis ſententia, eſt generalis atque vniuerſalis Presbyter parochianus, & Prælatus totius Orbis, cui ſubſunt omnes fideles actu, infideles autem in potentia, cuius etiam Hiſpaniarum Reges (vt præmiſſum eſt) ſunt quaſi perpetui in hiſce rebus Vicarij & delegati: ergo de ipſorum licentia, prædicta adminiſtrando Eccleſiaſtica ſacramenta, non poſſunt dici ea miniſtrare, ſine licẽtia parochiani aut Epiſcoporum, quidquid alias aliqui Epiſcopi ibidem exiſtentes proclament. Quod vero in ſupradictis Regnis, & Indiarũ partibus, prædicti Religioſi id faciant, de licentia & mandato ſupradictorum Hiſpaniarum Regum, adeo certum eſt, vt non indigeat probatione, cum ipſi eos mittant ſuis expenſis, & dent illis Regias litteras ad hoc, & licentiam & facultatem præbeant, vt Religioſi Mendicantes, in illis populis ædificent domos & Monaſteria, pro ſua continua habitatione, & maneant ibi ad exonerandas Regum prædictorum conſcientias, miniſtrando fidelibus & infidelibus (reſpectiue) Eccleſiaſtica ſacramenta, idque totum & multa alia, quæ breuitatis gratia facio miſſa, faciunt ex conceſſione, delegatione, & commiſſione Summorum Pontificum. Vnde fit perſpicuum, quod in ſupradictam excommunicationẽ, minime incidunt prædicti Fratres.

Secunda Concluſio.

Epiſcopis nulla omnino irrogatur iniuria, ex eo quod Religioſi in Indiarũ partibus exiſtentes, de licentia prædicta, miniſtrẽt ibidẽ Eccleſiaſtica ſacramẽta.

EX hoc quod ſupradicti Reges, prædictos Religioſos, ad huiuſmodi partes & regna mittant, cum poteſtate & facultate adminiſtrandi Eccleſiaſtica ſacramenta, nulla prorſus Epiſcopis ibidẽ exiſtẽtibus irrogatur iniuria, quinuero proprium ipſorum agitur negociũ, ſi res penitus introſpicia tur, & rectũ ipſi zelũ habeant, & vti par eſt, animarũ ſalutem & Eccleſiæ augmentum, non vero quæ ſua ſunt, procurent & quærant, ſed quæ Ieſu Chriſti. Hæc Concluſio eſt adeo certa & clara, vt probatione fere nulla indigeat, nam ipſi Religioſi qui à prædictis Regibus in dictum munus & officium mittuntur, re vera ſunt eorumdem Epiſcoporum

porum quaſi Coadiutores,illiſq; quammaxime in ſeruiunt,eoſdem adiuuando in cultu vineæ Domini,exonerando ipſorum conſcientias grauatiſſimas & onuſtiſſimas,incomportabili & grauiſſimo onere.Præterea ipſimet Reges,qui prædictos Religioſos ad illas partes mittunt,eoſdem Epiſcopos etiam mittunt,ad id muneris illos præſentando,quamuis poſtea à Summo Pontifice confirmentur, quaergo ratione de hoc vllo modo poſſunt conqueri,cum id ante plane reſciuerint, vt enim dicitur,ſcienti & volenti nulla omnino fit iniuria.Dico igitur reſolutiue,quod qui Epiſcopi in hac parte reſiſtunt ſiue contradicunt prædictorum Regum mandatis,& in hiſce rebus Religioſis ſupradictis vexationem faciũt,iniuriamue irrogant,grauiſſime & mortaliter peccant,& perinde faciunt ac ſi obuiarent & contradicerent ipſi Sũmo Rom.Pont.cuius in hac parte ſupradicti Reges vices gerunt.Eo vel maxime , quia id facere vergit in iniuriam , & offendiculum quãmaximũ, neophytorum & denuo cõuerſorum, qui Religioſos communiter habuerunt,habentq; hucuſq;, in maxima reuerentia , admiratione , & ſanctitatis non vulgaris exiſtimatione, occaſionem præbendo ipſis,concipiendi de illis ſiniſtram opinionem,& exiſtimandi quod in ſuo miniſterio, non recte ipſi ſe gerant,quod in re adeo graui,tantiq; momenti,non eſſe poterit ſine graui peccato & culpa mortali.

At contra ſupradicta , poterit forſan quis illarum partium Epiſcopus,obijcere ac dicere , quod hoc eſſet verum,loquendo de illis primis miniſtris & Religioſis , qui miſſi fuerunt ad ſupradictas Indiarum terras , antequam ibidem eſſent creati Epiſcopi & conſtituti Curati,quia tunc nõ erãt Parochiales presbyteri,à quibus ſupradicta ſacramenta adminiſtrari poſſent , at modo,iam ceſſat hæc ratio,cum tot ac tanti ſint Epiſcopi,tot parochiales Presbyteri,qui idipſum poſſint efficere:ex quo proinde fieri videtur conſequens,quod ſine ipſorum licentia,nullo modo ſit licitum nũc, à Religioſis prædictis eiuſmodi adminiſtrari Sacramenta,& quod aliter faciendo,in excommunicationem ſupradictæ Clementinæ incidãt. Sed huic obiectioni facile reſpondetur,dicendo quod nihil valet;nam adhuc durat legatio prædicta ſupradictorum Regum,facta ſibi à Summis Pontificibus,& obligatio mittendi miniſtros prædictos. Nam vt Chriſti Domini verbis vtar, Lucæ 10. ibidem Meſsis eſt quidẽ multa,operarij autem pauci,vnde & rogare quammaxime etiã modo oportet Dominum meſsis,vt mittat operarios in meſſem ſuam.Quamuis enim prædicti Epiſcopi,& Parochiani Presbyteri ibidem exiſtentes , pro ſuo quiſque munere,vt pie credi debet,in Domini vinea ſtrenue laborent,adhuc tamen ſupereſt,quod Religioſi Dei zelo ducti, efficere poſſint , cedatq; id in maximum commodum animarum , fidelium & infidelium,atque in magnam Dei gloriam , & vtilitatem totius Eccleſiæ , & particulare obſequium Hiſpaniarum Regum.Neque allegare poſſunt prædicti Epiſcopi,quod ceſſat ratio legationis ipſorum,ſeu quod nõ manet & durat iam prædictum priuilegium,nam iuxta communem iuris regulam,beneficium à Principe conceſſum , ſemper debet permanere, & durare præſumitur, & vbi priuilegium non limitatur , intelligitur eſſe perpetuum,vt tenet gloſ.*in cap. fin. de priuilegijs*, præterquam quod omnia Regalia priuilegia , in dies confirmantur à Summis Pontificibus ſuperuenientibus. Vnde concludendo dico, quod Epiſcopi contrauenientes, ſupradictorum Religioſorum ſeu potius Regum priuilegijs,propria auctoritate,peccant & ſunt ipſo iure excõmunicati,ex cõmunicatione Papali ſibi reſeruata,àqua nõ poſſunt abſolui,niſi à Romano Pontifice,vel de licentia Prælatorũ ipſorũ Religioſorũ ad quos ſpectat. Nã Leo X.in priuilegio,quo conceſsit ſupradictis Religioſis,quod poſsint prædicta ſacramẽta neophytis miniſtrare quod in Regalibus archiuis reſeruatur,ſub excõmunicationis pœna,ipſo facto incurrenda præcipit, vt nullus id ſibi impediat, impedire ve audeat,directe vel indirecte, quocũque quæſito colore. Videant proinde prædicti Epiſcopi & Curati quid faciant,vt nõ ignoranter in prædicta excommunicatione inuoluantur.

Vbi priuilegiũ non limitatur ſemper intelligitur eſſe perpetuũ

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ad adminiſtrandum Euchariſtiæ ſacramentum,& alia Eccleſiaſtica ſacramenta,prohibita in ſupradicta Clementina,ſufficiat licentia Parochi excommunicati?

Concluſio.

AD miniſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum , & alia Eccleſiaſtica Sacramenta , non ſufficit licentia Parochi excommunicati; vnde , qui cum tali licentia , prædicta ſacramenta miniſtrauerint , incidunt in excomunicationem ſupradictæ Clementinæ,niſi forſan eos ignorantia excuſet , idque faciant,bono zelo & animo ducti,exiſtimantes prædictum Parochum non eſſe excommunicatum, aut eo non obſtante , prædictam licentiam potuiſſe ipſum ſibi dare.Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta,nã vt ex ſupradictis cõſtat,ad miniſtrãda prædicta ſacramenta,neceſſario requiritur Parochi licentia:ſed hanc licentiam,Parochus excommunicatus non poteſt dare,& ſi eam dederit de facto nulla eſt,argumento iuris,*in l. quoties , ff. qui ſatiſdare cogantur*,ergo,&c.Quod vero prædictus Parochus excommunicatus,huiuſmodi licentiam non poſſit dare,probatur manifeſte, quia caret, eſtque priuatus omni iuriſdictione , vt conſtat,*ex cap. probandum, de ſententet re iud.* Quo fit,vt ſi ipſe per ſe,huiuſmodi munera nõ poteſt obire, neque etiã illa alteri demandare aut commendare,cum id etiam ſpectet ad iuriſdictionem,vt habetur *in l. Imperium,ff. de iuriſdictione omnium iudicũ.* Eſt igitur talis delegatio nulla,& ſic qui cum illa ſupradicta ſacramenta adminiſtrat,ſine vlla prorſus licentia,viſus eſt ea miniſtrare, ac proinde in excommunicationem ſupradictæ Clementinæ incidet,

Ad miniſtrãdum Euchariſtiæ Sacramẽtũ,et alia Eccleſiaſt. ſacramenta,nõ ſufficit licentia Parochi excõmunicati.

cidet, niſi ipſum excuſet ignorantia (vt dictum eſt) qua exiſtente, non erit excommunicatus, nam vt inquit Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 102. ſupradicta excommunicatio non ponitur, niſi contra præſumentes, & ſic vbi ceſſat præſumptio, ceſſat & ipſa excommunicatio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Diaconus, ſiue ſit ſæcularis ſiue Religioſus, Euchariſtiæ Sacramentum poſſit adminiſtrare?

Concluſio.

Quãuis cõmuniter & regulariter loquẽdo, miniſtratio Sacramẽti Euchariſtiæ, ad Sacerdotes pertineat, nihilominus in caſu neceſſitatis, id etiã poteſt cõmitti Diaconis.

QVamuis communiter & regulariter loquendo, miniſtratio Sacramẽti Euchariſtiæ, ad Sacerdotes ſolũmodo pertineat, nihilominus tamen in caſu neceſſitatis, id etiam poteſt cõmitti Diaconis. Hæc Cõcluſio eſt expreſſa D. Tho. 3. p. q. 82. art. 3. & in 4. d. 13. q. 1. art. 3. quam etiã tenẽt Ric. Durãd. Palu. & omnes communiter DD. Scholaſtici, loco ſupracitato; & Soto vbi hac de re agit, & Sũmiſtæ, *verbo, Euchariſtia, & verbo Cõmunio.* Et probatur primo ex Concilio generali Niceno, can. 14. & ex Arelat. c. 15. & Carth. 4. c. 38. vbi habetur, *Diaconos in neceſſitate, & iuſſu Presbyteri, ſupradictũ ſacramentũ poſſe miniſtrare. Habetur etiã in c. præſenti, d. 93. & c. Diaconos ibidẽ.* Sed ſpecialiter probatur Concluſio, ex facto & hiſtoria D. Laurẽtij Diaconi, qui vt ibidẽ refertur, martyrij ſui tẽpore, dixit B. Sixto Sũmo Pont. *Quo progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos Sãcte ſine magiſtro properas? tu nũquã ſine miniſtro ſacrificiũ offerre cõſueueras. Experire vtrũ idoneũ miniſtrũ elegeris, cui cõmiſiſti Dominici ſanguinis diſpẽſationẽ.* Quæ verba tractans D. Thom. loco ſupracitato, in ſolutione ad primum, inquit, quod Diaconus quaſi propinquus Ordini ſacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſſitate, & iubente Epiſcopo vel Presbytero. Cuius differentiæ duplicẽ reddit rationem & cauſam. Primã quidẽ, quia ſanguis continetur in vaſe, vnde non oportet quod tangatur à diſpenſante, ſicuti tangitur corpus. Secundã, quia ſanguis deſignat redemptionẽ, à Chriſto in populum deriuatã, vnde & ſanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum, & quia Diaconi ſunt medij inter Sacerdotem & populum, magis conuenit Diaconibus diſpenſatio ſanguinis, quã diſpenſatio corporis. Hæc D. Tho. vbi ſupra. Sed Sotus in 4. diſt. 13. q. 1. art. 4. cõcl. 2. alia procedit via, & dicit, quod in primitiua olim Eccleſia erat ſolitum, cum communicabat populus, & Sacerdos non poſſet toti multitudini, corpus & ſanguinem miniſtrare & porrigere, vt Diaconus vadẽs poſt ipſum, ſanguinẽ miniſtraret, ſicut & nũc, qui poſt cõmunionem dat lotionẽ. Cõmunicabãt enim tunc tẽporis fideles ſub vtraq; ſpecie, ſed iã illa cõſuetudo propter iuſtiſſimas rationes & cauſas, ceſſauit atq; in diſſuetudinem abijt. Et dicit Soto, quod ad hoc faciendũ, Diaconi non indigebãt nec vero indigẽt modo, ſpeciali aliqua facultate, quæ exprimi deberet, ſiue exprimatur in eorũ ordinatione, nã Diaconi eo ipſo, quo Diaconi ſunt, ordinantur tãquã proprij miniſtri Sacerdotis, vt habetur, *in c. Diaconus, 23. diſt.* habentq; ex ſuo officio, calicẽ cũ hoſtia Sacerdoti miniſtrare, ipſumq; cõſecratum calicẽ, dũ opus eſt populo propinare. Qui quidẽ vſus quamuis iã ceſſauerit in populo, durat adhuc in Capella Sũmi Pontificis, quia dum ipſe ſoleniter celebrat, poſt ſumptionẽ corporis ſeſſum vadit, & tunc Diaconus cõſecratũ calicẽ, ei adfert & porrigit. Hæc Soto vbi ſupra. Videatur etiam Durand. in 4. d. 13. q. 4. & Syl. *verb. Diaconus, n. 2.* vbi ad hoc propoſitũ plura dicit, circa ſupradictã facultatẽ, factam Diaconis, miniſtrandi prædictũ ſacramentũ. Ego vero vt huic Articulo vltimã imponam manũ, reſolutiue dico, quod iã ex vſu & cõſuetudine Eccleſiæ, Diaconi hoc nullo modo poſſunt efficere, niſi exiſtẽte grauiſſima cauſa, & interueniẽte vrgẽte neceſſitate, vt eſt articulus mortis, & de mandato Epiſcopi, ſiue Presbyteri. Videatur hac de re Suarez 3. tomo ad 3. partem D. Thom. quæſt. 82. artic. 3. diſput. 72. ſect. 2. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Nota hoc valde ex D. Tho. miniſtrationẽ ſanguinis Chriſti Domini, à Diaconis nõ vero corporis fieri poſſe.

QVAESTIO. XLIII.

De Regularibus ſiue Religioſis, quantum attinet ad facultatem adminiſtrandi Sacramentum Baptiſmi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Monachi ſiue Religioſi, baptizare poſſint?

HAc in re, inuenio aliquot iura, ſiue capitula in iure, ſibi ipſis (vt videtur) contraria, nam *in capit. placuit, el 2. 16. quæſt. 1. quod eſt Eugenij Papæ, factum in Nicæna Synodo*, prohibitum reperitur, Monachis baptizare, & *in cap. doctos, quod eſt B. Ambroſij, eadem cauſa et quæſtione*, id ſibi permittitur, & dicitur doctos & probos Monachos, Presbyterij honori dedicatos, prædicare & baptizare poſſe. Sed hæc contrarietas apparens, facile diluitur, dicendo, quod in ſupradicto *cap. placuit*, agitur de Monachis, ſolitariã vitam profitentibus, vt ex eodem ſatis patet, ſeu vt dicit Gloſſa ibidem, de Monachis populum non habentibus: in alio vero de Monachis, ſiue

Religioſis, qui ſimilem ſtatum non profitentur, & vel qui populum habent, aut ſaltem ex ſuo inſtituto & profeſsione, obligationem aliquam inſeruiendi populis. Vel dicendum, quod in vno caſu, baptizare prohibentur Monachi, ſine licentia Ordinarij; in alio vero de licentia eiuſdem permittuntur id facere, quod eſt iuri valde conſonũ, & conforme ei quod habetur, *in Clementina prima, de priuilegijs*, nam baptizare parochianum alienũ, extra neceſsitatem, & ſine licentia Ordinarij, peccatum quidem eſt de ſe mortale, ſiquidem in iure id facere, valde eſt prohibitum: quia Eccleſiaſtica ſacramenta non niſi à Presbyteris parochialibus ſunt recipienda; *iuxta cap. interdicimus*, 16. *quæſt.* 1. Verum eſt tamen, quod Sacerdos contrarium faciens, non efficietur irregularis, quia hoc non eſt expreſſum in iure, neque irregularitas incurritur, niſi in caſibus in iure expreſsis, vt tenet communis Doctorum ſententia. Hoc ſuppoſito atque præmiſſo, propoſitæ difficultati reſpondetur, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

In caſu neceſſitatis vel de licentia Ordinarij, non eſt prohibitũ Religioſis baptizare.

IN caſu neceſsitatis, vel de licentia Ordinarij, non eſt prohibitum Religioſis baptizare. Hæc Concluſio, conſtat ſatis ex ſupradictis, quia in iure nulla reperitur, hac de re pro Religioſis ſpecialis prohibitio, niſi illa, quæ adducta eſt ex ſupradicto, *capit. placuit, et cap. Doctos*, quod intelligendum, concordandum atque explicandum eſt, ad ſenſum ſupradictum.

Difficultas. An Minores Fratres, ex vi ſuæ Regulæ prohibeantur baptizare?

Sed difficultas eſt ſpecialis, de Fratribus noſtri Ordinis Minorum, an ſaltem ex vi noſtræ Regulæ, ſit nobis baptizare prohibitum? Et ratio dubitandi eſt, quia in cap. 11. eiuſdem Regulæ habetur, *quod Fratres non fiant Compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcãdalum oriatur* Difficultas hæc, propoſita olim fuit, in quodam Capitulo Generali Meclinenſi, vbi & dicitur, quod facta eſt ſequens declaratio: *Declaratur, quod Frater Sacerdos, in extrema neceſsitate, poteſt paruulo dare Sacramentum Baptiſmatis, dummodo non adſit alius Sacerdos, etiam in præſentia virorum ſæcularium laicorum, & quod in Regula prohibetur, ne Fratres fiant Compatres, &c. intelligendum eſt, quoad lenationem de fonte Baptiſmatis, non vero quoad baptizationem prædictam, quia vt dictum eſt, in caſu neceſsitatis, abſente Sacerdote ſæculari, vel alterius profeſsionis, bene poſſunt Fratres noſtri Sacerdotes, baptizare.* Ita habetur in Monumentis Ordinis, primæ impreſſ. 228 tractatu 3. & ſecundæ 247. tractatu 2. & refertur in Compendio, *verbo, baptizare*, §. 2. Fuitque hoc dixiſſe ac determinaſſe, rationi quammaxime cõſonum, cum non ſit credendum, ſanctiſſimum Patrem noſtrum Franciſcum, qui adeo feruebat ſpiritu & animarum zelo, nobis Fratribus ſuis prohibere voluiſſe, vt neceſſitate exiſtente, & maxime extrema, Baptiſmi ſacramentum, ne adminiſtraremus. Eſſet enim hoc contra charitatem, cum baptiſmus ſit ſacramentorum omnium ianua, tantæque neceſſitatis, vt propterea ſit ſtatutum in iure, *cap. 2. de ſumma Trinitate, et fide Catholica*, quod quilibet homo, qui loqui poteſt & proferre verba, & ad lauandum eſt ſufficiens, poſſit eius eſſe miniſter, ſiue ſit vir ſiue vero fœmina, fidelis ſiue infidelis, baptizatus ſiue non baptizatus, dummodo (vt dictum eſt) potens ſit lauare, & verba cum debita intentione proferre. Quod igitur in noſtra Regula eſt prohibitum, per illa verba, *ne fiant Compatres etc.* eſt paruulos de fonte leuare, quod ſub alijs verbis dicitur, eſſe patrinos ſiue Cõpatres. Anadochos enim græce, latine patrinos ſiue Cõpatres ſonat. Semper enim conſuetudine Eccleſiæ fuit receptum, vt tradit D. Thom. 3. pa. quæſt. 67. art. 7. vt in Baptiſmo ſolemni, præter baptizatum & baptizantem, eſſet alia tertia perſona, quæ baptizatum ſuſciperet de ſacro Fonte. Quam etiam conſuetudinem eſſe antiquiſſimam, conſtat ex D. Dionyſio, de Eccleſiaſt. Hierarchia, c. 2. & ex Tertull. de Baptiſmo, c. 18. & ex Aug. lib. 1. de Baptiſmo, & huiuſmodi pueros de ſacro Fõte leuantes, communi vocabulo dicebantur quinuero & dicuntur modo, Anadochi, hoc eſt, Patrini, & reſpectu parentum eiuſdem baptizati, viri dicuntur Cõpatres, mulieres vero Commatres. Quod ſubire munus, Fratribus ſuis prohibuit in ſua Regula, ſu pradicto præcepto, Seraphicus Pater noſter Frãciſcus. Idq; vt credo, duplici ex cauſa, primo propter honeſtatem, & vt ibidem dicitur, ne inter Fratres, vel de Fratribus ſcãdalũ oriretur. Erat enim tunc in conſuetudine poſitum, quod huiuſmodi Anadochi, Patrini ſiue Compatres, Commatres deoſcularentur, quod condecens non eſſe videbatur, ſtatui Monachorum ſiue Religioſorum. Vnde & in Conc. Antiſiodor. c. 45. & habetur *in cap. Monachi. de conſecrat. diſt.* 4. ſtatutum fuit, ne Monachi, ſint Cõpatres, aut ſibi Cõmatres faciant, neque oſculentur fœminas. *Et in cap. non licet, eadem diſt.* habetur, quod non licet Abbati, vel Monacho, de Baptiſmo ſuſcipere filios, neque Commatres habere. Idem habetur *in cap. peruenit*, 18. *q.* 2. An prædicta prohibitio, extendatur etiam ad Canonicos Regulares, tradit Nauar. lib. Conſil. de ſtatu Monachorum, conſ. 5. num. 1. partemque tenet affirmatiuam, videatur ibidem. Ad hanc igitur prauã conſuetudinem, attendens Beatiſſimus Pater noſter Franciſcus, in ſua Regula præcepit atque prohibuit, vt ne Fratres ſui fierẽt Compatres, virorũm vel mulierum, paruulos de fonte leuando, ne Cõmatres exoſculando, inter Fratres vel de Fratribus ſcãdalũ oriretur. Hæc fuit prima ratio & cauſa ſupradictæ prohibitionis. Secunda vero fuit vt credo, nam munus & officium Patrinorum, huiuſmodi paruulos de fonte leuantium, eſt eoſdẽ ſub ſua cura atque tutela ſuſcipere, ad inſtruendum & catechizãdũ, in his quæ ſunt fidei, vt cõſtat ex *c. in catechiſmo, & ſequentibus, de conſecr. diſt.* 4. quod munus explicatur per actum ſuſcipiendi in manibus baptizatum. Neq; enim huiuſmodi ſuſceptio, conſideranda ſolũmodo eſt materialiter, ſed formaliter, ſeu vt rectius loquar moraliter: quia per eam inſinuatur ac datur intelligi, quod qui paruulũ leuat de fonte, atq; in manibus recipit, ipſum etiã in ſua tutela & ſub ſua cura recipit, vt dixi, ad catechizãdũ & inſtruendũ in his quæ ſunt fidei. Qua ratione, qui huiuſmodi fungitur munere & officio, olim apud D. Dionyſiũ vbi ſupra, *fideiuſſor* vocabatur, & hoc etiã nomine inſignitur in Cõc. Pariſienſi c. de baptiſmo, & apud D. Aug. epiſt. 23 appellatur, fidei Doctor, quia nempe ſuſcipiendo baptiza-

Nota rationẽ & cauſam, ob quam, nobis prohibitum fuit, eſſe Compatres ex vi noſtræ Regulæ.

baptizatum, vitualiter fideiubet, atque promittit ſe illud docturum, & habiturum curam ſalutis ſpiritualis ipſius. Videatur hac de re Syluester, *verbo, Baptiſmus, 5. quæſt. 5. & verbo catechiſmus, quæſt. 1. & 3.* Cum igitur videret Seraphicus Pater noſter Franciſcus Fratres ſuos congrue & commode, non poſſe ſubire huiuſmodi munera, nec ſtare promiſſis, vtpote qui non habeant, neque habere poſſint, ſuæ habitationis certum & determinatum habitaculum, ſed ſemper eſſe debent, tanquam aduenæ & peregrini, hanc ob cauſam præter ſupradictam aliam, præcepit illis, vt ne fierẽt Compatres, quod eſt dicere, ne fierent patrini. Baptizare tamen Fratribus ſuis, non prohibuit vt dictum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Monachi ſiue Religioſi, in partibus Indiarum exiſtentes, baptizare poſſint, ſine Parochorum licẽtia?

Concluſio.

Religioſi in Indiarũ partibus exiſtentes, ſine Parochorum licentia poſſunt baptizare.

REligioſi in Indiarum partibus exiſtentes, & maxime Mendicantes, qui illuc mittuntur auctoritate Pontificia, ab Hiſpaniarum Regibus, licite poſſunt, abſque vlla Parochorum licentia, infidelibus & nouiter conuerſis baptiſmum miniſtrare, & omnia ſubinde Eccleſiaſtica ſacramenta. Hæc Concluſio non aliter poteſt probari, quam referendo facultates & priuilegia, quæ ſupradicti Reges, & Religioſi in id habent, à Summis Pontificibus conceſſa. Atque in primis dicitur, quod Alexander Sextus, *commiſit Hiſpaniarum Regibus, Indorum noui Orbis conuerſionem, & conſtituit ſupradictos Hiſpaniarum Reges, ad hunc effectum ſuos Commiſſarios & delegatos, cum plenitudine poteſtatis, ad diſponendum & ordinandum in ſupradictis regnis, omnia quæ pertinerent ad iuriſdictionem ſpiritualem, quantum ad effectum mittendi ibidem, Prædicatores & Confeſſores, & miniſtros idoneos quos voluerint, ad gerendam animarum curam, & ad conuertendum infideles, & inſtruendum fideles neophytos, ſeu nouiter conuerſos infide, eorum enerando conſcientias, prout magis viderint expedire.* Facta eſt hæc conceſſio, circa annum 1492. cuius virtute & poteſtate, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ſupradicti Reges ſunt in actuali poſſeſſione, mittendi Fratres ad ſupradictos Indos, ad conuertendos ipſos, & inſtruendum & manu tenendum, fideles in fide, & ad adminiſtrandum vtriſque, Eccleſiaſtica ſacramenta, vt & facit ſemper inuictiſſimus atque Catholiciſſimus, noſter Hiſpaniarum Rex, & per ipſius mandatum Prorex in illis Indiarum partibus, & alij Gubernatores. Qui omnes in hoc (vt dixi) funguntur auctoritate Papæ, & in hoc caſu faciunt, facereque poſſunt iure optimo, quidquid & ipſe Papa faceret, cum ſit certum in iure, quod delegatus aut ſubrogatus, naturam ſapit ipſius delegãtis & ſubrogantis, & iuriſdictionẽ habet non iure proprio, ſed iure delegantis ipſum, & quod iniungit, non ſua ſed delegantis auctoritate iniungit, vt tradit Panor. *in c. ſane quia, de offic. ſed iure dele & poteſtat. delegat, nu. 2.* & habetur, *in cap. cum in iure eod. tit.* Etenim ſi Epiſcopi in ſpiritualibus, vt habetur in iure, & experientia conſtat, conſtituunt, cõſtituereque poſſunt ſecularem ſaltim ſacris initiatum, vt tenet communis ſententia, qui eorum dicitur, Prouiſor officialis, qui rerum ſpiritualiũ curam gerat, quis neſciat, aut negare vllo modo poſſit, quod iure optimo, quinuero & potiori iure & ratione, Summi Pontifices, poſſint ſupradictis Regibus, prædicta munera committere, ipſoſque in hiſce rebus, ſuos legatos, ac veluti Commiſſarios conſtituere? de hoc certe eſſe poteſt nulli dubium. Supradictam Alexandri VI. conceſſionem, confirmauit poſtea, ac veluti de nouo conceſſit, Leo X. anno Domini 1521. conceſſione quadam facta duobus Fratribus Minorum, ad illas partes euntibus, qua conceſſit eiſdem *Quod poſſint Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare neophytis, præcipiẽdo ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, vt nullus Epiſcoporum, idipſum ſibi impediat, directe vel indirecte, quouis quæſito colore, ſibi reſeruando ſupradictæ excommunicationis abſolutionem.* Poſt Leonem, hoc ipſum conceſſit Adrianus VI. ad inſtantiam & petitionem Imperatoris Caroli V. anno Domini 1525. in cuius conceſſione, infraſcripta ponuntur verba: *Quod Prouinciales Indiarum, et Fratres quibus commiſerint, poſſint omnes Indos et omnes Chriſticolas, Fratres comitantes ad opus conuerſionis, abſoluere in vtroque foro, ab omni cenſura etiam de cœna Domini. Conceſſit etiã omnimodam in vtroque foro Papæ auctoritatem, tantam quantam iudicauerint expedire, pro conuerſione Indorũ, et manutentione, ac profectu ipſorum, atque aliorum præfatorum in Fide Catholica, et obedientia Eccleſiæ Romanæ.* Poſt ſupradictum Adrianum VI. ſimilem fecit conceſſionem, Paulus III. anno Domini 1543. Fratribus Prædicatoribus Prouinciæ de Mexico, vt refert Pater Veracruz in ſuo Compendio. Hoc idẽ confirmauit atque de nouo conceſſit, eiſdem Fratribus de Mexico, & Prouinciæ S. Vincentij de Chiapa, del Peru noui Regni, Paulus IIII. anno Domini 1557. cuius conceſſionis meminit ſupradictus Veracruz in dicto ſuo Compendio, & dicit huiuſmodi conceſſionem fuiſſe factam, viuæ vocis oraculo, teſtimonio Cardinalis Alexandrini. Verba Patris Veracruz, ſunt quæ ſequuntur, *Paulus IIII. vt fidem fecit Cardinalis Alexand.* (qui poſtea fuit electus Pius V.) *pro Religioſis in noua Hiſpania, et Peru, ad exaltationem diuini cultus, proprio Motu et viuæ vocis oraculo, confirmauit omnia priuilegia à ſuis Prædeceſſoribus conceſſa, pro Indorum conuerſione, præſertim quod poſſint Fratres Mendicantes, omnia Sacramenta fidelibus, et nouiter conuerſis adminiſtrare, et de nouo hoc innouauit Apoſtolica auctoritate, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.* Per quam conceſſionem patet, quod fuerunt renouata atque de nouo conceſſa & confirmata, omnia priuilegia quæ antea fuerant exibita pro Indorum conuerſione, & ipſorum in fide manutentione, per omnes Pontifices ſupradictos, & hoc ſpecialiter, quantum ad præſens noſtrum attinet propoſitum, quod Fratres ibidem exiſtentes, poſſint eiſdem adminiſtrare omnia Eccleſiaſtica ſacramenta. Sed omniũ nouiſſimus Pius Quintus, anno Domini 1567. 23. die Martij ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum

Conceſſiones factæ Regibus à Summis Põtificibus, pro Fratrib⁹ mittendis ad Indos.

Nota quod ſubdelegatus naturam ſapit delegãtis et iuriſdictionem habet nõ iure proprio

in cap. cum in iure gantis.

Regis,hoc idem ampliſſime conceſſit,*capitulis Prouincialibus Indiarum,quorumcunque Ordinum,etiam nõ Mendicantium, vt poſſint dare licentiam ſuis Fratribus, in Monaſterijs ſuis, vel extra commorantibus, in locis aſſignatis & aſſignandis, vt officium parochi exerceant, Sacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueuere, Ordinariorum in id licentia minime requiſita, & quod ibi, vbi dicti Religioſi curam animarum exercent, nihil iuno uent Epiſcopi, quod auctoritate Apoſtolica ſtatuit.* Hoc etiam refert dictus Veracruz in ſuo Compendio. Neque(inquit)obſtat prædictis, dicere quod hoc ſit contra Concilium Tridentinum, & quod Gregorius XIII. eiuſdẽ Pij V. immediatus ſucceſſor,quodam ſuo Motu proprio,reuocauit omnia, quæ ſupradictus Pius V. conceſſerat Religioſis, contra prædictum Concilium,&c. Nam circa hoc, communis eſt reſolutio,quod huiuſmodi reuocatio,non ſe extendit ad conceſſiones factas ſupradictis Regibus,ſeu ad ipſorum inſtantiam,pro partibus Indiarum,vbi pro conuerſione infidelium, & manutenentia conuerſorum,multa fiunt & cõceduntur in dies,contraria aut ſaltim quæ non ſunt nimis conſona ſupradicto Concilio Tridentino. Hæc omnia prædicta priuilegia adducuntur à prædicto Veracruce in ſuo Compendio,quæ libuit coaceruare ac ſimul referre, vt præ manibus habeantur à cunctis Religioſis viris, non ſolum pro intelligentia & reſolutione huius Articuli, verum etiam pro his,quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda. Ex quibus ſuperque ſatisconſtabit,quod Religioſi,in partibus Indiarum exiſtentes, optime poſſunt, virtute ſupradictorũ priuilegiorum, infideles baptizare,ac nouiter conuerſis adminiſtrare omnia Eccleſiaſtica ſacramenta,&c. Sed vt hoc congrue & commodè fiat, aduertere atque adnotare oportet,ex Sylueſt. *verb. baptiſmus*,3. *q.*1 quod in adminiſtrando baptiſmo,ſequẽs eſt ſeruandus ordo. Quod regulariter loquendo, proprius huius Sacramenti miniſter eſt Sacerdos. Vnde quamuis in caſu extremæ neceſsitatis, quilibet etiam laicus,licite baptizare poſſit; extra caſum tamen neceſſitatis,nullus id poteſt facere,niſi ſit Sacerdos,cuius hoc eſt proprium munus, & officium,vt expreſſe habetur,*in c. perlectis,d.25. & ex c. Diaconi,q.93. & ex c. conſtat,de conſecration d.* 4. Quod eſt adeo verum,quod Diaconus Cardinalis baptizare non poteſt in præſentia Sacerdotis, & contrarium faciens efficitur irregularis per *cap.*1 *de Cler. non min.* Nec quilibet etiam Sacerdos,baptizare poteſt niſi parochianum ſuum,vel de licentia Curati vel Parochi,ſeu Epiſcopi,aut ex priuilegio Superioris: Sunt enim Sacramenta omnia (vt ſupradiximus) à proprijs Presbyteris parochialibus miniſtranda & recipienda,iuxta *cap. interdicimus*,16. *q.*1. Verum eſt tamen,quod Sacerdos contra faciens(vt etiam ſupradiximus) nõ efficietur irregularis,quia hoc non habetur expreſſum in iure. Siue ergo quis Sacerdos Religioſus,ex priuilegio baptizet, ſiue vero alius etiam laicus, in caſu neceſſitatis(inquit prædictus Syluester) quod iſte ſeruandus eſt ordo,quod vbi plures ſimul reperiuntur,minor cedat maiori,& laicus non baptizet præſente Clerico,nec Clericus Diaconus, ſiue nõ Sacerdos,præſente Sacerdote,neque mulier præſente viro,quod ſi contra fecerint mortaliter peccabunt,niſi forte quia neſciunt formam, ij qui ſunt in maiori gradu,& dignitate conſtituti. In quo quidem caſu,ſi minor melius ſciat baptizare,id poterit efficere,etiam in præſentia maioris. Addit Syluester, eſſe idem tenendum atque dicendum,de Clerico ab Eccleſia præciſo,excommunicato,hæretico,vel ſuſpenſo, nam tunc præſente Sacerdote,melius eſt etiam à laico baptizari,quod & iure optimo,quilibet poterit efficere.

Nota ordinẽ ſeruandam in adminiſtratione baptiſmi.

Diaconus in præſentia Sacerdotis baptizare nõ poteſt,& cõtrarium faciens efficitur irregularis.

Quiſnam ſeruandus ſit ordo in baptizatione, vbi plures ſimul reperiuntur.

Præter ſupradicta, oportet etiam aduertere, quod prædicti Fratres in Indiarum partibus exiſtentes,ſolummodo poſſunt & debent baptizare, in Eccleſijs & Monaſterijs ſui Ordinis,in quibus habitant,& in locis quæ habent & vocant de ſua viſita,nam in aliena parochia baptizare, & maxime ſine licentia proprij Parochi, indecens eſſet omnino,& multorum iurgiorum cauſa: ſic enim confunderetur totus Eccleſiaſticus ordo, contra ſacros Canones,& contra id quod habetur,*in c. perennis*,11. *q.*1. Nã quamuis ſupradicta priuilegia ſint ampliſſima, in conceſſione tamen generali, hoc non videtur includi atq; intelligi,niſi particulariter exprimatur. Non enim videtur in conceſſione generali,velle Papam cuipiam præiudicare niſi exprimatur. Qua ratione,ad tollendam circa hoc omnem dubitationem, illud expreſſit Pius V. in ſupradicta ſua conceſſione, in illis verbis, *vt in omnibus Monaſterijs ſuorum Ordinum, vel extra in locis aſſignatis,ſeu aſſignandis, ſed non alibi.* Quæ omnia intelligenda ſunt, niſi forſan rogentur ab ipſis Parochis,aut in caſu neceſſitatis. Cæterum in ſuis Eccleſijs,aut extra,in locis ſibi deputatis aut deputandis,non ſolum poſſunt infideles omnes & nouiter conuerſos baptizare,verum etiam & omnes ex eiſdem deſcendentes,nepotes & pronepotes,etiamſi paruuli ſint baptizati. Nam licet proprie loquendo,nouiter conuerſi dicantur ſolummodo,qui adulti ſunt baptizati, nihilominus tamen propter neceſſitatem,& ad meliorem magiſque exactam rerum ſpiritualium executionẽ, in illis regnis ad prædicta omnia, ſupradicti Patres, generalem acceperunt atque obtinuerunt facultatem; & ita fuiſſe vſu receptum & practicatum,teſtificantur illarum Prouinciarum, magna dignæ fide multi Fratres. Quod etiam habent ex ſpeciali conceſſione Pauli III. confirmantis de nouo ſupradictis Fratribus omnia antiqua ſua priuilegia,quæ iuxta fauorabiliorem illorum interpretationem,debent interpretari,ita vt per nouiter conuerſos,non ſolũ neophytis iam adulti intelligantur verũ etiã ex eiſdem deſcendentes paruuli,cum & nomen ipſum,hanc recte ferat interpretationem,fauorabiliter loquendo,alias interpretatio facta fuiſſet ſtricti iuris,quod prædictus Paulus III. fieri prohibuit. Idem dico de alijs filijs Hiſpanorum atque Indicarum fœminarum,ſeu econtra,qui dicuntur Meſtici,quod virtute priuilegij prædicti Pauli III. poſſunt per ſupradictos Religioſos baptizari,nam in materia larga, ſub ſimplicibus intelligenda veniunt etiam mixta, vt dicit Syluester, *verbo diſpenſatio*,3. quãuis in rigore loquẽdo,ſub ſimplicibus mixta non cõtineantur, vt plurimum,niſi ex æquitate & benignitate. Sicuti ſi detur alicui poteſtas, ad diſpẽſandum cum adulterino,& inceſtuoſo ſeparatim,ſecũdum communem

Nota hoc val de pro Religioſis exiſtentibus in Indiarum partibus.

In conceſſione generali non videtur velle Papam cuipiam præiudicare, niſi exprimatur.

Quinã apud Iudos intelligendi veniãt nouiter conuerſorum nomine?

Nota quod in materia larga ſub ſimplicibus, intelligantur etiam mixta.

nem opinionem, poterit etiam diſpenſari, cum eo qui ſimul eſt vtrumque. Hac de re breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm religioſi in partibus Indiarum exiſtentes, baptizare poſsint extra Eccleſias, aut ſine ſolemnitate?

NIhil libet in præſentiarum dicere, de materia & forma baptiſmi, & de ſolemnitatibus & præparatorijs eiuſdem, catechiſmis, exorciſmis atq; pluribus alijs, eſſet enim immenſum opus, ſi omnia quæ ſeſe hic offerebant, in particulari vellem dicere, volumen enim magnum, ſummamque prægrandem efficeret, quod non eſt mei propoſiti, nec præſentis ſpeculationis. Conſulatur hac de re D. Thom. 3. part. à quæſt. 66. vſque 71. & Soto explicando eundem D. Thom. in 4. à diſtinct. 3. vſque ad 6. incluſiue, vbi de hiſce rebus per plures articulos latiſſime agũt, & Syluester, *verbo, baptiſmus, & verbo catechiſmus*, vbi etiam breuiter & compendioſe, reperiuntur omnia, quæ ad dictum propoſitum deſiderari poſſunt. Eadem de re videatur Suarez, 3. tom. ad 3. p. D. Thom. quæſt. 71. diſputat. 30. ſectio. 1. & 2. Quibus præſuppoſitis, quod in præſentiarum quæritur, illud eſt, an Religioſi in ſupradictis partibus, conferre poſsint baptiſmum extra Eccleſias, & ſine prædictis ceremonijs, catechiſmis, exorciſmis, atque ſolemnitatibus de iure requiſitis, cui difficultati reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Extra caſum neceſsitatis, omnes ſolemnitates & ceremoniæ conſtitutæ ab Eccleſia, pro celebratione baptiſmi, ad vnguem ſunt obſeruandæ, etiam in partibus Indiarũ.

EXtra caſum extremæ aut magnę cuiuſdam neceſſitatis, omnes ſolemnitates & ceremoniæ, conſtitutæ ab Eccleſia, pro celebratione baptiſmi ad vnguem ſunt obſeruandæ, etiam in partibus Indiarum. Hæc concluſio de ſe patet, ſiquidem in ipſis militat eadem ratio, ac in alijs, non exiſtente neceſſitate, quin vero & id facere expedientiſſimum eſt, vt ijs medijs, neophyti & nouellæ illæ plantæ, ad ſpiritualia atque cęleſtia conſideranda, veluti manuducantur. Et ita fertur, quod Paulus Tertius idipſum Breui quodam ſuo mandauit & ordinauit. Sed loquendo de caſu neceſſitatis, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Extrema exiſtente neceſsitate, omnes ceremoniæ in baptiſmo poſſunt prætermitti, ſeruata ſubſtantia ſi forma.

EXiſtente extrema, aut magna neceſſitate, omnes ſupradictæ ceremoniæ, & ſolemnitates baptiſmi, licite poſſunt prætermitti. Hæc etiam concluſio de ſe patet, ſed addo, quod etiamſi neceſſitas non ſit extrema, huiuſmodi ceremoniæ in prædictis partibus poſſunt prætermitti, ex priuilegio, & particulari conceſſione Pij Quinti, facta anno Domini 1569. Patribus de Societate Ieſu ad deceunium, quod poſsint baptizare extra Eccleſias, & ſine conſuetis ceremonijs, cùm miniſtri iudicauerint id oportere, propter miniſtrorum paucitatẽ. Ita habetur in Compẽdio Indico Societatis Ieſu, & dicitur quod hoc ipſum poſtea cõceſſit Gregorius XIII. in aliud decennium, ſupradictũ priuilegium ampliando. Quibus priuilegijs prædicto tempore, vt etiam potuerunt aliæ Religiones priuilegium habentes communicationis. Verumtamen cum fuerint temporalia, vt præfertur, videre nunc oportet, an fuerint de nouo confirmata & renouata, vt ſciri poſſit, quid hac in re ſit agendũ, & qualiter procedendum, ne in tanti momenti negotio, errare contingat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm religioſi in ſupradictis partibus in Baptiſmo vti poſsint Oleo ſancto, & Chriſmate antiquis?

Quotuplex ſit oleum ſanctũ & quando ſit renouãdum.

PRo huius articuli intelligentia, præmitto breuiter ex Syluestro, *verb. Oleum*, quod Oleum ſanctum, in die cœnæ Domini per Epiſcopum fieri ſolitum, & cõſecratum, eſt triplex. Primum & principale, dicitur ſanctum chriſma, quod ex oleo & balſamo cõficitur, quo benedicuntur fontes baptiſmales, & calices & patenæ, Eccleſię & altaria, & pueri dum baptizantur, in vertice & in frõte, Epiſcopi etiam dum conſecrantur, in manibus & in capite, & omnes fideles dum chriſmantur. Quod quidem Oleũ ex præcepto & inſtitutione Eccleſiæ, annuatim eſt conſecrandum atque innouandum, vt habetur *in cap. ſi quis de alio, de conſecratione diſtinct. 4.* & eſt peccatum, vti alio quam nouo, vt habetur ibidem, & vetus eſt comburendum, vt habetur, *in cap. litteris, de conſecratione diſtinct. 3.* Hoc adeo verum eſt, vt dicat Nauar. in ſuo Manuali, cap. 25. num. 75. peccatũ eſſe mortale, veteri Chriſmate baptizare, præterquam in mortis articulo, & idem tenet *Gloſſa in cap. quoniam, de ſententia excommunicationis, lib. 6. verbo, dubium.* Præoccupante tamen morte, licitum eſt Sacerdoti, in baptiſmo veteri Chriſmate vti, & hæc eſt ratio, quare non debet comburi, antequam nouum adducatur. Secundum Oleum eſt Catechumenorum, quod etiam dicitur Oleum benedictum ſiue ſanctum, quo inunguntur baptizandi, inter ſcapulas & in pectore, & manus Sacerdotis cũ ordinatur, & Principes ac Reges in brachio & humero, & Eccleſiæ & altaria, ante chriſmationem. Tertium Oleum eſt infirmorum, quo inunguntur infirmi in extrema vnctione, vt conſtat *ex cap. vnico, de ſacrament. vnctionis.* Ex his tribus oleis primũ, ſolum in die cœnæ poteſt confici, vt habetur *ex capit. omni tempore, de conſecratione, diſtinct. 4. & ex cap. quoniam, de ſententia excommunicationis, lib. 6.* Sed de alijs duobus oleis, non idipſum inuenitur prohibitum. Quæ omnia præmittere libuit, placeretque explicare, ſi per tempus liceret, quia plena ſunt myſterijs, & ſcitu atque notatu digniſſima, cum tamen id non ferat breuitas, cui tantopere ſtudemus. His breuiter nẽ præmiſſis, propoſito articulo reſpondetur, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Loquendo de baptiſmo paruulorum, tam in his partibus, quam in partibus Indiarum, Sacerdotes & Religioſi baptizantes, veteri Oleo & Chriſmate vti poſſunt, ſi nondum aduenit nouum.

LOquendo de baptiſmo paruulorum, tam in his partibus, quam in partibus Indiarum, Sacerdotes & Religioſi baptizantes, veteri Oleo & Chriſmate vti poſſunt, ſi nondum aduenit nouum. Probatur hæc concluſio: nam paruuli propter tenellam eorum ætatem, ſemper ſunt in periculo mortis, etiam citra mortis articulum: ſed exiſtente tali articulo & præoccupante morte, licitum eſt baptizantibus, veteri Chriſmate vti, vt ſupra diximus: ergo intentum. Et confirmatur: nam hanc ſolam ob cauſam, paruuli omni tempore, poſſunt nunc, ac potuerunt ſemper baptizari, quod pro adultis facere antea nõ licebat, niſi in duobus tantum temporibus, ſcilicet Paſchæ & Pentecoſtes, vt habetur *in cap. non ratione, & cap. duo tempora, & cap. proprie in morte, de conſecratione, diſtinct. 4.* niſi in mortis articulo: ſignum igitur eſt, quod prædicti paruuli, propter cõtinuum mortis periculum, veteri Chriſmate & Oleo, poſſunt optime baptizari, ſi non aliud ſit nouum.

Secunda Concluſio.

Loquendo de baptiſmo adultorum, niſi in mortis articulo, veteri Chriſmate baptizari non poſſunt.

LOquendo de baptiſmo adultorum, niſi in mortis articulo, & præoccupante morte, veteri Chriſmate baptizari non poſſunt. Hæc concluſio, ſatis conſtat ex ſupradictis, & non maiori indiget probatione. Sed pro exiſtentibus in Indijs, conſiderans Leo X. quod in illis partibus, ſine difficultate magna nouum oleum, & etiam balſamum haberi non poſſet, *Conceſiſſe fertur Fratribus & Religioſis ibidem exiſtentibus, vt in baptiſmo conferendo, etiã adultis, Oleo ſancto, & Chriſmate antiquis vti poſſent, vſque ad tres annos*, quod poſtea propter eandem rationem, vt dicitur, Gregorius XIII. ampliauit, vſque ad quatuor annos, etiam ſine neceſſitate, & non exiſtente articulo mortis. Per quod fit ſatis difficultati propoſitæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Religioſi, in Indiarum partibus, eſſe poſsint Parochi, ſiue Curati?

Concluſio.

Religioſi in Indiarũ partibus, bene poſſunt Curatorum, & Parochorum officium exercere.

QVamuis proprie, & in rigore loquendo, in Indiarum partibus Religioſi exiſtentes, non ſint vere Parochi ſiue Curati, poſſunt tamen ibidem officium Parochorum, & Curatorum exercere. Probatur hæc concluſio, primo quia id facere poſſunt, ex generali commiſſione, facta Hiſpaniarum Regibus, per Alexandrum Sextum, & Adrianum Sextum, poſtquam commiſerunt eiſdem, ſupradictorum noui Orbis Indorum conuerſionem, ſtricte præcipiendo, vt illic mitterent viros Religioſos, doctos & timentes Deum, peritos & expertos, ad inſtruendum illos in fide, & ad adminiſtranda omnia Eccleſiaſtica ſacramenta, ad quod ſupradictus Adrianus Sextus conceſsit illis in vtroque foro, ſuam omni modam auctoritatem, quantam iudicauerint expedire, vt ſupra in articulo ſecundo latiſsime diximus. Secundo & ſpecialius id facere poſſunt, ex ſpeciali alia conceſsione Pij Quinti, facta ad inſtãtiam Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis (de qua etiam ſupra diximus) qua conceſsit Capitulis Prouincialibus Indiarum, quorumcumque Ordinum, etiam non Mendicantium, vt poſſent dare licentiam ſuis Fratribus, vt in Monaſterijs ſui Ordinis, vel extra commorantibus, in locis aſsignatis & aſsignandis, officium Parochorum exerceant, ſacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueuere, Ordinariorum licentia minime requiſita, & quod vbi dicti Religioſi curam animarum exercent, nihil innouent Epiſcopi, auctoritate Apoſtolica ſtatuit. Ita refert Veracruz, in ſuo Compendio, verbo baptiſmus. Et quia iſta cõceſsio, eſt huius articuli & totius difficultatis præcipuum fundamentum, libet ipſam ex profeſſo, hic explicare & declarare.

Notanda valde, pro ſupra dictis conceſſionibus factis Regularibus, exiſtentibus in Indiarũ partibus.

Et dico primo, quod dicta conceſsio, qua poteſtas exercendi Parochorum officium conceditur, facta eſt Capitulis Prouincialibus Indiarum, quorumcumque Ordinum, etiam non Mendicãtium. Nam quamuis in petitione ſupradicti Regis, facta fuerit ſupplicatio, ſolummodo pro Mendicantibus, Summus tamen Pontifex, ad maiorem fidei exaltationem, conceſsit idipſum, Religioſis non Mendicantibus, non quidem ijs aut illis in particulari, ſed Capitulis Prouincialibus, vt poſſent huiuſmodi licentiã Fratribus ſuis dare, quo fit vt Religioſi in illis partibus non habentes Prouincialem, aut Capitulum Prouinciale non celebrantes, frui & gaudere non poſſunt, ſupradicta poteſtate & conceſsione, quæ vt præmittitur, facta eſt immediate prædictis Capitulis Prouincialibus, non vero aliis.

Nõ eſt neceſſarium, quod particulares Fratres ſint præſentes in Capitulo, vt inſtitui poſſint.

Secundo dico, quod ex hoc, quod prædicta licẽtia, ad exercendum ſupradictum Parochorum officium, per Pium Quintum, iubetur dari & obtineri in Capitulis Prouincialibus, nõ eſt neceſſarium præciſe, vt Fratres illi quibus danda eſt, ibidem ſe præſentent ſeu appareant perſonaliter: nam habita prius notitia de ipſorum ſufficientia, per examinatores ſeu aliter, Prouinciales & Diffinitores poſſunt ibidem eoſdem nominare, dicendo quod omnes ſibi prænominatos habilitant, aſsignant, ſeu nominant, & aſſerunt eſſe habiles ad exercendum Parochorum officium, & ad Sacramentorum adminiſtrationem, & nihil amplius eſt neceſſariũ. Nec neceſſum eſt, vt dixi, vt ibi ſe præſentent, aut examinentur ibidem, ſed ſat eſt, quod antea examinati, in dictis Capitulis Prouincialibus nominentur, & quod licentia exercendi Parochorum officium, ſibi cõcedatur & obtineatur ibi. Nec per hoc, quod hoc modo aſsignantur, ſequitur quod poſsint prædicti Fratres, ad quæcumq; voluerint locaire, aut Prouinciales quocumque voluerint eos dimittere, ad exercendam in Indorũ populis prædictam poteſtatem, ſed intelligi debet, vt dicitur ibidem, *quod poſsint dare licentiam ſuis Fratribus, in Monaſterijs ſui Ordinis, vel extra commorantibus, in locis aſsignãdis et aſsignatis, vt officium Parochorum poſſint exercere.* In quibus verbis quando dicitur, *aſsignandis,*

In quibus locis possint exercere suum munus, et officium nō vero in alijs.

nandis, intelligi debet, quod prædicta assignatio facienda est, & committenda ipsis, vel per Episcopum ordinarium, vel per Proregem, Gubernatorem, aut Gubernatores ibidem existentes (respectiue) non autem per Prouincialem & Diffinitores, etiam in Capitulo Prouinciali existentes. Esset enim hoc magna confusio, multaque inter Religiosos exorirentur iurgia & lites, circa competentiam iurisdictionis. Facta tamen supradicta assignatione (vt præmittitur) tunc possunt ijdem in Capitulo suo Prouinciali congregati, tabulam construere, qua dicatur; mittimus & assignamus N. pro tali loco; & N. pro tali, &c. aduertendo, quod prædicta facultas, tantum se extendit, ad ad ministrandum supradictum officium, in Monasterijs sui Ordinis, vel extra in locis assignatis, vel modo supradicto assignandis, siue illa sita sint in populis Hispanorum, siue vero Indorum, dummodo oppida & loca fuerint sibi commissa & commendata, & vt dicitur de sua visita. Extra tamen prædicta loca, non possunt supradicti Fratres, officium Parochorum exercere, sine licentia Ordinarij; cum ipsa tamen bene: nam vt dicitur, & tenet communis sententia, Episcopi de suorum Prælatorum licentia, bene possunt Monachos, Ecclesiæ seculari & Parochiali præficere, imò verò ad id eosdem compellere, nisi sint exempti, vt tradit Syluester *verbo, Religio. 7. et 9.* allegans ad hoc, *cap. quorumdam, §. fin. de testament. lib. 6.* Per hoc autem non tollitur, quin prædicti Fratres, in supradictis locis, audire possint omnium Indorum confessiones, etiamsi non sint de sua iurisdictione, eosque baptizare & illis Eucharistiam, & Extremam vnctionem conferre, & factis bānis, & informatione suorum matrimoniorum, eos matrimonio coniungere, quod ait supradictus Veracruz se vidisse, atque fecisse sæpe, quia sic vsus habuit in illis partibus. An vero nunc, post Concilium Tridentinum supradicta fieri possint, non assertiue determino, neque vero id facere possem, cum pendeat ex vsu illarum partium, atque ex speciali pontificum cōcessione, crediderim tamen quod sic, siquidem Pius Quintus supradicta sua concessione, indulsit eis, vt possint prædicta omnia facere, & sacramenta ministrare, prout hactenus consueuere. De qua consuetudine, an modo vigeat, nihil ipse possum dicere, cum ibidem nunquam fuerim, ipsa tamen existente præualebit, postquam dicit Pontifex, vt id fiat, non obstante Concilio Tridentino, & alijs quibuscumque. Nec obstabit, quod postea per Gregoriū XIII. facta fuerit reuocatio, omnium priuilegiorum, quæ supradictus Pius Quintus pro Religiosis concesserat, contra præfatum Concilium Tridentinum: nam hæc reuocatio (vt iam dixi) non se extendit, ad concessiones factas pro Indiarum partibus, in quibus hodie multa fiunt, fieri que permittuntur contra dictum Concilium, pro conuersione infidelium, & manutenentia ipsorum, quæ non permittuntur, imò verò fieri sunt prohibita in alijs partibus, quia sic videtur expediens, ad augmentum & exaltationem sanctæ fidei.

An prædicta omnia fuerint reuocata per Concil. Trid.

Religiosi in partibus Indiarum exis-

Tertio pro explicatione supradictæ concessionis dico, quod quamuis in supradicto Breui Pij Quinti, cōcedatur facultas Religiosis, exercendi Parochorum, & Curatorum officium, & administrandi sacramenta, prout hactenus consueuerunt, Ordinariorum licentia minime requisita, non tamen ipsi sunt vere & proprie Curati & Parochi, quamuis exerceāt huiusmodi munus & officium: semper enim Fratres ibidem existentes, fugerunt huiusmodi graue onus, humeris suis superimponi, quin vero Episcopi illud petebant olim, ipsi vero renuerunt, ac viriliter restiterunt. Neque vero Papa per supradicta verba, ipsos Curatos & Parochos creauit aut efficere voluit, sed tantummodo concessit, licentiam & facultatem huiusmodi munus & officium exercendi, sicut antea faciebant, Ordinariorum super hoc licentia minime requisita. Quamuis tamen id ita sit, tenentur nihilominus ipsi, non solum ex charitate, verum etiam & ex iustitia facere, quidquid aliàs facturi erāt Parochi & Curati, cum naturalis dictet ratio, vt vnusquisque damnum soluat, quod sua causa fuerit illatum. Vnde si supradictorum Religiosorum causa, factum est vt Parochi & Curati non constituantur ibidem, liquidum profecto fit, quod tenentur ipsi per seipsos hoc explere, & omnia eorum munera & officia exercere. Tenentur igitur Indos baptizare, eosdem docere, visitare atque consulere, mortuos sepelire, & eorum corpora cum cruce ad modum Curatorum, ad Ecclesiam asportare, scholas puerorum habere, ac tandem omnia alia efficere, quæ solent Parochi & Curati, de quibus in præsentiarum nihil libet dicere, quærantur in proprijs locis, & de illis aliqua dicit Syluester *verbo, animarum cura, et verbo, parochia,* quæ videri poterunt ibidem.

tentes, non sunt vere Curati, quānis exerceāt eiusmodi munus, et officium.

Prohibentur Episcopi, Religiosis contraire in supradictis.

Quarto & vltimo dico, quod Episcopi prædictis Religiosis, in supradictis nullo modo debent aut possunt contraire, cum id expresse præcipiat in dicta sua concessione Pius Quintus, in illis verbis, *quod vbi Religiosi curam animarum exercent, nihil innouent Episcopi, auctoritate Apostolica statuit.* Quod si perperam, in contrarium aliquid facere tentauerint, de illata vi allegari poterit corā Prorege vel Senatoribus & Præside, & nihilominus omne quod fecerint, est irritum & nullum: nam priuilegium Superioris, diminui aut immutari non potest per inferiorem, & vt late tradit & probat Panormitan. *in cap. nisi specialis, de officio delegati,* vtque dictum est, Episcopi præcipiuntur, vt nihil innouare possint in supradictis. Qua ratione ea contradictione non obstante, poterunt supradicti Religiosi, licite & libere Parochorum officium exercere, quia hoc illis conceditur, & sacramenta omnia administrare, prout hactenus consueuere, Ordinariorum super hoc licentia, & voluntate minime requisita. Facit pro hoc concessio, & priuilegium Alexa. IIII. *quo decreuit, irritas et nullas esse omnes sententias, quas Archiepiscopi et Episcopi, Prælati et Rectores ferre præsumpserint, contra indulta Apostolica Regularibus concessa, vel in posterum concedenda.* Habetur in Supplemento, fol. 115, concess. 509. & Glossa, *in cap. ex parte, de verborum significatione,* expresse tenet, quod sententia lata, contra priuilegium Papæ, nihil valet, quod ipsum clarius explicat & tradit Panormitan. *capit. audio, de restitutio. spol. num 14.* Sed an in hoc iniuria aliqua irrogetur ipsis Episcopis, disputabitur in articulo sequenti.

ART.

ARTICVLVS VI.

An Epiſcopis ſiue Curatis, aliqua irrogetur iniuria, ex hoc quod Religioſi in Indiarum partibus, Parochorum & Curatorum munus & officium exerceant?

AT hæc veritas pleniùs eluceſcat, volò in præſentiarum, hinc inde hanc quæſtionem diſcutere, ſiue difficilem redde re. Et pro ratione dubitandi, apparet quod ſic. Primo, quia in hoc videtur ſuæ iuriſdictioni derogari, & quod Papa iniuſtè & ſine cauſa, aufert ab illis ordinariã ſuã iuriſdictionẽ, cũ de iure fideliũ gubernatio, in diœceſibus Epiſcopis, in Parochijs verò Curatis ipſis, ſeu Presbyteris parochialibus cõueniat, & eorũ cõſtitutio & prouiſio, ſupradictis Epiſcopis via ordinaria, & cõmuni iure ſit ſtabilita: ergo magna in hoc ipſis irrogatur iniuria. Secũdo, nã dato caſu, quod vlla ratione id licitum fuiſſet, intelligi haberet, pro illo tẽpore, quo in ſupradictis partibus, nõ erãt Epiſcopi, nec adeo abũdans atq; ſufficiẽs Parochorũ & Presbyterorũ numerus, qui ſupradicto muneri poſſent incũbere & congrue gerere tantarũ animarũ curã: at modo quãdo omnibus in locis, ſunt iã Epiſcopi cõſtituti, & Sacerdotes qui Curati eſſe poſſunt, in tãta abũdãtia & exceſſiuo numero, nõ videtur, quod eadẽ nũc ratio currat quæ fuit à principio, quãdo in illis regnis & partibus propagari cœpit fides. Tandẽ tertiò: nã quãuis Religioſi in initio cõuerſionis Indorũ multũ profecerint, & vt experiẽtia ipſa cõſtitit, ad ſupradictũ effectũ conueniẽtiſſimi extiterint, at nũc nõ ita neceſſarij aut conuenientes eſſe vidẽtur, nec rationi multũ cõforme, vt in priuatis locis extra Monaſteria Religioſi ipſi degãt, occupati in animarũ cura, & gerendo Parochorũ officiũ, cum ex eo multa interdũ exoriri poſſint inconueniẽtia & ſcãdala, ob quorundã prauã aut certe minus Religioſam vitã, & ob multa alia quæ in particulari referre non libet, neq; vero cõuenit. Cõcludendo dicũt quidã, quod Religioſi ſupradicti in illis partibus, teſtante ipſa experiẽtia, rerũ omniũ, vt dicitur, magiſtra, nõ tã ſunt aut deſeruiũt, ad Indorũ ſiue fideliũ nouiter conuerſorũ ędificationẽ, quã in totalẽ ipſorum deſtructionẽ & ruinã. Hæc ſunt quæ pro hac parte ſolent & poſſunt adduci, ab Epiſcopis & Curatis Indiarum, ad oſtendendũ non eſſe conueniens, quod Religioſi in ſupradictis partibus, Parochorum gerant officium, aut cõmendetur ſibi animarum cura, & monſtrandum quod in eo, & ipſis Epiſcopis & innumeris Sacerdotibus ibidem exiſtentibus, haud modica irrogetur iniuria. Sed his non obſtantibus, contrarium videtur dicendũ, de quo ſequens ſtatuitur concl.

Concluſio.

Vtiliſsimum atque conueniẽtiſsimũ fuit experientia docente, VTiliſſimum atq; conuenientiſſimũ ſemper fuit (experientia ipſa teſtante, atq; edocẽte) vt ad Indiarũ partes, pro infideliũ cõuerſione, & ipſorũ manutenẽtia in fide, ex omnibus Ordinibus & maxime Mendicantibus, aliqui mitterẽtur Religioſi, docti, pij, & timẽtes Deũ, ſtrenui & experti, ad inſtruẽdos ſiue inſtituẽdos infideles in fide Catolica, quodq; ipſi eorũ curã gererẽt, in ſuis domibus & locis ſibi deſtinatis, exercẽdo Parochorũ officiũ, neque in hoc Epiſcopis ibidẽ exiſtẽtibus, aliqua irrogatur iniuria. Hæc concluſio, nõ aliter melius poteſt probari, quã deſtruendo contrariæ poſitionis fundamenta, ac illis ſatisfaciendo & reſpondẽdo, quod ſumma breuitate & reſolutione per ordinẽ fiet. Ad primũ dico, certũ eſſe & id ſatis de ſe conſtare, quod in cõmendando Sũmo Põtifice, ſeu potius Hiſpaniarũ Rege, eiuſdẽ nomine, & tanquã ipſius delegato, ſiue de ei' auctoritate & licẽtia, Religioſis ſupradictis, in fideliũ cõuerſionẽ atq; fideliũ curã, nõ ab Epiſcopis aufert quod ſuũ eſt, aut propriã ipſorũ iuriſdictionem vſurpat, vt argumentũ prætendit, neq; tollit ab eis auctoritatẽ ordinariã, ſed vtitur in hoc iure ſuo, & prouidet in his rebus, quod intelligit quammaxime expedire, & cõuenire animarũ ſaluti, & quod magis facit ad propoſitũ optatq; cõuerſionis Indorũ. Nã cũ Sũmus Põtif. cõſtitutus fuerit & vocatus à Chriſto Domino, in plenitudine poteſtatis, vt habetur *in c. cuncta per mundum, 4. q. 3. et in c. propoſuit, de conceſ. præben.* concurratq; proinde ſimul, cũ omnibus Prælatis in iuriſdictione, vt tenet communis ſentẽtia, & tradit ſpecialiter Gloſſa, *in c. 2. de præben. lib. 6.* ſitque inter ipſos (vt dicitur) locus præuẽtioni, certũ eſt quod poteſt ipſe, eiuſmodi poteſtatem, quibus voluerit committere atque communicare, & vbique terrarum miniſtros præficere, & ſtatuere pro animarũ ſalute & cura, abſque vllo cõſenſu Epiſcoporum ordinariorum, vt habetur expreſſe in prælegato *cap. 2. de præben. cũ Gloſſa.* Nec id faciendo, ipſis Epiſcopis aliquam irrogat, iniuriam: nam qui iure ſuo vtitur, & facit quod magis ſibi videtur expedire, ad ſuarum ouium ſalutem, iniuriam nulli irrogat. Hanc ob cauſam, vt ſatis conſtat ex Indorum hiſtorijs, & fida dignorum traditione, hoc Summorum Pontificum iure vtendo, Hiſpaniarum Reges, abſque vllo Epiſcoporum conſenſu, de facto anno Domini 1568. commendarũt populũ de Tepexie, Fratribus Prædicatoribus, contra voluntatẽ Epiſcopi de Tlaxcallã, & populũ de Iehoacã Minorũ Fratribus, contra volũtatem ſupradicti Epiſcopi, expulſo inde quodã Clerico, qui de ipſius licentia ibidem reſidebat. Quod & in illis partibus multoties fuiſſe factum atque practicatũ, teſtificatur Veracruz, in ſuo Compendio, & multi alij fidedigni. Quorum omnium ea ſolũmodo ratio reddi poteſt, quod id faciẽdo Hiſpaniarũ Reges, Summorũ Pontificum auctoritate & nomine faciũt, & nulli irrogant iniuriam, cum eorum iure vtantur, qui conſtituti ſunt & vocati à Chriſto Domino, in plenitudinem poteſtatis, ac proinde totius orbis ſunt vniuerſales & generales Parochi. Per quod fit ſatis primo propoſito argumento pro parte contraria.

vt in Indiarum partibus Religioſi et Regulares, gerent Parochorum et Curatorum officium.

Nota quod Papa nullã iniuriã irrogat Epiſcopis, atque Curatis, per hoc quod alijs tribuat ſuarũ animarum curam.

Ad ſecundum quando dicitur, quod ſupradicti Religioſi in illis partibus, iam non ſunt ita neceſſarij, ex quo ibidem conſtituti & creati ſunt Epiſcopi, & Sacerdotum magna iam habetur copia, in tãto & tam exceſſiuo numero, vt ad conuertendos infideles, ſoli ipſi poſſint ſufficere, & ad inſtruendos, gubernandos & manutenendos fideles in fide, &c. Reſpondeo quod eo non obſtante, adhuc ſupra-

ſupradicti Religioſi, ſunt ibidem quammaxime ne ceſſarij, vt experientia ipſa cõſtat, conſtareq; facile poteſt, ex tanta infidelium multitudine, qui ipſorum diligentia, cura & ſolicitudine, ad magnam Dei optimi maximi gloriam, quotidie conuertuntur ad fidem, & non ſine magno fundamento ſperatur, quod conuertantur in dies. Sunt præterea ſupradicti Religioſi ibidem quammaxime neceſſarij, pro manutenẽtia Indorum Neophytorum, ſeu nouiter conuerſorum, qui ſupradictorum Religioſorum cura & diligentia, ſimul & exemplo atque odore bono, in melius proficiunt quotidie, de quorum profectibus, ſi in particulari omnia, aut ex tã multis aliqua, in præſentiarum forent dicenda, ad id certe tempus enarrãtem deficeret, nec ea magnus quidem caperet liber. Quapropter breuiter ac reſolutiue dico, quod in hiſce rebus, non tam reſpicere oportet, ad Epiſcoporum ſeu Curatorũ aut Paræcianorũ lucrum, quã ad animarũ ſalutẽ, & fidei ac totius Eccleſiæ & Chriſtianę Religionis augmentũ, neq; tam attendenda & conſideranda eſt, miniſtrorũ abundantia & copia, quã aliæ qualitates ad id muneris requiſitæ. Et certe ſi ſolũmodo, ad Sacerdotũ numerũ habeatur reſpectus, iure optimo de illo nouo orbe dici poſſet, quod de Hieruſalẽ ciuitate olim celeberrima, plorans dicebat Hieremias, Thren. 1. quod *ſedebat ſola ciuitas plena populo.* Quonam pacto plena? & ſi plena quomodo ſola? Plena & ſola tunc aliqua ciuitas dijudicatur, quando adeſt multitudo miniſtrorũ, ſed nõ quales eoſdẽ oportet. Cui & ſimile eſt illud, quod alibi dixit Iſaias, c. 9. loquẽs cũ Deo, *Multiplicaſti gentẽ, ſed nõ magnificaſti lætitiã.* Hęc lætitia ſeu lętãdioccaſio, ex infidelium Indorũ conuerſione, eſt quæ deſideratur & merito expetitur, & ex profectu ipſorum, quod ſint ipſi firmi atq; ſtabiles in fide. Ad quod quidẽ propoſitũ, negari nullo modo poteſt, quod quãmaxime neceſſarij in illis partibus ſint ſupradicti Religioſi, & nõ minus hodie, quã in principio fuerunt, præſertim ad conſeruationẽ & manutenẽtiam Indorũ ipſorũ, quod faciunt ſua induſtria & diligentia, exercendo ibidẽ Parochorũ officiũ, eorumq; gerendo curã. In quo quidem tantũ abeſt, vt aliqua Epiſcopis ſupradictis irrogetur iniuria, vt potius cedat in maximum eorum commodum, cum ſine aliquo præſtito ſtipendio adiutores habeant, qui ſimul cum eis procurent ouium ſuarum ſalutem, & eoſdem adiuuent ad portandum immenſum adeo pondus. Animarum enim cura, teſte D. Gregorio, in paſtorali, pondus eſt etiam ipſis angelicis humeris formidandum, quod qui non æſtimant Epiſcopi, certum de ſeipſis indicium reddunt, quod non tam oues paſcere, quam vt paſcantur ab ipſis procurent, & teſte D. Paulo, magis quę ſua ſunt quærant, quam quæ Ieſu Chriſti. Per quod fit etiam ſatis, ſecundo propoſito argumẽto.

Ad tertium, quo afferuntur inconueniẽtia quæ ſe offerunt aut forſan offerre poſſunt, & ſcandala quæ interdum ibidem dantur à Religioſis, in Indiarum partibus malo ſuo exẽplo, & minus modeſta & religioſa vita, cum quęſtio ſit de facto, facile poteſt fieri ſatis, dicendo haud multum id eſſe mirãdum, cum etiam in Chriſti Domini collegio duodecim Apoſtolorum, quorum Chriſtus ipſe Dominus erat caput, inuenti ſimul fuerint boni & mali, & nõnulli ex ipſis ambitioſi & cõtentioſi, & vnus qui fuit latro atque magiſtri ſui proditor, quæ cũ ſingularia & particularia ſint (teſte Ariſt.) non cadunt ſub ſcientia, neque de eis exemplum ſumi poteſt. Præterquam quod paucorum mala conuerſatio, ſi qua eſt aut fuit ibi aliquando, compenſari optime poteſt, cum multorum virorum exemplo, bono ac ſuaui odore, qui in dictis partibus præſtãtiſſimi atq; religioſiſſimi ſemper extiterũt, qui ſua diligentia & ſolicitudine, ſpectata vita, mirabilique doctrina, ingentem Indorum multitudinẽ, ad fidem & ad Chriſti Domini obſequium, conuerterunt & attraxerunt, quorum proinde conuerſatio nedum Indis ipſis, verum & cunctis fidelibus ibidem exiſtentibus admirabilis ſemper viſa fuit, ac non vulgari, ſed quammaxima ęſtimatione digna. Qua de re, ſi plura forẽt dicenda, vt iam dixi, tempus enarrantem deficeret, ſed ſufficiant prædicta, vt vel ex ipſis ſatis cõſtet, Religioſos ſupradictos, in Indiarũ partibus etiã nunc quammaxime eſſe neceſſarios, ad Indorum conuerſionẽ, & eorum in fide manutentionem, & ad plura alia officia & munera, quæ à viris Religioſis efficiuntur ibidem.

QVAESTIO XLIIII.

De Religioſis, quantum attinet ad ſacramentum Confirmationis, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit confirmatio, ſiue Confirmationis ſacramentum?

Concluſio.

Confirmatio eſt ſacramentum Vnctionis, Chriſmatis conſecrati, quo Epiſcopus frontem baptizati inungit, ſub certa verborum forma.

CONfirmatio eſt ſacramentum vnctionis Chriſmatis conſecrati, quo Epiſcopus frontem baptizati inungit, ſub certa verborum forma. Hæc confirmationis diffinitio, eſt Nauar. in Manua. cap. 22. num. 8. vbi laudatiſſime eam explicat, per omnes ſuas particulas. Eſt etiam Magiſt. Sentent. in 4. diſt. 7. & D. Thom. 3. part. quæſt. 72. art. 1. Quam etiam tradunt omnes communiter Doctores *in Rubri. de ſacra. non iteran.* Quod confirmatio ſit vere vnum ex ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, expreſſe definitum eſt in Concil. Trident. ſeſſio. 7. Can. 1. vbi habetur, *hæreticum eſſe dicere, eam non eſſe verum ſacramentum, aut nullam ei virtutem ineſſe, quod qui aſſerere auſus fuerit, anathematis damnatur.* De qua etiam revidendus eſt Sylueſt.

verbo,

verbo, confirmatio, num. 1. vbi dicit, confirmationem ex se gratiam conferre, non solum gratiam, vt cõmuniter sumptam, qualis in quolibet sacramento confertur, à peccato emundans in non ponentibus obicem, sed specialem quãdam, & quoddam robur, quo quis idoneus efficitur miles, ad confitendam Christi Domini fidem. Quod etiam habetur expresse, *in cap. Spiritus sanctus, de consecra. dist.* 5. quod est Melchiadis Papæ, vbi de ipsa agendo, in quadam epistola, scribens ad Episcopos Hispaniæ, in sequentia verba prorumpit: *Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi, salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, & in confirmatione, aliud augmentum præstat ad gratiam, & quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, sed post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, sed post baptismum roboramur.* Et post pauca. *Regeneratio per se saluat nos, in pace beati seculi recipiendos, at confirmatio armat & instruit, ad agones mundi huius & prælia reseruandos.* Verba quidem sunt dignissima, quæ memoriæ commendentur, pro mirabili huius sacramenti effectu, & vt non otiosum esse credatur. Hoc Confirmationis sacramentum, alio nomine in Scriptura sacra & iure, vocatur manuum impositio, ac de eo venit intelligendum *cap.* 1. 3. *per frontis, de sacra Vnctione.* De cuius materia, breuiter in præsentiarum dico, eam esse Chrisma, confectum ex oleo & balsamo, *per dictum cap.* 1. *de sacra vnctione*, at balsamum non est de necessitate sacramenti, vt satis efficaciter, probat Caietan. 3. part. quæst. 72. art. 1. *per cap.* 1. *de sacrament. non iterand.* est tamen de necessitate præcepti, per *dictum c.* 1. *de sacra. vnction.* Debetque huiusmodi Chrisma, esse consecratum: nam licet in sacramento Baptismi, benedictio siue consecratio aquæ, non sit de eiusdem necessitate, at consecratio Chrismatis & Olei, est de necessitate sacramẽti Confirmationis. Cuius rationem mirabilem, satisq; efficacem, reddit D. Thom. loco vbi supra, artic. 3. videatur ibidẽ. Ordinarius autẽ huius sacramenti minister, est Episcopus, vt constat *ex cap. quanto, cap. de his, de consecrat. distinct.* 5. *& cap. quamuis Corepiscopi, distin.* 68. & nunc nouissime ex Concil. Trident. loco vbi supra, vbi anathematis damnantur, asserentes ordinarium ministrum huius sacramenti, non esse solum Episcopum. Sed an ex commissione, alius esse possit eiusdem minister, maiorem difficultatem habet, de qua in sequenti articulo.

Confirmationis sacramentum, in iure vocatur manuum impositio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Regulares siue Religiosi, ex cõmissione & dispensatione Summi Pontificis, esse possint ministri sacramenti Confirmationis?

DIfficultas præsentis articuli, communiter sumpta & regulariter loquendo, prout se extendit non solum ad Regulares & Religiosos, verum etiam & ad alios quoscumque Clericos siue Sacerdotes, in Episcopali dignitate non constitutos, amplissima est & de qua magna est lis & controuersia inter Doctores Scholasticos, Theologos atque Iurisperitos, in definiendo & determinando, An simplex Sacerdos siue Parochus, ex commissione & dispẽsatione Summi Põtificis, interdum esse possit legitimus minister sacramenti Confirmationis? Qua de re qui plura videre desiderat, consulat D. Tho. 3. part. quæst. 72. art. 11. & in 4. distinct. 7. quæst. 3. & D. Bonauen. & Scot. ibi, quæst. 1. Durand. etiam ibidem quæst. 3. & 4. & ex iunioribus, Adrian. in 4. quæst. de confirmat. art. 3. Syluest. *verbo, confirmatio, quæst.* 1. Soto in 4. distinct. 7. quæst. vnica, art. 11. Suarez 3. tomo in 3. part. D. Thom. quæst. 72. artic. 11. disp. 36. sectio. 2. Cuius quidem difficultatis vera & communis resolutio est, quod quamuis communiter & regulariter loquendo, huius sacramẽti ordinarius minister, sit solus Episcopus, ex commissione tamen & dispensatione Summi Põtificis, quilibet etiam simplex Sacerdos, hoc sacramentum administrare potest. Quam sententiam tenet D. Thom. locis supracitatis, & multis eam argumentis & rationibus comprobat, quod similiter faciunt Soto & Suarez supracitati. Et Nauar. in Manua. cap. 22. num. 8. huic etiam adhæret sententiæ, & ponderat verba illa Concil. Trident. vbi supra quando dixit: *Episcopum esse ordinarium ministrum huius sacramẽti*: & inquit quod dicendo, *ordinarium*, innuere voluit, delegatum esse posse, quempiam aliũ ex Apostolica dispensatione. Quod & probat *per cap. peruenit, distinct.* 95. vbi dicitur, quod D. Grego. olim, hoc munus & officium administrandi Confirmationis sacramentum, commisit quibusdam presbyteris. Hac præsupposita resolutione, facile erit satisfacere, difficultati adductæ in proposito articulo, de qua sit conclusio.

Conclusio.

Religiosi & Regulares ex commissione & dispẽsatione Summi Pontificis, bene esse possunt ministri, sacramenti Confirmationis.

REligiosi & Regulares, ex commissione & dispensatione Summi Põtificis, bene esse possunt ministri sacramenti Confirmationis. Hæc conclusio non alia indiget probatione, quam prædicta. Etsi enim necessario dicendum sit, Episcopum solummodo, ordinarium esse ministrum huius sacramenti, prout habetur expresse determinatum in Concil. Trident. cum tamen ex eodem satis colligatur, & constet ex veriori, probabiliori & communioni Doctorum omnium resolutione, ex commissione & dispensatione Papæ, alium etiam fungi posse eiusmodi officio & munere, nedum parochialem presbyterum, verum etiam simplicem Sacerdotem, nullâ videtur esse ratio, ob quam Religiosis atque Regularibus, idipsum denegari possit, aut dici quod penes hoc, ijdem sint peioris & deterioris conditionis. Cum hoc tamen stat, quod in nullo priuilegiorum Compendio, quod hucusque ipse viderim, aliqua facultas seu priuilegium, in idipsum Religiosis siue Regularibus fuerit concessum. Solummodo reperitur in iure, suprad, *cap. peruenit, distinct.* 95. de cuius intelligentia, tanta dicuntur à Doctoribus Iurisperitis, quin vero & à Theologis Scholasticis, vt non in eo immorari liceat, quia est res, quæ longiorem exposcebat disputationem. Pro nunc hæc breuiter dixisse sufficiat, de isto articulo & tota quæstione.

QVAEST.

QVAESTIO. XLV.

De Religiosis, quantum ad facultatem administrandi sacramentum Pœnitentiæ, in quatuordecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religiosi et Regulares, secularium confessiones possint audire?

Pœnitētia est vnum ex septem sacramētis Ecclesiæ.

PRO huius articuli intelligentia, & vt paremus viam, ad ea quæ in subsequentibus sunt dicenda, præmitto quod in præsentiarum, non agimus de pœnitentia prout est virtus, sed prout est vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ, quod quamuis à Doctoribus diuersimode definiatur, cōmuniter tamē dicitur, *quod ea est, sacramētum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum, peccata sua cū debita dispositione, & proposito satisfaciendi cōfitentem, legitime absoluit.* Hæc Pœnitentiæ definitio, adducitur à Nauar. in Manua. cap. 22. num. 11. vbi dicit verbum illud *sacramentum* in prædicta definitione, cō stitui loco generis, reliqua vero loco differentiæ, quibus exprimuntur atque explicantur, omnia quæ in hoc sacramento reperiuntur, nempe quisnam sit eiusdem minister, & dicitur quod est Sacerdos, quænam sint illius partes integrales, & dicitur, quod sunt contritio, confessio atque satisfactio, sit etiam mētio de forma absolutionis, quamuis non hic ponatur expresse, pro eo quod cunctis sit peruia, nempe. *Ego te absoluo, &c.* Ad prædictum ergo ministrum reuertendo (quod solum ad nostrum præsens attinet propositum) cum in supradicta sacramenti Pœnitentiæ diffinitione, dicitur quod minister est Sacerdos, aduertendum est, id ita præcise & necessario esse intelligendum, vt in nullo casu atque in nullo euentu, secularis siue laicus, sacramenti huius minister esse possit, cum non nisi solis Sacerdotibus, à Christo Domino sit collata potestas, ligandi atque soluendi. Qua de re videndus est Syluest. *verbo, confessio. 1. nume. 1.* & Soto in 4. sentent. distinct. 18. quæst. 4. art. 1. Suarez tomo 4. ad 3. part. D. Thom. disp. 24. section. 1. vbi omnes vnanimiter conueniunt in hoc, estque omnium Doctorum Catholicorum communis resolutio, quod sacramenti huius ministeri, est solus Sacerdos, quodque confessio, quæ humilitatis gratia, seu quolibet alio prætextu, & respectu fieret laico, neque gratiam ex opere operato conferret, quamuis ab eo absolueretur, nec sacramentalis vllo modo dici posset. Hoc itaque est certissimum atque constitutissimum, & tenendum de fide, quam ob causam in eo probando, non amplius immorari libet.

Quid sit pœnitentia, prout est sacramentum.

Nota quod in nullo casu, atque in nullo euentu, non Sacerdos minister sacramenti Pœnitentiæ esse potest.

Secundo præmitto, quod quamuis hoc ita sit, quod sacramenti Pœnitentiæ minister, sit solus Sacerdos, non tamen hoc ita vniuersaliter ac generaliter intelligendum est, quod excepto casu extremæ necessitatis, quilibet Sacerdos promiscue, sit legitimus huius sacramenti minister, sed ille dumtaxat, qui præter potestatem ordinis, quā receperit in sua ordinatione, actualem habuerit, ordinariam vel saltim delegatam iurisdictionem. Licet enim per characterem sacerdotalem, quilibet Sacerdotum, absoluendi potestatem accipiat à Domino, necessum tamen nihilominus est, vt & præterea iurisdictionem habeat, in oues super quas huiusmodi absoluendi potestatem exerceat. Hæc etiam communis est, Doctorum omnium resolutio tenenda de fide, quod & habetur expresse determinatum nuperrime, in Concil. Trident. *sessio. 23. cap. 15.* vbi ponuntur, quæ sequuntur verba. *Quamuis presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi potestatem accipiant, non tamen huius sacramenti legitimi sunt ministri idonei ad conferendum beneficium absolutionis, nisi præterea potestatem habeant iurisdictionis.* De quo nulli dubium, quamuis ab hac suprapositā generali regula communiter excipiatur mortis articulus, & casus extremæ necessitatis, in quo cuilibet Sacerdoti, commissionem generalem dat Ecclesia, de qua latissime agunt Scholastici Doctores in 4. loco supracitato, sed specialiter videndus est Soto in art. 2. & Suarez, sectio. 2. loco supracitato, & Nauar. in Manua. cap. 4. num. 1.

Nō quilibet Sacerdos absolute, est legitimus sacramenti Pœnitentiæ minister, seu ille qui ordinariam, aut saltim sub delegatam, in id habuerit iurisdictionem.

Tertio præmitto, quod loquendo specialiter de Religiosis, præter facultatem, auctoritatem & potestatem prædictas, ordinis & iurisdictionis, necessum etiam illis est, vt Prælatorum suorum licentiam & facultatem habeant, ad audiendas secularium confessiones, sine qua licentia, qui huiusmodi confessoris ministerium exercuerit, non id quidem sine peccato faciet, vt latius infra dicemus. art. 13. & 14. tenentque hoc omnes communiter Doctores, quamuis factum reneat, si aliàs fuerit Sacerdos, potestatemque habuerit ordinis & iurisdictionis. Quibus sic præmissis, vt proposito articulo atque difficultati satisfaciam, sequentem statuo conclusionem.

Regulares et Religiosi, præter potestatē ordinis & iurisdictionis, licentia suorum Prælatorum indigēt, ad audiendas secularium confessiones.

Conclusio.

REgulares & Religiosi, qui fuerint Sacerdotes, de suorum Prælatorum licentia, optime possunt secularium confessiones audire, & Pœnitentiæ sacramentum ministrare, dummodo ad id ex priuilegio aut aliter, subdelegatam habuerint iurisdictionem. Hæc conclusio plene constat ex supradictis, nec vlla indiget vlteriori probatione, cum in Religiosis prædictis, omnes ad id muneris requisitæ, concurrant qualitates & conditiones, nempe potestas ordinis, potestas etiam iurisdictionis (vt præsupponitur) & insuper Prælatorum suorum licentia. Solummodo est aduertendum, quod quia

Regulares & Religiosi Sacerdotes, de suorum Prælatorum licētia, bene possunt secularium confessiones audire, si ad id ordinariam aut subdelegatā

habuerint iurisdictionem.

quia in iure ſunt multa iura & capitula, quibus determinatur ac dicitur, quod confeſſio facienda ſit proprio Sacerdoti, vel alteri eiuſdem licẽtiam habenti, dicamus oportet, quid intelligatur proprij Sacerdotis nomine. Et dico, quod proprij Sacerdotis nomine, intelligendus eſt, primo Roman. Pontif. qui vniuerſalis eſt et generalis totius Eccleſię paſtor, parochus, ſiue proprius Sacerdos. Secundo quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi & Epiſcopatu, & tandem tertio, quilibet parochialis Sacerdos in ſua parochia. De quorum omnium aut ſingulorum licentia, Religioſi præfati, ſi in id munus & officium eligantur, ſuorum ſubditorum confeſſiones poſſunt audire (quamuis nonaliter) cum ex vi ſacerdotalis characteris, ordinis dumtaxat poteſtatem habeant, ad abſoluendum, non tamen iuriſdictionis, niſi ſpecialiter tribuatur ipſis, ab aliquo ſupradictorum, verbotenus aut ex ſpeciali priuilegio. Qua de re videatur ſupradictus Soto in ſupradicto, 2. art. & Sylueſt. *verbo, confeſsio, 1. nume. 1. ibi 3. dico, & num. 2. ibi, primo vero quæritur.*

Quid intelligatur proprij Sacerdotis nomine.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fuerit licitum aut conueniens, quod Regularibus ſiue Religioſis, à Summis Põtificibus, aliqua fuerint conceſſa priuilegia & facultates, quibus ſecularium poſſent confeſsiones audire?

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod in initio Ordinum & Religionum, ſed maxime Mendicantium, quo tempore cæperunt Religioſis priuilegia concedi, quò ſecularium confeſſiones poſſent audire, magna lis & controuerſia, exorta eſt in Eccleſia, inter Parochos & Religioſos. Non enim defuerunt multi Doctores ſeculares, alias docti & eruditi, qui hac de re murmurauerunt, ac male ſenſerunt, & dixerunt non poſſe etiam Sum. Pontif. huiuſmodi licentiam illis indulgere, audiendi ſecularium confeſſiones, nec Presbyteros Parochiales priuare ſuo iure, quod habent ſupra ſibi ſubditos, aut ipſos ſubditos vllo modo excipere & eximere, quo minus teneantur proprijs ſuis Sacerdotibus confiteri. Hanc opinionem (ſi opinionis digna eſt cenſura) in primis defendit olim, Hẽricus Gandauenſis, quodlib. 1. cui adhæſit quidam alius Ioan. de Poliaco, qui licentioſe atque imprudẽter, ſeu potius impudenter nimis, addidit quod nec Deus ipſe, id quidem facere poterat, quin ſubditus proprio ſuo teneretur confiteri Sacerdoti, quia (aiebat) repugnat, vt quis ſit proprius Sacerdos, ſine facultate cogendi Parochianum ſibi ſubditum, ad hoc vt ſibi confiteatur, ac teneatur confiteri. Cuius opinionis ſeu potius erroris, præcipuum fundamentum erat, quia dicebant, Summum Pontificẽ, non habere facultatem concedendi ſupradicta priuilegia, in damnum & præiudicium aliorum, pro quo allegabant, *cap. ideo, 25. quæſtio. 1.* vbi habetur, quod non debet Summus Pontifex priuilegium concedere, quò ſtatus Eccleſiæ perturbetur. Cui & addebant, eſſe hoc contra diuinum mandatum, quo præcipitur à Domino, vt proprius Paſtor pecoris ſui vultum agnoſcat, prout habetur Prouerb. 27. *Diligenter cognoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Quod etiã cõfirmando Chriſtus Dominus olim, Ioan. 12. dixit de ſeipſo, quod erat bonus paſtor, quodque vultum ſuarum cognoſcebat ouium. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas, &c.* His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Nota temerariam opinionem, ſeu potius errorem, circa poteſtatem Summi Pontificis, ad concedendã facultatem Regularibus, ad audiendas ſecularium confeſsiones.

Concluſio.

LIcitum fuit quin vero & Eccleſiæ expedientiſſimum, vt à Summis Pontificibus, Religioſis ſiue Regularibus, aliqua cõcederentur priuilegia, quibus ſecularium poſſent confeſſiones audire. Probatur hæc concluſio, primo ex eo quod nulla in hoc ipſis Parochianis ſeu Sacerdotib' parochialibus irrogatur iniuria: nam ea quæ ſuæ ſunt iuriſdictionis, certum eſt quod poteſt proprius iudex, cuicumque voluerit eiuſdem ordinis cõmittere: ſed vt ſupra diximus in prȩcedenti articulo, Sum. Pontif. eſt ſupremus generalis, atque vniuerſalis totius Eccleſiæ Paſtor, Iudex, Parochianus, propriuſq; Sacerdos: ergo hanc ſuam poteſtatem & auctoritatem, cum voluerit atque expediens ſibi viſum fuerit, potuit & poterit, cuicumque eiuſdem Sacerdotalis Ordinis committere, quemadmodum & illam commiſit Religioſis, neque in eo aliqua ipſis inferioribus irrogatur iniuria, cum id ad ſuam ſupremam, atque abſolutam ſpectet iuriſdictionem. Quod & confirmatur: nam qua ratione poteſt, & potuit iure optimo, multos ſibi caſus & cauſas reſeruare, eadem etiam poteſt, iuriſdictionem ſuam & eoſdem caſus & cauſas, cuilibet Sacerdoti, Regulari ſiue ſȩculari, ſi ſibi placuerit, iuſta de cauſa committere, abſque aliorum inferiorum iniuria, cum in eo vtatur ſuo iure, & iuxta iuris regulam, qui iure ſuo vtitur, nulli facit iniuriam. Sed quod huiuſmodi conceſſio & diſpenſatio, facta Religioſis, audiendi ſecularium confeſſiones, fuerit prouida, iuſta, atque in fauorem Eccleſiæ & totius Chriſtiani populi, ex eo facile licebit colligere: nam cum vna ex conditionibus & circunſtantijs, in miniſtris ſacramenti huius requiſitis, ea ſit atque ex præcipuis, vt vitæ integritate polleat, quibus & ſimul adſit ſcientia atque prudentia, cum hæc omnia (quod abſque cuiuſpiã alterius iniuria dixerim) præcipue & vt plurimũ, reperiantur in Religioſis, vtpotè qui in clauſtris, & Monaſterijs incluſi, à ſecularibus etiam rebus abſtracti, lõge maiorem in id, ex ratione ſui ſtatus habent diſpoſitionem, vt experientia ipſa doceat, non immerito Sum. Pontif. ijs, alijſque pluribus rationibus permoti, priuilegia ſupradicta illis indulſerunt, in nullius iuriam id cedere arbitrantes, ſed in vtilitatem quammaximam, commodum atque emolumentum Eccleſiæ, ac totius Chriſtiani populi. Videatur hac de re Soto, in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 3. vbi ad hoc propoſitum plura dicit, eaque notatu digniſsima. Videatur etiam Emmanuel Rodericus in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 1.

Licitum fuit quin vero et Eccleſiæ expediẽtiſsimũ vt à Summis Pontificibus Regularibus concederẽtur priuilegia, quibus ſecularium confeſsiones poſſent audire.

Ad

Ad argumenta igitur in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum negando non id potuiſſe efficere Pontif. Maxim. & ad id quod addidit ſupradict. Ioan. de Poliaco de Deo, nempe quod nec Deus ipſe, hoc poterat facere, dico idcerte abſurdũ eſſe, temerarium atque blaſphemũ, & rigidiori cenſura dignum. Nec ratio in contrarium adducta quidquam conuincit: nam quod dicitur, de præiudicio ex eo illato, ſeu quod irrogatur Parochianis, propterea quod religioſi, ſecularium poſſint confeſſiones audire, facile reſellitur dicendo, cum D. Thom. in additionibus ad tertiam partem, quæſtione 8. articulo quinto in ſolutione ad primum, quod tunc ſolummodo fit alicui præiudicium, ſiue iniuria, cum ei ſubtrahitur, quod in fauorem ipſius tantum eſt indultum ſiue conceſſum: vt ſi, verbi gratia, ſubtrahatur alicui, ſeu ab aliquo, beneficium quod poſſidet, abſque legitima cauſa. At in propoſito, iuriſdictio & facultas audiendi ſecularium confeſſiones, cum non ſit tradita & commiſſa Parochianis, in ſuam propriam vtilitatem, ſeu in proprium ipſorum fauorem & commodum, vt de ſe patet, ſed in vtilitatem & fauorem totius populi Chriſtiani, hinc fit, quod nulla in hoc ipſis irrogetur iniuria, aut præiudicium, ex eo quod ſuperior, maxime ſupremus omnium iudex, qualis eſt Romanus Pontifex, iuſta interueniente cauſa, eandem Religioſis prædictis commiſerit, atque tradiderit, ſiue committat & tradat. Nec per hoc, impeditur mandatum diuinũ, cognoſcendi paſtorem vultum ſui pecoris, cum extra confeſſionem, id etiam optime fieri poſſit. Nam non per hoc quod fideles, Religioſis peccata ſua ex priuilegio Summorum Pontificum confiteantur, tollitur quin & ipſi conſtituto tempore, coram ſuis Parochianis comparere debeant, de ſe ipſis rationem reddendo, & aſſerendo ac dicendo, ſe legitime eſſe confeſſos, ſupradictis Religioſis ex priuilegio, quod ſufficit, vt ſuæ propriæ ſatisfaciant obligationi, cognoſcendi vultum ſui pecoris. Videatur hac de re D. Thom. loco ſupracitato, in ſolutione ad ſecundum, & Soto in 4. diſtinct. 18. quæſt. 14. art. 3. in ſolutione etiam ad ſecundum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm qui ex priuilegio confitentur Religioſis, tenentur ſuis Parochianis, ſeu Presbyteris Parochialibus, poſtea iterum confiteri?

Nota hoc valde, pro ratione dubitandi.

AC de re fuit etiam olim, opinio ſupradicti Henrici de Gandauo, & Hoſtienſ. Archidiaconi, & Ioannis Monachi & aliorum, quos refert & citat Adrianus in 4. quęſtione quinta de confeſſione, aſſerentium, quod qui ex priuilegio confitentur Religioſis, tenentur poſtea debito tempore, ſuis Presbyteris Parochialibus, iterum confiteri eadem peccata, quæ ſemel confeſſi ſunt, ſi non habent alia, vt adimpleant & ſatisfaciant præcepto Innocentij Tertij, in Concilio generali Lateranenſi poſito, *in capit. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion.* vbi habetur, *quod omnis vtriuſque ſexus, vir ſiue mulier doli capax, ſemel ſaltim in anno, tenetur proprio Sacerdoti confiteri.* Cui præcepto (inquiunt ſupradicti Auctores) nullum priuilegium, Regularibus ſiue Religioſis conceſſum, derogare poſſe videtur. Quod & confirmari poteſt, per quandam extrauagantem Martini Quinti, quam citat ſupradictus Adrianus, quæ incipit, *Ad vberes fructus*, quamuis non inueniatur relata inter communes, vbi pronuntur ſequentia verba. *Volumus autem, quod ij qui Fratribus confitebuntur, ſuis proprijs Parochialibus Sacerdotibus, ſemel ſaltim in anno confiteri nihilominus teneantur, quodque ijdem Fratres eos ad hoc idem exhortentur.* Cui ſimile eſt illud, quod habetur in alia extrauaganti Sixti Quarti, quæ incipit, *Vices illius, de tregua & pace*, vbi Religioſos omnes admonet, vt prædicare deſiſtant, quod Parochiani non ſunt obligati, ſaltem in Paſchate, proprio Sacerdoti confiteri, quia (inquit) ad id de iure tenentur. Hæc ſunt, quæ pro hac ſententia, poſſunt & ſolent adduci. Sed his nihilominus, non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſequens ſtatur concluſio.

Concluſio.

Qui Religioſis ex priuilegio ſibi indulto confitẽtur nullatenus tenentur eadem peccata, proprio Sacerdoti confiteri.

QVI Religioſis ex commiſſione, ſiue ex priuilegio ſibi indulto confitentur, nullatenus tenentur eadem peccata, proprio Sacerdoti iterum confiteri. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto in 4. diſtinctione 18. quæſtione quarta, articulo tertio, concluſione ſecunda. Quam & probat primo, ex prælegato *capit. omnis vtriuſque ſexus*, contra Doctores ſuprad. opinionis, retorquendo argumẽtum, habetur enim ibi, quod omnis vtriuſque ſexus vir, ſiue mulier, cum fuerit doli capax, teneatur ſemel ſaltem in anno, proprio ſuo Sacerdoti confiteri, vel de eius licentia alteri. Expreſſa verba ſupradicti capituli libet referre. *Si quis* (inquit) *alieno Sacerdoti, voluerit iuſta de cauſa ſua peccata confiteri, licentiam prius poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipſe, illum non poſſit ligare vel abſoluere*: ergo de mente prædicti capituli, qui ex commiſſione vel priuilegio Summi Pontificis, confitetur Religioſis, non tenetur eadem peccata iterum proprio Sacerdoti confiteri. Patet conſequentia: nam qui de licentia proprij Sacerdotis confitetur alteri, adimplet præceptum, vt dicitur in præfato capitulo, vbi fit ſermo de præcepto ſemel in anno confitendi, nec tenetur eadem peccata iterum proprio confiteri: ſed Summus Pontifex, eſt totius Eccleſiæ (vt iam ſupra diximus) ſupremus Paſtor, ac veluti Paræcianus, & proprius Sacerdos: ergo qui ex priuilegio Summi Pontificis confitetur Religioſis, præceptum ſemel in anno confitendi, ſimiliter adimplet, nec peccata ſemel confeſſa, proprio alij Sacerdoti, iterum confiteri tenetur. Quod etiam confirmatur: nam certum eſt, quod qui ipſi Papæ ſiue Epiſcopo immediate confiteretur, proculdubio ſatisfaceret, præcepto ſupradicti *cap. omnis vtriuſq; ſexus*, de ſemel in anno confitendo, nec requireretur ad id ſacerdotis Parochialis licentia, aut teneretur illi iterum peccata, ſemel confeſſa confiteri: ergo neque qui confitetur ex eorum priuilegio, ad id tenetur, ſed pleniſſime ſatisfacit Eccleſiæ præcep-

to. Vnde inquit Soto nihil valet, & vana est glossa, quam ad hoc propositum, tradit Bernard. *in supradict. cap. omnis vtriusque sexus, verbo alieno*, quatenus ait, priuilegia Religiosis concessa, dare illis solum modo executionem, audiendi secularium confessiones, sed nihilominus requiri licentiam Sacerdotis proprij, & quod si ista non habeatur, confessio facta nihil valebit, sed remanet obligatio iterum confitendi. Hæc, inquam, glossa, nihil valet: nam ibi Sacerdotis proprij nomine, intelligitur non solum Parochialis Sacerdos, verum etiam Episcopus, & Papa, quin vero isti multo melius, vt tenet communis opinio, & ipsi à fortiori dicuntur Sacerdotes proprij: quo fit vt qui de ipsorum licentia confitentur, ita bene imò verò melius, ac qui confitentur de licentia Parochialis Sacerdotis, satisfaciunt supradicto præcepto. His additur, quod quãuis ibi Sacerdotis proprij nomine, Parochialis Sacerdos dumtaxat intelligeretur, adhuc semper hoc esset intelligendum, salua Superioris licentia, in qua plenissime inferioris licentia continetur. Tandẽ vt huic nostræ cõclusioni maius robur adhibeatur, adnotare oportet vlterius, ex cõmuniori resolutione, quod qui ex priuilegio Summorum Pontificum (non reuocato) Religioso alicui confiteretur, etiam auctoritate Papæ, compelli nullatenus posset, vt peccata iam semel confessa, & per pœnitentiam & absolutionem remissa, proprio Parochiali Sacerdoti, iterum confiteri teneretur. Quod & sic probatur: nã Papa & Ecclesia, penes hoc, non habẽt auctoritatem nisi secundum ius diuinum: iure autem diuino, hoc Pœnitentiæ sacramentum, non est institutum, nisi in remissionem peccatorum: ergo postquam peccata iam semel sunt confessa & remissa, & ab ipsis quispiam fuerit absolutus, nisi ipse vltro velit, non tenetur nec vero cogi potest, iterum eadem peccata confiteri. Nam vt inquit D. Thom. in addition. ad tertiam partem, quæst. 8. artic. 5. in solutione ad quartum, qui non habet peccata, nullatenus confiteri tenetur, neque ad id vllo modo potest compelli. Merito ergo supradicti Bernardi glossa, vt inquit D. Anton. 3. part. tit. 17. cap. 9. condemnata est, per Clementem IIII. in quodam priuilegio Fratribus concesso, quod incipit, *Quidam temere*. Et supradictus Ioan. de Poliaco, qui pertinacius alijs, supradictam opinionem tenebat, & dicebat quod qui Religiosis ex priuilegio confiterentur, tenebantur iterum eadem peccata, proprio Parochiali Sacerdoti confiteri, per Ioannem XXII. anno Domini 1322. vocatus Romam, compulsus est palinodiam recantare, suumque errorẽ reuocare, vt constat ex quadam eiusdem extrauaganti, quæ incipit, *Vas electionis*, & habetur inter communes. Vbi conclusum est per supradictum Pontif. quod iuxta decreta suorum prædecessorum, Alexandri IIII. & Clementis IIII. confessi Fratribus Religiosis, non tenentur amplius eadem peccata, proprio Sacerdoti confiteri, quo fit, vt de veritate nostræ suprapositæ conclusionis, dubitare iam nõ liceat, cum sit in iure expresse determinata. Solummodo superest nunc respondere, ad argumenta proposita pro alia opinione.

Condemnata, est sententia & opinio asserẽs, quod qui peccata sua semel Religiosis fuerit confessus legitime, ea iterũ teneatur proprio Sacerdoti confiteri.

Respondetur ad rationes dubitandi.

Ad primum respondetur, sicut dictum est, quod qui ex priuilegio Religiosis confitetur, plenissime satisfacit, præcepto semel in anno confitendi, posito in supradicto *cap. omnis vtriusque sexus*, postquam ibi dicitur, vt confessio fiat proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia, neque priuilegia Religiosis concessa, intelligendum est, quod sint derogatio seu reuocatio supradicti præcepti, sed solummodo indultum quoddam, & quædam licentia, generalis atque vniuersalis, iuxta tenorem supradicti capituli, Religiosis concessa.

Ad aliam extrauagantem Martini Quinti, quæ incipit, *Ad vberes fructus*, respondetur quod vt ex illa satis constat, non ibi præcipitur, vt qui Fratribus ex priuilegio confitentur, eadem peccata à quibus semel absoluti sunt, proprio Parochiali Sacerdoti, iterum teneantur confiteri, sed solummodo, vt coram ipso se præsentent, dicendo se esse iam absolutos, ex licentia alterius proprij atque vniuersalis Parochi, qualis est Summus Pontifex, & supradictis Fratribus fuisse confessos. Et quamuis littera extrauagantis supradictæ, in cortice & vocetenus, aliud dicere videatur, quatenus ait, quod semel saltem in anno, seu in Paschate, proprio teneantur Sacerdoti confiteri, sic & nonaliter est intelligenda, vt expresse docet Magister Soto in 4. distinctione 18. quæstione quarta, articulo tertio, vbi dicit, quod per ipsam non fuit reuocata prædicta Extrauagans Ioannis XXII. nec Clementin. *Dudum, de sepulturis*. Et si aliud cuipiam videatur (inquit) quod quantum ad hoc, prædicta Extrauagans, *Ad vberes fructus*, non fuit recepta, ex eo quia erat contraria, ac derogabat alijs extrauagantibus. Et idem respondet, ad illam aliam extrauagan. Sixti Quarti, quæ incipit, *Vices illius, de tregua & pace*, quæ etiam intelligenda solummodo est, de præsentatione prædicta, coram proprijs Sacerdotibus Parochialibus facienda, comparendo coram illis, seque illis præsentando, semel saltem in anno, seu in Paschate, & rationem reddendo de se, ac dicendo se esse confessos, & absolutos à prædictis confessarijs Regularibus, & ad nihil aliud tenentur. Hæc supradictus Soto vbi supra.

ARTICVLVS IIII.

Fuerintne olim aliqua priuilegia, de facto Religiosis concessa, quibus secularium confessiones possint audire?

Conclusio.

Multa fuere olim priuilegia, Regularibus concessa, quò secularium possent confessiones audire.

MVlta fuere olim priuilegia, Regularibus concessa, quò secularium possent confessiones audire. Hæc conclusio, non aliter potest probari, quam afferendo ipsa. Et qui primus (vt dicitur) Religiosis siue Regularibus, priuilegium concessit, quò secularium confessiones possent audire, fuit Alexander Quartus, circa annum Domini 1260. vt constat ex Monumentis Ordinis, primæ impressionis, folio 26. & refertur in Compendio priuileg. *verbo, absolutio quoad seculares*, 1. §. 1. Cuius priuilegium, postea cõfirmatum fuit, per Vrbanum IIII. & Clementem etiam

etiam IIII. eiusdem successores, prout tradit Soto in 4. sentent. d. 18. quæst 4. art. 5. Ex quo occasione accepta, quinquaginta post annos, supradictus Ioannes de Poliaco id ægre ferens, nec sustinere vllo modo valens, reclamare cœpit ac dicere, prout in præcedentibus articulis est dictum, quod confessiones Religiosis ex priuilegio factæ, erant ipso iure nullæ, irritæ atque inualidæ, nisi iterum eadem peccata, iam semel absoluta & confessa, proprijs Sacerdotibus Parochialibus confiterentur. Qua de re vt diximus, accusatus fuit apud Ioannem XXII. ac Romam venire compulsus, suũ errorem reuocare.

Post hęc, tempore procedente, Bonifacius VIII. in extrauaganti, quæ incipit, *Super cathedram, de sepulturis*, copiosissimam fecit facultatem, Regularibus & Religiosis, quò secularium confessiones possent audire. Præcepit tamen, vt Prælati Religiosorum Mendicantium, præsentarent Episcopis prius, in id Sacerdotes quos idoneos dijudicarẽt, quibus & ipsi facultatem facerent, tum prædicandi, tum etiam confessiones audiendi. Illis tamen hoc facere renuentibus, ipse Summus Pontifex, in dicta extrauaganti, prædictis Regularibus concessit, vt eo nihilominus non obstante, id ipsum possent efficere. Supradictum Bonifacium VIII. subsequutus est Benedictus XI. qui in alia sua extrauag. quæ incipit, *inter cunctas, de priuileg.* reuocata prædicta moderatione, Bonifacij VIII. amplissimam facultatem præbuit dictis Religiosis, prædicandi & confessiones audiendi, nulla facta coram Episcopis præsentatione, neque ab eis aliqua petita licentia. Sed postea Clemens V. in Concil. Vienn. hoc non esse conueniens dijudicãdo, in Clementina, quæ incipit *Dudum, de sepulturis*, reuocauit Benedicti prædicti decretũ, & renouauit primũ Bonifacij VIII. quo, vt diximus præcipiebatur, vt confessores & Prædicatores prædicti, coram Episcopis re vera præsentarentur, at præsentatione facta, ab eisdemq; humiliter, & qua decebat modestia petita licẽtia, si per eram & sine vlla prorsus ratione & causa denegaretur, ipse Summus Pontifex, pontificia & suprema sua auctoritate, facultatem illis fecit, vt virtute sui decreti, & Clemẽtinæ prędictæ, prædicare possent, atque fidelium confessiones audire. Hæc olim vsque ad tempora Sacri Cõcilij Tridentini. In ipso vero patres, huic rei modũ & formam, cunctis Regularibus apponere volendo, sequens fecerunt decretum. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotũ audire, neque ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficiũ aut ab Episcopis (per examen si illis videbitur esse necessarium) aut alias, idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur obtinuerit, priuilegijs & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus.* Habetur *sess. 23. de reform. c. 15.* Hæc sunt, quæ circa audiendas secularium cõfessiones, pro Regularibus hucusq; reperiuntur decreta & stabilita. Quæ vt clariora fiant, atque in promptu & præ manibus ab omnibus habeatur, per particulares articulos, libet omnia ista in præsentiarum explicare & declarare. Et primo, qualiter Regularium confessorum coram Episcopis, præsentatio sit facienda.

ARTICVLVS V.

Qualiter Regularium Confessorum, coram Episcopis præsentatio sit facienda, quò secularium confessiones possint audire?

PRo huius articuli intelligentia, visum est primo præmittere, modum & ordinem, hac in re olim obseruatum. Iam dictũ est in præcedenti articulo, quod confessores Regulares, quò secularium confessiones possent audire, iuxta decretum & constitutionem Bonifacij VIII. *in cap. super cathedram, de sepulturis*, tenebantur coram Episcopis præsentari, in idque munus & officium exercendi, ab eisdem humiliter licentiam petere. Quod quamuis Benedictus XI. eiusdem successor reuocauerit, in alia sua extrauaganti, quæ incipit: *Inter cunctas, de priuileg.* Clemens tamen V. in Concilio Viennens. in sua Clementina, quæ incipit, *Dudum, de sepulturis*, decretum Benedicti prædicti reuocando, quod Bonifacius VIII. prius statuerat, stricte obseruari præcepit, nonnullaque alia de nouo addidit. Cuius quidem constitutio obseruata semper fuit, vsque ad tempora Concilij Tridentini, obseruarique modo habet vt credo: nam quantum ad hoc, omni procul dubio, non est reuocata, quin vero innouata, vt latius infra dicemus, vtque talis apposita, ad marginem supradicti decreti Concilij Tridentini. Priuilegiorum Collector, *verbo, præsentatio, & verbo, absolutio quoad seculares*, huius præsentationis coram Episcopis faciendæ mentionem faciens, duplicem tradit modum & formam. Horum alter constitutus fuit ab Innocentio VIII. ac de eo fit mentio in Monument. Ordin. primæ impressi, fol. 95. & secundæ, fol. 93. & in Supplement. fol. 9. concess. 352. Sed quia ille præsentãdi modus, nimium molestus videbatur atq; onerosus: debebat enim fieri quolibet anno, & adhuc erat dubium, an confessores sic præsentati, pro præsentatis haberentur, secundum formam iuris, ad effectum vt potiri possent, concessionibus particularibus, secundum nostra priuilegia, factis nostris confessoribus, prout aduertit Nauar. in suo Manua. cap. 27. agens de supradicta confessorum Regularium præsentatione, num. 260. eiusmodi præsentandi modus, in dissuetudinem abijt, & sic iam non est, cur de eo in præsentiarum mentionem facere debeamus. Secundus præsentandi modus, traditus fuit à Clemente V. prædicto, in Concilio Viennensi, & habetur in dicta Clementina, *Dudum, de sepult. §. statuimus*, quæ approbata postea fuit, à Conc. Latera. sub Leone X. sess. 11. iuxta quam, Prælati tenebantur, cõfessarios suos coram Episcopis præsentare, ab eisdemque humiliter, licentiam & facultatem petere, vt sibi placeret, quod Fratres per eosdem præsentati & nominati, cum sua bona venia, in suis diœcesibus & ciuitatibus, libere possent suorum subditorum confessiones audire. Et quia dicta Clem. est valde notabilis, multumque iuridica ac rationi consona, & vt dixi quantum ad hoc nõ

Duplex modus & forma, præsentationis coram Episcopis faciendæ, à Confessarijs Regularibus.

reuocata, quin vero approbata, per ſupradictum Concilium Tridentinum, libet eam quibuſdam propoſitis notabilibus, ſiue reſolutionibus, expreſsius hic ad vnguem explicare & declarare.

Diligentiæ quæ ſecũdum Clement. Dudum, de ſepultu. à Prælatis Regularibus fieri debeãt, pro confeſſoribus.

Dico igitur primo, quod iuxta dictam Clementinam, Prælati Ordinis Prædicatorum & Minorũ, pro quibus ſpecialiter eadem fuit conſtituta, tenebantur per ſe aut per alios, humiliter petere ab Epiſcopis, vt Fratres per ipſos electi & nominati, ſuorum ſubditorum confeſſiones poſſent audire, eiſque ſalutarem pœnitentiam iniungere, prout ſecundum Deum ſibi videretur expedire. Poſt modum vero eligebant Fratres, qui audituri erant confeſſiones, quorum copia tradebatur Epiſcopis. Ita habetur in *d. Clement. §. ſtatuimus*, atque ita cõmuniter, fuit olim obſeruatum in praxi, otioſa licet quibuſdam videretur dicta præuentio, & re vera nõ erat admodum neceſſaria, poſtquã ea præter miſſa, poterant prædictarum Religionum Prælati, in ſuis Capitulis generalibus, ſiue Prouincialibus, aut aliter, prius prædictos confeſſores eligere & nominare, poſtmodum vero coſdem, coram Epiſcopis præſentare, & petere vt iuxta formam Clementinæ prædictæ, placeret ſibi facultatem illis facere, vt libere ſuorum ſubditorum confeſſiones poſſent audire. Sed hoc parũ vel nihil referebat, quod iſto vel illo modo fieret, dum tamen ipſi Prælati, confeſſores prædictos, vt dictum eſt, coram Epiſcopis præſentarent. Hæc enim erat prima diligentia, neceſſario facienda.

Dico ſecundo, quod ſi ipſi Epiſcopi vellent, vt confeſſores prædicti, coram ipſis perſonaliter comparerent, ſeu quod dicitur, præſentarentur vere & realiter, id etiam neceſſario erat faciendum, vt ſatis colligitur ex eadem Clementina, *verbo, præſentari*. Quod quidem verbum, vt aduertit ibi gloſſa, idem pollet ac ſi diceretur, quod deberent ſe, Epiſcoporum proprijs oculis ſubijcere, corporalibuſque ſenſibus præſentes exhibere. Nec proinde ſufficeret illos dumtaxat nominare, aut eorumdem nomina, ipſis Epiſcopis per ſcriptum mittere, prout aduertit & notat Nauar. in ſuo Manuali, cap. 27. num. 261.

Tertio dico, quod his etiam factis, iuxta formam prædictæ Clementinæ, ſupradicti Epiſcopi ſi volebant, poterant confeſſores prædictos, à proprijs Prælatis nominatos, etiam examinatos & approbatos, iterũ examinare, & approbare vel reprobare, prout expediens ſibi viſum fuiſſet: nam quamuis hoc expreſſe non habeatur ibidem, colligitur tamen ſuperque ſatis ex contextu litteræ, poſtquam fit ſibi facultas, aliquem ipſorum non admittendi, quod habetur ibi, ab illis verbis, *quod ſi forte*, vſque ad illa, *loco ipſius ſubrogare*. Quod intelligendum eſt, iuſta exiſtente & rationabili cauſa, non autem ſine illa, etenim ſi ſine illa, abſolute & pro libito id ipſum facerent, quid in tali caſu faciendum, ſit dicetur inferius.

Quarto dico, quod ſi inter Epiſcopos prędictos, dictarumque Religionum Prælatos, aliquod ſubortum eſſet diſſidium, ſiue differentia, circa ſufficientem prædictorum confeſſariorum numerum, dicentibus Epiſcopis, quod ſufficiebat minor, affirmãtibus vero Prælatis, quod maior exigebatur, in tali caſu ſtandum erat Superioris iudicis, ſeu boni viri arbitrio, vt tradunt omnes cõmuniter Doctores, *in dicta Clement. Dudum*, ſed ſpecialiter Sylueſt. *verbo, confeſsio, 2. n. 10* vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu & ſumma animaduerſione digna, ad indagandum atque inquirendum, quando prædictorum confeſſariorum reprobatio, in Epiſcopis procederet, non ex ratione aut iuſtitia, ſed ex indeuotione ſiue paſſione, vt locum haberet, id quod diffiniuit & determinauit prædictus Pontif. Clemens V. in d. ſua Clement. de quo ſtatim dicemus.

Factis diligentijs ſupradictis, ſi Epiſcopi nollent Regulares approbare, ſine aliqua iuſta cauſa, auctoritate Apoſtolica, poterant confeſsiones audire.

Dico igitur quinto & vltimo, quod ijs præmiſſis, ac factis diligentijs prædictis, circa confeſſariorum præſentationem, ſi Epiſcopi abſolute & pro libito, abſque vlla exiſtente iuſta & rationabili cauſa, præſtare nollent licentiam, eiuſmodi confeſſarijs ſic præſentatis, ad audiendum ſuorum ſubditorum confeſſiones, in tali caſu, confeſſores ipſi auctoritate Apoſtolica, libere poterant ſuum munus & officium exercere, prætermiſſis Epiſcopis, prout habetur ibidem §. *ſi vero*, vbi poſt ſupradicta omnia, ſequentia ponũtur & habẽtur verba. *Si vero ijdem Prælati, præfatis Fratribus, vt præmittitur ad confeſsiones audiendas electis, huiuſmodi exhibere licentiam recuſauerint, nos ex nunc ipſis, vt confeſsiones ſibi confiteri volentium, libere liciteque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque beneficium abſolutionis impartiri, gratioſe concedimus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.* Hæc verba libuit, expreſſe atque ad vnguem referre, quia multorum in ſubſequentibus dicendorum, ſunt veluti baſis & fundamentum, nec proinde oportuit, ea ſilentio obuoluere, aut diſſimulatione præterire. Fuit autẽ eiuſmodi Clemẽtis V. decretum, quammaxime iuridicum, & multum iuri atque rationi conſonum, eo modo quo propter eandem rationem & cauſam, *in cap. licet quibuſdam, de Regul.* Regulari licentiam à ſuo Superiori petenti, tranſeundi ad altiorem & ſtrictiorem Religionem, ea ſibi ſine cauſa denegata, iure conceditur, & habetur pro donata. Similiter *in capit. primo, de ſupplen. negligent. Prælat.* habetur, quod Abbate tertio ab Epiſcopo petente benedictionem, eam ſibi ſine iuſta cauſa denegante, à iure ſibi conceditur atq; pro benedicto habetur. Sic igitur in propoſito, fuit ſatis iuridica, ac iuri & rationi quãmaxime cõſona, prædicti Clementis V. conſtitutio & decretum, in caſu quo ſupradicti Epiſcopi, ſine iuſta ratione & cauſa, ex indeuotione aut pro libito, Confeſſarijs Regularibus negarent licentiã, humiliter atq; religioſe petitam, audiendi ſuorum ſubditorum confeſsiones. Hæc oportet multum memoriæ commendare, quia pro multis caſibus deſeruiunt. Etſi enim quidam contendant, Clementinam prædictam, etiam quoad hoc, per Concilium Tridentinum, eſſe derogatam & reuocatam. Contrarium tamẽ, grauiſsimis Doctoribus apparet verius, & in id quamplures, eaſque fortiſsimas afferunt rationes, prout ſtatim in ſequenti articulo dicemus. His igitur ſic præmiſsis, quando in præſenti quæritur, qualiter Regularium confeſſorum, coram Epiſcopis præſentatio ſit facienda, quò ſecularium ſuorum ſubditorum confeſsionem poſsint audire, reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio

Conclusio.

Præsentatio confessariorũ Regularium, faciẽda est coram Episcopis iuxta formam traditã in supradicta Clement. dudum, de sepultur, & nunc nuperrime in Conc. Trid.

PRæsentatio confessariorum Regularium, faciẽda est coram Episcopis & Ordinarijs, iuxta modum & formam, traditam à Clemente V. in Concil. Viennensi & dicta *Clement. dudum, de sepulturis*, & nunc nuperrime in Concil. Trident. Hæc conclusio est expressa Nauarri, in suo Manuali, cap. 27. num. 174. cum sequentibus, vbi & ad hoc propositum, ipsam Clementinam latissime explicat atque declarat, ad modum quo dictum est supra, in prædictis notabilibus. Vt vero præ manibus habeatur modus & forma, qua præsentatio prædicta, coram Episcopis est facienda, & construenda quando fit in scriptis, ex multorum varijs atque diuersis formis, quæ hac de re à Doctoribus circumferuntur, libuit eam hic paucis transcribere, & facienda est sequenti modo.

Forma præsentationis, Regularium confessorum, quæ corã Episcopis est facienda.

Illustrissime atque Reuerendissime Domine, N. Illustrissimæ atque Reuerendissimæ D.V. supplex Orator, Prouincialis Minister, seu Custos talis, vel talis Prouinciæ, Guardianus, siue Prior, N. salutem in Domino, ac cum pari animi submissione, debitã reuerentiam. Cum iuxta modum & formam, tradi tam in Clementina, *Dudum, de sepulturis*, factam in Concilio Viennensi, per sacrosanctum Concilium Tridentinum, innouatam & approbatam, nostri sacri Ordinis confessarij, ad audiendas secularium, vestrorum subditorum confessiones, coram Illustrissima & Reuerendissima D.V. debeant præsentari, vt approbentur & ad id munus exercendum, licentiam & facultatem obtineant, harum serie & tenore, Illustrissimæ atque Reuerendissimæ D.V. præsento, tanquam sufficientes & idoneos, in nostro Capitulo Generali, siue Prouinciali electos, deputatos & approbatos, N.N. supplicans humiliter & omni qua possum & debeo reuerentia, vt ipsos & me etiam cum illis, si vult recipiat, & admittere dignetur, pro vestra humanitate & pietate, & in nostrum sacrum Ordinem beneuolentia, placeatque sibi de vestra gratia, ac pro spirituali salute animarum earamdem, auctoritatem & facultatem nobis concedere, absoluendi illos à casibus etiam vobis specialiter reseruatis, quò nos quoq; magis speciali deuotione moueamur, ad diuinam Maiestatem exorandam, quatenus Illustrissimam, & Reuerendissimam D.V. incolumem, per longæ nos annos conseruet, in suo sancto seruitio, ad animarum salutem, communemque totius Ecclesiæ vtilitatem. Datis N. tali die talis mensis & anni.

Hunc præsentandi modum, paucis interpositis siue mutatis, desumpsi ex supradicto Doctore Nauarro, in prædicto suo Manuali, Hispano sermone conscripto, cap. 27. num. 276. sub titulo, de præsentatione confessariorum Regularium, facienda Ordinarijs. Circa quem, nihil de nouo occurrit dicẽdum, præterquam quod præsentatio prædicta, fieri potest & consueuit in scriptis, aut sine ipsis, tantummodo vocetenus, præcipiente Prælato, Confessoribus sibi subditis, vt coram Episcopis se præsentent, & personaliter compareant, vt ab eis etiam si sibi placuerit, simul examinentur & approbentur, facultatemque illis præbeant, ad audiendas secularium confessiones. Quod (vt supra diximus) necessario etiam olim erat faciendum, iuxta formam traditam in supradicta Clementina, *Dudum*, sed nunc quammaxime, vt obediatur speciali decreto, hac de re facto nouissime, à sacrosancto Concilio Tridentino, neque enim dicta Clementina, *Dudum*, eidem in aliquo contrariatur, vt latius patebit ex dicendis in sequenti articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Clementina Dudum de sepulturis, derogata aut reuocata fuerit, per Concilium Tridentinum, quantum attinet & spectat, ad Confessariorum Regularium, coram Episcopis & Ordinarijs faciendam præsentationem?

HAc de re multa dicuntur à Doctoribus Iurisperitis, & inuenio ipsos (meo quidem videri) absque iusta & rationabili causa, contrarios atque diuisos. Quidam enim dicunt, Clementinã prædictam, derogatam & reuocatam esse, per Concilium Tridentinum sessione 23. capit. 15. vbi agit de supradictorum confessariorum, coram Episcopis & Ordinarijs, faciendа præsentatione, & quoad hoc, iam nullius esse prorsus valoris atq; momenti. Alij vero hoc mordicus negant, & omnino sunt in contraria sententia, afferentes prædictam Clementinam, etiam nunc quoad confessariorum Regularium præsentationem, in suo permanere vigore, Concilium-que Tridentinum circa hoc, nullum nouum ius statuisse, præter hoc solum, quod confessores præsentati, & à proprijs Prælatis etiam examinati, & approbati, si Episcopi voluerint, possint ab eisdem iterum examinari & approbari, & quod alias nullus Regularis, ad audiendas secularium, etiam Sacerdotum confessiones, idoneus iudicetur, priuilegijs & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Et vt ex agitatione rerum, veritas plenius eluceſcat, libuit paucis difficultatem hanc, hinc inde discutere, seu quod dicitur difficilem reddere, quo clarum atque perspicuum fiat, hac in re quid tenendum atque dicendum sit.

Primum argumentũ pro prima opinione.

Doctores primæ sententiæ & opinionis, fundantur in primis, in verbis Concilij Tridentini, & vt appareat, in id quantam vim & robur habeant, volo hic eadem iterum transcribere. Concilij expressa verba sunt, quæ sequuntur. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis (per examen si illis videbitur esse necessarium) aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur obtineat, priuilegijs & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Hæc Concilij vbi supra. Super quæ prædicta

verba,notãt & ponderant,quammaxime illa, *nullum etiam Regularem*, quæ quidem(inquiunt)eſſent ſuperflua ac nullius virtutis,ſi per illa non fuiſſet derogata & reuocata, prædicta Clementina, *Dudum,de ſepulturis*,præſertim cum dicatur, ſupradicta eſſe obſeruanda, priuilegijs & conſuetudine quacumque,etiam immemorabili non obſtãtibus.

Secũdum argumentum. Secũdo probare cõtendunt id ipſum,quiavt plane conſtat,decretum Cõcilij Tridentini prędictũ, eſt quædã lex generalis, poſterior ad ſupradictam Clementinam,*Dudum*, vtque habetur in iure,*in capit. licet,de conſtitut.lib.6.* quando Summi Pontifices aut Principes,edunt aliquam legem,ſiue conſtitutionem nouam, conſequenter per eam reuocare videtur,omnem aliam priorem, eidem contrariã, cum vt ibidem dicitur præſumantur,totũ ius portare ſeu potius habere,in ſcrinio pectoris ſui, verba ſunt expreſſa & formalia prædicti cap.licet.Dicendũ eſt igitur,quod prædicta Clementina,quãtum ſpectat ad Confeſſariorum præſentationem, totaliter fuit abrogata & reuocata, per præfatum Concilij Tridentini decretum, & de ea nullam eſſe prorſus,magis mentionem faciendam,ac ſi nũ quam lata fuiſſet,ſiquidem dicitur,vt ſeruetur ipſum,non obſtantibus priuilegijs, cæteriſque alijs quibuſcumque. Hæc ſunt potiſſima atque præcipua,huius ſententiæ & opinionis fundaméta.Sed his nihilominus nõ obſtantibus,alij grauiſſimi Doctores,contrarium omnino tenent (vt diximus) ac mordicus negant, ſupradictam Clementinam, *Dudum*,eſſe reuocatã: quin vero aiunt,etiam nunc in ſuo permanere vigore, ac de nouo confirmatã. Cuius opinionis fundamenta ſunt,quæ ſequũtur.

Primum fundamentum ſecũdæ opinio. Primo,nam Concilium Tridentinum, vt ex ipſius verbis,pluries iam citatis ſatis conſtat,ſolum modo reuocat, quoad Confeſſariorum præſentationem faciendam,& formam ibidem traditã,priuilegia & conſuetudines, etiam immemorabiles. At inquiunt prædicti authores,Clemẽtina prædicta,non eſt priuilegium, aut ſolummodo conſuetudo quod in ea continetur, ſed verum ius cõmune,& conſtitutio quædam,facta in Concilio generali,& inſerta in corpore iuris communis, nõ igitur dicendum eſt,quod ſit reuocata, per prædicta verba.Conſequentia eſt legitima. Minorem autẽ, nempe quod prædicta Clement.non ſit priuilegiũ ſed conſtitutio, & ius commune probant. Primo quia Bonifacius VIII.in extrauaganti, *Super cathedram,tit.eodem de ſepulturis*,ſimilem aliam conſtitutionem, tractantem de prædictorum confeſſariorum Regularium, coram Epiſcopis & Ordinarijs facienda præſentatione ſtatutum ordinationem, atque decretalem vocat,ibi. *De Fratrum noſtrorũ cõſilio,auctoritate Apoſtolicâ ſtatuimus & ordinamus*, &c.

Secundo,nam idem Clemens V. in eadem Clementina, *Dudum*, vocat etiam ipſam decretalem, ibi,*infraſcripta edita decretali*,&c.Et tandem Sixtus IIII.quadam etiam ſua extrauag.quæ incipit,*Vices illius*,& habetur inter communes,eandem ius cõmune appellat,ibi,*Per hoc tamen, ipſi Fratres Mendicantes,non cenſeantur excluſi, quominus ſecundum iuris communis,& priuilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, ſecularium confeßiones valeant audire.* Vbi verba illa, *ſecundum iuris communis diſpoſitionem*, plane referuntur, ad ſupradictam Clementinam, *Dudum*, cuius virtute & vigore, & aliorum ſuorum priuilegiorum (inquit Pontifex) quod Fratres Mendicantes,ſecularium confeſſiones poterant audire, ſequitur ergo(inquiunt Doctores prædicti) quod Clement.prædicta,non eſt aut dici poteſt reuocata,cum non ſit priuilegium, ſed vere ius commune, ſtatutum atq; ordinatio,& decretalis quædã, facta in Concil.Viennen.& confirmata & approbata in generali Lateran.& ſimul contenta in corpore iuris Canonici.Eo vel maxime,quia vt ex eadem ſatis conſtat,fuit quædam ſententia diffinitiua, lata per ſupradictum Clementem V. ratione cuiuſdam controuerſiæ,quæ tunc temporis exorta fuit,inter Clericos ex vna parte, & Fratres Minores & Prædicatores ex alia. Sententiam autem diffinitiuam,in Concilio generali latam, in corpore iuris poſitam, contentam atque inſertam,priuilegium dicere,aut nominare, non videtur iuridicum,aut dicere eam eſſe derogatam, & reuocatã, ſub illa generali verborum clauſula, *priuilegijs & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili non obſtantibus.*

Secundũ fundamentum. Secundo probant idipſum:nam Conc.Trid. *ſeſſ. 25.de Regul.c.13.*agendo de quarta funerali, à Fratribus Mendicantibus ſoluenda,præcipit vt ſoluatur,non obſtante quocumque priuilegio. Ex quibus verbis ſic colligunt argumentũ. Solutio prædictæ quartæ funeralis,vt perſpicuum eſt & nullus eſt qui hoc ignoret,ortum atque originem habet,à ſuprad.Clement. *Dudum, de ſepulturis*,ibi,*ne parochiales Eccleſiæ,&c.* eaque ſolui præcipitur, per præfatum Conc.Trident.non obſtante quocumq; priuilegio:ergo nullatenus dici poteſt, ipſam eſſe priuilegium,ſed vere ius commune,nec reuocata cenſenda eſt,cum per ipſum quarta prædicta funeralis ſolui præcipiatur.Aliter vero(inquiũt authores prædicti) dicant,qui in contraria ſunt ſententia & opinione,quonam iure aut qua ratione, ſupradicta quarta funeralis à Religioſis exigatur, ac ſolui præcipiatur,oſtendant ius! Nihil omnino dicere,aut reſpondere poſſunt, niſi quod debetur ex Clementis Quinti Summi Pontificis præſcripto,contento in dicta Clementina,*Dudum*.Si igitur id ita eſt:ergo iam expreſſe cõcedunt,eam eſſe ius commune,non vero priuilegium,ac proinde neq; per Conc.Trident.derogatam aut reuocatã,quin vero de nouo approbatam,innouatam & cõfirmatam.Neque enim dici poteſt,quod reſpectu præſentationis Confeſſariorum Regularium, ſit priuilegium & reuocata,reſpectu vero quartæ funeralis,ius commune & approbata,& confirmata:hæc enim contraria omnino inter ſe eſſe videntur,nec vllum habere rationis ſiue probabilitatis fundamentum.Hæc ſunt,quæ afferuntur pro hac opinione & ſententia. Circa quam difficultatem,vt quod probabilius mihi videtur, paucis dicam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Probabiliſſima eſt ſentẽ. quæ aſſerit, Clem.Dudũ, non eſſe reuocatã,per Concil. Trident.

PRobabiliſſima eſt illorum Doctorum ſententia,& opinio quæ aſſerit,ſupradictam Clementinam,*Dudum*,nullatenus eſſe per Concilium Tridentinum derogatam aut reuocatam, quin vero per ipſum de nouo approbatam & confirmatam,& eidem quammaxime conſonam,ſiquidem, nihil

nihil omnino in ea continetur, quod illi contrarietur. Hæc concluſio apponitur, propter fortiſſimas tationes, quibus hæc opinio innititur, quam & expreſſe tenet doctiſſimus Doctor Nauarr. in ſuo Manuali, capit. 27. nume. 264. in fine, & eſt primum Miſcellaneorum, quo agit de Confeſſariorum Regularium præſentatione. Vbi dicit, nullatenus eſſe credendum, Concilium Tridentinum prædicto ſuo decreto, derogare vllo modo voluiſſe, iuri communi conciliari dictæ Clementinę, *Dudum*, aut Concilio Lateranenſi, ſeſſio. 11. vbi eadem fuit approbata & confirmata. Quod & probat ex Archidiacono in *capit. 1. de conſtitutionibus, libr. 6.* vbi ait, quod ius commune requirit derogationem expreſſam, ad hoc vt illi cenſeatur derogatum: pro quo etiam citat Felinum in *cap. nonnulli de reſcriptis.* Dicit præterea, hoc eſſe tenendum, quia oportet quammaxime, iura iuribus concordari, vt habetur in *cap. cum expediat, de electio. libro 6.* vnde cum dicta Clementina, concordari poſſit beniſſime cum Concilio Tridentino, non eſt cur dicatur, quod ſit per ipſam reuocata. Facit & ad hoc quammaxime, doctrina Bartol. in *lege prima, verſu, vel diuerſius, authentic. quæ in Prouincia,* vbi tractans hanc quæſtionem. An lex de nouo ſtatuta à Principe, deroget priuilegijs, poſitis & inſertis in corpore iuris communis, per hæc verba dicendo, *non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs*, &c. reſpondet quod non, niſi ſpecialem faciat mentionem de ipſis, etiamſi apponat quaſcumque generales clauſulas & non obſtantias, quia (inquit) talia priuilegia inſerta in corpore iuris, non eſſe cẽſentur priuilegia, ſed aliud nobilius nomen ſibi vendicant, nec ſolummodo ſunt dicendæ leges priuatæ & particulares, quin vero communes & generales. Verba ſunt Bartoli expreſſa. Si igitur id ita eſt, nulla certe apparet ratio, ob quam dicere velimus, aut debeamus, prædictam Clementinam eſſe derogatam, & reuocatam per Concilium Tridentinum maxime cum fuerit facta in Concil. Viennenſ. & approbata & confirmata, vt dictum eſt, in Lateranenſ. & Clemens ipſe V. in proœmio ſuarum Clement. expreſſe præceperit, quod omnes ſuæ Clementinæ, nulla excepta recipiantur, atque ad vnguem obſeruentur, & quod Doctores in ſcholis, & ſudices in iudicio, per eaſdem gubernarentur. Sed præter has omnes rationes, alia mihi ad hoc propoſitũ, de nouo ſe offert fortiſſima, & ea eſt, quod non ſolum in Concilio Tridentino in prædicto decreto, quo agitur de ſupradictorum Confeſſorum Regularium præſentatione, de dictæ Clement. reuocatione nulla ſit mentio, quin vero ipſa affertur & apponitur ad marginem, tanquam ipſius appendix, quaſi innuere atque inſinuare volens hoc facto, præd. decretum confectum fuiſſe & conſtitutum, ad inſtar, imitationem & maiorem atque meliorem obſeruantiam, prædictæ Clementinæ. Et re vera, vt diximus, ſi penitus introſpiciatur, nõ in ea aliquid omnino reperietur, quod Conc. eidem contrarietur, vt latius patebit, in argumentorum ſolutione, quæ adducta ſunt, pro alia in contrarium ſententia & opinione. Hoc ſolummodo excepto, quod & credo ægre quammaxime ferre, Doctores contrariæ ſententiæ, indeque anſam deſumpſiſſe, ad dicendum prædictam Clement. eſſe per Concilium Tridentinũ reuocatam & illud eſt, quod in ea dicitur & ſtatuitur, quod ſi Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati, ex indeuotione ſeu praua voluntate, aut (quod abſit) ex odio, & abſque vlla legitima iuſta & rationabili cauſa, Confeſſarijs Regularibus, vt præmiſſum eſt, præſentatis coram eiſdem, iuxta formã ipſius (etiam ſi voluerint præuio examine) abſolute & pertinaciter, licentiam noluerint dare, audiendi ſuorum ſubditorum confeſſiones, facto ex ſua parte id quod facere tenebantur, in tali caſu (inquit ibi Pontifex) quod ex tunc ſua ſuprema auctoritate, libere & licite valeant, eorumdem confeſſiones audire: nam id ſibi concedit gratioſe, de plenitudine ſuæ poteſtatis. Hoc, inquã, eſt, quod quidam moleſtiſſime ferunt, atq; ex eo occaſionem deſumunt, contra dictam Clement. oblatrandi & murmurandi. Sed re vera immerito, & contra omnem prorſus rationem: nam vt etiam inquit Nauar. loco ſupracitato, id ſtatuiſſe & ordinaſſe, quammaxime fuit iuridicum ac rationi conſonum, quod Confeſſores Regulares ſic præſentati, & ab Epiſcopis perperam & ſine cauſa reiecti, haberentur pro approbatis. Sicuti & iuxta *cap. licet quibuſdam de Regul.* (vt iam etiam nos ſupra diximus,) Regularis petens licentiam, humiliter & deuote à ſuo Prælato & Superiore, tranſeundi ad ſtrictiorem ordinem, ſiue Religionem, ſi ea ſibi ſine iuſta cauſa denegetur, habetur iure pro conceſſa. Similiter & Abbas pro benedicto, ſi tertio ab Epiſcopo expoſtulauit benedictionem, eamque ſibi ſine cauſa denegauit, iuxta *cap. primum, de ſupplen. negligent. Prælat.* Si igitur id ita eſt, & hoc ſtatuiſſe & ordinaſſe, quammaxime fuit iuri ac rationi conſonum, quid incõuenientis aut mali, prędicta Clement. in ſe continet, poſtquam licet id non contineretur ibidem, erat in ſe conuenientiſſimum atque iuſtiſſimum vt fieret. Quod etiam licet expreſſe non fuerit appoſitum, in prædicto Cõcilij Tridentini decreto, haud quaquam tamen fuit negatum, nec credi poteſt, quod denegaretur, ſi expoſtulatum fuiſſet, cum vt prædictum eſt, adeo ſit iuridicum & rationi conſonum. Addit præterea Nauar. vbi ſupra, rectiſſime ſtatutum id fuiſſe, ad frænandam quorumdam interdum Epiſcoporum duritiem, iuxta *cap. primum, de ſupplen. neglig. Prælatorum*, qui rem grandem reputant feciſſe, cum aliquid faciunt ingratum his, quos alias deberent potius ſummopere amare atque diligere. Et dicit quod quantum ad hoc, obſeruari etiam nunc debet Clementina prædicta, neque eſſe nouum aut alienum à iure, quod poſteriores leges, limitentur & explicentur per priores, iuxta *l. ſed & poſteriores. ff. de leg.* Hæc pro hac parte atque incõprobationem appoſitæ à nobis concluſionis dicta ſufficiant.

Ad primum argumentum reſpondetur.

Supereſt modo vt reſpondeamus, ad argumenta adducta, pro contraria opinione. Et ad primum, ſatis quidem patet ſolutio ex dictis, vt enim diximus: ſupradicta Clementina, *Dudum*, nullatenus eſt reuocata, neque dici vllo modo poteſt aut debet priuilegium, ſed vere ius commune, ac proinde neque fuit comprehenſa ſub illa generali clauſula de priuilegiorum reuocatione. In moralibus enim rebus loquendum eſt morali modo, & verba ex-

Nota quod verba expo-

nenda atque interpretãda ſunt, ſecundum communem modum loquendi iuriſperitorũ.

ponenda atque interpretanda ſunt, ſecundum cõmunem modum loquendi Iuriſperitorum, vt conſtat ex *capit. ex litteris, de ſponſa.* & ex *l. liberorum*, §. *quod tamen, ff. de legat. 3.* & certum eſt quod Iuriſperitorum nullus, per nomen priuilegij ſimpliciter & abſolute prolatum, intellexit vnquam illud quod eſt inſertum & poſitum, in corpore iuris cõmunis, hoc enim merum ius commune dicitur, nõ vero priuilegiũ. Nec dictis obſtat, quod dicta Clementina, continere videatur, non tam rem communem, & concernentem totam vniuerſalem Eccleſiam, quam gratiam & fauorem ſpecialem, reſpicientem Ordines Prædicatorum & Minorum, pro quibus (vt diximus) dicta Clementina fuit ſpecialiter facta, ex quo videri poſſet, dici debere priuilegium, quod idem pollet ac lex priuata & particularis, non vero ius commune: nam huic inſtantiæ, facile reſpondetur, dicendo quod Summus Põtifex Clemens V. quin vero & Concil. Viennenſ. vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vbi d. Clementin. facta & conſtituta eſt, quod dicti Fratres Prædicatores & Minores, ſecularium cõfeſsiones audirent, non tã ipſorũ fauorem dijudicarunt, aut particularem gratiam factam eiſdem, quam rem communem, pertinentem ad totius Eccleſiæ communem vtilitatem, & ad Chriſtiani populi, & cunctarum animarum ſalutem. Sicque voluerunt præfatam ſuam conſtitutionem inſeri atque apponi, inter alias determinationes & Decretales, in corpore iuris communis, propter commune bonum, quod ex ea neque immerito arbitrabantur exoriri. Vnde quamuis ex alia parte, in hoc gratia fuerit facta, & nec quidem parua ſed quammaxima, Religioſis prædictis, qui Eccleſiam ſanctam iuuare, animabuſque prodeſſe poſſe, pro proprio lucro habent, & pro ſpeciali reputant fauore, non tamẽ exinde colligitur, quod propterea Clemẽtina prædicta, ſit aut dici debeat priuilegium, ſed vere ius commune. Etenim ſi ex hoc quod Conſtitutiones aliquæ, perſonas particulares reſpiciũt, ſiue Religiones, dicendæ eſſent priuilegia, non vero ius commune, multæ etiam reperientur in corpore iuris Canonici, conſtitutiones & decreta, *ſub titulo de reſcriptis, & ſub titulo de officio iudicis delegati*, & alijs, ad perſonas & Eccleſias particulares pertinentia, quæ numquam dici poſſent aut deberent ius commune. quod tamen non videtur dicendũ, quin vero aſſerendum, quod ad hoc vt aliqua lex Eccleſiaſtica aut Canon, dicatur ac dici debeat ius commune, ſufficit ſũperque ſatis eſt, vt habeatur in corpore iuris, & quod ex ipſius diffinitione ſiue determinatione, aliquod commune bonum reſultet. Quod ſatis docte & eleganter probat noſter Pater, Frater Ildephonſus à Caſtro, lib. 1. de lege pœnali, capit. 1. vbi ad hoc propoſitum, dicit plura eaque ſumma animaduerſione digna.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod quamuis Concilium Tridentinum, ſit lex generalis poſterior, non tamen per ipſum reuocata eſt, dicta Clementina, *Dudum*, etiamſi fuerit conſtitutio prior: nam Concilium non reuocauit leges cõmunes, inſertas in corpore iuris, ſed ſolummodo priuilegia, & conſuetudines etiam immemorabiles, ſuis decretis contrarias. Vt ad hoc vt reuocata cenſeretur, iuxta doctrinam ſuperius traditam, de mente Bartoli, neceſſum erat, quod de illa ſpecialis mẽtio fieret. Nec huic obſtat illud, quod adducitur *ex cap. licet, de conſtitutio. lib. 6.* Nam id quidem intelligitur, quando Summi Pontifices ſiue Principes, edunt aliquam legem alteri priori contrariam, & cum ea nullo modo compatibilem, nõ vero quando condunt aliquam legem, vniuerſalem negatiuam, & in iure reperitur alia ſpecialis affirmatiua, cuius nulla fit omnino mentio, neque vna alteri contrariatur: nam in tali caſu, vtraque ſimul currit, ſpecialis ſcilicet & ſpecifica, cum generali & generica, iuxta communem iuriſperitorum Regulam, in *capit. generi, de regulis iuris, libro ſexto*, vbi habetur, *quod generi etiam quandoque derogatur per ſpeciem.* Cuius quidem rei, ex iure tam Canonico, quam Ciuili, plura cum poſſem adducere exempla, breuitatis gratia in præſentiarum facio miſſa, hoc ſolummodo contentus dixiſſe, quod & facile patẽre poterit intuenti, quod in tota Clementina prædicta (quod credam) nihil reperitur omnino, quod in aliquo contrarietur decreto ſupradicto Concilij Tridentini, circa Confeſſariorum Regularium præſentationem, præter hoc ſolummodo (vt dixi) quod in caſu quo Epiſcopi, ex indeuotione, aut quolibet alio ſiniſtro reſpectu, & abſque iuſta & rationabili cauſa, dare nollent Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, per ſuos Prælatos præſentatis, examinatis & approbatis, examinatis etiam iterum ab ipſis Epiſcopis, ſi voluerit, licentiam audiendi ſuorum ſubditorum confeſſiones, & abſolute atque pertinaciter diceret ipſorum aliquis, non præſentetis mihi vllum Confeſſarium, quia nullum admittam, nolo omnino vos meorum ſubditorum audire confeſſiones, quia in hoc aut illo, nõ mihi gratum feciſtis (quod iam ſemel atque iterum contigit) in tali caſu, præmiſſa humili ſupplicatione & Religioſa ſubiectione, poſt trinam monitionem ſiue requiſitionem, iuxta dictæ Clementinæ tenorem, Fratres prædicti, auctoritate Apoſtolica, libere ac licite poſſunt eorum confeſſiones audire, & ſuum munus & officium exercere: nam ius commune expreſſe, id ſibi ibidem cõcedit. Quod & feciſſe nulli iniurioſum videri debet, cum ſit ſatis iuridicum, & iuri atque rationi quammaxime conſonum, & res quæ quamuis non iure fuiſſet ſtabilita & ordinata, in eo caſu, ipſo iure ad Superiorem pateret recurſus, qui de debito de remedio prouideret. Quid ergo mirum, quod id ante præmeditate fecerit, Summus Pontifex Clemens Quintus, communis omnium Religioſorum Pater, ſed maxime Fratrũ Prædicatorum & Minorum, pro approbatis eoſdem habendo, ampliſſimamque ipſis tradendo, iure communi iuriſdictionem, in ſatisfactionem ſibi illatæ iniuriæ, ad frænandam (vt dictum eſt) aliquorum interdum Epiſcoporum duritiem, ſiue indeuotionem. Hoc habet prædicta Clemẽtina particulare, in reliquis videatur tota, nihilque omnino reperietur in ea, quod Concilio Tridentino vllo modo contrarietur. Nam ſi Concilium decernit, vt Confeſſores coram Epiſcopis præſententur, atque ab ipſis ſi voluerint examinentur, & quod alias non idonei & ſufficientes ad audiendas ſecularium, etiam Sacerdotum confeſſiones iudicentur, hæc omnia (vt iam ſemel & iterum dixi-

Nota quod in iure, generi quandoq; derogatur per ſpeciem.

diximus) continentur in dicta Clementina, qua propter non eſt cur derogata aut reuocata, per Concilium Tridetinum eſſe dicatur, quinuero approbata, innouata & confirmata. Hæc de prædicta difficultate dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Confeſſariorum Regularium, præſentatio & approbatio, ſit perpetua?

Difficultas præſentis Articuli, in duplici ſenſu poteſt intelligi atque inueſtigari: Vno modo ſtãdo in iure communi, alio vero ſtando in iure particulari, ſiue ex ſpeciali priuilegio. Et quidem ſtando in communi iure, communis eſt omnium Doctorum reſolutio, quòd Regularium Confeſſorum præſentatio & approbatio, non eſt perpetua, nec ſufficit, vt quis in aliquo Epiſcopatu, ſemel ſit approbatus, quin poſſit iterum in eodem, & multo melius in alio examinari, approbari aut reprobari: conſtatque hoc á ſimili, ex omnibus alijs officijs, & diuerſorum miniſteriorum approbationibus. Cautum eſt enim iure ciuili, *l. vt gradatim, §. reprobari, ff. de mune. & honor. & l. 2. C. de profeſſ. Medin. & l. ſed reprobari, ff. de excuſat. tutor.* quod Medici corporales, ſemel examinati & approbati, poſſunt iterum atque iterum (& maxime per ſuccedentes Protomedicos) examinari & approbari, ſeu vero reprobari, propter ſalutis periculum, quod verſatur in exercitio ſuæ artis. Neque ſolum hoc contingit in Medicis, verum etiam in multis alijs, in Grammaticis etiam & Oratoribus, prout tradit glo. & DD. communiter *in l. Pomponius, ff. de negot. geſtis, et in l. Grammatici, C. de profeſſ. Medi.* & Bart. *in l. diſpenſatorem ff. de ſolution.* & Generaliter loquendo, ad vnum officium, etiam mechanicum examinatus & approbatus, poteſt iterum atque iterum examinari, & approbari. Vel ſi neceſſe fuerit reprobari, prout tradit Abb *in cap. cum venerabilis, de excep. verſu, ex prædictis*, & Azeued. *in l. prima, tit. 6. nou. recop. num. 2.* Ex quibus omnibus, ducto argumento à ſimili, ſuperque ſatis colligitur, quod cum officiũ prædictorum Confeſſariorum, adeo ſit maius, maioriſque periculi ſua imperitia, poſt quam ſunt Medici animarum, quæ eſt ars artium, vt habetur in *cap. cum ſit ars artium, de ætat. & qualit. ordin.* ſi expediens viſum fuerit, ſtando in iure communi, nedũ ſemel & iterum, quinuero iterum atque iterum, abſque eorum iniuria, ijdem poterunt per Epiſcopos examinari, cum potuerit contingere, quod primitus nõ bene, quinuero male atq; perfunctorie fuerint examinati, aut quod poſtea ex nimia ſua ignauia ſiue imperitia, ad exercendum ſuum munus & officium, fuerint ignorantiores facti, & deterioris conditionis. Hoc eſt itaque certiſſimum, atque conſtitutiſſimum, ſtando in iure communi.

Sed loquendo de iure ſpeciali, ſiue ex priuilegio, fuit olim communis etiam Doctorum opinio, quod Confeſſores Regulares, ſed maxime Ordinis Prædicatorum & Minorum, ſemel approbati & præſentati, iuxta formam præd. Clement. *Dudum*, pro quibus ſpecialiter ea conſtituta fuit, nõ indigebãt noua alia præſentatione & approbatione, etiamſi aliquoties exiſſent à Diœceſi, ad quam fuiſſent præſentati. Hanc ſententiam & opinionem, tenet Nauar. in ſuo Manuali cap 27. num. 266. pro qua allegat ſupradictam Clement. *Dudum, de ſepult. §. ijdem*, vbi dicit hoc idem tenere, etiã Cardinalem q. 1. Idem tenet Cordub. in addit ad Compend. *verbo præſentatio confeſſ.* & Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 3. fundati in eadem Clement. & in quodam priuilegio Eugenij IIII. cuius fit mentio in Monum. Ordin. 1. impreſ. fol. 61. & 2. fol. 64. conceſſ. 79. & in Supplemento fol. 95. conceſſ. 314. & refertur in Cõpend. *verbo, abſolutio, quoad ſæculares*, §. 4. vbi habetur, *quod prædictus Eugenius IIII. conceſſit Fratribus Minoribus, quod quadoſcumque ſemel præſentauerint Epiſcopis, & obtinuerint ſuos caſus, licet alibi poſtea ad habitandum ſe transferant ad tempus, & poſtea reuertantur ad eaſdem Diœceſes, non ſit neceſſarium, iterato ſe præſentare eiſdem Epiſcopis, vel caſus de nouo obtinere.* Quod idem conceſſiſſe dicitur, Clemens. VII. vt habetur in Compend. vbi ſupra, §. 16. Circa quam conceſſionem, dicit priuilegiorũ Collector, §. 4. quod Confeſſoribus olim præſentatis, obſeruata forma iuris, poſiti in dicta Clemẽt. *Dudum*, erat eorũ præſentatio perpetua, ſemperque durabat, in illo Epiſcopatu vbi facta fuerat, licet caſus ſpeciales eſſent petendi à ſucceſſore. Hæc erat olim, communis ſententia & opinio, quæ & fundabatur, in alia Benedicti XI. Extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas*, poſita *ſub tit. de priuileg.* vbi de prædictorũ Confeſſariorum præſentatione agendo, dicitur, *ſemel datam licentiam, per Diœceſanorum mortem nolumus terminari.* Quæ licet poſtea, quantum ad aliqua, per d. Clement. *Dudum*, fuerit reuocata, non tamen quantum ad hoc munus, perpetuæ præſentationis atque approbationis. Fauebatque ratio huic ſententiæ & reſolutioni, nam per præd. Clement. vt ex ipſius contextu ſatis conſtat, non magis poterant Epiſcopi, ſupradictos Confeſſores Regulares, Ordinis Prædicatorum & Minorum, compellere vt iterum deberent præſentari & examinari, quam cæteros Curatos presbyteros, ſemel repertos idoneos, cum & ipſi (vt ibidem dicitur) ſemel approbati, quaſi pro Curatis eſſent habendi; cum igitur Epiſcopi non poſſent, ſuos Curatos Presbyteros, ad nouam præſentationem, nouumque examen compellere, nam eo ipſo quo Curati eſſent ac beneficiũ curatũ habebant, etiã habebãt facultatẽ audiẽdi ſuorũ ſubditorũ confeſſiones, vt etiam nunc habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 15.* dicebant prædictæ ſententiæ doctores, quod idem omnino dicendum erat, de Confeſſarijs prædictis Ordinis prædicatorum & Minorum. Quod adeo cenſebatur verum olim, vt non defuerint qui dixerint, quod quamuis aliarum Religionum Cõfeſſores, auctoritatem haberent ſub delegatam ab Epiſcopis, ad abſoluendum ſibi ſubditos: attamẽ Ordinis Prædicatorum & Minorũ, ſemel præſentati & approbati ab ipſis, iuxta formam iuris dictæ Clementinæ in idipſum, non delegatam quidem, ſed ordinariam, aut quaſi ordinariam habebant iuriſdictionem. Hac de re videatur Marcus Antonius Cucus, lib. 1. maio. inſti-

tu.titul.4.de ſacrament.Pœnitent. Conſequenter etiam dicebant,quod aliarum Religionum Cõfeſſarij,quamuis licite poſſent,iterum ab Epiſcopis examinari,& approbari vel reprobari,quia nõ ipſi à iure,auctoritatem atque idoneitatem habebant,ſed ab ipſis Epiſcopis,non ſic autem Ordinis Prædicatorum & Minorum, nam non ab illis ſed à iure illam habebant, & eorum approbatio, in Epiſcopatibus quibus approbati erant, cenſebatur eſſe quaſi perpetua. Fauere etiam dicebant prædictæ huic reſolutioni,Pium V. in quadã ſua Bulla,edita anno 1567.Põtificatus ſui anno 2.quæ incipit: *Etſi Mendicantium*,vbi in fauorem omnium Ordinum Mendicantium, idipſum ſtatuit,nempe quod Confeſſariorum Regularium approbatio, eſſet prædicto modo quaſi perpetua. Hæc omnia & multa alia,quæ breuitatis gratia facio miſſa, refert Emman.Roderic.1. tom.qq. Reg.q.59.art.4. & huic ſententiæ & opinioni videtur ipſe etiam nunc adhærere. Sed meo quidam videri, minus bene,quia iam hæc omnia immutata ſunt & reuocata,per Gregorium XIII.eiuſdem Pij quinti ſucceſſorem,in alia ſua Bulla,edita anno 1572.Pontificatus ſui anno primo,quæ incipit,*in tanta rerum, & negotiorũ mole*. Qua reuocauit ſupradictam cõſtitutionem Pij Quinti,& generaliter omnia priuilegia ab eodem conceſſa, in fauorem Mendicantium,reducendo illa ad terminos iuris communis,& Cõcilij Tridentini. Sed an per huiuſmodi reuocationẽ,quãtũ ad hoc,fuerit etiã reuocata prædicta Clemẽtina, *Dudũ*, hic opus,hic labor eſt. Et circa hanc difficultatem,variæ atque diuerſæ,verſantur etiam nunc Doctorum ſententiæ & opiniones, iuxta ea, quæ ſuperius ſunt dicta. Haud enim deſunt qui dicant, ipſam adhuc in ſuo robore permanere,cum ſit ius commune, nec reuocatam cenſeri debere,niſi de ea ſpecialis mentio fiat,in qua ſententia,vt dixi,videtur eſſe prædictus Emmanuel Rodericus, vbi ſupra. Sed ipſe in his rebus, nolo amplius immorari,cum per ſupradictum Pium V.eſſe videamus,tam aperte determinatum contrarium,vt ſtatim apparebit. Vnde quod hac in re tenendum eſt, per ſequentem explicabitur Concluſionem.

Concluſio.

Cõfeſſariorũ Regularium præſentatio, nullatenus dici poteſt perpetua.

CONfeſſariorum Regularium præſentatio, nullatenus dici poteſt perpetua,quinuero ſemel præſentati & approbati in vno Epiſcopatu, etiãſi ſint Ordinis Prædicatorum & Minorum,corã ſucceſſore Epiſcopo debent iterum præſentari, & poſſunt ab eo examinari,approbari aut vero reprobari. Hæc Concluſio,vt dixi,iam habetur expreſſe determinata, à Pio V.Põt. Max.in quadam ſua Conſtitutione & poſteriori Extrauag.data Romæ anno Domini 1571.quæ incipit: *Romani Pontificis prouidentia*,in qua poſt alia,ad hoc propoſitum, ſequentia ponuntur verba. *Regulares Confeſſores,ſemel ab Epiſcopis,in ſuis Ciuitatibus & diœceſibus, præuio examine approbati,ab eiſdem iterum non examinentur,cæterum poterunt à ſucceſſore Epiſcopo, pro maiori ſuæ cõſcientiæ quiete,ſi voluerit,iterũ examinari*. Quod quidem dixit prædictus Pius V.vt ibidem videri poterit,nulla facta diſtinctione aut differentia,de confeſſoribus Ordinis Prædicatorum aut Minorum,neque de alijs,ſed abſolutè atque indiſtincte loquẽdo de omnibus,quamuis & ille eſſet,vt conſtat,Ordinis Prædicatorum. Quod cum ita ſit, quidnã clarius aut expreſſius dici potuit? certe in rebus adeo expreſſis, non mihi eſſe videtur locus coniecturis, & contrarium affirmantibus atque dicẽtibus,dicere poſſumus,quod ſint iã quaſi proterui,& durum eſt ſibi contra ſtimulum calcitrare. Oportet enim indulgere tẽpori,& ſcire quod quæ vno tempore fuere licita,alio non ita videãtur,neque id mirum,cum vt dicitur in iure, iuxta varias temporum differentias,iura etiam varientur atque mutentur humana, habetur *in capit.non debet de conſang.& affinit.* Vnde certiſſimum credo, Confeſſariorum præſentationem, etiam Ordinis Prædicatorum & Minorum,nullatenus nunc dici poſſe perpetuam,etiam in illis Epiſcopatibus,pro quibus ſunt præſentati & approbati,ſed iterum examinari poſſe,à ſuccedentibus Epiſcopis. His omnibus fauet declaratio(vt dicitur) iam ſemel, atque iterum facta,circa hanc rem, ab Illuſtriſſimis Cardinalibus,præfectis declarationi ſupradicti Concil.Trident.& Epiſcopis & Regularibus, vt refert Viualdus,in ſuo Candelabro aureo, 1. part.tit.de confeſſione,num.28. in qua ſequentia ponuntur: *Congregatio Concilij cenſuit, Regulares, ad audiendum ſæcularium confeſſiones,in ciuitate & diœceſi, ab Epiſcopo præuio examine approbatos,iterum ab eodem examinandos non eſſe: cæterum poſſe iterum à ſucceſſore examinari, iuxta Conſtitut.ſanctæ memoriæ Pij V.datam 8.Idus Auguſti,Pontif.ſui anno 6.quæ à felicis record. Gregor.XIII.non eſt reuocata,per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Tridentini*.hæc vbi ſupra. Qua reſolutione facta, plane conſtat quod nullus hac in re,relinquitur dubitãdi locus, cum iam lata fuerit ſententia, ac veluti tranſierit in rem iudicatam. Qua etiam tollitur occaſio dubitandi atque in quæſtionem ſiue controuerſiã adducendi,id quod fieri ſolebat olim. An ſupradictorum Confeſſorum Regularium præſentatio, perpetua aut quaſi perpetua (iuxta ſupradictorũ ſententiam)competens Fratribus Ordinis Prædicatorum & Minorum,competeret etiam Confeſſarijs aliarum Religionum,virtute priuilegiorum communicationis,quod fere habent iam omnes in vniuerſum Ordines? Præſertim cum, vt dicit Nau.*in cap.placuit,de pœn.d.6.n.*185. *ſupradicta Clem. Dudum*, ex Summorum Pontificum conceſſione, fuerit iam extenſa,ad plures alias Religiones,nẽpe ad Auguſtinianos, per eumdem Clement.V. ad Carmelitanos vero,per Ioann.XXII.vt tradit Ioan.And.*in cap.Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit.& remiſſ.* & ad Canonicos Regulares, Cõuentus ſanctæ Crucis Conimbricenſis,teſte ſupradict.Naua. & ad plures alios,ex quo videbatur,idem eſſe ferendum iudicium de omnibus,cum eadem militaret ratio vtrobique. Quibus nihilominus non obſtantibus,hoc ipſi mordicus negabant, quinuero & modo negant, qui in contraria ſunt ſententia & opinione,contendentes non eamdem eſſe in omnibus rationem. Nam quamuis,vt ſupponitur, *Clement.præd.Dudum*,extenſa fuiſſet,ad alias Religiones & Ordines, adhuc tamen (inquiunt) earũdem Confeſſores,non cenſebantur eſſe Confeſſo-

Nota declarationẽ factã à Cardinalibus Anno Domini 1587. in menſe Iunij.

res

res de iure communi, vt Fratres Prædicatores & Minores; sed ex priuilegio sibi à Summis Pontif. concesso, quò ipsi possent vti & frui, illa amplissima facultate, quæ prædictis Prædicatoribus, & Minoribus, fuerat concessa à iure communi & cum eiusmodi priuilegia, per Concil. Trident. fuerint reuocata, in illis verbis, *sess. 25. c. 15. Priuilegijs quibuscumque non obstantibus*: non autem sit reuocatũ ius commune, hinc colligebant & colligunt modo, qui in ea sunt sententia & opinione, quod aliarum Religionum confessores, præsentati & etiam approbati ab Episcopis, non habent idem ius, quod supradicti Prædicatores & Minores, vt scilicet sint confessores à iure communi, sed tã tummodo ex priuilegio, & facultate sibi concessa ab Episcopis. Sed quidquid de hoc sit, iam enim dixi, quod in his rebus non amplius immorari volo, prædicta difficultas & omnes ei similes controuersiæ & contentiones, iam omnino sublatæ sunt, per supradictam constitut. Pij V. & declarationem Illustrissimorum prædictorũ Cardinaliũ, qui hac in re diffinitiuam sententiam tulerunt, definiendo & determinando, omnes (demptonemine) quarumcunque Religionum confessores, etiã examinati & approbati ab Episcopis, quamuis ab eodem Episcopo examinandi non sint, cæterum à successore, examinari optime posse, absque delectu & discrimine, non habito respectu, an sint Ordinis Prædicatorum & Minorum, an vero aliarũ Religionum. Sed aduerto, quod quamuis id fieri possit, ab Episcopo successore, & compelli vt iterum præsententur, ac si opus fuerit examinentur & approbentur, non sic tamen à Capitulo Sede vacante: nam habita semel licentia à Diœcesanis, & facultate absoluendi & dispensandi, in casibus eisdem reseruatis, mortuis ipsis Episcopis, non possunt à Capitulis, Sede vacante, compelli ad idipsum: quinuero possunt libere, vti eadem facultate, quousque prouideatur de pastore Ecclesijs viduatis, per concessionem specialem Clement. IIII. quinuero quousque ab Episcopis succedentibus, id sibi omnino prohibeatur. Quod quidem priuilegium, quia magnum est, & magni refert, omnibus vt innotescat, ac præ manibus habeatur, cum non censeatur per sacrum Concilium Tridentinum esse reuocatum, in præsentiarum ad literam libuit referre. Habetur in Monum. Ord. 1. impres. fol. 29. & 2. fol. 113. concess. 244. & refertur in Compend. *verb. absolutio, quoad sæculares*, 1. §. 2. vbi dicitur, *quod Clemens IIII. concessit, vt quando Episcopi, vel alij Ecclesiarum Prælati, dederint Fratribus Minoribus, facultatem audiendi confessiones subditorum suorum, & vota commutandi, talibus Prælatis decedentibus, possint prædicti Fratres, vti libere prædicta facultate, donec viduatis Ecclesijs prouisum fuerit de pastore.*

Nota hoc val de pro præsẽtatione cõfessorum.

Hic etiã solebat in quæstionẽ adduci. An confessores semel præsentati & approbati, saltem in foro conscientiæ, vti possent in eodem Episcopatu, dicta sua præsentatione, & approbatione semel obtenta, absque noua alia etiamsi à succedente Episcopo fuisset demãdata, ratione cuiusdam vtuæ vocis oraculi, quod dicitur fuisse concessum à Pio V. quo in dicto foro conscientiæ, reualidauit omnia priuilegia nobis Fratribus Minoribus concessa, etiamsi essent contraria decretis Concilij Tridentini? Sed de hoc viuæ vocis oraculo, nihil volo in præsentiarum dicere, nam alio in loco, atque ad aliud propositum, dicam quid de illo mihi videatur dicendum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm præsentatio & approbatio confessariorum facta in vno Episcopatu, generaliter sufficiat pro omnibus Episcopatibus?

PAtio dubitandi est, nam Clemens VII. vt habetur in Compendio priuilegiorum Mendicantium, *verb. absolutio quoad sæculares*, 1. §. 16. concessit, *vt confessores Ordinis Minorum, semel præsentati alicui Episcopo, pro confessionibus audiendis, vt moris est præsentari, post vnam præsentationem, non tenerentur amplius præsentari, etiamsi ad aliam transierint diœcesim.* Ex qua cõcessione colligi videtur, quod vna præsentatio semel facta legitime, sufficiat pro omnibus Episcopatibus, qua etiã cõcessione potiebãtur, potiriq; poterant, olim omnes Religiones priuilegium habentes communicationis. Hanc sententiam, nempe quod vnica approbatio sufficeret, tenet Cord. in suis annotationibus ad Compendium, verbo vbi supra, quo loco ait, supradictam Clement. 7. concessionem, interpretandam non esse stricte, ad hũc sensum, vt pro eodem dumtaxat Episcopatu intelligeretur, aut quod semel præsentatus in eadem diœcesi, illic nõ obligaretur amplius præsentari, sed large, ita vt intelligeretur pro omnibus Episcopatibus, & confessor semel debite atque legitime præsentatus, non teneretur se amplius præsentare, in eadem diœcesi nec in alia quacumque, ad quam se transtulisset ad commorandum, ad tempus siue in perpetuum, nam iam censebatur semper & vbique debite præsentatus. Cuius rationẽ reddit, quia intentio impetrantis supradictam cõcessionem, fuit talis vt ipsemet illi dixit, & certũ est (inquit) quod intentio Papæ illam concedentis, conformis fuit intentioni impetrantis, nisi aliunde fuisset dolus, vt tenet communis practica, & est regula, Iurisperitorum. Hæc supradictus Pater Cordub. At ipse scripsit multo tempore, ante Concilium Tridentinum, nunc autem post ipsum contrarium est tenendũ, de quo statuitur Conclusio.

Cord. in suis annot. ad Cõpend. verb. vbi supra.

Conclusio.

PRæsentatio confessariorum Regularium, facta in vno Episcopatu, non sufficit aut satis est, pro alijs Episcopatibus. Hanc Conclusionem, etiã ante Concilium Tridentinum, tenuit expresse, Collector priuilegiorum Mendicantium, in suo Compendio, verbo vbi supra §. 16. vbi facta mentione supradictæ concessionis Clement. VII. & præmemoratæ opinionis, quam tenere dixit, suo tempore doctissimum quemdam Iurisperitum, inquit, Concessionem prædictam, esse intelligendã atque interpretandam, non quidem large sed stricte,

Præsentatio confessariorũ Regularium, facta in vno Episcopatu, non sufficit aut satis est pro alijs.

cte,quo etiam modo interpretari conſueuit alia Eugenij IIII.cuius fit mentio in eodem Compendio & verbo,§.4.& habetur in Monumentis Ordinis 1.impreſ.fol.61.& 2.fol.64.conceſſ.79. & in Supplemento,fol.95. conceſſ.314. vbi Eugenius IIII.conceſſit: *Quod quando Fratres ſe ſemel præſentauerint Epiſcopis, & obtinuerint ſuos caſus,licet alibi poſtea ad habitandum ſe transferant ad tempus,& poſtea reuertantur ad eaſdem diœceſes,non ſit neceſſarium iterato ſe præſentare eiſdem Epiſcopis, vel ſuos caſus de nouo obtinere.* Dicit ergo Collector,quod ſimiliter debet intelligi & interpretari,ſupradictum priuilegiũ Clement.VII.atque intelligitur prædictum Eugenij IIII.nempe quod confeſſores ſupra memorati, non teneantur amplius ſe præſentare in eadem diœceſi,etiamſi ad tempus ſe transferant ad aliã, & poſtea reuertantur,ad illam in qua fuerunt primo præſentati,bene tamen in alia.Nam prædictæ (inquit)conceſſiones,non intelliguntur pro omnibus Epiſcopatibus,ſed pro illo dumtaxat,in quo quis ſemel fuerit præſentatus. Cuius rationem reddit,quia illa prima,ſic fuit explicata, & declarata,& quæ certam interpretationem habent,ſecundũ ius,minime ſunt immutanda,vt habetur *in l.minime,ff.de legibus*,& præterea quia cũ ſupradicta conceſſio fuerit præiudicialis Epiſcopis Ordinarijs,non ample ſed ſtricte debet interpretari,iuxta notata in *c.olim,de verb.ſign.* Neq; obſtat(inquit)ſi dicatur,quod ſic intelligendo,de nihilo deſeruiret huiuſmodi conceſſio Cleme.VII. cum id iam conceſſum fuerit,per ſuum prædeceſſorẽ Eugeniũ IIII.nam poteſt dici, quod in ſupplicatione,nulla fuit facta mentio ſupradictæ conceſſionis,forte propter ignorantiam ſupplicãtis, quod ſæpiſſime contingit in priuilegiorum materia, circa eamdem rem conceſſiones multiplicari,quod quidem nõ paruam, quinuero maximam, interdum affert difficultatem & confuſionem,cũ contingat ſæpiſſime,per priuilegia poſterius impetrata,coarctari & limitari ea,quæ abſque vlla limitatione ſiue coarctatione, primitus fuerunt conceſſa. Vel ſecundo,(inquit) poteſt dici, quod Clemens VII.prædictam Eugenij IIII. conceſſionem,confirmare voluit & approbare de nouo,& nihil amplius,nec ipſam extendere ad hoc,vt locum haberet in omnibus Epiſcopatibus.Hæc prædictus Collector.Quæ ſupradicta omnia,mihi videntur vera,& quod dicenda forẽt de iure,etiã ante Concil.Tridentin at poſt ipſum iam nõ eſt aliquis dubitationi locus,cum ſeſſione 23.c.15. id habeatur expreſſe,*quod nullus Regularis,quoad audiẽdas ſæcularium,etiam Sacerdotum confeſſiones reputetur idoneus,niſi ab Epiſcopis,etiam per examen,ſi illis videbitur eſſe neceſſarium,approbationem obtineat, priuilegijs & conſuetudine quacumque,etiam immemorabili non obſtantibus.* Vbi adnotare oportet,verbum illud *Epiſcopis*,poſitum in plurali,quo plane ſignificatur ac datur intelligi,quod nõ ſufficit approbatio vnius vel alterius Epiſcopi, ſed generaliter atque in vniuerſum,requiri approbationem illorum Epiſcoporum,in quorum diœceſibus Regulares prædicti,ſuorum ſubditorum confeſſiones volunt audire.Et licet ſupra dixerimus, *Clem. Dudum, poſitam in tit.de ſepult.* reuocatam non eſſe, per præfatum decretum Concilij Tridentini, ipſa tamen, quoad hoc,nullum cõtinet ſpeciale priuilegium, aut quicquam fauet,nam licet concedat ibi Sum. Pont.Fratribus Prædicatoribus & Minoribus facultatem, vt nolentibus Epiſcopis,eos ſine cauſa admittere,auctoritate Apoſtolica ſuum munus & officium exercere poſſint,non tamen concedit ipſis,eamdem ſuam iuriſdictionem,pro alijs Diœceſibus,in quibus non ſunt approbati, quinuero nec præſentati.Imo vero ex eadem Clement.contrarium expreſſe colligitur,cum concedatur ſibi iuriſdictio ad modum curatorum: & certum eſt quod curati,alterius Diœceſis confeſſiones audire minime poſſunt,quamuis in ſua diœceſi ſint approbati.Videatur hac de re Suar.4.tom.ad 3.part. D.Thom.diſp.28.de eligendo Sacerdote idoneo, ſect.7;vbi plura,eaque notatu digniſſima,dicit ad hoc propoſitum.

Notacõceſsionem factã Religioſis Societatis Ieſu,ad prædicãdum, & audiendas confeſsiones dũ iter faciũt ſi ſemel ſunt approbati in quocũq; Epiſcopatu, qua & fruuntur aliæ Religiones, habeates priuilegiũ cõmunicationis

In calce huius Articuli,libuit aduertere, quod Gregor.XIII conceſſit Confeſſarijs Societatis Ieſu & prædicatoribus, *quod ab aliquo Ordinario ſemel approbati,& à ſuis Superioribus ad huiuſmodi munera deputati,quandocumque ſunt,ſiue in mari ſiue in terra iter faciẽdo,poſſint nõ repugnãtibus tamen Curatis,parochialium Eccleſiarum,Verbum Dei prædicare, & quorumcunque Chriſti fidelium confeſſiones audire,dummodo id non faciant in oppidis & locis,in quibus Ordinarij exiſtunt,ſine eorum licentia de ſuper obtenta.* Habetur in Compendio Societatis Ieſu,*tit. Confeſſarius*,de qua conceſſione videatur Suar.loco ſupracitato, & Enriquez,lib.3.de ſacram.pœnit.cap.6 nu.8.Quo ſupradicto priuilegio,vti poſſunt & poterunt,omnes Religioſi, quorumcunque Ordinum Mendicantium priuilegium habentium communicationis,ſemel in Confeſſores approbati, quandocumque,ſiue in mari ſiue in terra iter faciunt.Sed nõ niſi ſeruata ad vnguem forma ipſius,atque omni ceſſanti fraude.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm Confeſſores Regulares, in ſacra Theologia graduati,aut Lectores,ab Epiſcopis debeant & poſſint examinari, ad audiendas ſæcularium confeſſiones?

Ratio dubitãdi.

ET videtur quod non,etiam ſtando in rigore Concilij Tridentini,nam Concil. Trident.*ſeſſ.23.cap.15.* vbi hac de re agit,ſolummodo dicit,*quod nullus Regularis,ad audiendas confeſſiones ſæcularium,etiam Sacerdotum,idoneus reputetur,niſi aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium,aut alias idoneus iudicetur,& approbationem obtineat,priuilegijs & conſuetudine quacumque,etiam immemorabili non obſtantibus.* Circa quæ verba,ſpecialiter veniunt notdaã illa, *aut alias idoneus iudicetur*,quibus,(vt videtur) comprehenduntur ſupradicti Lectores & Patres in ſacra Theologia graduati,qui quaſi ipſo iure, idonei dijudicantur, abſque vllo præuio examine. Propter hanc rationem & cauſam,multi grauiſſimi Doctores tenẽt hanc partem,& in primis Corduba,

duba, in Summa, quæſt. 10. & 16. Et Ioannes Gut. in quæſtion Canon. cap. 6. num. 9. & Enriquez, lib. 3. de pœnitentia, cap. 6. num. 2. Llamas, 1. par. cap. 7. §. 7. & Viualdus, de ſuſpenſione, nu. 12. Cui opinioni fauere videtur Gloſ. *in c. de Petro, 47. diſt. verbo, ignote*, vbi dicitur quod qui eſt notus, non examinatur, *per cap. valde, 94. d. & cap. veniam 35. q. 9.* & notus ſine probatione recipitur, vt habetur, *in cap. ad Apoſtolicam, extra de Regular.* Quamuis electi in Epiſcopos, dum conſecrantur, bene examinentur, iuxta *cap. quia Epiſcopus, 23. diſtinct.* Dicunt tamẽ ſupradicti Auctores, quod quamuis præfati, non poſsint aut debeant examinari de ſufficientia, poſſunt tamen de moribus & prudentia: qua de re videatur Enriquez, loco ſupracitato, & etiam Emmanuel Rodericus, tom. 1. qq. Regular. q 59. artic. 10. Quam quidem ſententiam, vtpote iuri ac rationi & æquitati ſatis conſonam, ego libenter amplecterer, niſi contrarium viderem per Pium V. expreſſe fuiſſe determinatum, & declaratum, in quadam ſua Bulla & conſtitutione, quæ incipit: *Romani Pontif. prouidentia*, data 8. Idus Auguſti, anno Domini 1571. Pontificatus ſui anno 6. iuxta quam ſequens ſtatuitur concluſio.

Prima Concluſio.

Confeſſores Regulares, etiam Lectores, aut in ſacra Theologia graduati, debent Epiſcopis præſentari, poſſuntq; ab ipſis, ſi voluerint examinari, ſtando in rigore iuris.

CONfeſſores Regulares, etiam Lectores, & in ſacra Theologia graduati, debent Epiſcopis præſentari, poſſuntque ab ipſis, ſi voluerint, examinari, ſtando in rigore iuris Concilij Tridentini. Hæc Concluſio, habetur expreſſa, in ſupradicta Bulla Pij V. vbi determinatum eſt, *ſupradictum Decretum Concilij Tridentini, de approbatione Regularium, ab Epiſcopis facienda, pro audiendis confeſsionibus ſæcularium, obſeruari debere, cum omnibus Regularibus, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam ſub Regula ri diſciplina viuentibus, atque etiamſi ſint Lectores, aut in Theologia de Superiorum ſuorum licentia graduati vel promoti, & à ſuis Miniſtris Generalibus vel Prouincialibus, pro ſæcularium confeßionibus audiendis expoſiti.* A qua generali Regula, meo quidem videri non excipiũtur, etiam Fratres Prædicatores & Minores, per ſupradictam, *Clement. Dudum, §. ſi verò*, vbi habetur, *quod prædicti Fratres, Epiſcopis præſentati, iuxta formam iuris, ibidem poſitam, atque ab ipſis ſine cauſa reiecti & reprobati, auctoritate Apoſtolica, poſſint omnia illa facere, ac ſi ab eiſdem fuiſſent admiſsi.* Non inquam, per ſupradictam Conſtitutionem, excipiuntur Fratres ſupradicti, nam etiam iuxta ipſam, poſſent ab Epiſcopis examinari (vt diximus ſupra) poſtquam dicitur ibi, *quod ex cauſa poſsint reprobari.* Et cũ Pius V. in dicta ſua Bulla, tam expreſſe, ample & generaliter loquatur, in expreſsis, vt dicitur, non eſt locus conecturis, quidquid dicat Emman. Roderic. loco ſupracitato. Quam noſtram ſententiam expreſſe etiã tenet Suar. 4. tom. ſuper 3. part. diſp. 28. ſect. 4. & hoc certe dicendum eſt, ſtando in iure Bullæ ſupradictæ; ſecus eſt autem loquendo, de vrbanitate. De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda concluſio.

De vrbanitate loquẽdo, ſupradicti, non debent examinari, & inurbane ſe haberet, qui id faceret.

DE vrbanitate loquendo, ſupradicti Fratres Lectores, vel in ſacra Theologia graduati, non debent ab Epiſcopis examinari, & vt videtur, in urbane ageret, qui contrarium attentaret.

Pro hac concluſione faciunt ea omnia, quæ poſita ſunt in initio huius Articuli, nam omnes ſupradicti, iuxta decretum Concilij Tridentini, abſque vllo præuio examine (ſi voluerint Domini Epiſcopi) poſſunt, quinuero & debent, ab eiſdem pro approbatis reputari, tutiſſima atque ſecuriſſima conſcientia, cum præſumptio ſtet pro illis. Cui & fauet ratio, quia ſupradicti ab Vniuerſitatibus approbati, ſuxta communem ſententiam, non debent etiam in receptione Ordinum, aut collatione beneficiorum examinari, id quod innuit Cõcil. Trident. *de reform. ſeſſ. 7. cap.* 13. vbi agens de præſentatis ad Eccleſiaſtica beneficia, & decernens vt ſine examine nonadmittantur, excipit ſupradictos ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegijs generalium ſtudiorum approbatos, quos Conc. eoipſo dijudicauit idoneos, vndefit, quod iniuria illis, nec quidem parua, quinuero magna irrogaretur, ſi ab Epiſcopis, eo non obſtante, examinarentur. Idem ergo dicendum eſt, de ſupradictis Religioſis, & quod qui Epiſcopus aliud attentaret, præterquam quod ſuam erga Religioſos prædictos, indeuotionem ſatis oſtenderet, minus quidem bene atq; inurbaniter ageret.

ARTICVLVS X.

Vtrùm approbatio Confeſſariorum Regularium, ſine iuſta & legitima cauſa, ab Epiſcopis Ordinarijs, poſſit ad certum locum, tempus ſiue perſonas reſtringi, aut limitari?

HAE hac difficultate, iam aliqua diximus ſupra Articulo 6. Sed nihilominus, pro maiori intelligentia, & ampliori reſolutione, ſequentes ſtatuuntur Concluſiones.

Prima Concluſio.

Iuſta exiſtente cauſa, Epiſcopi bene poſſunt, Confeſſariorum iuriſdictionem reſtringere.

IVſta atque legitima exiſtente cauſa, certum eſt poſſe Epiſcopos, Confeſſariorum Regularium approbationem atque iuriſdictionem reſtringere & limitare, ad certum locum, tempus, ſiue perſonas, vt (verbi gratia) approbando ipſorum aliquẽ, pro tali vel tali oppido, vel pro certo & determinato tempore, ſeu ad audiendas virorum confeſſiones, non autem fœminarum. Hanc concluſionem tenet expreſſe Suar. 4. tom. ad 3. part. diſput. 28. ſection. 7. dubitatione 6. & Emmanuel Rodericus, 1. tom. qq. Regul. quæſt. 59. articul. 8. Ioannes Gutier. in ſuis qq. Canon. cap. 27. num. 18. & 19. Et credo eam eſſe veram, quidquid dicat Enriquez, lib. 3. de ſacram. pœnitent. cap. 6. num. 5. & 9. Sed intelligenda eſt, exiſtente iuſta & legitima cauſa, atque ita vt debito modo id faciant. Et probatur primo, nam liberum eſt ſupradictis, etiam iuxta tenorem ſupradictæ *Clement. Dudum*, ex Confeſſoribus ſibi præſentatis, hunc vel illum, ex cauſa reprobare, per illa verba: *Quod ſi forte, &c.* vſque

que *loco illius alius ſubrogari*: ergo cum ſupradicta Clementina, hoc ipſis concedat, nec per Concil. Trident. id ſit aliqualiter reuocatum, dicendum proculdubio videtur, quod ex cauſa poſſunt, ſupradictorum Confeſſariorum Regularium, iuriſdictionem & approbationem, reſtringere & limitare, concedendo licentiam, huic minus idoneo & ſufficienti, vt confeſſiones audiat, in hoc aut illo loco, vbi minor ſufficientia requiritur; illi vero, vt virorum audiat confeſſiones, non vero fœminarum & mulierum, propter defectum prouectæ ætatis, quia forte nimium iuuenis, alteri autem vt hoc munus exerceat, non ad ſemper, ſed pro certo & determinato tempore, quò experimentũ faciat ipſius, de tne operam literis, & an in morali Theologia proficiat, ſeu propter aliquas alias ſimiles cauſas. Qua de re videatur etiam Naua. in ſuo Manuali, cap. 4. num. 4. vbi plura dicit, ad hoc propoſitum notatu digniſſima.

Secunda Concluſio.

Non exiſtente iuſta cauſa non poſſunt Epiſcopi prædicti, Confeſſariorũ Regularium iuriſdictionem reſtringere.

NOn exiſtente iuſta atque legitima cauſa, non poſſunt aut debent Epiſcopi, Regularium Cõfeſſariorum iuriſdictionem & approbationem, ad certum locum, tempus, ſiue perſonas reſtringere & limitare, quod qui facerent, iniuriam ipſis nec paruam, ſed quammaximam irrogarent. Hæc Concluſio (vt credo) eſt certiſſima, & iuxta eam veriſſimum, quod dicit Enriquez loco ſupracitato, quod & in hoc caſu dicunt multi alij, nam non eſt poſitum in Epiſcoporum arbitrio, vt ſine iuſta cauſa, licentiam eiuſmodi poſſint reſtringere aut limitare, maxime in Hiſpaniarum partibus, reſpectu illorum, qui habent Bullam Cruciatam, ſiue priuilegium, quo caſu tantummodo dant Confeſſarijs approbationem, non vero iuriſdictionem. Ad ſciendum autem, quando prædicta reſtrictio & limitatio, fiat cum cauſa vel ſine illa, & procedat ex animarũ zelo, aut forſan ex indeuotione, indicium erit ſufficiens atque quammaximum, ſpectare & videre, an idipſum quod faciunt cum Religioſis, faciant etiam cum alijs Presbyteris ſæcularibus, eiuſdem cõditionis & qualitatis. Nam ſicut non poſſunt Epiſcopi, in fraudem ſiue odium Regularium, plures illis caſus reſeruare, quam reſeruant Parochis, in quo quidem caſu, probabiliſſimum eſt, quod non tenerentur illis obedire, circa talem reſtrictionem atque limitationem, vt dicit Sylueſt. *verb. Confeſſor.* 2. §. 5. Et Sot. in 4. diſt. 18 q. 2. art. 5. & Doctores communiter: ita nec teneret reſtrictio iuriſdictionis, ſeu approbationis ſuæ, facta abſque iuſta & legitima cauſa, limitando & reſtringendo licentiam, ad certas perſonas ſeu ad certum & determinatũ locum ſiue tẽpus. Oportet enim ipſos, idipſum cũ Clericis facere, & cum ſibi ſubditis æqualiter ſe gerere, & non ſine iuſta & legitima cauſa, his licentiam ampliſſimam dare, illis vero eam coarctare atque reſtringere. Ad quod propoſitum maxime facit, declaratio quædam Illuſtriſſimorum maxime facit, declaratio quædam Illuſtriſſimorum Cardinalium, facta 2. die Iulij, anno Domini 1587. qua ſupradictæ duæ Concluſiones, paucis verbis comprehenduntur, & eſt tenoris ſequentis.

Quando cauſa dicetur legitima, ad reſtringendam Confeſſariorum Regularium iuriſdictionem, quãdo vero non.

Nota valde

Regulares qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumque Examinatoribus reperti & approbati fuerint, generaliter quoque & indiſtincte, abſque aliqua limitatione temporis, certorum ve locorum aut generis perſonarum, admittantur in propria diœceſi. De cæteris vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ip ſos eum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare & admittere. In cuius prioribus verbis, vt conſtat ſecunda noſtra Concluſio continetur, vt ſcilicet ſine legitima cauſa, nihil vnquam in iniuriam Confeſſariorum Regularium fiat; in poſterioribus vero prima, qua diximus, poſſe iure optimo, ſupradictos Epiſcopos, cauſa legitima exiſtente, eiſdem prout ſibi expediens viſum fuerit, ſuam licentiam & approbationem, limitare atque reſtringere.

Declarationẽ Illuſtriſſimorum, Cardinalium, pro approbatione vel reprobatione, Confeſſorum Regularium.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Confeſſarij Regulares, ſine ſuorum Superiorum ac Prælatorum licentia, ſæcularium confeſſiones poſſint audire?

QVod tractandum in Articulo primo, hucuſque diſtulimus, fuit de Prælatorum Regularium neceſſaria licentia, & auctoritate, ad hoc vt ſibi ſubditi, ſæcularium poſſent confeſſiones audire, eſtque id in duplici ſenſu, inquirendum atque inueſtigandum, Primò an ſupradicti Confeſſores, abſque ſuorum Superiorum licentia, ſæcularium confeſſiones ſine peccato poſſint audire? Secundo, an confeſſiones eiſdem factæ, de facto ſine tali licentia, ſint valide? De primo agendum eſt in hoc Articulo, de reliquo vero in alijs ſequentibus. Ad primum igitur deueniendo, propoſitæ difficultati, per ſequentes Concluſiones reſpondetur.

Prima Concluſio.

In caſu extremæ neceſſitatis, vtputa in mortis articulo, quilibet Regularis Sacerdos, ſine ſui Superioris facultate & licentia, ſæcularium etiam confeſſiones poteſt audire.

INcaſu extremæ neceſſitatis, vtputa mortis articulo, quilibet Sacerdos, etiam Religioſus, ſine ſui Superioris facultate & licentia, ſæcularium confeſſiones poteſt audire. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, de qua ſpecialiter videndus eſt Sot. in 4. diſtinct. 18. q. 4. art. 4. Nauar. in ſuo Manual. cap. 4. num. 1. vbi & ipſam hac ratione probat. Quoniam in tali caſu & eo tempore, quilibet ſimplex Sacerdos poteſt confeſſiones audire, & à quacumque excomunicatione abſoluere & á quibuſcumque caſibus reſeruatis, *per capit. quod de his, de ſententia excommunicationis, & cap. paſtoralis, §. præterea, de offic. ordin. & cap. ſiquis ſuadente,* 17. *quæſt.* 4. & per multa alia, quæ latius adducit idem Nauarr. *in cap. 1. de pœnit. diſt. 6. num. 73.* Quorum omnium præciſa ratio eſt, quoniam in tali caſu ſaltim tacite, quinuero & expreſſe, omnes ſupradicti auctoritatem & poteſtatem habent, à Papa à iure, & ab Eccleſia, & de hoc nulli eſt dubitandum.

Extra

Secunda Concluſio.

Extra caſum extremæ neceſsitatis, nullus ſimplex Sacerdos, neque Regularis, ſine ſui Prælati & Superioris licentia, ſæcularium confeſſiones poteſt audire.

EXtra caſum tamen prædictæ extremæ neceſsitatis, nullus ſimplex Sacerdos, ſæcularis aut Regularis, ſine ſui Prælati & Superioris licentia, ſæcularium confeſsiones poteſt audire, idque faciendo peccabit mortaliter, quamuis confeſsio eidem facta valeat, ſi aliunde iuriſdictionem actualem habuerit. Hæc etiam concluſio eſt Nauarr. loco ſupracitato, quamuis ibi non expreſſe loquatur, niſi de Religioſis & Sacerdotibus Regularibus, non vero de ſæcularibus. Sed meo quidem videri, eadem eſt vtrorumque ratio, & conſuetudo & communis praxis id habet, nam vtrique contrariũ facientes puniretur & merito, cẽſereturq; deliquiſſe & aliquid graue commiſiſſe. Sed quidquid de hoc ſit, de Religioſis & Sacerdotibus ſimplicibus Regularibus loquendo, noſtram ſententiam, tenet Paludan. in 4. diſt. 17. relatus à D. Antonino 3. part. tit. 17. cap. 7. & ab Angel. *verbo, Confeſſio*, §. 4. qui omnes incunctanter tenent, non poſſe Religioſum, alicuius ſæcularis ſiue Religioſi, cõfeſsionem audire, niſi ad hoc à Prælato ſuo fuerit tamquam idoneus expoſitus, etiam ſi pœnitens alias, ex Bulla ſiue priuilegio Summi Pontificis, quemcunque poſsit Sacerdotem eligere in Confeſſorem, ſiue ſæcularem ſiue Regularem. Et ratio præciſa, quam maxime pro Religioſis eſt, quia Religioſi nõ habent velle, nec nolle, *iuxta cap. nullus, c. quorũdã. de electione, lib. 6.* quod quidẽ in tãtum dicunt eſſe verum; quod nec etiam de venialibus, aut de mortalibus iam confeſsis, ſine ſuorum Prælatorum licentia, quempiam poſſunt abſoluere. Sed ſupradictus Nauar. loco præallegato (inquit) ſuo videri, ſupradicta omnia eſſe intelligenda, de illis Sacerdotibus Regularibus, in quorum Religionibus & Ordinibus, ſtatuto aliquo aut Superioris præcepto, id fuerit prohibitum, & negata ſit facultas audiendi confeſsiones, abſque Superiorum licentia, non vero de alijs, quod & probare contendit ibidem, ex eo quia nullus textus, aut ratio reperitur, quæ contra Religioſos prædictos, Paludani opinionem fundare valeat, & præterea quia Religioſi in multis habẽt velle & nolle, iuxta mentem & ſententiam D. Thomæ communiter Receptam, quã & tenet Dominicus, in dicto, *capit. quia quorumdam de electione*. Facit ad idem, quia (inquit) confeſſiones audire opus eſt charitatis, vnde videtur, quod ſicut Religioſus, abſque ſui Superioris licentia, dummodo alias ſibi præceptis, nõ deſit, aut prohibita tranſgrediatur, poteſt inter diſſidentes pacem cõponere, & alia quæ ſimilia facere, à fortiori & componere poteſt proximum cũ Deo, eumdem in confeſsione audiendo atque abſoluendo. Tandem dicit, quod id obſeruant communiter, multi Religioſi aliquarum Religionum, in quibus non eſt præceptum ſeu ſtatutũ in contrarium. Hæc dicit Nauar. vbi ſupra. Sed meo quidẽ iudicio, minus bene nã vel omnes Religiones cõmuniter habent eiuſmodi ſtatutũ ſiue præceptũ; aut ſaltim cõſuetudo & cõmunis praxis, id iã obtinuit & declarauit, vt nullus Regularis, cuiuſpiã ſuæ vel alterius Religionis, cõfeſsiones audire poſsit, ſine ſui Superioris & Prælati licentia, & contrarium facientes, in omnibus bene inſtitutis Religionibus vt delinquentes plectuntur atque puniuntur grauiter. Quæ pro nunc dicta ſufficiant, nam in ſequentibus Articulis hæc amplius explicabuntur.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Confeſsiones factæ Sacerdotibus Regularibus ſimplicibus, non approbatis per ſuos Prælatos & Superiores, nec expoſitis vt ſæcularium confeſsiones poſsint audire, approbatis autem ab Epiſcopis Ordinarijs, ſine eorumdem ſcientia & licentia, ſint validæ, an vero irritæ & nullæ?

Ratio dubitãdi, pro vtra que parte.

NOn quæritur nunc, an ſupradicti Regulares peccent, & quidem grauiter ſiue mortaliter, agendo in re graui contra ſuorum Prælatorum, & Superiorum voluntatẽ, & ſine ipſorũ ſciẽtia & licẽtia, ſupradictum munus & officium exercentes; hoc enim tã quam certum ſupponitur, ex dictis in præcedenti Articulo, & ex hoc etiam conſtabit amplius. Sed difficultas eſt, An confeſsiones eiſdem factæ ſint validæ, an vero irritæ & nullæ? Et pro vtraque huius difficultatis parte, optima ſeſe offert ratio dubitãdia. Nam quod ſint validæ exinde conſtare videtur, quia ad validitatem abſolutionis, quantum eſt ex parte Confeſſoris, duo tantummodo ſufficiunt, & ſunt neceſſario requiſita, nempe poteſtas Ordinis & poteſtas iuriſdictionis, quam vtranq; poteſtatem, ſupradicti Regularium ſimplices Sacerdotes, habent in prædicto caſu, Ordinis quidẽ qua ratione ſunt vere Sacerdotes, iuriſdictionis autem, propter approbationem ſibi factã, vti ſupponitur ab Epiſcopis Ordinarijs, qua ſimul tradunt & conferunt illis, ſupra ſibi ſubditos iuriſdictionem, & forte id etiam dici poſſet, in caſu, quo ex Bulla ſiue priuilegio, pœnitentes facultatem habent eligendi Confeſſorem. Ex alia vero parte quod non ſint validæ, quinuero irritæ & nullæ, colligitur, quia non ſit veroſimile, nec præſumendum eſt, quod Epiſcopi, velint dare ſuam auctoritatem & iuriſdictionem, Sacerdoti Regulari, non expoſito per ſuum Prælatum, neque ad id muneris approbato. Et quamuis de facto ipſorum aliquis perperam, ſciens & prudens id faciat, videtur quod nihil omnino faciat, & quod conceſsio talis iuriſdictionis, ſit nulla & nullius prorſus valoris atque momenti; tum quia facta non ſibi ſubdito, cui Epiſcopus ſicut non poteſt indulgentiã cõcedere (cum careat ſuper ipſum iuriſdictione) ſic nec propriam ſuam iuriſdictionem, illi valet demandare, citra ſuorum Prælatorum cõſenſum, & voluntatem, cũm ſint exempti, vt notum eſt in iure; tum etiam quia ex decreto, & auctoritate Iulij III. de qua inferius dicemus, prohibitum eſt ſupra-

prædictis Episcopis, idipsum facere, & ne huiusmodi licentiam & autoritatem concedant, subditis Regularibus, contra Prælatorum suorum voluntatem, & licentiæ in contrarium seu aliter cõcessæ, irritantur & annullantur: quo fit, vt supradicta Ordinariorum licẽtia, prædicto modo data, vel sit subreptitia, aut saltim irrita & nulla, propter rationes dictas & dijudicandum proinde de ea, ac si nunquam fuisset concessa, & quasi prædicti Regulares, sine vlla prorsus Ordinariorum licentia, autoritate & iurisdictione, secularium audirent confessiones. Hæc sunt, quæ pro vtraque parte sese offerunt, pro ratione dubitandi. Quibus præmissis, quod hac in re probabilius, tenẽdũque proinde videbitur, explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Confessiones factæ Regularibus, sine suorum Prælatorum licentia & consensu, Episcopis præsentatis, atq; ab eisdem approbatis, irritæ & nullæ sunt, in illis Religionibus in quibus est statutum factum in cõtrarium, auctoritate Apostolica approbatũ & confirmatum.

COnfessiones factæ Regularibus, Episcopis præsentatis, atque ab eisdem approbatis, sine suorum Prælatorũ licẽtia & cõsensu, irritæ & nullæ sunt, in illis Religionibus, in quibus est statutum factum in contrarium, auctoritate Apostolica approbatum & confirmatum. Pro huius conclusionis intelligentia, simul & probatione, oportet aduertere, quod vt supra in hunc locum dicendum retulimus, Iulius III. anno Domini 1515. die 17. Ianuarij, ad instantiam & supplicationem, cuiusdam Generalis Ordinis Prædicatorum, concessit, *quod nullus suorum subditorum, absque Magistri Generalis licentia, vel de ipsius auctoritate, à quoquam Ordinario licentiam obtineret, ad eligendos confessores & confessiones audiendas, & reuocauit licentias & immunitates, concessas Religiosis eiusdem Ordinis, quas Magister ipse Ordinis, reuocandas dijudicauerit, vndecumque emanatas, ipsasque annullatas declarauit, impetratas sine concessas sint Superiorum licentia, nisi de manu Papæ, aut de consensu Cardinalis Protectoris, vel Viceprotectoris fuerint consignatæ, posuitque sortissimas non obstãtias, prout ampliùs continetur in dicta constitutione.* Quo quidem indulto & priuilegio, quamuis directe & immediate, solummodo fuerit concessum, Ordini Prædicatorum, potiuntur, potirique poterunt generaliter, omnes Ordines Mendicantes, priuilegium habentes communicationis. Vnde fit, quod ipsorum subditi, contra suorum Superiorum voluntatem, siue consensum, audire nullatenus possint aliquorum confessiones, etiamsi per Episcopos Ordinarios, perperam aut vero inscienter, ad id muneris fuerint approbati, siue electi per priuilegiũ, iubileum aut Bullam Cruciatæ. Et aduerto, quod supradicti Patres Prædicatorum Ordinis, hac de re habent statutum siue constitutionem, qua cauetur, *ne Fratres confessiones audiant extraneorum, sine licentia sui Prælati*, quod statutum fuit factum auctoritate Apostolica, scilicet prædicti Iulij III. cuius Breue, vt dicitur, in generali quodam Capitulo Salmanticensi, fuit intimatum & acceptatum, quoad irritationem prædictarum licentiarum, sic obtẽtarum, vel obtinendarum, in præiudicium iurisdictionis ipsorum Prælatorum. Ex quibus omnibus euidenter constat, quod in supradicto Prædicatorum Ordine, & in alijs qui prædicto priuilegio perfruuntur, simileque statutum habent, ea dem auctoritate Apostolica factum, confessiones factæ Fratribus aliquibus, per suos Prælatos & Superiores, ad audiendas confessiones non expositis, approbatis seu licentiatis, ipso sunt iure irritæ & nullæ, quamuis ipsi aliàs ab Episcopis Ordinarijs sint approbati. Idemque prorsus iudicium ferendum est de illis, ac si omnino nulla licentia seu approbatione, & absque omni prorsus iurisdictione factæ fuissent. Quod quidem de se patet, siquidem, vt dictum est, prædictus Summus Pontifex Iulius Tertius, reuocauit, irritauit atque annullauit prædictas licentias audiendi confessiones, vndecumque emanatas, siue ab Episcopis siue aliunde, sine suorum Superiorum & Prælatorum licentia. Quod & factum atque statutum fuisse, rationi fuit quammaxime consonum: nam cum ad iurisdictionem & rectam gubernationem, supradictorũ Prælatorum spectet, suos subditos prius examinare & approbare, & postmodum Episcopis exponere, quò ab eisdem approbentur vel reprobentur, vt omnia debite fiant, contra omnem certe prorsus rationem est, quod Episcopi Regularibus, aliter suam licentiam & auctoritatem cõcedant, aut quod ille qui non est à suo Prælato examinatus & approbatus, nec legitime expositus, & præsentatus, fraudulenter illam obtineat & approbetur, ac tali approbatione vtatur sine præsentatione legitima. Pro hac etiam parte, facrunt omnia illa quæ adducta sunt ad partem negatiuam. Sed loquendo de Religionibus, in quibus non simile habetur statutum, vt secunda conclusio.

Nota valde, concessionem Iulij III. pro non audiẽdis cõfessionibus sine Superiorum licentia, atque approbatione.

Secunda Conclusio.

Confessiones factæ, in illis Religionibus in quibus præ dictum priuilegium non fuit receptũ, aut simile nõ habetur statutum, valide sunt.

COnfessiones factæ Religiosis, illarum Religionum, in quibus non est receptum supradictum Breue, seu Bulla Iulij Tertij, nec auctoritate Apostolica factum est simile statutum, vt sint nullæ & irritæ Ordinariorum licentiæ, & approbationes impetratæ, absque suorum Superiorum & Prælatorum licentia, validæ sunt, quamuis eiusmodi Religiosi, contra Superiorum voluntatem, prædictum munus exercentes, mortaliter peccent & grauiter puniri debeant. Hæc Conclusio satis colligitur ex præcedenti: & probatur rationibus supra factis, ad partem affirmatiuam. Vnde quammaxime aduertere oportet, quid in hac re fiat, ad validitatem absolutionis, & in qua Religione sit receptum præfatum Breue Iulij III. & eiusdem auctoritate factum huiusmodi statutum, irritandi omnes confessiones (& maxime secularium,) factas sine debita Prælatorum præsentatione, & ignoranter, scienter, siue fraudulenter licentias prædicto modo ab Episcopis impetratas, quod facere possunt omnes Ordines & Religiones, vt dictum est, priuilegium habentes communicationis. Aduerto etiam, quod prædicti Fratres, sine licentia suorum Prælatorum, Episcopis præsentati, nõ possũt absoluere à casibus iure Episcopis reseruatis, nec potiri gratia apposita, *in Clement. Dudum, de sepult.* quinuero neque à casibus ipsismet Episcopis ab eisdem reseruatis, seu reseruandis: & causa est, nã ratio propter quã Regulares Mẽdicãtes olim, & maximè Ordinis Prædicatorum & Minorũ, poterãt absoluere à casibus Episcopis reseruatis (de nouo nisi aliud obstaret in cõtrariũ) vt infra dicemus

mus, ea est, quia ad id habebant iurisdictionem à Sede Apostolica, sibi concessam in supradicta Clement. *Dudum, de sepult.* quam non poterant ipsi Episcopi illis restringere aut limitare: at prædicta iurisdictio, solummodo confertur ibi à Papa, illis Fratribus qui á suis Superioribus atque Prælatis, Episcopis legitime fuissent præsentati, & ab ipsis approbationem obtinuissent, iuxta formam ibidē traditam: ergo alij non poterant idipsum facere. Qua de re videatur Nau. in suo Man. c. 9, n. 6. & Enriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 6. & Emm. Roderic. to. 1 qq. Regul. q. 60 art. 3.

Nota hoc val de pro confessarijs, non legitime ac debite, Episcopis præsentati.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Regularis, à suo Prælato semel examinatus & approbatus, atque Episcopo præsentatus, à quò etiam audiendi confessiones, licentiam & approbationem obtinuit, si postea prohibeatur, & confessiones audire interdicatur, aliqua iusta de causa, sæcularium confessiones possit audire, & an confessiones sibi factæ sint validæ?

Prima Conclusio.

Iusta causa existente, bene possūt Prælati, prohibere sibi subditis, vt confessiones nō audiāt, etiamsi ab Episcopis sint approbati.

VSta existente & rationabili causa, & in aliquibus casibus particularibus, bene possunt Religionum Prælati, interdicere & prohibere sibi subditis, vt nec Fratrum nec sæcularium confessiones audiant, etiam si semel ab ipsis fuerint examinati & approbati, atque Episcopis expositi & præsentati, & ab eisdem licentiam & auctoritatem obtinuerint; & ne etiam eligantur in Confessores virtute, Bullæ Cruciatæ, priuilegij, aut cuiuscumque Iubilei, & si contrarium fecerint, & in hoc illis non obtemperauerint, grauiter peccabunt, poterunt que eos punire. Hæc Conclusio est omnium Doctorum communis, & habetur expresse, *in cap. Religiosi, de priuileg.* de qua videndus est Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Et fundamentum huius opinionis est, illud quod adduximus supra Artic. 13. quia nempe Religiosi, non habent velle neque nolle, & sine consensu suorum Prælatorum, & maxime ijsdem Prælatis contradicentibus, nihil omnino possunt efficere. Et certum est, nec dubirari vllo modo potest, quod Prælati & Superiores, ex causa prædictam licentiam & facultatem, à suis subditis possunt amouere & tollere, in pœnam alicuius delicti, seu aliter eā ipsis limitare atq; restringere. Vnde & in multis Religionibus, pro certis & determinatis delictis, statuta est pœna priuationis actuum legitimorum, sub qua inter alia comprehenditur, vt non possint qui ea puniti sunt, prædicare aut sæcularium confessiones audire, & multa alia, de quibus habetur in nostris generalibus Constitutionibus, cap. 6. de delinquentium correctione. Sed maior difficultas est, An confessiones supradictis Religiosis factæ, eo non obstante, sint validæ contra Prælatorum suorum prohibitionem, licet propterea plecti atque puniri possint? Hac de re maior certe est difficultas, de qua sit secunda Conclusio

Secunda Conclusio.

Si supradicta prohibitio nō fuerit iudicialis, confessiones nihilominus Religiosis prædictis factæ, cēsentur validæ.

SI supradicta prohibitio, etiam ex causa à Prælato, siue Superiore facta, non fuit iudicialis, neque suspensio manifesta & notoria, confessiones Regularibus supradictis, ab Episcopis approbatis factæ, legitimæ sunt & absolutiones validæ. Hæc Conclusio, vt videtur, est expressa Nauarr. in suo Manual. cap. 9. num. 7. Vbi in alio simili casu, dicit quod valida est confessio & absolutio, illi pœnitenti concessa, qui præ ignorantia confessus est Sacerdoti, vinculo excommunicationis, interdicti vel suspensionis irretito, qui quidem non erat notorie talis, nec publice vt talis denuntiatus, sed solummodo excommunicatus, aut suspēsus per sententiam, à iure aut ab homine vel statuto latum. Quod probat per Extrauaga. Martin. V. quæ incipit: *Ad euitanda*, & quoniam censuræ occultæ, in præterito tempore, neque etiam in præsenti, non impediunt validitatem actus, qui ratione publici officij exercetur, nisi fuerint notorie vel in publico denuntiatæ, iuxta *cap. ad probandum, de regularis*, Quod etiam tenet Panor. & Doctores communiter, & facit, *l. Barbarius Philippus, ff. de off. Prætoris, et cap. 1. §. demum, 3. q. 7.* Cui etiam concinit, quod dicit Syluest. *verbo, Confessor. 1. §. 16. in 3. dicto, fine casu*, vbi inquit, quod si priuatio confessoris fuit occulta, omnia gesta tenent, & quod idem est dicendum, quando de priuatione dubitatur, nam ex quo quis toleratur in officio, tenere debent omnia, interim acta & gesta per eum, iuxta, *cap. nonne, 8. quæst. 4.* Per quod resoluitur dubium, quod proponit Medina Dominicanus, in sua summa, 1. part. ca. 11. §. 3. agendo de effectu excommunicationis, de quodam Religioso apostata, qui dimiserat habitum, ex quo proinde erat excommunicatus. Cuius rei nulla facta mentione, nec dicendo se esse Religiosum, à quodam Episcopo obtinuit facultatem, sæcularium confessiones audiendi, quinuero & institutus est Curatus, vbi per multum temporis sacramenta administrando, sibi subditos pœnitentes absoluit. Qui postea resipiscens, ad pœnitentiam est conuersus, & de ipsius absolutionibus est dubitatum, inter viros peritos & doctos, an fuerint validæ? Et quamquam non defuerint, qui partem tenuerint negatiuam, alij quamplurimi adhæserunt affirmatiuæ, quam etiam amplectitur ipse Medina, referens in id Paludan, & Caietan. pro eo quod talis excommunicatio erat occulta, & non notoria nec manifesta, qui est proprius casus *supradictæ legis Barbarius Philippus.* De quo videatur supradictus Medina, & Nauar. loco supracitato, num. 7. per totum, & Emmanuel Rodericus, 1. tom. quæstionum Regularium, quæst. 60. artic. 2. vbi ad hoc propositum, dicit plura, eaque notatu dignissima.

Nota hoc val de, quod quā diu quis tolcratur in officio, omnia pen eum acta & gesta, tenent.

Tertia Concluſio.

Si ſupradicta prohibitio fuerit indicialis, non ſolũ peccabit Religioſus, ſæculariũ cõfeſsiones audiendo, verũ etiã ipſæ erũt nullæ, & inualidæ.

IN caſu tamen quo, ſupradicta ſuſpenſio & prohibitio, fuerit iudicialis & notoria, quamuis Regularis alias legitime fuerit præſentatus, & approbatus ab Epiſcopo, poſt talem prohibitionem, & ſuſpenſionem iudicialiter factam atque notoriam, qua per ſententiam iudicialem, prohibitus eſt officium confeſſoris exercere, idipſum faciendo, non ſolum peccat mortaliter, verum etiam confeſſiones ſibi factæ, & abſolutiones ſunt nullæ, & inualidæ. Hanc etiam concluſionem tenet Nauar. loco ſupracitato, num. 6. in 5. dicto, vbi inquit, quod confeſſio eius, qui confitetur excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, publiceque denuntiato, & declarato, nihil valet, eſtq; iteranda. Cuius ratio eſt, quoniam eiuſmodi excommunicatus, non habet auctoritatem, nec poteſtatem ad proferẽdam ſententiam validam, quod probat *per cap. ad probandum de re iudicata, et cap. veritatis, de dolo, et contumacia.* Idem omnino dicit Syluester, de mente Panorm. allegando ſupradicta iura, loco ſupracitato, *verbo, Confeſſor* 1. §. 15. *in 3. caſu, ſiue dicto*, vbi inquit, quod ſi ſuſpenſio vel priuatio fuit notoria, non tenẽt facta & geſta per talem: ex quibus atq; ex alijs concludit, quod confeſsiones factæ excommunicato, occulto & tolerato valent, nec ſunt iterandæ, etiam ſuperueniente ſcientia, ſecus eſt autem de factis, excommunicato notorio & publico, propter rationem dictam.

ARTICVLVS XIIII.

An Confeſſarij Regulares ſupradicti, à ſuis Superioribus expoſiti, & Epiſcopis præſentati, ab eiſdemq; approbati, virtute ſuorum priuilegiorum, omnium ſecularium poſsint cõfeſsiones audire?

Prima Concluſio.

Cõfeſſores Regulares ſupradicti, virtute ſuorũ priuilegiorũ, omniũ ſæculariũ confeſsiones poſſunt audire.

CONfeſſores Regulares ſupradicti, virtute ſuorum priuilegiorum, omniũ ſæculariũ confeſsiones poſſunt audire. Hæc Concluſio, non aliter venit probanda, quam referendo ſupradicta priuilegia. Et in primis Nicolaus V. *conceſsit Fratribus Minoribus de Obſeruantia, facultatem audiendi in cõfeſsionibus, omnes quaramcũque diœceſum, & in illis extraneos ac forenſes. Abſoluendi etiam á caſibus, quos diœceſani locorum, in quibus Fratres ad hoc deputati fuerint, duxerint cõmittendos*, Habetur in Monumentis Ordinis, 1. imp. fol. 30. & 2. fol. 114. conceſſ. 249. & in Supplem. fol. 58. conceſſ. 159. & refertur in Comp. *verbo, abſolutio quoad ſæculares*, 1. §. 7. Sixtus etiã IIII. eãdẽ fecit conceſsionẽ, per conſimilia verba, nihil penitus immutando, & habetur in cõceſsionibus immediate ſequẽtibus, in locis præallegatis. Poſtea Leo X. hoc idem confirmauit, & de nouo cõceſsit, prout habetur in eiſdem Mon. 1. impr. fol. 67. conc. & in Supple. fol. 58. conc. 159. & refertur in Cõp. vbi ſupra, §. 8. Supradicta etiam priuilegia, cõfirmata & approbata ſunt poſtea, per Vrbanũ IIII. præterea in Cõp. Societatis Ieſu habetur, quod Paulus III. *conceſsit Preſbyteris Societatis Ieſu, ab Ordinarijs approbatis, vt exiſtentes in diœceſibus vbi ſunt approbati, poſsint quorũcũque fideliũ ad eos recurrentium confeſsiones audire, & abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopis, & etiam Papæ.* Circa quã cõceſsionẽ dico, quod vt rerũ omniũ habeatur notitia, referoin præſentiarũ omnia quæ dicũtur in priuilegijs vt iacent. Aduerto tamẽ, quod hæc de abſolutione à reſeruatis, per Clem. VIII. iã ſunt reuocata, aut ſaltim modificata vt infra dicemus. Sed difficultas modo eſt, an ſupradicti Confeſſores, à ſuis Prælatis expoſiti, & ab Epiſcopis approbati, audire etiã poſsint, confeſsiones Religioſorũ, eiuſdem Ordinis ſeu aliorũ? De qua difficultate videndus eſt Sylu. *verbo Confeſſ. 2. n. 6.* vbi refert opinionẽ quorũdam aſſerentiũ, quod poſſunt audire omnium Religioſorũ cõfeſsiones, ipſoſq; abſoluere, quamuis ex ſtatutis ſuorum Ordinum abſolui nequeant, niſi à ſuis Proprijs Prælatis, aut ab eorum licẽtiam, & auctoritatẽ habentibus. Quia ſupradicta auctoritas, prædictorũ Confeſſariorum, poſt quã legitime Epiſcopis ſunt præſentati & ab ipſis approbati, eſt generalis, & prouiſio eorũ eſt reſpectu omnium ſibi volentium confiteri, ac de plenitudine poteſtatis, quæ ab alijs ſtatutis non dependet. Sed Gloſſ. *in ſupradicta Clement. ne Dudũ*, tenet contrarium, & dicit quod per hanc cõceſsionem, prædicti Religioſi non cõprehenduntur. Quod & probat ex Pan. & Cardin. ibidẽ pro eo quod Religioſi, non habent velle aut nolle, iuxta, *c. ſi Religioſus, de electione, lib. 6.* & conſequẽter nec poſſunt dici volentes, niſi quatenus volũt ſui Prælati. Quæſententia verior eſt atq; tenenda, cui adhæret ipſe Sylu. & Armilla, *verb. abſolutio, n. 23.* Et ratio eidem fauet, nam licet *in ſupradicta Clem. Dudũ*, atq; in alijs priuilegijs habeatur, quod ſupradicti Confeſſores abſoluere poſsint omnes fideles, & fidelium nomine, intelligendi veniant nõ ſolũ ſæculares, verum etiam quãmaxime Eccleſiaſtici, tã exẽpti quã non exempti, ſunt tamẽ Religioſi de eorum fideliũ numero, qui particularibus ſuarum Religionũ præceptis & ſtatutis, ligari poſſunt, ſeu potius religãtur (hoc enim ſonat Religioſi nomen) quos proinde credẽdũ eſt, velle Sũmos Pontifices & Sedem Apoſtolicã, ſuis præceptis & ſtatutis, eſſe ligatos & adſtrictos, nec liberam habere facultatẽ, cõfitẽdi cui voluerint. Neq; etiam credendũ eſt, in cõceſsionibus generalibus, velle Sũmos Pontifices, derogare priuilegijs, aut ſtatutis Religionum particularibus, quæ forſan ignorant, iuxta ea, quæ notãtur in iure, *c. ex parte, de foro cõpetẽti*, quod oportet multũ notare & aduertere, ne ex ignorantia aliquid iuri contrarium fiat.

Difficultas. Circa audiendas confeſsiones Religioſorũ & Fratrũ aliorum ordinum.

Religioſi non habent velle, nec nolle, nec dicẽtur velle niſi quatenus Prælati volũt

Secunda concluſio.

Cõfeſſores Regulares, ab Epiſcopis approbati, ſæcularium confeſsiones poſſunt audire, nõ obſtante quacũq; Curatorũ cõtradictione.

SVpradicti Confeſſores Regulares, vt præmittitur, ab Epiſcopis approbati, generaliter poſſũt omnium ſæculariũ confeſsiones audire, nõ obſtãte quacũq; Curatorum contradictione. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, loco ſupracitato, *verbo, Confeſſ. 2. n. 6.* vbi inquit, quod nulla excõmunicationis ſententia, contra hoc lata, perperã ſi fertur, quid quã valet ipſo iure, per Extrau. Mart. IIII. in ſertam *in Rubrica, de priuil.* Et ratio eſt, quia priuilegia à Sede Apoſtolica Regularibus conceſſa, hoc expreſ-

expreſſe innuũt atq; cõcedunt,quod ſpecialiter cõceſſit Alex.IIII.vt habetur in Monum.Ordin.1. imp.fol.26.& refertur in Cõpendio,*verbo,abſolutio quoad ſæculares*,1.§.1. & quia ſupradictorum Confeſſariorum iuriſdictio,habetur à Summo Pontifice,dum ſunt Epiſcopis legitime præſentati, iuxta formam,*ſupradictæ Clementinæ Dudum*,vnde à Parochorum conſenſu,aut diſſenſu minime dependet.Circa hoc Enriquez, lib.3.de pœnitent.cap. 6.num.4.& Emmanuel Rodericus 1 tom. ſuarum qq.Regul.quæſt.60.artic.4,multa dicunt,in fauorem Confeſſariorum Regularium,quæ licet iuridica & conſona iuri ac rationi, mihi olim fuerint viſa & hic appoſita,Romæ tamen exiſtens,ſciens & prudens,volui ſilentio præterire, ne alicui ſiue aliquibus,ſcrupulum ingererent,aut minus recte dicta illa dijudicarent,

Quouſque ſe extendat iuriſdictio, ſupradictorum Confeſſariorũ Regularium.

Tertia Concluſio.

SVpradictorum Confeſſariorum Regularium auctoritas,de iure ſe extendit, ad omnes illas diœceſes,in quibus ſunt præſentati, & approbati,reſpectu ſuorum ſubditorum, non tamen poſſunt eam exercere extra diœceſim,niſi quando loca prædictorum Fratrum,ſunt vicina diœceſi, in qua,vel pro qua præſentantur.Hæc Concluſio, eſt etiam expreſſa Sylueſtri,*verbo, Confeſſ.2.num.2. in 4.dicto num.4.verb.3.quæritur*,de qua etiam videatur ſupradictus Emmanuel Rodericus, loco ſupra citato,artic.5.vbi ad tollendam omnem ambiguitatem, affert conceſſionem quamdam Sixti IIII. *quo conceßit,quod Minores Fratres debite præſentati, vel gratioſe à Prælatis recepti,poſsint extra diœceſim,pro qua ſunt præſentati,ſubditos illorum audire,cum hoc poſsint Curati de iure.* Habetur in Monumentis Ordinis,1. impreſ.fol.64.& 2.fol.68.conceſ.128. & in Supplemento,fol.96.conceſ.335.& refertur in Compẽd. *verbo,abſolutio quoad ſæculares*,1.§.11. Videatur etiã ſupradictus Emmanuel Rodericus,in artic.7. eiuſdem quæſtionis,vbi de mente Panorm.*in cap.tuarum,de priuileg.* agit de differentia,quæ verſatur inter exemptionem,& priuilegium datum ratione loci,& datum ratione perſonæ, & dicit, quod ea eſt inter alia,quia in primo caſu virtute eius, non poteſt quis vti priuilegio extra Monaſterium,ſiue locum;in ſecundo vero caſu,vbique poteſt vti,cũ ſit perſonale,& datum ratione perſonæ: cuius eſt ratio:nam priuilegium quod eſt locale, reſtringitur ad locum.& cenſetur potius reale,quam perſonale vt tradit Panorm. prædictus,*in cap.cum capella,de priuileg.* quod vero perſonale eſt,perſonam ipſam ſequitur.Ex quo infertur,quod cum priuilegia Confeſſarijs Regularibus cõceſſa,quó ſæcularium ad ſe accedentium poſſint confeſſiones audire,ſint perſonalia,& ratione ſuarum perſonarũ conceſſa,non vero ratione Monaſteriorium,quod poterunt vbique vti ſuis priuilegijs,quod eſt multum notandum, atq; memoriæ commendandum.

Quænam differentia verſetur,inter priuilegium, datum ratione loci, et datum ratione perſonæ.

QVAESTIO XLVI.

De Confeſſarijs Regularibus,quantum ad facultatem abſoluendi ſæculares,à cenſuris& caſibus reſeruatis,in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Summi Pontifices, potuerint concedere facultatem, Confeſſarijs Regularibus, abſoluendi a caſibus, etiam Epiſcopis reſeruatis, & an in hoc aliqua ſuerit ipſis irrogata iniuria?

Tenendum eſt de fide quod in Eccleſia eſt facultas reſeruandi caſus, et aliquorum peccatorũ abſolutionem. Quidnam ſit caſus reſeruatus?

DIRO Huius Articuli & ſequẽtium intelligentia,atque pleniori notitia,oportet ſupponere id quod & tenendum eſt de fide,eſſe in Eccleſia poteſtatem,& facultatem reſeruandi caſus, quidquid dicant hæretici,reclamet atque oblatret Viclef,relatus per Thomam Vvaldenſ. 2. tom. de ſacramental. capit.149.Quæ quidem reſeruatio,nihil eſt aliud, quam ablatio, ſeu non conceſſio iurisdictionis, ad abſoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. Quod ſatis conſtat,ex ipſa vocabuli ſignificatione, & ex cõmuni vſu Eccleſiæ, & omnium Doctorum loquentium de hac materia.Qua de re videatur Soto in 4.diſtinctio.18,quæſtion.2.artic.5.in ſolutione ad ſecundum,& Nauar.in ſuo Manuali,capit.27.de caſibus reſeruatis num.254.vbi dicit,caſum reſeruatum eſſe peccatum,cuius abſolutio à iure humano, eſt prohibita Presbytero,qui ſtando in ſolo iure diuino,ab omnibus peccatis poſſet abſoluere, per poteſtatem ſibi à Chriſto Domino traditam,iuxta illud Ioannis 20.Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis,& quorum retinueritis,retenta erunt. Qua etiam de re,videatur idem Nauarr.*in cap.placuit,de pœnitent. diſt.6. num.2. 11.& 17.*& gloſſ.in *c.2.de pœnit.et remiſſion. lib.6.* & D.Antonin.3.part.titul.2.capit.11.*verbo, caſus*, & Syluester etiam, *verbo, caſus, num.1.et 2.* Hæc autem reſeruatio, necque eſt contra iuſtitiam, neque contra charitatis leges & regulas, vt peperam dixit Viclef,quinuero res eſt magni ponderis ac momenti,ſpectans ad communem totius

Eccleſiæ vtilitatem, & priuatum ſingularium perſonarum bonum, vt habetur expreſſe determinatum, in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 14. cap. 7. et 11.* & ortum atque originem habet, ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, vt conſtare facile poteſt, ex Concilio Carthaginen. 3. cap. 32, & ex Concilio Africano, capit. 10. & habetur, *in capit. vltimo, 26. quæſtio. 6.* vbi præcipitur, *quod Presbyter non abſoluat pœnitentem, inconſulto Epiſcopo, niſi neceſſitate cogente, & in ipſius Epiſcopi abſentia.* Idem habetur in *capit. latorem 33, q. 2.* vbi memoriæ proditum eſt, Ratholdum Argẽtorathenſem Epiſcopum, parricidã, quẽdam Nicolao Summo Pontifici remiſiſſe, vt ab ipſo abſolueretur. *Et in capit. ſi Epiſcopus, de pœnitent, & remiſſion. lib. 6.* ſancitur, vt dum Epiſcopus facultatem alicui conceſſerit, eligendi Confeſſorem, electus ab ipſo poſſit eum à peccatis abſoluere, exceptis caſibus ab Epiſcopo reſeruatis de quibus (inquit) nullam poteſtatem habet electus præterea. In Extrauangant. *inter cunctas, de priuilegijs, quæ eſt Benedicti XI.* fit etiam expreſſa mentio caſuum reſeruatorum, *Et in Clemen. 1. eodem titulo, & in Extrauagant. Etſi Dominici, de pœnitent. & remiſſion.* Qua etiam de re, videatur Soto loco ſupracitato, & Suarez 4. tomo diſputat. 29. ſectio. 1. Et vt verbis ſupradicti Concilij Tridentini vtar, Semper patres Eccleſiæ, congruum eſſe viſum dijudicarunt, vt aliqua peccata Superioribus iudicibus, ſiue Prælatis reſeruarentur, & hoc expedire ad rigorem diſciplinæ, & vt fideles magis ab huiuſmodi peccatis, ſaltem propter difficultatem obtinendi abſolutionem contineantur, & vt à ſuis Prælatis melius, ad emendam prouocentur atque corrigantur. Tandem vt huic negotio, vltimam imponamus manum, ex eodem Concilio Tridentino, dico, quod cum natura & ratio iudicij hoc expoſcat, vt ſententia non, niſi in ſibi ſubditos feratur à iudicibus, in hac materia hoc eſſe certiſsimum atque conſtitutiſsimum, quod nullius momenti erit abſolutio culpæ, ſiue peccati, aut cuiuſcumque reſeruati caſus, à quocumque facta, illi in quem ordinariam, aut ſaltem ſubdelegatam, non habuerit iuriſdictionem vt etiam habetur expreſſe, in *cap. adijcimus. 16. q. 1. verbo, ecce, & in cap. placuit, de pœni. diſt. 6.* Quibus ſic præmiſſis, tamquam certis & quæ nullam omnino patiuntur dubitationem, ad propoſitũ redeundo, quæritur nunc, An Summus Pontifex caſus ſibi, aut Epiſcopis reſeruatos, Regularibus Confeſſarijs potuerit committere, vt ipſis inuitis, ſibi ſubditos poſſent, ab eiſdem abſoluere? Et ratio dubitandi eſt, nam forſan alicui videbitur, quod non, cum Papa non poſſit tollere ius diuinum, quo conceditur ipſis Epiſcopis, facultas reſeruandi ſibi caſus, cum voluerint, & expediens ſibi viſum fuerit. Ex alia vero parte, videtur quod ſic, quia, vt tenendum eſt de fide, in Eccleſia tota, ſummus Pontifex, ſupremam habet poteſtatem, generalem atque vniuerſalem iuriſdictione ſuper omnes, ex quo fit conſequens, quod poſſit illã, cui voluerit & ſibi expediens viſum fuerit, commendare & communicare. In qua controuerſia & quæſtione, vt quod tenendum eſt paucis dicam, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota pro ratione dubitandi.

Concluſio.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, potuiſſe Romanũ Pontificem, facultatem facere, Cõfeſſarijs Regularibus, vt poſſent abſoluere à caſibus ſibi, & Epiſcopis reſeruatis. Hæc Concluſio probatur, nam vt habetur, *in Extrauag. Vnam ſanctã, de maiorit. & obedient.* ſummus Pontifex in tota Eccleſia, ſuprẽmam habet & generalem, ſupra omnes Chriſtianos iuriſdictionem & poteſtatem, non vt cumque ſed immediate à Chriſto Domino eidem conceſſam, quo fit vt abſque cuiuſpiam præiudicio & iniuria, ex cauſa cum ſibi placuerit ac expediens viſum fuerit & illam poſſit cõmunicare, cui vel quibus voluerit: id quod de facto, multoties factum fuiſſe, paſſim reperitur in iure, ſed maxime in Clement. *Dudum, de ſepultur.* & ſæpe alibi: & idipſum conſtat experientia, ex Bulla Cruciatæ, quæ quotannis conceditur, in his Hiſpaniarum partibus, ac ex multiplicibus Iubileis & Confeſſionalibus, quibus ſecundum antiquam & generalem Eccleſiæ conſuetudinem, facultas fit fidelibus eligendi Confeſſores, & confeſſoribus abſoluendi eos, à quibuſcumque caſibus reſeruatis, non ſolum ſupradictis Epiſcopis, verum & ipſi Papæ. In quo nullum eſt dubium, neque vlli vnquam hac de re licet hæſitare. Videatur Suarez loco ſupracitato, diſputation. 29. ſectio. 1. con. 2. vbi latiſſime hac de re agit, & de ordine Hierarchico, qui in hoc negotio ſeruatur, in Eccleſia noſtra ſancta, cuius ſuprema poteſtas, de iure diuino reſidet in Pontifice Romano. Vnde ad rationem dubitandi, in contrarium adductam reſpondetur, quod in hoc Summus Pontifex, non tollit ius diuinum, aut facit contra ipſum, ſed declarat ſiue modificat illud, quod & facere poteſt, pro ſua ſuprema auctoritate & poteſtate, abſque cuiuſpiam iniuria & præiudicio. Quod autem à ſummo Eccleſiæ Principe quoad ſpiritualia, qualis eſt Summus Pontifex, aliqua competentia aliquibus, etiam naturali, & diuino iure, poſſint limitari ſeu reſtringi, ſicut, & temporalia à Summo ſæculari Principe, conſtat ex multis iuribus, ſed maxime ex *capit. ſecundum leges, de hæreticis, lib. 6. & ex capitulo, quod in dubijs, de pœnis*, cum multis alijs breuitatis cauſa omiſſis. Quod quidem fit per interpretationem, inter ius & æquitatem, aut per iuſtam diſpenſationem, ſeu iuſtam rationem naturalem, id ipſum in aliquibus cauſis dicentem, vt tradunt Doctores communiter, *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtitution.* & Panor. *in cap. fin. de conſuetudine, num. 3.* vbi ſequutus Innocẽtium, ab omnibus receptũ, dicit quod per rationem naturalem, poteſt declarari & limitari, ius naturale & diuinum, non ſolum per legem Papæ, quoad ſpiritualia, verum etiam per legem Principis, quoad ſæcularia, imo vero & per conſuetudinem rationabilem, vt paſſim limitatur præceptum de non occidendo, & de ſtando teſtimonio duorum, vel trium teſtium, &c. Quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant, neque enim omnia in tam breui Compendio, poſſunt ſimul dici & explicari.

Certiſsimum eſt & omni dubio procul, potuiſſe ſummum Pontificem, facultatẽ facere Regularibus, vt abſoluant à caſibus ſibi & Epiſcopis reſeruatis.

Ius naturale & diuinum, qualiter poſſit per Papam interpretari explicari, & declarari.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm Confeſſores Regulares præſentati ſecundum formam Clementinæ Dudum, poſſent olim abſoluere, ab omnibus caſibus Epiſcopis reſeruatis de iure, & ſpecialiter, poſſentq; illud hodie, ſi de nouo per conſtitutionem Sanctiſs. D. N. Clementis VIII. non id ſibi fuiſſet prohibitum.

Nota, quod aliqui caſus ſunt Epiſcopis reſeruati de iure, alij verò reſeruantur ab eiſdem ſpecialiter.

Quinam ſint caſus Epiſcopis reſeruati de iure.

HOc Articulus proponitur non ob aliud, quam vt rerum omnium quæ olim fieri ſolebant, aliqualis etiam nunc habeatur notitia, nam hæc omnia interdum immutantur & variantur, poſſuntque mutari atque variari, expeditque proinde ſcire, quid quo quo tempore fuerit licitum. Pro cuius intelligentia oportet aduertere, quod aliqui ſunt caſus Epiſcopis reſeruati de iure: ſed quot & quinã illi ſint, magna eſt inter Doctores lis & controuerſia, vt colligitur ex *gloſſ. in cap. 2. de pœnit. & remiſſ. libr. 6.* atque ex D. Antonino 3. part. tit. 12. capit. 11. & Angel. *verbo, caſus*, in principio, & ex Syluestro eodem verbo, quæſt. 2. vbi inquit, quod hac de re Doctores implent quaternos, quinuero & quinternos. Sed prætermiſſis varijs dicendi modis, breuiter & reſolute dico, cum Nauar. in Manuali cap. 27. num. 256. quod ſupradicti caſus, communiter loquendo, ſunt quatuor, quinque, vel ſex. Primus eſt peccatum Clerici, quod annexam irregularitatem habet. De quo etiam controuerſia eſt inter DD. an huiuſmodi peccatum poſſit abſolui à cenſura, ſiqua ſubeſt, antequam in irregularitate diſpenſetur? in quo D. Thom. in 4. diſt. 19. quæſt. 1. artic. 9. ad 2. partem tenet affirmatiuam, aſſerendo quod poteſt huiuſmodi peccatum, à quocumque Confeſſore, ab Ordinario approbato abſolui, licet irregularitas ipſa ſpectet ad Romanum Pontificẽ. Idem tenet Nauar. loco ſupracitato, ſequutus Cardinalen in Clementina, *Dudum*, 3. *hac etiam, de ſepult.* Secundus caſus eſt, incendium domorum, frugum & aliarum rerum ex propoſito factum; & conſiliũ & auxilium in id præſtitum, *per cap. peſſimam*, 23. q. 8. Tertius eſt peccatum, ob quod ſolemnis pœnitentia imponenda eſt, quæ ob ſolum notorium peccatũ, graue atq; ſcandaloſum olim imponi poterat, *per c. p. fin. iuncta gloſſ.* 26. q. 6. quod tamen hodie non eſt in vſu. Quartus eſt, Abſolutio blaſphemiæ publicæ & notoriæ, quamuis etiam in hoc differentia ſit inter Doctores, an à quolibet Confeſſario approbato abſolui poſſit? qua de re videatur ſupradictus Nauar. n. 257. & D. Thom loco ſupracitato, & Armilla in ſũma, vbi agit de caſibus Epiſcopis reſeruatis. Quintus eſt Diſpenſatio Votorum & iuramentorum, ſed inquit Nauarr. quod hic non debet connumerari inter caſus, cum illa non ſint peccata, qualia illos eſſe dixerat, ſupra eodem capitulo, num. 254. Sextus, Abſolutio excõmunicationis maioris, quando talis Epiſcopo reſeruatur, nam ab excommunicatione maiori à iure lata, ipſi curati poſſunt abſoluere, & per conſequens etiam Confeſſores Mendicantes, prout tenet dictus Nauar. loco ſupracitato, & Sylueſter, *verbo, abſolutio*, 1. §. 3. quem contra Couarr. & alios defendit Ioannes Gutierr. in quæſtion. canonicis, cap. 5. num. 10. dicens cum Nauarro, quod opinio Couarruu. habet tantum locum in foro exteriori. Hi ſunt caſus de iure Epiſcopis reſeruati. Sed alij interdum reſeruantur ab ipſis ſpecialiter, vel per conſuetudinem generalem, aut quaſi generalem, quos tãgit & refert *gloſſa in Extrauagant. Inter cunctas, de priuileg.* Horum eſt primus, homicidium voluntarium, aut realis membri abſciſſio. Secundus peccatum falſitatis, ſeu falſificandi ſcripturas, ac dicendi falſum teſtimonium, aut tacendi verum coram iudice. Tertius, Violatio libertatis, ſiue immunitatis Eccleſiæ. Quartus peccatum retinendi incerta aliena. De quibus & eorum explicatione, videatur ſupradictus Nauarr. loco ſupracitato, n. 258. & 259. vbi tandem concludit, quod ex ſupradictis caſibus, per conſuetudinem aut ſpecialem cõſtitutionem Epiſcopis reſeruatis, nulla poteſt tradi aut dari certa regula, cũ vnaquæq; prouincia in ſuo ſenſu abundet, vt habetur, *in cap. vtinam diſtin. 76.* Supponit tamen, Epiſcopos poſſe ſibi de nouo, aliquos caſus reſeruare, & contrarium dicere, eſt (inquit) erroneum aut hæreticum, prout habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7. can. 11.* Quibus ſic præmiſſis, inſurgit modo difficultas prædicta, An Confeſſarij Regulares, olim præſentati ſecundum formam iuris, poſitam in ſuprad. Clem. *Dudum de ſepult.* poſſent abſoluere ſæculares, ſtando intra limites & terminos iuris communis, ſecluſo quocũque alio priuilegio, ſi non à caſibus Epiſcopis iure reſeruatis, ſaltem à reſeruatis ab ipſis ſpecialiter, ſi hoc de nouo per conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. (vt dicemus ſtatim) non fuiſſet ſibi prohibitum? Qua in re, vt certa ab incertis & dubijs ſeparemus, antequam reſolutiue difficultatem prædictam abſoluamus, aliqua etiam oportet adnotare & aduertere. Et primo dico, quod ſupradicti Confeſſores regulares olim, ſecluſo quocumque priuilegio, & ſolummodo ſtando intra terminos iuris communis, poſiti in Clem. *Dudum, de ſepult.* eamdem poteſtatem habebant, circa peccatorum abſolutiones, quam habebant etiam, ſeu habent modo ab eodem iure, Sacerdotes parochiales atque Curati. Hoc habetur expreſſe, in ſupradicta Clementina, in illis verbis, ibi, *Per huiuſmodi autem conceſſionem, nequaquam intendimus, perſonis ſeu Fratribus ipſis, ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel parochialibus Sacerdotibus, eſt à iure conceſſa.* Ex quibus verbis conſtat ſuperque ſatis, quod quæ à iure eiſdem Curatis erat conceſſa, eodem decreto fuit impenſa, dictis Regularibus Confeſſarijs, legitime præſentatis, in quo quidem omnes Doctores, communiter conueniunt nullo excepto. Secundo dico, eſſe etiã certum, quod ſicuti prædicti Sacerdotes Parochiales, & Curati olim, ſtando in terminis iuris communis, poterant abſoluere, ab omnibus

Quinã ſint caſus, qui Epiſcopis reſeruari ſolent de conſuetudine

1. Nota quod cõfeſſores Regulares, olim præſentati eã dẽ poteſtatem habebãt, quã habent animarum Curati.

2. Nota quod quæ ſpecialiter nõ reſeruãtur, iure cõceſſa cẽſetur.

peccatis, quæ à iure Epiſcopis non reſeruantur (nam quæ ſpecialiter non reſeruantur, iure conceſſa cenſetur, ex iuris regula, *in cap. nuper de ſent. ex cõmunicat & cap. at ſi Clerici de iudicijs*) Sic & prædicti Confeſſores Regulares, vt præmittitur legitime atque iuridice præſentati, ab iure ipſo communi, habebant etiam poteſtatem abſoluendi ab omnibus caſibus, qui iure Papæ, vel ſupradictis Epiſcopis, non erant reſeruati, per poteſtatem traditam illis, à prædicto Conc. Viennenſi, cuius decretum poſitum eſt in prædicta Clementina, *Dudum*, quo iam tempore, Fratres Mendicantes, ab Epiſcoporum iuriſdictione erant exempti, vt de ſe ſatis patet. Quod vero ipſi, nullatenus abſoluerent à caſibus Epiſcopis de iure reſeruatis, expreſſe præceptum fuit in Extrauag. Benedicti XI, quæ incipit, *Inter cunctas*. vbi etiam eiuſmodi caſus referuntur. Quæ Extrauag. licet poſtea, vt notat Collector priuilegior. *verbo abſolutio, quoad ſeculares. 2. §. 1.* fuerit reuocata, per Clementem. V. in ſupradicta Clementina, *Dudum*, Sixtus tamen IIII. præcepit, vt quoad caſus Epiſcopis reſeruatos de iure, qui ibi ſunt expreſſi, maneret in ſuo vigore. Hoc etiam eſt certiſsimum, & de quo nulli dubium.

Solummodo ergo poterat eſſe difficultas, an in illis caſibus quos vltra ius commune, Epiſcopi ſibi reſeruabant ſpecialiter, Regulares ſupradicti poſſent abſoluere, an vero etiam eſſent pro ipſis reſeruati, & excepti exiſterent, ita vt ſeclusis priuilegijs, in virtute poteſtatis quam á ſolo iure communi habebant, in illis non poſſent ſe intromittere.

Duæ hac de re opiniones.

Qua de re, Ioquendo de iure etiam antiquo, erant olim duæ extremæ opiniones: Prima opinio dicebat, huiuſmodi caſus, non iuris ſed Epiſcoporum, ſpeciali reſeruatione reſeruatos, non ſolum eſſe reſeruatos Presbyteris parochialibus & Curatis, verum etiam & Confeſſarijs ſupradictis Regularibus. Hanc ſententiam tenet Gloſſa, in dicta Clementina, *Dudum*, *verbo conceſſa*, & cum ipſa Ioã. Monach. Panorm. Imol. Cardinal. alijq; quam plurimi, & ex iunioribus Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 27. num. 263.

Sed contra tiam ſententiam, tenebant multi alij grauiſsimi Doctores, quos refert Sylueſter, *verbo confeſſor. 2. quæſt. 5.* inter quos refert Panormit. *in c. ſuper ſpeculam, ne Clerici, vel Monachi*, vbi prædictam primam ſententiam reuocauit. Qua de re videatur Suar. 4. tom. in 3. part. diſputat. 30. ſectio. 2. dubio vltimo, & Emmanuel Rodericus, tom. 1. qq. Regul. quæſt. 61. artic. 2. vbi referunt Doctores, & fundamenta vtriuſque partis & opinionis, quod & facit Syueſt. latiſſime loco vbi ſupra. In qua tantorum Doctorum differentia & cõtrouerſia, nolo ego in præſentiarum iudicem agere; neque id in præſentiarum facere viſum fuit expedire, cum iam hæc non habeant locum, aut eſſe videantur alicuius vtilitatis, poſtquam hac de re, de nouo ordinatum eſt atque ſtabilitum, à Sanctiſſimo D.N. Clemente Octauo, vt id nullo modo facere liceat, & neque Confeſſores Regulares prædicti, neque alij, abſoluant ſeu abſoluere poſſint, à caſibus, de iure aut ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis, aut quos ſibi ipſi per tempus reſeruauerint, prout habetur, in quodam ſuo edicto ſiue decreto, ſtatim ponendo, promulgato iuſſu atque mandato Illuſtriſſimorum Cardinalium, Præfectorum ſuper negotijs & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, Romæ die 9. menſis Ianuarij, anno 1601. iuxta quod ſequens ſtatuitur Concluſio, neceſſario tenenda, maxime in omnibus Italiæ partibus, atq; etiam in Hiſpania & alijs Prouincijs, niſi habeatur Bulla, quæ communiter dicitur Cruciata.

Concluſio.

Cõfeſſores Regulares hodie, etiam ſi ſint præſentati, iuxta formã Clement. Dudum nullaten⁹ poſſũt abſoluere, à caſibus Epiſcopis, de iure ſiue ſpecialiter reſeruatis aut quos pro tẽpore, ipſi ſibi reſeruauerint.

COnfeſſores Regulares hodie, etiamſi ſint præſentati, iuxta formam Clementinæ, *Dudum*, nullatenus poſſunt abſoluere, à caſibus Epiſcopis, de iure aut ſpecialiter reſeruatis, aut quos pro tempore ipſi ſibi reſeruauerint, & contrarium facientes, ipſo ſunt facto excommunicati, & multas alias incurrunt pœnas. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in ſupradicto Decreto, cuius quia tanti refert, vt plena habeatur notitia, libuit hic ipſum, ad vnguem referre; eſtque tenoris ſequentis.

Edictum Sacræ Congregationis Cardinalium, ſuper negotijs & conſultationibus, Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, quo prohibetur abſolutio, à caſibus Papæ, & Epiſcopis reſeruatis.

COngregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, iuſtis & grauibus cauſis id exigentibus, ac de Sanctiſſ. D.N. Clementis Papæ Octaui, ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confeſſiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium aut Congregationum, etiam Societatis Ieſu, & generaliter quarumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur; iubet & præcipit, ne quis eorum, ſub prætextu priuilegiorum, indultorum aut facultatum, generaliter vel ſpecifice, ſcripto aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem, à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate, eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu alias quomodocumque, ſub quibuſuis tenoribus, formis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad eiuſuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum, alicui cuiuſuis ſtatus, gradus & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex caſibus, clare vel dubie, in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum, per Sanctitatem ſuam, eiuſue ſucceſſores, pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reſeruandis, nec etiam a caſibus, quos Ordinarij locorum hactenus reſeruarunt, vel in poſterum ſibi reſeruabunt, nullo caſu, etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua, & ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum (quoad caſus ab ipſis tantum reſeruatos reſpectiue) impetrata in ſcriptis licentia,

tia, Ordinarijs locorum exhibenda, abſolutionis beneficiũ, de cætero impendere audeat, vel præſumat, ſed cum opus fuerit, pœnitentes ad ſuperiores, legitimosq; iudices ſuos, accedere conſulant, ſub pœna contrafacientibus, tam Regularibus, quam ſecularibus, excomunicationis, priuationis, officiorum, & dignitatum, & beneficiorum, inhabilitatis itẽ audiendi confeſsiones, & ad quæcumq; officia, Prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto, abſque vlla alia declaratione incurrenda. Super quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice, habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquã in mortis articulo, poſsit impartiri. Sãctitas enim ſua, quatenus opus ſit, facultates, & conceſsiones ipſas, in hac parte, vti caſſas, & irritas haberi, de cætero voluit, & vult, non obſtantibus quibuſcumque. Præterea nouerint pœnitentes abſolutionem, ſi quam obtinebunt, contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliusq; roboris & momenti. Et ne locorum Ordinarij, quibus hoc ius reſeruãdorum caſuum competit, plurium quam opus ſit reſeruationi, ſubditis aut Confeſſarijs, in animarum ſalute procurandi cooperatoribus ſint oneroſi, moneantur omnes, vt paucos eoſq; tantum, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam animarumq; ſibi creditarum ſalutem, pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu & qualitate, neceſsarios eſſe reſeruandos iudicauerint, reſeruent. In quorum fidem, &c. Datis Romæ die. 9. menſis Ianuarij anni. 1601.

Cum autem poſtea dubia quædã, ac difficultates circa huiuſmodi decreti interpretationem, & obſeruantiam emerſiſſent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitati ue locus relinqueretur, & vt clarius appareret, in quibus caſibus, vigore eiuſdem Decreti reſeruatis, intelligatur prohibita abſolutio, ex ſpeciali mãdato eiuſdẽ Sanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo, ſuper ea re habito, ipſum decretum, ita moderata fuit, & declarauit in ſequenti forma, videlicet. *Sub eadem prohibitione, illos tantum in poſterum comprehendi caſus, qui in Bulla Cœnæ Domini, legi conſueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis Conſtitutione fel. record. Gregorij XIIII. quæ incipit, Cum alias nonnulli: Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium et puguantium in duello, iuxta decretum Cõcilij Trident. et Conſtitution. fel. record. Gregorij Papæ XIII. incipientem, Ad tollendum; Iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta can. Si quis ſuadente, etc. 17. quæſtion. 4. ac iuris diſpoſitionem, Simoniæ realis, ſcienter eõtractæ, atque etiam Confidentia beneficialis. Item omnes eaſus, quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel in poſterũ reſeruabunt, in quibus omnibus iam enumeratis caſibus dumtaxat, et ſublata etiam pœna inhabibitatis audiendi confeſsiones, eadem ſacra Congregatio, vult et mandat, dictum decretum in ſua firmitate, et priſtino robore permanere, Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes, tam ſæculares quam Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, et facultatibus, in ſupradicto decreto expreſsis, ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum priuilegia, indulta, et facultates, vſu ante idem decretum receptas, et quæ ſub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum et non alias, abſoluere à caſibus, in præſenti declaratione non comprehenſis, alijs vero Sacerdotibus, huiuſmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos caſuum reſeruatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem Congregatio, illos rurſus magnopere admonendos cenſet, vt non paſsim, ſed tum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum et grauiorum criminum, abſolutionem ſibi reſeruent, quorum reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, conferat ædificationem, non autem in deſtructionem cedat, ne alioquin ſacramentum Pœnitentiæ, miniſtrorum coarctata poteſtate, Sanctæ matris Eccleſiæ piamenti, contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam ne ſibi ſuperflue reſeruent caſus, in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, nec alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos. Facultatem vero, & licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quam in ſcriptis tantum concedi permittebatur, etiam ſola viua voce concedi poſſe declarat. Cæterum ne quis Sacerdotum ſæcularium, aut Regularium, ſub prætextu quod per primo dictum decretum, non fuerit ſufficienter, eorum ſpecialibus priuilegijs derogatum, eidem decreto, ſic vt præfertur declarato, contrauenire audeat, Sanctitas ſua, conſtitutionibus, et ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum, ſeu inſtitutorum Regularium, aut Sacerdotum, tam ſæcularium, quàm Regularium editis, necnon eorumdem Ordinum ſeu Inſtitutorum, aut etiam Eccleſiarum vel Monaſteriorum, et aliorum ſæcularium ſeu Regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis et conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, et litteris Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, eiſdem Ordinibus ſeu inſtitutis, ac etiam Eccleſijs et Monaſterijs, et ſæcularibus ſeu Regularibus locis, aut perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus et formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, et alijs decretis, etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſsis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, ſeu alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenore huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus, pro expreſsis habens, quoad ea quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogat, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. Data Romæ, die 26. Nouemb. 1602.*

Alex. Card. Florent. Epiſcopus Præneſtinus.

Nata valde explicationẽ decreti prædicti.

Circa quod decretum eſt multum notandum, quod quamuis in eodem dicatur, factum fuiſſe pro confeſſarijs, tam ſæcularibus, quam regularibus, per vniuerſam Italiam extra vrbem de gentibus, nec fiat expreſſa mentio de exiſtentibus in Galliæ partibus, ſeu in Hiſpaniarũ Regnis, neq; de alijs crediderim tamen, quod non per hoc confeſſores Regulares, exiſtentes in prædictis partibus & regnis, abſoluere poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum, à caſibus Epiſcopis de iure ſeu ſpecialiter reſeruatis, aut quos pro tempore ipſi ſibi reſeruauerint. Nam vt tradit Hieronymus à Sorbo noſtri Ordinis Capucinorum, in annotationibus ad Compẽ-

diũ priuilegiorum, verbo abſolutio, quoad ſæcula res 2. in fine fol. 59. & verbo, caſus reſeruati etiam in fine fol. 107. multo ante tempore, facta fuit generalis reuocatio quorumcunque priuilegiorũ, quæ facta fuiſſent Regularibus, quoad abſolutionem à prædictis caſibus, de iure ſiue ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis, aut quos pro tempore ijdem ſibi reſeruauerint, nulla facta exceptione ſiue métione, de confeſſoribus in his aut illis Regnis exiſtentibus, ſed abſolute de omnibus. Et vt prædictæ reuocationis, hic aliqualis habeatur notitia, volo transferre hic quæ dicit, ſupradictus Sorbo. Dicit in primis quod anno Domini 1577, cum ad ſanctiſſimo Dominum Gregorium XIII. & ſacram Congregationem Cardinalium, ea ſuper refacta fuiſſet cõſultatio, per quemdam Epiſcopum, an ſcilicet Regulares virtute ſuorum priuilegiorum, abſoluere poſſet à prædictis caſibus, Epiſcopis de iure vel ſpecialiter reſeruatis, exhibitum ſibi fuit ſequens reſcriptum.

Illuſtriſſ. & Reuerendiſ. Dñe.

CVm à ſacra Congregatione Cardinalium, qui propoſiti ſunt decretis Trident. Concil. interpretandis, Illuſtriſſima amplitudo tua quæſtuerit, an Regulares ex priuilegijs à Sede Apoſtolica impetratis, præſertim autem ex eo quod nominant maremagnum, poſſint in ijs caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſeruauerit, abſoluere cõfitentes: hac de re vbi Congregatio accurate egiſſet, ac deinde ad ſanctiſſimum D. N. cauſam retuliſſet, Sãctitas ſua etiam de ſententia Cõgregationis cenſuit, ex facultatibus per hoc maremagnum oliaue priuilegia Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem, abſoluendi à caſibus ſibi ab Epiſcopis reſeruatis. Deus Illuſtriſſime amplitudini tuæ, perpetuam vitæ tranquillitatem. & incolumitatem largiatur Romæ, die 10. Septembris, 1577.

Illuſtriſs. Reuer. amplitudinis tuæ, &c.

Habetur etiam hoc reſcriptum, in catecheſi Neapolitana, fol. 287.

Addit prædictus Sorbo loco vbi ſupra, quod ea demmet ſacra Cardinalium Congregatio ſuper ſeſſ. 14. de ſacram. pœnit. cap. 7. Canon. 11. Concil. Tridét. declarauit, quod neq; confeſſores virtute priuilegiorum roſarij, neque Ieſuitæ virtute ſuorum priuilegiorum, poſſunt pœnitẽtes abſoluere, á prædictis caſibus Epiſcopis reſeruatis, niſi priuilegia ipſa, tradant eiuſmodi facultatem expreſſe, & ſint obtenta aut confirmata, poſt Concil. Trid. Quod ipſum dicit fuiſſe reſponſum cuidam Epiſcopo de Gaeta, natione Hiſpano. Nam dubitanti, an per bullas ordinarias, in quibus dari ſoſet facultas, abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, comprehendãtur etiam caſus, quos Epiſcopi & Religionum prælati, pro ſuis ſubditis reſeruauerint, cum ea de re congregationem Cardinalium prædictam conſuluiſſet, fuit ſibi reſponſum quod non, niſi de eis ſpecialis mentio fieret. Iterumque dubitanti, quid per bullam ſanctiſſimi nominis Ieſu, in qua ſpecialiter habetur, quod confeſſarij poſſint abſoluere contratres, à caſibus Epiſcopis reſeruatis? Illuſtriſſimus Cardinalis Garrafa, nomine totius Congregationis reſpondit, nec per illam bullam fieri poſſe, niſi tantum ratione Iubilei pleniſſimi, indicti à Summo Pontifice, cum facultate abſoluendi in quibuſcumque caſibus, etiam cõtentis in bulla Cœnæ Domini. Cuius reſponſi originale, inquit prædictus Sorbo, quod habetur in archiuo ipſius Epiſcopatus, & authentica copia apud ipſum. In cuius etiam rei confirmationem, citat Nauar. in Manual. cap. 27. num. 266. dicentem, quod confeſſores præſentati etiam iuxta formam Clement. *Dudum*, non poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, & multo minus diſpenſare in iuramentis, niſi ad hoc detur eis facultas ſpecialis. Et in candelabro aureo, tit. de abſolutione num. 52. refertur idipſum, à Cardinale ſancti Sixti, Cardinali Borromeo olim Archiepiſcopo Mediolanenſi, per ſuas litteras nomine Congregationis Cardinalium, & Gregorij XIII. fuiſſe ſignificatum.

Addit prædictus Sorbo vbi ſupra, quod non obſtãt prædictis, priuilegia quæ ad hũc effectum, per Pium V. poſt Concil. Trident. in bulla, *& ſi mendicantium* ſeu alibi dicuntur fuiſſe conceſſa, nam omnia illa, poſtmodum reuocata fuerunt per Gregorium XIII. in alia ſua bulla, quæ incipit, *in tanta rerum & negotiorum molle*, data anno, 1572. qua reuocauit priuilegia omnia, & reduxit ea ad terminos iuris communis, & ad decreta ſancti Concil. Trid. ac ſi nullo vnquã tẽpore emanaſſent. Ex quibus ſuperq; ſatis colligitur, quod multo tẽpore ante decretum prædictum, fuerunt reuocata priuilegia omnia, Regularibus conceſſa, quãtum ad abſolutionem prædictam, à caſibus Epiſcopis de iure, ſiue ſpecialiter reſeruatis, pro toto Chriſtianorum orbe, abſque exceptione aliqua, de confeſſarijs in hijs aut illis Regnis exiſtentibus: neque neceſſum erat vt ad hoc exiret prædictum decretum de nouo. Neq; dictis obſtat, quod prædictus Gregorius XIII. (vt dicitur) pro patribus Ieſuitis, declarauit non comprehendi, confeſſores Societatis Ieſu, quãtum ad facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopis reſeruatis eiſdem conceſſam, imo vero quod de nouo illã ipſis conceſſit & cõfirmauit, vt refertur in Compendio eiuſdem Societatis Ieſu *verbo abſolutio* §. 1: quo innixus fundamẽto, pater Frater Emmanuel Rodericus 1. tom. quæſt. Regul. q. 61. artic. 13. in ea eſt ſententia & opinione, vt credat Regulariũ priuilegia, quoad prædictam abſolutionẽ à caſibus Epiſcopis reſeruatis, ſupradictis omnibus non obſtantibus, in ſuo adhuc permanere vigore, cum prædicta conceſſione ſeu noua confirmatione, facta confeſſoribus Societatis Ieſu, perfruantur, vti ac potiri poſſint, omnes etiam Ordines & Religiones, priuilegiũ habentes communicationis: nam huic obiectioni Reſpõdetur, quod eam ſolummodo ob cauſam (vt dicitur) non vero ob aliam quam propter præfatam ſuam doctrinã, factum atque promulgatum fuit, ſupradictum decretum, iuſſu Clementis VIII. nam cum Relatum ſibi fuiſſet, ad vnguem non obſeruari, quod tot vicibus præceptum atque mandatum erat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliſque grauiſsimis ibidem contentis, quas videre licebit, ſtrictepræcepit id deinceps, vt nullatenus fiat, & expreſſe reuocauit priuilegia omnia, atque viuæ vocis oracula, etiam cõceſſa prædictæ Societati Ieſu.

ti Ieſu. Et quamuis vt dictum eſt, in dicto decreto facta non fuerit expreſſa mentio, niſi de cõfeſſoribus, ſæcularibus ſiue regularibus, per vniuerſam Italiam extra vrbem exiſtentibus, non id (vt multoties Romæ exiſtens audiui) propterea factum fuit, quia in eodem alia etiam regna non comprehendantur, ſed quia in alijs regnis, & maxime in noſtra Hiſpania, cõmuniter habetur Bulla, quæ dicitur Cruciata, qua facultas in id ipſum cõceditur, cui prædictus Summus Pontifex, in eo non voluit derogare. Sed pro non habẽtibus ipſam, omni proculdubio, derogata ſunt omnia regularium priuilegia, quantum ad contenta in prædicto decreto, (licet non quoad alia) quod eſt multũ notãdum, ac memoriæ comẽdandum, vt in re adeo clara & manifeſta, nulli amplius liceat proteruire: nam vt dicitur, in expreſſis non eſt locus coniecturis aut vanis præſumptionibus. Quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Quænam fuerint olim priuilegia, Confeſſarijs Regularibus conceſſa, ad abſoluendum à caſibus, iure & ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis?

IAm ſuperqueſatis, in prędicto articulo dictum remanet, tenendum eſſe tanquam certiſſimum atque iudubitatum, quod præſenti hoc tempore, & rebus in hoc ſtatu permanentibus, niſi poſt ſuperius dicta, aliquod de nouo cõceſſum fuerit priuilegium, ſupradicti confeſſarij Regulares, haudquaquam poſſunt abſoluere, à caſibus iure aut ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis, virtute quorumcumque priuilegiorum, antiquorum, ſeu nouorum, quæ de hoc & dicta reuocatione, expreſſam non faciant mentionem. Sed quia hæc interdum immutari ſolent, non ab re viſum fuit, vt rerum omnium, quæ præteritis temporibus vti conſueuere, aliqualis ſaltem habeatur notitia, in præſentiarum referre, atque adducere priuilegia, quæ fuere olim Regularibus conceſſa, quorum virtute abſoluere poterant à prædictis caſibus. De quibus ſit concluſio.

Concluſio.

Cõfeſſores Regulares olim, præſentati ſecundum formã iuris, aliqua habebant priuilegia qui bus abſoluere poterant, à caſibus de iure & ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis.

COnfeſſores Regulares olim, præſentati ſecundum formam iuris, aliqua habebãt priuilegia, quibus abſoluere poterant, à caſibus de iure & ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam referendo ipſa, atque in primis habetur in Monument. Ordin. 1. impreſ. fol. 44. & 2. fol. 128. conc. 287. & refertur in Comp. verb. abſolu. quoad ſeculares, à §. 17. quod Sixtus Quartus *conceſſit, vt Vicarius generalis Fr trum Ordinum Prædicatorum, Regnorum Caſtellæ & Legionis, in qualibet domo dicti Ordinis ei ſubiecta, vbi eũ pro tempore morari contigerit, ac in eius abſentia, ſinguli Priores ſiue Præſidẽtes, ſingularũ domorum, dicti Ordi. nunc & pro tempore exiſtentes, ac quatuor Prædicat. Ordin. profeſſores, presbyteri idonei, per Vicarium et ſingulos Priores ſiue Præſidentes prædictos, in ſingulis domibus deputandi, poſſint confeſtiones vtriuſque ſexus, Chriſti fidelium forenſium, ad ſingulas domos prædictas occurrentium, et ibidem proprium domicilium non habentium, ac ibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confitebuntur, libere audire, et eos ab omnibus et ſingulis peccatis, exceſſibus et delictis, per eoſdem commiſsis et confeſsis, necnon excommunicationum ſententijs et pœnis, in ſingulos fideles prædictos, in genere vel in ſpecie, ordinaria auctoritate latis, de quibus ipſi fideles ſe abſolui petierint (dum tamen talia non ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica merito eſſet conſulenda) in loci Ordinarij abſentia dumtaxat, abſoluere et eis ſuper præmiſsis pœnitentiam ſalutarẽ iniungere, ac vota peregrinationis et abſtinentiæ, per eoſdẽ fideles emiſſa, quæ loci Ordinarius, ſi præſens eſſet commutare poſſet, et ipſi fideles cõmode adimplere, nõ potuerũt (in ipſius loci Ordinarij abſentia) in alia pietatis opera cõmutare, necnõ omnibus et ſingulis Chriſti fidelibus, tã forenſibus, quã in ciuitatibus et locis, in quibus ipſæ domus exiſtũt cõmorantibus, Euchariſtiæ ſacramẽtũ quocumq, tempore (feſto Reſurrectionis dũtaxat excepto) eorumdem fidelium, Parochialium Eccleſiarum, Rectorum abſentium, et quorumlibet aliorum licentia minime requiſita, miniſtrare libere, ac licite poſsint et valeant, parce tamen, ne querelæ inde eueniant.* Circa quam conceſſionem, aduertit Collector priuilegiorum, *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 1, §. 17. quod eandem auctoritatem habent, Prouinciales & Guardiani, ſiue Præſidentes domorum Fratrum Minorum, & quatuor Confeſſores per eoſdem aſſignandi, vt prædictum eſt, & hoc in Regnis præfatis, ſed non alibi, virtute communicationis ſpecialis, cuius fit mentio in eodem Compend. *verbo, communicatio priuilegiorum*, §. 9. *et* 10. Idem Sixtus Quartus, *conceſsit olim Fratribus Ordinis Minimorum, auctoritatem confeſsiones audiendi, et ab omnibus caſibus, excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, ac ſuper quacumque irregularitate, Ordinario tam à iure, quam ab homine reſeruatis, toties quoties opus fuerit, abſoluendi et diſpenſandi, ac vota quæcumque permutandi et relaxandi, et pœnitentiam ſalutarem iniungendi, ſicut poteſt Diœceſanus, ideſt ſine aliqua preſentatione.* Habetur in Supplemento, fol. 5. conceſſ. 8. & refertur in Compend. *verbo, abſolutio, quoad ſeculares*, 1. §. 20. De qua quidem conceſſione, licet prædictus priuilegiorum Mendicantium Collector, dubitauerit, an eſſet intelligenda dumtaxat reſpectu Fratrum, an vero etiam reſpectu ſecularium? hanc dubitationem ſuſtulit poſtmodum P. Fr. Antonius à Corduba, in annotat. ad Compend. *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 1. *annotat. ad dictum*, §. 20. dicens, quod ſine dubio, ſe extendebat etiam ad ſeculares, vt ex eadem patet, quamuis auctoritas diſpenſandi ac commutandi vota, non fuerit eiſdem conceſſa, niſi tantummodo quoad fratres, vnde ſupra ſeculares, penes hoc quod eſt diſpẽſare, aut commutare eorum vota, virtute ſuprad. conceſſionis, nihil omnino poterant, & ait, quod ſic erat in vſu. Sed his prætermiſſis, præter ſupraditam Sixti Quarti conceſſionem, reperitur & alia Vrbani Quarti, *qua conceſsit Fratribus Carmelitanis, vt de licentia Prælatorum Eccleſiæ, poſſent audire confeſsiones omnium fidelium, cauſa deuotionis ad eos occurrentium, niſi talia commiſiſſent, propter quæ Sedes Apoſtolica merito foret conſulenda.* Habetur in Monumen. Ordin. 1. impreſſ. fol. 85. & 2. fol. 108. conceſſ. 392. & refertur in Compend. vbi ſupra, §. 19. & dicit ibi

Collector, quod Sixtus Quartus declarauit, quod licentia, de qua in prædicta conceſſione fit mentio, intelligeretur ita, quod præfati Confeſſores eſſent præſentati ſecundum formam iuris. Quæ declaratio habetur in Monument. 1. impreſſ. folio 98. & 2. fol. 181. conceſſ. 439. Ex quibus omnibus cõſtat, quod Confeſſores Regulares olim, facultatẽ habebant, abſoluendi à caſibus, Epiſcopis iure cõmuni & ſpecialiter reſeruatis, quod erat intentũ. Dubitauit tamen priuilegiorum Collector, an dicta conceſſio Vrbani Quarti eſſet in vſu, & illa vti poſſent alij Mendicantes, priuilegium habentes communicationis? Sed prædictam dubitationem, fuſtulit etiam prædictus Pater Cordub. in annota. ad dictum Comp. §. 19. vbi late diſputat & tractat, an priuilegium deperdatur per non vſum, ſiue per vſum contrarium. Et multis hinc inde petitis rationibus, & varijs atq; diuerſis adductis iuribus, tandem cõcludit, ſupradictum priuilegiũ, per aliquorũ non vſum, haud quaquam fuiſſe reuocatũ, quin vero dicit, quod quamuis ex hac parte eſſet nullum, per aliam nouam conceſſionem Clementis VII. integre fuit confirmatum atque reualidatum, poſt quam ipſe confirmauit omnia Regulariũ priuilegia, ex certa ſcientia, quo (inquit) verbo cõfirmandi modo & forma vtendo, confirmari videtur priuilegia, etiam per non vſum, aut per contrarium vſum reuocata. Qua de re videatur etiam Emmanu. Roder. tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 61. art. 3. Sed prædicta omnia, intelligenda ſunt, ſecũdum antiqua noſtra priuilegia, at nunc temporis (vt iam ſemel atq; iterum dixi) ſupradictis priuilegijs vti non licet, cum per dictum Clement. VIII. vt ex ſupradictis conſtat, & per tot Illuſtriſſimorũ Cardinalium reſponſiones, & determinationes, quoad hoc, adeo expreſſe omnia fuerint reuocata. Licet enim in decreto prædicto Clem. VIII. appoſita fuerint illa verba, quibus innuere viſus eſt quòd loquitur tantũ, cum confeſſarijs, ſecularibus ſiue Regularibus, per totã Italiã extra vrbẽ exiſtẽtibus, propter rationẽ dictam de Bulla Cruciata, cui non voluit derogare: at ſupradictę priuilegiorum reuocationes, ad effectum abſoluendi à caſibus Epiſcopis reſeruatis, factæ à Greg. XIII. & declarationes eadẽ de re factæ ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, nulla Prouincia, aut regno excepto, ad omnes proculdubio ſe extendũt, vt intuẽti patet.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſupradicta priuilegia, ante prædictam reuocationẽ Clement. VIII. & alias de quibus facta eſt mentio, iam per Concilium Tridentinum fuerint reuocata?

HAc in re in libris quos conſului, inueni duas extremas Doctorum opiniones. Prima eſt aſſerentium, prædicta Regularium priuilegia, quoad effectum abſoluendi, à caſibus Epiſcopis de iure, ſeu ſpecialiter reſeruatis, ab antiquo per Concil. Trid. fuiſſe derogata & reuocata, & de nouo per declarationem Gregorij XIII. & alias de quibus mentionem fecimus ſupra. Alij vero ſunt in contraria omnino ſententia, & dicunt prædictum Concilium, nõ ea reuocaſſe. De qua quæſtione & controuerſia, videatur Emmanuel Rodericus in ſuis Quæſtio. Regul. 1. tom. quæſt. 61. art. 9. in princip. & art. 13. per totum, & in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. nume. 135. in fin. & Enriquez Societatis Ieſu, libro 7. de indulgentijs, cap. 28. num. 2. littera. S. & Viualdus in ſuo Candelabro aureo, titulo de abſolutione, num. 26. vbi multis probare contendunt, potuiſſe, etiam poſt Concil. Trident. præfatos Confeſſores Regulares, abſoluere à caſibus, quos ſpecialiter ſibi Epiſcopi reſeruant, quammaxime, per ſupradicta priuilegia, quidquid ſit de alijs reſeruatis à iure communi. Quorum fundamentum eſt, quia id (inquiunt) poterant ante prædictum Concilium Tridentinum, per Clement. *Dudum, de ſepulturis*, & quia Clement. prædicta, per eiuſmodi Cõcilium, nullatenus eſt derogata aut reuocata. Et quod non ſit reuocata, aſſeueranter affirmãt, quia (inquiunt) iure & conſuetudine eſt poſitum, & in prædicto Concilio Tridentino, quammaxime obſeruatum, quod quando aliquod ius ſeu priuilegium, maxime contentum in corpore iuris communis, reuocandum atque annullandum ſit, ſpecialis de eo mentio fiat, vt patet in dicta Clemen. *Dudum*, vbi Clemens V. expreſſe reuocauit, extrauagant. *Inter cunctas, de priuilegijs*, quæ erat Benedicti XI. & in Clement. 1. *de immunitate Eccleſiar.* reuocata fuit Decretalis, quæ incipit, *Clericis, eodem titulo, lib. 6.* per illa verba. *Conſtitutionem prædictam, penitus reuocamus, ac pro infecta omnino haberi volumus.* Quod quando non fit expreſſe, aut ſaltim capitulum reuocatum, in eius rei ſignum, in margine apponitur, vt videre eſt in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. capit. 2.* vbi agendo de cognatione ſpirituali reuocando textum, *in cap. quamuis, eodem titulo in 6.* apponitur illa clauſula, *conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus*, & in margine adducitur, dictum *cap. quamuis.* Cum igitur (inquiunt) nihil tale omnino reperiatur, in Concilio Trident. de Clement. prædicta, conſtanter tenent prædicti authores, nullatenus eſſe reuocatam, ſed adhuc permanere in ſua vi & robore, in omnibus quæ non contrariantur prædicto Concilio Tridentino, quinvero cum ipſo quammaxime ſe compatiuntur, poſſeque proinde, etiam nunc confeſſores Regulares, abſoluere à prædictis caſibus Epiſcopis reſeruatis ſpecialiter, quamuis nõ à reſeruatis iure communi. Sed quidquid de hoc ſit: nam hac de re, iã quam plura diximus ſupra, propoſitę difficultati, his prętermiſſis dicendi modis, breuiter & reſolutiue reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Prima Concluſio.

SVpradicta priuilegia, Cõfeſſarijs Regularibus olim conceſſa, ad abſoluendum à caſibus Epiſcopis ſpecialiter reſeruatis, reuocata etiam eſſe cenſentur, per Concilium Tridentinum, & quando id ita non eſſet, iam expreſſiſſime reuoca ſunt, per nouum edictum, decretum ſiue cõſtitutionem (de qua ſupra art. 2.) editam ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, præfectis declarationi dicti Concilij, & negotijs

Supradicta priuilegia, Cõfeſſarijs Regularibus olim conceſſa, abſoluendi à caſibus Epiſcopis ſpecialiter

ter reſeruatis, reuocata fuiſſe videntur, per Concil. Triden. et quando id ita nõ fuiſſet, nũc nouiſſime reuocata ſunt per Clement. VIII.

negotijs, cauſis ſiue conſultationibus, Epiſcoporum & Regularium, ex ſpeciali mandato & commiſſione, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Papæ VIII. neque eſt opus in præſentiarum edictum prædictum, ſiue conſtitutionem referre, cum loco præallegato habeatur expreſſe. Sed quod antea per dictũ Cõcilium, eiuſmodi priuilegia fuerint reuocata, conſtare videtur, ex illis verbis, quæ habentur *ſeſſ. 14. cap. 7.* vbi dicitur, *quod liceat Epiſcopis, quoad ſuos ſubditos, ſibi caſus reſeruare, & quod in mortis articulo, nullus eſt caſus reſeruatus, extra quem Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos iudices, pro beneficio abſolutionis accedant.* Ex quibus verbis, vt videtur, ſatis clare colligitur, quod Confeſſarij prædicti Regulares, iuxta dictum Concilium in caſibus Epiſcopis reſeruatis, etiam per ſua priuilegia, iam omnino nihil poterant, ſecluſo nouo quocumque edicto, ſiue Conſtitutione Clementis VIII. & declarationibus Illuſtriſſimorum Cardinalium. Qui in contraria ſunt ſententia & opinione, dicãt quod voluerint: nam ego hac in re, nullo modo poſſum eiſdem aſſentiri. Sed dicunt ipſi prædicta Concilij verba, eſſe intelligenda, tantummodo de Sacerdotibus & Confeſſoribus ſecularibus, non autem de Regularibus, debitè præſentatis, & ab Ordinarijs approbatis, de quibus ſpecialis atque expreſſa mentio fieri debebat: ſed hæc euaſio nihil facit ad propoſitum, & rationes quę ab illis adducuntur, fere nullius ſunt momenti, cum vt prædictum eſt, ex alio etiam nouo iure, nouiſque explicationibus, dicta priuilegia tot vicibus, etiam poſt Conc. Trid. maneant reuocata & annullata, & explicatũ atq; declaratũ, quod ea fuerit mẽs & intẽtio Concil. Trid. prædicti, nõ enim dixit Greg. XIII. aut Cardinales, dixerunt quod talia priuilegia reuocabant: ſed declararunt, quod per Conc. erant reuocata & annullata, hactenus de iſto Art.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliqua fuerint olim priuilegia, Confeſſarijs Regularibus cõceſſa, abſoluendi etiam a caſibus, Papæ & Summo Pontifici reſeruatis?

Hic etiam Articulus proponitur, vt omnium rerũ aliqualis habeatur notitia, & vt non hic quidpiam poſſit deſiderari. Cui & breuiter reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Aliqua erant olim Apoſtolica priuilegia, quibus cõcedebatur facultas, Confeſſarijs Regularibus, abſoluẽdi etiam à caſibus Papæ reſeruatis.

ALiqua erãt olim Apoſtolica priuiligia, quibus conceſſa fuit facultas, Confeſſarijs Regularibus, abſoluendi à caſibus Summo Pontif. reſeruatis. Pro hac concluſione facit, quoddam Breue Sãctiſſimi Domini Pauli III. datum Romæ apud S. Petrũ, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Iulij anno Domini 1545. Pontif. ſui anno 2. *Quo conceſſit Presbyteris Societatis Ieſu, vt quilibet eorum, ad ſecularium confeſſiones audiendas, per Generalem Præpoſitum approbatus & deputatus, audire poſſit quorumcumque vtriuſque ſexus fidelium confeſſiones, eiſdemque auditis, ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis ſuis peccatis, criminibus exceſſibus, & delictis, quantumcumque grauibus et enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluere, et à quibuſuis ex eiſdem caſibus reſultantibus ſententijs, cenſuris et pœnis Eccleſiaſticis, exceptis contenti. in Bulla Cœnæ Domini.* Refertur hoc breue ſiue priuilegium, in Compendio Societatis Ieſu, *verbo, abſolutio, 1.* Cuius reſcriptum authenticum, habetur (vt dicitur) Valentiæ in Collegio eiuſdem Societatis. Quo etiã vtebantur, ac vti & potiri olim poterant, omnes aliæ Religiones, priuilegium habentes communicationis. Præterea in Hiſpaniarum Regnis, cõſuetudine eſt poſitũ, vt quotannis concedatur Bulla Cruciatæ, qua ſemel in vita & iterum in mortis articulo, fit facultas abſoluendi à quibuſcumque caſibus, etiam Summo Pontifici reſeruatis, quæ quidẽ Bulla, nullatenus eſt reuocata in dictis partibus per dictam nouam conſtitutionem Clement. VIII. nam illa tantummodo loquitur, *de Confeſſoribus ſecularibus, ſeu Regularibus, per vniuerſam Italiam, extra Vrbẽ degentibus,* vt ſatis conſtat ex eadem. Sed difficultas hic moueri ſolet, an id fieri poſſit extra ſacramentum. Et omiſſis varijs dicendi modis, quod eiuſmodi abſolutio etiam extra ſacramentum fieri poſſit, ex iunioribus tenet Enriquez, lib. . de indulg. c. 13. littera T. afferens Commiſſarium Generalem dictæ Bullæ Cruciatæ, id ipſum expreſſe dixiſſe ac declaraſſe. Nec (inquit) obſtant verba in eadẽ poſita, *auditis eorum confeſſionibus, etc.* ex quibus videri poterat, quod non auditis confeſſionibus, id ipſum non valeant efficere: nam illa verba intelligẽda ſunt reſpectiue. Duo enim (inquit) concedunt ibi Pontifices, primo abſolutionem à peccatis, deinde à cenſuris. Horum primũ fieri non poteſt, niſi auditis eorum confeſſionibus, at vero ſecundum bene fieri poteſt etiam extra ſacramentum, verba enim priuilegiorum (inquit) intelligenda atque interpretanda ſunt ſecundum terminos iuris, vt tenet communis opinio. Quã de re videatur Soto in 4. diſt. 18. art. 5. Armilla, *verbo, excommunicatio,* §. 20. Ledeſm. 2. part. 4. quæſt. 29. art. 9. Emma. Roderic. 1. tom. Quæſt. Regul. quæſt. 61. art. 5. Quæ pro iſto articulo breuiter dicta ſufficiant.

Nota hoc valde, pro Hiſpaniarum partibus.

Difficultas. An abſolutio à caſibus reſeruatis, virtute Bullæ fieri poſſit, extra Sacramentum?

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per ſupradicta priuilegia olim, & nunc per Bullam Cruciatæ, in partibus quibus viget, Confeſſarij Regulares, abſoluere poſſint, nominatim excomunicatos, aut manifeſtum percuſſorem Clerici, in foro conſcientiæ?

Prima opinio.

HE re hac, duas etiam eſſe inuenio Doctorum opiniones. Prima dicit, quod virtute nullius priuilegij aut Bullæ Cruciatæ, Confeſſores Regulares abſoluere poſſunt, etiam in foro conſcientiæ, & multo minus in foro exteriori, nominatim excommunicatos,

tos, aut manifeſtũ percuſſorem Clerici: ſed quod eorum abſolutio, remitti debet ad iudices competentes, nempe ad eos, qui protulerunt excommunicationis ſententias. Hanc ſententiam tenent, in primis Collector priuile. Reg. *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 2. §. 19. *in fin.* & Couarru. *in cap. quamuis pactum*, 1. part, nume. 5. Ioannes etiam Gutierrez, in quæſtionibus canonicis, cap. 1. num. 1.

Secunda opinio.

Sed contrariam ſententiam, tenent alij grauiſſimi Doctores, & ex iunioribus tenet eam Medina, in ſua Summa Confeſſorum, 2. part. cap. 12. in fin. Ledeſma 2. etiam part. ſui 4. quæſt. 16. art. 1. dub. vltim. Nauar. lib. 5. Conſ. titu. de excommunicatio. conſil. 47. nume. 4. & 5. vbi allegat ſeipſum in Manua. cap. 27. num. 48. Et certe id colligi videtur, ex quodam Iubileo Pij Quinti dato olim, anno Domini 1568. 15. kalend. Nouem. Pontif. ſui ann. 3. vbi poſt alia in ſequentia verba prorupit. *Declarantes inſuper, tam præſentes, quàm alias quaſcumque conceſſiones, ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, à nobis et prædeceſſoribus noſtris hactenus emanatas, et in futurum quomodolibet emanandas, Chriſtifidelibus conceſſas, niſi ad earum effectum, in foro conſcientiæ, et pœnitentiali conſequendum duntaxat, non autem in foro fori et contentioſo (niſi ſatisfecerint) nullatenus ſuffragari.* Ex quibus verbis, niſi ſatis fecerint, à cõtrario ſenſu, videtur colligi, quod ſi ſatisfeciſſent, bene poterant abſolui. Quod etiam colligi videtur ex Concil. Trident. *ſeſſio. 25. de reformat. capit. 12.* vbi poſtquam dicitur, *quod excommunicati nominatim, ex quo fraudant decimas non abſoluantur, niſi plena ſequuta reſtitutione*, ex tali adiecta conditione, etiã à contrario ſenſu dicẽdũ apparet, quod eadem ſubſequuta, de mente Concilij, bene poſſunt abſolui. Addunt prædicti Doctores, ſupradicta habere locum, etiam in illis caſibus, in quibus pars non fuerit realiter ſatisfacta, præſtita tamen debita atque legitima cautione, de ſatisfaciendo, & maxime quando aliud omnino, propter inopiam, ſeu aliam ſimilem cauſam fieri non poteſt. Sed ego, in hac tantorum Doctorum controuerſia, nolo in præſentiarum iudicem agere, aut meam ſententiam ſtatuere, quin vero ambas opiniones, in propria cuius libet probabilitate relinquere, hoc ſolummodo cõtentus dixiſſe, & illas retuliſſe: nam hic tantummodo contendo, breuiſſimam rerum omnium, quæ à Doctoribus dicuntur, tradere cognitionem. Quapropter pro propoſiti articuli ſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Quælibet prædictarum opinionũ, eſt probabilis, et in ſua probabilitate relinquitur.

QVælibet prædictarum opinionum, probabilitatem habet, & ego in præſentiarum, earum nulli aſſentio aut diſſentio, neque volo repugnare aut contraire, propter Doctorum eaſdem ſuſtimentium dignitatem, & auctoritatem quammaximam, & fortiſſimas eorumdem rationes, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Solummodo hac in re, aduertere libuit, id quod quammagna conſideratione dignum eſt, vt quando quiſpiam virtute ſupradict. Bullæ Cruciatæ, in Hiſpaniarum partibus, ſeu in ijs quibus viget, fuerit abſoluendus, aut virtute alicuius priuilegij, ſiue Iubilei de nouo conceſſi, videatur qualiter ſatisfactio prædicta ſit præmittenda, aut cautio ſufficiens præſtanda, quid etiam ſit faciendum, in caſu quo læſus ſiue percuſſus, vt percuſſorem vexet, ſatisfactionem renuat, & qualiter iniuria ſit liquidanda, quãdo ſatisfactio altiorem requirit indaginem, & maxima cautela adhibẽda eſt pro foro exteriori. De quibus latiſſime agit ſupradict. Emman. Rodericus tomo 1. Quæſt. Regul. quæſt. 61. art. 8. & Nauarro vbi ſupra, oſtendentes qualiter à Confeſſarijs, ſit præbenda ſchedula, & inſtrumentum abſolutionis à ſe factæ, coram Notario & duobus vel tribus teſtibus, vt ne poſteà abſolutus, vexari poſſit à iudicibus. Qua etiam de re videatur Salzedo in additio. ad practicam Bernardi Diaz de Lugo, cap. 109. littera A. in fin.

ARTICVLVS VII.

Quid ſignificetur, per abſolutionem factam in foro conſcientiæ?

SItatiſſimum eſt in Bullis Cruciatæ, atque Iubileis, huiuſmodi clauſulam apponi, vt per ipſa abſoluatur quiſpiam, tantum in foro conſcientiæ, à quibuſcumque peccatis, cenſuris, &c. Cuius occaſione, non immerito quæritur in præſentiarum, quid per huiuſmodi verba, importetur & ſignificetur. Et præmiſſo, ex D. Iſidoro *in capit. forus, de verborum ſignificatione*, quod forus eſt exercendarum litium locus, à Fando dictus, ſiue à Foroneo Rege, qui primus dicitur, Græcis legem dediſſe, dico cum Præpoſitiuo, *in capit. præterea, el 2. de ſponſalib.* & cum D. Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 77. quod triplex eſt forus, alter contentioſus, alius pœnitentialis, quidam vero medius, & iſte dicitur forus conſcientiæ, qui quodammodo abſtrahit, ab vno & ab alio. Et vt hoc quod dicitur plenius innoteſcat, & ſupradicta omnia amplius explicentur, dico quod contentioſus forus, idem omnino pollet, ac forus exterior, quo quis ab Eccleſia ſiue iudice, ligatur ſiue abſoluitur. Pœnitentialis vero, eſt forus ſacramentalis, quando ſcilicet quis in ſacramento, ab aliquo peccato ſeu cenſura, ſacramentaliter etiam abſoluitur, ſiue ligatur non ſibi præſtita abſolutione. At conſciẽtiæ forus, medius inter vtrũque dicitur is, quo auctoritatem habens, ordinariam aut delegatam, ſiue ex priuilegio, quempiam abſoluit, non quidem ſacramentaliter, aut vero in foro contentioſo & exteriori, ſed tantummodo in foro conſcientiæ. Licet enim ſacramentalis & conſcientiæ forus, quibuſdam vnus & idem eſſe videatur, re tamen vera non ita eſt: nam abſolutio quæ conceditur in foro conſcientiæ tantum, poteſt fieri à Sacerdotibus, & à non Sacerdotibus extra ſacramentum, vt conſtat ex experientia, & communi vſu Eccleſiæ, quo multi interdum abſoluuntur, ab excommunicatione & à cenſuris, in foro conſcientiæ tantum, qualem abſolutionem dant, ac dare ſemper conſueuerunt Sacerdotes & non Sacerdotes, habentes iuriſdictionem, quales Vicarij Epiſcoporum multoties eſſe ſolent, at vero abſolutio, quæ conceditur in foro pœnitentiæ ſiue pœnitentiali, à ſolis Sacerdotibus Confeſſoribus fieri poteſt, & eiſdem ſolummodo conceditur,

Nota quidnã ſit forus, et quotuplex.

Nota hoc val de.

tur, poſtquam fieri non poteſt extra ſacramẽtum. Qua de re videatur Sylueſt. *verbo, abſolutio*, 1. num. 3. & Nauar. in Manua. cap. 27. nume. 41. Quibus ſic præmiſſis, propoſitæ difficultati, per ſequentes concluſiones reſpondetur.

Prima Concluſio.

Aliquem in foro conſciẽtiæ abſoluere eſt ipſum abſoluere, non quidem Sacramentaliter & ſimul cum peccatorum abſolutione, neque etiam coram Eccleſia, ſed tantummodo, vt abſolutio valeat coram Deo, in ſalutẽ animæ ipſius.

ABſoluere aliquem in foro conſciẽtiæ, eſt exercere poteſtatem, auctoritate ordinaria vel delegata, ex Bulla ſiue priuilegio, conceſſam circa ipſum, non quidem ſacramentaliter, & ſimul cum peccatorum abſolutione, neque etiam coram Eccleſia: ſed tantummodo, vt valeat coram Deo, in ſalutem animæ ipſius. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & ponitur à Sylueſt. & Nauar. locis ſupradictis, de qua videndus etiam eſt Couar. *in cap. alma mater, 1. part. §. 11. num. 6.* Vbi latiſſimè tradit, qualiter præfata abſolutio, licet fiat videntibus multis & coram pluribus, non propterea eſſe definit in foro conſcientiæ, poſtquam vt præſupponitur, non fit ſacramentaliter; neque cum ſtrepitu & figura iudicij, vt per ipſam tollatur ius tertij, & valeat in foro exteriori & contentioſo: ſed ſolummodo, vt anima quæ aliàs erat ligata, excõmunicationis ſeu alterius cenſuræ vinculo, maneat abſoluta coram Deo. Qui abſoluẽdi modus, frequentiſſimus eſt in Eccleſia, & in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* conceditur Epiſcopis, huiuſmodi facultas, abſoluendi à certis cenſuris, in foro conſcientiæ tantum. Circa quam abſolutionem hoc ſolummodo notandum occurrit, quod quamuis ſuperius dixerimus, huiuſmodi abſolutionem fieri poſſe, à Sacerdotibus & à non Sacerdotibus, ſi tamen per verba appoſita in Bulla, Iubileo, ſiue Priuilegio, præcipiatur expreſſe, vt fiat à Confeſſoribus, minime fieri poterit ab alijs, qui non ſint Sacerdotes, quod eſt valde notandum atque memoriæ cõmendandum.

Secunda Concluſio.

In hac abſolutione, quæ eſt in foro conſcientiæ tantum, non eſt neceſſe, vt Sacerdotes aliquibus ceremonijs vtantur.

IN hac abſolutione, quæ fit in foro conſcientiæ tantum, non eſt neceſſe, vt Confeſſores Sacerdotes, ceremonijs vtantur, quibus de iure abſoluẽdi ſunt, qui aliqua de cauſa innodati extiterũt, vinculo excommunicationis. Hæc etiam concluſio, eſt certa & manifeſta, & quia contrarium quibuſdam faciendum videbatur de iure, hac de re nos Minores Fratres, ſpecialem habuimus cõceſſionem, factam à Leone X. quæ habetur in Supplement. fol. 59. conc. 174. & refertur in Comp. *verbo, abſolutio quoad ſe ſolares*, 1. §. 13. vbi dicitur, *quod Fratres Minores, qui audiunt confeſſiones, abſoluendo in foro conſcientiæ excommunicatos, non teneantur ſeruare formam & ſolemnitatem, quæ obſeruatur in publici. abſolutionibus, ſcilicet flagellationem cum Pſalm. Miſerere mei, &c.* De qua forma abſoluendi, videatur Nauar. in Manua. cap. 26. num. 9. vbi inquit, quod licet prædictus abſoluendi modus, regulariter ſit ſeruandus poteſt tamen prætermitti, etiam ſine priuilegio, quando commode fieri non poteſt, & quod abſolutio aliter facta tenet. Quod & ſæpiſſime fit in Religionibus, vbi apoſtatæ occultiſſimi, à Prælatis diſcretis, occulte etiam abſoluuntur, ab excommunicatione incurſa propter apoſtaſiam, quãuis publici & manifeſti, coram tota communitate, manifeſte etiam & publice abſoluantur, cum flagellis & alijs contentis in ſolemni forma, abſoluendi ab excommunicatione.

ARTICVLVS VIII.

Qualiter ſe gerere debeant, circa Sacramenta, & alia, qui abſoluti ſunt in foro conſcientiæ tantum?

Concluſio.

Abſolutus ab excommunicatione, in foro conſcientiæ tantum, ita ſe debet habere, ac ſi omnino iniuſte, in foro exteriori eſſet excomunicatus.

ABſolutus ab excommunicatione, in foro conſcientiæ tantum, ita ſe debet habere erga ſacramenta & alia, ac ſi omnino iniuſte, in foro exteriori eſſet excõmunicatus. Hanc concluſionem tenet expreſſe Soto in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. art. 3. & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 3. & 38. & Couar. *in cap. alma mater 1. part. §. 9. num. 7.* vbi & Doctores iſti latiſſime tractant, de differẽtia quæ verſatur, inter excommunicationem iniuſtam, & omnino nullam. Quarum prima licet iniuſta, valet tamen regulariter, quantum ad forum exterius, & eius virtute tãta fit exe cutio, ac ſi eſſet iuſta, *iuxta cap. cum inter, de re iudicata, & l. res iudicata. ff. de regulis iuris*, ob quod D. Gregor. cap. 1. 11. quæſt. 4. dixit eſſe timendam. *Sententia Paſtoris* (inquit) *ſiue iuſta ſiue iniuſta, timenda eſt.* At vero ſecunda, hoc eſt illa quæ eſt nulla, nullatenus eſt timenda, maxime ſi ſit nulla, ex defectu cauſæ ſiue iuriſdictionis. Qua ratione Caietan. in tractatu 10. quæſt. 2. de effectu excommunicat. dixit ſupradictam excommunicationem iniuſtam, ob prædictas cauſas, non eſſe proprie excommunicationem, ſicuti neque homo mortuus, eſt proprie homo, quod & probat ac multis contẽdit oſtendere Nauar. loco ſupracitato, cap. 27. numer. 3.

De differentia quæ verſatur, inter excomunicationem iniuſtã, & omnino nullam.

Ad propoſitam ergo noſtram concluſionem reuertendo, Dico quod qui in foro conſcientiæ tantummodo, eſt abſolutus ab excommunicatione, perinde ſe debet habere, ac ſi omnino iniuſte eſſet excommunicatus in foro exteriori. Poterit enim celebrare, & quamuis publice celebret, etiam cum ſcandalo, etſi peccet propter ſcandalum, in foro tamen interiori, non remanebit irregularis, quamuis in foro exteriori, ſtando in rigore iuris, vt irregularis dijudicetur. Huius rei ratio eſt (inquit Nauar.) nam publicitas facti, & multorum ſcandalũ, non ſunt iuſta cauſa, ratione cuius quis irregularis efficiatur, neque irregularitas contrahitur, niſi tantummodo propter cauſas in iure expreſſas. Quo fit, vt qui ſemel in interiori foro, ab excommunicatione fuerit abſolutus & liberatus, celebrando nullatenus irregularis efficiatur in foro interiori, quin vero nec in exteriori (ſecundum æquitatem) adeo vt ſi iudici conſtaret, ipſum fuiſſe in interiori foro abſolutum, nullatenus eũdem deberet, vt irregularem tractare aut cõdemnare, propterea quod ſic celebrauit, maxime ſi ſine ſcãdalo id fecit. Qua de re videatur Nauar. loco ſupracitato, cap. 27. num. 43. & Simãcas & Catholic. inſti-

Nota hoc valde.

inſtitution.cap.47.num.79. vbi latiſſime hac de re agunt,explicando & dicendo,qualiter circa ſacra & diuina, & exteriorem hominum communicationem,ſe gerere & habere debeat, is qui in foro conſcientiæ & interiori, abſolutus fuerit ab excommunicatione.

ARTICVLVS IX.

Quid importetur per abſolutionem,quæ communiter dicitur, à culpa & à pœna?

Nota quod culpa,eſt quid diſtinctum à pœna,ſibi correſpondente,nec ſemper tota remittiturpœna remiſſa culpa.

HAec difficultas proponitur, ad explicanda quædam verba,poſita in Clementi. 1.*de priuileg.& exceſsibus priuilegiatorum*, quæ incipit,*Religioſi*, vbi *excommunicantur & excommunicationis ſententia innodatos eſſe,ipſo facto dicuntur,qui quempiam à culpa & à pœna præſumpſerint abſoluere, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſoluendi.* Pro cuius intelligentia oportet præmittere, quod culpa quæ peccando committitur, ſecundum omnes & in rei veritate,eſt quid diſtinctum à pœna eidem correſpondente, imò verò culpa, per pœnitentiam, ſeu cõtritionem remiſſa,adhuc pœna remanet,in hoc vel in futuro ſeculo ſoluenda.Nam per abſolutionem ſacramentalem,ſolum modo pœna æterna,in temporalem commutatur, quæ temporalis pœna,exoluenda eſt, vel in præſentivita per pœnalia opera,aut in futuro ſeculo, in Purgatorio,ſcilicet,vel per indulgentias, &c. Ad quod quidem propoſitum, ex communi conſenſu Eccleſiæ, habetur ac dicitur eſſe Purgatorium,qui locus quidam eſt,vbi fideles ex hac vita in gratia decedentes, ſine plena atque perfecta peccatorum ſuorum ſatisfactione, peccatis purgãtur, hoc eſt,pœnis pro peccatis debitis,quibus non ſatisfæcere,& ab alijs fidelibus iuuantur,eorum ſuffragijs ſiue indulgentijs,quæ interdum defunctis conceduntur, ſeu pro eiſdem lucrantur. Ex dictis conſtat, quantum diſtet culpa à pœna, quodque pœna, non tota ſemper cum culpa,remittitur per contritionem,neque etiam per ſacramẽtalem abſolutionem:ſed aliqua interdum pars remanet, hic vel in futuro ſeculo exoluenda. Quibus ſic præmiſſis, facile eſt nunc intelligere, quid importetur, per abſolutionem quæ eſt tantũ à culpa, & abſolutionem, quæ eſt ſimul à culpa & à pœna, id quod & planius fiet, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Tunc quis dicitur abſolui à culpa et à pœna,quando non ſola ſibi remittitur culpa, verum etiam et pœna quæ remanebat in hoc, vel futuro ſeculo ſoluẽda.

TVnc quis plenarie abſolui dicitur, à culpa & à pœna,quando debite diſpoſitus, Pontificia auctoritate,applicando illi ex theſauro Eccleſiæ,Chriſti Domini,& Sanctorum merita,non ſolum abſoluitur ab omni culpa,verum etiam & remittitur, atque condonatur ei omnis pœna ex peccato remanens,quæ in præſenti vel futuro ſeculo erat ſoluenda. Supradictæ concluſionis vera atque perfecta intelligentia, expoſcebat, vt hic aliquid diceretur, de Eccleſiæ theſauro, & eiuſdem debita diſpenſatione, quæ auctoritatiue fit per Romanum Pontificem, & per Epiſcopos, ſeu alios qui ex ipſius conceſſione concedere poſſunt indulgentias. Sed hæc proprium habent locum,& maiorem requirunt diſputationem,de quibus proinde dicere,in præſentiarũ nõ eſt in votis. Pro nunc dixiſſe ſufficiat, quod quandoq; in Bullis, Iubileis, ſiue priuilegijs, traditur huiuſmodi facultas & poteſtas,& ea qui debite vtitur,in nullam incidit pœnam,neque de eo intelligenda eſt Clementina prædicta. Iuxta quam, tunc quis abſolui dicitur,à culpa & à pœna,quando(nullo excepto caſu)omnis ſibi per pœnitentiam culpa remittitur,ac ſimul condonatur omnis pœna.Quod quidem non ſemper fit,ſed cum expreſſe à Superioribus,auctoritatem habentibus id conceditur, claue non errante,alias enim pœna ex culpa prouenies ſeu remanens, hic vel in futuro ſeculo, nempe in purgatorio,venit luenda atq; ſoluenda. Quando igitur Confeſſores Regulares, iuxta auctoritatem & poteſtatem ſibi conceſſam, recte ſuo funguntur munere & officio, bene faciunt, & vt dixi,in nullam incidunt excommunicationis pœnam, neque de illis loquitur Clement. At quia olim indiſcreti quidam Sacerdotes, & Regulares Confeſſores, forſan quæſtuarij & lucri cauſa,indifferenter præfatas abſque auctoritate, & debita poteſtate, concedebant indulgentias, ideo per Clement.V.appoſita fuit excommunicatio ſupradicta,in dicta Clementina, qua vt videre licebit, excommunicantur,doloſe atque illicite præſumẽtes abſoluere prædicto modo, vt dicitur à culpa & à pœna.Videatur Gloſſ.ibidem & Emmanuel Rodericus 1.tom.Quæſtionum Regular.quæſt.61. art.12.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Religioſi ſiue Regulares, ſimplices dumtaxat Sacerdotes, abſoluentes ab excommunicatione minori,incidant in excommunicationem maiorem, poſitam in ſupradicta Clement.1.de priuileg.contra abſoluentes ſine auctoritate ab excommunicatione?

Nota quodcumque à peccatis mortalibus poteſt abſoluere, poteſt etiam et à minori excommunicatione.

PRo huius articuli intelligentia, oportet præmittere, quod ſecundum *Clement.Dudum, de ſepulturis*, Regulares à ſuis Prælatis expoſiti, & ab Epiſcopis approbati,ad audiendas ſecularium confeſſiones, poſſunt proculdubio abſoluere, ab excommunicatione minori iuris,virtute delegationis, ibidem ſibi factæ,qua ſibi permittitur,vt ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrent.Nam in omni opinione,quicumque à peccatis mortalibus poteſt abſoluere, poteſt & à minori excõmunicatione.Qua de re videatur Sylueſt.*verbo,excommunicatio,7.num.37.et verbo.abſolutio,1.num.3.* & Nauar.in ſuo Manua.capit. 27.num.26.Sed difficultas eſt de Religioſo ſimpli-

ci

ci Sacerdote, à Prælato non expoſito, neq; ab Epiſcopo Ordinario approbato, vt audire poſſit ſecularium confeſſiones, an hic cum iuriſdictionem non habeat, ad abſoluēdum ſeculares à peccatis, poteſtatem habeat, ad abſoluendum ab excommunicatione minori?

Duæ hac dere opiniones.

Qua de re ſunt duæ opiniones, quidam tenent, quod quilibet ſimplex Sacerdos, facultatem habēs abſoluendi à venialibus, illam etiam habet, abſoluendi ab excommunicatione minori, qui ex conſequenti tenentur dicere, quod ſimplices Sacerdotes Regulares, à prædicta excommunicatione minori abſoluentes, in nullam incidūt excommunicationem. Hanc ſententiam tenet Nauarr. in Manua. cap. 27. num. 25. vbi inquit, quod quilibet ſimplex Sacerdos, etiamſi non ſit Parochus, ſicut poteſt abſoluere à peccatis venialibus, non habentem mortalia, ita etiam poteſt abſoluere à minori excommunicatione, quod & efficaciter contra Caietan. probat, *in cap. placuit, de pœnit. d. 6.*

Sed alia eſt opinio Caietani ſupradicti, in ſumma, *verbo, excommunicatio*, aſſerentis, ſimplicem Sacerdotem, & eum qui à venialibus poteſt abſoluere, niſi auctoritatem & poteſtatem habeat, abſoluendi etiam à mortalibus, non poſſe abſoluere ab excommunicatione minori. Ex qua opinione atque ſententia, dicendum perinde videtur, quod Regularis ſimplex Sacerdos, ſine auctoritate & poteſtate, abſoluens à dicta excommunicatione minori, incidit in maiorem, latam in ſupradicta Clementina, contra abſoluentes ſiue præſumentes abſoluere, ſine auctoritate ab excommunicatione. Ex his opinionibus, hæc vltima quamuis rigoroſa, ſtando in puncto iuris Clementinæ ſupradictæ, verior atque tenenda videtur. Pro qua & ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Regularis ſimplex Sacerdos, ſine legitima auctoritate & poteſtate, abſoluens ab excōmunicatione minori, incidit in maiorē poſitā in Clementin. 1. de priuilegijs.

REgularis ſimplex Sacerdos, auctoritatem & poteſtatem non habens, abſoluendi à peccatis mortalibus, neque ad id per Prælatum expoſitus, aut ab Epiſcopo Ordinario approbatus, ab excommunicatione minori abſoluens, incidit in excommunicationem maiorem, poſitam in ſupradicta Clementina.

Hanc ſententiam & opinionem tenet Geminian. *in cap. vnico de his, quæ vi metus ve cauſa, libro. 6. in fin.* quam & probat hac ratione: nam in dicta Clementina, ſimpliciter & abſolute, prohibetur prædictis Religioſis, ne ſine licentia & auctoritate, ab excommunicatione abſoluant, & contrariū facientes excommunicantur, excommunicatione maiori, nec diſtinguitur ibi aut fit ſermo, de maiori excommunicatione vel de minori: ſed excommunicatio ſimpliciter ſumpta, ſtando in terminis iuris, atque dicitur de maiori atque minori: ergo vbi ius non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus, ex quo proinde ſequitur, quod Religioſi ſupradicti, incidunt in ſupradictam excommunicationem maiorem. Quæ ſententia & noſtra concluſio, confirmari poteſt ex eo, quia non deſunt viri doctiqui dicant, eos qui ex Regularibus (vt præmittitur) à peccatis poſſunt abſoluere, vtpote ab Epiſcopis approbati, etiam in eandem incidere, ab excommunicatione abſoluendo, niſi ad hoc ſpeciale habeāt priuilegium. Nam priuilegia communiter Regularibus cōceſſa, niſi aliud exprimatur, tantummodo intelliguntur, de audiendis ſeculariū confeſſionibus, & de abſoluendo ipſos à peccatis, non vero ab excommunicationibus, &c. Quod eſt multum notandum ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm Confeſſarij Regulares, vbi publicatur Bulla Cruciatæ, virtute ſuorum priuilegiorum, antequàm reuocarentur, quoad abſolutionem à caſibus Papæ & Epiſcopis reſeruatis, ſeculares non habentes ipſam, à cenſuris & caſibus reſeruatis poſſent abſoluere?

DIfficultas hæc, in præſenti tempore, iam non habet locum, maxime in Italiæ partibus, cum priuilegia quantum ad abſoluendum à cenſuris & caſibus reſeruatis, vt ſupradiximus, iam omnino fuerint reuocata, neque eis vti poſſimus: ſed quia poterunt iterum concedi, non ab re viſum eſt illam mouere. Quæ quidem quæſtio, vt videtur, magis conſiſtit in facto, quā in iure, atq; ex alia difficultate dependere, an ſcilicet per præfatam Bullam Cruciatam, in partibus vbi habetur & publicatur, circa non ſumentes ipſam, reuocata ſint omnia priuilegia, Religionibus & earum alumnis, pro abſoluendis ſecularibus conceſſa. Qua de re, inter Doctores antiquos atque ſuniores, prædictæ Bullæ Cruciatæ expoſitores, magna lis eſt & controuerſia & duæ verſantur opiniones.

Duæ hac de re opiniones.

Quidam enim dicunt, priuilegia omnia pro abſoluendis ſecularibus, non habentibus Bullam Cruciatæ, per eandem eſſe ſublata & reuocata. Quod & probant ex illis verbis, quibus in eadem dicitur, *quod per eam non ſuſpenduntur gratiæ, conceſſæ Superioribus Ordinum Mendicantium, quantum ad eorum Fratres ſolummodo.* Ex quibus verbis à contrario ſenſu, colligunt prædicti Doctores, quod conceſſæ quoad abſolutionem ſeculariū (& idem dicunt quoad diſpenſationem, & commutationem votorum) per dictam Bullam ſuſpenduntur, & quod quantum ad non habentes illam, omnino ſunt ſublatæ & reuocatæ.

Prima opinio

Alij vero in contraria ſunt opinione & ſententia, aſſerentes, quod ſupradicta priuilegia, olim conceſſa Confeſſoribus Regularibus, Ordinum Mendicantium & aliorum, ad abſoluendum ſeculares à cenſuris & caſibus reſeruatis (caſu quo non fuiſſent reuocata, ſeu in partibus, in quibus non ſunt reuocata) non ſunt per ſupradictam Bullam ſuſpenſa, aut reuocata, neque etiam conceſſa, ad diſpenſandum ſeu commutandum ipſorum vota. Nam licet vt videtur, concedantur perſonis, non tamen conceduntur ipſis, vt perſonis ſingulari-

Secunda opinio.

laribus & particularibus: ſed vt perſonis prædictorũ Ordinum profeſſoribus, quibus Ordinibus Sedes Apoſtolica voluit præfata priuilegia, fauores & gratias impertiri. Vnde (inquiunt) potius ſunt ac cenſeri debẽt, priuilegia realia, quam perſonalia, & dictis Ordinibus magis, quam ſingularibus perſonis conceſſa, ac proinde per ſupradictam Bullam non eſſe reuocata. Ex his duabus opinionibus, quamuis vtraque congruum fundamentum habeat, nec ſua probabilitate careat, ſecunda tamen eſt fauorabilior, & etiam videtur probabilior, de qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Quando Regularium priuilegia, quantum ad abſolutionem à caſibus reſeruatis, non erant reuocata, Confeſſarij Regulares, virtute ſuorum priuilegiorũ, bene poterant, ſeculares à caſibus reſeruatis abſoluere, prout eiſdem fuerat cõceſſum, quamuis & ipſi nõ haberẽt Bullam Cruciatam.

QVando Regularium priuilegia, quantum ad abſolutionem à caſibus reſeruatis, reuocata non erant, Confeſſarij Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, bene poterant abſoluere, ſeculares à cenſuris & caſibus reſeruatis, & in ipſorum votis diſpenſare, ſeu ea commutare, prout in priuilegijs ſibi fuerat conceſſum, quamuis & ipſi non haberent Bullam, quæ dicitur Cruciata. Hæc concluſio fundatur in adductis, pro ſupradicta ſententia & opinione, & præterea quia omnes facultates & gratiæ, quæ in dicta Bulla Cruciata, cõceduntur perſonis particularibus, vt latiſſime, probat Nauar. lib. de indulg. notab. 28. nume. 13. & 14. quod & exinde poteſt colligi: nam in ſuſpenſione indulgentiarum, quæ habentur in eadem Bulla, dicitur quod pro accipientibus eam reualidantur, & certum eſt, quod perſonæ ſingulares & nõ Monaſteria aut Conuentus, ſunt qui dictas Bullas accipiunt: ergo ſicut in ea non conceduntur priuilegia, niſi perſonalia & ſingularibus perſonis conceſſa, ita nec ſuſpenduntur, niſi conceſſa eiſdem ſingularibus perſonis, non vero conceſſa Monaſterijs ſiue Religionibus: nam hoc neceſſarium erat exprimere. Vt enim tradit Nauar. vbi ſupra, notabil. 36. in generali priuilegiorum reuocatione, non includuntur priuilegia conceſſa Religionibus, niſi hoc expreſſe dicatur, neque in generali ſuſpenſione, ſuſpenduntur priuilegia Ordinibus & Religionibus conceſſa, niſi id etiam exprimatur expreſſe. Ex quo conſequenter colligitur, quod poterant olim Confeſſarij ſupradicti, ſeculares à cenſuris & caſibus reſeruatis, virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere, & cum ipſis diſpenſare, necnon eorum vota commutare, iuxta tenorem eorumdem, etiamſi neque ipſi Confeſſores nec pœnitentes, haberent Bullam Cruciatam, ſiquidem huiuſmodi priuilegia, quoad hoc fuerunt realia, non vero perſonalia, Religionibus & Ordinibus ſiue Monaſterijs, nõ autẽ ſingularibus perſonis cõceſſa, licet ſecus appareat, nec per Bullã Cruciatã (vt dictum eſt) vllomodo cenſentur reuocata aut ſuſpenſa, quamuis exinde commodum & vtilitas, non parua, ſed magna, perſonis particularibus reſultet. Neque ſupradictis obſtat, quod dicitur in eadem Bulla, nempe quod ſuſpenduntur facultates & gratiæ, conceſſæ Monaſterijs, Confraternitatibus, atque Hoſpitalibus, &c. quæ videntur eſſe priuilegia realia, & non perſonalia, & nihilominus ſuſpenſa dicuntur, & pro non ſumentibus Bullam reuocata: nam dici poteſt, quod in dictis verbis, ſolummodo fit mentio, & ſuſpenduntur ſeu reuocantur indulgentiæ, quas lucrantur ſeculares, viſitando dicta Monaſteria, & Confratres ſupradicti, ſeu alij inſeruiendo Hoſpitalibus, ſeu aliquid aliud agendo, ſecundum eorum Apoſtolicas Conſtitutiones, quarum reſpectu priuilegia ſupradicta, ſunt perſonalia & non realia, ſecus eſt autem de alijs conceſſis Ordinibus ſeu Religionibus, ad abſoluendum, diſpenſandum, ſiue commutandum, &c. Hæc omnia hic afferre libuit, pro maiori Confeſſorum Regularium inſtructione, ſi quando forſan, ſupradicta priuilegia iterum concedantur, alias enim hoc parum, vel nihil facit ad propoſitum.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Confeſſarij Regulares, audientes ſecularium confeſſiones, ſi habeant priuilegium, teneantur pœnitentes à caſibus reſeruatis ſibi confeſſis, neceſſario abſoluere?

Duæ hæc de re ſunt opiniones.

VT video, hac de re, duæ circumferuntur opiniones. Quidam enim dicunt, non teneri Confeſſarios Regulares, pœnitentes ſibi confeſſos abſoluere, à cenſuris & caſibus reſeruatis, quamuis ad id Cruciatam Bullam, priuilegium, aut auctoritatem habeant, imò verò poſſunt & debent, in grauioribus criminibus, ipſos ad proprios Ordinarios remittere. Hanc ſententiam, tenuit olim Pater Frater Angelus de Clauaſio, cuius eſt inſigne illud opus, Summa Angelica communiter nuncupatum, vt habetur in Supplemento, folio 97. & refert Collector priuileg. *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 2. §. 13. Eãdem tenuit etiam olim, Emmanuel Rodericus, in Explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 144. neque ab ea recedit in ſuis Quæſtionibus Regularibus, tomo 1. quæſt. 91. art. 15. vbi hac de re agit. Et probari poteſt hæc ſententia, per ea quæ notantur & traduntur à Doctoribus *in cap. nuper, de decimis*, vbi habetur, quod priuilegio poteſt quis renuntiare, reſpectu iuris tangentis ſeipſum. Vnde & Panormitan. *in capit. ſi de certa, eodem titulo*, inquit, liberum eſſe cuilibet, renunciare priuilegio ſuo, reſpectu iuris tangentis ius ipſius renuntiantis, modo non tangat ius Superioris aut tertij. Cũ igitur priuilegia ſupradicta, tangãt ius proprium, Confeſſariorum Regularium, non vero pœnitentium, aut ſaltim non ius ipſis iam quæſitum, ſed quærendum, diſpenſandum atque diſtribuendum, per Confeſſarios ſupradictos, dicendum videtur, quod Confeſſarij prædicti, non tenentur nec obligantur, ad abſoluendum ſeculares ſibi confeſſos, & pœnitentes, à cenſuris & caſibus reſeruatis, etiamſi habeant Bullã, ſeu auctoritatẽ in idipſum: ſed poſſunt ipſos ad ſuos proprios Ordinarios remittere, non ſolum pro diſpenſationibus, verum etiam & pro abſolutione, à peccatis grauioribus quam maxime.

Nota quod licitum eſt cuilibet, renunciare priuilegio tangenti ius ipſius particulare, modo non tãgat ius cõmune.

Sed

Sed alia eſt aliorum opinio, contrarium omnino tenentium, & aſſerentium Confeſſarios prædictos, omnino teneri ad exercendum ſuum munus & officium, ex quo habuerint priuilegium, maxime ſi audierunt iam ipſorum ſecularium confeſſiones, & non exiſtente iuſta & rationabili cauſa, ſine culpa non poſſe eoſdem, remittere ad ſuos ſuperiores. Quæ opinio, quia magis placet & arridet, & rationi atque æquitati videtur cõformior, pro ea ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Confeſſor Regularis, abſolutè tenetur, eum quem de cõfeſſione audiuit, ſi poteſt, & adiá auctoritatem habet.

QVi Regularis Confeſſor, audiens alicuius ſecularis confeſſionem, cum poſſit ipſum abſoluere, ſeu cum ipſo diſpenſare, aut ipſius vota commutare, quia nempe Bullam, ſeu legitimum priuilegium habet, auditis ipſius peccatis, ad ſuũ remitteret Superiorem, ſine iuſta & legitima cauſa, iniuriam proculdubio illi irrogaret, & peccaret ad minus venialiter. Hanc concluſionem tenet Enriquez, libro ſeptimo de indulgent. capite 28. numero ſecundo, littera T. & Nauarro in Manuali, præludio nono, numero 12. allegans Caieta. 1.2. quęſtione 96. articulo quinto, & placet grauiſſimis Doctoribus. Et ratio ipſius in promptu eſt: nam licet, vt dicit contraria opinio, proprio priuilegio renuntiare quiſpiam poſſit, non tamen in caſu, quo id vergit in prędudicium alterius, vt in proposito exẽplo contingit. Nam poſtquã Confeſſor, pœnitentis peccata in confeſſione audiuit, ac permiſit eundem confuſionem pati, iniuriam illi proculdubio faceret, ſi ipſum cum poſſit nõ abſoluat, aut cum eo diſpenſet, & faciat libenter omnia quæ poteſt, hoc enim eſſet cogere prædictum pœnitentem, cum ipſius confuſione & verecundia, bis propria peccata confiteri, quod grauamen eſt, & iniuria non parua. Sed præterea, in eo iniuria etiam irrogaretur, eidem Pœnitentiæ ſacramento, poſtquam ex tali abſolutionis denegatione, quod iuxta ſententiam Chriſti Domini, iugum ſuaue eſt & onus leue, graue nimis & onerosum efficeretur ſeu fieri videretur aliquibus, ex prędicta cauſa. Qua ratione reſolutiue dicendum eſt, quod Confeſſores Regulares, non debent cogere pœnitentes, bis peccata ſua confiteri, ſed ipſos cum poſſunt abſoluere, iuxta ſua priuilegia, ſi illa habuerint, aut ſi illi habeãt Bullam Cruciatam: nam ex quo ipſorum audiunt confeſſiones, & ipſi ſe exponunt ad eaſdem audiendas, & ab Epiſcopis in idipſum approbantur, iam ipſi pœnitentes habẽt, quaſi ius quæſitum vt ipſos abſoluant, nec ſine iuſta & legitima cauſa, eoſdem remittant ad Superiores.

QVAESTIO. XLVII.

De Confeſſarijs Regularibus, quantum ad facultatem diſpenſandi cum ſecularibus, in impedimentis & votis, aut vota ipſa commutandi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Confeſſores Regulares, per Prælatos ſuos expoſiti, atque ab Epiſcopis approbati, ad petitionem debiti, cum inceſtuoſis ſecularibus, poſsint diſpenſare?

Quidnam ſit inceſtus?

RO huius articuli intelligentia, oportet, primo præmittere breuiter quid ſit inceſtus. Et dico cum Magiſt. Sot. in 4. diſtinct. 37. quæſt. vnica, art. ſecundo, quod quamuis inceſtus generali ſignificatione, idem polleat, quod pollutio, & inceſtare idem quod polluere (dicitur enim à ceſtu, quod erat Veneris cingulum, quo Marti lumbos ſuccinxit, eum quaſi conſtringens, vt fidẽ thori ſeruaret eidẽ,) quo fit, vt in rigore loquẽdo, quodcumque adulterium, quo thorus coniugalis polluitur ſiue maculatur, congruentiſſime dici inceſtus poſſit, tamen ex Eccleſiaſtico vſu, prædictũ nomen tractum eſt, ad ſignificandum pollutionem conſanguineæ, vel vxoris & ipſius conſanguineę, intra quartum gradum, ſecundum ius antiquum, de quo plura reperiuntur capitula in iure, *capit. 1. & 2. & cap. tranſmiſſæ, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, & cap. veniens, cap. ex litteris, 32. quæſt. 7. cum alijs ſequentibus.* De hoc inceſtu, & ipſius impedimẽto, magna eſt lis & controuerſia inter Doctores, an oriatur ex quolibet coitu cum conſanguinea, an vero ſolummodo, ex coitu viri cum conſanguinea propriæ vxoris, ſiue è contra? De qua quæſtione videatur Soto loco ſupracitato, in vltimo dubio, & Nauar. in Manua. cap. 22. num. 75. ſed verior atque communior eſt opinio, aſſerentium huiuſmodi inceſtum, ſolummodo oriri (quantũ ad effectum non perendi debitũ) ex coitu viri cum conſanguinea vxoris ſuæ, vel è contra. Sed quidquid de hoc ſit: nam hoc maiorem atque longiorem requirebat diſputationem, omnes Doctores conueniunt in hoc, quod in tali inceſtu & in ipſius impedimento, poſt matrimonium contractum, Epiſcopi diſpenſare poſſunt, vt tenent ſupradicti Sot. & Nauarro, idquod & facere debẽt, quam maxime vbi periculum ſubeſt incontinentiæ, *per ca. antiqui, c. in adoleſcentia, 34. q. 2. & capit. ex literis, el 1. de eo qui cognouit*

In impedimẽto inceſtº poſt matrimoniũ contractum, diſpenſant Epiſcopi.

cognouit consanguin. vxor. suæ. Qua de re videatur Paludan. in 4. dist. 34. quæst. 1. & D. Antoninus, 3. parte, tit. 1. cap. 15. §. 4. & alij, quos refert, & citat Nauar. vbi supra.

Episcopus facultatem faciens Regularibus, ad absolvendũ à casibus sibi reservatis, non perinde eam cõcedit, ad dispẽsandum in impedimentis.

Secundo præmitto, estque hoc quammaxime notandum, ex eodem Nauarro in prædicto Manuali, cap. 16. numero 30. & cap. 27. numero 252. quod quamuis Regularibus, auctoritas Episcoporum interdum concedatur, vt dispensare possint in casibus Episcopis reseruatis, non tamen intelligitur facultas concessa, per illa generalia verba, ad dispensandum cum supradictis incestuosis, aut cum ijs qui ante matrimonium contractum, votum castitatis emiserunt, vt possint petere debitum. Et ratio est, quia quãuis (vt præmittitur) hoc Episcopi facere possint, vt tenet communis opinio, non tamen proprie isti sunt, aut dici debent Episcoporum casus, sed impedimenta, & aliud est iudicium de casibus, aliud vero de impedimentis. Quod vel ex hac vnica ratione patet: nam quando priuilegia & concessiones, de prædictis mentionem faciunt, nõ vocantur casus, sed impedimenta, & extendere vnum ad alterum, vt tenent grauissimi Doctores, non videtur tutum neque securũ, quid quid alij dicant, qua de re videatur Emmanu. Rodericus in explicatione suæ Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 134.

His igitur sic præmissis, quod modo in præsentiarum quæritur, est an Confessarij Regulares, per Prælatos expositi, atque ab Episcopis approbati, quò possint secularium confessiones audire, virtute suorum priuilegiorum, si reuocata non extitissent, dispensare possent cum his incestuosis, in impedimentis, causa carnalis copulę, mariti cum cõsanguinea vxoris suæ, aut consanguinei mariti cũ vxore sua, intra quartum gradum? Cui difficultati respondeo per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Si non fuissent reuocata aliqua erant olim priuilegia, per quæ Confessarij supradicti, quantum ad petitionem debiti, dispensare poterant cum his incestuosis, super impedimento ad petitionẽ debiti.

SI non fuissent reuocata, aliqua erant olim priuilegia, per quæ Confessarij supradicti, quantum ad petitionem debiti, dispensare poterant cum his incestuosis. Hæc conclusio apponitur, vt dictorum priuilegiorum aliqualis habeatur notitia, neque aliter potest probari, quam referendo ipsa. Et in primis adducitur, hac de re priuilegiũ quoddam Martini Quinti, olim cõcessum Fratribus Benedictinis, & postea explicatum, declaratũ, ac de nouo confirmatum, à Iulio Secundo eisdem, cuius fit mentio, in Monumentis Ordinis prædicti, *verbo, dispensatio, pagina* 45. Sed nouissime nos Minores Fratres, ad hoc habuimus speciale quoddam viuæ vocis oraculum, factum à Pio Quinto Patri Fratri Ioanni de Aguilera, in Romana Curia, olim Commissario generali, anno Domini 1579. 27. die Septemb. quod habetur authenticum in nostro Conuentu Aracæli, in Archiuio dicti Commissarij, est que tenoris sequentis. *Sanctissimus Dominus Noster Pius Quintus concesit, quod Fratres Confessarij Ordinis Minorum, si sint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commissione Prouincialis, dispensare possint, in foro conscientiæ tantum, ad petendum debitum, cum his qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis, post matrimonium carnaliter cognouerunt.* Supradictum etiam viuæ vocis oraculum, refertur à Collectore priuilegiorum Societatis Iesu, *titulo dispensatio*, §. 8. & à Veracruce, in suo speculo coniugatorum, articulo 21. de impedimento incestus, & de eo mentionem facit Palacios, in 4. distinctione 22. disputatione secunda. Quod quidem priuilegium, sicuti & cætera similia iam est reuocatum, credidi rim tamen, propter animarum periculum, conueniẽs haud fuisse reuocari, quin vero vt de nouo cõcederetur, vt congruum haberetur remedium ad manum, pro Confessoribus secularibus. Est tamen aduertendum, hoc etiam esse intelligendum, de impedimento incestus, prouenienti ex eo quod quis vel quæ, sui coniugis consanguineum aut cõsanguineam, carnaliter cognouerit post matrimonium contractum: nam si tale impedimentum, matrimonium præcessit, communis tenet opinio, quod super eo etiam ab Episcopis non possit dispensari, quia est impedimentum, non solum impediens matrimonium, verum etiam & dirimens post contractum, qua de re videndus est Soto loco supracitato, conclusione prima. Etiam oportet aduertere, quod in vtroque casu, in prædicta carnali copula, necessum est vt semen intra vas recipiatur: nam si effunditur extra, vel nefarie (quod absit) haud quaquam contrahitur affinitas, vt probat supradictus Soto, per *cap. extraordinaria, 35. quæst. 2. & 3.* vbi dicitur, quod extraordinaria pollutio, non in naturalibus admissa, etiam sæpius iterata, non matrimonium impedit, quamuis criminosa animium ipsa sit, atque valde damnabilis.

Nota qualiter nunc contrahatur affinitas, per carnalem copulam

Notandum, est etiam, quod olim huiusmodi affinitas, per carnalem copulam, inter consanguineos aut aliter, protendebatur vsque ad quartum gradum, sed nunc post Concilij Tridentini. *sessio. 24. capit. 4.* de affinitate ex fornicatione, ex illicita copula, nullum impedimentum dirimens, aut impediens resultat, nisi sit in primo, vel secundo gradu, nec protenditur ad tertium & quartum, per quod correctum est ius antiquum, *capit. quidam, 32. quæst. 7. & cap. 1. & toto titulo de eo, qui cognouit consanguin. vxoris.* Qua de re, sequens statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

Nulla est necessaria dispẽsatio, ad petitionem debiti, in illis qui post Conc. Trident. cognouerunt sibi consanguineos in 3. & 4. gradu nec vt possit cõtrahi, si fuerit illicita copula.

PRo illis, qui illicitè cognouerunt carnaliter, cõsanguineam vxoris suæ, seu è contra, in tertio & in quarto gradu, nulla est hodie necessaria dispensatio, ad hoc vt possint petere debitum, neque ad hoc vt possint contrahere, & validum sit matrimonium. Hæc conclusio colligitur expresse ex supradicto Concilio Tridentino. Et eam tenet Nauarro libro quarto Consiliorum, de consanguinitate & affinitate, consilio quinto, numero tertio & quarto, & Veracruz, in suo speculo coniugiorum, artic. 21. de impedimento affinit, & Ioannes Gutierrez, libro primo quæstionum Canonicar. quæstione 15. numero 11. Viuald. de matrimonio, numero 101. Quando, in 4. distinctione 41. numero sexto, propositione sexta, Emmanuel Rodericus, in Explicatione Bullæ, §. 9. numero 144. & in summa, prima parte, capite 141. conclusione 12. & in Quæstionibus Regularibus, primo tomo, quæstione 63. articulo primo. Et ratio supradictæ con-

ctæ concluſionis eſt in promptu: nam vt ex præfato decreto Concilij Tridentini colligitur, affinitas ex illicita copula proueniens, non extenditur neque protrahitur, vltra ſecundum gradum, vnde nec neceſſum eſt, vt in contracta in vlterioribus gradibus, Epiſcopi aut Confeſſarij Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, etiamſi ad hoc illa haberent diſpenſent.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Confeſſarij Regulares, ſi nõ fuiſſent reuocata, quo adhoc ipſorũ priuilegia, poſſent ſimiliter diſpenſare, vt peterent debitum, coniugati adſtricti voto caſtitatis?

Qui poſt votũ ſimplex caſtitatis emiſſum, matrimoniũ contrahit, peccat mortaliter, nec poteſt ab vxore petere debitum.

PRo huius articuli intelligentia, præmittendum eſt ex Diuo Thoma 2. 2. quæſtione 88. articulo tertio, & Soto in 4. diſtinctione 37. quæſtione vnica, articulo primo in fine, & articulo ſecundo in 1. dubio, & diſtinctione 38. quæſtione ſecunda, articulo primo concluſione tertia, quod ille qui poſt votum caſtitatis emiſſum matrimonium cõtraxit, peccat mortaliter, & ab vxore ſua minime poteſt petere debitum, quamuis ſi ſit vir, illud reddere poſſit, aut interdum teneatur, ſecundum Doctores communiter. De quo ſpecialiter videndus eſt Nauarro in ſuo Manuali, capit. 16. numero 30. & capit. 22. numero 73. & Emmanuel Rodericus in Summa, cap. 241. concluſione 13. de matrimonio, ex quorum reſolutione, certum eſt etiam, quod cum eiuſmodi, epiſcopi diſpenſare poſſunt. Quo præmiſſo, atque præſuppoſito, quæritur in præſentiarum, an confeſſarij prædicti, virtute ſuorum priuilegiorum, ſi non fuiſſent reuocata, diſpenſare poſſent cum ſupradictis, ad petendum debitum? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Si non extitiſſent reuocata priuilegia, Cõfeſſarij Regulares, expoſiti & approbati, diſpenſare poſſent, cũ ſupradictis vt peterent debitum.

SI non etiam, circa hoc à S. D. N. Clement. VIII. reuocata extitiſſent priuilegia, Cõfeſſarij Regulares per ſuos Prælatos expoſiti, & ab Epiſcopis approbati, ad audiendas ſecularium confeſſiones, bene poſſent diſpenſare cum ipſis ad petendum debitum, ſi poſt emiſſum votum caſtitatis, matrimonium de facto contraxerunt. Hæc concluſio, fundatur in alia ſimili conceſſione, facta nobis Fratribus Minoribus, à prædicto Sãctiſſimo Pio Quinto, de qua certam fidem fecit, ſupradictus P. Frat. Ioan. de Aguilera, quodam viuæ vocis oraculo, anno 1569. 28. die Octobris, quod etiam refertur à Collectore Compendij Societatis Ieſu, *titulo diſpenſatio*, §. 10. & à Veracruce, in ſuo Speculo coniugatorum, articulo quinto de ſimplici voto, & à Palacios, in 4. diſputatione ſecũda. De quo etiam videndus eſt Emmanuel Rodericus, vbi ſupra, & in Quæſtionibus Regularibus, 1. tomo, quæſtione 63. articulo ſecundo, & Sorbo in addition. ad Compend. *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 2. concl. 9. Circa quam conceſſionem eſt notandum, quod licet Epiſcopi diſpenſare poſſint, cum cõiugatis qui poſt matrimonium contractum, de conſenſu vtriuſque continentiam promiſerunt, vt ſcilicet poſſint petere debitum, non tamen idipſum poſſent facere, prędicti Confeſſarij Regulares, etiamſi prędictum viuæ vocis oraculum, non extitiſſet reuocatum: nam facultas impetrata à ſupradicto Patre Fratre Ioanne de Aguilera, tantum fuit pro illis, qui ante matrimonium contractum, votum ſimplex caſtitatis emiſerunt, non autem pro illis, qui poſt contractum matrimonium fecerunt prædictum continentiæ votum, quo fit vt in hoc caſu, prædicta conceſſio nihil illis prodeſſet, vt ex eadem patet. Sed vt iã dixi, eiuſmodi indulta & priuilegia, ſunt omnino reuocata, per Clement. VIII. de quorum reuocatione, iam appoſuimus edictum & decretũ ſupra, quæſt. 46. articulo ſecũdo, videatur ibidem. & certè prædicta adeo expreſſa ac generali reuocatione exiſtenti, non video qualiter aliqui circa hoc prætendere poſſint ignorantiam, quin vero neceſſario pro his omnibus caſibus, pœnitentes ad proprios iudices, ſiue prælatos debent remittere, ſi alias non habuerint Bullam, quæ dicitur Cruciata. Nam & ſi Clement. dudum, nullatenus per Concilij Trid étinũ (vt diximus) fuerit reuocata, ipſa tamen, circa hoc nihil tribuit: nam non maiorem authoritatem tribuit Confeſſarijs Regularibus, vt ex ipſa ſatis patet, quã habent cæteri Sacerdotes paræciani & curati: cũ igitur ipſi circa hos caſus, nihil poſſent quid prodeſt pertinaciter dicere, quod etiam nunc aliquid poſſunt Confeſſarij Regulares? An vero cõueniẽs fuerit, quod quãtum ad hunc effectum, eiuſmodi priuilegia fuiſſent reuocata, propter imminentiſſimum animarum periculum: nam ſic aſtricti & ligati, difficillime eadem in domo, aut forſan lecto exiſtentes, ſe vllo modo poterunt inuicem continere, oblata occaſione, magis quam ſitiens, exiſtens ad fontem aquæ, aliorum eſto iudicium. Nam ire ad Epiſcopos ſeu eorumdem Vicarios, longum ac difficile eſt nimis, quin vero difficultatibus mille plenum. Neque in hiſce rebus videtur oportere pœnitentes nimium cõſtringere, cum teſte Salomone, Prouerb. 30. qui multum emungit elicit ſanguinem, ſed hoc nó ad me ſpectat determinare. Notãdum, eſt præterea, quod ſi alter eorum qui ante matrimonium contractum, votum caſtitatis emiſerunt moriatur, qui ſuperſtes fuerit, etiamſi cum illis ſemel fuerit diſpenſatum, vt poſſint petere debitũ, non obſtante prædicto caſtitatis voto, remanet cum prædicta ſua obligatione, atque ita non poteſt poſtmodũ cõtrahere, ſine nouo peccato mortali. Et ſi de facto contrahat, poſt matrimonium etiam contractum, non poteſt petere debitum, abſque noua diſpenſatione Epiſcopi, ſeù alicuius ex ſupradictis Confeſſoribus Regularibus, vt præmittitur, ab Ordinario approbatis, & ad hoc per Prouinciales ſpecialiter deputatis, in caſu quo non extitiſſent reuocata priuilegia. Vltimo aduerto, quod ad hoc vt id fiat, neceſſum eſt vt adſit cauſa, quod generale eſt in omni diſpenſationis materia: nam vt omnes dicunt vnanimiter Doctores, diſpenſatio facta ſine cauſa nihil valet. Attamen in hoc propoſito & præſenti caſu, ſufficiens atque

legitima cauſa eſſe videtur ad diſpẽſandum, quod coniuges ſint iuuenes, nec poſſint ſe continere, qua de re videantur ſupradicti Doctores, vbi ſupra. Nam non poſſumus in hiſce rebus amplius immorari.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Confeſſarij Regulares, virtute prædictorum priuilegiorum, ſi non extitiſſent reuocata, poſſent in votis ſecularium diſpenſare?

Nota quod quinque modis tollitur obligatio voti.

PRo huius articuli & ſequentium intelligentia, ſuppoſito ac præmiſſo, quid ſit votum, & omnibus his quæ ad ipſius voti materiam ſpectant, de quibus latiſſime agunt Doctores Scholaſtici, cum Diuo Thoma 2. 2. quæſtione 88. per duodecim articulos, & alij cum Magiſtro Sententia, in 4. diſtinctione 38. ſed maxime Soto, quæſtione ſecunda, articulo primo cum ſequentibus, & latius & expreſſius, libro ſeptimo de iuſtitia & iure, quæſtione prima & ſecunda, per totas, & Sylueſter *verbo, votum*, latiſſime & Nauarro in ſuo Manuali, capite 12. per plures numeros: dico cum omnibus ſupradictis, & maxime cum Medina, in ſua Summa, ſiue inſtructione Confeſſorum, capit. 14. §. 7. quod quinque modis tollitur, ſeu tolli poteſt, cuiusbet obligatio voti, primo per interpretationem, ſecundo per ceſſationem, tertio per irritationem, quarto per diſpenſationem, & tandem quinto & vltimo per commutationem, & vt dicit prædictus Nauarro, loco ſupracitato, numero 63. valde inter ſe differunt, diſpenſare, commutare, ſeu irritare aliquod votum, & multum intereſt, inter diſpenſationem, commutationem atque irritationem. Irritatio enim, nullam aliam cauſam expoſtulat, quam voluntatem illius, qui ad irritandum poteſtate & facultate pollet, *per capit. puella, 20. quæſtione ſecunda, & c. manifeſtum, 33. quæſtione quinta*, & omnes communiter Doctores. At diſpenſatio, cauſam iuſtam & rationabilem requirit, qua exiſtente qui diſpenſandi auctoritatem habet, poteſt omnino votum, & ipſius obligationem relaxare, abſque eo quod loco voti aliquid iniungat vouenti, & tam ille qui votum emiſit, quam qui diſpenſat, manet ſecuri in conſcientia. Commutatio autem, quę vt nomen ipſum ſonat, eſt veluti eiuſdem voti redemptio, exigit vt id in quod votum eſt commutandum, ſiue redimendum, æque bonum ſit, aut melius, quam illud quod quis vouit. Tunc requiritur quod ſit æque bonum, quando ex aliqua iuſta & rationabili cauſa commutatur, tunc vero melius exigitur, quando non ex aliqua rationabili cauſa, ſed ſolummodo ex mera voluntate eſt facienda commutatio. Hæc omnia ſunt valde notanda, ac memoriæ commendanda, quæ quam optime & latiſſime tractat Caietanus, 2. 2. quæſtione 88. per totam, ſed maxime, articulo 10. Ex quibus cõſtat, qualiter de diſpenſatione, commutatione, atque irritatione votorũ, ſeorſum agẽdũ eſt, cũ ſint horum omnium diuerſæ rationes. Sed circa irritationem pro nunc nihil eſt dicendum, cum ea non conueniat aut conuenire poſſit Confeſſarijs Regularibus, de quibus in præſentiarum eſt ſermo, ſed tantummodo patribus carnalibus, aut vero ſpiritualibus quales ſunt Prælati, de quorum poteſtate, ad irritandum ſuorum ſubditorum vota, plura dicemus in ſequenti Tomo, qui totus erit de Prælatis. Nunc autem, ſolummodo agendum eſt, de alijs duobus modis diſpenſandi in votis, ſeu vota ipſa commutandi, quod conuenire poteſt ſubditis, de quorum altero, nempe de diſpenſatione, in præſenti articulo, de alio vero, ſcilicet de commutatione, in ſequenti eſt diſſerendum. Quibus ſic præmiſſis, difficultati propoſitæ, per ſequẽtem reſpondetur concluſionem.

Quid interſit inter diſpenſationem, commutationem, & irritationẽ votorum.

Concluſio.

Aliqua erant olim priuilegia, Regularibus conceſſa, vt poſſent cũ ſecularibus in ipſorum votis diſpenſare.

ALiqua etiam erant olim priuilegia, Regularibus conceſſa, vt poſſent cum ſecularibus, in ipſorum votis diſpenſare. Hæc concluſio, non aliter eſt probanda, quam adducendo & referendo prædicta priuilegia. Atq; in primis Eugenius Quartus. *Cõceſſit Monachis Congregationis ſancti Benedicti, ad audiendas Confeſſiones deputatis ab ipſorum Prælatis, vt poſſent vota omnia permutare, atque in omnibus & ſingulis caſibus, etiam Ordinarijs aut per Synodales, vel Prouinciales Conſtitutiones reſeruatis, cum ſibi confeſſis diſpenſare, præter eas cenſuras & pœnas, vota, & caſus, de quibus eſſet merito Sedes Apoſtolica conſulenda.* Hæc conceſſio ponitur à Collectore priuilegiorum, *verbo, diſpenſatio*, §. 29. Circa quam quamuis viſum fuerit Patri Fratri Emmanueli Roderico, 1. tomo Quæſtionum Regularium, quæſtione 63. articulo tertio, quod hic non data fuerit facultas ad diſpenſandum, meo quidem videri, contrarium omnino colligitur, ex illis verbis, *cum ſibi confeſſis diſpẽſare*, quæ non tantum ad caſus ſunt referenda, verum etiam & ad vota, & ad omnia alia, in eadem conceſſione contenta. Sed hoc iam parum pro iſto tẽpore refert, ad alia progrediamur. Præterea habetur in noſtris monumentis, quod idem Eugenius Quartus, *Cõceſſit Confeſſoribus, deputatis & deputandis à Priore, ſeu Præſidente Monaſterij ſancti Benedicti Valliſoletani, ad ipſius Prioris vel Præſidentis nutum reuocandis, quorumcumque viriuſque ſexus fidelium, ad dictum Monaſterium, ſeu ipſius Eccleſiam, quacumque ex cauſa, pro tempore confluentium, commorantium, ſiue exiſtentium cuiuſcumque gradus exiſtant, confeſſiones diligenter audire, ac cum eis & eorum quolibet diſpenſare, ſuper votis etiam Epiſcopis reſeruatis, & ea commutare in alia pietatis opera, totics quoties deuotioni prædictorum videbitur expedire, non obſtantibus quibuſcumque in contrariũ, &c.* Hoc refertur in Compendio priuileg. Mendicantium, 2. impreſſ. *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 1. §. 16. Sed aduertit ibi Collector, quod dicta conceſſio, reſtrictionem habet, vt patet ex littera, nec virtute ipſius, fieri poterat commutatio, aut diſpenſatio votorum, extra prędictum Monaſterium ſancti Benedicti Valliſoletani, aut forſan per communicationem in Monaſterijs illius Ordinis ſeu aliorũ, vnde neceſsũ erat olim, quærere alia priuilegia in quibus, de rebus ſupradictis expreſſius ageretur.

Sed Innocentius VIII. *Conceſsit quod Confeſſores Ordinis Minorum, Regularis obſeruantiæ, præſentati ſecun-*

dum

dum formam, quam ipſe tradidit et probauit, poſsint diſpẽſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, exceptis votis peregrinationis vltra duas dietas. Hoc habetur in Monumentis Ordinis, 1. impreſſ. fol. 65. & 2. folio 69. conceſſ. 155. & in Supplement. folio 98. conceſ. 533. & refertur in Compend. *verbo. diſpenſatio*, §. 16. Circa quam conceſſionem aduertendum eſt, quod licet reſtringeretur ad formam præſentationis, quam prædictus Innocentius tradidit, vt tamen dicit Nauarro in Manuali, cap. 12. numero 80. extendi debebat, ad quoslibet Confeſſarios Regulares Mendicantes, legitime præſentatos, & ad alios priuilegium communicationis habentes. Sed quia etiam prædicta conceſſio, reſtringibatur & non cõcedebat, vt Cõfeſſores poſſent in omnibus votis, Ordinario reſeruatis diſpenſare, oportebat recurrere etiam ad aliam ampliorem, & talis erat quæ refertur, in Compendio Societatis Ieſu, *titulo de pœnitentia*, §. 10. vbi dicitur, *quod per facultatem conceſſam à Mart. n. V. Fratribus Benedictinis, poſſunt Confeſſores Mendicantes, ab Ordinario approbati, diſpenſare in omnibus votis Epiſcopo reſeruatis.* Quod affirmat prædicti Compendij Collector, contineri in Compend. Benedictinorum Monaſterij Valliſoletani, pag. 45. & ſequentibus. Et Collector Compendij priuilegiorum Diui Hieronymi, *titulo diſpenſatio*, §. 3. dicit etiam, *quod Confeſſores Mendicantes, et alij priuilegijs eorum gaudentes, diſpenſare poſſunt, quoties opportunum fuerit, cum omnibus, ſuper votis Epiſcopis reſeruatis*, & inquit ita fuiſſe conceſſum, per Eugenium Quartũ, Congregationi Sancti Benedicti Hiſpaniæ, vt conſtat ex illius Compendio priuileg. numero 23. Quæ quidem priuilegia, vt iam pluries dixi, ſunt reuocata & ablata à Confeſſoribus Regularibus, an vero idipſum expedierit aliorum vt etiam dixi ſit iudicium. Etenim ſi pro quolibet occurrenti caſu, recurrendum eſt ad Epiſcopum, ſeu eiuſdem Vicarium, præterquam quod idipſum in magnum vergeret animarum periculum, (verebũtur enim, quin vero & recuſabunt, pœnitẽtes id facere) quæ rere etiam oportebit eorum, qui poſſint confeſſiones audire, aut illis de remedio prouidere, cum confeſſores in id approbati atque expoſit, manus alligatas habeant: ſed de hoc curabunt ij, quibus id facere conuenit. Solummodo aduerto, in caſu quo id eſſet faciendũ, & haberetur licentia aut priuilegium, quod prædictæ omnes diſpenſationes, expoſcunt cauſam iuſtam & legitimam, qua non exiſtente, diſpenſatio ipſa nulla eſſet, & nullius prorſus valoris atque momenti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſupradicti Confeſſores Regulares, poſſent commutare omnia ſecularium Vota, per ſua priuilegia, ſi non fuiſſent reuocata?

Prima Concluſio.

Aliqua etiam erãt olim priuilegia; Confeſſarijs Regularibus cõceſſa, ad commutandum ſecularium vota.

ALiqua etiam erant olim priuilegia, Confeſſarijs Regularibus conceſſa, ad commutandum ſecularium vota. Probatur hæc concluſio: nam vt habetur in Compendio priuileg. Mendicantium, 2. impreſſ. *verbo, diſpenſatio*, §. 29. *Eugenius Quartus conceſſit Monachis Congregationis ſancti Benedicti, ad audiendas confeſſiones deputatis ab ipſorum Prælatis, vt poſſent vota omnia commutare, præter ea, quæ ſuæ Sanctitati ſunt reſeruata.* Idem refertur in Compendio Ordinis Diui Hieronymi, *titulo diſpenſatio, in ſacramento Pœnitentiæ*, §. 3. per communicationem fuiſſe conceſſum, Confeſſoribus Congregationis ſanctæ Iuſtinæ, per eundem Eugenium Quartum, anno Domini 1436. Pontificatus ſui anno 6. kalend. Iulij. Et dicitur Iulium Secundum idipſum conceſſiſſe, Congregationi Montis Oliueti, anno Domini 1500. Pontificatus ſui anno 4.

Sed in Compendio Societatis Ieſu, *titulo commutatio votorum*, §. 1. refertur à Paulo Tertio. *Fuiſſe conceſſum, Confeſſoribus ipſius Societatis, legitime approbatis, vt poſſint commutare omnia vota, exceptis vltramarinis, et Petri et Pauli de Vrbe, ſancti Iacobi in Compoſtella, caſtitatis, atque Religionis.* Quod indultum dicitur eſſe authenticum, in Collegio eiuſdem Societatis, Ciuitatis Valentinæ. Et refertur in eodem Compendio, quod eandem ſupradictam facultatem, cũ eadem exceptione, extendit Gregor. XIII. ad vota iurata, dummodo commutatio non fiat in præiudicium tertij. Non autem crediderim, quod eſſet in præiudicium tertij, ſi quis Voueret aut iuraret Deo dare calicem cuidam Monaſterio, & poſtea illud daret, ſeu applicaret alij operi pio, ſi nomine Monaſterij tale votum non fuit acceptatum. Imò vero credo quod poteſt hoc fieri, ex commutatione Epiſcopi, vt cum communi tenet Nauarro in Manuali, cap. 12. numero. 78. & Enriquez, libro ſeptimo indulgent. capit. 28. in comment. littera G. & idem eadem ratione dicendum eſt, de ſupradictis Confeſſarijs Regularibus, quod poſſunt idipſum facere. Qua de re videatur Emmanuel Rodericus, 1. tomo Quæſtionum Regularium, quæſt. 93. articulo quarto. Sed maior difficultas eſt, an virtute eorũdem priuilegiorum, idipſum poſſent facere prædicti Confeſſores Regulares, de votis ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Cõfeſſores Regulares, quãuis virtute ſuorum priuilegiorũ, ſi non fuiſſent reuocata, diſpenſare poſſent, in omnibus votis iure cõmuni et ordinario Epiſcopis reſeruatis, ſed non in ijs, in quibus induſtria perſonæ eligitur et quæ reſeruata ſunt illis iure ſpeciali.

CONfeſſarij Regulares, quãuis virtute ſuorũ priuilegiorũ, ſi nõ fuiſſent derogata & reuocata, poſsẽt cõmutare & diſpẽſare in omnib' votis Epiſcopis iure communi & ordinario reſeruatis, non tamen in reſeruatis, ipſis iure ſpeciali, & in quibus induſtria perſonæ ſpecialiter videtur electa. Hæc concluſio eſt Panormitan. *in cap. verum, de foro competente, numero nono*, & Felin. *in capite eam te, de reſcript. numero 17.* & fere omnium Doctorum communis. Pro qua adnotare oportet, de mente Soti, lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſtione vltima, articulo vltimo, & Nauarri in Manuali, capit. 12. numero 76. quod aliqua vota ſunt, Sũmo Pontifici & Sedi Apoſtolicæ reſeruata, in quibus Epiſcopi aliquando, vrgente neceſſitate, ex commiſſione & delegatione poſſunt diſpenſare, vt (v. g.) in voto cõtinentiæ cum vrget periculum, in impedimẽto occulto matrimonij contracti, quando non poteſt haberi recurſus ad Papam, & ſcandalum maximum oriretur,

Aliqua ſunt vota Summo Pont. reſerua ta, in quibus Epiſcopi poſſunt diſpenſare, de iure ſpeciali.

tur, ſi hoc ab aliquibus ſciretur, &c. in his & alijs ſimilibus caſibus, interueniente impotentia morali, ratione cuius faciliter ad Papam, non poteſt haberi recurſus, Epiſcopi diſpenſant, diſpenſare que poſſunt, ex ſpeciali iure antiquo præſumpto, & nunc expreſſo in Concilio Tridentino, *ſeſſione 14. cap. 6.* huiuſmodi caſus eiſdem committuntur, & conceduntur. Non autem id poſſent prædicti Confeſſores Regulares, quia in his ſpecialiter videtur electa induſtria perſonæ, poſſent tamen in omnibus alijs, prædictis Epiſcopis iure communi & ordinario reſeruatis, ſi priuilegia vt dictum eſt non fueſſent reuocata, quod quidem factum fuiſſe, rationi fuit quammaxime congruum, ex benignitate Eccleſiæ, & ne Chriſti & Eccleſiæ iugum, durũ merito aliquibus videretur. Dico ergo quod oportuit, vt Epiſcopi haberent eiuſmodi caſus & cauſas, non ſic autem communiter prædicti Confeſſores Regulares, de quorum ſcientia, prudentia atque ſolertia, non tanta habebatur confidentia.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædicti Confeſſores Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum olim, ſi non fuiſſent reuocata, poſſent diſpenſare in iuramentis, ſeu iuramenta ipſa commutare?

Nota circa iuramenta, quæ communiter fiunt, qualiter obligent, et maxime cũ eiſdem votum adiungitur:

Difficultas præſentis articuli, in duplici ſenſu poteſt inueſtigari, primo de iuramentis factis abſolute & ſimpliciter, ſecundo de iuramentis votiuis, quando ſcilicet quis iurat, ſimul promittendo aliquid. De hoc ſecundo iuramẽtorum genere loquendo, lis & controuerſia quammaxima eſt inter Doctores. Quidam enim videntur dicere, quod qui habet auctoritatem ad diſpenſandum, in iuramentis ſimpliciter, non illam habet ad diſpenſandum in iuramentis votiuis. Hęc opinio eſt Doctoris Naua. in Manuali, capit. 27. numero 275. vbi dicit, quod habens facultatem ad diſpenſandum in iuramentis, non tamen propterea illam habet, ad diſpenſandum in votis iuramento firmatis, aut in iuramentis votiuis, quod eſt idem. Et ratio (inquit) eſt, quia iuramentum votiuum, ſeu votum iuramento firmatum, continet duo vincula, promiſſionis ſcilicet & iuramenti, quæ ſunt fortiora vno, iuxta *capit. 1. de tregua & pace*, pro quo allegat D. Thom. 2. 2. quæſtio. 89. artic. 8. vbi ait, votum iuratum eſſe firmius, voto non iurato. Et præterea, quia iuramentum ligat, eo quod eſt ſacra rei atteſtatio, ratione reuerentiæ, qua quis debet adimplere, quod per nomen Dei promiſit, votum vero ratione fidelitatis, qua quis ſimiliter debet adimplere, quod ipſi Deo promittit: ex quo videtur, quod votum & iuramentum, diuerſo modo obligant, & quod in voto vnica tantum ſit obligatio, at vero in iuramento votiuo, ſeu voto iurato, duplex obligatio reperitur. Sed alia eſt aliorum ſententia, aſſerentium idem eſſe prorſus iudicium, de iuramento ſimpliciter, atque de iuramento votiuo. Hæc ſententia communiter tribuitur Magiſtro Soto, libro octauo de iuſtitia & iure, quæſtione ſecunda articulo tertio. Et Auctori Directorij Curatorum, capite 15. & quibuſdam alijs. Sed quidquid ſit de auctoribus, neque enim in vllius iuraui verba Magiſtri, ſed ſemper rationi ac iuri obtemperare ſtudui, quia hæc opinio magis placet, & pluribus fundamentis innititur, pro ea ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Cõfeſſores Regulares diſpẽſare poſſent, in iuramentis ſimpliciter, et in iuramentis votiuis, et vtraque iuramẽta cõmutare, ex iuſta et legitima cauſa, ſi eorũ priuilegia non fuiſſent reuocata.

CONfeſſores Regulares, ſi eorum priuilegia, non fuiſſent reuocata, diſpẽſare poſſent, in iuramentis ſimpliciter, & etiã in iuramentis votiuis, & vtraque iuramenta ex iuſta & legitima cauſa commutare. Hæc cõcluſio tenenda videtur de iure, aut ſaltẽ ea erat olim certa ex priuilegio ſpeciali. Quod eſſet certa ex priuilegio ſpeciali, expreſſe conſtat, ex conceſſione quadam facta à Paulo Tertio Confeſſarijs Societatis Ieſu, cuius fit mentio in ipſorum Compendio, titulo Commutatio, §. quarto, vbi dicitur. *Quod illis indulſit atque conceſſit, vt poſſint omnia vota, etiam iurata commutare, quando non ſunt in præiudicium tertij.* Ex quibus verbis, liquido conſtat noſtra concluſio. Nam cum Confeſſores Mendicantes, & alij priuilegium communicationis habentes, communicent cum prædicta ſocietate in ſuis priuilegijs, ſi vt præmiſſum eſt ipſis concedebatur, commutatio votorum iuratorum, in quibus, vt videtur, ſunt duæ obligationes ac duo vincula, à fortiori concedi videbatur, commutatio iuramentorum ſimpliciter, aut iuramentorum votiuorum ſeorſum, in quibus vnica tantum ineſt obligatio, & vnum dumtaxat vinculum. Sed nunc reſtat probandum, hoc etiam eſſe certum de iure, & ſecluſo quocumque priuilegio, & quod qui diſpẽſare poteſt in iuramento ſimpliciter, aut illud commutare, poteſt etiam & in iuramento votiuo. Pro quo dico, quod diuerſa ratio & diuerſum eſt iudicium, de voto iuramento firmato, & de iuramento votiuo: nam in primo caſu, vt recte dixit Diuus Thomas, vbi ſupra, continentur duo vincula, vnde conceſſa facultate ad commutandum, ſiue diſpenſandum in votis, non perinde videtur conceſſa, ad commutandum & diſpenſandum, in votis iuramento firmatis. At in iuramentis votiuis, non continentur duo vincula, promiſſionis ſcilicet aut voti, & iuramenti, licet vocetenus idipſum appareat, ſed vnum tantummodo vinculum, ſcilicet iuramenti promiſſorij, quod potius ſimpliciter & abſolute, dici debet iuramentum, quam habere aliquam rationem voti. Nam qui Hiſpane loquendo (verbi gratia) dicit, *voto à Dios de hazer eſto, ò eſto, etc.* non vouere cenſetur, neque tam proprie promittit ſeu vouet, quam iurat. Quo fit, vt ſuper diſpenſatione ſeu commutatione talis voti, ſeu potius iuramento votiuo, facultatem & auctoritatem habere videatur de iure, qui illam habet ſimpliciter & abſolute, ſuper iuramento, quod non pari ratione, dicendum eſt de voto iuramento firmato. Ex hac præmiſſa doctrina, ſuperque ſatis conſtat, noſtræ concluſionis veritas, & crediderim quod circa hoc, inter

Nota quod diuerſa eſt ratio de voto iuramento firmato, et de iuramẽto votiuo.

ſupra-

ſupradictos Doctores, nulla ſit differentia, ſed ſola dumtaxat verborum æquiuocatio, ex qua quidam colligunt idem eſſe iudicium, de iuramento votiuo & de voto iuramento firmato, &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in votis pœnalibus, virtute ſuorum priuilegiorum, ſi non extitiſſent reuocata, poſſent ſupradicti Cõfeſſores diſpenſare, aut ea commutare?

Nota quod duplex eſt votũ quoddam abſolutum, quoddam vero conditionale. Votum item conditionale, aliud eſt voluntarium ſimpliciter aliud voluntarium pœnale.

PRo huius articuli intelligentia, eſt notandum, ex Medina in ſua inſtructione Confeſſ. cap. 14. §. 6. quod duplex eſt votum, quoddam abſolutum, quoddam vero conditionale. Conditionale etiam eſt duplex, aliud voluntarium ſimpliciter, aliud voluntarium pœnale. Quorum omnium oportet ſtatuamus exempla, vt quæ dicuntur clariora fiant. Votum abſolutum eſt, quando quis abſolute & abſque aliqua præſtita conditione, promittit ſe futurum Religioſum, aut ieiunare, &c. quæ quidem vota, hac forma facta, ſtatim obligant. Conditionale votum, ſed voluntarium eſt, quando quis aliquid promittit, præexiſtente aliqua conditione, vt (verbi gratia) quod futurus ſit Religioſus, ſi Deus ipſum à tali vel tali periculo, ſeu infirmitate liberauerit, quo caſu adimpleta cõditione, iam votum remanet abſolutum, & obligat ad ſui adimpletionẽ. Sed aliud eſt votum conditionale pœnale non ſimpliciter voluntarium, ſed vt ita dicam, voluntarium pœnale, vt quando quis (verbi gratia) dicit, voueo & promitto Deo, talem vel talem rem facere, aut non facere (vt non aleis ludere) quod ſi ſecus fecero, promitto tale, vel tale, vt (verbi gratia) Hieroſolymam adire, aut habitum alicuius Religionis aſſumere. In quo caſu, communis eſt Doctorum reſolutio, quod qui huiuſmodi votum emiſit, ad primum ſtatim remanet obligatus, ad ſecundum vero non ſtatim, ſed tunc quando non adimpleuerit illud, quod primitus repromiſit. Quæ vota communiter dicuntur pœnalia, de quibus magna eſt lis & controuerſia inter Doctores, circa ipſorum abſolutionem, ſeu potius diſpenſationem, aut commutationem. Et hac de re, duæ ſunt opiniones.

Duæ hac de re opiniones.

Prima opinio

Prima opinio tenet, quod in huiuſmodi votis pœnalibus, quando pœna quæ apponitur, eſt Summo Pontifici reſeruata, vtpote votum de aſſumendo ſtatu Religionis, ſeu de ſeruanda perpetuò caſtitate, vel adeundo Romam, Hieroſolymam, ſiue Compoſtellã: ſi antequam votum principale diſpenſetur, aut commutetur, quis ipſum tranſgrediatur, tunc ex voto conditionali, iam fit votum ſimplex & abſolutum, & remanet obligatus qui illud emiſit, ad votum pœnale appoſitum, in quo ſolũ Sũmus Pontifex poteſt diſpenſare, aut illud commutare. Neque (inquiunt) diſpenſari, aut commutari poſſunt talia vota, per quodcumque Iubileum aut priuilegium, non concedens expreſſe, diſpenſationem ſiue commutationem votorum, Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum. Hanc ſententiam & opinionem, tenent in primis Soto, libro ſexto de iuſtitia & iure, quæſtione prima, articulo primo & Nauarro in Manuali, capit. 12. numero 43. Couarruuias *in capit. quamuis pactum*, §. 2. *numero* 12. Et Alcocer, noſtri almi Conuentus ſancti Franciſci Salmanticenſis, alumnus atq; meritiſſimus Pater, in ſua Summa, capit. 16. & Emmanuel Roderieus, in ſua Explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. dubitatione ſecunda, quamuis poſtea in Summa ſentẽtiam mutarit, vt dicemus ſtatim.

Secunda opinio.

Sed contrariam ſententiam, tenent alij grauiſſimi Doctores, qui dicunt, quod etiam adimpleta conditione, huiuſmodi vota pro eo quod nõ ſunt ſimpliciter voluntaria: ſed quodammodo inuoluntaria, & pœnalia, haud quaquam ſunt Summo Pontifici aut Sedi Apoſtolicæ reſeruata: ſed Ordinarijs, qui ſuper ipſis poſſunt diſpenſare, & idipſum poſſunt Confeſſarij Regulares, quantũ ad hoc habentes auctoritatem. Et quia hæc opinio magis placet, & arridet, magis pia eſt & rationi conformior, pro ea ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Cõfeſſores Regulares, virtute ſuorum priuilegiorũ, bene poſſent in ſupradictis votis pœnalibus diſpenſare, ſeu potius ipſa commutare, ſi non extitiſſent reuocata.

CONfeſſoꝛes Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, ſi nõ fuiſſent reuocata, bene poſſent in votis pœnalibus diſpenſare, ſeu ipſa commutare. Hanc ſententiam tenet ſupradictus Medina loco citato, & Corduba in Summa de caſibus, quæſtio. 52. & Aragon. ſecunda ſecundæ, quæſt. 88. artic. 12. & Emmanuel Roderieus in Summa Confeſſorum, 2. part. cap. 97. agendo de voto Hieroſolymitano, vbi priorem prædictam mutauit ſententiam, & idem tenet, 1. tomo, Quæſtion. Regul. quæſtio. 63. art. 7. Cuius quidem concluſionis præcipuum, ſeu potius vnicum ac totale fundamentum eſt, quia tunc ſolummodo ſupradicta vota, Religionis, caſtitatis, &c. ſunt Summo Pontifici reſeruata, quando ſunt ſimpliciter voluntaria, & voluntarie ex deuotione emittuntur & fiunt, non vero quando ſunt prædicto modo, inuoluntaria & pœnalia, & ponuntur in pœnam, & fiunt magis ex indeuotione, quam propter Deum ipſum. Non enim præſumẽdum eſt, aut præſumi poteſt, quod eam habuerunt, quando emiſerunt aut promittere voluerũt talia vota, cum ipſa vt ſatis conſtat, habuerint ſummopere odioſa & exoſa, ac proinde tanquam pro grauiſſima pœna, à ſe fuerint ſibi appoſita, neque etiam credendum eſt, quod Summi Pontifices, eiuſmodi vota ſibi voluerint reſeruare. Qua de re videatur Enriquez, libro ſeptimo de indulgent. capit. 30. numero ſexto, vbi & ex iunioribus refert innumeros Auctores, & Doctores Vniuerſitatis Salmanticenſis, idẽ tenentes & ſentientes, quibus & adhærere viſum mihi eſt, propter rationem prædictam. In calce huius articuli, & ſupradictorum omnium, quibus agitur de facultate & poteſtate, quam virtute ſuorũ priuilegiorum, habebant olim confeſſarij Regulares, ad abſoluendum, à caſibus Papæ & Epiſcopis, de iure & ſpecialiter reſeruatis, & inſuper diſpenſandi in impedimentis & votis, aut vota ipſa commutandi, libuit aduertere, multoties nos dixiſſe, ſupradicta priuilegia omnia, quantum ad hoc

Nota valde.

eſſe iam derogata & reuocata, aut quod ſi non fuiſſent reuocata, quod hoc aut illud fieri poterat. Quod pro eo factum eſt, quia liber hic Romæ primum typis eſt mandatus, & approbatus in hac forma, non vero aliter, ſic enim iſthæc omnia illic practicantur, & obſeruantur in communi praxi. Siquis autem alibi, in ea fuerit ſententia & opinione, vt dicat priuilegia Regularium prædicta, quantum ad hoc, etiam nunc in ſuo permanere vigore, neque cenſeri debere reuocata, ſibi videat, neque enim ego hac in re, iudicem volo agere, ſed conſulat obſecro, ea quæ latiſſime dicta ſunt à nobis, quæſtione præcedenti articulo ſecundo, & ſequentibus. Vbi appoſuimus decretum Clementis Octaui, circa prædictorum priuilegiorum reuocationem, & quæ eadem de re, determinata & decreta ſunt ab Illuſtr. Cardinalibus.

QVAESTIO. XLVIII.

De Religioſis ſiue Regularibus, quantum ad adminiſtrationem ſacramenti Matrimonij, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacerdos Regularis, eſſe poſsit miniſter Sacramenti Matrimonij?

CIRCA miniſtrum ſacramenti Matrimonij, quiſnamille ſit, an Sacerdos, coram contrahentibus aſſiſtens, an vero ipſi contrahentes, & ad inuicem verba proferentes, & an neceſſarium ſit, quod tunc à Sacerdote aliqua proferantur verba, quæ ſint tanquam eiuſdem ſacraméti forma, magna eſt lis & controuerſia inter Scholaſticos Doctores. De qua videatur D. Thom. in additionibus ad 3. partem, quæſt. 42. art. 1. & in 4. ſentent. diſtinctio. 26, quæſt. 6. art. 3. & Soto eadem diſtinct. quæſtio. 6. art. 3. latiſſime & Ledeſma in Additio. ad ſuprad. 3. partem, art. 1. difficultat. 4. De quibus difficultatibus nihil libet in præſentiarum dicere, cũ non ſit hic proprius locus, neque id patiatur breuitas, cui tantopere ſtudemus: ſat ſit præmiſiſſe tã quam certiſſimum, ex communi vſu & traditione Eccleſiæ, quod in Matrimonijs, ſiue hoc ad eorum eſſentiam, ſiue vero ſolummodo ad ſolemnitatem ſpectet, ſemper fuit Sacerdotis alicuius neceſſaria præſentia, idque maxime nunc poſt Concil. Trid. quod *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1.* hac de re, agendo expreſſe habet, *in prædicto Sacramento Matrimonij, interuenire debere inter alia, Parochum ſeu alium Sacerdotem, de eiuſdem Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duos vel tres teſtes, annullando & irritando Matrimonium in contrarium contractum.*

Hoc igitur præmiſſo, tamquam certo atque indubitato, quæritur in præſentiarum, Vtrùm Sacerdos Regularis, Miniſter eſſe poſſit prædicti ſacramenti Matrimonij. Quod quidem in duplici ſenſu poteſt intelligi, ſiue inueſtigari. Primo de licentia proprij Parochi, ſecundo vero ſine illa, quibus difficultatibus breuiter fiet ſatis, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Stando in puncto iuris, nullatenus videtur eſſe prohibitum Regularibus, de licentia Parochi ſacramentum Matrimonij miniſtrare.

STando in puncto iuris, nullatenus videtur eſſe prohibitum Regularibus, de licentia Parochi, nuptijs adeſſe, ſeu ſacramentum Matrimonij miniſtrare. Hæc cõcluſio colligitur expreſſe, ex Clement. 1. *de priuileg. & exceſsibus priuilegiatorum*, quæ incipit, *Religioſi*, vbi ſtrictè præcipitur Religioſis, *ne audeant ſacramentum extremæ Vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimonia ve ſolẽnizare, nõ habita ſuper his parochialis preſbyteri licentia ſpeciali*, ex quo loco à cõtrario ſenſu ſatis colligitur, quod habita prædicta licẽtia ſpeciali, idipſum facere erit ſibi licitũ, ſtãdo in iure communi. Nam quamuis ibidem dicatur, *Matrimoniaue ſolemnizare*, quæ verba proprie intelliguntur atque intelligi debent, de benedictione nuptiali, vt ibidem tradit Gloſſa, vbi pro ſolemnizare transfert, ideſt, ſolemniter benedicere, illa benedictione, de qua habetur, 30. *quæſt. 5. capit. 1. & 4 cum ſequentibus, & in cap. vltim. diſt. 13. cap. conſultatione, de ſponſalib.* cap. 1. & 3. *de ſecund. nupt.* quamuis, in quam, hoc ita ſit, in eodem puncto iuris ſtando, eadem videtur eſſe ratio, de Matrimonio in præſentia Parochi, ſiue Sacerdotis, & coram legitimis teſtibus contractum, aut ſaltem in præſenti, nihil mihi ſeſe offert, ob quod dicere debeamus contrarium, ſtando, vt dixi, in puncto iuris, ſecus erit loquendo de decentia & congruentia, de quo ſecunda ſtatuitur concluſio.

Secunda Concluſio.

Loquendo de decẽtia & cõgruentia, indecent videtur, vt Regulares, aliquos matrimonio coniungant, etiam de licentia proprij Parochi.

LOquendo de decentia & congruentia, haudquaquam expedire videtur, vt Sacerdotes Regulares, in hiſce rebus ſe intromittant, & prædictis Matrimonijs interſint, ſeu aliquos Matrimonio coniungant, etiam de proprij Parochi ſpeciali licentia. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam ex inconuenientibus, quæ vt plurimum, ex his rebus prouenire ſolent, & maxime ſi id fiat abſque legitima & rationabili cauſa, nullaque exiſtente neceſſitate, quæ cum facile poſſem referre, conſulto prętermitto, pro eo quod eſſe cunctis videantur, hæc omnia clara & peruia.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrũ Sacerdotes Regulares, Matrimonia ſine proprij Parochialis Presbyteri licentia miniſtrantes, aut ſolemnizantes, ipſo facto ſint excommunicati?

Concluſio.

Sacerdotes Regulares, Matrimonia miniſtrãtes, ſine licẽtia proprij parochi, ipſo ſunt facto excommunicati.

SAcerdotes Regulares, Matrimonia miniſtrantes, ſiue ſolemnizantes, non habita ſuper his, parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, ipſofacto ſunt excommunicati, excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſeruata. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in ſupradicta Clementina, *Religioſi, de priuilegijs.* Et quamuis ibi Gloſſ. vt dixi in præcedenti Articulo, verba illa, *Matrimonia ſolemnizare*, transferat atque interpretetur, & intelligenda eſſe dicat, *pro ſolemniter benedicere*, mihi certò tenendum eſſe videtur, quod eadem prorſus nec minor, ſit vtrobique ratio, de miniſtrantibus dictas ſolemnes benedictiones, & de aſſiſtentibus ſiue intereſſentibus tam quam miniſtris, Matri monijs eiuſmodi, ſeu quod dicitur, ſponſalibus de præſenti contractis, abſque Presbyteri parochialis ſpeciali licẽtia aut ſaltem nulla mihi ſeſe offert differentiæ ratio, neque à Doctoribus, quos viderim adducitur. Etiam aduerto, quod prædicta licentia, quãdo dicitur quod debet eſſe ſpecialis, intelligendum eſt, ad ſupradictum miniſterium, ita vt non ſufficiat generalis, Sacerdoti Regulari conceſſa, ad adminiſtrandum aliquo in loco ſacramenta. Sed an ſufficiat ad excuſationem Religioſi Sacerdotis, quod Parochianus dicat, ſe habere licentiam à proprio Sacerdote, & an Religioſus teneatur illi credere? multis tradit in ſupradicto loco, *Gloſ. ibi non habita*, à qua difficultate, pro nunc conſulto abſtineo, Religioſos omnes admonendo, propter ſupradictæ excõmunicationis periculum, ac propter decentiam, vt hac in re videant quid faciant, & ne ſint nimis creduli, niſi id ſibi conſtet legitime, per teſtes legitimos ſiue per legitima inſtrumenta. Nam ſi in quibuſcumque criminalibus cauſis, probationes requirũtur vt ſint luce meridiana clariores, iuxta *l. fin. C. de probation.* quanto magis idipſum debet requiri, maiorque adhiberi cautela, ad euitandũ excommunicationis periculum, quod eſt adeo graue, & in quo præſupponitur peccatum mortale, præter alia innumera inconuenientia?

QVAESTIO XLIX.

De Sacerdotibus Regularibus, quantum ad facultatem, adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Vnctionis, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacerdotes Regulares, ſæcularibus ſine licentia proprij Parochi, Sacramẽtum Extremæ Vnctionis poſſint adminiſtrare?

Sacramẽti extremæ Vnctionis miniſter, eſt proprius parochus.

DE Sacramento Extremæ Vnctionis, & de eius Miniſtro, materia & forma, & alijs ad ipſum ſpectantibus, & an ſit iterabile, agunt latiſſime Doctores Scholaſtici, D. Thomas in addition. ad 3. partem, q. 29 cum ſequentibus, & alij cum Magiſtro in 4. ſententiarũ, diſt. 23. vbi & ſpecialiter vendus eſt Mag. Soto, qui duabus quæſtionibus per plures Articulos, hac de re latiſſime atque diſertiſſime agit. Sed vt veniamus ad id, quod ad noſtrum attinet propoſitum, præſuppoſito quod huius ſacramẽti miniſter, regulariter loquendo, eſt proprius Parochus, vt habetur in Clement. *Dudũ, de ſepult.* & tradit ſupradictus Soto, diſtinct. ſupradicta, quæſt. 2. art. 1. dico quod ſimplex Sacerdos, qui ſine licentia Epiſcopi aut proprij Parochi, hoc ſacramentum conferret, eſſet excommunicatus, per dict. Clement. 1. *de priuileg.* quamuis ſacramentum ipſum teneret, quia non requiritur proprius Sacerdos, tanquam de eſſentia, & de neceſſitate huius ſacramenti ſimpliciter, ſed ſufficit quod ſit Sacerdos, vt tenent Doctores ſupradicti, & Victoria in ſumma, num. 120. Sed quæritur nunc, quid circa hoc ſit dicẽdum, de Sacerdotibus Regularibus, Et an ipſi poſſint hoc ſacramentum laicis, ſine proprij Parochi licentia miniſtrare? Cui difficultati, breuiter reſpondeo, per ſequentem Concluſionem

Concluſio.

Sacerdotes Regulares, ſine licentia proprij parochi, ſacramentum extremæ vnctionis miniſtrantes, ſunt excommunicati.

SAcerdotes Regulares, qui laicis ſacramentum Extremæ Vnctionis, ſine proprij parochialis Presbyteri, ſpeciali licentia miniſtrauerint, ipſo facto ſunt excommunicati, de iure communi loquendo, cuius excommunicationis abſolutio, Sedi Apoſtolicæ eſt ſpecialiter reſeruata. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in ſupradicta Clement. 1. de pri-

ſtrantes, ipſo ſunt facto excommunicati, de iure cõmuni loquendo.

de priuileg. quæ & conſtituta eſt ſpecialiter pro Religioſis ſupradictis. A qua generali regula excipiuntur, vt dicit Syluest. *verbo, Vnctio, q.* 4 & Soto in 4. diſt. 23. quæſt. 2. art. 1. *verbo, vtrum vero*, illi Religioſi, qui in caſu neceſſitatis, abſente Parocho, ſine ipſius licentia ſpeciali, de licentia interpretatiua & præſumpta, prædictum ſacramentum miniſtrauerint, qui quidem, vt ibidem dicitur, non remanent excommunicati. Neque illi Religioſi, qui à Sede Apoſtolica, conceſſum priuilegium habent vt familiaribus ſuis, domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus, ſacramenta Eccleſiaſtica poſſint miniſtrare, prout in eadem ſupradicta Clementina habetur. Sed veniendo ad priuilegia,

Aliquaſũt priuilegia, Regularibus cõceſſa, adminiſtrãdi aliquibus ſacramentum Extremæ Vnctionis.

in Compendio priuilegiorum Mendicantium, *verbo, communicatio.* §. 6. dicitur quod Sixtus IIII. *cõceſſit Fratribus Minoribus, vt poſſint adminiſtrare ſacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis illis, quorum cõfeſſiones audierint, quando Rectores ſeu Curati eorũ, malitioſe, aut ſine rationabili cauſa denegauerint, ſeu diſtulerint illa ipſis adminiſtrare, & voluit quod ſuper hoc ſtetur aſſertioni eorumdem Confeſſorum, vel pœnitentiũ.* Habetur ad longum in Monumentis Ordin. 1. impreſſ. fol. 60. & 2. fol. 144. conceſſ. 348. Sed aduertit ibidẽ Collector in §. 10. quod ſupradicta conceſſio, poſtea modificata fuit, per Leonem X. in Concil. Lateran. vbi ſtatuit, *quod Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis aliaque Eccleſiaſtica ſacramenta, nequeant Fratres dare illis, quorum etiam infirmorum confeſſiones audierint, dictẽ tibus proprium Sacerdotem, illa ſibi dare denegaſſe, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta declaretur.* Habetur in Supplemento fol. 25. conceſſ. 73.

Nota hoc valde.

Sed aduertit ſupradictus Collector, quod non obſtante prædicto ſtatuto, poſſunt Fratres in foro cõſcientiæ, vti omnibus cõceſſionibus ſuperius poſitis, quia idem Leo poſtea, viuæ vocis oraculo, reualidauit ac de nouo conceſſit, omnia quæ per huiuſmodi Concilium Lateranenſe, fuerãt de noſtris priuilegijs reuocata, ſeu reſtricta, prout habetur amplius in eodem Compendio, *verbo, Concilium*, §. 7. Sed pro Tertiarijs dicitur ibidem, *verbo, Tertiarij Fratres*, §. 19. quod ſupradictus Leo X. in dicto Concilio Lateranenſi, ſtatuit, *quod Fratres & Sorores Tertij Ordinis, in proprijs domibus habitantes, valeant ſepulturam eligere vbi voluerint, & quod in die Paſchatis tantum, Euchariſtiam, necnon Extremam Vnctionem, cæteraque Eccleſiaſtica ſacramenta, (Pœnitentiæ ſacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote parochiali recipere debeant.* Circa quod ſtatutũ, aduertit Collector, quod ſupradicta verba, intelligenda ſunt generaliter, de quibuslibet Tertiarijs in particulari viuentibus, exceptis mulieribus, quæ promiſerunt continentiam virginalem, aut vidualem, quæ omnibus priuilegijs poſſunt gaudere, quibus gaudẽt Fratres dicti Tertij Ordinis, prout habetur in Supplemento fol. 26. conceſſione 87. quia (inquit) vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, præſertim, quia pro viuentibus in communi, facta eſt loco ſupracitato, ab eodem Leone X. altera cõceſſio.

Non poſſunt Fratres, dare ſacramẽtũ extremæ Vnctionis, Tertiarijs in proprijs domibus habitantibus, exceptis mulieribus, quæ promiſerunt continentiam virginalẽ, aut vidualem.

Familiaribus Fratrũ et Tertiarijs nobis ſeruientibus,

Sed pro familiaribus Fratrum, & Tertiarijs nobis ſeruientibus, conceſſit Clemens IIII. nobis Fratribus Minoribus, *vt his, qui in noſtris commorantur obſequijs, cuncta libere miniſtrare poſſimus Eccleſiaſtica ſacramenta, & ipſos cum deceſſerint in noſtris cæmeterijs ſepelire*, prout habetur in Monument. Ordin. 1. impreſſionis, fol. 56. & 2. fol. 140. conceſſ. 315. Et Iulius II. cõceſſit, *quod famuli domorum Minimorum Ordinis, necnon cæteri eiuſdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes, omnibus & ſingulis priuilegijs Ordinis Minimorum huiuſmodi, quomodolibet conceſſis, gaudere libere & licite valeant.* Habetur in Supplement. fol. 8. conceſſ. 22.

poſſunt à Frãtribus, miniſtrari omnia ſacramenta.

Eugenius etiam IIII. *conceſſit Fratribus Minoribus Obſeruantibus, Prouinciarum Regni Caſtellæ, quatenus ſinguli Prælati, dicti Ordinis, quocumq; nomine cenſeantur, & Confeſſores per huiuſmodi Prælatos deputati, ſingulorũ Conuentuum, locorum & Eremitariorum, poſſint omnes & ſingulos Fratres profeſſos, conuerſos atque nouitios, habentes animum profitendi, necnon perpetuo donatos ſeu oblatos, præſentes & futuros, & quoſcumque pro tempore familiares, ſeruitores, officiales, & continuo commenſales, domorum, conuentuum, locorum, ſiue Eremitariorum ſupradictorum, ab omnibus & ſingulis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis (præterquam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis) caſibus, & ab omnibus & ſingulis huiuſmodi cenſuris ſupradictis, quas ex ignorantia vel inaduertentia incurrerint abſoluere, eiſque Euchariſtiæ ſacramentum, & Extremæ Vnctionis, & alia Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare, toties quoties neceſſarium fuerit vel opportunum, ipſique Prælati, omnia & ſingula ſupradicta, alijs ipſius Ordinis preſbyteris committere, ac in præmiſſis omnibus et ſingulis, cũ facultate præmiſſa, Confeſſores ſibi eligere, et electos mutare, auctoritate prædicta valeant, conſtitutionibus Apoſtolicis, atque ipſius Ordinis ſtatutis et ordinationibus, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque, et quod hæc gratia ſit perpetua.* Habetur in Monumentis Ordinis primæ impreſſionis, fol. 61. & ſecundæ fol. 64. conceſſ. 85. Et aduertit Collector priuilegiorum Mendicantium, *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres*, §. 10. quod poſtea præfata cõceſſio per Pium II. extenſa fuit, ad totam noſtram familiam Ciſmontanam, & §. 11. dicit, quod Nicolaus V. idem conceſſit Monialibus S. Claræ, ac ipſarũ ſeruitricibus, ſi id humiliter petierint, prout habetur in eiuſdem Monu. 1. impr. fol. 49. & 2. fol. 43. conceſ. 48.

Nota ampliſſima cõceſſio Eugen. IIII. pro Tertiarijs, conuerſis obſervatis, atq; donatis noſtri ſacri Ordinis Minorum.

Et tandem vltimo, circa hanc materiam ſacramenti Extremæ Vnctionis, refertur in ſupradicto Compendio, *verbo, extrema Vnctio*, quod Nicolaus Francus, Apoſtolicæ Sedis Nuntius & Orator, cum poteſtate Legati de Latere, à præfata Sede deputatus, in Regnis Caſtellæ & Legionis & Aragoniæ, *conceſſit Monachis S. Benedicti Obſeruantiæ Hiſpaniæ, quod ſi qui infra ſepta Monaſteriorum infirmati fuerint, Extremam Vnctionem dare Apoſtolica auctoritate libere et licite poſſint, parochialis Preſbyteri, vel alterius cuiuſcumque Epiſcopi, vel Superioris licentia, vel aſſenſu, nullatenus requiſitis.* Quibus omnibus priuilegijs ſupradictis, potiuntur, vtique, ac potiri poterunt, non ſolum Fratres, quibus directe & immediate factæ ſunt prædictæ conceſſiones, verum etiã omnes alij, priuilegiũ habẽtes cõmuni cationis.

Conceſſio ampliſſima facta Monachis S. Benedicti.

ART.

ARTICVLVS II.

Quibuſnam ſit danda, atque conferenda Extrema Vnctio?

Prima Concluſio.

Extremæ Vnctionis ſacramẽtum, infirmis non autẽ ſanis eſt conferendũ; quin vero ſi ſanis cõferatur, nõ erit ſacramẽtum.

EXtremæ Vnctionis ſacramentum, infirmis, non autem ſanis eſt conferendum; quinuero ſi ſanis conferatur, non erit ſacramentum. Hæc cõcluſio eſt expreſſa Magiſtri Sot. in 4. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. vbi & dicit hoc eſſe præciſe neceſſarium, & non ſolum de neceſſitate præcepti, verum etiam de neceſſitate ſacramenti, quod & probat auctoritate D. Thomæ cuius & ad id, affert quamdam rationem ſatis congruentem. Sed quidquid ſit de congruentia, ſupra dicta concluſio probatur, ſeu potius expreſſe colligitur, ex auctoritate D. Iacobi, in ſua Epiſtola canonica, cap. 5. vbi agens de prædicto Extremæ Vnctionis ſacramento inquit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, et orent ſuper eum, vngentes eum Oleo ſancto in nomine Domini, et oratio fidei ſaluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus, et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Vbi per verbum illud, *infirmatur*, ſatis colligitur obligatio, de non inungendo, niſi infirmum. Ad quod etiam ratio eſt aptiſſima, quam affert Soto loco ſupracitato, dicens quod ex effectu huius ſacramenti, debet etiam iudicium ſumi, de eius materia & ſubiecto. Et quod ſubiectum ipſius, de eius eſſentia, ſit tantum homo infirmus, ex inde colligitur, quia effectus eius non ſolum eſt gratiam conferre, quod commune eſt omnibus ſacramentis, verum etiam ab infirmitate corporea liberare; vnde, inquit, ſicut nullum eſſet ſacramẽtum pœnittiæ, ſi abſẽolueretur puer, qui nullum haberet peccatum actuale, eo quod huiuſmodi ſacramentum, inſtitutum eſt in remiſſionem actualem peccatorum, ſic & nullum erit Extremæ Vnctionis ſacramentum, ſi vngatur ille qui non eſt infirmus, quia deeſſet materia effectus ipſius. Adducit aliud exemplum de ordinibus ſacris, vt ſi mulier Sacerdotio initiaretur, nullum (inquit) eſſet ſacramentum, quia ipſa non eſt ſubiectum eiuſdem Sacramenti capax, idem ergo dicendum eſt in propoſito.

Nota hõc val de pro Extrẽma Vnctionis ſacramento.

Secunda Concluſio.

Extremæ Vnctionis ſacramentum, non quibuſcumq; infirmis, ſed ijs dũtaxat, qui iam morti proximi, eſt exhibendum.

PRædictum Extremæ vnctionis ſacramentum, non quibuſcumque infirmis eſt exhibendum, ſed tantummodo graui morbo laborantibus, & ijs qui morti iam appropinquant. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Soti, loco ſupracitato, concluſione 2. quam & probat, potiſſimum ex communi vſu atque auctoritate Eccleſiæ, & quia in Concil. Florentino, id expreſſe habetur, *quod Extrema Vnctio, non dari debet niſi infirmis, de quibus mors timetur.* Ad hoc etiam probandum, adducit idem Soto, in huius rei confirmationem, congruentes quaſdam rationes, quas breuitatis cauſa referre omitto. Vnam tamen dicere non præteribo, quæ inter illas mihi vita eſt præcipua, & ea eſt, quod cum effectus præcipuus huius ſacramenti, ſit peccatorum remiſsio perfecta, vſque ad ipſorum reliquias, applicare illud non congruit, niſi circa poſtremum vitæ articulum, vbi infirmi ipſi, peccatorum reliquijs preſsius vexantur, atque amplius ipſorum metu & timore concutiuntur. Cum etiam hoc ſacramẽtum, nõniſi poſt viaticum debeat exhiberi: viaticum autem (vt nomen ipſum ſonat) nonniſi iam morti proximis, ac viam vniuerſæ carnis ingredientibus, debeat miniſtrari, liquidum profecto fit, quod prædictum ſacramentum, non quibuſcumque infirmis, ſed extreme laboratibus, & ijs, qui morti iam appropinquant ſit exhibẽdum. Quibus omnibus accedit, & alia non mediocris congruentia, deſumpta ex præfati ſacramenti ſecundario effectu, qui cum ſit ſanitas corporalis, per ſupranaturalem huius ſacramenti virtutem, non videtur conſentaneum, rationiue congruum, vt pro quacumque leui infirmitate præſtetur, cui per naturalia remedia & medicamina, facile ſuccurri poſsit. Imo vero ille ſtatus expectãdus eſt, ad vtẽdum hoc ſupranaturali remedio, quo expertis ac tentatis naturalibus remedijs omnibus, eum illa non videantur ſufficere, ad hoc vt effectus conſequatur optatæ ſalutis corporeæ, ſi poſt modum id fieri contingat, honor & exiſtimatio maior, huic ſacramento deferatur, tamquam eiuſdem ſalutis inductiuo remedio, atque efficaciſsimæ cauſæ. Quæ quidem ratio, valde eſt notanda & memoriæ commendanda.

Nota hoc val de.

Tertia Concluſio.

Ad exhibẽdũ Extremæ Vnctionis ſacramentũ, nõ neceſſario expectandũ eſt, vt infirmi omnino, deſperata ſit ſalus.

QVamuis ſupradicta ſint vera, nihilominus ad exhibendum præfatum ſacramentum, non eſt expectãdus articulus, quo infirmus omni prorſus ſenſu careat, aut quo omnino ipſius deſperata ſit ſalus. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Soti, loco ſupracitato, quam & probat ex eo, quod effectus ſpiritualis prædicti ſacramenti hoc expoſtulat, vt infirmus ſenſum habeat, & vt ſacramenti deuotione afficiatur, & animi hilaritate corroborata, ſpe gloriæ recreetur. Id etiã expoſtulat præterea, effectus corporalis ſalutis, vt nõ ſit iam omnino infirmi deſperata ſalus; nam cum ſacramentum prædictum, ad hoc non operetur per modũ miraculi, ſed quaſi virtute quadam ordinaria licet ſupernaturali, quæ ex diuina ordinatione, naturales cauſas adiuuat, expectari non debet ille articulus, quo eædem cauſæ naturales roborari non poſsint, imo vero conuenit, vt aliqua ſpes ſalutis remaneat, pro qua Eccleſia Deum inſtanter precetur, quo infirmanti opem ferat, & ſanitate ſibi reſtituta, ſoſpes valeat diuinæ maieſtati amplius inſeruire.

Quarta Concluſio.

Extrema Vnctio, nõ eſt cõferenda ijs, qui bellũ adoriuntur, aut procelloſum mare ingrediũtur, nec ijs qui vltimum

EXtrema Vnctio, non eſt conferenda ijs, qui bellum adoriuntur, aut procelloſum mare ingrediũtur, quamuis ſatis præſens illis immineat mortis periculum, neque vero ijs, qui ex lege ad vltimum capitis ſupplicium ducuntur. Hæc etiam cõcluſio, eſt ſupradicti Soto in fin. ſecundæ concluſionis loco ſupracitato, vbi & dicit, quod in ſupradictis caſibus, ſi eiſdẽ applicaretur, nullũ eſſet ſacramentum, quia nullum prædictorum eſt huius ſacra-

mo ſupplicio afficiuntur.

ſacramenti capax, neque ipſius ſ cundarij effectus, accommodatum ſubiectũ, qui eſt ſanare corpus, quãuis capaces ſint effectus primarij, qui eſt gratia, ſed neque hæc gratia, virtute ipſius confertur, niſi infirmantibus atque in periculo mortis exiſtentibus. Sed circa eos, qui vltimo ſunt ſupplicio afficiendi, aut furca ſuſpendendi, aduertit Vivaldus in ſuo Candelabro aureo, tit. de Extrema Vnctione, num. 41. quod ſi alias ratione infirmitatis, morti ſunt proximi, poteſt illis prædictũ ſacramentum miniſtrari, etiamſi furca ſint ſuſpendendi, aut decapitandi ſeu igni tradendi, quod de facto ſe vidiſſe ita fieri teſtificatur, de mandato cuiuſdam Epiſcopi, alias pij & docti, quod quidem eſt notandum, & practicari poteſt.

Quinta Concluſio.

Extremæ Vnctionis ſacramẽtũ, non eſt dandũ amentibus, ſine furioſis, niſi habeant aliqua interualla, quibus ex deuotione ad ipſum affici poſſint.

PRædictum ſacramentum, non etiam eſt dandũ, amentibus ſiue furioſis, niſi aliquibus vtantur lucidis interuallis, quibus ex deuotione erga ipſum affecti, illud petere poſſint. Probatur hæc cõcluſio, ſicut & præcedens, quia nempe huiuſmodi ſunt incapaces effectus ipſius, qui inter alios eſt, deuotionem animi & ſpem gloriæ, in ſuſcipientibus excitare. Si tamẽ infirmus dum erat ſanæ mẽtis illud petijt, aut erga ipſum deuotionẽ habuit, ſiue præſumitur habere, licet poſtmodum frenetic us efficiatur, poteſt, & debet ſibi adhiberi, maxime ſi non timetur aliqua indecentia, irreuerentia aut vituperium, erga prædictum ſacramentum. Hæc etiam concluſio eſt Soti vbi ſupra, concluſione tertia.

Sexta Concluſio.

Non eſt dandũ prædictũ ſacram. extremæ vnctionis pueris ſacramenti Pœnitẽ tiæ in capacibus, aut Euchariſtiæ.

NEc dandum eſt prædictum ſacramentum, pueris incapacibus ſacræ Pœnitentiæ aut Euchariſtiæ recipiendæ. Hæc Concluſio probatur, propter eãdem rationẽ qua ſupra, quia nempe deuotionem & affectum erga ipſum habere non poſſunt, & præterea, quia non eſt inſtituium, niſi contra reliquias peccatorum actualium, quæ ipſi ante vſum rationis non habent, ſed nec habere poſſunt; & quamuis ordinetur etiam, ad tollendas reliquias peccati originalis aliquo modo, id tamẽ eſt quatenus poſtmodum cõfirmatæ ſunt, per peccatum actuale. Hoc etiam tenet Soto vbi ſupra, concl. 4. vbi dicit, quod ſi quæratur, à quo tempore poſſint pueri, prædicto ſacramento frui. Reſpondetur, quod ab eo tempore, quo poſſunt ſacramẽtum Pœnitentiæ ſuſcipere, ſeu potius ab illo, quo viaticum illis porrigitur, nam & hoc illi ſuccedit.

Septima Concluſio.

Non eſt etiam dandũ prædictũ ſacramentũ, ijs qui in peccato mortali exiſtẽtes repentine moriũtur, & priuantur loquela & ſenſibꝰ, niſi alias eſſent bonæ vitæ & famæ.

NOn etiam eſt dandum ſupradictum ſacramentum ijs, qui in peccato mortali exiſtentes, infirmitate repentina præuenti, priuantur omnino loquela & ſenſibus, & nulla ſigna contritionis oſtenderunt, niſi alias eſſent bonæ famæ & vitæ, Soto etiam hanc Concluſionem tenet & Naua. in Man. cap. 22. n. 13. & cap. 26. n. 27. & 28. vbi plura dicit, eaque notatu digniſſima ad hoc propoſitum, & ſimiliter Emm. Roder. 3. to. qq. Regul. q. 79. art. 2. vbi hac de re agit.

Octaua Concluſio.

Miniſtrandũ eſt, Extremæ Vnctionis ſacramẽtũ, etiã abſq; aliqua infirmitate ſenio confectis, & generaliter omnibus, de quibus mors timetur.

MIniſtrandũ eſt ſupradictũ ſacramẽtũ, etiã abſque aliqua infirmitate, ſenio confectis, & generaliter loquẽdo, omnibus de quibus mors timetur. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Emm. Roder. loco ſupracitato. Vbi & illuſtrat eam variis exemplis, de vulneratis morti propinquis, & de mulieribus in partu iam iã deficiẽtibus & ſimilibus, quod probat ex diuerſorũ Doctorũ doctrina, & auctoritatibus: & tandẽ in art. 4. cõcludẽdo dicit, id quod cõſtat ex cõmuni vſu Eccleſiæ, & generali Doctorũ traditione, quod prædictũ ſacramentũ eſt iterabile, & quod quoties infirmus ad mortis peruenit articulum, etiam in eadem infirmitate, illud eſt ſibi miniſtrandum, etiamſi poſt vnctionem cõualeſcat, ſi poſtea incidat in eandem vel aliam infirmitatem, ac morti videatur eſſe propinquus.

QVAESTIO L.

De Religioſis & Regularibus, quantum attinet ad exercendũ officiũ, & miniſteriũ Prædicãdi, in Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Religioſi & Regulares, ſine ſuorum Superiorum & Prælatorum licentia, poſſint prædicare?

Prima Concluſio.

Non poſſunt prædicare, Religioſi & Regulares, ſine ſuorũ Prælatorũ licentia.

REligioſi & Regulares, ſine ſuorum Superiorum & Prælatorum licentia, haud quaquam poſſunt prædicare. Hęc concluſio, vt rem veluti e ſuo fonte atque origine trahamus, in primis probari poteſt, ex illo quod dixit olim D. Paulus ad Romanos 10. agens de Apoſtolis & Euangelicę legis promulgatoribus, quibus incumbebat prędicare, & denunciare ea quæ ſunt fidei. Poſtquam enim dixit, fidem omnino eſſe neceſſariam ad ſalutẽ, & ſine ipſa ſaluari poſſe neminem, addit, *Quomodo ergo inuocabũt, in quẽ non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Oſtẽdere autem volens, qualiter Prædicatores, in eiuſmodi miniſterium & debẽt officium, non ſe intromittere, niſi id vel immediate à Deo, aut mediate per ſuos Superiores, ſibi fuerit demandatum, ſubdit,

quo-

quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? quaſi dicat, male. Debẽt enim eſſe à Deo, ad id muneris diſtinati ac miſſi, vt de ipſis cõmodè dici illud poſſit, & de eiſdem, dixit Eſaias olim, c. 52. *Quam ſpecioſi ſunt pedes, euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* non ergo Prædicatores, ſine ſuorum Superiorum licẽtia, vllo modo debent prædicare.

Sed præterea probatur hoc ipſum, nam contrarium facientibus, ſeu ijs qui quidquam in contrarium conantur facere, iure optimo dici poterit, quod & de falſis & pſeudoprophetis, olim dixit Deus, per Hierem. c. 23. & per Ezechielem 13. *Væ prophetantibus de corde ſuo & dicentibus, hæc dicit Dominus, cum Dominus non miſerit eos.* Et ſubditur: *Ipſi currebant, & ego non mittebam eos, neque loquebar ad illos.* Debent ergo à Deo Prædicatores mitti, vt rectè ſuo fungi poſſint officio & munere. Sed quicquid de hoc ſit, longiorem etenim requirebat tractationem, quod Regulares & Religioſi ſupradicti, ſine ſuorum Superiorum & Prælatorum licentia, prædicare non poſſint, iam olim multorum Conciliorum decretis, ſtatutum atque ſancitum fuit, ſed ex preſſius poſtea innouauit illud, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, & habetur, *in cap. excommunicamus*, verbo, *quia verò nonnulli, de hæreticis.* Et hoc idem ſtatuit Conciliũ Lateranenſe, ſub Leone X. ſeſſion. 11. Sed nuperrime in Concilio Tridentino, adhuc hoc habetur determinatum expreſſius, *ſeſſione 5. cap. 2. tit. de prædicationis munere exequendo, & licentia Superiorum, ad id requiſita*, vbi de Regularibus ſequentia ponuntur verba; *Regulares vero cuiuſcumque Ordinis, niſi à Superioribus de vita, moribus, & ſcientia, examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint.* Videatur hac de re Caſtro, lib. 3. quem inſcripſit, De iuſta hæreticorum punitione, cap. 2. & Simancas, lib. de Catholicis, inſtitution. tit. 49. & Nauar. in Manual. cap. 25. num. 141. & 143. vbi hac de re & ad hoc propoſitum habentur plura, eaq; notatu digniſſima.

Secunda Concluſio.

Fratres Minores, ex ſpeciali noſtræ Regulæ præcepto, prædicare nõ poſſumus, ſine ſpeciali Prælatorũ licẽtia

NOs Minores Fratres, ex ſpeciali noſtræ Regulæ præcepto, prædicare haudquaquam poſſumus, ſine noſtrorum Superiorum atque Prælatorum licentia. Habetur hoc præceptum in capit. 9. vbi poſt alia ponuntur hæc ſequentia verba: *Et nullus Fratrum, populo penitus audeat prædicare, niſi à Miniſtro generali huius Fraternitatis, fuerit examinatus & approbatus, & ab eo ſibi officiũ prædicationis cõceſſũ.* Circa quod præceptũ, videãtur quæ diximus in expoſitione quam iã diu fecimus ſuper dictam Regulã, & Corduba, ſuper dictum cap. 9. quæſt. 2. in ſecundo puncto. Vbi & latiſſime tradit, qualiter ſupradictorum Prædicatorum, examen & approbatio, in noſtræ Religionis initio, pertinebat ad ſolum prædictum Generalem Miniſtrum, ſed poſtmodũ ex conceſſione Summorum Pontificum, conceſſum fuit id ipſum, Miniſtris Prouincialibus cum Diffinitoribus in ipſorum Capitulis, ſicq; obſeruatur modo. Sed de hoc alias fuſior futurus eſt ſermo, in ſecundo Tomo, quando agemus de ſupradictis Capitulis Prouincialibus, & de prædictorum Prædicatorum inſtitutione.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Prædicatores Regulares, coram Epiſcopis debeant præſentari, & ab eiſdem poſſint examinari, aut etiam reprobari?

HAc de re, iam diximus aliqua quinuero multa, agendo de Confeſſoribus, ſed vt de prædicatoribus etiã aliquid nũc dicamus, huic Articulo reſpondetur, per ſequentem Concluſionem.

Prima Concluſio.

Prædicatores Regulares, prædicare nõ poſſunt, niſi vltra ſuorũ Prælatorũ licentiam, præſentẽtur etiã, coram Epiſcopis ordinarijs

PRædicatores Regulares, non poſſunt ſuum munus & officium exercere, niſi vltra ſuorum Superiorũ ac Prælatorum licentiam, coram Epiſcopis fuerint præſentati, vt ab eis benedictionem recipiant, vel etiam ſi voluerint examinentur & approbentur. Hæc Concluſio habetur expreſſa in Concil. Trident. *ſeſſ. 5. cap. 2.* Vbi, poſtquam præcipitur, quod Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus, de vita moribus & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licẽtia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint, ſubditur, *cum qua licentia perſonaliter coram Epiſcopis ſe præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Et loquendo de Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, iterum ſubdit: *In Eccleſijs vero quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſijs, non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint, ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.* Hæc Conciliũ. Circa quæ verba, plura notanda ſeſe offerunt, & primo quod ad prædicandum Regulares, in Eccleſijs ſuorum Ordinum (vt ex prædicto contextu colligitur) non neceſſario requiritur, quod Epiſcoporum & Ordinariorum, expreſſam habeant licentiam ad id, ſed ſufficit licentia Superiorum, cum qua licentia perſonaliter ſe debent coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere, antequam prædicare incipiant. In Eccleſijs autem quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra ſupradictã Superiorum licentiam (inquit Concil.) quod etiã Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua etiam in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint. Quæ ſunt valde notãda. Neque dictis obſtat, quod infra, in eodem Concilio, *ſeſſ. 24. cap. 4.* adijcitur, *quod nullus ſæcularis ſiue Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat*, nam huiuſmodi decretum intelligitur, in alio differenti caſu, quando ſcilicet Epiſcopus coram ſe fecerit prædicare, & congruentem habet explicationem, de qua latius á nobis agendum eſt, in ſequenti Articulo.

Notãda circa præd. Cõc. de creãũ, & Prædicatorũ præſentationẽ faciendam.

Regulares ad prædicandum in Eccleſijs ſuorũ Ordinũ nulla indigẽt Epiſcoporum licẽtia, ſed ſi tummodo ſuorum Prælatorum, debẽt tamen ſe coram eiſdẽ præſentare, antequã prædicare incipiant.

Secundo noto & aduerto, quod quamuis Epiſcopi, Prædicatores interdum examinent, & iuxta Concilium examinare eos poſſint, ſi idem ſit ferẽdum iudicium omnino, de Confeſſoribus ac de Prædicatoribus, nõ tamen id ex prædictis verbis colligitur,

gitur, quſnuero contrarium. Nam, vt intuenti patebit, per d. Conc. Prædicatorum examen, de vita, moribus & ſcientia, Superioribus committitur, ſeu potius de iure ſupponitur eſſe commiſſum, quo peracto examine & approbatione facta, & licentia ab eiſdem conceſſa, dicitur, quod etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint, priuſquam cum eadem licentia, perſonaliter coram Epiſcopis ſe præſentent, atque ab eis benedictionem petant. Vbi nulla fit mentio (vt ſatis conſtat) de examine ab Epiſcopis faciendo, ſed ſolum modo de benedictione petenda. Nec vero id præcipitur, ad prædicandum in Eccleſijs, quæ nõ ſunt ſuorum Ordinum, ſed tantum dicitur, quod in his vltra licentiã ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua (vt eiuſdẽ Concil. verbis vtar) etiam in Eccleſijs non ſuorũ Ordinum, nullo modo prædicare poſſint. Et vt videatur, quã diſpar ſit ratio, de Prædicatoribus & Confeſſoribus, volo hic adducere, expreſſa verba Conc. vt ponderari melius poſſint. *Seſſ. 23. cap. 15.* agendo de Sacerdotum approbatione, pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, inquit Conc. *Nullus etiam Regularis, ad id idoneus reputetur, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Epiſcopis obtineat, per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur.* Quod nullatenus dicit, quando agit de Prædicatoribus prædictis. Cũ igitur vno in loco, mentionem faciat de examine faciendo, ſi Epiſcopis videbitur eſſe neceſſarium, non vero in alio agendo de Prædicatoribus, planiſſime (vt videtur) colligitur intentum, & id quod dicitur in 2. notabili, circa verba prædicta. Neque contrariũ tenet Nauar. (quicquid alij dicant) allegando ipſum in ſuprad. cap. 25. ſui Manual. num. 141. & 143. Sed hac in re, contrarium eſſe video, in vſu & communi praxi, faciãt quod ſibi placuerit Domini Epiſcopi, nam & hæc non niſi curioſitatis gratia dico, ad oſtendendum, quid eſſet dicendum ſtando in verborum rigore & in puncto iuris.

Probabile eſt, quod Prædicatores, etiã iuxta Conc. Trid. nõ debeant ab Epiſcopis examinari.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Prædicatores Regulares, prædicare poſſint, inuitis & contradicentibus Epiſcopis?

Prima Concluſio.

Prædicatores Regulares, etiã in Eccleſijs ſuorũ Ordinũ, inuitis Epiſcopis prædicare nõ poſſunt.

PRædicatores Regulares, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, inuitis aut contradicentibus Epiſcopis, prædicare nullatenus poſſunt. Hæc Concl. habetur expreſſa, in Conc. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4.* vbi dicitur, *quod nullus ſæcularis ſiue Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat.* Quod decretum intelligẽdum, explicandum, atque limitandum videtur, iuxta conſtitutiones Bonif. VIII. atque Clement. V. quæ nullatenus derogatæ aut reuocatæ eſſe cenſentur, per d. Conc. Trident. Et vt præ manibus habeantur, dico, quod Bonif. VIII. *in Extrau. ſuper cathedram, de ſepult.* quæ habetur inter communes, & Clement. V. in Clem. *Dudum, eod. tit. §. ſtatuimus*, pro Prædicatoribus Fratrum Prædicatorum & Minorum, ſequentem perpetuo valituram fecerunt conſtitutionem: *Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, vt dictorum Ordinum Fratres, in Eccleſijs & locis eorum, ac in plateis communibus, libere valeant clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, illa hora dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qua prædicare ceſſabũt, præterquam ſi aliud de ipſorum voluntate proceſſerit, ac licentia ſpecialì.* Dico igitur ſupradictum decretum, de non prædicando contradicente Epiſcopo, intelligendum eſſe ac limitandum, de illo tempore & hora, qua Epiſcopus prædicare voluerit, aut coram ſe facere ſolemniter prædicari, non verò alias. Quod etiã conforme eſt ſtatuto ſiue Conſtitutioni, quam hac de re, etiam ediderat olim Benedict. XI. quæ incipit, *Inter cunctas, de priuileg.* quæ habetur inter communes, & refertur in Monum. Ordinis primæ impreſſionis, fol. 126. & ſecundæ fol. 203. conceſſ. 500. vbi poſt alia ſequentia habentur verba: *Caueant autem Fratres omnino, ne illa hora in qua Diœceſani prædicaverint, vel coram ſe fecerint prædicare prædicent, niſi forſan hoc facerent de voluntate Diœceſanorum ipſorum.* Et quamuis ſupradictam conſtitutionem, prædictus Clemens V. reuocauerit, quantum ad exceptionẽ quandam ibi appoſitam, pro ſtudijs generalibus; quoad alia tamen, non videtur eſſe reuocata, ſed permanere in ſuo vigore. Vnde concludẽdum eſt, ſupradictum Cõcilij decretum, in ſenſu prædicto eſſe intelligendum, propter rationes dictas, vt non alias, Concilium ſibi ipſi contraire videatur, dum primo concedit, Prædicatores Regulares prædictos, in Eccleſijs ſuorum Ordinum, cũ ſola Epiſcoporum benedictione poſſe prædicare, (etiam nõ habita expreſſa licentia) poſtmodum vero in prædicto decreto, præcipit vt non præſumant prædicare, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo. Sic ſupradictum Decretum, explicatum fuit & declaratum, à grauiſſimis quibusdam, Salmanticenſibus olim Doctoribus, & hic etiam ſenſus datur illi, in noſtris generalibus Cõſtitutionibus Toletanis, cap. 4. agendo de Prædicatoribus, quod non mediocris eſt conſiderationis.

Secunda concluſio.

Nos Minores Fratres, ex vi noſtræ Regulæ, ſpecialiter prohibemur prædicare, cõtradicẽtibus Epiſcopis.

QVamuis de iure communi loquendo, omnia ſupradicta ſint vera, de iure tamen ſpeciali, & ex vi particularis præcepti noſtræ Regulæ, nos Minores Fratres, nullo modo poſſumus prædicare, contradicentibus Epiſcopis. Habetur hoc expreſſe, in cap. 9. eiuſdem Regulæ, vbi ſequentia pronuntur verba. *Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.* De quorum expoſitione, videatur Cordub. ſuper d. capit. quæſt. 1. & ſupradicta etiam noſtra expoſitio ſuper hunc locum. Voluit enim Seraphicus noſter Pater, filios ſuos Eccleſiarum Prælatis (ſed Epiſcopis ſpecialiter) eſſe obſequentiſſimos. Vnde nec ipſe vllo modo prædicauit, niſi prius petita & habita licentia, ab Innoc. III. quã & ipſe libentiſſime præſtitit ipſi ac ſuis ſocijs, ad prædicãdum & diſſeminandum ſemen verbi Dei in omnem terram. De qua Innocent. licentia fit mentio, in Monumen-

numentis Ordinis primæ impreſſion. fol. 1. & ſecundæ fol. 3. Quinuero & Gregorius IX. ſupradicti Innocentij ſucceſſor, commendauit ſeu potius præcepit omnibus Eccleſiarum Prælatis, vt Fratres dicti Ordinis Minorum, ad officium prædicâdi deſtinatos (ad quod dicit fuiſſe inſtitutos ex vi ſuæ profeſſionis) benigne recipiant, & populos ſibi commiſſos admoneât, quatenus ex ore prædictorum Fratrum, ſemen verbi Dei deuote ſuſcipiant, ac etiâ quod in neceſſitatibus huiuſmodi Fratrũ, liberales exiſtant. Habetur in Monum. 1. impreſſ. fol. 25. & 2. fol. 109. conceſſ. 233.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Parochi, Fratribus dare poſſint licentiam ad prædicandum? & An Prædicatores Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, ſeu aliarum licentiarum in aliquo caſu, in ſuis Eccleſijs, ipſis contradicentibus, poſſint prædicare?

Prima Concluſio.

Parochus, vt in ſua Eccleſia prædicetur ſemel aut iterũ, alicui graui & docto viro, bene poteſt licentiam & facultatẽ præſtare.

MVltorum fert grauiſſimorum Doctorum opinio, quod prædicti Parochi, viro alicui docto & noto, Regulari ſiue ſeculari, pro duabus aut tribus vicibus, nõdũ præſentato coram Epiſcopo, licentiam poſſunt præſtare, vt in ſua parochia prædicare poſſit. Hãc ſententiam & concluſionem, tenet Enriquez lib. 7 de indulgent. ca. 16 iuxta finem, aſſerens eſſe multorum Doctorum & Magiſtrorum, cum quibus illam conſuluit, & eandem videtur tenere, Innocent. III. *in cap. cum ab Eccleſiarum, de off. Ordin.* quod Hoſtienſ. intelligendum eſſe dicit, caſualiter & in tranſitu. Quæ intelligenda ſunt, vt dixi, etiamſi prædicta perſona, per ordinarium Epiſcopũ eiuſdem Parochi, ad prædicandum non ſit approbata, dum tamen ſit docta, nota & idonea, vt dictũ eſt. Sed præterea hoc ipſum fieri poteſt, ex ſpeciali priuilegio Gregor. XIII. conceſſo Prædicatoribus Societatis Ieſu, *vt ſemel ab vno Epiſcopo approbati, itinerantes poſſint prædicare, in locis vbi voluerint, non contradicente Parocho, niſi proprius Epiſcopus adſit.* Huius priuilegij mentionem facit, ſupradictus Enriquez vbi ſupra, quo & dicit vti poſſunt, omnes aliæ Religiones, priuilegium habentes communicationis. An vero in aliquo caſu, contradicentibus ipſis Parochis, in ſuis Eccleſijs prædicare vllo modo poſſint? maiorem difficultatem habet, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Aliqua ſunt priuilegia, quibus Regularibus conce-

ALiqua reperiuntur priuilegia, quibus Prædicatoribus Regularibus, in aliquo caſu conceditur, vt etiam contradicentibus Parochis, in ſuis Eccleſijs prædicare poſſint. Pro huius concluſionis probatione, ſimul & intelligentia, eſt notandum, quod Clemens V. in ſupradicta Clementina *Dudum, præcepit vt Fratres in Eccleſijs Parochialibus, nullatenus audeant vel debeant prædicare, aut proponere verbum Dei, niſi à Parochialibus ſacerdotibus fuerint inuitati & vocati, & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia pariter & obtenta, niſi Epiſcopus vel Prælatus ſuperior, per eoſdem Fratres prædicari mandaret.* Vbi notanda venit dictio exceptiua ibidem poſita. Hoc ipſum præceperat Benedictus XI. vt habetur in *Extrauagant. inter cunctas, de priuileg.* & in Monument. Ordin. 1. impreſſ. fol. 126. & 2. folio. 203. conceſſ. 501. Poſtmodum tamen, aliqua ſunt impetrata priuilegia (vt videtur) non derogata, quibus ſupradictis Prædicatoribus Regularibus conceditur, vt abſque cõſenſu parochorum, in aliquo caſu in Eccleſijs ipſorum poſſint prædicare, ſi in id habuerint licentiam Legati Sedis Apoſtolicæ, aut Epiſcoporum & Ordinariorum ſibi Superiorum. Hac de re, extat priuilegium in primis Alexand. Quarti, cuius fit mentio, in Monumentis Ordin. primæ impreſſion. fol. 25. & ſecundæ fol. 26. conc. 15. & Clementis etiam Quarti, qui referendo & confirmando, prædictas Alexandri litteras, declarauit, *quod ſi prædictis Fratribus, concedatur licentia prædicandi, & audiendi confeſſiones, à Legatis Sedis Apoſtolicæ, aut ab Ordinarijs locorum, poſſint libere prædicare, populis ſubiectis, Legatis & Ordinarijs, & confeſſiones audire, ſine aliorum Prælatorum inferiorum licentia, & Rectorum Eccleſiarum aſſenſu, vllo modo minime requiſito.* Ita habetur in Monumentis primæ impreſſ. fol. 29. & ſecundæ fol. 30. conceſſ. 26. & refertur in Compendio, *verbo, Prædicatores verbi Dei*, §. 4, & 5. Sixtus etiam Quartus, hoc idem conceſsit, Fratribus Carmelitanis, vt habetur in Monumentis, primæ impreſsionis, fol. 102. & ſecundæ fol. 185. conceſsione 465. & refertur in Compendio, verbo, vbi ſupra, §. 14. Et quamuis dicatur ibidem, vt id fiat abſque Parochialium Eccleſiarum iuris præiudicio, declararunt tamen, quod huiuſmodi iuris præiudicium, intelligatur de decimis, & primitijs dumtaxat, quæ à laicis Clericis exhiberi ſolent, non vero de concionibus, ſiue prædicationibus, prout aduertit Collector in Compendio, *verbo, Prædicatores*, §. 14. Vel melius dici poteſt, quod non in eo aliquod ipſis irrogatur præiudicium, cum id fiat de licentia, vt præmittitur Legati Sedis Apoſtolicæ, vel ſuorum Epiſcoporum, & Superiorum, quia in voluntate Superioris, incluſa cenſetur voluntas inferioris. Hoc tamen non obſtante, à noſtris Fratribus Ordinis Minorum, id nullatenus fieri debet, vt & Seraphicum Patrem noſtrum imitentur, qui Sacerdotes omnes, adeo reuerebatur ac ſumma reuerentia habebat, vt diceret, quod in Eccleſijs, in quibus morabantur, nullatenus ipſe prædicare volebat, contra voluntatẽ ipſorum, quod eſt multum notandũ & memoriæ commendandum.

ditur vt cõtra dicentibus Parochis, etiam in ſuis Eccleſijs in aliquo caſu prædicare poſſint.

ART.

ARTICVLVS V.

De Conditionibus & qualitatibus Prædicatorum Regularium, & quales illi esse debeant?

Prima Conclusio.

Quæsunt conditiones, verbi Dei Prædicatores debeant habere?

PRædicatores verbi Dei, quoad maxime fieri poterit, esse debent docti, apprime eruditi, moribus maturi, corde impaui di, spiritu feruidi, vt potentes sint exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere. Ad quod munus & officium eligẽdi sunt viri idonei, morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia & vitæ exemplo commendati. Hęc Conclusio habetur expressa, aut saltim maxima ex parte colligitur, *ex ca. oportet, 8. quæst. 1.* quod est D. Petri, sed desumptum est ex epistola 1. Clementis ad Iacobum. Colligitur etiam *ex cap. 1. dist. 43.* quod incipit, *Sit Rector*, quod est D. Gregor. in secunda parte sui pastoralis, cap. 4. quibus in locis, paucis mutatis, sparsim omnia supradicta reperiũ tur verba, & additur, quod esse etiam debent, Prædicatores discreti, vt non tacenda proferant, aut proferenda taceant. Hoc idem in substantia habetur, in Concilio Lateranensi, sub Leone X. sess. 11. vbi dicitur, ad hoc munus esse eligendos, viros nõ nisi idoneos, ætate, doctrina, probitate, ac morum grauitate præditos, exemplo etiam & alijs, sed maxime prudentia, summopere commendatos. Quæ omnia sunt valde notãda, ac memoriæ cõmẽ danda, vt videri possit quibusnam, nõ vero alijs, eiusmodi officium debeat commendari & cõmitti.

Secunda Conclusio.

Prædicatores nimiũ prudentes & discretos esse expedit, vt sciant Verbum Dei disseminare, quib⁹ & quã do oportet.

MVltum etiam oportet, Prædicatores prædictos esse prudẽtes, & vt ingenio discentiũ semetipsos accõmodẽt, & ne secreta mysteria quæ vulgi captum superant & excedunt, coram ineptis, seu non intelligentibus referant. Hęc Conclusio est expressa Gratiani, *in decreto, distinct. 43. in §. pariter sub cap. vlti.* quod incipit, *Dispensatio*, vbi post supradicta dicit, quod qui docet ea, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatẽ, sed ad sui potius ostentationem id facit. Ad quod probandum adducit Gloss. ordinariam, desumptã, ex D. Ambros. in Psalm. 118. *Beati immaculati in via*, vbi explicando versiculum illum. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, ait. Vitium esse quammaximum, secreta mysteria diuulgare indignis, quod fit interdum, vel loquacitate incauta, dum sine iudicio volat ir reuocabile verbum, aut adulatione, vt ei concionator placeat, cui secreta reuelat, vel iactatione scientiæ, vt plura se scire ostendat. Verba sunt D. Ambrosij expressa. Quibus (inquit supradictus Gratianus) satis datur intelligi, quanta esse debeat discretio in prædicatione sacerdotis, qua si forte caruerit, tanquam torto naso, sacerdotalis officij indignus iudicabitur. In hoc quod dicit Gratianus de torto naso, tangitur historia, seu potius memoriæ commendatur præceptum, quod positum erat olim in lege Moysi, Leuitici 21. vbi inter alia habebatur, quod qui erat torto naso, à Dei ministerio proijceretur. Quod verbum explicans D. Gregorius in pastorali, 1. parte capit. 11. & habetur *in cap. hinc etenim, distinctione 49.* inquit, quod per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta vero reprobamus. Quo fit, vt grandis & tortus nasus, dicatur discretionis immoderata subtilitas quæ dum plus nimio, quam decet excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Verba quidem sunt notatu dignissima. Quod autem supradicta nimis subtilia, nullatenus coram indignis, ineptis & incapacibus, aut nõ intelligentibus nõ sint prædicanda, ex eo etiam constat, quia, vt inquit D. Paulus ad Hebræos 5. Perfectorũm est tantum solidus cibus, & iuxta præceptum Christi Domini, Matt. 10. Margaritæ non sunt mittendæ ante porcos. Id quod habetur, *in cap. mandatis, distinctione 43.* Qua ratione dixisse fertur olim, Mercurius ille Trimegistus in Asclepio, tractatum tota numinis maiestate plenissimum, irreligiosæ mentis esse, multorum conscientiæ prædicare. Videatur hac etiam de re D. Chrysostomus homilia 24. in cap. 4. Matthæi, & Gregor. Nazianzenus ora. 3. vbi ad hoc propositum, dicuntur plura, eaque summa adnotatione, & consideratione digna.

Nota hoc val de pro Prædicatoribus vana & inutilia loquentibus.

Tertia Conclusio.

Nimium etiã oportet, Prædicatores irreprehensibiles esse, et vt eorum vita doctrinæ correspondeat.

INter conditiones & qualitates alias nimium etiam oportet, Prædicatorum vitam irreprehensibilem esse, & quod ipsa doctrinæ suæ correspondeat, vt omnes ædificare valeant, fidei doctrina & morum disciplina. Hæc conclusio est expressa D. Ioannis Chrysostomi, homilia prima, super Actibus Apostolorum. Vbi eleganter hoc argumentum prosequitur, & dicit nihil esse frigidius Doctore, qui verbis dumtaxat philosophatur. Et addit hoc non esse Doctoris, sed hystrionis & hypocritæ. Verba sunt valde notãda. Et paulo inferius (inquit) quod nocet, qui quod docet, non facit. Ad quod propositum venit, quod etiam fertur dixisse olim Aristoteles; lib. 10. Ethicorum, cap. 1. nempe, quod circa actiones humanas, minus creduntur sermones, quam opera, nisi & ipsi sint operibus cõcordes. Namverba (inquit) cum discrepant à vita, non sunt nisi tantum verba, ideſt gloriolæ siue venditationes. D. etiam Cyprianus libro de duplici martyrio dicit, quod efficacius est vitæ, quam linguæ testimonium. Habent enim (inquit) opera suam linguam, habẽt & suam facundiam, etiam tacente lingua. Cui & concinit illud Luciani, asserentis quod res ipsę, longe magis loquuntur, quam verba. Lactantius præterea Firmianus, libro quarto diuinar. institutio. post alia in hæc sequentia verba prorumpit. Malunt homines exempla, quam verba, quia loqui facile est, præstare vero difficile. Quod & confirmauit, Diuus Hieronymus, scribens ad Principiam Virginem:

Nota valde pro Prædicatoribus vana prædicãtibus.

ginem : Erubeſcit, inquit, quamuis præclara doctrina, quando propria reprehendit conſcientia. Et ſcribens Oceano ait, quod Auctoritatem perdit docendi, cuius ſermo opere deſtituitur. Quod eſt omnino idem, quod dixit, D. Gregorius olim in paſtorali 2. part. cap. 4. ſcilicet, quod cuius vita deſpicitur, neceſſe eſt vt eius prædicatio contemnatur. Facit & ad idē, quod ait Theophylat. in Lucā c. 11. ſcilicet, quod quando docens facit quæ docet alleuiat onera, exemploque ſuo conſolationem affert diſcipulis; quando vero nihil horum facit, tunc quæ docet grauia onera eſſe videntur diſcipulis, ita, vt à Doctore nullam recte faciendi vim accipiant. Leo etiam magnus, ſermone de S. Laurentio, dicit, Validiora eſſe exempla quam verba, & quod melius eſt docere opere quā voce. Tandem confirmantur ſupradicta omnia, ex eo, quod dixit etiam olim, D. Iſidorus, libro tertio de Summo bono c. 36, agendo de Prædicatoribus, nempe quod, tam doctrina quam vita clarere debet Eccleſiaſticus Doctor, nam doctrina ſine vita, arrogantem reddit, vita autem ſine doctrina inutilem facit. Et ſubdit, quod auctoritate magiſterij caret, qui quod docet non facit, & Doctoris vitio, etiam ipſa vera doctrina vileſcit, quia dum non viuit Prædicator ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem, cōtemptibilem facit. Qui bene, inquit, docet & male viuit, tamquam æs aut cymbalum tinniens, ſonum facit alijs, ipſe tamen ſibi manet ſenſualis, & ſimilatur cereo, qui dum lucem alijs præſtat, ſemetipſum in malis ſuis conſumit. Verba ſunt iſta aurea & mira, ſummaque animaduerſione digna, à prædicatoribus, quinuero & à cunctis valde memoriæ commendanda.

Quarta Concluſio.

Prædicatores in ſuis concionibus, non nimium debent eſſe prolixi, vt ne odioſi & faſtidioſi fiant.

PRædicatores in ſuis ſermonibus, ſiue concionibus, non eſſe debent multum prolixi, ne ſua loquacitate nimia odioſi fiant. Hæc Concluſio deſumpta eſt ex doctrina Origenis homilia ſexta, in librum Iudicum, vbi ad hoc propoſitum, dicit Breuitatem. Auctores deligunt, nam breuis & prudens ſermo, auditur libentius & attentius, & melius memoriæ commendatur, ē contrario, inquit, Gregorius Nazianzenus, oratione de ſancto Laurēcio, quod Satietas inimica eſt auribus, quemadmodum & ſuperfluus cibus coporibus. Videatur hac de re ſupra citatum *cap. ſit Rector, 43. diſtinctione, in fine*, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, quæ prudens omitto, quia per tempus ea referre non licet. Sed inter alia, D. Gregorius ibi, Prædicatores nimios atque prolixos, comparat ijs qui patiuntur fluxum ſeminis, qui diuina olim lege, Leuitic. 5. reputabantur immundi, quam etiam metaphorā & comparationem, luculentiſſimè explicat ibidē, dicendo, *quod ſemen eſt verbum Dei*, vt dixit olim Chriſtus Dominus, Luc. 8. & in hoc currit ſimilitudo, Concludendo ergo dico, quod ſupradictæ noſtræ Concluſionis doctrinam, breuiter ſed compēdioſe, noſtris Prædicatoribus, in ſua Regula Seraphicus Pater noſter Franciſcus, ſatis commendatam reliquit, poſtquam cum eiſdem loquendo, in cap. 9. poſt alia in ſequentia verba prorupit. *Quos moneo & exhorteri, vt in prædicatione quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annunciando eius vitia & virtutes, pœnā & gloriam cum breuitate ſermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* Quæ vltima verba, de ſumpta ſunt ex Eſaia cap. 10. Qualiter autē ea ſint intelligenda, videatur Cordubа ſuper dictum cap. 9. q. 3. & noſtra etiam expoſitio, vbi ad hoc propoſitum diximus plura, eaq; notatu digniſſima.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS VI.

Qualis eſſe debeat Prædicatorum doctrina, & materia de qua agere debent, in ſuis ſermonibus ſiue concionibus, & à quibus eoſdem abſtinere oporteat.

Prima Concluſio.

Prædicatorū doctrina, eſſe debet ſana & Catholica examinata, & caſta, nullo modo laſciua aut impudica, neque leuitatis aut vanitatis ſaporem in ſe habeat.

PRædicatorum doctrina, debet eſſe ſana, Catholica, examinata & caſta, nullo modo laſciua aut impudica, ſeu quæ leuitatis aut vanitatis, ſaporem in ſe habeat. Hæc Concluſio in primis colligitur, ex D. Paulo, in epiſtola quam ſcripſit ad Titum ca. 2. vbi inter alia multa ſalutaria cōſilia, dixit illi. *Tu autē loquere quæ decent ſanā doctrinā, ſenes vt ſobrij ſint, pudici, prudētes, ſani in fide, in dilectione, in patientia.* & ei & paulo ſuperius, de conditionibus agens, boni & prudentis Epiſcopi, poſt alia inquit, *Oportere ipſum eſſe, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt poſſit exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt arguere.* Et in particulari tractando, qualis eſſe debeat Prædicatorum doctrina, & à quibus quammaxime eoſdem oportet abſtinere, habetur in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. ſeſſ. 11. *Inhibemus* (inquit Concilium) *omnibus & ſingulis clericis, ſæcularibus vel Regularibus, cæteriſque cuiuſcumq; ſtatus, gradus & ordinis exiſtant, qui onus prædicationis aſſument, ne de cætero in ſermonibus ſuis, futura ex literis ſacris confianter prædicent, nec illa à Spiritu ſancto vel diuina reuelatione, ſe habuiſſe affirment, alienas inaneſque diuinationes, non aſſuerent, aut aliquo modo tractandas aſſumant, ſed ex diuinæ vocis oraculo & præcepto, Euangelium omni creaturæ prædicent, ipſumque cum vitiorum deteſtatione & virtutum commendatione, enucleent atque declarent.* Habetur hoc idem in Suppl. fol. 127. conc. 567. & refertur in Compend. *verb. Prædicatores*, §. 18 & 19. *cum ſequentibus*, & paulo ſuperius, idem Leo prædicatoribus ſupradictis, qui prædicationis onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ſtricte mandauerat, *vt Euangelicam veritatem & ſacram Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & explicationem Doctorum, quos Eccleſia vel diuturnus vſus approbauit, legendoſque hactenus recepit, aut in poſterum recipiet, prædicent & explanent, neque quidquam eius proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adijciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ verbis, rite ac ſane, & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis, non diſcordent. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel antichriſti aduentum,*

aut certum diem iudicij, prædicare vel asserere, nequaquam præsumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Verba sunt expressa, dicti Leonis, in prædicto Concilio, vbi & ad hoc propositum, dicuntur alia plura notatu dignissima. Sed nunc nouissime, Concil. Tridentinum, *sess. 5. cap. 2.* hac de re agens, inquit, *quod Prædicatores, fideles pro sua capacitate pascant salutaribus, verbis docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando eis cum breuitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriã consequi valeant.* Quæ verba, quam simillima sunt, ijs quæ Seraphicus noster pater Franciscus, in sua Regula, loco vbi supra appposuit. Et *sess. 24. capit. 4.* loquendo cum eisdem, dicit Concilium, Sacram solummodo Scripturam, diuinamque legem, in concionibus esse annunciandam & Prædicandam. Hæc igitur esse debet Prædicatorum doctrina, & materia de qua in suis concionibus & sermonibus agere debẽt. Sed dicamus oportet à quibus abstinere, debeant Prædicatores prædicti etiam nunc; de quo fit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Prædicatores in suis concionibus, omnino debent abstinere à fabulis, & falsis reuelationibus.

PRædicatores in suis prædicationibus, & concionibus, omnino debent abstinere, à fabulis & falsis reuelationibus. Hæc Conclusio, iam aliqualiter constat ex supradictis, sed libuit hic eam iterum referre, vt videatur specialiter, quod ad hoc propositum dicitur, in supradicto Concil. Lateranensi, loco vbi supra. *Si quibusdam* (inquit) *Dominus futura quædam, in Dei Ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, quoniam res tanti momenti est, cum non de facili credendum sit omni spiritui, sed teste Apostolo, probandi sint spiritus, an ex Deo sint an non, tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, Apostolicæ Sedis examini reseruatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeat, aut vrgens necessitas aliud suadeat, tunc eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur, vt ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & grauibus viris, & eiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbitur (super quo eorum conscientias oneramus) illud propalandi licentiam concedere possint.* Habetur in Supplemento, fol 127. concessione. 569. & refertur in Compendio vbi supra.

Tertia Conclusio.

Prædicatores à Prælatorũ reprehensionibus, aliorum ve iudicum, nimium oportet abstinere.

QVod etiam Prædicatores, aduertere summopere debent, est vt abstineant, à Prælatorum & Episcoporum, aliorumve iudicum detractione, & reprehẽsionibus. Hæc Conclusio etiã habetur expressa, in supradicto Concilio Lateranensi, vbi eisdem præcipitur, *vt pacem ac dilectionem mutuam, & à Redemptore nostro tantopere commendatam vbique fouentes, non scindant vestem Christi inconsutilem, sed ab Episcoporum, Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque statu, scandalosa detractione, & aperta & manifesta redargutione abstineant.* Habetur etiam in Supplemento, fol. 127. concil. 567. & in Compend. vbi supra. Hoc idem præcepit, Clemens V. in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, *in Clement. Religiosi, §. quibus etiam, de priuilegijs*, vbi Gloss. *verbo, detrahant*, ad hoc propositum adducit, *cap. deteriores, 6. q. 1.* & D. Hieronym. scribentem ad Rusticum, vbi de ijs agens inquit, *Non est humilitatis meæ atque mensure, de ministris Ecclesiarum, siue strum quidpiam iudicare aut dicere, habent illi ordinem suum & gradus, &c.* Idem habetur *in cap. si Clericatus 16 quæst. 1.* Adducit etiam supradicta Glossa ibi, Tullium in inuectiua contra Sallustium dicentem, sæpe se vidisse, grauius offendere animos auditorum, eos qui aliena vitia aperte dixerunt, quam eos qui commiserunt. Quæ quidem verba multum sunt notanda, & memoriæ commendanda. Qualiter autem omnia ista sint intelligenda, & an in aliquo casu, supradicti carpi & reprehendi possint, saltim in communi, multis tradit supradicta Glossa, videatur ibidem; cuius verba in Compend. priuilegiorum, *verb. Prædicatores*, §. 10. ad vnguem licebit reperire. Videatur etiam hac de re Simancas de Catholicis instit. tit. 49 de Prædicatoribus, n. 9. & 10. vbi ad hoc propositum dicuntur plura, eaq; notatu dignissima.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Episcopi possint procedere, contra Prædicatores, errores, scandala aut diuinationes prædicantes, seu ipsos vel alios Prælatos & iudices, leuiter & temerarie reprehendentes?

Conclusio.

Episcopi Diœcesani possunt reprehendere atque punire Prædicatores supradicta facientes.

EPiscopi Diœcesani, possunt reprehendere atque punire, omnia supradicta facientes. Hæc Cõclusio, habetur expressa, in supradicto Concil. Lateran, vbi supra, quo loco quæ sequuntur habentur verba: *Si qui in prædicationibus, miracula falsa aut incerta, vel prophetias quæ ex sacra Scriptura non cõstãt prædicare, seu Episcopis aut eorum Superioribus præfatis, detrahere ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos Concilium incurrere voluit, & vt eorum exemplo alij attentare similia minime audeant, prædicationis etiam officium, eis esse interdictam perpetuo decreuit.* Habetur etiam in Supplemento, fol. 127. concessione 578. & in Compend. vbi supra, §. 21. & in Concilio Tridentino. *sess. 5. cap. 2. §. si vero*, hoc idem statuitur, fuitq; olim per Clement. V. idem statutum *in Clement. Religiosi, §. quibus etiam, de priuileg. & excessibus priuilegiatorum.* Aduertit tamen Concilium Tridentinũ, vt curent Episcopi, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, neve iustam de eis conquerendi occasionem habeant. Ad quorum omnium maiorem obseruantiam, etiam præcepit Episcopis, vt apostatas aut fratres extra Claustrum degentes, ad prædicationis officium non admittant, quod etiam Clemens IIII. olim stricte prohibuit, vt habetur in Monumentis Ordinis. 1. impress. fol. 58.

Prædicatores à Religione apostatæ, nullatenus ad prædicationẽ debent admitti.

& secundæ fol. 141. concess. 331. & quoad Carmelitas, habetur hoc idem in Monument. primæ impressionis. fol. 103. & secundæ fol. 286. concessione 472. Quoad Fratres vero Prædicatores, in Monument. secundæ impressionis, fol. 238. concessione, 557. & refertur in Compendio verbo vbi supra, §. 7.

ARTICVLVS VIII.

An possint Episcopi & Ecclesiarum Prælati, prohibere ne Parochiani veniant, ad audiendas Prædicatorum Regularium conciones?

Conclusio.

Episcopi atque Prælati, impedientes, suos subditos & Paræcianos, ne Prædicatorum Regularium cõciones veniãt audire, ipso facto sunt excommunicati

EPiscopi atque Prælati, impedientes suos subditos & Paræcianos, ne Prædicatorum Regularium, conciones veniant audire, grauiter peccant, quinuero & ipso sunt facto excommunicati. Hæc Conclusio, non aliter potest probari, quam afferendo hac de re, expressam Constitutionem Bonifacij IX. quæ habetur in Supplement. fol. 185. concession. 365. vbi dicitur, *quod sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, quibuscumque Ecclesiarum Prælatis, & alijs hoc stricte prohibuit & vetuit, ac præcepit ne populum, aut Parochianos suos retinere præsumant, quo minus accedant ad audiendas prædicationes nostrorum Fratrum, quoties & quomodo voluerint.* Huius Constitutionis mentionem facit etiam Corduba, in additionibus ad Compendium, *verbo, Prædicatores*, §. 13. videatur ibidem.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Prædicatores semel Episcopis præsentati, examinati & approbati, ab eis iterum compelli possint, vt præsententur, seu ab eorum successoribus?

Conclusio.

Prædicatores semel Episcopis præsentati, examinati & approbati non possunt ab eisdem iterum cõpelli, vt præsententur.

PRædicatores semel Episcopi episcopis præsentati, & etiamsi voluerint examinati, & approbati, non possunt ab eisdem iterum compelli vt præsententur, bene tamen á successoribus. Hæc Conclusio constat satis ex supradictis, quæst 45. artic. 5. 6. & 7. vbi agendo de Confessoribus, multa diximus eaque notatu dignissima, de quibus & de Prædicatoribus, cum eadem omnino militet ratio, nihil de nouo in præsentiarum occurrit discendum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Prædicatores Regulares, audiẽtibus ipsorum conciones, aliquas indulgentias possint concedere?

Conclusio.

Prædicatores Regulares, suis auditoribus quam plures indulgentias possunt concedere.

MVlta sunt priuilegia, quibus audientibus Prædicatorum Regularium conciones, indulgentiæ conceduntur. Hæc Conclusio, non aliter veniebat proban da, quam referendo supradicta priuilegia, sed quia hæc sunt plura atque diuersa, neque angustia temporis vt referantur permittit, in præsentiarũ facio missa, nec enim necessitas id exposcit. Sat sit dicere, quod prædicta priuilegia referũtur in Monument. Ordin. secundæ impress. fol. 260. cõcessione 647. & deinceps, & in Supplement. fol. 103 concessione 437. Quarum indulgentiarum memoriam latissimam facit, Collect. priuileg. *verb. indulgentiæ quoad seculares*, 5. eas in particulari enumerando, & in fine omnes epilogando, dicit quod Prædicatores quandocumque prædicant, ad minus suis auditoribus possunt concedere, 18. annos & 222. dies indulgentiæ, pro quocũque die siue sermone, & aliquando amplius pro temporis diuersitate, & sermonum diuersa ratione, quæ pro isto Articulo breuiter dicta sufficiant.

Nota copiosam indulgentiarum numerum, quas lucrantur audiẽtes nostrorum Fratrum conciones.

ARTICVLVS. XI.

Sitne Prædicatoribus Regularibus, cõcessum aliquod priuilegium, pro anticipando, seu postponendo diuino officio.

Conclusio.

Conciones, & Prædicatores prædicationis gratia, officium diuinum possunt anticipare siue postponere, ex speciali priuilegio, atque interdum illud immutare.

EO Decimus concessit, quod Prædicatores verbi Dei, Ordinis Minorum de Obseruantia, quando æstu prædicant, vt puta in aduentu & Quadragesima, possint officiũ feriale anticipare, & festa pro illis diebus reseruare, quibus illos amplius laborare necesse est. Habetur hæc concessio in Supplemento, fol. 91. concess. 265. & refertur in Compend. *verb. Prædicatores verbi Dei.* §. 15. Sed addidit, vt non id fiat in fraudem diuini officij, sed vt liberius valeant studio vacare, & consolationi spirituali fidelium populorum incumbere. Hæc concessio, non videtur reuocata per Constitutionem Pij V. positam in principio Breuiarij, qua præcipitur stricte, vt officium diuinum persoluatur, iuxta Breuiariũ auctoritate Concilij Tridẽtini reformatum; nam supradicta Constitutio, intelligitur communiter & regulariter loquendo, & de communi consuetudine, non autem in casibus particu-

ticularibus, quia ipſius Pij V. intentio tãtum fuit prohibere, ne per antiqua Breuiaria recitaretur. Ita tenet Nauarr. in Man. cap. 25. n. 82. & Medina, in ſua inſtructione Confeſſ. c. 9. & Emm. Roderic. tom. 3. qq. Regul. quæſt. 32. artic. 12.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ſit aliquod priuilegium, Prædicatoribus Regularibus conceſſum, pro non ſtrictè ſeruanda forma ieiunij?

Concluſio.

DEo X. ſupradictus, conceſſit quod Fratres Minores Prædicatores, actu prædicantes, poſſint ſine ſcrupulo ac ſine conſcientiæ ſtimulo, & ſeruato ieiunio, anticipare & retardare horas, comeſtionis & ſerotinæ colationis, iuxta ſuam conſolationem. Habetur hæc conceſsio, in Suppl. fol. 93. conceſſ. 282. & refertur in Conpend. *verb. Prædicatores verbi Dei*, §. 16. Circa quam conceſsionem, nihil occurrit dicendum, præter quam, quod ſupradicta priuilegia, impetrantur interdum ad cautelam (vt dicitur) & ad maiorem conſcientiæ ſecuritatem, & propter impetrantium cõſolationẽ; nam exiſtente aliqua vrgente neceſſitate, non erat opus ſupradictis priuilegijs, vt late tradit & probat Nauar. in ſuo Manua. cap. 21. numer. 16. & cap. 25. num. 201

Concionatores & Prædicatores prædicationis gratia, ieiunij tẽpore comeſtionis horam poſſunt anticipare, quinuero & immutare, cum colatione.

QVAESTIO LI.

De Apoſtatis & fugitiuis, qui poſt factam ſolemnem profeſſionem, ſine ſuorum Prælatorum ac Superiorum licentia, é Monaſterijs receſſerunt, in Octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm quicumque Religioſus, poſt ſolemnem profeſſionem factam, ſine ſui Superioris licentia ê Monaſterio recedit, cenſendus ſit Apoſtata, proprie atque in rigore loquendo?

Quid nam ſit Apoſtaſia?

RO Huius Articuli intelligentia, oportet præmitere, quidnam ſit Apoſtaſia? Pro quo dico ex Syluestro *verb. Apoſtaſia & fuga Monachorum num.* 1. quod hoc nomen Apoſtaſia, ſecundum vocabuli ſignificationem, & ſuam etymologiam, idem pollet, ac *retro ſtatio*, ſiue retroceſſio, deriuatur enim ab *apo*, quod eſt *re*, & *ſto*, quod eſt ſtare, importatque retroceſſionem quamdam, ſiue ſeparationem à Deo, vt dicit D. Thom. 2. 2. q. 12. artic. 1. in corpore. Quod cum tripliciter fieri contingat, ſecundum triplicem modum, quo homo cum Deo ipſo cõiungitur, nempe per fidẽ, per obedientiam, & per aliqua ſpecialia ſupererogationis opera, vt fit in profeſſione ſolemni Religionis, Clericatu & Ordine ſacro, hinc fit vt triplex etiam ſit Apoſtaſia, quod etiam tenet Gloſſa, *in cap. de Apoſtatis*, ſcilicet à fide, à diuinorum mandatorum obſeruantia, & à Religione, quam ſemel quiſpiam ſolemniter profeſſus eſt, vel ab Ordine quem ſuſcepit. Quæ quidem tria, ſeruant hunc interſe ordinem, vt primum ſit aliorum omnium fundamentum, quo ſublato nihil omnimo remanet boni, quinuero quidquid excogitari poteſt mali. Sublata enim fide, (totius Eccleſiaſtici ædificij fundamentum) omnia deſtruuntur, non vero è cõtra. Poteſt namque contingere, vt quis à Deo recedat, per mentem diuinis mandatis repugnantem, quinuero & per receſſum à Religione ſeu ab Ordine, & adhuc prædictis duabus Apoſtaſijs exiſtẽtibus, coniunctus cum eodem remaneat per fidẽ, at ſi à fide diſcedat, omnino à Deo retrocedere cenſetur. Verba ſunt expreſſa D. Thom. Et hinc eſt, quod inter prædictas Apoſtaſias, illa quæ eſt à fide, primum teneat locum, & ſit quæ ſimpliciter atque abſolute, nomẽ promeretur Apoſtaſiæ. Sed in præſentiarum non eſt agendum à nobis de iſta, neque de illa, quæ eſt à diuinorum mandatorum obſeruantia, ſeu à Clericatu, ſed tantummodo de Apoſtaſia, quæ fit per retroceſſionem ab Ordine, ſiue à Religione, quam ſemel quiſpiam ſolemniter profeſſus eſt: de qua quæritur in præſenti Articulo, An quicumque Religioſus, poſt ſolemnem profeſſionem factam, è ſuo Monaſterio recedit, ſine ſui Prælati & Superioris licentia, dicendus atque exiſtimandus ſit Apoſtata, loquendo proprie & in rigore? Cui difficultati reſpondetur, per duas ſequentes Concluſiones.

Nota quod Apoſtaſia eſt triplex, à fide, ab obedientia diuinorũ mandatorum & a Religione.

Prima Concluſio.

PRoprie atq; in rigore loquẽdo, nõ omnis Religioſus, recedens à ſuo Monaſterio ſiue à ſua Religione, inconſulto Prælato, etiamſi id fiat ſine habi-

Proprie, & in rigore loquẽdo, nõ om

Religioſus, & Monaſterio ſine licentia diſcedens, dicendus eſt Apoſtata.

habitu, eſt dicendus ſiue cenſendus Apoſtata; niſi voluntatem firmatam habeat in malum, & animũ ſiue intentionem, non redeũdi ad Religionem amplius, ſed huiuſmodi dicuntur, ac dici debẽt vagi & fugitiui. Hæc Concluſio, eſt expreſſa Caiet. 2. 2. q. 12. art. 1. vbi hanc mouet difficultatem, & reſpondet verbis expreſſis, id quod à nobis dictum eſt, diſtinctionẽ faciẽs, inter Religioſos apoſtatas, & vagos atque fugitiuos, penes hoc quod eſt diſcedere è Monaſterio ſine Prælati licentia, & habere animum & intentionem, ad Religionẽ amplius nõ redeundi; & diſcedere abeo, ſed cum animo redeũdi. Et in primo caſu ait eſſe vere & proprie apoſtatam qui illud facit, ſiue fugiat cũ habitu aut vero ſine ipſo, nam (inquit) non excuſatur ab apoſtaſia, & cenſuris ei annexis, ex hoc quod deſerat habitum, imo vero tenetur ad omnia, ad quæ tenẽtur apoſtatantes ſine habitu, non vero in ſecundo caſu, ſed aſſerit dicẽdos eſſe eiuſmodi, vagos & fugitiuos, cum non receſſerint aut vagentur extra Monaſterium, animo retrocedendi à Religione, ſed propter leuitatem, ſiue ob ſuorum Prælatorũ duritiam, aut forte propter libidinem vagãdi, vel quippiãſimile. Pro quorũ probatione dicit, quod Apoſtaſia in hoc ſenſu, vere & proprie atque formaliter loquendo, conſiſtit in retroceſſione à Religione, quam ſemel quiſpiam profeſſus eſt, quo fit, vt qui retroceſſioni à Religione numquam conſenſit, haud quaquam cenſendus ſit aut exiſtimandus Apoſtata proprie, neq; de eo dici poteſt, quod incurrerit in Apoſtaſiam, quamuis incurrerit peccatum inobedientiæ & rebellionis, excũdo è monaſterio contra præceptum Prælati. Verba ſunt expreſſa Caiet. Qui & probat ſuam ſententiam à ſimilitudinem certum eſt (inquit) quod qui exiſtens in Monaſterij Clauſtro, pertinaciter nollet obedire præcepto Prælati, iuſte aliquid præcipientis, quãuis dicendus ſit obſtinatus ſiue rebellis, non tamẽ poteſt aut dici debet Apoſtata, nihil ob aliud, niſi quia non habet animum retrocedendi à Religione. Idem ergo dicendum eſt in propoſito caſu, nã vtrobique Apoſtaſia retroceſſionẽ ſignificat. Hoc idem tenet Sylueſter, vbi ſupra q. 4. de mente, & ſententia Raymundi, explicando quis dicatur Apoſtata à Religione. Vbi dicit, non debere dijudicari Apoſtatam, proprie & in rigore, etiamſi ad longiquũ tẽpus diſcedat & diuagetur, niſi qui itaviuit, vt animum redeundi ſe depoſuiſſe oſtendat. Pro quo allegat, *l. deſertorem, ff. de re milit.* quæ quidem valde facit ad propoſitũ, & vt conſtet qualiter de ratione Apoſtaſiæ proprie dictæ ſit, quod Religioſus poſt ſolemnem profeſſionem factam, ſine Prælati licentia e Monaſterio diſcedens, illud faciat intentione & animo, amplius non ad Ordinem, ſiue Religionem redeundi, ſed viuendi ſemper irreligioſe, clericaliter aut ſæculariter, atque inobediẽter. Qua quidem ratione dicit quod ſi egrediatur, animo intrãdi aliud eiuſdem Ordinis Monaſterium licet laxius, nõ erit proprie & in rigore cenſendus Apoſtata, quod & probat ex Gloſ. *in ca. fin. de Apoſtatis, & c. ex parte, de temp. ord.* Si vero inquit, exeat & non ingrediatur aliud Monaſterium, neque ſubijciat ſe alterius obedientiæ Prælati, cum facultate & licentia debita, etiamſi retineat habitum & tonſuram, vere & proprie erit Apoſtata.

In quo conſiſtat ratio formalis Apoſtaſiæ.

Pro quo etiam allegat Innocent. *in cap. fin. de renun. ciat. & c. inteſſeximus, de ætat. & qualit. ord.* Vnde ait, quammaxime oportere, vt qui eiuſmodi ſunt, aliquod ingrediãtur Monaſterium, ſi omnino vitare volunt Apoſtaſiam & pœnas ipſius, iuxta *d. cap. ex parte, de temp. ord. & cap. Ioannes, de Regul.* quibus in locis ad hoc propoſitum in Gloſſis, dicũtur multa ſatis notabilia. Ex quibus omnibus infert prædictus Sylueſt. quod omnis Religioſus profeſſus, poſt ſolemnẽ profeſſionẽ factã, abſque ſui Superioris & Prælati licẽtia, è Monaſterio exiens, licet vagus, & profugus ſiue fugitiuus ſit dicendus, & nũcupãdus (nam fugitiuus eſt qui è Monaſterio exit, & per aliquod temporis ſpatium extra ipſum diuagatur, celans ſe ſuo Prælato, ſecundum Ioannem Andream & omnes communiter Doctores, quamuis poſtea pœnitentia ductus, ad Monaſteriũ redeat, iuxta *l. ſi quis fugitiuus, ff. de ædil. edict.*) non tamen eſt cenſendus aut dicendus Apoſtata; nam hæc duo, Apoſtata & fugitiuus, habent ſe ſicut ſuperius & inferius, ad hunc ſenſum, quod omnis Apoſtata eſt fugitiuus, non vero è conuerſo. Supra dicta omnia, in ſubſtantia dicit Sylueſter, loco ſupracitato, quæ quidẽ vera ſunt, proprie & in rigore loquendo, atque in foro interiori, ſecus eſt autem in exteriori, vt ſtatim in ſecunda Concluſione dicemus. In quo etiam ſenſu, intelligendam atque interpretandam eſſe cenſeo opinionem illam Bald. *in cap. ad noſtram, de appellat.* vbi ait, quod Regularis à Monaſterio exiens, ex metu ob aliquod peccatum quod forſan commiſit, ſeu quia nimium ſe ſenſit grauatum à Prælato, etiam ſine ipſius licentia, non eſt dicendus Apoſtata; præſertim ſi exijt vt adiret Superiorem, quò eum à tali grauamine liberaret. Quod probat Baldus argumento deducto, ex *l. contra papillum, §. is, qui ad maius adiutorium, ff. de reiud. & cap. cum parati, cum ibi ada. tat. de appellat.* Quam etiam ſententiam tenet Nauar. *ſuper cap. non dicatis, comment. 2. de Reg. num. 61.* cuius & rationem reddit, nam ſentiens ſe grauatum, ac propterea adiens Superiorem, non quidem apoſtatare ſed potius appellare videtur, *arg. cap. dilecti, l 2. de appellat.* Neque (inquit) huic reſolutioni, obſtat Concilium Tridentinum. *ſeſſ. 25. ca. 4. de Regula*, qua tenus præcipit, *vt nullus Religioſus à ſuo Conuẽtu diſcedat, etiam cauſa adeundi ad Superiorem, ſine ſui Prælati licentia, in ſcriptis obtenta*, quia Concilium loquitur de foro exteriori, & non eſt credendum, tãtum Concilium derogare voluiſſe, tam iuſtæ reſolutioni, tam graui rationi nitenti, per *l. ſi quando, C. de inoffic. teſtam.* Vel, inquit, intelligenda ſunt Concilij verba, de illo qui Superiorem adit, non ex aliqua graui, ſed leui aut leuiſſima cauſa. Probat hoc præterea Nauarro, quia ſecundũ ius, non eſt petendus conſenſus ſiue licẽtia ab eo, ob cuius grauamẽ tollendum, ad ſuperiorem recurritur, iuxta Gloſſ. *c. cũ paſtoris, 2. q. 7.* argumento etiam deducto, *ex cap. ex parte, de accuſatio.* licet regulariter loquendo, à Iudice ſit patenda venia, ſecundũ Archidiaconũ, *in d. c. paſtoris*, ſed aliud inquit, eſt petere illam à Iudice, aliud vero à parte iuxta *l. 1. & 2. C. de in ius vocand.* Poſt multa alia concludit prædictus Nauar. dicendo, eſſe certum quod adire ad Superiorẽ, ob iuſtũ grauamen illatũ, non eſt apoſtatare proprie, quia vim habet appellationis apud Religioſos, à

Quiſnam dicatur, vagus ſiue fugitiuus.

quorũ Superioribus poſſe apellari, verbo atq; facto, irrefragabiliter probant, *c. ad noſtram, c. reprehenſibilis capit. de priori, de appellat.* quod quidem licet aliqui doctores negent, ipſe tamen conſtantiſſime tenet, Religioſum poſſe appellare, etiam à correctione Regulari, quando modus exceditur, & ait quod non id vetuit Concilũ Tridentinũ, ſed hoc ſolummodo, ne quis Religioſus, leui ex cauſa è Monaſterio exeat, ſine licentia Prælati in ſcriptis obtenta, etiam vt adeat Superiorem. Non tamen, inquit, prohibet, quod Religioſus grauiter læſus, per viam iuſti grauaminis, ſeu appellationis iuſtæ, verbo vel facto interpoſitæ, poſſit adire Superiorem, ad conquerendum ſe de inferiori, cum hoc liceat, ſtando etiam in iure naturali nam malitijs hominum licitum eſt obuiare, *per leg. in fundo ff. de rei vendit.* Quod ſupradicta omnia ſint vera, & nullo modo contraria decreto Concilij Tridentini, inquit Nauarr. ſignum eſt euidentiſſimum, nam pœnæ quæ pro Apoſtatis conſtituuntur in iure, inter quas vna eſt excommunicatio maior, certũ eſt quod nõ incurruntur, ſed neque incurri poſſunt, niſi propter peccatum mortale, prout de excommunicatione habetur expreſſe, *in cap. nemo, cap. nullus, 11. quæſt. 3.* & certe (ait) quod non erit qui dicat, ſolũmodo exitũ temerarium Religioſi alicuius, ſine iuſta & rationabili cauſa factum, eſſe peccatum mortale, & per illũ ſententiam excommunicationis incurrere, modo non ſit ſine animo ad Religionem amplius redeundi, neque dimittatur habitus, quia id nullo iure cauetur. Hæc ſupradictus Nauarr. Sed quamuis hæc ſententia ſit vera, loquendo de apoſtaſia proprie & in rigore, & de excommunicatione, incurſa aut nõ incurſa forſan in foro interiori & conſciẽtiæ, ſecus tamen eſt, loquẽdo de foro exteriori & Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, de quo ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Loquẽdo de apoſtaſia, et excõmunicatione in foro exteriori & Eccleſiæ, quicũque Religioſus à Religione ſeu Monaſterio recedit, ſine licentia Prælati, cenſetur Apoſtata & excommunicatus, etiamſi non habeat animum deſerendi Religionem.

Etiã occaſione ſtudiorum nõ licet á Monaſterio exire ſine licentia Prælati.

LOquendo de apoſtaſia in foro exteriori & Eccleſiæ, quicumque Religioſus, à ſua Religione ſiue Monaſterio recedit, inconſulto Prælato, cenſetur & iudicatur Apoſtata, & excommunicatus, etiamſi non habeat voluntatem obſtirmatam in malum aut id fiat animo nunquam redeundi, neque dimittat habitũ. Hæc Concluſio, vt credo, eſt omnium DD. communis, & probatur expreſſe, *ex cap. 2. & gloſ. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* vbi hac de re agendo, ſequentia ponuntur verba: *Vt periculoſa Regioſis, euagãdi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis, quacumque Religionem tacite vel expreſſe profeſſus, in ſcholis vel alibi, temere habitum Religionis ſuæ dimittat, neque accedat ad quæuis ſtudia litterarum, niſi à ſuo Prælato, cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem, ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum, temerarius violator extiterit, excomunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.* Super quæ verba, ponderando illud verbum, *horum* dicit gloſſa ibidem, in vtroque caſu, incurri Apoſtaſiam & excomunicationis ſententiam, & dimittendo habitum & exeundo ad ſtudium ſine licentia. Et ponderat multum, quod Religioſus etiam fauore ſtudiorum, quod ex ſe adeo fauorabile eſt, exire non poteſt Monaſterium, ſine licentia ſui Prælati. Iuxta ſenſum prædictarum Concluſionum, explicanda atque intelligenda eſt deciſio Rotæ, vbi olim quæſtione propoſita, ac nimis ibidem controuerſa & ventilata, vtrum Religioſus exiens Monaſterium, ſine ſui Prælati licentia, ac dimittens habitum, ſeu portans illum occulte, eſſet excommunicatus ex vno dumtaxat capite, an vero ex duobus, ſiue duplici ex cauſa, concluſum fuiſſe dicitur, eſſe quidem excõmunicatum, propter hoc vltimum ſolummodo, nempe quia dimiſit habitum, ſeu illum portauit occulte, non vero propter primum, quia re vera talis non eſt cenſendus apoſtata, propter ſuperius dicta. Quæ quidem Rotæ reſolutio, vera licet ſit, loquendo de apoſtaſia vere & proprie atque in rigore, quoad forum conſcientiæ & interius, prout à nobis in prima Concluſione eſt dictum: non tamen ſi fiat ſermo de foro exteriori & Eccleſiæ, nam vt conſtat expreſſe, *ex dicto capit. 2, & gloſſ. verb. horum,* contrarium omnino apparet dicendum, ſiquidem dicitur, quod propter quodlibet illorum, excommunicationis ſententia ipſo facto incurritur, & propter receſſionẽ à Monaſterio, & propter dimiſſionem ſiue deſertionem habitus. Præterea notat ſupradict. gloſ. *verb. ipſo facto*, ac nimis ponderat, excommunicationis ſententiam prædictam, ipſo facto incurri, & dicit id fuiſſe ſpecialiter ſtatutum, in odium criminis apoſtaſiæ Religioſorum, nam alias (inquit) apoſtatæ olim, non erant ipſo facto excommunicati, ſed excommunicandi, pro quo citat multa iura & capita, *capit. ſi quis Clericus, de vita & honeſt. cleric. capit. ſi quis de apoſtat. & capit. ſæpe, de tempor. ordin. in 6.* vbi idipſum notat & ponderat, alia ſimilis Gloſſa, *verbo, apoſtatæ*, allegans omnia ſupradicta iura. Sed quod prædicti apoſtatæ ſiue fugitiui, recedentes à ſuis Monaſterijs, ſine ſuorum Prælatorum licentia, in dicto foro exteriori, ipſo ſint facto excommunicati, conſtat præterea, ex multorum ſummorum Pontificum decretis priuilegijs, conſtitutionibus, & ordinationibus, quibus id expreſſe habetur, & de illis fit mentio, in Monum. Ordin. variis iſi locis, quæ quia peruia ſunt, ac facile reperiri poſſunt, in præſentiarum referre non libuit, ſat ſit ſcire, quod in ſumma reperientur in Compend. priuileg. *verbo, Apoſtatæ, ab Ordine.* Faciunt & ad idem, ſpeciales conſtitutiones, Pauli Quarti, & Pij Quarti, nuperrime editæ, quibus excommunicari iubentur, quinuero & excommunicati ipſo facto eſſe declarantur, omnes & ſinguli Religioſi, cuiuſcumque Ordinis & conditionis extiterint, qui poſt ſolemnem profeſſionem factam, ſine ſuorum Prælatorum licentia, quouis prætextu & cauſa, temere extra ſuorum Monaſteriorum clauſtra diuagãtur. Apponuntur que multæ pœnæ contra ipſos, & vocantur apoſtatæ, vtcumque id fiat, cum habitu vel ſine habitu, iubenturque Epiſcopi, & locorum Ordinarij, eoſdem vt ad ſuas proprias Religiones redire compellant, quibuſcumque remedijs iuris & facti.

Nota quod in foro exteriori Religioſus à Monaſt. exiẽs ſine licentia Prælati, eſt excomunicatus, quamuis non dimittat habitum.

Nota quod apoſtatæ olim non erant ipſo facto excõmunicati, ſed excõmunicandi, modo autẽ ſic.

ART.

ARTICVLVS II.

In quas pœnas incidant, eiuſmodi Apoſtatas & Fratres fugitiuos recipientes?

DRæſentis Articuli difficultas, in duplici ſenſu poteſt inueſtigari. Primo de recipientibus ipſos, in aliqua Religione & Ordine, vt eiuſdem fiant alumni & profeſſores, prætextu alicuius licentiæ ſeu priuilegij, quod in id ſe habere dicant: ſecundo loquendo de ſæcularibus eoſdem recipientibus in ſuis domibus, ſcienter vel ignorãter, & maxime de occultantibus illos, aut fauorem impendentibus, vt in tali ſtatu perſeuerent. De quibus omnibus, in ſequentibus concluſionibus, breuis fiet reſolutio.

Prima Concluſio.

Religioſi cuiuſcũque Ordinis (excepta Carthuſia) admittentes Fratres alterius Ordinis, præter ordinem iuris, prætextu cuiuslibet priuilegij, mortaliter peccãt & ſunt ipſo facto excommunicati.

REligioſi cuiuſcumque Ordinis & Religionis extiterint (excepta Carthuſia) admittentes ſiue recipientes Fratres alterius Ordinis, præter ordinem iuris, prætextu cuiuslibet priuilegij, quod in id ſe habere dicant, niſi nunc de nouo ſit conceſſum, mortaliter peccant, & ſunt ipſo facto excommunicati. Hæc Concluſio non aliter poſſet probari, quam referendo priuilegia, & Summorum Pontificum ordinationes, conſtitutiones & decreta, quæ ea de re habentur, ſed quia hæc ſunt multa ac fere innumera nec id per tempus licet, contentus ero, dicere, quod ſummatim reperiuntur, in Compend. priuileg. *verb. Apoſtatæ ab Ordine*, per diuerſos paragraphos. Et aduerto, quod licet vt dicitur, ab aliquibus in contrarium, ſpeciales poſtmodum impetratæ fuerint conceſſiones; omnia tamen priuilegia hac de re loquentia, & facultatẽ concedentia, ad hoc vt Religioſus vnius Ordinis ſeu Religionis, tranſire poſſit in aliam, præter ordinem iuris, & ſine expreſſa ſui Prælati licentia, poſtmodum fuerunt expreſſe per Pium Quintum reuocata, in ſua Extrauagant. quæ incipit, *Quæcumque ſacrarum Religionum*, facta anno Domini 1564. Vbi ſtricte præcepit, id vt nullatenus fieret, præter ordinem & diſpoſitionem iuris communis, ſub grauiſſimis pœnis, & inter alias apposuit prædictam pœnam, excommunicationis latæ ſententiæ. Hoc eſt certum, circa quod nihil aliud volo dicere, cum multa dicta ſint, quæſtio. 31. per plures Articulos, agendo de tranſitu Religioſorum ad alios Ordines, an ſit licitus, vel non, videanturibidem.

Secunda Concluſio.

Seculares recipientes in ſuis domibus, Fratres apoſtatas & fugitiuos, occultãtes & retinentes ipſos, fauorẽq; impendentes, vt in tali ſtatu permaneãt, mortaliter peccant & ſunt etiam ipſo facto excommunicati.

SAEculares recipientes in ſuis domibus, Fratres apoſtatas & fugitiuos, occultantes & retinentes ipſos, fauorẽq; impendentes, vt in tali ſtatu permaneãt, mortaliter peccant & ſunt etiam ipſo facto excommunicati. Hæc Concluſio conſtat ex ſupradictis priuilegijs, quæ vt dixi referuntur in Comp. *verb. apoſtata ab ordine*. Licet enim principaliter atque ſpecialiter, dirigantur contra Religioſos, recipientes & detinentes Fratres vnius Ordinis in ſuis domibus, vt ſuarum Religionum fiant alumni & profeſſores, ſub quorumcunq; priuilegiorum prætextu, ſecundario tamen dirigun tur, quinuero non minori, ſed vt videtur maiori ratione, cõtra omnes in præd. Concl. contentos, recipientes & occultantes illos, auxiliũ ſiue fauorẽ impendentes, vt in tali ſua apoſtaſia & malo ſtatu perſeuerẽt. Sed ad hoc ſpecialis eſſe videtur, quædam cõceſſio Innoc. VIII. quæ refertur in d. Cõp. verb. vbi ſupra, §. 4. *Qua ſtatuit & ordinauit, vt detinẽtes quoſcumque Minores Fratres, à ſuis Conuentibus ſine licentia ſuorum Prælatorum recedentes, ſint ipſo facto excommunicati.* & §. 17. præd. priu. Collect. in eodem verbo, refert quãdam copioſiſſimam prouiſionẽ, quam circa hanc rem, fecit olim Pius II. contra omnes Principes, Duces, alioſq; Magnates, fauentes apoſtatis & alijs Fratribus inobedientibus Ordin. Carmelitarum, mandans procedere contra illos, per cenſuras Eccleſiaſt. vſq; ad inuocationem brachij ſæcularis. Quod quidem indultum, ſpecialiter licet pro Fratribus prædicti Ord. Carmelitanorum fuerit conceſſum, eo tamen perfrui ac poti poſſunt, omnes Ordines & Religiones, priuilegiũ habẽtes cõmunicationis. Sed aduerto circa præd. Concl. q; quãuis mortaliter peccẽt & pœnã arq; ſententiam excommunicationis incurrant, apoſtatas prædictos & fugitiuos, in ſuis domibus recipientes, retinentes, occultantes, auxilium ſiue fauorem præſtantes, vt in ſuo malo ſtatu arq; apoſtaſia perſeuerent; ſi qui tamen illos recepe rint, non quidem in eum malum finem, ſed bono & ſimplici animo, & aliquo honeſto reſpectu, non qua ratione ſunt apoſtatæ, & à ſua Religione & profeſſione defecerunt, ſiue retrocceſſerunt, ſed quia ſibi ſunt conſanguinei & parentes, ſeu alia iuſta & rationabili cauſa, meo quidem videri, nec mortaliter peccabunt, nec in vllam pœnã excommunicationis incident. Quod & libet probare, argum. deducto à ſimili, nam etiam in Bulla Cœnæ Domini quæ quotannis publicatur, apponitur excõmunicationis pœna, & anathematizaturo mnes recipiẽtes & detinentes hæreticos, aut illis vllo modo auxilium ſiue fauorem præſtantes, & tamen communis eſt DD. reſolutio, quod prædicta excommunicatio, nõ comprehendit eos, qui illos recipiũt, auxiliũ ve ipſis præſtant, non tamquã hæreticis, ſed quia ſibi ſunt parentes, & conſanguinei, ſeu aliquo amicitiæ & humanitatis iure cõiũcti, prout notat Caiet. in ſua ſũma. Aliud enim eſt, recipere hæreticos ac fauere illis, in quantũ hæretici ſunt; aliud vero in quantũ ſunt parentes, conſanguinei ſeu affines, vel ſtricta amicitia aſtricti. Quæ diſtinctio, quãmaximũ habet fundamentũ *in c. duoſtanomina. 23. q. 4.* quod eſt D. Aug. vbi ait, homini eſſe miſerendũ, peccatori vero iraſcendum. Et paulo inferius, loquẽdo de fraterna correctione, inquit, quia peccator eſt corripe; quia homo eſt miſerere, nec enim omnino liberabis hominẽ, niſi eũ perſequutus fueris peccatorẽ. Verba quidẽ ſunt notanda, & memoriæ valde commendãda. Sic igitur in propoſito dicendũ videtur, quod qui apoſtatas & Fratres fugitiuos prædictos, in ſuis domibus receperint & retinuerint, nõ in quantũ apoſtatas & fugitiuos, ſed bono animo, & aliquo honeſto & iuſto reſpectu, nec mortaliter peccabũt, nec in pœnã excõmunicationis incidẽt. Quæ doctrina cõformis eſt alteri, quam in ſimili caſu adducit Nau. in ſuo

taliter peccãt & etiam ſunt ipſo facto excõmunicati.

Nota quod qui recipiunt Fratres fugitiuos, bono & ſimplici animo ſeu iuſto aliquo reſpectu, neque peccant neque in excommunicationem incidunt.

Manual.c.17.nu.55. agendo de ſupradictis hæreticorum receptatoribus,fautoribus aut etiam defenſoribus, vbi hoc idē omnino dicit,& ad id probādum adducit,*l.in delictis,§.ſi detracta,ff.de noxa.* & addit, quod hæretico extreme indigenti ,etiam ex præcepto diuino tenemur ſubuenire, argu. deducto,*ex cap.paſce,diſt.86.* quod eſt D. Ambroſ.lib. ſuorum officiorū, vbi ait,*paſce fame morientem;alioquin ſi non pauiſti occidiſti.* Concludendo ergo dicit præd. Nauar.quod ſi hoc ita non eſſet, omnes fere Catholici(etiam Religioſi)Germaniæ , Angliæ,Scotiæ,& bonæ partis Galliarum,eſſent excommunicati,& incideremt in cenſuram prædictam , latam contra fautores & receptores hæreticorum, cum illos in ſuis domibus recipiant,paſcant & foueāt. Quod non videtur dicendum,cum non id faciant, eo animo quia hæretici ſunt,ſed inquantum ſunt homines,ſibi ſanguine vel affinitate coniuncti,aut aliquo amicitiæ vinculo,ſiue humanitatis iure cōſtricti.Idem ergo dicendum eſt in propoſito caſu. Sed boni ac diſcreti viri,ſimul & prudentes, Fratres prædictos apoſtatatas & fugitiuos,etiam ſanguine ſeu aliquo alio vinculo ſibi coniunctos , in eum tantum finem debent recipere,atque in ſuis domibus admittere, vt conuertantur & ad ſuas proprias Religiones reducātur;quod ſi facere renuerint,ſtatim illos debent eijcere,tanquam oues perditas & derelictas, ſi ad ſanā mentē nō redeāt, à dæmonibus(quod abſit)deuorandas. Verba ſunt expreſſa Nauar.lib.3.Conſil.de Regul.conſ.69. n. 1.vbi de eiuſmodi apoſtatis agit.

ARTICVLVS III.

Quibuſnam conueniat , eiuſmodi apoſtatas & Fratres fugitiuos recolligere, & conſtringere vt ad proprias Religiones ſiue Monaſteria reuertantur?

HAec difficultas mouetur,ad explicanda quædam verba Conc. Trident. *ſeſſ. 25. c.4.* vbi hac de re agendo dicitur. *Non liceat Regularibus,à ſuis Cōuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedēdi,niſi ab eiſdem miſsi aut vocati fuerint; Qui vero ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento,repertus fuerit,ab Ordinarijs locorum, tanquam ſui deſertor inſtituti puniatur.* Quorum occaſione verborum,volūt nonnulli colligere, quod cura recolligendi prædictos Fratres Apoſtatas & fugitiuos,incumbat Epiſcopis & locorum Ordinatijs.Sed prædicta verba,alio modo ſunt intelligenda:vnde hac de re ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Cura recolligendi Fratres apoſtatas & fugitiuos , proprijs ipſorum Prælatis incumbit.

CVra recolligendi Fratres, Apoſtatas & fugitiuos,& conſtringendi illos, ad hoc vt ad proprias Religiones ſiue Monaſt. reuertantur , proprijs ipſorum Prælatis incumbit(reſpectiue) non autem Epiſcopis,ſiue locorum Ordinarijs , niſi in aliquo ſpeciali caſu,aut propter illorum incuriam & negligentiam.Hæc Concl.non aliter probari poteſt,quam dicendo eſſe quam plura Apoſt.priuilegia,idipſum concedentia,Prælatis Regularibus, vt Fratres ſuos apoſtatas,poſsint recolligere,excommunicare,ligare,vinculis conſtringere & carceribus mancipare,prout ſibi ſecundum Deum, melius videbitur expedire.Habetur in Monumen. Ordin.diuerſis in locis & referuntur in Comp. *verb.apoſtatæ ab ordine,§.3.* vbi etiam Innoc.IIII.præcepiſſe dicitur,omnibus Eccleſiarum Prælatis , vt omnino euitarent Minores Fratres ,ab Ordine poſt profeſsionem ſine licentia decedentes, præſertim ſi eſſent excōmunicatione notati , & quod illos facerent excommunicatos denunciari, cum à Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus fuiſſent requiſiti.Ex quibus plane verbis,non obſcure,quin vero ſatis clare colligitur,quod huiuſmodi cura recolligendi Fratres ſibi ſubditos,apoſtatas & fugitiuos,primo & principaliter,eorundem Prælatis incumbit,non vero Epiſcopis & locorum Ordinarijs,niſi ſecundario,aut niſi mid ab eiſdem auxilium expoſtulauerint,& ad ſuam requiſitionem aut forſan ſi in ſuis diœceſibus deliquerint, & præfati Prælati Regulares in ipſis recolligendis, pigri & negligentes extiterint,in quo caſu quam maxime,ſunt intelligenda verba Concilij Tridentini prædicti.Sed veniendo ad poteſtatem quam habent Religionum Prælati,ad recolligēdos ſuos ſubditos apoſtatas & fugitiuos , dicit Nauarr. *in cap.nullam,18.q.2. Comment.3.de Regul.n.50.* eam eſſe tantam de iure communi,& ſecluſo quocumque ſpeciali priuilegio , quod poſſunt abſque aliquo ſcrupulo,ſeu excommunicationis periculo eoſdē realiter capere,vincire atque incarcerare, & facere quæcumque ſecundum Deum ſibi viſa fuerint expedire,quouſque ad ſanam mentem redeāt, & ad proprias Religiones ſiue Monaſteria reuertantur.Quod probat multis iuribus & rationibus, & primo,quia quicumq;(inquit)rem aliquam poſsidet,ſi ab eo auferatur, poteſt illā propria auctoritate recuperare,cum ius habeat inſiſtēdi eidē,per diffinitionem,quam tradit Bart.*in l.ſi quis , §. differentia,ff. de acquir. poſſeſſ.* Idem ergo , dicendum eſt in propoſito.Sed præterea ſecundo probat idipſum, nam communis eſt Doctorū reſolutio, quod Dominus poſſidens ſeruum,fugientem poteſt capere,vbicumque illum inuenerit,*per l.1.§ per ſeruum qui in fuga,ff.de acquiren.poſſeſſ.* ſimiliter *& in l.1. C.vbi Curialis,vel Cohorialis,* dicitur quod qui habet Curialem vel Cohortalem,hoc eſt,Curiæ vel Cohorti obligatum,fugientem poteſt etiam propria auctoritate capere,vel ſaltem Cohortis,cui eſt obnoxius.Itē *& in l.1.C. vbi cauſa ſtat* , dicitur , quod qui habet ancillā &inuenit eam fugientem,extra Prouinciam & proprium territoriū , poteſt illam propria auctoritate capere.Multæ præterea ſunt leges,quæ dicunt idipſum, de marito inueniente vxorem fugientem.Idem ergo inquit Nauarr. dicendum eſt in propoſito caſu,de Prælato Regulari reſpectu ſui ſubditi,apoſtatæ & fugitiui, etiam ſtando in iure communi , & ſecluſo quocumque particulari priuilegio. Quod dicit eſſe verum, etiā antequā Prælatus,prædictum ſubditum ſuū, per cenſuras ad Monaſterium redire moneat , aut ob contumaciam excōmunicet illum,ſeu brachiū ſe-

Nota circa poteſtatem, quā habet Religionū Prælati,recolligēdi, vincīdi & incarcerandi Fratres apoſtatas & fugitiuos.

ſeculare imploret. Cuius nulla alia eſt ratio, niſi ea quam adduximus, nempe quod quicumq; rem aliquam poſſidet, poteſt illam propria auctoritate recuperare, capere & detinere, quocumque modo potuerit, cum ius habeat inſiſtendi eidem: nam & hoc ad cuiuslibet rei poſſeſſorem pertinet. Concludendo igitur dico, quod cura recolligendi apoſtatas & Fratres fugitiuos prædictos, primo, ſpecialiter & principaliter eorumdem Prælatis incumbit (reſpectiue) Epiſcopis autem & locorum Ordinarijs, non niſi ſecundario, in caſu quo ipſi, in re tanti ponderis & momenti negligentes extiterint, ſeu dicti apoſtatæ in ipſorum diœceſibus & Ciuitatibus deliquerint, aut aliquod ſcandalum fecerint, quod & facere tunc poterunt, virtute ſuprædicti decreti Concilij Tridentini, & etiam vigore ſpecialis conceſſionis Sixti Quinti, factæ pro recolligendis Apoſtatis prædictis. At licentias ex poſtulare, tranſeũtium Fratrum cum iter faciunt, haudquaquam crediderim, id pertinere ad Epiſcopos prædictos, aut locorum Ordinarios, nec vnquam vidi, poſitum hoc fuiſſe in conſuetudine. Hactenus de iſto articulo.

ARTICVLVS IIII.

Qualiter Prælati Regulares, procurare teneantur, vt Fratres apoſtatæ & fugitiui, ad ſanam mentem redeat, & ad propria Monaſteria reuertantur?

Concluſio.

Prælati Regulares, requirere tenẽtur Apoſtatas & fugitiuos et procurare vt ad ſua Monaſteria reuertantur.

PRælati Regulares ſtrictiſſime tenentur, ſummo ſtudio requirere, Fratres apoſtatas & fugitiuos, obnixeque procurare, vt à tali ſtatu exeant, & ad propria ſua Monaſteria, ſiue Religiones reuertantur. Hęc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo, Apoſtaſia, quæſt 6.* quam & probat ex *capit. ne Religioſi, de Regular.* cuius expreſſa ſunt ſequentia verba. *Ne Religioſi vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, ſtatuimus, vt præſidentes Capitulis celebrandis, ſecundum ſtatutum Concilij Generalis, ſeu Patres Abbates aut Priores, fugitiuos ſuos & eiectos de Ordine ſuo, requirant ſolicite annuatim. Qui ſi in Monaſterijs ſuis recipi poſſunt, ſecundum Ordinem Regularẽ, Abbates ſeu Priores eorum, monitione præuia, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, ad receptionem ipſorum, ſalua Ordinis diſciplina. Quod ſi hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate noſtra prouideant, vt apud eadem Monaſteria, in locis competentibus, ſi abſque graui ſcandalo fieri poterit, aliquin in alijs Religioſis domibus eiuſdem Ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur. Si verò huiuſmodi fugitiuos vel eiectos, inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Eccleſiarum Prælatis, excommunicatos publice denunciari, donec ad mandatum ipſorum humiliter reuertantur.* Verba ſunt prædicti capitis, ne Religioſi, quamaxime notanda ac memoriæ commendanda. Quod quidem decretum, ad litteram vt dicitur, olim obſeruabatur in praxi, ac in cunctis Capitulis generalibus & Prouincialibus, ſpecialis ea de re ſemper fiebat diligentia, & inquiſitio. Sed Syluester verbo vbi ſupra, explicando illud, inquit, quod in caſu quo Religioſus aliquis olim, alijs adeo eſſet ſcandaloſus & periculoſus, vt apte non poſſet capi corrigi & detineri inter illos. Prælatus non tenebatur, nec forte (inquit) tenetur modo, ad procurãdam eiuſdem reductionem, ne noceat alijs, poſtquam eius deſperatur correctio & emenda. Pro quo citat Archidiacon. & reddit ſatis apparentem rationem: nam, inquit, vtilitas communis, præponenda eſt bono cuiuſpiam particulari, quod etiam non ſequeretur ex correctione eiuſmodi incorrigibilis. Adducit etiam in id, *cap. reſecandæ, 24. quæſt. 3.* quod eſt D. Hieron. deſumptum ex Epiſt. ad Galat. cap. 5. vbi inquit, quod reſecandæ ſunt carnes putridæ, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus maſſa corrumpatur, ſed de hoc alias, cum de eiectis à Religionibus fecerimus mentionem. Huic Syluestri ſententiæ & opinioni, adhærere videtur etiam D. Bonauent. in quæſtionibus, quas fecit ſupra noſtram Regulam, quæſt. 14. vbi agens de eiectis prædictis, & de cauſis iuſtificatis ad expellẽdos aliquos Fratres ab Ordine, deſcendendo ad particularia, & ad apoſtatas & fugitiuos, qui antequam repellantur, Ordinem derelinquunt, poſt alia dicit ſequentia notanda verba. Si autem Deo permittente, quiſpiam ſe ipſum eijciat, antequam per Prælatos dimittatur, gratiæ ſunt Deo referendæ, non quia ille peccauit, ſed quia oues ſuas à peſtifera contagione liberauit. Pro quo allegat D. Paul. in Epiſtol. ad Galat. de alijs in ſimili caſu, dicentem. *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Quæ verba explicat in hunc ſenſum, id eſt, qui conturbant puritatem veſtram, pacem & famam. Sed crediderim, eiuſmodi D. Bonau. verba, cũ ſale eſſe intelligenda, vt & ex alijs eiuſdem verbis, inferius poſitis facile erit colligere, ita vt locũ habeant dũtaxat, in caſu quo Fratris alicuius omnino emenda deſperatur. Etenim ſi ipſius ſperaretur correctio, & aliquorũ malorũ & ſcandalorũ impeditio, ſi cõſtringatur & teneatur, cõſtringi ac teneri, omni proculdubio debet, & cogi ad redeundũ in Monaſteriũ, vt expreſſe tenet Syl. loco ſupracitato, allegando in id, *c. à nobis, de apoſtatis*, vbi dicitur, eos debere conſtringi, incarcerari & affligi, donec à ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcant. At ſi id humiliter, & voluntarie fecerint, miſericorditer ac benigne debent recipi, vt aduertit ibi gloſſ. *verbo, reſipiſcant*, ſed de hoc in ſequenti articulo.

Nota valde hoc decretum pro requirendis, ac debite puniẽdis Apoſtatis & fugitiuis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Apoſtatæ & fugitiui, ad Ordinem reuertentes, benigne ſint admittendi & recipiendi, & qualiter cum eis eſt agendum, a Superioribus & Prælatis?

Nota quod Apoſtatæ & fugitiui, omni ſunt vituperio digni.

HEre hac Nauar. ſpeciale quoddam facit conſilium, lib. 3. de Regu. conſilio 69. vbi dicit, quod quamuis negare nemo poſſit, apoſtatas & fugitiuos, qui

Ordine aut forſan habitu derelicto, cum multorum fidelium ſcandalo, per mundum diuagantur, regulariter loquendo, omni eſſe pœna & vituperio dignos, & indignos omni fauore & auxilio, tũ quia manu ſemel miſſa ad aratrum, contra Euangelicum conſiliũ retro aſpicientes, non ſunt proinde apti regno Dei, vt habetur, Luc. 9. tũ etiã quia vt plurimum, in multa crimina dies committunt atque facinora, indigna Religioſis viris, multumque digna, vt rigida & rigoroſa cenſura & diſciplina caſtigentur, cum cæteris paribus, iuxta ſententiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 9. omnia Religioſorum peccata, grauiora ſint quam ſeculariũ, quamuis, inquit, id ita ſit, ſi tamen ipſi ad ſanam mentem redeant & conuertantur, ac humiliter ſe in Religione recipi & admitti expoſcant, id omni procul dubio faciendum eſt. Quod & tenent omnes Doctores communiter, de quo proinde ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Apoſtatæ & fugitiui, humiliter habitum expoſtulantes, benigne ſunt recipiendi.

APoſtatæ & fugitiui ad Ordinem redeuntes, & humiliter vt admittantur, & recipiantur expoſtulantes, benigne ſunt recipiendi. Hæc concluſio conſtat in primis, ex gloſſ. *in cap. à nobis, de apoſtatis, verbo, reſipiſcant.* Vbi hoc expreſſe habetur, ac dicitur eoſdem benigne, imò verò cum venia, eſſe recipiendos, quia inquit, Eccleſia numquam conſueuit, redeuntibus claudere miſerationis ſuæ gremium. Pro quo allegat *l. inter claras. C. de ſumm. Trinitat. & fid. Cath.* vbi dicitur, quod Eccleſia Dei, nulli vnquam viſcera miſericordiæ ſuæ claudit, vtcumque peccator ſit, dummodo conuertatur & pœnitentiam agat. Allegat etiam ad id *capit. ſi quis omnem, 1. quæſt. 7.* vbi multis ex ſacra Scriptura petitis locis probatur, peccatores poſt pœnitentiam recipiendos eſſe, Deumque illis indulgere quæcumque peccata, vtcumque grauia extiterint. Facit & ad hoc, illud quod habetur apud Iſaiam, cap. 42. vbi ad litteram de Chriſto Domino, in perſona venturi Meſſiæ dicitur, quod calamum quaſſatum non confringet, & lignum fumigans non extinguet. Quod & ipſe per omnem vitam ſuam, rebus & verbis, ſemper præſtitit in omnibus ſibi occurrentibus caſibus, oſtenduntq; illud ſatis verba, quæ habentur Lucæ. 9. quibus dixit, ſe veniſſe in hunc mundum, non vocare iuſtos ſed peccatores. Et cap. 15. dixit, velle ſe miſericordiam magis quam ſacrificium, nec opus eſſe valentibus medico, ſed male habentibus. Quod & oſtendit, etiam ſimilitudine petita, de paſtore ſummo ſtudio, ouem vnam perditam requirente, & ad caulas reducere procurante, nonaginta nouem in deſerto relictis, & eadem adinuenta, vt amici ſibi gratularentur expoſtulante. Hoc itaque certum eſt. Sed qualiter id fieri debeat, & prædicti apoſtatæ & fugitiui cum redierint, à Prælatis ſint recipiendi & tractandi, ac de congruo remedio prouidendi, hic opus hic labor eſt: nam cum nõ habeatur determinatum in iure. viri boni atque prudentis arbitrio eſt relinquendum, ſicut & cætera, quę certam determinationẽ non habent, *iuxta l. 2. C. de iure deliber. & cap. de cauſis de offi. deleg.* Nauar. loco vbi ſupra, ad hoc propoſitum, aliqua dicit multum notatu digna. Et primo, quod in principio ſunt blande, & benigne recipiendi: mox ſi ad ſanam mentem non redierint, terroribus ac minis inducendi, quo vti tenentur, manum mittant ad aratrum, applicandaque illis ſunt remedia, iuxta ſuorum delictorum, ſeu potius infirmitatis ſuæ exigentiam. Alijs præſtita facultate tranſeundi ad alia Monaſteria, ſeu etiam ad alias eiuſdem Ordinis Prouincias, & interdum ad alios Ordines, quod Prælatos poſſe facere, dicemus ſtatim, prout ſecundum Deum ſibi magis videbitur expedire, ea tamen lege & pacto, vt non propterea fiat aliquid quod non expediat, quia ne mo, inquit, debet ex delicto reportare commodũ, vt habetur *in l. itaque Fullo. ff. de furtis, & capit. 1. de poſtulat. Prælat.* Facit *& cap. legi, 16. quæſt. 1.* quod eſt D. Auguſt. in Epiſtol. 76. quæ eſt ad Aurelium. Et quia eſt textus valde notabilis, ad hoc propoſitum, libuit ad litteram, hic ipſum apponere. Expoſtulatũ fuit olim à D. Auguſtino, vt certis ſuis Fratribus, qui apoſtatæ ac fugitiui fuerant, facultatẽ tribueret, quò ad ſacros ordines poſſent promoueri, & reſpondit. *Legi epiſtolam benignitatis tuæ, de Donato & Fratre eius, & quid reſponderem diu fluctuaui. Sed tamen etiam atque etiam cogitanti, quid ſit vtile ſaluti eorum, quibus in Chriſto nutriendis inſeruimus, nihil mihi aliud dicendum occurrit, niſi non eſſe iſtam viam dandam ſeruis Dei, vt ſe facilius putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint ipſi deteriores. Et ipſis enim facilis lapſus, & Ordini Clericorum ſit indigniſſima iniuria, ſi deſertores Monaſteriorum, ad militiam Clericatus eligantur, cum ex eis qui in Monaſterio permanent, nonniſi probatiores atque meliores, in Clerum aſſumere ſoleamus.* Verba quidẽ ſunt notatu digniſſima, & quæ quammaxime faciunt, ad propoſitũ de apoſtatis non ordinandis illos vel maxime, qui & propterea vt ordinarẽtur, apoſtaſiæ crimẽ commiſerunt. Vtcumque enim tales charitatiue atque benigne recipiantur, nullo tamen modo expediens eſſe videtur, vt vnde vindictam & ſupplicium reportare deberent, inde accipiant commodum. Pro quo etiam facit, *capit. Sedes Apoſtolica, de reſtr.* vbi ad ſimile propoſitum habetur, quod *fraus & dolus, nulli vnquam debent patrocinari*, quod eſt etiam valde notandum, ac memorię commendandum.

Nota quod nemo debet, ex delicto reportare commodum.

Nota valde quod Apoſtatæ & fugitiui, haudquaquam ſtatim vt redeunt, ſunt ordinandi, vt non ex delicto reportent commodum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Prælati Regulares, apoſtatis & fugitiuis, licentiam poſſint præſtare, vt transferatur ad alios Ordines?

DIuus Bonauent. quæſt. 14. ex his quas fecit circa ſtatum noſtri Ordin. quæſtionem hanc difficultat, dicendo videri poſſe cuipiam, Prælatos facere nõ poſſe copiã, dictis apoſtatis ſiue fugitiuis, vt ad alias Religiones transferantur, cum nulla noſtræ ſit æqualis, nec aliquo modo cũ ea poſſit comparari. Etenim inquit ſi id facerent, cũ in alia inuenire nõ poſſint, quod in noſtra promiſerunt, viderentur eoſdem efficere, ſuorum votorum tranſgreſſores, & conſequenter peccarent. Hoc dicit per modum dubitandi, & vt difficultatem in ſuo puncto conſtituat,

ſtituat, quo nihilominus non obſtante, parti adhæret affirmatiuæ; quæ & tenenda eſt, ex communi omnium Doctorum reſolutione, etiam ſtando in iure communi, & ſecluſo quocumque priuilegio, ſeruato tamen ordine, *cap. licet quibuſdam, de Regular.* de quo ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Prælati Regulares in, caſu quo expediēs ſibi videatur, bene poſſunt licentiam præſtare, apoſtatis & fugitiuis, vt ad alios transferantur Ordines.

PRælati Regulares, in caſu quo expediens ſibi videatur, bene poſſunt licentiam præſtare, apoſtatis & fugitiuis, vt ad alios transferantur Ordines, ſeruata tamen forma, *dicti cap licet quibuſdam, de Regul.* Hæc concluſio vt dixi, communis eſt omniū Doctorum reſolutio, & in eodem cap. ſupponitur quin vero & dicitur, ſi Religio fuerit ſtrictior, quod ſufficit licentia petita, quamnis non obtenta, ſed nolo hac in re immorari, cū circa hoc, quæſtione 31. per plures articulos, longiſſimam habuerimus diſputationem. Solummodo de nouo occurrit dicendum, quod in Monument. noſtri Ordin. 1. impreſſ. fol. 26. & 2. fol. 28. conc. 22. & refertur in comp. verb. apoſtatæ ab Ord. §. 6. aliqua etiā ſunt in id ipſum expreſſa priuilegia. Et primo dicitur, quod Alexand. IIII. *Præcepit in virtute ſanctæ obedientiæ, ac diſtrictè inhibuit, quibuſcumque Prælatis & Superioribus Minorum Fratrum, ne aliquibus Fratribus dicti Ordinis, aſſerentibus ſe non poſſe ipſius rigores & obſeruantias ſuſtinere, licentiam concedant, tranſeundi ad Ordinē ſancti Benedicti vel Carthuſienſiū, niſi ſub ea conditione, quod in Ordine ad quem licentiantur, debeant permanere. Quod ſi contra fecerint, & ad minorem ſeu minus ſtrictū Ordinem, vel (quod abſit) ad ſeculū redierint, voluit quod Prælati poſsint circa tales, rigorem Ordinis exercere. Ac inſuper decreuit, vt quidquid circa conceſsionem huiuſmodi licentiæ, ſecus factum fuerit, ſit irritum & inane.* Hæc cōceſſio, prohibitiua licet videatur, & re vera ita ſit, multum tamen facit ad præſens noſtrum propoſitum, poſtquam in ea ſupponitur, quod Prælati Ordinis Minorum, licētiam præſtare poſſunt ſibi ſubditis, apoſtatis & fugitiuis, vt tranſferantur ad alios Ordines, quando dixerint, ſe non poſſe rigores Ordinis ſuſtinere. Quod & præſuppoſuit Clemens IIII. in alia ſua conceſſione, quæ etiam habetur in prædictis Monumentis, 1. impreſſ. fol. 57. & 2. fol. 142. conc. 328. & refertur in compend. vbi ſupra, §. 8. *qua ſtatuit, quod ſi aliqui de Fratribus prædicti Ordinis, poſt obtentam licentiam à Sede Apoſtolica, ſiue Prælatis eiuſdem Ordinis, ad Religionem aliam tranſeundi, intra duos vel tres menſes, ſe ad aliam Religionem ſuæ ſaluti congruam non tranſtulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum Regularem, licitum ſit Generali & Prouincialibus Miniſtris, ac vices eorum gerentibus, contra ipſos tamquam contra alios præd. Ordinis apoſtatas procedere, ſecundum quod honeſtati ipſius Ordinis viderint expedire.* Et idem Clemens ad hoc propoſitum, feciſſe fertur ſimilem aliam conceſſionem, quæ habetur in Monument. Ordin. 1. impreſſ. fol. 58. & 2. fol. 141. conceſ. 330. & 331. & refertur in Compend. vbi ſupra, §. 11. qua ſtatuit, *vt eiectos ab Ordine Prædicto, & regreſſos, qui à receptione in eodem Ordine, ſuis exigentibus culpis ſe redderent indignos, & alij Fratres eiuſdē Ordinis, qui ex rationabili cauſa, ad quoſcumque Ordines approbatos, (præterquā ad B. Auguſt. Templariorū, & Hoſpitalariorū, & aliorum Religioſorum, arma portantium) ad vitandam occaſionem vagandi, tranſire voluerint, Generalis & Prouinciales Miniſtri, cum ſuis teſtimonialibus literis, auctoritate Apoſtolica, liberam habeant licentiandi facultatem, & diſtrictè inhibuit, ne tales ad alium Ordinem, aliter tranſire, vel aliqui eos recipere ſeu retinere præſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, faciente de hoc plenam & expreſſam mentionem.* Hæc conceſſio eſt omnium præſtantiſſima, & quæ magis directe reſpondet, quæſito difficultatis propoſitæ in iſto Articulo, ſiquidem in eadem præſtatur facultas, Prælatis Regularibus prædictis, vt licentiare poſſint ſibi ſubditos, apoſtatas & fugitiuos, auctoritate Apoſtolica, vt tranſferantur ad alios Ordines. De hac materia tranſeundi de vno Ordine ad alium, iam plura diximus ſupra, in quo caſu liceat aut non liceat, videantur ibidem: nam non eſt in votis, ſine occaſione & cauſa, eadem ſemel & iterum referre, & in eo inaniter tempus conſumere.

ARTICVLVS VII.

Cui cedant Apoſtatarum, & Fratrum fugitiuorum bona?

Nota priuileg. Leonis X. pro fugitiuis, & apoſtatātibus

CIrca hunc articulum, ſummopere aduertere oportet, quod in Supplemento priuilegiorum, folio. 2. conc. 203. refertur quædam conceſſio Leonis X. *Qua conceſſit, vt quandocumque acciderit, quod Minores Fratres, extra obedientiam obſeruantiæ vagantes, fuerint capti aut ſponte ad Ordinem redierint, qui aliqua habuerint bona, quæ tempore apoſtaſiæ diuerſis vijs acquiſierint, poſſint Prælati Ordinis & alij Fratres, quibus illud ipſi commiſerint accipere talia bona & ea exigere à quibuſcumque perſonis illa detinentibus, & vti illis, ſi talia ſint quorum vſum habere liceat Fratribus, vel ſi eiuſmodi non ſint, quibus in propria ſpecie Fratribus ipſis vti liceat, vt ſunt pecuniæ, veſtes ſeculares & ſimilia, quod fiat de talibus rebus, ſicut fieri mandatur in declaratione ſuæ Regulæ de ſimilibus, quando ab alijs ſibi dantur, vel in teſtamentis leguntur, & conceſſit quod ſi oportuerit, eiuſmodi bona in iudicio petere, poſſint id facere, procurator ſeu Syndicus Ordinis deputatus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel alius amicus ſpiritualis Fratrum, qui ab aliquo Prælato Ordinis, ad hoc fuerit nominatus.* Hoc priuilegium multum eſt notandum: nam iuxta illud, dicendū videbatur, quod in noſtro ſacro Ordine, apoſtatarum ſiue fugitiuorum bona, pertineant non quidem ad Cameram, ſed ſpeciali iure immediate ad Sedem Apoſtolicam, & ad Syndicum eius nomine in cunctis noſtris Conuentibus conſtitutum & aſſignatum, quò in eorumdem Conuentuum commodum conuertantur. Quæ certe conceſſio, licet aliàs videatur priuilegium, multum fuit iuridica, ac communi iuri & rationi conſona: nam de iure communi loquendo, quidquid Monachus acquirit, quandiu in Religione eſt, & ab ea non eſt iudicialiter eiectus, Monaſterio acquirit, iuxta communem ſententiā, quam tenet ſpecialiter Innocent. *in cap. cum olim, el ſegundo, de priuileg.* ſiue illud acquirat nomine ſuo, ſiue vero nomine ſui Monaſterij. Quod etiam tenet Baldus, *in l. ſeruus. C. de pactis,* & tradit latiſſime Nauar. lib. 3. conſil. de Regul. conſ. 73. num. 1. & ſuper *capit. non dilatis,* 12. *quæſt. 1. nume.* 32. & quamuis

De iure communi, quidquid à Monachis acquiritur Monaſterio acquirit.

hoc

hoc quod eſt Monaſterio bona acquirere, verum non habeat ſed neque habere poſſit, in nobis Fratribus Minoribus qui, iuxta noſtram Regulam, à Summis Pontificibus explicatam & declaratam, approbatam & confirmatam, & in corpore iuris contentam, *in cap. exijt qui ſeminat, de verborum ſignificatione, lib. 6. & Clement. Exiuit de parad. eodem titulo*, omnino incapaces ſumus, cuiuslibet proprietatis & dominij, attamen iuxta eaſdem explicationes & declarationes, quod pro nobis metipſis, aut pro noſtris Monaſterijs, acquirere non valemus, tamquam Sedis Apoſtolicæ ſpeciales filij, eidem immediate ipſa acquirimus, ita quod omnia iura & quæcumque bona, quocumque modo quæſita, per quemlibet noſtri ſacri Ordinis Fratrem, ſpeciali iure ad Sedem Apoſtolicam pertinent, quantum ad proprietatem & dominium, licet diſponenda & adminiſtranda, ex Summorum Pontificum benignitate, in noſtrorum Conuentuum vtilitatem, per Syndicum ſiue Procuratorem, eiuſdem Sedis Apoſtolicæ nomine aſſignatum & conſtitutum. Ex quibus omnibus dicendum apparebat, in prædictis ſtando, quod apoſtatarum & fugitiuorum Fratrum bona, non ſolum de iure ſpeciali, atque ex vi ſupradicti priuilegij Leonis X. in noſtris Conuentibus, verum etiam de iure communi (in alijs Conuentibus & Monaſterijs, dominij & proprietatis capacibus) eiſdem Monaſterijs cedunt, in noſtris autem, Syndico & Procuratori Sedis Apoſtolicæ, diſponenda tamen & adminiſtranda, modo prædicto.

Cui acquirat Frat. Minor. apoſtata ſine fugitiuus, & quilibet alius de iure communi.

Sed pro alia in contrarium parte, facit quod poſtea Paulus Tertius in quadam ſua Extrauag. data Romæ, anno 1541. tertio nonas Ianuarij, Pontificatus ſui, anno octauo, quæ incipit, *Romani Pontificis prouidentia*, omnia ſupradictorum apoſtatarum & fugitiuorum bona, quemadmodum & ſpolia Clericorũ, Cameræ Apoſtolicæ applicauit, quod & ſimiliter fecit. Iulius etiã Tertius, in alia ſimili Extrauagant. quæ incipit. *Cupientes*, data anno 1549. ſexto Idus Martij, Pontificatus ſui anno primo. Quin vero, & Paulus IIII. in alia quæ incipit *poſtquam diuina*, data anno 1556. octaua die Februarij, Pontificatus ſui anno primo, & Pius Quartus in alia quæ incipit, *cũ ſicut accepimus*, data anno Domini 1560. 30. Iulij, Põtificatus ſui anno primo, Pius etiam Quintus in alia, quæ incipit, *cum itaque* data anno 1567. 3. kalendas Septembr. Pontif. ſui anno primo, ij inquam Pontifices ſtatuerunt & decreuerunt, quod Religioſi apoſtatæ & fugitiui, nullomodo poſſent diſponere de bonis ſuis, quin vero omnia eorumdem bona, quocumque modo acquiſita, per illicitam negotiationem, quæ tempore mortis remanſerint inconſumpta, ſeu quibus in vita fuerint priuati, prædictæ Sedis Apoſtolicæ Cameræ applicentur, eique cenſeantur reſeruata. Quod & nuperrime ſimiliter fecit, Gregor. XIII. in alia ſimili Conſtitut. quæ incipit, *Officij noſtri partes*, data anno Domini 1577. Ex quibus omnibus manifeſte (vt videtur) colligitur, quod prędictorum apoſtatarum & fugitiuorum Fratrum bona, iam non pertineant ad eorum Monaſteria, etiamſi ſint dominij & proprietatis capacia, neque etiam reſpectu noſtri ad Syndicum, expendenda in vtilitatem noſtram, ſed (vt prędictum eſt) ipſo iure ad dictam Cameram Apoſtolicam, virtute dictarum Conſtitut. De quibus & earum explicatione & declaratione, videndus eſt Nauar. in Comment. cui titulus de ſpolijs Cler. §. 5 à num. 1. cum ſequentibus, ſed ſpecialiter, §. 7. nume. 4. explicando Conſtitutionem prædicti Pij Quarti, & verba illa, *de negotiatione illicita*, ponit ſequentia verba. Secundo noto, quod per verba illa, de negotiatione illicita, omnia quæſita, per negotiationem illicitam, Clericorum & Religioſorum, quæ tempore mortis ipſorum, manſerint inconſumpta, vel quibus in vita priuantur, pertinent ad Sedem Apoſtolicam, quod eſt ius quoddam nouum, tum quia nuſquam alibi hoc videtur ſtatutum: tum etiam quia Pontifex, vtitur verbo, *decernimus*, quod ius nouum inducit, iuxta Gloſſam receptam, in Clement. *per litteras, de præbend.* & alias tres, citatas à Felino, *in cap. decernimus, de iudicijs, num.* 10. Quo, inquit, fit, vt nõ videatur adeo firmum, id quod quidam reſponderunt, de bonis cuiuſdam Religioſi apoſtatę, qui nulla neceſſitate in id preſſus, apud Indos ad viginti milliaria ſcutorum negociando quæſiuit, dixerunt enim omnia pertinere ad Monaſterium, vnde iam profeſſus ſine licentia exiuit, & in Indiam ſe contulit. Nam licet ſecundum antiqua iura, recte reſpondiſſent, iuxta *cap. cum olim, de priuileg. el ſegundo*, & ibi notata per Innocen. ab omnibus receptum, & iuxta *Authent. ingreſſi. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & capit. nouo dicatis*, cum Gloſſ. 12. quæſtione prima, tamen in hac Bulla, quam ipſi non viderunt, contrarium ſtatuitur, quod tamquam quotidianum, valde videtur notandum, & conſulendum eſſe Monaſterijs, quorum Religioſi talia taliter quæſiuerunt, vt ſe componant cum Camera Sedis Apoſtolicæ, quæ in illos ius ſuum transferat, quõ talia bona iure firmo petere poſſint. Hæc ſupradict. Nauarr. quæ meo quidem videri, nullam nunc patiuntur difficultatem. Sed difficultas eſt, ſcire & inueſtigare, de quibuſnam apoſtatarum & fugitiuorum Fratrum bonis, prædictæ Extrauagantes debeant intelligi, an ſolummodo de illis, quæ relinquũt poſt mortem, an vero etiam de his, quibus in vita ipſos priuari contigerit, & an ſint intelligendæ de quibuſcumque apoſtatis & fugitiuis, an vero ſolummodo de illis, qui degunt extra Monaſteria, ſeu in ſeculo moriuntur. Circa quas difficultates, multi multa dicunt, quæ referre non vacat per tempus. Sub cenſura tamen & correctione cuiuſlibet melius ſentientis, breuiter atque reſolutiue dicam, quid hac in re certum mihi videtur, & tenendum, de quo ſit concluſio.

Concluſio.

Quæ apoſtatarum & fugitiuorum bona, Sedi Apoſtolicæ reſeruentur, quæ vero Monaſterijs cõueniant, in quibus ipſi morabantur.

NIſi aliquod aliud habeatur in contrarium determinatum (quod me latet) illorum ſolummodo, apoſtatarum & fugitiuorum Fratrum bona, Cameræ Sedis Apoſtolicæ reſeruantur, quibus ipſi in ſeculo exiſtentes, priuari contigerit, aut quæ extra Monaſterium decedentes, poſt eorumdem mortem remanſerint inconſumpta, non vero quę acquiſierunt, etiam iniuſte & illicite, ſi conuertantur ad ſuos Ordines, & moriantur in Monaſterijs. Hæc concluſio, meo quidem videri eſt vera, ſatiſque colligitur, ex Conſtitutione Greg. XIII. quæ

eſt

eſt vltima, ac omnium proinde aliarum, explicatiua & declaratiua, ex illis verbis, *poſt obitum eorum*, quibus non obſcure, idipſum datur intelligi, & hoc ſolummodo, nō vero aliud, vt credo eſt. quod communiter obſeruatur in praxi. Idque iuridice, & vt videtur, nimis ad rationem conformiter, nā illa ſolummodo bona, quibus apoſtatæ & fugitiui in ſeculo & extra Clauſtra degentes priuantur, quæ etiam tempore mortis ipſorum, ibidem inconſumpta fuerint inuēta, proprie loquendo, comprehenduntur ſpoliorum nomine, ac talia dici debēt, non vero illa, quæ cum ad proprias Religiones conuertuntur, ſecum ad Monaſteria deferunt, ſeu remanent cum ibidem moriuntur. Hæc etenim cum ipſi iam non ſint apoſtatæ & fugitiui, ſed ſub obedientia ſuorum Prælatorum exiſtant, haud quaquam dici poſſunt, apoſtatarum ſeu fugitiuorum ſpolia & bona, quin vero Monaſteriorum ipſorum, ſecundum iuris diſpoſitionem, ſi dominij ſint capacia, vel reſpectu noſtrorum Monaſteriorum, pertinebunt quidem ad Syndicum, nomine Sedis Apoſtolicæ. Cui reſolutioni, fauet etiam & ratio ipſa, poſtquam & apoſtatæ prædicti, à Monaſterijs ſunt alimentandi, ibidem ſi remanſerint, aut ſaltim ſubueniendum eſt illis, de veſtimentis alijſque neceſſarijs, ſi propter ſua demerita expellantur, vt non ſtatim mendicare cogantur. A qua ſententia non diſcedit Nauarr. loco vbi ſupra, & eandem tenet Emmanuel Rodericus, primo tomo Quæſtionum Regularium, quæſtione 30. articulo 11. 12. & 13. dicendo, de mente Ioan. Gutierr. libro ſecundo ſuar. practic. quæſtio. capit. 94. ſupradicta omnia eſſe intelligenda, deducto ære alieno, ac ſolutis debitis, quibus ipſi apoſtatæ tenebantur. Sed de hoc amplius dicemus in ſequenti articulo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Monaſterium teneatur, ſoluere Apoſtatarum et fugitiuorum debita, ex bonis, quæ ſecum detulerunt, ſeu quæ apud illos remanſerunt?

HAnc difficultatem, tangit Nauarr. libro tertio, conſil. de Regul. conſil. 73. num. 3. & Emmanuel Rodericus, primo tomo Quæſtionum Regularium, quæſt. 30. articulo 11. de quorum doctrina, quod melius ac tenendum videbitur, explicabitur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Monaſterium de iure, nō tenetur debita apoſtatarum & fugitiuorum ſoluere, etiam ſi aliqua bona ſecum deferāt, cum conuertū

DE rigore iuris loquendo, Monaſterium non videtur teneri, ſoluere debita apoſtatarum & fugitiuorum, etiamſi aliqua bona ſecum deferant cum conuertuntur, ſeu apud ipſos inueniantur, tēpore mortis ipſorum. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. loco ſupracitato, vbi agendo de quodam apoſtata, Ordinis noſtri Minorum Fratrum, qui in ſeculari habitu, aliqua acquiſiuit iura, & obligationes actiuas, ita quod factus fuit, vt ibi ait, multotum creditor & debitor, reuerſus autem ad Religionem, & ab apoſtaſia liberatus, cum quæſitum fuiſſet ab eo, quid eſſet faciendum de huiuſmodi creditis & debitis, poſtquam dixit, eiuſmodi apoſtatam nihil ſibi ſingulariter quæſiſſe, nec vero Monaſterio, quia erat Ordinis Fratrum Minorum, licet regulariter loquendo, Religioſi aliorum Ordinum contrahendo vtiliter, ſiue contrahant ſuo nomine, ſiue vero nomine ſui Monaſterij, aut imperſonaliter, Monaſterio & Ordini ſuo acquirant (iuxta ea, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo) non tamen ſacri noſtri Ordinis Fratres, qui ſecundum noſtram Regulam, incapaces ſumus, cuiuſcumque proprietatis & dominij, & conſequenter omnia iura vtilia per eundem quæſita, ad Sedem Apoſtolicam pertinebant, ſeu potius ad Syndicū, eius nomine conſtitutum & aſſignatum, poſtmodum inquirit, & incontrouerſiam adducit, an Sedes Apoſtolica, quæ ſuccedit in obligationibus actiuis, & iuribus vtilibus, ſuccedat etiam in obligationibus paſſiuis, quibus præfatus apoſtata, ſi fuiſſet habilis ad ſe obligandum, extitiſſet obligatus, quod eſſe dicit, maioris quæſtionis atque difficultatis, & eidē reſpondendo ait, diſputando quidem de rigore iuris dici poſſe, non ſuccedere, at conſulendo dicendum eſſe, quod de æquitate tenetur debita ſoluere, argumento illius tenarij, relati *in cap. qui ſentit, de Regulis iuris, libro ſexto*, nempe *commoda qui ſentit, iungat onus emolumētis*. Verba ſunt expreſſa Nauar. Pro quo etiam allegat *Clementin. 1. de cenſibus, & l. ſecundum naturam. ff. de regulis iuris*. Facit etiam ad hoc, quia ſecundum Innocent. *in cap. cum olim, de priuileg.* & Baldum, *in l. ſeruus. C. de pactis*, Monachus in iure quæſito, poteſt prodeſſe, ſed non obeſſe Monaſterio, vnde fieri videtur conſequens, quod Monaſterium non teneatur ad ſoluenda prædicta debita, nec ſuccedat in obligationibus paſſiuis, quāuis ſuccedat in actiuis, & in iuribus vtilibus, ſtando in puncto iuris & de rigore loquendo, ſecus eſt tamen loquendo de benignitate & æquitate. Reſtitit enim (inquit Nauar.) ius, obligationibus paſſiuis Religioſi prædicti, non tamen actiuis, ſeu acquiſitioni dominij, in Monaſterijs eiuſdem capacibus, aut Sedi Apoſtolicæ, ſiue Syndico, reſpectu noſtrorum Monaſteriorum, vt huiuſmodi bona de benignitate Sedis Apoſtolicæ, conuertantur in vtilitatem noſtram. Sed ego hac re intime conſiderata, caſum inueni, in quo Monaſterium, ſiue Syndicus reſpectu noſtri, ſuccedit in obligationibus paſſiuis, teneturque ſoluere apoſtatarum & fugitiuorum debita, de quo ſecundam ſtatuam concluſionem.

iur, ſeu apud ipſos tempore mortis inueniantur.

Secunda Concluſio.

QVoties Monaſterium ex contractu Monachi factum fuerit locupletius, & ab eo quæſitum, conuerſum fuerit in vtilitatem ipſius, etiam ſuccedit in obligationibus paſſiuis. Hæc concluſio eſt expreſſa Cardinalis in Clementin. 1. §. *quia vero, de ſtat. Monachor.* & huic ſententiæ adhæret Nauar. in Comment. 2. de Regul. *ſuper cap. non dicatis, num. 32.* & facit ad hoc. *capit. non liceat 12. quæſt. 2.* vbi habetur, quod qui emit rem Eccleſiæ ſine ſolemnitate, non poteſt repetere pretium ab Eccleſia, niſi huiuſmodi pretium conuerſum fuerit, in vtili-

Quotieſcumq; Monaſterium ex contractu Monachi, factum fuerit locupletius, & ab eo quæſitum, conuerſum fuerit in vtilitatem ipſius, etiā ſuc-

cedit in obligationibus passiuis.

vtilitatem ipsius, in tali vero casu sic, iuxta regulam prædictam qua dicitur, quod qui sentit commodum, sentire etiam debet & onus: idem ergo dicēdum est in proposito casu. Propter hanc rationem & causam, Emmanuel Rodericus vbi supra, eadem de re agendo dicit, quod respectu nostri, si apostatæ reuersi ad Ordinem, aliqua bona secum tulerint, tenetur Syndicus ex his, eorumdem debita persoluere, cum non sit credendum Apostolicam Sedem, velle sibi applicari aliquorum bonorum dominium, quæsitorum per supradictos apostatas, & quod debita per ipsos contracta, minime soluantur. Et idē credo esse dicendum, de alijs Monasterijs, quod tenentur reddere ea bona in quibus facta fuerint locupletiora, aut saltim de illis debita soluere. Sed oporret aduertere quammaxime, quod eiusmodi debita, sint vera & certa, solent enim in eiusmodi rebus contingere mille fraudes. Vnde & in hoc casu dicit Nauarro, vbi supra, faciendum esse memoriale quoddam, credito rum atq; debitorum, & scripturarum ac testium, quibus probentur ea, quæ probari oportet, vt vel sic omnibus iustitia seruari possit. Quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum.

QVAESTIO. LII.

De electis ab Ordine, & his quæ ad eorum expulsionem spectant, in octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Prælati Regulares, propter aliqua crimina, & delicta grauia, facultatem habeant, expellendi Religiosos ab Ordine, & ad quos pertineat huiusmodi potestas?

NON defuere olim ex Doctoribus antiquis, circa hanc difficultatem, partem qui tenuerint negatiuam, dicentes Prælatos Regulares, pro nullo crimine, iuste posse Monachos suos, à Monasterio eijcere, quin vero in eodem debere ipsos punire. Hanc sententiam tenuit Cardinalis *in Clementin. 1. §. quia vero, de stat. Monach. quæstio. 1.* sequutus nonnullos Iurisperitos quos ibi allegat. Et eandem tenere videtur Syluester, *verbo, Religio, 6. §. 17.* vbi allegando D. Thom. in quodlib. quæstio. 12. artic. 37. dicit, quod quamdiu Frater paratus fuerit, & voluerit se corrigi in Religione, nullatenus ab ea debet expelli: nam hæc expulsio est, sicuti quædam excommunicatio, quæ non nisi in contumacem debet ferri, nempe in eum, qui nullo modo se vult corrigere. Cui etiam opinioni, adhærere videtur Armilla, in sua Summa, *verbo, Religio, vltimo*, dicens quod nullus Religiosus, vtcumque malus & facinorosus, si vult corrigi, à Religione debet expelli, sed eiusmodi est incarcerandus, & in Monasterio debet puniri, secundum Constitutiones Ordinis cuiusque, cum hoc sit magis secundum charitatem, & cōducens correctioni proximi, & etiam ad vitandum sæcularium scandalum. Sed hæc sententia pia licet sit, non tamen placet Nauarro *in Comment. 2. de Regul. super cap. non dicatis, numero* 33. pro eo quod sit vt videtur contra ius, & contra communem praxim: nam *cap. vltimum, de Regul.* tam quam certissimum & indubitabile præsupponit, Monachos eijci & expelli posse à Religionibus, quod & ibidem dicit Glossa penultima, & Panormitan. Quin vero & Regulæ antiquissimæ, sancti Augustini, & Diui Benedicti, idipsum præsupponunt, atque ita seruat quotidie, Monachorum & Religiosorum omnium communis praxis. Vnde proposito articulo respondendo, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Certissimū est & omni dubio procul, quod Religionum Prælati, in casu propter aliqua grauia & enormia crimina, possunt Fratres suos eijcere à Religionibus.

CErtissimum est & omni dubio procul, quod Religionum Prælati, in casu propter aliqua grauia atque enormia crimina, possunt Fratres suos eijcere à Religionibus. Hæc conclusio communis est omnium resolutio, & præterquam quod esse videtur de iure communi, probatur primo, ex multiplicibus priuilegijs, quæ ad id ipsum habentur, in nostri Ordinis Monumentis, & in primis Innocent. IIII. in declaratione nostræ Regulæ, expresse concessit, *quod Ministri eijcere possent ab Ordine Fratres, secundum statuta Capitulorum Generalium, in certis casibus.* Idem tamquam certum atque indubitabile præsupponitur, in alio suo priuilegio quod incipit, *Iustis petentiū.* & in alio, quod incipit, *Pacis & tranquillitati.* Quod & similiter fecit Alexander IIII. in alio etiam incipiente, *Iustis petentium.* Sixtus etiā Quartus in mari magno, & multi alij Pontifices, hoc ipsum concesserunt, & tanquam certum supposuerunt, nempe pestilentes Fratres, posse eijci ab Ordine, postquam in suis literis, potestatem dederunt Ministris, super eiusmodi eiectos, nonnulla illis præcipiendi, de quibus priuilegijs, videndus est Collector in Compend. *tit. apostatæ ab Ordine, & tit. eijcere seu expellere ab Ordine*, per plures paragraphos, sed specialiter, §. 4. dicitur, quod Alexand. VI. *concessit facultatem, Generalibus Ordinis Minorum, vt per semetipsos dumtaxat, & Prouincialibus, vt per eos cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis, Fratres dicti Ordinis quos incorrigibiles repererint, habitu expoliare valeant, atq; ab Ordine eijcere, ac cōtra quoscumque eis, auxilium consilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut quouis quæsito colore, super dicti habitus delatione præstantes, cuiuscumque dignitatis,*

tis, gradus, ordinis & conditionis fuerint, etiam per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris opportuna remedia (appellatione postposita) procedere, inuocando etiamsi opus fuerit, ad hoc auxilium brachij secularis. Quæ concessio magna quidem fuit, eademque fruuntur ac perfrui optime possunt, omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Quibus omnibus accedit, neque id alienum fuisse, à mente & intentione, Seraphici P.N. Francisci, quin vero eidem multum conforme, prout aduertit expositio quædam nostræ Regulæ, quæ communiter, circũfertur sir, titulo, dicens quod Regula nostra, non prohibet expulsionem Fratrum incorrigibilium, sed exitum eorum ex quacumque causa, in illis verbis. *Et nullo modo licebit eis, de ista Religione exire, iuxta mandatum domini Papæ,* &c. Quin vero in prima Regula, Seraphici P.N. cap. 13. agendo de Fratribus peccantibus dicitur, *quod si quis Fratrum, diabolo instigante fornicaretur, habitum quem ex sua turpidine dimisit, ex toto deponat, atque à Religione penitus expellatur.* Ex quibus Beatissimi P. verbis, licet dicta prima Regula nunc obseruari non debeat, neq; puniri modo cũ tãto rigore fornicationis peccatum, quia illa non obligat nos, postquam fuit abolita, & loco ipsius facta alia secunda quam profitemur, per eam tamen satis edocemur, secundum ipsius voluntatem, licere quin vero & interdum debere, Fratres incorrigibiles eijcere atque expellere ab Ordine. Cum quibus etiam concordat Seraphicus noster D. Bonauen. in Quæstio. sup Regulam, quæst. 14. quamuis cum moderatione, statim dicẽda in sequenti articulo. Hac de re videatur Corduba, in explicatione dictæ nostræ Regulæ, cap. 2. quæst 21. in primo puncto, vbi & supradictam resolutionem probare contendit, aliquibus efficacissimis rationibus. Et primo, quia (inquit) bonum Religionis commune, præponendum est bono cuiusque particulari, quando vtrumque haberi simul non potest, & particulare & minus, postponendum communi atque maiori: sed in casu fieri non potest, nisi interdum à Religione expellatur ouis morbida, prauo suo exemplo atque incorrigibilitate alias inficiens, quæ est causa dissolutionis totius Religionis, & vergit in aliorum scandalum: ergo ad tollendum de medio & loco Religionis sancto, huiusmodi malum & scandalum, licitum erit Religioso quempiam, expellere atque eijcere, quando aliter non potest debite prouideri, bono communi Regularis disciplinæ, & honori totius Religionis apud homines. Facit ad hoc quammaxime, *cap. resecanda, 24. quæst. 3.* quod est D. Hieron. in epist. ad Galat. cap. 9. vbi idipsum expresse dicitur, & sequentia notanda ponuntur verba. *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à cauli repellẽda, ne tota domus massa, corpus & pecora ardeãt, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius enim (inquit) in Alexandria, vna tantum scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flammâ est populata.* Probat præterea supradictam conclusionem, præ dictus Corduba, speciali alia ratione, quia inquit, frangenti fidem & fides frangenda est eidem, vt habetur *in cap. frangenti, de regulis iuris*: ergo qui in scandalum & dedecus totius Religionis, incorrigibilis est & præuaricator sui voti, Ordo non tenetur eundem retinere aut secum habere, nec illi seruare pactũ, quod in professione cum eo inijt, de retinendo illo, voto suo ac promissis si fletisset. Etenim, inquit, si Religio, deformata esset desperabiliter, ipse poterat exire, iuxta probabilem, quin vero omnium communem opinionem: ergo similiter Religio, non tenetur sustinere illum, in dedecus & scandalum, siue totalem destructionem ipsius, postquam fuerit notabiliter deformatus, pestilens ac desperabiliter incorrigibilis. Facit etiã ad hoc, id quod dixit olim D. Paul. ad Galat. 5. *vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Quæ quidem verba exponens D. Bonauent. interpretanda esse dicit, idest, qui conturbant pacem vestram & bonam famam. Hoc itaque in omni opinione est certissimum atque constitutissimum, & de quo haud quaquam dubitare licet. Sed difficultas est scire, quibusnam Prælatis hoc conueniat. De quo sit secunda conclusio.

Non fuit alienum à mente & intentione S.P.N Francisci, quod interdũ Fratres expellerentur ab Ordine.

Nota valde, quã grauiter in Religionis initio, secundum primam Regulam, puniebatur fornicationis peccatum.

Secunda Conclusio.

Eiusmodi expulsio Fratrũ ab Ordine, fieri non potest, nisi per ministrum Generalem, vel Prouincialem cũ cõsensu maioris partis capituli.

EIusmodi expulsio Fratrum ab Ordine, fieri solummodo potest, à Ministris Generalibus, & à Prouincialibus cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis. Hæc conclusio satis constat, ex supradicto priuilegio Alexand. VI. quo vt dixi mus, vti & frui possunt, omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Sed præterea extat ad idem aliud priuilegium, cõcessum à Pio V. Ordini D. Hieron. in Hispanijs, anno Domini 1566. Pontificij anno 1. 19. Septemb. *Quo concesserit & indulserit, quod Capitulum Generale, aut privatum tantum, Fratres delinquentes, in casibus quibus quis de iure communi ad mortem damnatur, posset perpetuo incarcerare, vel eosdem in perpetuum seu ad tempus, ad triremes relegare & condemnare, & in alijs delictis grauioribus erunt grauissimis, velut inobedientiæ contumaciæ seu incorrigibilitatis, etiam eos vsque ad privationem habitus inclusiue, punire & castigare.* Quam quidem concessionem, volens postea modificare, considerans quod Prior Generalis, per Constitutiones dicti Ordinis, habet omnimodam atque eandem ordinariam potestatem, quam totum Capitulum Generale, tempore quo celebratur, *concessit dicto Priori Generali, facultatem relegandi & condemnandi, præfatos delinquentes, ad perpetuas triremes, seu ad tempus, necnon priuandi habitu, & ipsum habitum extrahendi & auferendi, per se, vel per suos Ministros, dum tamen id faciat, de consilio Fratrũ Monasterij S. Bartholomæi de Lupiana.* Ita habetur in Compend. priuileg. Ordinis S. Hieron. *verb. condemnatio.* Quo etiam priuilegio, frui possunt Prælati Generales, omnium aliarum Religionum, priuilegium habentes communicationis: at Prouinciales non possunt idipsum virtute dicti priuilegij, nisi ex Generalis commissione. Aduertendum tamen est, quod apposita fuere illa verba, *de consensu Fratrum S. Bartholomæi de Lupiana,* ex eo, quod Generalis dicti Ordinis, in eodem Monasterio, cõtinuam suam habet habitationem, nec inde egreditur, iuxta suas Constitutiones, nisi cum maxima limitatione. Per hoc autem non tollitur, quin si alibi reperiretur, idipsum posset facere, cum consilio Discretorum Monasterij, in quo per tempus se inuenerit, cum eiusmodi priuilegium sit personale, sequens dicti Prioris Generalis personam, non vero locale, sequẽs personas Discretorum dicti Monasterij.

Nota priuilegium Pij V. concessum Ordini D. Hier. pro expellendis incorrigibilibus.

naſterij. Concludendo itaque dico, quod ſupradictorum incorrigibilium electio, in Ordine noſtro, virtute ſupradicti priuilegij Alexand. VI. competit Miniſtris Generalibus per ſe, Prouincialibus autem non, niſi cum conſenſu maioris partis Capituli Prouincialis, quibus relinquitur iudicium, determinandi quinam Fratres, peſtilentes ſiue incorrigibiles dicantur, vt merito proinde à Religione ſint expellendi & ejciendi: nam ſecundum ius, cui conuenit principale, conuenit etiam & accеſſorium. Licet tamen Alexand. VI. in dicta ſua conceſſione, Generales Miniſtros, non conſtringat in hoc, ad deſumendum conſilium, neque de eo mentionem faciat, niſi ſolummodo loquendo de Prouincialibus Miniſtris (vt dictum eſt) inconſuetudine tamen eſt poſitū, vt in re tanti ponderis ac momenti, Generales idipſum non per ſe faciāt aut ſine conſilio procedant, quin vero tenentur ipſum deſumere: nam vt inquit Panormita. *in cap. ad noſtram, de conſuetudine*, referendo *cap. de quibus, diſtin. 20.* id quod à pluribus quæritur facilius inueniſ tur, quod etiam & fuiſſe videtur, de mente Pij Quinti, poſtquam in dicto priuilegio, conceſſo Priori Generali Ordinis D. Hieron. non hoc illi conceſſit, niſi cum conſilio diſcretorum. Conuentus Sancti Bartholomæi de Lupiana, aut illius Monaſterij, in quo pro tempore ſe inuenerit, quod eſt valde notandum, ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS II.

Quænam ſint crimina atque delicta, propter quæ Religioſi ab Ordine poſſunt expelli?

ANTequam ad ea quæ in hoc articulo ſunt dicenda, libet præmittere, quædam notabilia verba D. Bonauent. ad hoc propoſitum, in quæſtionibus, quas fecit ſupra noſtram Regulam, quæſtione. 14. Propoſita enim difficultate, an liceat ejicere ab Ordine aliquem Fratrem pro ſuis demeritis, & præmiſſa ratione dubitandi: nam prima quidem facie apparet (inquit) quod non, cum in profeſſione Religioſi cuiuslibet, interueniat quædam mutua atque reciproca obligatio, qua profitens Religioni aſtringitur, in ea permanendi illique inſeruiendi, & Religio vice verſa obligatur eidem, ipſum non deſerendi aut derelinquendi, concludendo dicit, reſpondeo & dico, *quod cum quis petit iſtius Ordinis ingreſſum* (loquitur de noſtro ſacro Ordine) *ſi recipitur, multiplex & magna fit illi gratia, nam eripitur de peccati naufragio, & ſociatur illorum Collegio, qui in via Dei ambulant. Sed hoc fit ſub tali conditione, vt ipſe etiam gradiatur in eadem Dei via, ſimul ſeruando cum eis illa, ad quæ Ordo inſtitutus eſt. Quando ergo ſic graditur, poſtquam ad profeſſionem receptus eſt, non poteſt Ordo eum ab ſe abijcere: nam ſicut ipſe alligatus eſt Ordini, ita & e conuerſo, adeo vt nutri liceat, vilo modo alterum relinquere. Sed tamen ſi prædictus Frater, aliter viuit quam expedit in Ordine, & ſæpius correctus, ſe non emendare voluerit, ſi exceſſus fuerit occultus, tolerandus eſt cum cautela, propter ſcandalum, niſi abijciatur, cum eius culpa non pateat, iniuſte videatur proiectus, aut eius peccatum propaletur iniuſte, quorum vtrumque eſt illicitum. At vbi exceſſus eius ſimul fuerint graues & notorij, ita quod alij eius exemplo infici poſſint, ſi retineatur in Ordine, & extranei etiam ſcandalizentur, ex eo quod huiuſmodi ſuſtinetur, in tali caſu, propter auferendum ſcandalum, & propter corruptionem Ordinis præcauendam, eiuſmodi Frater voti & pacti ſui præuaricator, ab Ordine ejiciendus eſt: nam Ordo non obligatur ad adimplendam promiſſionem tenendi eum, qui promiſſum ſuum præuaricando, pluries etiam violauit, ex eo enim Ordo talis vocatur, quia nihil in ſe inordinatum patiatur.* Verba ſunt expreſſa D. Bonauenturæ ex cuius doctrina ſatis colligitur, quod illi dumtaxat Fratres à Religione poſſunt & debent expelli, ipſiuſque habitu priuari, qui incorrigibiles extiterint, et quod tria ſimul in id debent concurrere, primum quod ipſi ſint incorrigibiles, ſecundum, quod ipſorum defectus ſint notorij, non ſolum Fratribus, verum etiam ſecularibus, tertium quod immineat periculum, de eo quod malo ſuo exemplo, alios poſſint inficere, quibus non exiſtentibus, non videtur quod iuſta & licita ſit eorumdem ab Ordine electio. Hæc doctrina eſt valde notanda, multumque memoriæ commendanda: nam re vera, Fratrē aliquem ab Ordine expellere atque ejicere, res eſt quammaxima conſideratione digna, & quæ multa ſapientia, atque prudentia indiget. Neque huic D. Bonauenturæ reſolutioni obſtat, quod Alexand. VI. in priuilegio allato, in præcedenti articulo, non cum ea limitatione ſed abſolute conceſſerit, quod incorrigibiles poſſint ab Ordine expelli, nullam faciendo mentionem, de ſcandalo & notorietate ſuorum delictorum, & de timore corruptione aliorum Fratrum malo ſuo exemplo: nam ipſius conceſſio, forſan habebit locum in foro exteriori, non vero in interiori & conſcientiæ, in tali enim foro, nullo id modo, videtur licitum facere. Cuius quidem ratio in promptu eſt, quia Prælati Ordinis, nec vero ipſe Papa, abſque iuſta & rationabili cauſa, quin vero & vrgenti, liberare non poſſunt Fratres, ab obligatione quam habent obſeruandi Regulam promiſſam, per ſuam profeſſionem & ſolemne votum, quo ſe aſtrinxerunt, & certum eſt, quod eoſdem ejicere non exiſtentibus ſupradictis cauſis & conditionibus, proculdubio eſt illos exponere, imminentiſſimo periculo nō ſeruandi eaque promiſerunt, & conſequenter æternæ ſuæ damnationis. Quo circa ſecundum ſententiam D. Bonauenturę, eiuſmodi non ſunt ab Ordine ejiciendi & expellendi, ſed ſecundum exigentiam ſuorum delictorum, in Monaſterijs debent puniri, mancipando eos perpetuis carceribus aut aliter, non vero ejiciendo illos à Religione. His igitur ſic præmiſſis, quod hac in re obſeruandum videtur in praxi, breuiter atque reſolutiue explicabitur, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Præcipua & principalis cauſa, ob quā Religioſi habitu poſſunt

PRæcipua & principalis cauſa, ob quā Religioſi, habitu poſſunt priuari & à Religione expelli, eſt ipſorum incorrigibilitas, modo ſit comitata ſupradictis conditionibus, poſitis à D. Bonauentura, nempe quod ſit notoria Fratribus, ſimul ac ſecu-

priuari & à Religione expelli, eſt incorrigibilitas notoria & comprobata.

ſecularibus, & timeatur quod malo ſuo exemplo, alios poſſunt corrumpere & inficere. Hæc concluſio iam ſatis conſtat ex ſupradictis, & fere nulla alia indiget probatione. Quinam dicantur incorrigibiles, multis tradunt Doctores Iuriſperiti, & ea de re videndus eſt Syluester *verb. incorrigibilis*, vbi conſtituit duplicem incorrigibilitatis ſpeciem, nẽpe de iure & de facto, de quibus aliquid dicemus in ſecunda concluſione. Sed pro hac dico, quod generales noſtræ Conſtitutiones, de eiuſmodi incorrigibilibus, & pœna priuationis habitus agendo, cap. 6. §. 8. ſequentia ponunt verba. *Incorrigibilis deinceps cenſeatur, Religioſus ille, qui ter conuictus & punitus de eodem crimine graui non reſipuit. Qui vero incorrigibilis fuerit, in quocumque graui & ſcandaloſo crimine, vel carceri perpetuo mancipetur, vel habitu Regulari ſpoliatus, ad triremes damnetur ſi id exegerit qualitas delicti.* Ex qua conſtitutione ſatis colligitur, quod Religioſus, committens tres apoſtaſias, de quibus eſt conuictus, & propter quas fuit iuridice punitus, & nũquam emendatus, ſi alteram poſtea commiſerit, poteſt à Religione expelli, cum prædictum apoſtaſiæ crimen, ex natura ſua graue adeo ſit, vt ipſum committens, & in eodem per annum perſeuerans, ab Inquiſitoribus habeatur & merito, vt ſuſpectus de fide, vt pote contemptor cenſurę Eccleſiaſticę, & excommunicationis quam per apoſtaſiã incurrit. Quorum præſumptio, multum iuridica eſt, & conformis decreto ſacri Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. c. 3.* vbi etiam dicitur, *quod ſi quis obdurato animo, cenſuris annexus in illis per annum inſorduerit, contra eũ tamquã de hæreſi ſuſpectum, poſſit procedi*, de hoc igitur nulli eſt dubium. Sed maior difficultas eſt, de illo Religioſo, qui non ter fuit conuictus, ſiue punitus de aliquo crimine, commiſit tamen multa grauia enormiaque delicta, tam in Religione exiſtens, quam foris in apoſtaſia, an propter ea, poſſit ab Ordine expelli, ſitque cenſendus atque reputandus incorrigibilis de facto, quamuis non de iure? Cui difficultati reſpondeo, & ſit ſecunda concluſio.

Quinam dicãtur incorrigibiles.

Nota quod in ſordeſcẽs per annum, in excõmunicatione, habetur ſuſpectus de fide

Secunda Concluſio.

Quinam cenſeãtur eſſe incorrigibiles de facto, quãuis non de iure.

QVi Religioſus diuerſas commiſit apoſtaſias, & in eis per multum temporis perſeuerauit, atque excommunicatus celebrauit, & miniſtrauit ſacramentum Pœnitentiæ & cætera Sacramenta, necnon contra ſuæ Regulæ præceptum, pecuniam contrectauit, alearum prohibitum ludum, etiam cum ſecularibus exercuit, cum eorumdem ſcandalo, & Religionis detrimento, ſeu alia ſimilia fecit, diſcordias etiam inter Fratres diſſeminando, dolis & mẽdacijs, Religioſos viros, probos & qualificatos infamando, abſque vlla correctionis ſpe, quãuis non per ter, de eiuſmodi criminibus fuerit cõuictus, neque iuridicè punitus, ſed tãtum ſemel aut bis, quin vero etiãſi ſemper ea ſibi fuerint condonata & diſſimulata, tamquam membrum putridum & incorrigibile, iure optimo à Religione poteſt expelli, & priuatione habitus puniri. Hanc cõcluſionem tenet expreſſe Emmanuel Rodericus, primo tomo Quæſtionum Regularium, quæſtione 30. articulo 15, quæ & mihi ſatis probabilis appareret; & credo, quod nullo modo contrariatur præcedenti, quin vero eidem ſit multum conformis, iam eiuſmodi Religioſus, quamuis non ſit de iure incorrigibilis (quod nec minimam difficultatem habet) eſt tamen incorrigibilis ſaltem de facto, & cum eiuſmodi incorrigibilitas ſit notoria, Fratribus & ſecularibus, & vtriſque nociua, timerique merito poſſit, quod alios malo ſuo exemplo corrũpat & inficiat, etiam ſtando in doctrina D. Bonau. ſuperius allata, poteſt à Religione eijci & expelli. Ordinationes enim generales noſtræ, etſi tantummodo ſtatuant, illum cenſendum eſſe incorrigibilem, qui per ter de aliquo graui crimine conuictus, ſiue iuridice punitus, nunquam fuerit emẽdatus, nec dicant cenſenſum etiã eſſe incorrigibilem, eum cui ſua grauia crimina & delicta, ſæpe ſæpius fuerint condonata, remiſſa atque diſſimulata, non ex eo fuit, quod exiſtimauerint hunc non eſſe cenſendum incorrigibilem, quantum ad effectum, vt iuſte expelli poſſit à Religione, ſed idipſum factum eſt, quia in prædicto loco tantummodo voluerunt, conſtituere Regulam generalem quandam, certam & determinatam, ad dignoſcendum eum, qui eſt incorrigibilis de iure, at non per hoc negarunt, quod etiam ſint aliqui incorrigibiles de facto, eademmet pœna puniri digni. De quibus incorrigibilibus, videndus eſt Sylueſt. *verb. Albas, num. 6.* & *verb. incorrigibilis*, vbi tales dicendos eſſe, inquit, illos quibus ſemel & iterum, atq; iterum ſua crimina & delicta ſunt condonata. Pro quo citat *cap. vt famæ, de ſentent. excommunicat.* & dicit, in hiſce rebus, ad faciendum iudicium, de corrigibilitate vel incorrigibilitate eorum, multum oportere attendere ad ſuam conditionem, videatur ibidem, nam plura dicit ad hoc propoſitum notatu digniſſima. Ex cuius doctrina ſatis colligitur, quod ſupradictus Religioſus, de quo facta eſt mẽtio in hac concluſione, quãuis ſecundũ ius & noſtras generales Conſtitutiones, non ſit incorrigibilis de iure, eſt tamen incorrigibilis de facto, poſtquam tot vicibus, crimina fuere ſibi remiſſa, diſſimulata & condonata, & numquam fuit emendatus, & conſequenter quod vt talis, conſideratis omnibus circunſtantijs, iure optimo habitu poteſt priuari, & à Religione expelli. Supradictis omnibus fauet, quod dicit Iulius Clarus, in ſua practica crimin. q. 36. n. 34. & Salzedo, in pract. Bernard. Dias de Lugo, c. 140. §. *incorrigibiles*, nempe ex determinatione Parlamenti Pariſienſis, in criminibus grauibus, in quibus pœna mortis non imponitur, declaratum ibi fuiſſe, quod ad hoc vt quiſpiã Clericus, reputetur incorrigibilis, quantum ad effectum, vt degradatus tradi poſſit Curiæ ſeculari, ſatis eſſe, quod bis venia ſibi data fuerit. Si igitur id ita eſt, & Clericus ob veniam ſibi bis cõceſſam, iuridicè reputatur incorrigibilis, vt degradatus poſsit brachio tradi ſeculari, quanto melius Religioſus, de quo dictum eſt in concluſione, tot criminibus ac facinoribus irretitus, iuridice etiam reputari poterit incorrigibilis de facto, vt habitu priuari, & à Religione poſsit expelli, quamuis non ſit per ter, iuxta ſupradictas generales Ordinationes, de eodem crimine conuictus ſiue punitus. His omnibus accedit, quod iuxta cõmunem Iuriſperitorũ ſententiã, Iudices in ferendis ſentẽtijs, poteſtatem & facultatem habent arbitrandi, & ſecundum circunſtantias, pœnas immutandi, etiam vſque ad pœnam mortis. Dicũt vlterius iuriſperiti

prædicti, vnum delictum tales habere posse circunstantias, & adeò enormes, vt pro vna dumtaxat vice commissum, digne & iuste possit puniri pœna mortis. Et quando hæc omnia non starent, ad hoc vt quod dictũ est in conclusione effici posset, sat est priuilegium concessum à Pio Quinto Ordini D. Hieron. de quo in præcedenti articulo mentionem fecimus, vbi agendo de huiusmodi pœna expulsionis, & priuationis habitus, dicitur eandem esse inferendam Fratribus, in illis casibus in quibus de iure communi, quispiam damnatur ad mortem, siue ad triremes, aut ad perpetuos carceres, & in alijs delictis grauioribus, siue grauissimis, in quorum numero meo quidem videri, iure optimo comprehendi possunt, ea quæ dicta sunt à nobis, in proposita conclusione. Sed difficultas est an propter crimen homicidij, quispiam Religiosus à Religione expelli possit? Cui difficultati respondeo, per sequentes conclusiones.

Tertia Conclusio.

Propter homicidij crimen, quamuis sit grauissimum, non tamẽ semper Religiosus est habitu priuãdus, aut à Religione expellendus propteripsum

QVamuis homicidij crimen, sit ex his quibus existentibus in seculo, pœna mortis siue capitalis respondet, quadamque ratione videatur, quod propter ipsum Religiosus habitu priuari possit, & à Religione expelli, haud quaquam tamen crediderim id esse faciendum nisi in casu quo eiusmodi homicidium, talibus fuerit circunstantijs vestitum, vt idipsum promereatur, iudicio omnium. Hæc conclusio, meo quidem videri, multum est iuri, æquitati atque rationi conformis, & doctrinæ Seraphici Patris Nostri D. Bonauent. supra positæ, qua dixit illos solummodo Fratres incorrigibiles, esse à Religione expellendos, quorum incorrigibilitas, cunctis esset Fratribus & secularibus notoria, alijsque Religiosis nociua atque scandalosa, non vero alios. Non inficio iuxta priuilegium & concessionem Pij Quinti, de qua mentionem fecimus supra, factam Ordini D. Hieron. qua etiam potiri & frui possunt, omnes & Religiones, priuilegium habentes communicationis, Fratres à Religione eijci & expelli posse, pro illis criminibus, quibus de iure communi, in seculo existentibus, correspõdet pœna mortis, & certum etiam est, iuxta leges ciuiles, homicidas omnes, tam plebeios quam nobiles, eiusmodi mortis pœna puniri, secundum communem Iurisperitorum resolutionem: at tale esse potest homicidiũ, talibusque circunstantijs vestitum, id vt facere, etiam inter seculares, crudele & rigorosum videretur nimis, vt si verbi gratia, repetente perpetratum fuisset, ex aliqua nimia ira, sanguine ad cor ascendente, seu præcedente vrgente quadam magna occasione, & similibus, in tali casu certo crediderim, quod nec secularis Iudex, homicidam pœna mortis puniret, neque Religiosum propter huiusmodi crimen, eijciendum aut expellendum esse à Religione, maxime si post factum, magna ostenderet, pœnitentiæ & contritionis signa. Erit itaque in tali casu, supradictus Religiosus, secundum exigentiam delicti & circunstantiarum, condemnandus ad perpetuos siue vero temporales carceres, vbi in pane & aqua, ad aliorum exemplum, & eiusdem debitam satisfactionem, pœnitentiam agat, non tamen habitu propterea priuandus, aut à Religione expellendus. Sed maior est difficultas, de crimine nefando, an propter ipsum Religiosus quispiam, habitu possit priuari atque à Religione expelli. Qua de re est magna lis & controuersia inter Doctores. Quidam enim, quos refert Salzedo in practica. crimina, capit. 26. dicunt sodomitam Religiosum, propter vnicum etiam actum, habitu esse priuandum atque à Religione expellendum. Sed alij quos citat Nauarro in Manuali, capit. 27. numero 249. contrarium tenent, & dicunt vnicum actum non sufficere, quin vero ad id esse necessario requisitum, quod huiusmodi actus sit continuatus, aut saltem semel atque iterum exercitus, & vtrique (vt videtur) congruo innituntur fundamento, propter diuersas Constitutiones, quæ hac de re emanarunt olim, à Pio Quinto Pontifice Maxim. In quarum prima, quæ data est anno Domini 1566. kalend. April. Pontif. sui anno primo & incipit, *cum primum*, sequentia ponuntur verba post alia. *Si quis crimen nefandum & contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetraue rit, Curiæ seculari puniendus tradatur, & si fuerit Clericus, omnibus Ordinibus degradatus, simili pœna subijciatur.* Vbi notandum venit valde, verbum *perpetraue rit*, quod vnicum tantum actum designat. Sed in secunda, data anno Domini 1568. 3. Kalend. Septemb. Pontificatus sui anno 3. & incipit, *horrendum scelus*, vt apparet, non idipsum fieri præcipit, pro vnico actu, sed pro actu semel & iterum continuato. Et quia ipsius etiam verba, notatu sunt dignissima, quamuis longa sint, libet dictam constitutionem, hic ad vnguem referre, quæ tenoris est sequentis. *Horrendum illud scelus, quo pollutæ fœdatæque ciuitates, à tremendo Dei iudicio conflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem inurit, grauiterque animum nostrum commouet, vt ad illud quantum possumus comprimendum, studia nostra conferamus. Sane Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, vt quicumque Clerici, illa incontinentia quæ contra naturam est, & propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehensi fuerint laborare, à Clero deijciantur, vel ad agendam in Monasterijs pœnitentiam detrudantur. Verum ne tanti flagitij contagium, impunitatis spe (quæ maxima petendi illecebra est) fidentius inualescat, Clericos huius nefarij criminis reos, grauius vl cisc endos deliberauimus, vt qui animæ interitum non horrescunt, illos certe deterreat, ciuilium legum vindex gladius secularis. Itaque quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio, hac de re decreuimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos, seculares & Regulares, cuiuscumque gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Ecclesiastico, præsentis Canonis auctoritate priuamus, ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati etiam seculari tradantur, qui de eis illud idem capiant supplicium, quod in laicos hoc in exercitio deuolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.* In quibus prædictis constitutionibus, notanda sunt diuersa illa verba, *perpetrauerit*, & *exercuerit*, quæ & ansam præbuere Doctoribus, diuerso modo opinãdi, & dicẽdi eorũ quosdam, sufficere vnicum dumtaxat sodomiæ actum (innixi verbo illo *perpetrauerint*) alios vero, non id quidem sufficere, sed esse requisitum, eiusmodi actum, semel & iterum esse continuatum, fundati super verbo illo, *exercuerint*, seu *exercentes*

Difficultas nũ tãda circa crimen nefandũ

Diuersæ hac de re opiniones.

Nota Constitutiones Pij V. contra sodomitas.

ibidem

ibidem poſitum, his igitur ſic præmiſſis, dicamus modo, quod in omni ſententia & communi opinione eſt certum, atque tenendum, dicturi poſtmodum, ex prædictis duabus opinionibus, quæ nam probabilior nobis videatur, & practicãda cum Religioſis, eiuſmodi nephãdo vitio irretitis. Sit ergo quarta concluſio, ab omnibus tenenda.

Quarta Concluſio.

In quas pœnas incidant, omnes Presbyteri, tam ſeculares, quã Regulares, ſodomiæ nefandũ crimen exercentes.

IN omni opinione omnes clerici, tam ſeculares, quam Regulares, cuiuſcumque gradus & conditionis extiterint, eiuſmodi ſodomiæ vitium exercentes, ſunt priuati omni priuilegio Clericali, & quocumq; officio, dignitate, ac beneficio Eccleſiaſtico, & per Iudicem Eccleſiaſticum degradati, ſtando in Conſtitutione Pij Quinti, vt igne comburantur, tradendi ſtatim ſunt poteſtati ſeculari. Hæc concluſio ſatis conſtat, ex ſupradicta conſtitutione Pij Quinti, quæ cum ſit poſterior, & ſecunda numero, aliqualiter videtur, prioris eſſe modificatiua, quatenus in prima dicitur, eiuſmodi pœna eſſe puniendum, *qui tale crimen perpetrauerit*, & propter vnicum dumtaxat actum: in ſecunda vero non ita, *ſed qui illud exercuerit*, quod actũ deſignat ſemel, & iterum continuatũ. Quod & nimium ponderat Nauarro in ſuo Manuali, cap. 27. numero 249. agẽdo de irregularitate, vbi dicit S. D. N. Gregor. XIII. dixiſſe ſibi, de induſtria atque ex propoſito, eiuſmodi verba fuiſſe appoſita, tantumque conſtitutiones prædictas, comprehendere eum, ſiue eos, qui quaſi ex vſu continuato, id nefandum ſcelus exercent, argument. *l. ſciẽdum. §. illud. ff. de ædil. edi.* Pro quo etiam citat Bartolum, in proœmio digeſtorum, num. 10. quem ſequitur Panormitan. in *capit. 1. de iudicijs, num. 24.* vbi dicit, artificem ſiue mercatorem, non dici eum, qui ſemel aut iterum, artem aliquam ſiue mercaturam exercet, ſed eum qui toties, vt vulgi opinione, pro tali habeatur. Sicut etiam erro & abigeus, non dicitur quis, pro vnovel altero actu, *iuxta l. quis ſit fugitiuus. §. erronem ff. eodem titulo, & l. fin. ff. de abig.* Atque ita temperãdas eſſe cenſet, Nauarro ſupradictas Extrauagant. Pij Quinti, ſaltim quoad forum conſcientiæ. Loquitur enim, vt dixi de cẽſura irregularitatis, qua etiam innodantur ſodomitæ, & ait, quod ſolum comprehendunt eum, qui ſic eſt lapſus in præfatum crimen, vt boni viri arbitrio, dici poſſit exercitor eius, nõ autem qui tãtum ſemel aut iterum, & eum pœnitet cecidiſſe. At Laxate nimis hac in re, procedit meo quidem videri Nauarro, cuius vt crediderim ratio eſt, quia loquitur de cenſura prædicta irregularitatis, incurrenda in foro conſcientiæ. Nam certe in foro exteriori loquendo, & agendo de alijs pœnis, reſpectu Clericorum ſecularium, & de pœna priuationis habitus, reſpectu Religioſorum, aliud omni proculdubio dicendum videtur, neque expectanda eſt prædicta actuum continuatio. Nam ſecundum omnes leges, Imperiales & ſeculares, pro vnico dumtaxat actu, qui eiuſmodi crimen commiſit, pœna capitali punitur, ſeu potius igne comburitur. Quin vero & ſecundum multorum Doctorum ſententiam, in hoc caſu & ſimilibus, etiam affectus & conatus, ea dẽ pœna punitur, qua & principale crimẽ. Quod tenet Glo. *in l. 1. §. hæc autem. verb. putamus. ff. quod quiſque iuris*, & Felinus in cap. 1. & 2. *de offic. delegati*, Couar. in Clement. *ſi furioſus, num. 6.* & multi alij, quos breuitatis cauſa omitto, vnde quantum ad hoc, à ſententia Nauarri diſcedo, & primæ opinioni adhæreo. Sed miſſos faciẽdo ſeculares, etiam Clericos & deueniẽdo ad Religioſos, quod magis eſt mei muneris atque propoſiti, in generalibus noſtris conſtitutionibus, hac de re agendo, capit. 6. *de correct. del. nq. §. de pœnis contra caſtitatis tranſgreſſores*, ſequentia ponuntur verba. *Si quiſpiam Religioſus (quod Deus auertat) nefandum crimen perpetrauerit, nudus omnino cum ſolis fœmoralibus, coram tota communitate egrediatur, manibus ligatis & grauiter flagelletur, cum Pſalmo, Miſerere mei Deus, & leuiuſculis flammis igneis, hinc inde circumpoſitis, quodammodo comburatur, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnetur, vbi in pane & aqua, tribus ſaltim diebus in Hebdomada ieiunet, & vitam ſuam in dolore & amaritudine animæ ſuæ defleat. Si vero iterum, de eodem vitio nefando fuerit conuictus, habitu in perpetuum ſpoliatus, ad triremes ad decennium damnetur. Tamen ſi nefandi criminis patrator repertus fuerit, actum nefandum, bis aut ter commiſiſſe, quando pro modo accuſatur, vt incorrigibilis puniatur.* Circa quod ſtatutum, notandum valde eſt, verbum illud *perpetrauerit*, quod vnicum dumtaxat actum ſignificat, propter quem iubetur eiuſmodi Frater, Ceremoniali modo prędicto comburi, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnari. Et verbum, *ſi vero iterum*, quod aliũ denũtiat actũ, & quod præcipitur, vt in eo caſu, habitu in perpetuum ſpoliatus, ad triremes ad decennium damnetur. Diciturq; vlterius, quod ſi prædicti nefandi criminis patrator, quando à principio accuſatur, repertus fuerit, eiuſmodi actum nefandum, bis aut ter cõmiſiſſe, quod vt incorrigibilis puniatur, quæ incorrigibilium pœna (vt diximus) eſt etiam priuatio habitus, quod eſt multum notandum atque memoriæ commendandũ. Aduertit tamẽ Nauar. vbi ſup. & Roder. 1. tom. Quæſt. Regu. q. 30. art. 19. eiuſmodi pœna eſſe afficiendos, ſolummodo conſummantes eiuſmodi actum ſodomiticum, etenim (inquiunt) ſi non ita eſſet, ſed tantum, quis tentaſſet ad alicuius partes pudendas accedere, non tamen membrum imposuiſſet, aut tantum extra vas ſe polluiſſet, in tali caſu, ſicuti in ſeculo nõ propterea pœna mortis puniretur, aut combureretur quiſpiam, ſed alia extraordinaria, ita neque Religioſus, habitu erit priuandus aut expellendus ab ordine, ſed alia puniendus erit pœna extraordinaria, rigoroſa quidem pro grauitate delicti, quod etiam multum eſt notandũ. Sed vt huic articulo vltimã imponamus manum, inueſtigare libet. An ſint aliqua alia crimina & delicta, ſiue rationes & cauſæ, ob quas Religioſi, priuari poſſint habitu, & expelli ab Ordine? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Quinta Concluſio.

Aliqui etiam ſunt caſus in quibus Religioſi, poſſunt expelli ab Ordine & habitu priuari.

SI quiſpiam Religioſus, ante aſſumptionem habitus, ſeu ante profeſſionem dum erat Nouitius, interrogatus an aliquod haberet impedimentũ, quo iure nõ poſſet profiteri ſecũdum Ordinis ſtatuta, dixit quod nõ, & mentitus fuit, & cum eo mẽdacio cõſenſit ſuæ profeſſioni, & poſtea reperiatur habere aliquod eiuſmodi impedimentũ, vt puta

non esse bene natum, quin vero ex maculato genere, & intra quartam generationem infectum, aut fuisse facinorosum, siue onustum debitis, aut aliqua infirmitate contagiosa laborantem, in eiusmodi casibus, bene etiam potest, habitu priuari, & à Religione expelli. Hæc conclusio, est nimis conformis Constitutionibus Pauli IIII. Clemen. VII. Sixti Quinti, & aliorum Summorum Pontificum, de quibus supra mentionem fecimus, agendo de conditionibus in Nouitijs requisitis. Sed præterea hac de re est specialis concessio, Leonis Decimi, quæ habetur in Supplement. folio 19. concessione 61. *Qua concessit Generali & Prouincialibus Ordinis Minorum, vt Fratres eiusdem Ordinis, etiam professos, qui grauissimis & scandalosis delictis notati & diffamati fuerint, quæ fraudulenter & dolose in eorum receptione & professionis emissione, monitione super his, per prædictos Prælatos præmissa tacuerunt, non obstante quod iam recepti sint & professionem emiserint, ne morbida & infecta pecus, ouile domini corrumpat, & vt alijs cedat in exemplum, à domibus & Conuentibus dicti Ordinis expellere & remouere, libere & licite possint & valeant, prout conscientijs prædictorum Ministrorum, quas super hoc onerat, visum fuerit iustum & honestum* Hęc est alia noua causa & ratio, ob quam Religiosi, etiam habitu possunt priuari & à Religione expelli, de qua videatur Corduba, super cap. 2. Regul. quæst. 21. in quarto puncto.

Nota valde hanc concessionem Leonis X.

Nota ex D. Bonau. quare nõ semper omnes incorrigibiles, & facinorosi expellantur ab Ordine.

Sed in calcẽ huius articuli, libuit adducere, quædam notanda verba D. Bonauent. in quæstionibus quas fecit super Regul. quæstion. 17. Vbi rationem reddens, ob quam non omnes discoli, etiam incorrigibiles expelluntur ab Ordine, cuidam ea de re, propositæ sibi quæstioni, respondendo dicit, quod Religio semper malos odio habet, bonos vero fouet, sed tamen, non omnes prauos semper eijcit, & hoc sequẽtibus de causis. Primo propter spem correctionis, sicuti & in nauigio ægrotans, non statim eijcitur in mare, quamdiu spes vitæ fuerit. Multi enim, inquit, lapsi, postmodum per pœnitentiam surgentes, sani in virtutibus perseuerarunt, & aliquoties meliores extiterunt, quam ij qui lapsi numquam fuerunt, vt patet de Dauide & alijs, de quibus plura habentur exempla in Scriptura sacra. Secundo, propter defectum probationis legitimæ, quia licet ex aliquibus coniecturis, interdum aliquis malus esse videatur, non tamen id aperte probatur, aut ita apparet toti communitati. Sicuti & in seculo etiamsi, ex aliquibus signis, quispiam timeatur leprosus, cum tamen id, adhuc nõ potest plene dijudicari, quia nempe latet morbus, inter sanos sustinetur & toleratur. Tertio fit idipsum propter scandalum, quia nempe Fratribus tantummodo, notum est alicuius Fratris crimen, & apud extraneos & seculares, bonus & honestus forsan reputatur, quem si viderent eijci, cum non scirent causam, forte putarent, ex inuidia siue malitia eiectum, occasionemque proinde haberent, cogitandi reliquos omnes esse tales, cum ille de quo nihil præsumebant mali, occulte repertus fuerit vitiosus. Nec id inquit immerito: nam & Christus ipse, Iudam vitiosum esse cognouit, sed tamen cum illius crimen alijs fuerit occultum, nobis vt præberet exemplum, sapienter & prudenter tolerauit, donec per apertam iniquitatem, semetipsum prodidit. Verba quidem sunt notatu dignissima, quæ proinde in fine huius articuli, referre libuit, vt vel ex eis, superiores atque Prælati cognoscere possent, quid in similibus casibus, eosdem facere expediat, vt videantur non solum iudices, sed etiam suorũ subditorum patres.

ARTICVLVS III.

Quid facere debent eiecti ab Ordine, & an Prælati possint eosdem compellere, aliam vt ingrediatur Religionẽ?

Opinio Cord.

EDere hac valde diuersos inuenio Doctores: nam Cordub. in exposit. nostræ Regul. cap. 2. quæst. 21. in 3. puncto, sequutus D. Bonauent. etiam in exposítione eiusdem Regul. cap. 2. & in quæstionibus, quas fecit super ipsam, quæst. 14. in ea est sententia & opinione, vt dicat quod Religionum Prælati, supradictos eiectos ab Ordine, si eos non voluerint recipere, possunt illos constringere & obligare, aliam vt ingrediantur Religionem. Et quia res hæc magni est ponderis ac momenti, multumque cognitio ipsius necessaria, volo illius sententiam hic ad vnguem referre, quæ tribus dictis continetur.

Primum dictum.

Primo dicit, quod huiusmodi eiecti, tenentur totis viribus procurare, atque humiliter petere, vt iterum recipiantur, & se disponere vt fiant apti in idipsum, secundum regularem disciplinam. Cuius quidem sui dicti, rationem reddit: nam vt notorium est in iure, nemo debet ex delicto reportare commodum, & prædictorum eiectorum conditio, ex sua culpa non est facta melior, vt dicendum proinde videatur, quod sint deobligati à voto, & à Religione quam semel professi sunt, quin vero est deterior, cum eiusmodi pœna eisdem sit inflicta, in vindictam suorum delictorum, & in propriam confusionem, vt vel sic redeant ad cor, Ordoque liberetur à malo & scandalo, quod sibi inhærebat. Non tamen inquit, per hoc liberantur, ab obligatione qua tenentur Religioni, licet Religio ipsa, non teneatur illis ex sua culpa.

Secundum dictum.

Secundo dicit, quod si iam dispositi eo modo quo prædictum est, adhuc propter aliquã causam non recipiantur, non possunt auctoritate sua manere in seculo, nec aliam ingredi Religionẽ, laxiorem aut inferiorem, cum non possint auctoritate sua, votum maius in minus cõmutare, aut sua culpa in hoc illis vlla ratione profit, vt fiant liberiores, vt dictum est. Quocirca in tali casu, inquit, ex dispensatione Papæ, procurare debent intrare aliquam Religionem reformatam licet laxiorem, secundum quod ipse rationabiliter dispensauerit, ibique manere & saluari. In seculo autẽ & instatu Clericatus, dicit quod saluari non poterunt, nisi adsit specialis dispensatio Papæ, concessa ex iusta atque rationabili causa. In casu tamen, quo non inueniant aliquam Religionem, volentem illos recipere, dicit quod ex eadem dispensatione (non vero alias) poterunt in Clericatu viuere regulariter, iuxta id quod tradit Syluest. *verb. Religio, 6. quæst. 12. & ver. Apostasia, quæst. 5. & 6.*

Tertiũ dictũ.

Tertio dicit, quod Ordo noster auctoritatem habet

habet, conceſſam à Sūmis Pōtificibus, licentiandi ſupradictos eiectos, qui non recipiuntur ad Ordinem, propter aliquam cauſam, vt transferantur ad alios Ordines, & puniendi eos idipſum ſi non fecerint, & manſerint in ſeculo, quouſque ingrediantur atque profiteantur Ordinem, ad quē protendum licentiam acceperunt, & præcipiendi etiam ipſis alia, de quibus infra dicemus. Cum quibus omnibus concordat, D. Bonauent. quæſtio. 14. ſupradict. vbi de eiuſmodi eiectis agendo, ſequentia dicit verba. Sed ne, inquit, damnabiliter vagentur in ſeculo, ex gratia Sedis Apoſt. illis quos Ordo iudicat non eſſe recipiendos, licentiam concedit, tranſeundi ad alium determinatum Ordinem vbi ſaluentur, ad quem tranſire tenentur ſi poſſunt, alioquin non erunt in ſtatu ſalutis. Et adducit exemplum de Loth olim, qui non volens montem conſcendere, concedente Angelo, in Segor paruula ciuitate ſaluatur. Sed addit quod propria auctoritate, non poſſunt Ordinem deſerere quem vouerunt, neque alium intrare, ſine Ordinis ſui vel Summi Pontificis licentia: nam altiorem profeſſis, ad inferiorem Regulam tranſire nullatenus licet. Quod autem qui talis eſt, alium cogatur intrare Ordinem, ſi in iſto non recipitur, cum tamen alium non vouerit niſi iſtum, inde inquit eſt, quia cum hunc vouit, ſic ſe alligauit Religioni, quod ſecundum ius Canonicum, nullatenus ad ſeculum poteſt redire, nec ad vitam laxiorem. Et ideo ſi demeretur in Ordine quem vouit non retineri, cum ex peccato ſuo non ſit eius conditio melior facta, vt iam poſſit eſſe liber, ſed potius deterior, oportet eum alium intrare Ordinem, & illum ſeruare ſi vult ſaluari. Et ad hoc (ait) cogit illum ſtatutum vniuerſalis Eccleſiæ, non Ordo iſte, ex cuius gratia permittitur ei, ad inferiorem Ordinem tranſire, cum Superiorem non inueniat, ne aditus ei præcludatur ſalutis. Si autem velit in ſeculo vagari, ex quo Ordo non vult eum recipere, neque ad Religionem concedatur ſibi tranſire, in ſpatio temporis ſibi determinato, licet iam videatur ab Ordinis iuriſdictione exemptus, cum nolit eum amplius tenere, tamen ex auctoritate Summi Pontificis, à cuius iuriſdictione non eſt ſubtractus, poteſt eum Ordo cōpellere, & per cenſuram Eccleſiaſticam, vel alias pœnas corporales, vice Papæ coercere, quamdiu non habuerit alium iudicem Regularem, cui ſe ſubiecerit, Regulam & Ordinem illius ſtabiliter aſſumendo. Hæc ſuprad. Bonauent. Cuius quidem verba, ſunt notatu digniſſima. Sed

Opinio Naua. Nauarr. in contraria eſt omnino ſententia & opinione, quæ & totidem tribus dictis continetur. Et

Primum dictum. primo dicit, quod Religioſi eiecti ab Ordine, per ſententiam iuſtam, latam cum cauſæ cognitione, non tenentur requirere aut rogare Superiores, vt velint ipſos iterum recipere, tum quia id nullo iure cauetur, & conſequenter non eſt aſſerendum, *per cap. legatur, 24. quæſt. 2. & §. conſideremus, in authentic. de trien. & ſemiſſ. collat. 3.* tum quia ſententia maxime poſt lapſum decennij, tranſit in rem iudicatam, *iuxta authen. hodie. C. de appellat. & cap. cum ſit Romana, eodem titulo*, cum eis adnotatis. Res etiam iudicata, pro veritate habetur, *iuxta l. res iudicata. ff. de regulis iuris*, adeo vt contra rem iudicatam, nulla partium audiatur per viam iuſtitiæ, *iuxta cap. cum Bertoldus, de ſentent. & re iudicata.* Dicit tamen, quod illa rogatio & requiſitio, ſponte & voluntarie facta, nihil nocebit etiamſi non fuerit à Superioribus acceptata, quin vero proderit, ad augendam bonam opinionem, & oſtendendum animum, quem quis gerit erga Religionem. Habetur hoc libro tertio Conſil. de Regul. conſil. 64. numero 2.

Secundum dictum. Secundo dicit Nauarro, quod eiecti prędicti, per ſententiam diffinitiuam, tuta conſcientia, poſſunt extra Ordinem & Monaſterium manere, aut intrare aliam Religionem, & qualem ſiue laxiorem, quā voluerint & quam aſſumere poſſent, ſi numquam introiſſent illam, à qua per diffiniuam ſententiam ſunt ſoluti, cum per eiuſmodi ſententiam, illius obligatio ſit extincta, neque poſſit reuiuiſcere, aut impedimentum ponere, per *l. qui res. §. Ariani. ff. de ſolution.* Nec cogi, inquit, vllo modo poſſunt, ad redeundum ſi nolunt redire, nec à Confeſſario in foro conſcientiæ, nec ab vllo iudice in foro exteriori, & multo minus cogi poſſunt, ad hoc vt ſe transferant in aliquam Religionem, maxime ſtrictiorem. Quod hac irrefragabili ratione probat, quia nemo poteſt cogi inuitus creſcere, nec ingredi Religionem quam numquam profeſſus eſt, iuxta textum cum Gloſſ. *in capit. geſta, diſtinct. 74. & cap. integritas, 32. quæſt. 1.* vbi habetur, *quod nemo poteſt cogi ad caſtitatem & Virginitatem ſeruandam, quam non vouit*, & incidenter etiam dicit, quod translatio ad alium Ordinem ſiue Religionem, fieri non poſſet ſine noua profeſſione, ſecundum omnes, adeo vt ſi redire vellent, ad ſuum proprium Ordinem, multum, inquit, ſit probabile, quod id fieri non poſſet ſine noua profeſſione, ſaltem ad eum locum & gradum in quo erant ante ſententiam latam, quamuis contrarium non improbet, & dicat ſuſtineri poſſe. Hoc dicit in ſupradict. libro. 3. Conſil. de Regul. conſil. 64. num. 2. & conſil. 3. tit. de ſtat. Monacho. & ſuper *cap. non dicatis, num. 56.* & generaliter quod Religionum Prælati, ſuper Religioſos iam expulſos ſiue eiectos ab Ordine, nullam omnino habeant iuriſdictionem, probat ex Gloſſ. in Clement. 1. §. *ad hæc, de ſtat. Monachor. ver. clauſtrum, & capit. ſi quis iam translatus, 21. quæſt. 2. & cap. quodam, 16. quæſt. 2.* & ex eo, quod iudices, poſt quam protulerunt ſuam ſententiam, functi ſunt officio ſuo, nullamque iam habent iuriſdictionem, argument. *l. iudex, poſtea quam. ff. de re iudic. & capit. in litteris, de officio deleg. & capit. fin. de regul. iur.* cum eis adnot. quod tenet in ſuprad. Conſil. 51. de Regul. nu. 1. & ſupra *capit. non dicatis, num. 33.*

Tertium dictum. Tertio & vltimo, conſequenter ad omnia ſupra dicta dicit Nauar. quod prædicti eiecti ab Ordine, libere & abſque vlla diſpenſatione Papæ, poſſunt remanere in ſeculo, vtique cum habitu clericali, proprio Ordini conuenienti, quod probat ex conſ. Feder. 38. dicētis, eos id facere poſſe, nō ſolū quando rogant vt recipiantur, & non recipiuntur, verum etiam ante, quia rogare nullo iure tenentur, & quia habitu ſui Ordinis, contra ſententiam vti nequeunt cū ſint eiecti, nec habitu alterius Ordinis quē non fuerūt profeſſi, & ad quē nullo iure cogūtur trāſire: ergo tenētur & poſſunt, vti prædicto habitu Clericali. Sed in cōſ. 3. de ſtat. Monach. n. 1. limitat omnia ſupradicta, dicēdo eſſe intelligēda de Religioſis eiectis iuridice, cauſa cognita &

per ſententiam diffinitiuam,aut ipſius vim habentem,non autem de eiectis ſiue expulſis,per iracũdiam ſiue per colluſionem, Prælati & Monachi eiecti, aliqua de cauſa exitum ſuum exoptantis, quod aliquando dicit ſe fieri vidiſſe. Et ait quod eiuſmodi eiectio non valet, tum quia quæ facta ſunt per iracundiam,non debent durare, *per capit. diuortium,de pœnitent.diſtinct.1. & capit. ſi quis iratus, 2.quæſt.3.*tum etiam quia minus valent, quæ fiunt per colluſionem: nam fraus & dolus nemini debent prodeſſe,iuxta *capit. Sedes Apoſtol.de reſcript. & capit.1.de colluſione detegenda,*ac tandem,quia ſententia lata non iuris ſeruato ordine, nihil valet, *per cap.ad noſtram, el primero,de iureiurando & l. prolatam. C.de ſentent.inter l.omn.iudic.* quod eſt valde notandum,atque memoriæ commendandum.Hæc ſupra dictus Nauar.Pro quibus ſententijs & opinionibus,vtcumque concordandis & componendis, aut ſaltem vt notum fiat, meo videri quid hac in re tenendum eſt,ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Opinio Naua. eſt ſatis iuridica, at Cordub. & D.Bonau.ſententia, eſt in cõſcientia ſecurior, & tenenda.

EX his duabus ſententijs,opinio Nauar. ſatis videtur iuridica,at Cordubæ ſeu potius Seraphici P.N.D.Bonauent.præterquam quod iuri & rationi eſt etiam multum conformis,in conſcientia eſt ſecurior,quinvero vt apparet neceſſario ſequẽda, ſtando in priuilegijs conceſſis noſtro Sacro Ordini.Quod ſententia & opinio Nauar.ſit iuridica,ſatis cõſtat ex ſupradictis iuribus,& auctoritatibus ab ipſo allegatis,quibus innititur. Quod vero etiam opinio Cordubæ, ſeu potius D.Bonauentur.iuri & rationi ſit conſona,& in conſcientia ſecurior,ſuperque ſatis conſtat, etiam ex abeiſdem allatis,& eam tenet expreſſe Magiſt. Soto, libr.7. de iuſtit.& iure,quæſt.7.art.1.vbi agendo de eiuſmodi eiectis,inquit,quod tenentur ſaltem procurare,vt in aliqua alia Religione recipiantur. Nec dictis obſtat quod in contrarium adducit Nauarr. conſil.50.de Regul.nume.2. ad probandum quod Prælati Regulares,non poſſunt eiectos prædictos conſtringere, ad hoc vt aliam ingrediantur Religionem,poſt ſententiam expulſionis,iuridice ab eiſdem prolatam, quia inquit, iudici extra ſuum territorium iudicanti,non eſt parendum, *per l. fin. ff.de iuriſdict.omnium iudic.& capit.2. de conſtitut libro 6.*qua ratione,nec Clericus citatus à Iudice ſeculari & Laico,tenetur coram eo comparere,niſi ſit dubium,an ſit Clericus,iuxta gloſſam, communiter receptam,*in capit.conuerſis,verb. congrueret,23.q. 8.*Item nec Iudici ordinario, in loco exempto paretur,vt tradit Decius,cum citatis ab eo, *in dict.l. fin.num.2.*& quod iudex ſicuti non poteſt iudicare, extra ſuum territorium & locum, vbi habet iuriſdictionem, ita nec poteſt iudicare, extra tempus quo illam habet:bene enim valet argumẽtum de loco ad tempus, *iuxta l.vinum. ff. ſi certum petatur.* Hæc (inquam) non obſtant:nam reſpondetur,cum D.Bonauent.& Cordub.quod Prælati Regulares, non præcipiunt idipſum auctoritate ſua propria, ſed auctoritate Summi Pontificis, qui vt prædictum eſt, in hoc facultatem illis conceſſit. Vnde quamuis per expulſionem,exempti ſint à Prælatorum Regularium iuriſdictione, cum tamen non ſint,nec eſſe poſſint exempti à iuriſdictione Summi Põtificis,bene poſſunt Prælati prædicti,nõ qui dẽ propria,ſed ipſius auctoritate idipſum ſibi præcipere.Præterquam quod,nec alienum eſt à iure, quod Prælati Regulares,per ſuam ſententiam diffinitiuam, obligare poſſint eiuſmodi eiectos, ad hoc vt aliam Religionem intrent, ſicuti & experientia videmus,quod obligant illos multoties,in ſuis ſententijs diffinitiuis,ad hoc,vt in talibus ſeu talibus ciuitatibus non maneant ſiue intrent, ſub grauiſſimis pœnis, ſeu aliquid ſimile, quod poſitum eſt in communi praxi,& vt credo nemo illud negabit,ex quo ſequitur,quod hoc idẽ in propoſito facere poſſunt. Ex his ſatis apparet, quam probabilis ſit opinio Cordubæ, ſeu potius D.Bonau. & quam iuri & rationi conformis,& quod ipſa in conſcientia ſit ſecurior nulli dubium, quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Cuinam eſſe debeant ſubiecti, eiuſmodi expulſi & eiecti ab Ordine, per ſententiam diffinitiuam?

HAnc difficultatem,tangit Nauar.in Cõment.2.de Regul.ſuper *cap.non dicatis,2 num.34.cum ſequentibus,*& lib.3. Conſil. de Regul.conſil.51.num.2. & conſil.3. de ſtat.Monachor.num.etiam 2. De cuius reſolutione,ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Religioſus,iuridice per ſententiam diffinitiuam à Religione eiectus, Epiſcopo manet ſubiectus.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul,quod Religioſus per ſententiam diffinitiuam à Religione eiectus,manet ſubditus atque ſubiectus Epiſcopo ſiue Prælato ordinario,ſicuti cæteri alij Clerici.Hæc concluſio probatur manifeſte: nam cum vt ſupponitur prædictus Religioſus, per ſententiam diffinitiuam eiectus,ſit iam liberatus à ſuorũ Prælatorum ordinaria iuriſdictione, *iuxta Gloſſ. in Clem.1.§.ad hæc,de ſtat.Monachor.verb.clauſtrum, & capit. ſi quis iam translatus,21.quæſt.2.capit. quoddam, 16. quæſt.2.*nec cogi poſſit redire ad Monaſterium: cũ etiam non eſſe debeat acephalus, ideſt ſine capite & abſque vllo ſuperiore,*iuxta cap.nulla,93. diſtinct.* manifeſte colligitur,quod eſſe debet ſubditus atque ſubiectus,Epiſcopo Ordinario inferius dicendo,ad modũ quo & Eremitę etiam Epiſcopis ſubduntur,*per cap.qui vere,16.quæſt.1.* Vnde dicit ſupra dict.Nauar.quod ſi modo aliqua religio deleretur omnino,ad modum quo & multæ per Gregorium X.in Concil.Lugdunen.fuerunt olim deletæ, de quibus habetur *in cap.1.de Relig.domib.* nec permitteretur amplius eiuſdem profeſſis & alumnis,iuxta ipſius regulam communiter viuere,eo ipſo omnes illi ſubderentur Epiſcopis.Cuius & rationem reddit:nam ſub ea obedientia viuendum eſt Religioſis,poſt eiectionem ſiue expulſionem ab Ordine,à qua fuerunt liberati per profeſſionem factã, ſed eiuſmodi (inquit) eiecti,ſi Ordiné numquã fuiſſent profeſſi,eſſentq; Clerici,Epiſcopis Ordinarijs ſub-

ſubderentur, idem ergo dicendum eſt in propoſito. Solum modo eſt difficultas, inueſtigare cuinam Epiſcopo debeat eſſe ſubiectus, eiuſmodi Religioſus, per ſententiam diffinitiuam eiectus, originis, an domicilij, aut vero Epiſcopo, in cuius diœceſi ſitum eſt Monaſterium, à quo eijcitur? Cui dubitationi reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Religioſus ab Ordine eiect⁹ niſi aliud in ſententia exprimatur, remanet ſubditus Epiſcopo originis, ſeu vnde eſt naturalis.

REligioſus ab Ordine eiectus, niſi aliud in ſententia exprimatur, remanet ſubiectus Epiſcopo Originis, ſiue vnde eſt naturalis & oriundus. Hanc concluſionem tenet Nauarr. in dicto Comment. 2. de Regul. ſuper *capit. non dicatis, numero* 34. quam & probat, ex eo quod domicilium originis, eſt immutabile, *per l. aſſumptio. ff. ad municip.* nec deperditur per acceſſionem dignitatis, quæ non aufert quin vero cumulat domicilium, iuxta *l. Senatores. ff. de Senat.* & Bartolibidem receptum, etiam per matrimonium, niſi à muliere, nec ab ipſa in totum, vt declarat Decius *in l. cum quædam puella. ff. de iuriſdictione omnium iudicum, notab.* 2. Pęrterea probat idipſum, quia domicilium quæſitum per Abbatiã, Monachatum ſeu quodcumque aliud beneficium, non durat niſi quoad quiſpiam fuerit Abbas, Monachus ſiue Beneficiarius, ſecundum Bart. communiter receptum *in l.* 1. *ff. ad municipal.* Item & domicilium, quod eſt ratione habitationis, tollitur per translationem in alium locum, iuxta *dictã legẽ cum quædam puella*, & certum eſt, quod per profeſſionem Regularem, mutat quis domicilium habitationis, etiam plus quam per omnes alias mutationes, cum extra Monaſterium nequeat habitare, nec abeo exire ſine licentia Prælati, per *capit. Monachi, el ſegundo*, 16. *quæſt.* 1. Ex his omnibus colligit prædictus Nauarr. quod eiuſmodi eiectus, erit ſubditus Epiſcopo ſuæ originis, quamuis & ipſe facultatem poterit illi facere, tranſeundi ad alium Epiſcopatum, ſine qua, inquit, non poſſet facere idipſum, nec mutare domicilium pro ſuo arbitrio, cum adhuc vere maneat Religioſus, eiuſque voluntas ab arbitrio ſui Superioris dependeat, *per capit. quorumdam & capit. ſi Religioſus, de electione, lib.* 6. Dixi tamen conſulto in concluſione, niſi aliud in ſententia exprimatur, quia Religioſus, qui ſimul ab Ordine eijcitur, & à ſua Prouincia, vnde trahit ortum & originem relegatur, non poteſt ibi manere, nec ſubditur Epiſcopo originis: nam iuxta ſententiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. articulo tertio, etiam in foro conſcientiæ tenetur adimplere pœnitentiam à iudice competenti ſibi datã. Vnde in tali caſu, proculdubio tenebitur adire prę ſentiam Summi Pontificis, qui ſibi prouideat de Epiſcopo & Prælato, cui ſit ſubditus & ſubiectus. Dicit præterea Nauarro, quod eiuſmodi eiecti & relegati à ſuis Superioribus, legitime & iuridice, tenentur adire Epiſcopum ſuum originarium (ſeu aliquem alium, in caſu quo ſint relegati) illique ſe prę ſentare, & ſignificare eos eſſe Monachos, & ſuæ obedientiæ ſubiectos, paratos ſuis iuſsis & mandatis obedire, quò Epiſcopi ipſi hoc ſciant, ac illis prouideant, de aliquo honeſto viuendi modo, prout ſecundum Deum, ſuarum animarum ſaluti magis videbitur expedire. Quod probat ex eo, quia qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad ea, quæ neceſſario illud conſequuntur, iuxta *l.* 2. *ff. de iuriſdictione omnium iudicum*, & *capite primo*, & *capite præterea, de offic. deleg.* Cum igitur prædicti eiecti, teneantur ſeruare tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, vt dicemus ſtatim, nec id congrue aut commode poſſint facere, ſi neſciuerint Epiſcopi, eoſdem eſſe illis ſubiectos, vt prouideant quæ neceſſaria ſunt ſuorum ſtatui, liquidum profecto fit, quod vt prædictum eſt, tenentur ſe illis præſentare. Quod, inquit, ſe etiam reſpondiſſe cuidam eiecto, licet propterea nimis ipſe fuerit contriſtatus, nempe, quod non ſatisfaciebat ſuo ſtatui, etiam alioquin bene viuendo, ſi non ſe proprio Epiſcopo præſentaſſet, tum quia non ſeruabat votum obedientiæ, nulli obediendo pluſquam ſi eſſet ſecularis Clericus, tum etiam quia non poterat ſeruare votum ſolemne paupertatis, conuertendo quæ lucri faciebat, canendo &cæt. in ſuos proprios vſus, ſine licentia ſui Superioris & Prælati, qui erat Epiſcopus, ac tandem quia oportebat vltra vitæ honeſtatem, & obſeruatam caſtitatem, vt patefaceret Epiſcopo ſuum ſtatum, quò illi prę ciperet, quid vellet facere ſecundum regulam clericalem, iuxta quam ei tenebatur obedire, obedientiæ ſolemni voto. Nec etiam ſatis poterat recte mori abſque proprio, neſciente & ignorante Epiſco, pobona quibus vtebatur, eo mortuo pertinere ad ſuam diſpoſitionem Epiſcopalem, cum nec ex teſtamento neque ab inteſtato, hæredem poſſet habere nec legare, per *capit.* 2. *de teſtament. & capit. ſuper eo, de ſtatu Monachorum.* Hæc ſupradictus Nauarr. in dicto Comment. 2. de Regul. ſuper *capit. non dicatis, numero* 35. *in fine*, quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrùm eiecti ſupradicti, teneantur ad ſeruandam Regularem vitam, ſiue Regulam, quam vouerunt, & cuinam acquirant, ſi aliqua lucrentur bona, & an exiſtentes in ſeculo prædicare poſsint, & confeſsiones audire?

CIrca difficultates præſentis articuli, multa etiam notatu digna dicunt Doctores, quibus breuitatis gratia omiſſis, quod melius atque tenendum videbitur, explicabitur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Certiſsimum eſt, quod Religioſi eiecti, obſeruare tenentur, tria Religionis eſſentialia vota.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod ſupradicti Religioſi eiecti, obſeruare tenentur, etiam exiſtentes in ſeculo, tria Religionis ſubſtantialia & eſſentialia vota, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis. Hæc cõcluſio eſt omnium Doctorum communis, & de ea ſpecialiter videndus eſt Soto lib. 7. de iuſtitia & iure, quæſt. 1. artic. 1. & Nauar.

ſuper *capit. non dicatis, à numero* 33. *cum ſequentibus*, & Corduba ſuper Regul. capit. 2. queſtione 21. & Emmanuel Rodericus, primo tomo Quæſtionum Regularium, quæſtione 30. articulo 20. Sed loco obedientiæ ſuorum Prælatorum, à quorum iuriſdictione, per eiectionem prædictam eximuntur, tenentur eandem præſtare Epiſcopo originario, ſeu alij in caſu quo fuerint relegati, vt dictum eſt in præcedenti articulo. Paupertatem etiam ſeruare tenentur, eo modo quo poſſunt, nullius rei omnino habendo proprium, ſed tantum quæ lucrati fuerint, canendo ſeu aliter, conuertendo in ſuos honeſtos & neceſſarios vſus, de licentia & beneplacito Epiſcopi prædicti. De caſtitate nulli etiam dubium eſt, quod obſeruare illam teneantur, poſtquam eandem ſolemniter promiſerunt. Circa Regularem vitam & recitationem diuini officij, Doctores ſunt varij: ſed verior reſolutio eſt, quod illud tenentur recitare, ſeruareque regularem vitam, etiam iuxta Regulam quam promiſerunt, inquantum ſe compatitur cum proprio ipſorum ſtatu, etiam Ieiunia & ſimilia. Etenim ſi Epiſcopi in alium omnino translati ſtatum, atque à Religionis iugo liberati, in idipſum aſtringuntur, iuxta communem ſententiam, quam tenet ſpecialiter D. Thom. 2. 2. quæſtione 185. articulo octauo, quid igitur obſtat quominus hoc dicamus, de eiectis ſupradictis à Religione in ſeculo exiſtentibus, maxime cum iuxta ſententiam Cardin. *in capit. fin. de Regul. quæſtio.* 1. Regularitas ſiue Monachatus, ſit res quædam indelebilis, etiam per Papam, iuxta *capit. cum ad Monaſterium, §. fin. de ſtatu Monacho.* ad modum cuiuſdam characteris. Hoc itaque eſt tenendum, tanquam certum & verum.

Secunda Concluſio.

Cui acquirãt Religioſi eiecti, dominium rerũ quæ poſſident, poſt eorundem expulſionem.

SVpradicti religioſi eiecti, quicquid acquirunt ſiue lucrantur, non ſibi quærunt nec vero Monaſterio, ſed dominiũ acquiritur Deo & D. N. Ieſu Chriſto, ius vero adminiſtrãdi ſupremum, Summo Pontif. eiuſdem Vicario, ſpeciale autem Eccleſiæ ſeculari vel Regulari, cui legitime fuerint tranſlati, alioquin Epiſcopo, ad ſenſum ſupradictum. Hanc concluſionem expreſſe tenet Nauarr. *in d. cap. non dicatis, num.* 33. Quod non ſibi dominium prædicti quærant, exinde patet, quia ſunt incapaces cuiuſcumque dominij ac iuris pecuniarij, ratione ſolemnis voti paupertatis, à quo non abſoluũtur per ſuam culpam, & ſententiam contra ipſos latam, vt tenet Cardin. *in Clement. 1. §. quia vero, de ſtat. Monachor. quæſt. 1.* poſt Innocent. *in cap. dilectus, el 2. de ſimonia*, dicendo, quod Monachus per depoſitionem, non definit eſſe Monachus, quod late proſequitur Nauar. *in cap. nullam*, 18. *quæſt. 2. nu.* 47. & ratio ad idem eſt appoſitiſſima, quia nemo debet ex ſua culpa reportare commodum, contra *l. itaque fullo. ff. de furt. & cap. 1. de poſt. Prælat.* Quod etiam non acquirant illud Monaſterio, exinde etiam patet, quia per expulſionem iam fuerunt translati, & deſierunt eſſe membra obedientialia illius, & tales non quærunt amplius Monaſterio, cui fuerant addicti & à quo ſunt abſoluti, arg. *cap. ſi quis iam tranſlatus, 21. quæſt. 2. & cap. ne pro cuiuslibet, 16. quæſt. 1.* acquirunt igitur dominiũ Deo & D. N. Ieſu Chriſto, vt prædictum eſt, & ius ſummum adminiſtrandi Papæ ipſius Vicario, ſpeciale autem illi Eccleſiæ, Regulari ſeu ſeculari, ad quam fuerint translati, argum. dictorum Capitulorum, cum ſuis Gloſſis, alioquin Epiſcopo originario ſeu alij, vt tradit Panormit. *in d. cap. fin. de Regul.* Videatur hac de re Sylueſt. *verb. apoſtaſia, quæſt. 9.* Sed veniendo ad prædicationem, & facultatem audiendi confeſſiones, ſit concluſio.

Tertia Concluſio.

Eiecti exiſtentes in ſeculo, prædicare nõ poſſunt, nec confeſſiones audire.

STricte prohibitũ eſt, eiectis prædictis exiſtentibus in ſeculo, prædicare & confeſſiones audire, niſi ad aliam translati fuerint Religionem. Hæc cõcluſio habetur expreſſa, in Mon. Ord. 1. impreſ. fol. 36. & 2. fol. 220. conc. 271. & refertur in Comp. *verb. apoſtatæ ab ordine, §. 2.* vbi dicitur, quod Innoc. VI. *prohibuit diſtricte, ne egreſſi ab Ordine noſtro, motu ſuo proprio, aut expulſi pro ſuis culpis & demeritis, præſumant prædicare aut docere, vel Confeſſiones audire, niſi de licentia Papæ, aut Prælatorum noſtrorum, ad alium Ordinẽ tranſierint, & voluit quod ſi forte contra eiuſmodi prohibitionem, aliquid attentauerint, poſſint Generalis & Prouinciales Ordinis, in illos ſententiam excommunicationis promulgare.* Idipſum inhibuit Clemens etiam VIII. vt habetur in eiſdem Monum. 1. impreſſ. fol. 48. & 2. fol. 141. conc. 330. & refertur in d. Compend. verb. vbi ſupra, §. 10. quod eſt multum notandum & memorię commendandum, deberetque obſeruari melius quam ſeruatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm eiecti ab Ordine, ſi ſint Subdiaconi, aut alio ſacro Ordine inſigniti, ad alios ordines poſſint promoueri?

Concluſio.

Eiecti ſi ſunt Subdiaconi, aut ſacro alio Ordine inſigniti, niſi aliud obſtet, bene poſſunt ad alios promoueri, à ſuis Epiſcopis.

CErtiſſimum eſt, quod eiecti ab ordine, ſi ſint Subdiaconi aut aliquo Ordine inſigniti, niſi aliud obſtet, poſſunt ad alios ſacros promoueri. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & communi vſu comprobata, & de ea vt credo nemo eſt qui dubitet, aut dubitare poſſit. Videatur hac de re Nauarro libro tertio Conſil. de Regul. conſil. 3. de ſtatu Monachorum. Et Emmanuel Rodericus in Quæſtionum Regularium, primo tomo, quæſtione 30. articulo 24. Sed aduerto, quod eiuſmodi ad ſacros Ordines promotio, fieri debet de licentia propriorum Epiſcoporum, quibus per expulſionem ab Ordine fiunt ſubiecti, aut Papæ. Et dixi notanter, niſi aliud obſtet, etenim ſi delicta ob quæ ab Ordine eijciuntur, irregularitatẽ induxerunt, ſeu aliquã aliã inhabilitatem, Summo Pont. reſeruatam, quærenda eſt primum diſpenſatio ab eo, ſi autem non ſit Summo Pontif. reſeruata, Epiſcopi idipſum facere poterunt, & ordinare ipſos præuia bona informatione, de ſua vita & moribus, & reddere illis aliquam commoditatem, ſeu viuendi modum, quo non cogantur ſtatim mendicare. An vero in hoc caſu idipſum facere poſſint, an vero teneantur proprijs manibus laborare, tradit Nauar. *ſuper cap. non dicatis, num.* 37. vbi concludendo, dicit de mente & ſententia

tentia D. Thom. 2.2, q. 187. art. 3. & opuſ. 19. cap. 5. quod Religioſi, tam prædicti eiecti quam alij, vltra ſtatuta ſuæ Regulæ, non tenentur manibus laborare, poſſuntque de eleemoſynis viuere. Sed quia hac de re ſpecialem mentionem fecimus, ſupra Quæſt. 11. Art. 1. agendo de Ordinibus Mendicantibus. ab ea in præſentiarum ſuperſedeo.

ARTICVLVS VII.

An Prælati Regulares, eiuſmodi eiectos ſi conuertantur, & humiliter expoſcat habitum, teneãtur neceſſario ad Ordinem illos recipere?

IIuus Antonin. 3. part. tit. 16. cap. 5. circa hunc Articulum, partem tenet affirmatiuam, quam & probat de mente & ſententia Anton. de Butr. aſſerentis, Monachos eiectos ab Ordine, iterum reuerti volentes, idque humiliter, expoſtulantes, admittendos eſſe, quod etiam tenet Sylueſt. *verb. apoſtata, q.* 5. vbi quærit vtrum eiecti reuerti volentes ad Ordinem, ſint admittendi? Et dicit quod ſic, illudque probat, etiam ex ſententia Anton. Butr, & ex *cap. fin. de Regul.* vbi præcipitur Viſitatoribus & Abbatibus, alijſque Superioribus, vt quotannis eiectos & fugitiuos requirant; & monaſteria eoſdem recipere compellant. Cum quibus conſentire etiam videtur, Cordub. ſuper cap. 2. noſtræ Regul. q. 21. in 2. pun. nec ab hac ſententia diſcedere apparet, D. Bonau. in qq. quas fecit ſup. Regul. q. 14. quamnis cum limitatione & moderatione, dicenda in ſequente Concl.

Concluſio.

In quo caſu, Prælati Regulares tenentur recipere eiectos ab Ordine; in quo vero nõ, et de cuius licentia id fieri debeat

PRælati Regulares, eiectos ab Ordine iterum recipere tenentur, in caſu quo id humiliter petant, ac ſint parati corrigi ſecundum Ordinis diſciplinã, in caſu etiam quo ceſſet cauſa expulſionis ipſorum, & dummodo id fiat, præcedente Summi Pont. licentia, ſiue diſpenſatione, non vero aliter. Hæc Concluſio cum prædictis conditionibus ac limitationibus intellecta, eſt certa & vera, conſtatque ſatis ex ſupradictis, & nulla alia indiget probatione. At non exiſtentibus prædictis conditionibus, & ſi ex eorumdem receptione, aliquod probabiliter timeatur ſcandalum, in Ordine ſiue extra, aut ſi alias ipſi redeant aliqua contagioſa infirmitate infecti, & inhabiles ad ſeruitium Ordinis, nullatenus ſunt admittendi & recipiendi. Et in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba D. Bonau. loco ſupracit. vbi poſtquam ad probandum, quod prædicti eiecti debent recipi ad Ordinem, adduxit illud commune dictum, nempe quod miſeris miſeratio eſt adhibenda, inquit, quod crudelis eſt miſeratio, vnde plures & meliores grauiter offendun tur, ſicut qui furem liberaret vnde pauperes expoliarentur, maxime cum tales longo vſu tepefacti, rariſſime vere & perſeueranter emendentur, & facilis ipſorum remiſſio, alijs etiam anſam præbeat delinquendi. Nec poſſunt (inquit) allegare, fieri ſi bi iniuriam, in eo quod non recipiuntur, cum ipſi ex ſua propria culpa, tales ſe præſtiterint, indignique facti fuerint vt recipiantur, quin potius Ordo legitimam habet cauſam contra illos agendi, pro eo quod adeo ipſum dehoneſtarunt, quocirca merito poteſt illos punire, & tradere ſæculo cui ſeruierunt. Et addit, quod Sedes Apoſtolica, quæ ius ſuum ſeruat vnicuique, & Ordinem vult in ſua puritate permanere, non cogit illos tenere, quorum conuerſatio nociua eſſet Ordini, nam tũc reos foueret & puniret innocentes, & occaſionẽ daret Ordinis corruptioni, per huiuſmodi peſtiferos, ſi eoſdem recipere neceſſario oporteret. Verba ſunt expreſſa D. Bonauent. valde notanda ac memoriæ commendanda. Quod etiam confirmatur, ex declaratione Pauli Quarti, quam fecit, cuiuſdam ſui Motus proprij, quo præceperat olim, apoſtatas recipi ad Ordinem. Inſtante enim bonæ mem. Pio Quinto, cum eſſet in minoribus, & hac de re teſtimonium terente dixit, ſuæ intentionis nullatenus fuiſſe, vt quoſcumque apoſtatas & eiectos, ſine diſcrimine & abſque vllo reſpectu recipere tenerentur Superiores, & ſuo Ordini iterum admittere, ſed illos tantummodo, de quibus emendationis vitæ propoſitum concipere, & ſperare poſſent probabiliter. De qua autentica declaratione, fidem facit Paralel. in ſuo Compend. priuileg. fol. 180. Præterea accedit alia ratio, ob quam prædicti eiecti vt videtur, regulariter recipi nõ debent: nã vt notat Lap. ſup. conſ. 38. Frederici, tales ſunt infames & Religionum infames, Prælati minime compelluntur ad Ordinem recipere, quin uero prohibentur idipſum facere, per nouiſſimam conſt. Sixti Quinti, qua ſtatuit ad Religionem nullatenus poſſe recipi, qui propter ſua delicta reputantur infames. Quæ conſtitutio, licet expreſſe loquatur, de ſæcularibus expoſtulantibus habitum, pari ratione extendenda videtur, ad prædictos eiectos, qui poſtquam ſoluti ſunt ab obedientia ſuorum Prælatorum, iam reputantur quaſi ſæculares. Supradicta omnia cõfirmantur, nam ſi prædicti expulſi, iuſte & per ſententiam diffinitiuam, compellere poſſent Prælatos Regulares, vt illos iterũ reciperent, id que ipſi facere tenerentur, ſi uſtrarẽtur profecto, & quaſi inania redderentur, priuilegia Religionibus cõceſſa, quibus poſſent, Fratres criminoſos expellere atque in perpetuum eijcere, quod cum non ſit dicendum, ſtandum videtur in ſupradictis. Sed aduerto, conſultò me dixiſſe, & appoſuiſſe in Concluſione, quod in caſu quo eiuſmodi eiectos, iterum ad Ordinem recipere cõueniat, faciendum id eſt, ex ſpeciali & expreſſa licentia, ſiue diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, etenim, vt latius dicetur in ſeq. Tom. Quæſtio. 7. Artic. 7. agendo de auctoritate & poteſtate Generalis Miniſtri, & aliorum Prælatorum Regularium, reſtitutio degradatorum, & ſolemniter eiectorũ ab Ordine, de iure communi reſeruata eſt Summo Pont. & ſine ipſius licentia, auctoritate ſiue diſpẽſatione, fieri nõ poteſt. Nec *d. cap. fin. de Regul.* quidquam in contrarium conuincit, nam vt ibidem dicemus, loquitur de alio expulſionis genere ſiue modo ab Ordine, non ſolemni ſed ordinario, & cõſueto olim ad tempus, qui poſitus tunc erat in cõſuetudine, ſed iam deſuerit.

Nota quod Apoſtatæ ſũt infames.

Nota hoc val de, quod reſtitutio ſolemniter degradatorum, eſt Summo Pont. reſeruata, vt habetur in 2. to n. 0, huius Manualis, q. 7. art. 7.

ARTICVLVS VIII.

Vtrûm Prælati Regulares, interdum, ob aliqua crimina, atq; delicta, ſubditos ſuos, ad triremes poſsint damnare?

HAnc difficultatem, tractat Nauar. Commen. 3. de Regul. ſuper *c. nullam.* 18. *q.* 2. *num.* 52. & pro ratione dubitandi dicit, videri poſſe quod non, cum nulli Prælati Eccleſiaſtici Epiſcopi, neque Archiepiſcopi, aut Patriarchæ, idipſum faciant. Et præterea, quia *in cap. vniuerſitatis, de ſent. excommun.* prohibentur Abbates, Clericos, Monachos, atque Conuerſos, caſtigare percutiendo illos per laicos, etiam cauſa Regularis diſciplinæ. Ac tandem, quia videtur eſſe contra commune priuilegium Clericorum, & quorumcunque Eccleſiaſticorum, poſitum *in c. ſi quis ſuadente diabolo*, 17. *q.* 4. quo non videntur priuari per quæcumque delicta, cum etiã depoſitus verbaliter eo gaudeat, donec realiter degradetur, iuxta textum *in c. degradatio, iuncta gloſ. de pœn. lib.* 6. & certum eſt, quod cum Religioſi ad triremes damnantur, quodam modo priuantur dicto priuilegio, poſtquam grauiter à laicis percutiuntur, quod nemo præter Papam, videtur poſſe facere, aut diſpenſare in eo quod ferientes Regulares, nõ incidant in pœnam ſupradicti Canonis. His tamen non obſtantibus, inquit Nauarro ſupra dictus, contrarium poſitum eſſe in conſuetudine, fierique poſſe, in caſu & cum moderatione, dicenda in ſequenti Concluſione.

Concluſio.

In quo caſu poſſunt Prælati Regulares, ſubditos ſuos ad triremes damnare.

IN caſu quo id expediat, nec aliter iuſtitiæ ſatisfieri poſſe videatur, bene poſſunt Prælati Regulares, ſubditos ſuos facinoroſos & criminoſos ad triremes damnare. Hæc Concluſio probatur in primis, ex communi conſuetudine, ſcita & tolerata, quinuero & præſcripta Eccleſiæ, & cunctarũ Religionum. Et præterea, quia, vt habetur in *cap. cum B. Paulus, & cap. in Archiepiſcopatu, de rapto.* cum alijs ibidem citatis, Iudex Eccleſiaſticus, bene poteſt ſubditos verberare, ac ſibi imponere pœnam verberum citra ſanguinem: & certum eſt quod aliquem ad triremes damnare, non eſt damnare ad pœnam ſanguinis, nec etiam directe ad verbera, ſed ſolũmodo indirecte & per quãdã conſequentiam, ſi illud ipſi meruerint. Item licet de iure cõmuni, iudex Eccleſiaſticus, Clericum verberare aut torquere non poſſit per laicum, vt tenet Panor. *in d. cap. vniuerſitatis, & cap. infames, de ſent. excommun.* contrarium tamẽ ſeruatur in cõſuetudine; & cum lex de non verberando, ſeu torquendo Clericum per laicum, humana tantum ſit non vero naturalis aut diuina, certũ eſt quod tolli poteſt per conſuetudinem rationabilem, *per c. fin. de conſuet.* & talis eſſe videtur iſta, condemnandi prædictos Religioſos, criminoſos & facinoroſos ad triremes, in aliquo raro caſu, quo id expedire videatur. Per quod fit ſatis ad obiecta, pro alia in contrariũ parte adducta. Dicit tamen Nauarr. id fieri non debere, niſi per quam raro, cum alienum eſſe videatur, à fraterna charitate, & paterna pietate, quam Prælati Regulares, habere debent erga ſibi ſubiectos, quinuero & ab antiqua cõſuetudine Regularum, ſanctiBenedicti, Auguſtini, Bernardi, Dominici, & Franciſci, & aliarum Religionum Inſtitutorum, eiuſmodi pœnas infligere, cum ipſi ſolummodo fuerint contenti, in his caſibus pœna eiectionis ab Ordine, & hæc de iſto articulo & tota Quæſtione dicta ſufficiant, quæ omnia ſicuti & cætera alia, correctioni Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ, & cuiuslibet melius ſentientis humilliſſime, ac libentiſſime ſubmitto.

FINIS.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM,

Qui in hoc Prælatorum Regularium Manuali ſiue directorio, Primo Tomo continentur.

QVAESTIO. I.

De Religione & Religioſo ſtatu in cõmuni, in ſex Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Religio?
2 Vnde dicatur atque deriuetur Religio ſiue Religionis nomen?
3 Vtrum Religio ſiue Religionis nomen, importet ſtatum perfectionis?
4 Quænam ſint de eſſentia, atque ſubſtantia Religionis, ſeu ſtatus Religioſi?
5 Vndenam proueniat, quod obedientia, caſtitas atque paupertas, ſint de eſſentia & ſubſtantia Religionis, ſiue ſtatus Religioſi?
6 Vtrum ad eſſentiam ſiue ſubſtantiam Religionis, ſeu ſtatus Religioſi, ſpectet quod obedientia, caſtitas, & paupertas, cadant ſub voto & promittantur à Religioſis?

QVAESTIO. II.

De Religione & Religioſo ſtatu in cõmuni, quantum attinet ad eius vnitatem ſiue diuerſitatem in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Religio, prout importat perfectionis ſtatum, debuerit eſſe vna vel plures?
2 An fuerit expediens, quod in Eccleſ. fieret aliqua Religio, cuius particularis finis & proprium inſtitutum, eſſet contemplatio & vitæ contemplatiuæ exercitia?
3 Vtrum fuerit expediens quod in Eccleſia aliqua inſtitueretur Religio, cuius principalis finis eſſet actio & vitæ actiuæ exercitia?
4 Vtrum fuerit expediens, quod in Eccleſia aliqua inſtitueretur Religio, ad prædicandum & confeſſiones audiendum, cuius proprium inſtitutum eſſet, prædicare, docere, & confeſſiones audire?
5 Vtrum fuerit expediens, quod in Eccleſia, aliqua inſtitueretur Religio, ad ſtudendum, ſeu quod ſtudia eſſent in Religionibus?
6 Vtrum fuerit expediens, quod in Eccleſia aliquæ inſtituerentur Religiones, quarum proprius finis & proprium exercitium, eſſet cane re in choro, atque in Eccleſijs diuinas laudes perſoluere?

QVAESTIO. III.

De Religione & Religioſo ſtatu, etiam in cõmuni, quantum ad eius inſtitutionem & originem, in ſex Articulos diuiſa.

1 Vndenam Religio ſeu Religioſorum ſtatus, ortum habuerit & originem?
2 Vtrum ante tempora & aduentum Chriſti Domini, fuerit aliqua vera & propria Religio, ad modum quo in Eccleſia ſunt Religiones hodie?
3 Quiſnam Monachorum antiquorum primus, Religioſam Monachorum vitã, ad meliorem formam reduxit?
4 Quot fuerunt olim in Eccleſia, Monachorum genera?
5 Quotnam ſint in Eccleſia, approbatæ Monachorum Regulæ?
6 Ad quem ſpectet approbare & confirmare, Monachorum & Religioſorum omniũ Regulas?

QVAESTIO. IIII.

De Religionibus in particulari, quantum ad omnium ipſarum ortum & originem, in quindecim Articulos diuiſa.

1 DE ortu & origine Religionis D. Baſilij?
2 Quo tempore & à quo, Ordo B. Benedicti, ortum & originem duxerit?
3 Vnde Ordo & Religio Carthuſienſium, ortum & originem duxerit?
4 De ortu & origine, Religionis ſanctiſsimi Patris noſtri Franciſci.
5 A quo habuerit ortum ſiue originem, Religio B. Dominici, quæ alio nomine, Fratrum Prædicatorum nuncupatur?
6 De ortu & origine Religionis, Fratrum qui communiter Eremitæ Sancti Auguſtini nuncupantur?
7 De ortu & origine Fratrum Carmelitarum, ſeu qui communiter dicuntur, Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo.
8 Vnde ortum & originem duxerit, Ordo communiter dictus, Sãctiſſimæ Trinitatis?
9 Vnde & à quo & quo tempore, ortum & originẽ habuerit, Religio Fratrum nuncupatorum, Dominæ noſtræ de Mercede, Redemptionis Captiuorum?
10 Vnde ortum & originem habuerit, Religio D. Hieronymi communiter nuncupata.
11 De ortu & origine Fratrum Minimorum, qui & communiter nuncupantur, S. Franciſci de Paula?
12 Vnde & quo tempore, ortum & originem habuerit, Religio Societatis Ieſu, cuius alumni & profeſſores, per imperitiam à quibuſdam dicuntur Teatini?
13 De ortu & origine omnium Canonicorum Regularium?
14 De ortu & origine aliarum Religionum, ſiue Fami-

Familiarũ quæ profitentur infirmorũ curam.
15 De ortu & origine Religionum Militarium, siue militiam profitentium,

QVAESTIO. V.

De Religionibus in communi, quantum ad omnium ipsarum vltimatum finem, in sex Articulos diuisa.

1 QVisnam sit, Religionum omnium vltimatus finis?
2 Quidnam sit illud, in quo perfectio Christianæ vitæ, essentialiter & substantialiter consistit?
3 An hæc Christianæ vitæ perfectio, essentialiter etiam consistat, in alijs præceptis à charitate, & in consilijs positis in Euangelio?
4 Vtrum hæc perfectio Christianæ vitæ, quam diximus in charitate consistere, in hac vita totaliter possit adipisci & acquiri?
5 Vtrum quicumque Religiosus, ex ratione sui status, teneatur necessario esse perfectus?
6 Vtrum possit aliquis esse perfectus, absque eo quod sit in tali statu, seu quod habeat statum perfectionis?

QVAESTIO VI.

De Religionibus, quantum ad ipsarum proprios & particulares fines in quatuor Articulos diuisa.

1 VTrum Religionibus omnibus, necessarium sit constituere, proprios & partitulares fines?
2 Quot sint in genere, Religionum omnium, proprij & particulares fines?
3 Quam ob causam sancti Patriarchæ, Religionũ institutores & fundatores, ad optatum perfectionis finem, non vna & eadem, sed alia & alia processerint via, desumentes quidam vitam cõtemplatiuam, alij autem actiuam, alij vero mixtam, siue ex vtraque compositam?
4 Penes quid differant Religiones, quæ idem vitæ genus, actiuum siue contemplatiuum, aut mixtum profitentur?

QVAESTIO VII.

De Religionibus, contemplatiuam vitam profitentibus, in Sex Articulos diuisa.

1 VTrum contemplatio, sit actus solius intellectus, an vero etiam voluntatis?
2 An vita contemplatiua, solummodo consistat in contemplatione Dei, an vero in consideratione cuiuscumque alterius veritatis?
3 Vtrum ad vitam contemplatiuam, pertineant diuersi actus; an vero solummodo in vnico actu contemplatio ipsa consistat?
4 Vtrum virtutes morales, ad vitam contemplatiuam pertineant?
5 Vtrum operatio contemplationis, seu contemplatiuæ vitæ, conuenienter distinguatur, penes hos tres motus, circularem, rectum, & obliquum?
6 Vtrum vita contemplatiua, secundum statum præsentis vitæ, vsque ad diuinæ essentiæ visionem possit pertingere?

QVAESTIO VIII.

De Religionibus, profitentibus vitam actiuam, in Quatuor Articulos diuisa.

1 VTrum omnes actus virtutum moralium, pertineant ad vitam actiuam?
2 Vtrum prudentia pertineat, & sit necessaria ad vitam actiuam; quod est dicere, an expediat viros actiuos, & actiuæ vitæ deditos esse prudentes?
3 Vtrum vita actiua, indigeat vita ipsa contemplatiua?
4 Vtrum actiua vita possit esse diuturna, & permanere & durare post hanc vitam?

QVAESTIO IX.

De vita actiua & contemplatiua, per comparationem ad ipsas, in Quinque Articulos diuisa.

1 VTrum omnes in vniuersum Religiosorum status, conuenienter diuidantur, per actiuam atque contemplatiuam vitam?
2 Quænam sit melior vita, actiua an vero contemplatiua?
3 Vtrum vita actiua sit maioris meriti, quam contemplatiua, an vero è conuerso?
4 Quænam sit perfectior vita siue Religio: in societate viuentium; an vero agentium solitariam vitam?
5 Vtrum perfectissimus viuendi modus, sit eorum Religiosorum, qui profitentur vitam mixtam & quasi ex vtraque compositam, nempe ex actiua & contemplatiua?

QVAESTIO X.

De Religiosis & Monachis in communi, in Sex Articulos diuisa.

1 QVinam dicantur Religiosi, seu quibus Religiosorum competat nomen?
2 Vtrum Canonici Regulares, vere & proprie sint & dici debeant Religiosi?
3 Vtrum personæ Societatis Iesu, vere & proprie sint Religiosi, seu eis proprie Religiosorum competat nomen?
4 Vtrum nobiles viri & equites, Religionum Militarium, B. Ioannis, S. Iacobi, & quæ communiter dicuntur, Calatrauæ, & Alcantaræ, atque similium, sint vere & proprie Religiosi?
5 Quinam dici debeant Monachi, seu quibus vere & proprie, Monachorum competat nomen?
6 Vtrum Canonici Regulares, & Religiosi viri Societatis Iesu, generaliter comprehendantur, Monachorum nomine?

QVAESTIO XI.

De Monachis & Religiosis, Mendicantibus & nõ Mendicantibus, sed propriũ & redditus annuos habentibus, in communi, in Sex Articulos diuisa.

1 VTrum licitum sit Monachis, siue Religiosis mendicare, seu quod dicitur, de eleemosynis viuere.
2 Vtrum

2 Vtrum Monachis ſiue Religioſis, habere aliuid in communi ſit licitum, ſeu diminuat à ſtatu & ratione perfectionis?
3 Vtrum Chriſtus Dominus & ſancti eius Apoſtoli atque Diſcipuli, habuerint aliquid propriũ in communi?
4 Vtrum fuerit conueniens, quodin Eccleſia aliqua fieret Religio, quæ nullum haberet proprium, nec in particulari, nec in communi?
5 Vtrum Monachi ſiue Religioſi, teneantur proprijs manibus laborare, & de fructu & labore manuum ſuarum victum quærere?
6 Quotnam ſint in Eccleſia, Ordines ſiue Religiones Mendicantes?

QVAESTIO XII.

De Monachis, ſiue Religioſis clauſtralibus, ſeu vt communiter dicitur Conuentualibus, & etiam de Obſeruantibus, in communi, in duos Articulos diuiſa.

1 QVinam Monachi ſiue Religioſi, dicãtur Clauſtrales ſiue Conuentuales?
2 Quinam Monachi ſiue Religioſi, dicantur Obſeruantes?

QVAESTIO XIII.

De Prælatis Regularibus in communi, quoad ipſorum omnium iuriſdictionem, in Sex Articulos diuiſa.

1 QVonam iure Prælati Regulares & Religioſi, exempti ſint à ſæcularium iudicum iuriſdictione, & eadem eſt difficultas de Clericis & Eccleſiaſticis perſonis?
2 Quonam iure Prælati Regulares & Religioſi, ſint exempti ab Epiſcoporum & aliorum Prælatorum ordinariorum iuriſdictione.
3 An Prælatorum Regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos, dicenda ſit ordinaria, an vero delegata?
4 Vtrum aliqua ratione ſuſtineri poſſit, quod Prælatorum Regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos ſit diuina, & competat eis etiam de iure diuino, & non ſolum ex Papali humano?
5 Quantum ſe extendat poteſtas, atque iuriſdictio Prælatorum Regularium, in ſuos ſubditos?
6 Vtrum Summus Pontifex, potuerit limitare atque reſtringere, ordinariam Prælatorũ Regularium iuriſdictionem?

QVAESTIO XIIII.

De Prælatis Regularibus, quãtũ ad ipſorum diuerſitatem & differentiam, in duos Articulos diuiſa.

1 QVotnam ſint Prælatorum Regularium genera, ſiue ſpecies in Eccleſia?
2 De Prælatorum differentia, quæ ſpecialiter reperitur in ſacro noſtro Minorum Fratrum Ordine?

QVAESTIO XV.

De Prælatis Regularibus, quantum ad facultatem admittendi & recipiendi Nouitios, in proprium ſuum cuiuſque Ordinem reſpectiue, in duos Articulos diuiſa.

1 QVinam Prælati in Religionibus, facultatem habeant admittendi & recipiendi Nouitios;
2 Vtrum Prælati Regulares per ſe ſolos, ſine conſenſu aut ſaltem conſilio Capituli, ſiue Conuentus, recipere & incorporare poſſint Nouitios ad Ordinem?

QVAESTIO XVI.

De Nouitijs ante ſuſceptionem habitus, & ante quam Religionem ingrediantur, in quatuor Articulos diuiſa.

1 VTrum ingreſſus Religioni magnam requirat deliberationem?
2 Vtrum licitum ſit, quempiam inducere & perſuadere, ad ingreſſum Religionis?
3 Vtrum ſit illicitum atque peccatum mortale, quempiam ab ingreſſu Religionis retrahere, & quænam ſit idipſum facientis pœna?
4 Vtrum omnes in vniuerſum venientes ad Ordinem, & Religionis habitum expoſtulantes ſint recipiendi?

QVAESTIO XVII.

De Nouitijs, quantum ad conditiones & qualitates, quas ipſos oportet habere, de iure communi, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum vxoratus & qui matrimonio eſt ligatus ſiue coniunctus, ſine licentia vxoris ad Religionem poſſit admitti?
2 Vtrum ſeruus & qui non eſt ſui iuris, neque conditione liber, ad Religionem poſſit admitti?
3 Vtrum Epiſcopus & qui in aliqua eſt dignitate conſtitutus, ſine expreſſa licentia Papæ, ad Religionem poſſit admitti?
4 Vtrum ille qui eſt vi, vel metu compulſus, ad Religionem poſſit admitti, & in quam pœnã incidant talia facientes?
5 Vtrum impubes, & furioſus ſiue mente captus, ad Religionem poſſit admitti?
6 Vtrum obligatus ratiocinijs, ad Religionem debeat aut poſſit admitti?
7 Vtrum onuſtus ſiue grauatus debitis, ad Religionem poſſit admittit?
8 Vtrum ille, qui habet parentes pauperes, & in extrema neceſſitate conſtitutos, ad Religionẽ debeat aut poſſit admitti?

QVAESTIO XVIII.

De conditionibus & qualitatibus requiſitis, pro recipiendis Nouitijs, ex vi Regulæ Seraphici Patris Noſtri Franciſci ſpecialiter, in duos Articulos diuiſa.

1 Quænam ſit prima conditio ſpecialiter requiſita, ex

ta, ex vi Regulæ Seraphici Patris noſtri Franciſci, pro recipiendis Nouitijs, & qualiter ſit intelligenda?
2 Quænam ſit ſecunda conditio, pro recipiendis Nouitijs, ſpecialiter etiam requiſita ex vi noſtræ Regulæ, & qualiter intelligatur?

QVAESTIO XIX,

De conditionibus & qualitatibus requiſitis, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus, pro recipiendis Nouitijs, in octo Articulos diuiſa.

1 QVænam ſit prima conditio, ex noſtris Conſtitutionibus requiſita, pro recipiendis Nouitijs, & qualiter debeat intelligi?
2 Quænam ſit ſecunda conditio requiſita, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus, pro recipiendis Nouitijs, & qualiter intelligi debeat?
3 De tertia conditione, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus requiſita, pro recipiēdis Nouitijs, nempe quod ſint legitime nati?
4 De quarta conditione, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus requiſita, pro recipiendis Nouitijs, qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem, non ſint aliqua infamia vulgari notati?
5 De quinta conditione, ex noſtris generalibus Conſtitutionibus requiſita, pro Nouitijs recipiendis, hoc eſt, quod ſint ſufficienter & competēter litterati, & qualiter debeat intelligi?
6 De ſexta conditione, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus requiſita, nempe quod recipiendi ſint 16. annorum.
7 De ſeptima conditione, requiſita ex noſtris Conſtitutionibus generalibus, in qua dicitur, quod recipiendi ad Ordinem, ſint bono genere nati, non deſcēdētes ex conuerſis Iudæis, ſeu Mahometanis, vel Hæreticis, quantumuis remotis, neq; ex Gentilibus modernis?
8 Vtrum homicidæ, & qui exiſtentes in ſeculo, aliquod delictum commiſerunt, ad Religionem poſſint admitti?

QVAESTIO. XX.

De Nouitijs, quantum ad eos qui antequam ſuſcipiant habitum, Religionis votum emiſerunt, in decem Articulos diuiſa.

1 VTrum poſſit quiſpiam, voto aut iuramento, ad Religionis ingreſſum ſe obligare?
2 Vtrum licitum ſit, aliquos inducere, ad faciendum votum Religionis?
3 Vtrum qui per votum ſe obligauit, ad ingreſſum alicuius Religionis, teneatur neceſſario illam intrare?
4 Vtrum ille qui per votum ſe obligauit, aliquam Religionem intrare, teneatur ibidem perpetuo permanere?
5 Vtrum pueri impuberes, voto poſſint ſe obligare, ad Religionis ingreſſum?
6 Vtrum parentes, voto ſuo poſſint obligare filios, ad ingreſſum Religionis?
7 Vtrum vouens ingredi certam aliquam Religionem, ſi ibi non recipiatur, teneatur alteram intrare?
8 Vtrum qui determinate vouit vnam Religionē, poſſit induci & perſuaderi ad alteram?
9 Vtrum qui emiſit Religionis votum, ſi eligatur in Epiſcopum, eo non obſtante, teneatur Religionem ingredi?
10 Vtrum qui emiſit votum, de non intrando aliquam Religionem, teneatur ipſum adimplere?

QVAESTIO XXI.

De Nouitijs, quantum attinet ad informationem de eiſdem faciendam, iuxta Conſtitutiones Sixti V. Gregorij XIIII. & Clementis VIII. in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Nouitiorum informationes, ſint faciendæ, examinandæ & approbandæ, antequam recipiantur & admittantur ad habitum?
2 De quibus rebus, faciendæ ſint Nouitiorum informationes?
3 A quibus ſiue per quos, faciendæ ſunt huiuſmodi Nouitiorum informationes?
4 A quibus ſunt examinandæ & approbādæ, prædictorum Nouitiorum informationes?
5 De his, quæ debent adnotare & aduertere, ij ad quos ſpectat approbare, ſeu reprobare Nouitiorum informationes?
6 De modo & forma, qua formandæ, & faciendæ ſunt Nouitiorum informationes?

QVAESTIO XXII.

De Nouitijs, quantum attinet ad tempus ſuæ probationis, ſiue approbationis, in decem Articulos diuiſa.

1 VTrum pro Nouitijs debuerit præfigi aliquod probationis tempus?
2 Quantum debet durare, huiuſmodi tempus probationis?
3 Vbinam incipiat, huiuſmodi probationis tempus, & qualiter debeat computari?
4 Vtrum probationis annus, debeat eſſe cōtinus, an vero ſufficiat quod ſit interpolatus?
5 Vtrum ille, qui de licentia Prælati & cum habitu, intra annum probationis, aliqua de cauſa, extra Monaſterium egreditur, ibique per aliquod tempus commoratur, annum dicatur habere continuum, & poſſit profiteri?
6 An ſit de eſſentia anni probationis, quod defera tur Regularis habitus à Nouitijs, & probentur in habitu illius Religionis, quam habent profiteri?
7 Vtrum Nouitij nunc de Conuentus conſenſu, renuntiare poſſint probationis anno?
8 Vtrum Nouitij intra annum probationis, libere poſſint exire, atque ad ſeculum redire?
9 Vtrum Nouitij infra annum probationis, ordinari poſſint, ſeu ad aliquas dignitates promoueri?
10 Vtrum Nouitij in aliquo caſu, intra annum probationis, poſsint profiteri?

QVAES.

QVAESTIO XXIII.

De Nouitijs, quantum ad diſpoſitionem, bonorum ſuorum temporalium, in decem Articulos diuiſa.

1 VTrum Nouitij, cum primum ingrediũtur Religionem, & ſuſcipiunt habitum, diſponere debeant aut poſſint, de ſuis bonis temporalibus?

2 Vtrum valeat donatio ſeu renunciatio bonorum temporalium, facta ab aliquo volente intrare Religionem, antequam ſuſcipiat habitum, cum pacto, quod in quocumque euentu, quo prædictus ante profeſſionem è Monaſterio exeat, dicta donatio non ſit valida?

3 Vtrum valeant huiuſmodi donationes, factæ ab eo, qui vult intrare Religionem, ſi ſint ex illis quæ dicuntur inter viuos, & iuramento firmatæ?

4 Vtrum Tridentini Concilij decretum, locum habeat in teſtamentis ſiue donationibus, quæ fiunt cauſa mortis?

5 Vtrum habens beneficium Eccleſiaſticum, & maxime illud, cuius titulo ſuſcepit Ordines, ante receptionem habitus, renunciare illud poſſit?

6 Quænã ſolemnitates ſint neceſſario requiſitæ, in renunciationibus ſeu obligationibus, iuxta formam à Cõcilio Tridentino præſcriptam?

7 Vtrum licitum ſit Nouitijs ſiue Conuerſis, atque Religionem intrare volentibus dare; vel Religioſis ipſis recipere, aliquid pro ingreſſu Monaſterij?

8 Vtrum Religionem ingreſſus, poſſit facere teſtamentum, & an teneatur aliquid donare Monaſterio?

9 Vtrum Nouitij ante profeſſionem, ſibi ipſis teſtamento, aliquot bona relinquere poſſint, ſeu præcipere vt ſibi dentur, poſt factam profeſſionem?

10 Vtrum Nouitius iam profeſſus, generaliter loquendo, teſtamentum poſsit condere, ſeu ipſum explicare & declarare, & voluntatem quam habuit in teſtamento à ſe facto, ante ſolemnem profeſsionem, aut poſtea illam reuocare?

QVAESTIO XXIIII.

De Nouitijs, quantum ad ipſorum profeſsionem tacitam, ſeu expreſſam, in duodecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit profeſsio expreſſa, & quibus modis fiat?

2 De ætate requiſita ad profeſsionem expreſſam.

3 Vtrum ſit neceſſarium, quod profeſsio expreſſa fiat in manu Prælati, & illius qui Religioni poteſt incorporare, aut de ipſius licentia?

4 Vtrum ad profeſsionem expreſſam, ſit neceſſarium, quod Prælatus vt ipſam recipiat, requirat conſilium ſuorum ſubditorum, aut quod id fiat cum conſenſu maioris partis Capituli?

5 Vtrum ad profeſsionem expreſſam, requiratur quod fiat in Religione aliqua per Sedem Apoſtolicam approbatam, & ſecundum aliquam certam & determinatam Regulam?

6 Vtrum ad profeſsionem expreſſam, ſit neceſſarium quod vouens promittat atque profiteatur, tria Religionis eſſentialia, atque ſubſtantialia vota?

7 Quænam ſit profeſſio tacita, & quibus modis inducatur & fiat?

8 Vtrum profeſsio tacita induceretur olim, per hoc quod quiſpiam in probatione poſitus, ſe ingereret actibus, qui de iure aut conſuetudine, ſolummodo conueniebant profeſsis?

9 Vtrũ profeſsio tacita induceretur olim, ex ſola delatione habitus profeſſorum per annum, ſine exercitio actuum qui erant profeſſorum proprij?

10 Vtrum profeſsio tacita induceretur olim, per delationem habitus Nouitiorum per annum, indiſtincti diſtinctione patenti, ab habitu profeſſorum, diſtincti vero aliqua diſtinctione occulta?

11 Vtrum quando olim quiſpiam ſuſcipiebat habitum Nouitiorum, cum propoſito mutandi vitam abſolute, cenſendus eſſet iam tacitè profeſſus?

12 Vtrum nunc, poſt Concilium Tridentinum, reperiantur prædictæ tacitæ profeſsiones, & aliquam vim habeant?

QVAESTIO XXV.

De Nouitijs, quantum ad diuerſum modum profitendi ipſorum expreſſe, in quatuor decim Articulos diuiſa.

QVotupliciter fieri contigat profeſsionem expreſſam?

2 Vtrum qui in ſua profeſsione, promiſit ſeruare aliquam Regulam, teneatur perinde ſub peccato ad omnia, quæ continentur in ipſa?

3 Vtrum ſit aliqua eſſentialis differẽtia, inter hos diuerſos profitendi modos, Profiteor ſeruare Regulam, & viuere ſecundum Regulam, & Promitto obedientiam, ſecundum talem vel talem Regulam?

4 Vnde oriatur atque proueniat, quod in quibuſdam Regulis, quædam ſint præcepta obligantia ſub mortali: in alijs vero non ita, eadem exiſtente verborum forma?

5 Vtrum qui profitetur ſeruare aliquam Regulam, profiteatur ſeruare illam, ſecundum conſuetudinem, quæ in tali Religione viget; an vero ſimpliciter & abſolute?

6 Quænam ſit maior obligatio, voti an iuramenti?

7 Vtrum omnia vota, includantur & commutentur, in ſolemne Religionis votum?

8 Vtrum in profeſsione ſolemni, peccata omnia dimittantur?

9 Quænam ſint à Summis Pontificibus ordinata, & cõceſſa, debeantque obſeruari, virtute noſtrorum priuilegiorum, pro recipiendis Nouitijs, tam quo ad habitum, quam quoad profeſsionem?

10 Vtrũ illegitimitas ſeu irregularitas, quæ ex illegitimi-

legitimitate prouenit, tollatur per expreſſam profeſsionem, factam in aliqua approbata Religione?
11 Vtrum Nouitiorum profeſsio, ex cauſa poſsit dilatari?
12 Vtrum peccet mortaliter, qui abſque cauſa denegat votum alicui Nouitio, volenti profiteri?
13 Vtrum Summus Pontifex poſsit diſpenſare, in voto ſolemni Religionis, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quod emittunt Religioſi, in ſua ſolemni profeſsione?
14 Vtrum valeat, & teneat profeſsio expreſſa, facta cum intentione mala, aut cum expreſsione alicuius illiciti, aut ſub conditione?

QVAESTIO XXVI.

De Religioſis profeſsis, quantum ad Votum obedientiæ, in duodecim Articulos diuiſa.

1 VTrum obedientiæ votum, ſit præcipuum atque potiſſimum, inter tria eſſentialia & ſubſtantialia vota?
2 Vtrum ſubditi teneantur, ſuis Superioribus & Prælatis, in omnibus & per omnia obedire?
3 Vtrum ſubditi teneantur, obedire ſuis Superioribus & Prælatis, in actibus interioribus, & in ijs quæ ſpectant, ad interiorem motum voluntatis?
4 Vtrum ad hoc vt ſubditus teneatur, ſuo Superiori, ſiue Prælato obedire, ſufficiat, ſitque ſatis, vt ipſius voluntas atque intentio, vtcumque ſit illi nota?
5 Vtrũ ſubditus obedire teneatur Prælato, quando dubitat an id quod præcipitur, ſit contra Deum nec ne?
6 Vtrum ſubditus, Prælato teneatur obedire, quando certus eſt eſſe licitum quod præcipitur: dubitat tamen an Prælatus, id ſibi poſsit præcipere?
7 Vtrum ſubditus teneatur obedire Prælato, generaliter in omnibus, quæ ſunt ſecundum ſuam Regulam?
8 Vtrum ſubditi teneantur, obedire ſuis Superioribus & Prælatis, præcipientibus aliquid, cõtra ſuas ipſorum Regulas?
9 Vtrum ſubditi ſuis Superioribus atque Prælatis, teneantur obedire, in ijs quæ ſunt infra Regulam, vel præter Regulam?
10 Vtrum ſubditi teneantur obedire, ſuis Superioribus atque Prælatis, præcipientibus aliquid, quod ſit ſupra ipſorum Regulam?
11 Vtrum ſubditus potius teneatur obedire Prælato, & patri ſuo ſpirituali, quam carnali?
12 Vtrum Fratres Minores, ex vi voti & ſuæ Regulæ, ſtrictius teneantur ſuis obedire Prælatis, quam reliqui aliarum Religionum alumni & profeſſores?

QVAESTIO XXVII.

De Religioſis profeſsis, quantum ad votum caſtitatis, in ſex Articulos diuiſa.

1 Vtrum omnis Religioſus profeſſus, neceſſario obſeruare teneatur caſtitatem?
2 Vtrum ſi Religioſus, poſt ſolemnem profeſſionem de facto contrahat, teneat & valeat matrimonium?
3 Quæ ſit pœna Religioſi profeſſi, de facto contrahentis; & ad quem huius delicti cognitio pertineat?
4 Vtrum per ſolemnem profeſſionem, diſſoluantur ſponſalia de futuro, & matrimonium ratum, non conſummatum de præſenti?
5 Vtrum viri Religioſi Societatis Ieſu, poſt primam emiſſam profeſſionem, poſſint matrimonium contrahere, & de facto contractum, an ſit validum?
6 Vtrum poſt emiſſam profeſsionem ſolemnem, ab Equitibus Ordinum Militarium, matrimonium poſt contractum ſit nullum, & an per ipſam matrimonium rarum, ſed non conſummatum diſſoluatur?

QVAESTIO. XXVIII.

De Religioſis profeſsis, quantum ad votum paupertatis in decem & octo Articulos diuiſa.

1 VTrum Religioſus ſolemniter profeſſus, habere poſſit proprium?
2 Vtrum valeat profeſſio Monachi ſiue Religioſi, facta cum ea conditione, vt liceat ſibi propriũ & bona immobilia poſſidere?
3 Vtrum Summus Pontifex diſpenſare poſsit, in hoc quod Religioſus habeat proprium, ſtricto & rigoroſo modo ſumptum?
4 Vtrum Equites ſiue Commendatarij Ordinum Militarium, cum quibus diſpenſatum eſt vt poſſint ducere vxores, per eamdem diſpenſationem, ſeu aliam, poſſint habere proprium?
5 Apud quem remaneat proprietas & dominium, bonorum quæ poſsident omnes in vniuerſum Religioſi?
6 Vtrum Religioſi profeſſi habere poſſint vſum fructum alicuius rei, ſi ſibi relinquatur.
7 Vtrum Religioſus profeſſus, de licentia & conſenſu Prælati, habere poſſit aliquam Eccleſiam & villam ſibi vnitam, cum horto & alijs, ſeu aliquã hæreditatem ad vitam, ea lege vt ſoluat Prælato, ſiue Monaſterio certos reditus annuos, & cætera ſibi relinquantur?
8 Vtrum Monachus ſiue Religioſus, habere poſſit peculium?
9 Vtrum Prælatus, poſſit ſubdito concedere peculium, vt expendat illud, in quos voluerit vſus?
10 Quem habeant vſum Religioſi, in rebus quibus vtuntur, & an vſus fructus poſſit à dominio ſeparari?
11 Quænam ſint de eſſentia paupertatis Euangelicæ, & ad quid obligetur quilibet Religioſus, ex vi voti ſuæ paupertatis?
12 Vtrum Prælatus, expendere poſſit bona ſui Monaſtrij, in quos voluerit vſus?
13 Vtrum Monachus ſiue Religioſus, habens peculium, de licentia ſui Prælati, eleemoſynas poſsit elargiti, ſeu aliquid donare, vendere, aut diſtrahere?

14 Quænam Superioris ſiue Prælati licentia, ſit neceſſaria & ſufficiat, ad hoc vt Regularis ſiue Religioſus poſsit dare, donare, vendere, aut rem aliquam in proprium ſibi vſum deſtinatam, diſtrahere?
15 Vtrum Religioſus dans, donans ſeu vendens, aut diſtrahens rem aliquam, aut habens multa ſuperflua de licentia iniuſta Prælati, committat peccatum proprietatis, ſeu incidat in pœnas proprietarij?
16 Vtrum retinere ſeu acquirere aliquid, ſine licentia expreſſa ſiue præſumpta Prælati, ſit peccatum mortale?
17 Quænam quantitas ſit neceſſaria & ſufficiens, ad hoc vt dando, donando, recipiendo aut retinendo aliquid ſine licentia prælati, cenſeri poſſit quod ſit peccatum mortale?
18 Quænam ſit Religioſorum proprietariorum pœna?

QVAESTIO XXIX.

De Fratribus Laicis, Conuerſis, Oblatis, ſiue Donatis, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Religionum Fratres laici, ſint vere & proprie Religioſi?
2 Vtrum Conuerſi, Oblati & Donati, ſint proprie & vere Religioſi?
3 Vtrum prædicti Conuerſi, Oblati, & Donati, dici debeant & poſſint, perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudeant priuilegio fori, & Canonis, ſi quis ſuadente diabolo?
4 Vtrum ſupradicti Conuerſi, & Oblati ſiue Donati, matrimonium poſſint contrahere?
5 Vtrum Conuerſi, Oblati, & Donati Religionũ, ſiue Eccleſiarum ſecularium, petita licentia licet non obtenta, ad alium ſtrictiorem Ordinem poſsint tranſire?
6 Vtrum huiuſmodi Conuerſi, Oblati, & Donati Monaſteriorum, ſeu aliarum Eccleſiarum, debeant abſolui ab Epiſcopis, an vero à proprijs Prælatis?

QVAESTIO. XXX.

De Religioſis profeſsis, quantum ad facultatem reclamandi, & allegandi fuiſſe nulla s atque irritas ſuas profeſsiones, in ſex articulos diuiſa.

1 INtra quod tempus, Religioſi poſsint reclamare, & allegare ſe nulliter eſſe profeſſos?
2 Vtrum ille cuius profeſsio fuit inualida, ob defectum ætatis, vel quia ante annum probationis expletum fuit facta, aut ob aliam ſimilem cauſam, poſsit intra dictum quinquennium reclamare?
3 Vtrũ ille qui à principio facit profeſsionẽ inualidam, propter aliquam ex ſupradictis cauſis, per delationem habitus profeſſorum per annum & vltra, cenſeatur tacite eſſe profeſſus, an vero poſsit intra quinquennium reclamare, & etiam poſt quinquennium?
4 Vtrum qui deſcendens ex genere Iudæorum, Sarracenorum, aut Hęreticorum, quorumcorpora intra quartam generationem, fuerunt cõcremata & igni tradita, contra Cõſtitutiones, & contra expreſſum Motum proprium Pauli IIII. & aliorum Summorum Pontificũ, in noſtro ſacro Minorum Ordine, fecit profeſſionem expreſſam, ſit nulliter profeſſus, & poſsit intra quinquennium reclamare?
5 Vtrum qui habens parentes in extrema neceſſitate conſtitutos, aſſumpſit habitum & fecit profeſsionem, reclamare poſsit & allegare eiuſdem nullitatem?
6 Vtrum prædicta reclamatio de nullitate profeſsionis, poſsit fieri ſine habitu, an vero neceſſario ſit facienda retento habitu?

QVAESTIO XXXI.

De Religioſis profeſsis, quantum ad tranſitum ad alios Ordines, in viginti quatuor Artic. diuiſa.

1 VTrum de vna Religione liceat ad aliam tranſire?
2 Vtrum liceat alicui Religioſo, tranſire ad ſtrictiorem Religionem, petita prius licentia à ſuo Prælato, quamuis non obtenta?
3 Quænã Religio dici debeat altior ſiue perfectior, vt ex alia ad ipſam licite poſsit fieri tranſitus?
4 Vtrum quando aliqua Religio eſt deformata, & non ad vnguem ſeruatur quod in ea ſeruari promittitur, licitus ſit tranſitus ex ipſa ad aliam, quæ ſecundum Regulam & eiuſdem Conſtitutiones & ſtatuta, in exteriori foro ſit minus ſtricta atque perfecta?
5 Cuiuſnã Prælati licẽtia requiratur, ad hoc quod ſit licitus tranſitus ex vna Religione ad aliã?
6 Vtrum Prælati concedentes, vel negantes ſupradictas licentias ſine legitima cauſa, peccent mortaliter? Et quænam ſit legitima cauſa, hac in re diſpenſandi?
7 Vtrum ex vno Ordine Mendicantium, ad alium licite poſsit fieri tranſitus?
8 Vtrum ex ordine Mendicantium, ad Ordinem Monachorum, licitus ſit tranſitus, & cuiuſnã Prælati licentia ad id requiratur?
9 Vtrum ex Ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachalem, ſeu Monachorum licite poſsit fieri tranſitus?
10 Vtrum ex quolibet Ordine ad Carthuſiam, licite poſsit fieri tranſitus?
11 Vtrum ſpecialiter ex noſtro ſacro minorũ fratrum Ordine, licite poſsit fieri tranſitus ad Carthuſiam?
12 Vtrum Monachus Caſsinienſis tranſire poſsit ad Carthuſiam, non petita ſimul & obtenta licentia à ſuis Superioribus?
13 Vtrum Prælati ſuperiores Ordinum, & maxime Generales inferiores Papa, in aliquo caſu & cum iuſta cauſa, facultatem poſsint facere alicui ſibi ſubdito, vt tranſeat ad laxiorem Religionem?
14 Vtrum Regularis habens licentiam à ſuo Prælato, tranſeundi ad alium Ordinem ex iuſta cauſa, non facta mentione de laxiore, ſufficiat dicta licentia, ad tranſeundum ad laxiorem, an vero tantummodo debeat intelligi, de alia Religione æquali ſiue ſtrictiori?
15 Vtrũ ſi aliquis Ordo ſiue Religio, reformetur ad ſtrictiorẽ viuendi modũ, teneantur qui eiuſdem ſunt ibidem permanere, an vero poſſint iuſte diſpenſari, in eo quod tranſeant ad alium, etiam laxiorem Ordinem?

16 Vtrum ille qui fecit iuramentum, ſiue emiſit votum de non tranſeundo ad aliam Religionem etiã arctiorẽ, teneatur illud adimplere?
17 Quam diligẽtiam facere teneatur Religioſus, qui habet licentiam & facultatem tranſeundi ad aliquem Ordinem non Mendicantium, ſi non inuenerit aliquem Mendicantem, qui eum velit recipere?
18 Vtrum tranſiens ad aliam Religionem, de licentia ſui Prælati, iuſta de cauſa data, ſi pœniteat aut alibi non recipiatur, iterum debeat à priori Religione admitti?
19 Vtrum tranſiens ad aliam Religionem indebite, & non eo modo quo in ſuperioribus Articulis eſt dictum, ſit dijudicandus apoſtata, atque vt talis puniendus?
20 Vtrum Religioſo habenti licentiam, vt ad aliã Religionem ſe transferat, ſi nullam omnino inueniat quæ ipſum recipiat, & propter legitimas cauſas, noluerit ad primam Religionem reuerti, licitum ſit Religionem nouam adinuenire?
21 Vtrũ Religioſus translatus de vna Religione ad aliam, debeat eſſe de nouo Nouitius, atque in eadem profiteri?
22 Vtrum translatus de vno ad alium Ordinẽ vt ſit Prælatus, debeat neceſſario, ibidem de nouo profiteri?
23 Vtrum Monachus, translatus de vna Religione ad aliam, debeat ſedere in Capitulo iuxta tempus in quo emiſit profeſsionem in illa, an vero iuxta tempus, quo profeſſus fuit in priori Monaſterio?
24 Cui cedant bona, Religioſi tranſeuntis ex vna in aliam Religionem, & an tranſiens in aliam Religionem, poſsit ſecum deferre ea quæ habebat in prima?

QVAESTIO XXXII.

De Religioſis profeſsis, quantũ ad clauſurã ab eiſdẽ obſeruari præceptã, ita quod non poſsint ſine licentia exire extra clauſuram ſui Monaſterij, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrũ clauſura, Monachis atq; Religioſis indicta, ſit de iure naturali & diuino, an vero ſolũmodo de iure humano, Papali & poſitiuo?
2 Quando & quomodo peccet Regularis ſiue Religioſus, ſine ſui Prælati licentia, exeundo à clauſura ſui Monaſterij?
3 Vtrum Monachus ſiue Religioſus, manere poſsit extra Monaſterium de licentia ſui Prælati, iuſta de cauſa data, eique indulgere Prælatus, vt quæcumque ſic viuens acquiſierit, in quos voluerit vſus conuertat?
4 Vtrum Prælatus alicuius Religionis, poſsit rerecipere fratrem alterius Religionis ſtrictioris, animo non retinendi eumdem in clauſtro Monaſterij: ſed ſtatim poſt receptionẽ, & habitus aſſumptionem, dandi illi facultatem, vt perpetuo ſiue ad multos annos viuat extra Monaſterij clauſtrũ, quærẽdo ſibi neceſſaria, propria induſtria ſiue ex mendicitate;
5 Vtrum aliquis Monachus ſeu Religioſus, poſsit manere extra Monaſteriũ, vt inſeruiat alicui beneficio ſeu Eccleſiæ Regulari, aut ſeculari?
6 Vtrum Canonicus Regularis, Canonicè obtinens Eccleſiam parrochialem, teneatur in ea potius reſidere, quam in ſua Regulari?
7 Vtrum ob neceſsitatem Parentum, licentia poſsit præſtari Religioſo, vt maneat extra Monaſterium habitu retento?
8 Vtrũ Religioſus de licentia ſui Prælati, ad ſubueniendum ſuis parentibus, manere poſsit extra Monaſterium, dimiſſo habitu?

QVAESTIO XXXIII.

De Monaſterijs Religioſorum, quantum ad ipſorũ conſtructionem, ædificationem ſeu reædificationem, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrũ Regulares ædificare poſsint Monaſteria de nouo, ſine licẽtia Papæ atq; Ordinarij?
2 Vtrum Monaſterium ædificatum ſeu Eccleſia, mutari poſsit de vno in alium locum, ſine licentia Papæ & Diœceſani?
3 Vtrum priuilegium, conceſſum alicui Religioni ad ædificandum Monaſteria, ſine licentia Ordinarij, ex nõ vſu per decennium amittatur?
4 Vtrum poſsint ædificari aliqua Monaſteria, noſtris domibus conuicina?
5 In quo caſu ſint excommunicati Mendicantes, qui ſine licentia Papæ vel priuilegio, noua loca ad habitandum recipiunt, vel mutant ſeu alienant, hactenus recepta?
6 Quodnam ſit melius, Deo acceptius & magis gratum, Monaſterium ſiue Eccleſiam Regularem, ſed maximè Mendicantium ædificare: an Collegiatam ſecularem conſtituere, cæteris paribus?
7 Vtrum ſi quis ſuo teſtamento legauit, vt Monaſterium alicuius Ordinis, ſuis expenſis certo quodam loco conſtruatur, & ibi non poſsit conſtrui, ſit in alio loco conſtruendum atque ædificandum?
8 Vtrum ſi quis in ſuo teſtamento ſtatuat, quod de ſuis bonis fiat aliquod Monaſterium, in hac diſpoſitione, Moniales Fratribus debeant præferri, & prædictum Monaſterium conſtrui & ædificari, pro Monialibus potius, quam pro Fratribus?

QVAESTIO XXXIIII.

De Monaſterijs, quantum ad ipſorum deſtructionem, ſeu deſertionem, in tres Articulos diuiſa.

1 VTrum Eccleſia ſiue monaſterium, ſemel Deo dicatum, poſsit aliqua ratione deſtrui & deſeri, atque in prophanos vſus cõmutari?
2 Vtrum locus Eccleſiæ ſeu Monaſterij deſtructi, & á Fratribus deſerti, pertineat ad ipſos Fratres, an vero ad ipſius fundatores & Patronos?
3 Quibuſnam Monaſterij deſtructi bona, debeant adiudicari?

QVAESTIO XXXV.

De Collegijs, tam virorum quam mulierum, in Cõgregatione viuentiũ, in quatuor Articulos diuiſa.

1 Quidnam ſit Collegium & vnde dicatur?

2 Quotuplex ſit Collegium?
3 Vtrum facere aliquod Collegium ſit licitum, an vero illicitum?
4 Vtrum ſit licitum Collegium aliquorum hominum vel mulierum, in congregatione viuẽtium, tria ſubſtantialia Religionis vota emittentium, ſi nullũ viuendi modum, à Sede Apoſtolica approbatũ habeãt ſiue profiteãtur?

QVAESTIO XXXVI.

De fratribus & Monialibus Tertiarijs, in ſeptem Articulos diuiſa.

1 QViſnam primus Sanctorum omnium, Tertiariorum Fratrum atque Monialium, Ordinem adinuenit ſiue inſtituit?
2 Vtrum in alijs quoq; Ordinibus ſiue Religionibus, reperiantur Fratres & Sorores dicti Tertij Ordinis?
3 Vtrum ſupradicti Fratres Tertiarij & Sorores, ſint vere & proprie Religioſi, & Religioſorũ proprie comprehendantur nomine?
4 Quinam Fratrum ſiue Sororum ſupradicti Tertij Ordinis, perfruantur gratijs, priuilegijs atque immunitatibus eisdem conceſsis?
5 Quo habitu debeant induì præfati Fratres, atq; Sorores Tertij Ordinis, Seraphici Patris noſtri Franciſci, tã Religioſi quam ſeculares?
6 Quibuſnã ſubijciantur atq; ſubijci debeant, ſupradicti Fratres Tertiarij, & Sorores noſtri Tertij Ordinis, & per quos debeant gubernari?
7 Vtrum nunc inueniantur in Hiſpaniarum partibus, aut recipi poſsint huiuſmodi Fratres & Sorores Tertiariæ ſeculares?

QVAESTIO XXXVII.

De Officio diuino & obligatione recitandi ipſum, & horas Canonicas, in viginti Articulos diuiſa

1 QVidnã ſit diuinum officium, & vnde ortum atque originem duxerit?
2 Quotnam ſint horæ Canonicæ, ab Eccleſiaſticis & Religioſis viris recitandæ?
3 De congrua horarum Canonicarum inſtructione & diuiſione.
4 Fueritne expediens, quod in Eccleſia ſancta noſtra, Matutinum & Laudes medijs noctibus canerentur, & dicerentur?
5 An fuerit expediens, vt in Eccleſijs ſupradictæ horæ, nocturnæ pariter & diurnæ, in Choro alta & ſonora voce, ab Eccleſiaſticis & Religioſis viris, canerentur & dicerentur?
6 Quonam modo in Eccleſijs, & Eccleſiaſticorũ & Religioſorum Choris, Pſalmi & diuinæ Laudes ſunt decantandæ? & an ſit quãdoq; licitus cantus organicus?
7 Quinam teneantur dicere, ſeu recitare Officiũ diuinum?
8 Vtrum omnes ſupradicti, teneantur dicere & recitare Officium diuinum ſtatutis horis?
9 An liceat inuertere ſeu immutare, horarum Canonicarum Ordinem?
10 An ſit peccatum, orare ſeu recitare diuinum officium & Canonicas horas, ſedendo, ſtando, deambulando, &c.
11 Qua attentione ſit recitandum & perſoluendum diuinum officium, & an actualis attẽtio ſemper requiratur?
12 Qualiter ſit intelligenda conceſsio Leonis X. circa defectus occurrentes in Officio diuino?
13 An in dicendis & recitandis horis, ſit neceſſario ſeruandus ordo Breuiarij Eccleſiæ Romanæ, & eidem ſe omnes Clerici & Religioſi debeant conformare?
14 Vtrum officium diuinum ſit ſemper perſoluẽdum in Eccleſia, ſeu in loco ſacro?
15 Vtrum omittens recitare ſemel horas Canonicas, peccet vnum peccatum; an vero plura?
16 Vtrũ Prælati diſpenſare poſsint cum ſuis ſubditis infirmis, in recitando diuino officio?
17 Vtrum diuinum officium poſsit dici mentaliter, in toto aut pro magna parte?
18 Vtrum Religioſus præfectus alicui Eccleſiæ ſeculari, poſſit aut teneatur illius officium recitare?
19 Vtrum ratione alicuius negotij aut rei grauis, poſſint Fratres diuinũ Officium immutare?
20 Vtrum defectus commiſſi in recitando diuino Officio, per aliquid poſſint ſuppleri?

QVAESTIO XXXVIII.

De Ordinibus ſacris, quantum ad Epiſcopos, & alios Prælatos habentes facultatem, dandi & cõferendi ipſos, in decem Articulos diuiſa.

1 QVid & quotuplex ſit Ordo ſacer?
2 Vtrum Regulares & Religioſi, neceſſario debeant ordinari à proprijs Epiſcopis, in quorum diœceſibus commorantur?
3 Vtrum Epiſcopi ordinare poſſint Regulares in ſuis domibus, ſine licentia Epiſcoporum, in quorum diœceſibus eorum Monaſteria ſunt conſtructa & ædificata?
4 Vtrum Epiſcopi ordinare poſſint Regulares, ſacris Ordinibus extra tempora?
5 Vtrum Epiſcopi, poſſint Regularibus in vna & eadem die, duos ſacros Ordines conferre?
6 Vtrum Epiſcopi ordinare poſſint Regulares ſeu alios, non ſeruatis temporum interſtitijs?
7 Quibuſnam incumbat, in ſupradictis interſtitijs diſpenſare, Prælatis Regularibus, an verò Epiſcopis?
8 Quænam ſit cauſa ſufficiens, ad diſpenſandum in interſtitijs prædictis?
9 Vtrum Religionum Monachalium Abbates, & maxime Benedicti, ſibi ſubditis minores Ordines poſſint conferre?
10 Vtrum omnes ordines tam maiores, quam minores, ſint dicique debeant, vnum tantum ſacramentum, an vero plura?

QVAESTIO XXXIX.

De Ordinibus ſacris, quantum ad perſonas ordinãdas & promouendas, in decem Articulos diuiſa.

1 Vtrũ antelegitimã ætatẽ, aliqui ordinari poſſint?

2 Vtrum anni prædicti, requiſiti iuxta Conc. Trid. ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, requiratur neceſſario quod ſint completi, an vero ſufficiat quod ſint incepti?

3 Vtrum Regulares ordinari poſsint abſq; literis dimiſſorijs, & cuiuſnam eſſe debeant, proprij Prælati an vero Epiſcopi diœceſani?

4 Vtrum habitis literis prædictis commendatitijs ſiue dimiſſorijs ſuorum Prælatorum, coram Epiſcopis Regulares præſentati, ab eiſdem poſsint aut debeant examinari?

5 Vtrum Religioſi Societatis Ieſu, ſine titulo beneficij aut patrimonij, poſsint & debeant ordinari?

6 Vtrum Regularis, ordinatus extra tempora, ſeu ante legitimam ætatem, aut ſine literis dimiſſorijs, ſit ipſo facto ſuſpenſus?

7 Vtrum qui initiatur prima Tonſura, & minoribus ordinibus extra tempora, aut non ſeruatis interſtitijs, vel ſine literis dimiſſorijs, aut cum falſis, ſit ipſo facto ſuſpenſus?

8 Vtrum Prælatus Regularis, poteſtatem habens ad diſpenſandum, cum aliquo ſibi ſubdito ad omnes ordines, conceſſa licentia ad minores quatuor, & ad Subdiaconatum, viſus fuerit diſpenſare, vt promoueri poſsit poſtmodũ, etiam eo mortuo, ad omnes alios?

9 Quinam actus ſint iure prohibiti actualiter ſuſpenſis, in quibus ſe exercendo & intromittẽdo, efficiuntur irregulares?

10 Vtrum ordinatus ante legitimam ætatem, & factus propterea ſuſpenſus, perueniendo ad eam, miniſtrare poſsit abſque vlla aliqua deſuper accepta diſpenſatione, ſuumq; Ordinem ſolemniter exercere?

QVAESTIO. XL.

De celebratione Miſſarum, & his quæ ad Miſſam rite ac recte celebrandam ſpectant, in quatuordecim Articulos diuiſa.

Q Vidnam ſit Miſſa, quæ in noſtra ſancta Eccleſia quotidie celebratur?

2 Vnde ortum & originem duxerit Miſſa, quæ in ſacra noſtra Eccleſia celebratur?

3 Quænam ſint Miſſę partes principales & præcipuæ, & qualiter ipſa celebranda ſit?

4 Vtrum fuerit expediens in Eccleſia, quod Sacerdotes ad Miſſam celebrandam, ſacris vterentur veſtibus?

5 Quiſnam poſsit celebrare Miſſam?

6 Quænam ſit materia & forma ſacramenti Euchariſtiæ, & qualiter ſit diſponenda & præparanda, ad dicendam & celebrandã miſſam.

7 An ſacerdotes teneantur quotidie celebrare?

8 An ſit licitum, eadẽ die plures miſſas celebrare?

9 In quo loco ſit celebranda miſſa, & an in altari portatili poſsit celebrari?

10 Vtrum Miſſa, noctu & ante lucem, poſsit celebrari?

11 Vtrum poſt meridiem, aliquando liceat Miſſam celebrare?

12 Vtrum liceat Miſſam celebrare, ante Matutinum, ſeu antequam Laudes dicantur?

13 Vtrum Miſſæ neceſſario dici debeat à Sacerdotibus ieiunis?

14 Vtrum nocturna pollutio, impediat Miſſæ celebrationem?

QVAESTIO XLI.

De Miſſæ altiſsimo myſterio, quatenus eſt ſacrificium, in viginti quatuor Articulos diuiſa.

1 VTrum Miſſa ſit ſacrificium?

2 Vtrum in Miſſæ ſacrificio principalis Sacerdos & offerens, ſit Chriſtus Dominus?

3 Vtrum in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ſint etiã offerentes alij à Chriſto Domino, & à Sacerdotibus Miſſam dicẽtibus & ſacrificantibus?

4 Vtrum Miſſæ ſacrificium, poſsit pro alijs ab offerentibus offerri?

5 Vtrum ſacrificium Miſſæ, debeat, & poſsit, pro omnibus hominibus modo viuentibus, etiã infidelibus offerri, & pro defunctis?

6 Vtrum hoc Miſſæ ſacrificium, aliqualem habeat effectum ex opere operato, in illis pro quibus offertur?

7 Vtrum ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium, ſit aut eſſe poſsit fructuoſum alio modo quã ſupradictis, nempe ex opere operato, aut ex opere operantis?

8 Vtrum hoc Euchariſtiæ ſacrificium, conferat primam gratiam, & remiſsionem culpæ mortalis, per ſe & ex ſua primaria inſtitutione, ſeu quod dicitur ex opere operato?

9 Vtrum Euchariſtia ſiue Miſſæ ſacrificium, ex opere operato & per ſe, conferat ad habitualis gratiæ augmentum?

10 Vtrum Miſſæ ſacrificium, remittat peccata venialia ex opere operato?

11 Vtrum Miſſæ ſacrificium, ex opere operato valeat ad remiſsionem pœnæ correſpondentis peccatis mortalibus, ſeu venialibus?

12 Vtrum hoc Miſſæ ſacrificium, valeat etiã quoad bona temporalia, & quomodo?

13 Vtrum prædictum ſacrificium, habeat aliquẽ effectum ex opere operato, in omnibus offerentibus ipſum?

14 Vtrum Miſſæ ſacrificium habeat effectum ex opere operato, in his pro quibus offertur, nõ ponentibus obicem?

15 Vtrum omnis Sacerdos & Miſſam dicens, teneatur quoties ſacrificat, applicare aliquam partem ſacrificij ſui ex opere operato, pro tota Eccleſia vt inter eius membra diuidatur, iuxta proportionem Deo cognitam, ſua data forſitan in ſingulorum deuotione, & diſpoſitione?

16 Quando Sacerdos ob incuriam ſeu ignorantiam, non applicat ſacrificij ſui fructum, vel ei applicat qui non indiget, aut nõ eſt capax quid fiet de tali fructu?

17 Vtrum perſonæ priuatæ, offerentes ſimul cum Sacerdote, poſsint fructum ſuum alijs applicare, aut pro alijs offerre?

18 Quænam ſint neceſſario requiſita, in eo pro quo ſacrificium offertur, vt in ipſo habeat effectum ex opere operato?

19 Vtrum Miſſæ ſacrificium, ſit intẽſiue infinitum?

20 Vtrum effectus huius ſacrificij ſit infinitus, ſaltem extenſiue, ita vt oblatum pro multis, tantum valeat ſingulis, ac ſi eſſet oblatum pro vno ſolo?
21 De quo ſancto aut Feſto, vt plurimum debeant dici ac celebrari Miſſæ?
22 Vtrum Miſſa mali Sacerdotis, tantum valeat ac boni?
23 Quænam ſint iuſta Miſſarum ſtipendia?
24 Vtrum Epiſcopi & Religionum Prælati Generales, ex cauſa poſſint reducere Miſſas, quæ dicuntur Capellarum ſeu Anniuerſariorum, ad minorem numerum?

QVAESTIO XLII.

De Religioſis, quantum ad adminiſtrationem ſacramenti Euchariſtiæ, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum Religioſi & Regulares, adminiſtrare poſſint ſecularibus, ſacramentum Euchariſtiæ, abſque licentia Parrœcianorum?
2 Vtrum ſit aliquod priuilegium Apoſtolicum, conceſſum Regularibus ſiue Religioſis, vt poſſint fidelibus laicis, hoc ſacramentũ Euchariſtiæ adminirare?
3 Vtrum deficiente Parrocho, & exiſtente vrgente aliqua neceſsitate, Religioſi poſsint infirmos cõmunicare in mortis articulo, ſine Parrochi ſpeciali licentia aut priuilegio?
4 Vtrum Sacerdotes ſeculares, in noſtris Conuentibus celebrantes, ſacramentum Euchariſtiæ ſecularibus miniſtrare poſsint?
5 Vtrum Epiſcopi poſsint agere contra Religioſos, qui ſacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta in ſuprad. Clem. prohibita, ſine Parrochorum licentia, adminiſtrauerint?
6 Vtrum Religioſi, in partibus Indiarum exiſtentes, & adminiſtrantes ſacramentum Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica ſacramenta, de licentia Hiſpaniarum Regum, in id auctoritatem habẽtium, incidant in excommunicationem, ſuprad. Clem. & contra ipſos Epiſcopi poſſint agere, declarãdo eoſdem eſſe excõmunicatos?
7 Vtrum ad adminiſtrandum Euchariſtiæ ſacramẽtum, & alia Eccleſiaſtica ſacramenta, prohibita in ſuprad. Clem. ſufficiat licentia Parrochi excommunicati?
8 Vtrum Diaconus, ſiue ſit ſecularis ſiue Religioſus, Euchariſtiæ ſacramẽtũ poſsit miniſtrare?

QVAESTIO XLIII.

De Regularibus ſiue Religioſis, quantum attinet ad facultatem adminiſtrandi ſacramentum Baptiſmi, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Monachi ſiue Religioſi, baptizare poſſint?
2 Vtrum Monachi ſiue Religioſi, in partibus Indiarum exiſtentes, baptizare poſsint, ſine Parrochorum licentia?
3 Vtrum Religioſi in partibus Indiarum, baptizare poſſint extra Eccleſias, aut ſine ſolemnitate?
4 Vtrum Religioſi, in ſupradictis partibus, in baptiſmo vti poſsint Oleo ſancto, & Chriſmate antiquis?
5 Vtrum Religioſi ſiue Regulares, in Indiarũ partibus, eſſe poſsint parrochi ſiue Curati?
6 An Epiſcopis ſiue Curatis, aliqua irrogetur iniuria, ex hoc quod Religioſi in Indiarum partibus, Parrochorum, & Curatorum munus & officium exerceant?

QVAESTIO XLIIII.

De Religioſis & Regularibus, quantũ attinet ad ſacramẽtũ Cõfirmationis, in duos Artic. diuiſa.

1 QVidnam ſit Confirmationis Sacramentum?
2 Vtrum Regulares & Religioſi, ex commiſſione & diſpenſatione Summi Pontificis, eſſe poſsint miniſtri ſacramenti Confirmationis?

QVAESTIO XLV.

De Regularibus & Religioſis, quantum ad facultatem adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ in quartuordecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Religioſi & Regulares, ſecularium cõfeſſiones poſsint audire?
2 Vtrum fuerit licitum aut conueniens, quod Regularibus ſiue Religioſis, à Summis Pontificibus, aliqua fuerint conceſſa priuilegia & facultates, quibus ſecularium poſſent confeſſiones audire?
3 Vtrum qui ex priuilegio confitentur Religioſis, teneantur ſuis Parrochianis, ſeu Presbyteris Parrochialibus, poſtea iterum confiteri?
4 Fuerintne aliqua priuilegia de facto, Religioſis ſiue Regularibus conceſſa, quibus ſeculariũ confeſsiones poſsent audire?
5 Qualiter Regularium Confeſſorum, coram Epiſcopis præſentatio fit facienda, quo ſeculariũ confeſsiones poſsent audire?
6 Vtrum Clementina Dudũ de ſepulturis, derogata aut reuocata fuerit per Conc. Trid. quantum attinet & ſpectat, ad Confeſſariorum Regularium, coram Epiſcopis & Ordinarijs præſentationem faciendam?
7 Vtrum Confeſſariorum Regularium præſentatio & approbatio, ſit perpetua?
8 Vtrum præſentatio & approbatio Confeſſariorum, facta in vno Epiſcopatu, generaliter ſufficiat, pro omnibus Epiſcopatibus?
9 Vtrũ Confeſſores Regulariũ, in ſacra Theologia graduati & Lectores, ab Epiſcopis debeãt & poſsint examinari, ad audiendas ſeculariũ confeſsiones?
10 Vtrum approbatio Confeſſariorum Regulariũ, ſine iuſta & legitima cauſa, ab Epiſcopis Ordinarijs poſsit ad certum locum, tempus, atq; perſonas reſtringi & limitari?
11 Vtrum Confeſſarij Regularium, ſine ſuorum Superiorum aut Prælatorum licentia, ſeculariũ confeſsiones poſsint audire?
12 Vtrum confeſsiones factæ Sacerdotibus ſimplicibus, non approbatis per ſuos Prælatos & Superiores, nec expoſitis, vt ſecularium confeſſiones poſsint audire, approbatis autem ab Epiſcopis Ordinarijs, ſine eorum ſcientia & licentia ſint validæ, an vero irritæ & nullæ?
13 Vtrũ Regularis, á ſuo Prælato ſemel examinatus & approbatus, atq; Epiſcopo expoſitus &

præſentatus, à quo etiam audiendi confeſſiones licentiam & approbationem obtinuit, ſi poſtea prohibeatur, & confeſſiones audire interdicatur aliqua iuſta de cauſa, ſecularium confeſſiones poſsit audire, & an confeſſiones ſibi factæ ſint validæ?

14 An Confeſſarij Regulariũ ſupradicti, à ſuis Superioribus expoſiti & Epiſcopis præſentati, ab eiſdemq; approbati, virtute ſuorum priuilegiorum, omnium ſecularium poſsint confeſſiones audire?

QVAESTIO XLVI.

De Confeſſarijs Regularium, quantum attinet ad facultatem abſoluendi ſeculares à cenſuris, & caſibus reſeruatis, in duodecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Summi Pontifices potuerint concedere facultatem, Confeſſarijs Regularibus, abſoluẽdi à caſibus etiã Epiſcopis reſeruatis & an in hoc aliqua fuerit ipſis irrogata iniuria?

2 Vtrum Confeſſores Regulares, præſentati ſecũdum formam Clem. Dudum, poſſent olim abſoluere ab omnibus caſibus Epiſcopis reſeruatis, de iure & ſpecialiter, poſſentque illud hodie, ſi de nouo per Conſtitutionem S.D.N. Clem. VIII. non id ſibi fuiſſet prohibitum?

3 Quænam fuerint olim priuilegia, Confeſſarijs Regularibus conceſſa, abſoluendi à caſibus, de iure & ſpecialiter Epiſcopis reſeruatis?

4 Vtrum ſupradicta priuilegia, ante prędictam reuocationem Clem. VIII. & alias de quibus facta eſt mentio, iam per Conc. Trid, fuerint reuocata?

5 Vtrum aliqua fuerint olim priuilegia, Confeſſarijs Regularibus conceſſa, abſoluendi etiam à caſibus Papæ, & Summo Pontifici reſeruatis?

6 Vtrum per ſupradicta priuilegia olim, & nunc per Bullam Cruciatæ, in partibus quibus viget, Confeſſarij Regulares abſoluere poſſint nominatim excommunicatos, aut manifeſtũ percuſſorem Clerici, in foro conſcientiæ?

7 Quid ſignificetur ſiue importetur, per abſolutionem factam in foro conſcientię?

8 Qualiter ſe gerere debeant, circa ſacramenta & alia, qui abſoluti ſunt in foro conſcientiæ tantum?

9 Quid importetur & ſignificetur, per abſolutionem quę communiter dicitur, à culpa & à pœna?

10 Vtrum Religioſi ſimplices dumtaxat Sacerdotes, abſoluentes ab excommunicatione minori, incidant in excommunicationem maiorem, poſitam in ſuprad. Clem. 1. de priuileg. contra abſoluentes ſine auctoritate, ab excõmunicatione?

11 Vtrum Confeſſarij Regulares, vbi publicatur Bulla Cruciatæ, ſeu virtute ſuorum priuilegiorum antequã reuocarẽtur, quoad abſolutionẽ à caſibus Papę & Epiſcopis reſeruatis, ſeculares non habentes ipſam à cenſuris & caſibus reſeruatis poſsent abſoluere?

12 Vtrum Confeſſarij Regulares, audientes ſecularium confeſſiones, ſi habeant priuilegium, teneantur pœnitentes à caſibus reſeruatis ſibi confeſſis, neceſſario abſoluere?

QVAESTIO XLVII.

De Confeſſarijs Regularium, quantum attinet ad facultatẽ diſpenſandi cũ ſecularibus, in impedimentis & votis, aut vota ipſa commutandi, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Cõfeſſores Regularium, per Prælatos ſuos expoſiti, & ab Epiſcopis approbati, ad petitionem debiti, cum inceſtuoſis ſecularibus poſsint diſpenſare?

2 Vtrum Confeſſarij Regulares, poſsint ſimiliter diſpenſare, vt petant debitum cõiugati, aſſricti voto caſtitatis?

3 Vtrum Confeſſarij Regulares, virtute prædictorum priuilegiorum, ſeu aliorum, poſsint in votis ſecularium diſpenſare?

4 Vtrum ſupradicti Confeſſores Regulares, poſſint commutare omnia ſecularium vota?

5 Vtrum prędicti Confeſſores Regulares, poſsint diſpenſare in iuramentis, ſeu iuramenta ipſa commutare?

6 Vtrum in votis pœnalibus, poſsint ſupradicti Confeſſores diſpenſare, aut ea commutare?

QVAESTIO. XLVIII.

De Religioſis, quantũ attinet ad adminiſtrationẽ Matrimonij, in duos Articulos diuiſa.

1 VTrũ Sacerdos Regularis, eſſe poſsit miniſter ſacramenti matrimonij?

2 Vtrũ Sacerdotes Regulares, matrimonia ſine propriij Parrochialis Presbyteri licentia miniſtrantes, aut ſolẽnizantes, ipſo facto ſint excommunicati?

QVAESTIO XLIX.

De Sacerdotibus Regularibus, quantũ attinet ad facultatem, adminiſtrandi ſacramentum Extremæ vnctionis, in duos Articulos diuiſa.

1 VTrum Sacerdotes Regulares, ſecularibus ſine licentia proprij Parrochi, ſacramentum Extremæ vnctionis poſsint adminiſtrare?

2 Quibuſnam ſit danda, atq; conferenda Extrema vnctio?

QVAESTIO L.

De Religioſis, quantũ attinet ad exercendum officium & miniſterium prædicandi, in duodecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Religioſi ſine ſuorum Superiorum & Prælatorum licentia, poſsint prædicare?

2 Vtrum Prædicatores Regulares, coram Epiſcopis debeant præſentari, & ab eiſdem poſsint examinari & etiam reprobari?

3 Vtrum Prædicatores Regulares, prædicare poſſint, inuitis & contradicentibus Epiſcopis?

4 Vtrum Parrochi, Fratribus dare poſſint licentiam ad prędicandum? & An Prædicatores Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, ſeu aliarum licentiarum, in aliquo caſu in ſuis Eccleſijs, ipſis contradicentibus poſsint prædicare?

5 De conditionibus,& qualitatibus Prædicatorũ Regularium,& quales illi eſſe debeant?
6 Qualis eſſe debeat Prædicatorum doctrina, peculiariſq; materia,de qua agere debẽt in ſuis concionibus,& à quibus debeant abſtinere?
7 Vtrùm Epiſcopi poſsint procedere contra Prædicatores,errores,ſcandala,atq;diuinationes prædicantes,ſeu ipſos vel alios Prælatos & Iudices,leuiter & temerarie reprehẽdentes?
8 An poſsint Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati, prohibere ne Parrochiani veniant ad audiendas Prædicatorum Regularium conciones?
9 Vtrùm Prædicatores ſemel Epiſcopis præſentati,examinati & approbati, ab eis iterum compelli poſsint vt præſententur, ſeu ab eorum ſucceſſoribus?
10 Vtrum Prædicatores Regularium,audientibus ipſorum conciones,aliquas indulgentias poſſint concedere?
11 Sitne Prædicatoribus Regularibus conceſſum aliquod priuilegium,pro anticipãdo ſeu poſtponendo diuino officio?
12 Vtrum ſit aliquod priuilegium, Prædicatoribus Regularibus ccõeſſum, pro nõ ſtricte ſeruanda forma ieiunij?

QVAESTIO LI.

De Apoſtatis & fugitiuis,qui poſt factam ſolemnem profeſsionem,ſine ſuorum Prælatorum ac Superiorum licentia,è Monaſterijs receſſerunt, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum quicumque Religioſus, poſt ſolemnẽ profeſsionem factam,ſine ſui Superioris licentia è monaſterio recedit,cẽſendus ſit apoſtata,proprie atq;in rigore loquendo?
2 In quas pœnas incidant,eiuſmodi Apoſtatas & Fratres fugitiuos recipientes?
3 Quibuſnam conueniat, eiuſmodi Apoſtatas & Fratres fugitiuos recolligere,& conſtringere vt ad proprias Religiones ſiue Monaſteria reuertantur?
4 Qualiter Prælati Regulares,procurare teneantur, vt Fratres apoſtatę & fugitiui, ad ſanam mentem redeant,& ad propria Monaſteria reuertantur?
5 Vtrum apoſtatæ & fugitiui,ad Ordinem reuertentes,benigne ſint admittendi & recipiendi,& qualiter cum eis ſit agendum à Superioribus,& Prelatis?
6 Vtrum Prælati Regulares,apoſtatis & fugitiuis licentiam poſsint pręſtare, vt transferantur ad alios Ordines?
7 Cui cedant,apoſtatarum & Fratrum fugitiuorũ bona?
8 Vtrum Monaſterium teneatur,ſoluere apoſtatarum & fugitiuorum debita,ex bonis quæ ſecum detulerunt,ſeu quæ apud illos remanſerunt?

QVAESTIO. LII.

De electis ab Ordine,& his quæ ad eorum expulſionem ſpectant in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares,propter aliqua crimina atq; delicta grauia,auctoritatem & facultatem habeant,eijciendi & expellendi Religioſos ad Ordine,& ad quos pertineat huiuſmodi poteſtas?
2 Quænam ſint crimina & delicta, propter quæ Religioſi ab Ordine expelli poſſunt?
3 Quid facere debeant electi ab Ordine,& an Prælati poſsint eos compellere, aliam vt ingrediantur Religionem?
4 Cuinam eſſe debeant ſubiecti,eiuſmodi expulſi & electi ab Ordine,per ſententiã diffinitiuã?
5 Vtrum electi ſupradicti, teneantur ad ſeruandã Regularem vitam,& Regulam quam vouerunt,& cuinam acquirant ſi aliqua lucrentur bona,& an exiſtẽtes in ſeculo prędicare poſſint,& confeſsiones audire?
6 Vtrum electi ab Ordine, ſi ſint Subdiaconi,aut alio ſacro Ordine inſigniti, ad alios poſsint promoueri?
7 An Prælati Regulares,eiuſmodi electos ſi conuertantur,& humiliter expoſcant habitum, teneantur neceſſario ad Ordinem recipere?
8 Vtrum Prælati Regulares interdum,ob aliqua crimina & delicta,ſubditos ſuos ad triremes poſsint damnare?

Finis Indicis Quæſtionum,& Articulorum.

INDEX

INDEX CONCLVSIONVM ET rerum notabilium, quæ in hoc Primo Tomo Manualis ſiue Directorij Prælatorum Regularium continentur.

A.

ABſolutio in foro conſcientię quidnam ſit, & quem effectum operetur? pag. 412. & 413.
Abſoluti in foro conſcientiæ, tantum qualiter ſe gerere debeant? ibidem.
Abſolutio quę dicitur à culpa & à pœna, quidnam ſit, & quem effectum operetur? 414.
Actus virtutum moralium, pertinēt ad vitam actiuam. 49.
Actus iure prohibiti actualiter ſuſpenſis, in quibus ſe intromittendo efficiuntur irregulares, quinam ſint? 327.
Attentio qualis ſit neceſſaria & ſufficiat, in recitando diuino officio? 298.
Anni probationis, an ſit de eſſentia quod deferatur habitus Regularis? 146.
Anni requiſiti iuxta Concilium Trid. ad ſuſcipiendos ſacros ordines, an requiratur neceſſario, quod ſint completi; an vero ſufficiat, vt ſint incepti? 322.
Annus probationis à nouitijs, an poſsit renunciari? 147.
Actus requiſiti ad profeſsionem expreſſam ſiue tacitam? 163. & 164.
Anachoritarum inſtitutum. 21.
Apoſtoli fuerunt primi omnium, in Eccleſia Religioſi? 18.
Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti, an habuerint in hoc mundo, proprium aliquod in communi? 68.
Apoſtaſia quidnam ſit, & vnde dicatur? 436. & 437.
Apoſtaſia eſt triplex, à fide, ab obedientia, & à Regione. ibidem
Apoſtata an ſit dijudicandus, Religioſus qui tranſit ex vna Religione ad aliam indebite, & non ſeruatis debitis circunſtantijs? 262.
Apoſtata vere & proprie loquēdo, an dicatur qui cumque religioſus, poſt ſolemnēm profeſsionē factam, exiens à monaſterio, ſine ſuorum Prælatorum licentia? 436. & 437
Apoſtata in foro exteriori, quiſnam dicatur. 438.
Apoſtatas & Fratres fugitiuos recipiētes, in quas incidant pœnas. 439.
Apoſtatas & Fratres fugitiuos recolligere, vt ad proprias Religiones conuertantur, quibuſnam conueniat? 440.
Apoſtatas & fugitiuos, Prælati regulares, qualiterprocurare teneantur recolligere, & vt ad ſanam mentem redeant. 441.
Apoſtatæ & fugitiui, ad ordinem reuertentes, qualiter ſunt recipiendi? 442.
Apoſtatę & fugitiui, ſtatim ac redeunt, haud quaquam ſunt ordinandi. ibidem
Apoſtatis & fugitiuis, an poſsint licentiā præſtare Prælati, vt ad alias religiones transferantur? 443.
Apoſtatarum & fugitiuorum bona, cui cedant? ibidem. 444.
Apoſtatarum & fugitiuorum debita, monaſterium an teneatur ſoluere? 445.
Argumentum à nominis etymologia in iure, validum eſt ac firmum. 61.

B.

BAptiſmi ſacramentum quid ſit? 373.
Baptiſmi ſacramentum, Religioſi an miniſtrare poſsint? ibidem.

C.

CAnonicorum Regularium Religio, quo tempore, & à quo ortum & originem duxerit? 31.
Canonicorum Regularium, plures atq; diuerſæ familiæ reperiuntur in Eccleſia. 32.
Canonici Regulares, an vere & proprie ſint, & dici debeant Religioſi? 58
Canonici Regulares, dici an debeant Monachi? 62
Canonicus Regularis, poſsidens aliquam Eccleſiam Parochialem, an teneatur potius in eadē reſidere, quam in monaſterio? 271.
Carnales delectationes, magnum præſtant impedimentū perfectioni charitatis? 8.
Cauſa iuſta quænam dicatur, ad hoc vt Religioſus aliquis de licentia ſui Prælati, aliquid poſſit dare, donare, vendere, &c. 225.
Cauſa iuſta diſpenſandi, ad hoc vt aliquis Religioſus, ab vna in aliam Religionē ſe poſsit tranſferre, quęnam dicatur? 246.
Cœnobitarum inſtitutum. 22.
Cantus organicus. in Eccleſijs, an ſit conueniens & licitus? 297.
Charitatis & dilectionis Dei præceptum, quare nobis fuerit poſitum cum tanto rigore? pag. 38.
Clerici ordinum militarium, vere & propriè ſunt Religioſi. 60.
Conditiones requiſitæ, pro recipiendis Nouitijs. 95.
Contemplatiua vita, an ſit actus ſolius intellectus, an vero etiam voluntatis. 44.
Contemplatiua vita, principaliter conſiſtit, in contemplatione primæ veritatis, ſcilicet Dei; Secūdario vero, in conſideratione aliarum rerum, quæ nos dirigunt in idipſum. 45
Contemplatiua vita, licet tantum habeat vnicum actum vltimum, habet tamen plures præuios, ad ipſum diſponentes. 46.

Contem-

Contemplatiua vita, prærequirit exercitiũ actuũ virtutum moralium, tanquam diſponentium ad ipſam. 47.
Contemplatiua vita diuiditur in tres actus, rectũ ſcilicet, circularem, & obliquum. ibidem
Contemplatiua vita, licet de potentia ordinaria loquendo, pro iſto ſtatu, vſq; ad diuinæ eſſentię viſionem non poſsit pertingere, bene tamen, de potentia Dei abſoluta. 48. & 49.
Conſuetudo, an per ſe inducere poſsit obligationem. 176.
Conſtitutiones Sixti V. aliorumq; Summorũ Pontificum, factę contra illegitimos, & alios reperientur à pag. 107. vſq; 110.
Conſtitutio Pauli IIII. contra deſcendentes exiudęis, & Hęreticis, intra quartã generationẽ habetur à pag. 115. vſq; 117.
Conſtitutio prædicta Pauli IIII. contra deſcendẽtes ex Iudæis, intra quartum gradum, qualiter ſit intelligenda. pag. 118. cum ſeq.
Conſtitutio Sixti V. contra criminoſos & facinoroſos, quid contineat. 121. & 122.
Conuerſi oblati & donati Religionum, an ſint ac dici poſsint Religioſi, 230.
Conuerſi, oblati, & donati Religionum, an dici debeant perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudeant priuilegio Canonis? 231.
Conuerſi, & oblati Religionum, an poſsint matrimonium contrahere? 232.
Conuerſi, & donati Religionum, petita licentia, licet non obtenta, an poſsint ad ſtrictiorem Religionem tranſire? ibidẽ.
Conuerſi, oblati, & Donati monaſteriorum, an abſolui debeant ab Epiſcopis, an vero à Proprijs Prælatis? 233.
Collegium quidnam ſit, & vnde dicatur? 280.
Collegium quotuplex ſit, ſeu quotupliciter fieri contingat? ibidẽ.
Collegiũ facere, ſitne licitũ, an vero illicitũ? 281.
Collegium aliquorum hominum, ſiue mulierum, in Cõgregatione viuentium, & tria ſubſtantialia Religionis vota emittentium, an ſit licitum, ſi nullum ipſi profiteantur, per Sedem Apoſtolicam approbatum viuendi modum? ibid. & 281.
Confirmationis Sacramentũ, quidnã ſit? 382. & 382
Confeſſarijs regularibus an aliqua fuerint conceſſa priuilegia, quibus ſecularium confeſſiones poſſit audire? ibid.
Confeſſariorũ Regularium præſentatio corã Epiſcopis, qualiter ſit facienda? 387. cum ſeq.
Confeſſores regulares in Theologia graduati, an poſsint & debeãt ab Epiſcopis examinari? ibid.
Confeſſores Regulares ſine ſuorum prælatorũ licentia, an ſecularium confeſſiones poſsint audire? 398. & 399.
Confeſſarijs prædictis confeſsiones factæ an ſint validæ? 399. & 400.
Confeſſarijs Regularibus ſemel præſentatis & approbatis, an interdici poſsit poſtea, quod cõfeſſiones audiant? 401.
Confeſſarijs Regularibus, qui ex priuilegio confitentur, an teneantur ſuis Presbyteris Parochialibus iterum poſtea confiteri? 385. & 386.
Confeſſariorum Regularium præſentatio & approbatio, an ſit perpetua? 393. cum ſeq.
Confeſſorum Regularium præſentatio & approbatio, facta in vno Epiſcopatu, an generaliter ſufficiat pro omnibus? 395. & 396.
Confeſſores Regulares, ab Epiſcopis Ordinarijs approbati, vt ſecularium audiant confeſsiones, an poſsint limitari & reſtringi, ad certum locũ, tempus, hue perſonas? 397.
Confeſſores Regulares, à ſuis Superioribus expoſiti, & Epiſcopis præſentati, ab eiſdemq; approbati, virtute ſuorum priuilegiorũ, an omniũ ſeculariũ confeſsiones poſsint audire, non obſtãte quacũq; Curatorũ contradictione? 401. & 402.
Confeſſores Regulares, ſecũdũ Clem. Dudũ, præſentati, an poſsent olim abſoluere ab omnibus caſibus, Epiſcopis reſeruatis de iure & ſpecialiter, poſſentq; illud hodie, ſi nõ fuiſſet ſibi de nouo prohibitum per conſtitutionẽ S. D. N. Clem. VIII. 406. cum ſeq.
Confeſſarijs Regularibus, quænam fuerint olim cõceſſa priuilegia, ad abſoluẽdũ à caſibus, Epiſcopis, iure & ſpecialiter reſeruatis? 429. cũ ſeq.
Confeſſarijs Regularibus, quænã fuerint olim cõceſſa priuilegia, abſoluendi à caſibus Papę & Summo Pontifici reſeruatis? 411.
Cõfeſſores Regulares, virtute priuilegiorũ olim, & nunc per Bullã Cruciatæ, in partibus quibus viget, abſoluere an poſsint in foro conſcientiæ, nominatim excõmunicatos, ſeu aliquem manifeſtum percuſſorem Clerici? 412.
Confeſſores Regulares, in partibus vbi promulgatur Bulla Cruciatæ, ſeu olim virtute ſuorũ priuilegiorũ, antequam reuocarentur, quoad abſolutionẽ à caſibus Papę & Epiſcopis reſeruatis, ſeculares non habentes ipſam, an poſsent abſoluere? 415.
Confeſſores Regulares, ſecularium confeſsiones audientes, ſi habeant, priuilegiũ, an teneantur pœnitentes, à caſibus reſeruatis ſibi confeſsis, neceſſario abſoluere. 416.
Confeſſores Regulares, per ſuos Prælatos expoſiti, atq; ab Epiſcopis approbati, cũ inceſtuoſis ſecularibus, ad debiti petitionem diſpenſare an poſsint? 417. & 418.
Confeſſores Regulares, ſimiliter expoſiti & approbati, diſpenſare an poſsint cũ cõiugatis, caſtitatis voto aſtrictis, quãtũ ad petitionẽ debiti? 419.
Confeſſores Regulares, virtute ſuorũ priuilegiorũ, an poſsint in votis ſecularium diſpẽſare? 420
Confeſſores Regulares, an ſecularium vota cõmutare poſsint? 421.
Cõfeſſores Regulares, diſpenſare an poſsint, in iuramentis, ſeu iuramenta ipſa commutare? 422.
Confeſſores Regulares, an diſpenſare poſsint, in votis pœnalibus, ſeu ea commutare? 423.
Clauſura monachorum & Religioſorum, an ſit de iure naturali & diuino, an vero ſolummodo, de Papali humano? 266. & 267
Clauſura monachorum & Religioſorum, vnde ortũ & originem duxerit? ibid.
Clementina, Dudũ, de ſepult. an fuerit reuocata, per Conc. Trid. quantũ attinet ad Confeſſariorũ Regulariũ, coram Epiſcopis præſentationẽ faciendam? 389. cum ſeq.
Chriſtus Dñs & Sãcti eius Apoſtoli, atq; Diſcipuli, an habuerint aliquid propriũ in communi? 68

D.

DEcretum ſacræ Congregationis Cardinalium, pro non abſoluendo à caſibus Papæ & Epiſcopis reſeruatis, habetur pag. 406.
Defectus commiſſi in recitando diuino Officio, an per aliquid poſſint ſuppleri? 311.
Deus non ita perfectè diligi poteſt à nobis, vt in ſe diligibilis eſt. 37.
Deus non poteſt in hac vita ſemper actualiter diligi. ibidem.
Deus bene poteſt in hac vita diligi, ea perfectione, quæ ſe compatitur cum noſtro ſtatu. ibid.
Dei dilectionis præceptum quare fuerit nobis poſitum cum tanto rigore? 38.
Debitis grauatus an ad Religionem poſſit admitti? 99. & 100.
Diſpoſitio bona Religionem intrare volẽtis quę nam ſit. 205.
Diſpenſatio facta etiam à Papa, alicui Religioſo, vt ad laxiorem Religionem ſe transferat, in foro interiori, ſi fiat abſque legitima cauſa eſt nulla, nec diſpenſatus eſt tutus in conſcientia. 247.
Diſpẽſatio nulla facta etiam à Papa, ſine iuſta cauſa eſt licita, maxime in his, quæ ſunt iuris diuini. ibidem.
Dominium & proprietas quid ſint, & an ſint omnino idem. 210.
Dominium, proprietas, poſſeſsio, adminiſtratio, vſusfructus, & vſus, penes quid differant. 211.
Dominium bonorum omnium, quæ poſſident omnes in vniuerſum Religioſi, apud quem remaneat? 215. & 216.
Donati & Oblati Religionum, an ſint vere & proprie Religioſi? 230.
Donati & Oblati Religionum, an dici debeant perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudeant priuilegio Canonis? 231.
Donati & Oblati Religionum, an poſſint matrimonium contrahere? 232.
Donati & Oblati Religionum, petita licentia licet non obtenta, an poſſint ad ſtrictiorem Religionem tranſire? ibidem
Donati, Oblati, & Conuerſi Monaſteriorum, an abſolui debeant ab Epiſcopis, an vero à proprijs Prælatis? 233.

E.

EIjci atq; expelli ab Ordine, an poſsint Fratres propter aliqua crimina, atque delicta? 446. & 447.
Eijci & expelli ab Ordine, propter quæ crimina atque delicta poſsint Religioſi. 448. cum ſeq. vſque? 451.
Eiecti ab Ordine, compelli an poſsint, aliam vt ingrediantur Religionem? 452. & 453.
Eiecti ab Ordine, per ſentẽtiã diffinitiuam, cuinã Epiſcopo debeant eſſe ſubiecti? 454.
Eiecti ab Ordine, an teneantur ſeruare Regularẽ vitam, & cuinam acquirant bona quæ lucrãtur, & prædicare an poſsint exiſtentes in ſeculo, & confeſsiones audire? 455. & 456.
Eiecti ab Ordine. ſi ſint ſacro aliquo Ordine inſigniti, an poſsint ad alios promoueri? ibidem.
Eiecti ab ordine, ſi conuertantur, & humiliter expoſcant habitum, an ſint recipiendi? 457.
Eiectorum ab ordine, & ſolemniter degradatorũ reſtitutio, cuinam conueniat de iure communi? ibidem.
Epiſcopus ingredi non poteſt Religionem, ſine expreſſa licentia Summi Pontificis. 95. & 96.
Epiſcopi an agere poſsint contra Religioſos, miniſtrantes Euchariſtiæ ſacramentum & alia prohibita in clemen. Religioſi de priuilegijs, ſine debita licentia? 369. & 370.
Epiſcopi, an poſsint procedere contra Prædicatores, prædicantes errores, ſcandala, ſiue diuinationes, ipſoſque ſeu alios Prælatos & Iudices, temerarie reprehendentes? 434.
Epiſcopi, & Eccleſiarũ Prẽlati, prohibere an poſsint, quod Parochiani veniant ad audiendas Prędicatorum Regularium conciones? 435.
Equites ordinum militarium, an verè & propriè ſint ac dici debeant Religioſi? 60. & 61.
Equites, & Commendatarij Ordinum Militariũ, cum quibus diſpenſatum eſt, vt poſsint vxores ducere, an per eandem diſpenſationem habere poſsint proprium, & de rebus ſuis diſponere? 214. & 215.
Extremę vnctionis ſacramentum quidnam ſit, & quis eius miniſter proprius? 425. & 426.
Extremæ vnctionis ſacramentũ, quibuſnam ſit dãdum, aut quo tempore? 427. & 428.

F.

FOrus quidnam ſit & quotuplex? 412.
Furtum, ad hoc quod cenſeri debeat peccatum mortale, debet eſſe in materia graui. 227.
Fratres minores ex vi ſuæ Regulæ, tenentur ſtrictius ſuis Prælatis obedire, quam alij aliarum Religionum profeſſores? 203. & 204.
Fratres laici Religionum, an ſint vere & proprie Religioſi? 229.
Fugitiuus ſiue vagus, quis dicatur? 720.

H.

HOmicidæ, & qui exiſtentes in ſeculo aliquod delictũ commiſerunt, an ad Religionem poſſint admitti? 121. & 122.
Homicidium an ſit ſufficiẽs cauſa, ob quã Religioſus, habitu poſsit priuari, atq; expelli ab ordine? 550.
Horæ Canonicæ, ab Eccleſiaſticis & Religioſis viris recitandæ, quotnam ſint. 291.
Horarum Canonicarum, congrua inſtitutio & diuiſio, quænam ſit? 292.
Horæ Canonicæ, vt in Eccleſia medijs noctibus canerentur, an fuerit expediens? 293.
Horæ Canonicæ nocturnæ, pariter atq; diurnæ, an fuerit expediens, vt in Eccleſiarum choris, alta & ſonora voce dicerentur? 294. & 295.
Horæ Canonicę, & Diuinæ laudes, qualiter in Eccleſia ſint decãtãdæ, & an ſit licitus cantus organicus? 297.
Horas Canonicas, quinã teneantur dicere & recitare? 299.
Horæ Canonicæ, an ſint neceſſario recitandę ſtatutis horis? 301.
Horarum Canonicarum ordinem inuertere, ſiue mutare, an quandoq; liceat? ibidem.

Horas Canonicas recitare, ſedendo, ſtando, deambulando, &c. an ſit peccatum? 302.
Horæ Canonicæ, qua attentione ſint dicendæ & recitandæ? ibidem, cum ſeqq.
Horarum Canonicarum recitatio, fieri an debeat neceſſario, ſecundum ordinem Sanctæ Romanę Eccleſiæ, & Breuiarij nuper reformati? 307.
Horas omnes Canonicas recitare omittens, an peccet vnum peccatum, vel plura? 309.

I.

IEſuitæ etiam ſcholares, an vere & proprie dici poſſint Religioſi? 58. & 59.
Iuramenti vinculum & obligatio, an ſit maior, quam voti? 180.
Impuberes, ſine conſenſu & voluntate ſuorum parentum, atque tutorum, ad Religionem non poſſunt admitti. 98.
Infames ſeu aliqua vulgari infamia notati, an ad Religionem recipi poſſint? 112.
Infirmi an teneãtur, diuinũ officium recitare? 309.
Interſtitia an ſint neceſſario ſeruanda, pro ſacris Ordinibus recipiendis? 315.
Interſtitiorum diſpenſatio, quibuſnam competat, Prælatis Regularibus, an vero Epiſcopis? 317.
Interſtitia vt diſpenſetur, pro ſacris recipiẽdis Ordinibus, quænã cauſa ſit neceſſaria & ſufficiẽs? 318.
Inceſtus quidnam ſit & vnde dicatur? 417.
Incorrigibilitas eſt præcipua & potiſſima cauſa, ob quam Religioſi habitu poſſunt priuari, atque expelli ab Ordine, cum certis quibuſdam conditionibus. 448.
Illegitimi, inceſtuoſi atque ſacrilegi, ſeu alij, an ad Religionem recipi poſſint? 171. cum ſeqq.
Illegitimitas ſeu irregularitas ab ipſa prouenies, an tollatur per ingreſſum Religionis, & profeſſionem ſolemnem ibidem factam? 186. & 187.

L

LEgitimus quiſnam dicatur & quid ſit quempiam legitimare? 106. & 107.
Licentia Prælatorum, ad dandum, donandum, &c. an ſit neceſſariũ quod ſit expreſſa: an vero ſufficiat, quod ſit tacita ſiue interpretatiua? 225. cũ ſe.

M

MAtrimoniũ cõſummatũ impedit ab ingreſſu Religionis, niſi cum certis conditionibus, & limitationibus. 93. & 94.
Matrimonium ratum, non conſummatũ, diſſoluitur per ingreſſum Religionis. 208.
Matrimonium de facto contractum, à Religioſis ſocietatis Ieſu, poſt primã profeſſionem emiſſam, an ſit validum? 209.
Matrimonium contractum ab Equitibus Ordinũ Militariũ, poſt emiſſam ſolemnem profeſſionẽ, an ſit validum & an per ipſam, matrimonium ratum, ſed non conſummatũ diſſoluatur? ibidẽ.
Mendacium non ſolum conſiſtit in falſis verbis, verum etiam in ſimulatis operibus. 39.
Mentecapti, an ad Religionẽ poſſint admitti? 98.
Milites D. Iacobi, S. Ioannis, & qui communiter dicuntur Calatrauæ, & Alcantaræ, an vere & proprie ſint, & dici debeant Religioſi? 60. & 61.
Minores Fratres, ex vi voti & ſuæ Regulæ, an teneantur ſtrictius ſuis Prælatis obedire, quam reliqui aliarum Religionum alumni & profeſſores? 203. & 204.
Miſſa quæ in noſtra Sacra Eccleſia celebratur, quidnam ſit? 328.
Miſſa vndenam habuerit ortum & originem? 329.
Miſſæ principales & præcipuæ partes, quænam ſint, & qualiter ipſa ſit celebranda? 330.
Miſſa an neceſſario celebranda ſit à Sacerdotibus, indutis ſacris veſtibus? ibidem.
Miſſam quiſnam poſſit celebrare, quis vero non? 331. & 332.
Miſſæ celebrandæ materia & forma, quænam ſit, & qualiter ſit diſponenda? ibidem, & 333.
Miſſam an teneantur quotidie Sacerdotes celebrare? ibidem, & 334.
Miſſas plures celebrare eodẽ die, an ſit licitũ? 335.
Miſſa in quo loco ſit celebranda, & an celebrari poſſit in altari portatili? ibidem, & 336.
Miſſa, an poſſit celebrari noctu, & ante ortum ſurgentis aurorę? ibidem, & 337.
Miſſa celebrari an poſſit poſt meridiem? ibidem.
Miſſam celebrare, ante recitatum Matutinum & Laudes, an liceat in aliquo caſu? 338. & 339.
Miſſa an neceſſario dici debeat, à Sacerdotibus ieiunis? ibidem.
Miſſæ celebrationem, an impediat nocturna pollutio, ſi non ſit voluntaria? 340.
Miſſa an ſit ſacrificium? 341. & 342.
In Miſſæ ſacrificio, an principalis Sacerdos & offerens ſit Chriſtus? 343.
In Miſſæ ſacrificio, an ſint etiam alij offerentes, à Chriſto Domino & Sacerdotibus Miſſam dicentibus, ſiue ſacrificantibus? 344.
Miſſæ ſacrificium, an pro alijs ab offerentibus poſſit offerri? 345.
Miſſæ ſacrificium an debeat & poſſit offerri, pro ommbus, etiam infidelibus, & an poſſit pro defunctis? 346. & 347.
Miſſæ ſacrificium, an habeat aliquem effectum, ex opere operato, in illis pro quibus offertur? 348.
Miſſæ ſacrificiũ, an ſit fructuoſũ alio modo quã ex opere operato, aut ex opere operãtis? 349. & 350.
Miſſæ ſacrificium an conferat primam gratiam, & culpæ mortalis remiſſionem per ſe, ex ſua primaria inſtitutione, ſeu quod dicitur, ex opere operato? 351. & 352.
Miſſæ ſacrificium, an ex opere operato & per ſe, conferat augmentum habitualis gratiæ? 353.
Miſſæ ſacrificium, an remittat peccata venialia ex opere operato? ibidem.
Miſſæ ſacrificium, an valeat ex opere operato, ad remiſſionem pœnæ, correſpondentis peccatis mortalibus, ſeu venialibus? 354.
Miſſæ ſacrificium, an valeat quoad bona temporalia conſequenda, & qualiter? 355.
Miſſæ ſacrificium, an habeat aliquem effectum, ex opere operato, in omnibus offerentibus ipſum? ibidem, & 356. & 357.
Miſſæ ſacrificium, an habeat effectum, ex opere operato, in his pro quibus offertur, non ponentibus obicem? 357.
Miſſã dicẽs Sacerdos, an teneatur applicare aliquã partẽ fructus ſacrificij ſui, pro tota Eccleſia? 358

Miſſam dicens Sacerdos, & propter incuriam ſeu ignorantiam, non applicãs ſacrificij ſui fructũ, vel applicans ei qui illo non indiget, aut non eſt ipſius capax, quid fiet de tali fructu? 359.
Miſſæ ſacrificium offerentes priuatæ perſonæ, ſimul cum Sacerdote, an poſsint fructum ſuum applicare alijs, ſeu pro alijs offerre? ibidem.
Miſſæ ſacrificiũ, vt habeat ſuũ effectum ex opere operato, in eo pro quo offertur, quæ ſint neceſſario requiſita? ibidem. & 360.
Miſſæ ſacrificium, an ſit intenſiue infinitũ? 360.
Miſſæ ſacrificium, oblatum pro multis, an valeat tantũ ſingulis, ac ſi eſſet oblatũ pro vno? 361.
Miſſa, de quo Sancto, aut Feſto, vt plurimum dici aut celebrari debeat? ibidem.
Miſſa mali Sacerdotis, an valeat tãtũac boni? 362.
Miſſarum ſtipendia iuſta, quænam ſint? 363.
Miſſarum Capellarum, ſeu Anniuerſariorum numerum, Epiſcopi & Religionum Prælati, an poſſint, ad minorem numerum reducere? 364.
Monachorũ genera, quot fuerint olim in Eccleſia? 20.
Monachorum Regulæ approbatæ, quotnam ſint hodie in Eccleſia? 21.
Monachorum Regulas approbare, & confirmare, ad quem ſpectet. 22. & 23.
Monachi qui dicantur, ſeu quibus vere & proprie Monachorum competat nomen. 61. & 62.
Monachorum nomine, an comprehendantur Canonici Regulares, & viri Ieſuitæ, ſeu Societatis Ieſu? 62.
Monachi Mendicantes, quinã dicãtur. 63. 64. & 65.
Monachis ſiue Religioſis, an ſit licitum mendicare, & quod dicitur de eleemoſynis viuere? ibid.
Monachis ſiue Religioſis, an ſit licitum habere aliquid proprium in communi, ſeu diminuat id à ſtatu & ratione perfectionis? 66. & 67.
Monachi & Religioſi, an teneantur proprijs manibus laborare? 70. & 71.
Monachi Clauſtrales, ſiue Conuentuales quinam dicantur? 73.
Monachi Obſeruantes, quinam dicantur? 74.
Monachi & Clerici, quonam iure exempti ſint, à ſecularium iudicum iuriſdictione? 75. & 76.
Monachi quonam iure exempti ſint, ab Epiſcopum & Prælatorum Ordinariorum iuriſdictione. 77.
Monachi & Religioſi, an habere poſſint aliquod peculium? 218. & 219.
Monachi habentes peculium, de licentia ſuorum Prælatorũ, an poſſint eleemoſynas facere, ſeu aliquid donare, vẽdere, aut diſtrahere? 223. et 224.
Monaſteria ædificare, ſine licentia Papæ & Ordinarij, an liceat? 273.
Monaſterium ſemel ædificatum, ex vno ad alium locum mutare an liceat, ſine licentia Papæ & Ordinarij? 274.
Monaſteria, an ædificari poſsint, noſtris Minorum Fratrum domibus conuicina? 275.
Monaſteria ædificantes ſine licentia Papæ & Diœceſani, in quo caſu ſint excommunicati. 276.
Monaſterium Religioſorum ædificare, an ſit melius, & Deo magis acceptum & gratum, cæteris paribus, quam conſtruere Eccleſiam aliquam ſecularem? ibidem.
Monaſterium conſtrui & ædificari mandatum in teſtamento, in certo aliquo loco, ſi ibi fieri non poſsit, an ſit in alio ædificandum? 277.
Monaſterium Monialium ædificare, an ſit melius, quam ædificare Monaſterium Religioſorũ. ibid.
Monaſteria ſemel Deo dicata, an poſſint deſtrui, & deſeri, atq; in profanos vſus cõmutari? 298.
Monaſterium deſtructum & deſertum, ad quem pertineat; ad Fratres pro quibus fuit factum, an vero ad fundatores & Patronos? 279.
Monaſterij deſerti ac deſtructi bona, cuinam debeant adiudicari? ibidem.
Moniales Ordinum nulitarium, vere & proprie ſunt Religioſę. 60.

N

NOuitios admittere atque recipere, quinam Prælati poſſint in Religionibus, ſed maxime in noſtro ſacro Minorum Ordine? 84. & 85.
Nouitios per ſe ſolos, & ſine conſenſu aut ſaltem conſilio Capituli, recipere an poſſint Prælati, & incorporare illos Religionibus? 86. & 87.
Nouitius in Religionibus, eſſe an poſſit vxoratus, & matrimonio coniunctus, ſine licentia propriæ vxoris. 93. & 94.
Nouitius non eſſe poteſt ſeruus, & qui non eſt ſui iuris. 95.
Nouitij recipiendi, ex vi noſtræ Regulæ, quas conditiones & qualitates debeãt habere? 103. & 104.
Nouitij iuxta noſtras generales conſtitutiones, quas cõditiones & qualitates debeãt habere. 105
Nouitij eſſe an poſſint, qui non ſunt corpore ſani, ſeu qui ſunt infecti lepra, aut laborant morbo caduco, ſeu aliqua infirmitate cõtagioſa? 106.
Nouitij eſſe an poſſint, qui nõ ſũt legitime nati? 107
Nouitij eſſe an poſsint infames, ſeu aliqua vulgari infamia notati? 112.
Nouitij eſſe an poſsint idiotę, õnino illiterati? ibid
Nouitij eſſe an poſsint, minores 16. annorum? 113.
Nouitij eſſe an poſſint in noſtro ſacro Minorum Ordine, qui non ſunt bono genere nati, & deſcendentes ex conuerſis Iudæis, Mahumetanis, vel Hæreticis, aut Gentilibus modernis. 114. cum ſeq. latiſsime.
Nouitij eſſe an poſsint homicidæ, & qui exiſtẽtes in ſeculo, aliquod delictũ cõmiſerũt. 121. cũ ſeq
Nouitiorum informationes ſunt faciendæ, examinandæ atque approbandæ, ante quam recipiantur ad habitum, ex Summorum Pontificum Cõſtitutionibus? 129. cum ſeq. latiſsime.
Nouitiorum informationes fieri poſsunt, etiam in anno probationis, & poſt ſuſceptum habitum, virtute cuiuſdam priuilegij, conceſſi Conuentui Sancti Stephani Salmanticenſis. 133.
Nouitiorum informationes, qualiter fieri conſueuerint, tempore Sixti V. & factæ poſtmodũ ſint temporibus aliorum ſummorum Pontificũ. 1
Nouitiorum informationes, de quibus rebus debent fieri? 134.
Nouitiorum informationes, per quos ſint faciendæ. ibidem.
Nouitiorum informationes, à quibus ſunt examinandæ & approbandæ? 135. & 136.
Nouitiorum in informationibus, quænam ſint aduertenda & conſideranda? 137.
Nouitiorum informationes, quonam modo & forma

forma ſunt faciẽdæ, atque formãdæ? 138.&139.
Nouitijs conuenientiſsimum fuit, vt præfigeretur probationis tempus? ibidem.
Nouitiorum probandorum, quant um debeat durare tempus. 140.
Nouitiorum probationis tempus, vbinam incipiat & qualiter debeat computari? 141.&142.
Nouitiorum probationis annus, an debeat eſſe continu⁹, an vero ſufficiat, quod ſit interpolat⁹? 143
Nouitius de licentia Prælati, intra probationis annum, exiens extra Monaſterium cum habitu, an dicatur habere annum continuum, poſſitque profiteri. 144. & 145.
Nouitij neceſſario probandi ſunt in habitu illius Religionis, quam habent profiteri. 146.
Nouitij an renunciare poſſint nunc, poſt Concil. Trident. probationis annum? 147.
Nouitij intra annum probationis, libere poſſunt exire & ad ſeculum redire. 148.
Nouitij infra annum probationis, an poſſint ordinari, ſeu ad aliquas dignitates promoueri? ibidẽ
Nouitij in aliquo caſu, an poſſint profiteri intra annum probationis? 149.
Nouitij cum primum ingrediuntur Religionem, & ſuſcipiunt habitum, an poſſint diſponere de ſuis bonis temporalibus? 150.
Nouitiorum donationes, ſiue renunciationes bonorum ſuorum temporalium, factæ ante quam ſuſcipiant habitum, an valeant ſub hac conditione & pacto, quod in quocumque euentu à Monaſterio exeant, donationes non ſint validæ? ibidem, & 151.
Nouitiorum donationes, factæ ante duos menſes ante profeſſionem, ipſo iure ſunt nullæ. 152.
Nouitiorum donationes, quæ dicuntur inter viuos, ſeu iuramento firmatæ, factæ ante duos menſes ante profeſſionem, an valeant? ibidem.
Nouitiorum teſtamenta & donationes, quę fiunt cauſa mortis, factæ ante duos menſes, ante profeſsionem, an valeant? 153.
Nouitiorum renunciationes, factæ de ſuis beneficijs, ante receptionẽ habitus, an ſint validę? 154
Nouitiorum donationes, quas ſolemnitates habere debeant, iuxta formam à Concilio Trident. præſcriptam? ibidem.
Nouitij an poſſint aliquid dare, pro ingreſſu Monaſterij, ſiue Religionis? 155.&156.
Nouitius faciens teſtamentum, an teneatur neceſſario aliquid donare Monaſterio? 157.&158.
Nouitius vxoratus, liberos habens, qualiter ante profeſsionem, facere debeat teſtamentum? ibid.
Nouitij ante profeſsionem faciẽtes teſtamentum, an poſsint ſibi metipſis aliquid donare, aut præcipere, quod detur ſibi poſt factã profeſs? 160.
Nouitij poſt profeſsionem factam, an teſtamentũ poſſint condere, aut ipſum explicare, & declarare voluntatem quam habuerunt, ſeu illam reuocare? 161. & 162.
Nouitij noſtri Ordinis, qualiter ſint recipiendi, & quas conditiones debent habere, iuxta ſummorum Pontificum conſtitutiones, & ſtatuta Apoſtolica? 184. cum ſeqq
Nouitiorũ profeſſio, ane x cauſa, poſsit dilatari? 188
Nouitio denegans votum ad profitendum, ſine cauſa, an peccet mortaliter? ibidem.

O

OBedientiæ, an ſit potiſsimum inter tria eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota? 192.
Obedire, an teneantur ſubditi ſuis Superioribus, in omnibus & per omnia? 193.cũ ſeqq.
Obedire, an teneantur ſubditi ſuis Superioribus & Prælatis, in actibus interioribus, & in his quę ſpectant ad interiorem motum ſuæ voluntatis? 194.cum ſeqq.
Obligati ad ratiocinia, an ad Religionem poſſint admitti? 98.& 99.
Officium Diuinum, quodnam dicatur, & vnde ortum, & originem duxerit? 289.& 290.
Officij Diuini Canonicæ horæ, ab Eccleſiſticis viris recitandæ, quotnam ſint? 291.
Officij Diuini, & horarum Canonicarum congrua inſtitutio atque diuiſio, quænam ſit? 292.
Officium Diuinum, Matutinum, Laudesque Diuinæ, an fuerit expediens, quod in Eccleſia medijs noctibus canerẽtur & dicerẽtur. 293.&294.
Officium diuinum, & prædictæ Diuinę laudes, an fuerit expediens, quod in Eccleſijs alta & ſonora voce dicerentur? 295. & 296.
Officium Diuinum, & Canonicæ horæ, an fuerit expediens, vt interdum in cantu organico dicantur? 297.& 298.
Officiũ diuinũ, quinã recitare teneãtur? 299.et300.
Officium Diuinum, an ſit recitandum & dicendum ſtatutis horis? 301.
Officij Diuini & horarum Canonicarum, an liceat interdum inuertere, ſeu mutare ordinẽ? ibidem
Officium Diuinum recitare, ſedendo, ſtando, aut deambulando, an ſit peccatum? 302.
Officium Diuinum, qua attentione ſit neceſſario perſoluendũ & recitandũ. ibid. &303.304.et305.
Officij Diuini defectus, qualiter poſſint & debeant ſuppleri? 306.307.& 311.
Officium Diuinum, an ſit ſemper ſoluendum, ſecundum modum & ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ? ibidem. & 308.
Officium Diuinum recitare omittens, an committat vnum peccatum vel plura? 309.
In recitatione Diuini Officij, an Prælati diſpenſare poſſint cum ſuis Fratribus infirmis? ibidem.
Officium Diuinum, an poſsit recitare regularis præfectus alicui Eccleſiæ ſeculari, ſecundum illius ritum? 310.
Officium Diuinum, an ſit ſemper ſoluendum in Eccleſia & loco ſacro? 308.
Officium Diuinum, dici an poſſit mentaliter, in totum aut pro magna parte. 310.
Officium Diuinum immutari an poſsit, ratione alicuius negotij, aut rei grauis? ibidem.
Ordo ſacer quid ſit & quotuplex? 312.
Ordines Minores, an poſsint ſibi ſubditis conferre, Monachalium Religionum Abbates, & maxime Benedictini. 319.& 320.
Ordines maiores & minores, an ſint dicique debeant, vnum tantum ſacramentũ, vel plura. 321
Ordinari an debeant neceſſario Religioſi, à proprijs Epiſcopis, in quorum diœceſibus commorantur? 313.
Ordinari an poſsint Religioſi, in ſuis domibus, ſine licentia Epiſcoporum, in quorum diœceſibus eorum

eorum Monaſteria ſunt ædificata, atque conſtructa? 314.
Ordinari,an poſſint Religioſi ab Epiſcopis, ſacris Ordinibus extra tempora? ibid.
Ordinari an poſſint Religioſi,in vna&eadem die, duobus ſacris Ordinibus? 315.
Ordinari an poſsint Religioſi, non ſeruatis temporum interſtitijs? 316.
CuinamPrçlato conueniat,in eiuſmodi interſtitijs diſpenſare? 317.
Quænam ſit cauſa ſufficiens,ad diſpenſandum in eiuſmodi interſtitijs? 318.&319.
Ordinari an poſſit quiſpiam,ante legitimam ætatem,præſcriptam à Concil.Trid. 321.& 322.
Anni requiſiti ad Ordines ſuſcipiendos,an eſſe debeant completi, vel ſufficiat quod ſint incepti? 322,& 323.
Ordinari an poſſint Religioſi,ſine litteris dimiſſorijs, & cuiuſnam illæ eſſe debeant, Epiſcopi diœceſani,an proprij Prælati? 323.
Ordinari an debeant Religioſi ab Epiſcopis, habitis litteris commendatitijs,ſiue dimiſſorijs ſuorum Prælatorũ,abſq; alio præuio examine? 324.
Ordinari an poſſint & debeant Religioſi Societatis Ieſu,ſine titulo beneficij,autpatrimonij? ibi.
Ordinatus Religioſus Ordinibus ſacris,extra tẽpora,ſeu ante legitimam ætatem,aut ſine litteris dimiſſorijs,an ſit ipſo facto ſuſpenſus? 325.
Ordinatus Religioſus ,prima tonſura & minoribus Ordinibus extra tempora, aut non ſeruatis interſtitijs,vel ſine litteris dimiſſorijs,aut cum falſis,an ſit ipſo facto ſuſpenſus? 326.
Ordinatus ante legitimam ætatem,&factus propterea ſuſpenſus, perueniendo ad illam, miniſtrare an poſſit,abſque vlla alia deſuper accepta diſpenſatione? 328.

P

PApa diſpenſare non poteſt, in hoc quod Obedientia,Caſtitas,atque Paupertas, non ſint de eſſentia & ſubſtantia Religionis, ſeu ſtatus Religioſi. 5.
Papa an potuerit reſtringere & limitare, ordinariam Prælatorum Regularium iuriſdictionẽ? 82.
Papa an poſſit diſpenſare,in voto ſolemni Religionis,Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, quod emittunt Religioſi,in ſua ſolemni profeſſione? 189.cum ſeqq.
Papa an diſpenſare poſſit,in hoc quod Religioſus aliquid habeat propriũ,ſtricto modo ſũptũ? 213
Papa an potuerit concedere facultatem, Confeſſarijs Regularibus,abſoluendi à caſibus etiam Epiſcopis reſeruatis , abſque eo quod in hoc, aliqua ipſis irrogetur iniuria? 403.&404
Parentes habens in extrema neceſitate conſtitutos,an ad Religionem poſſit admitti? 101.& 102.
Paupertas Euangelica quid ſit,& ad quid obliget ex ſua intrinſeca ratione. 222.
Paupertas non eſt formaliter ipſa perfectio, ſed ad perfectionem via. 54.
Peccati grauitas, vnde dignoſcatur? 175.
Perfectio Chriſtianæ vitæ,in quo eſſentialiter, & ſubſtantialiter conſiſtat? 34.
Perfectio Chriſtianæ vitæ , an eſſentialiter & ſubſtantialiter,conſiſtat in præceptis alijs à charitate,& conſilijs poſitis in Euangelio? 35.
Perfectio Chriſtianæ vitæ,an totaliter in hac vita poſſit acquiri? 36.
Perfectus an aliquis eſſe poſſit, abſque eo quod habeat ſtatum perfectionis? 39. &40.
Peculium quid ſit,& vnde dicatur? 218.
Peculiorum quot ſint genera? ibidem.
Pœnitentiæ ſacramentum, quid ſit. 383.
Pœnitentiæ ſacramenti Miniſter,in nullo euentu, non Sacerdos eſſe poteſt. ibidem.
Pœnitentiæ ſacramenti,non quilibet Sacerdos abſolute legitimus eſt Miniſter, niſi habeat ordinariam,aut ſaltẽ ſubdelegatã iuriſdictionẽ.ibid
Pœnitentiæ ſacramenti Miniſtri, Religioſi vt eſſe poſſint,vltra poteſtatem Ordinis,&iuriſdictionis, ſuorum Prælatorum licentia indigent, ad audiendas ſecularium confeſſiones. ibidem.
Præceptum dilectionis Dei,quare nobis cum tanto rigore fuerit poſitum? 38.
Pueri & Puellæ,ſi ſunt doli capaces,bene poſſunt voto ad religionis ingreſſum ſe obligare, cum plenum habeant vſum rationis,etiamſi non peruenerint ad annos pubertatis. 125.
Pueri & puellæ impuberes,olim de iure antiquo, à parentibus interdum deuouebantur,ad ingreſſum Religionis. 126.
Prælatorũ Regulariũ iuriſdictio in ſuos ſubditos, an ſit dicẽda ordinaria:an vero ſubdelegata? 79.
Prælatorum Regularium iuriſdictio in ſuos ſubditos,an aliqua ratione ſuſtineri poſſit, quod ſit diuina,& competat eis de iure diuino, & non ſolum ex Papali humano? 80.& 81.
Prælatorum Regularium iuriſdictio, & poteſtas in ſuos ſubditos quantum ſe extendat? ibid.
Prælatorum Regularium iuriſdictionem , an potuerit ſummus Pontifex limitare, atque reſtringere? 82.
Prælatorum Regulariũ genera,ſeu ſpecies, quot ſint in Eccleſia. 82.
Prælatorum differentia, quanta reperiatur, ſpecialiter in noſtro ſacro Minorum Ordine. 85.
Prælati in Religionibus, quinam habeant auctoritatẽ,admittendi & recipiẽdi Nouitios? 84.&85
Quinam Prælati in noſtro ſacro Minorum Ordine, ex vi regulæ recipere poſsint Nouitios? 85.& 86
Prælati in Religionibus,an per ſe ſolos,&ſine cõſenſu, aut ſaltem conſilio Capituli, Nouitios poſſint recipere , & incorporare illos Religionibus? 87.
Prælati an poſſint expendere, bona ſuorum Monaſteriorum, in quos voluerint vſus? 222.& 223.
Prælatus ſine iuſta cauſa, negans aut concedens ſuo ſubdito licentiam, vt ad aliam Religionem ſe transferat,an peccet mortaliter? 246.& 247.
Prælatus Regularis,poteſtatem habens ad diſpenſandum,cum aliquo ſibi ſubdito, ad omnes ſacros Ordines,conceſſa licentia ad Minores quatuor & ad Subdiaconatum,an viſum fuerit diſpenſare in omnibus alijs? 327.
Prælati an diſpenſare poſſint, cum ſuis ſubditis infirmis,in recitando diuino officio? 309
Prælati Regulares,an poſſint aliquos Fratres ab Ordine eijcere, propter aliqua crimina atque delicta? 446.& 447.

Prælati Regulares, propter aliqua crimina atque delicta enormia & grauia, bene poſſunt ſubditos ſuos, interdum ad triremes damnare. 456.
Præcepta contenta in aliqua Regula, etiam reſpectu illius, qui ſimpliciter & abſolute profitetur ſeruare ipſam, non ſunt dicenda vota, nec ſimplicia nec ſolemnia, ſed præcepta. 174.
Præcepta contenta in aliqua Regula, vnde nam proueniat, quod interdum obligent ſub mortali; cum in alijs Religionibus non ita fiat, eadem prorſus exiſtente verborum forma? 175.
Prædicare an poſſint Religioſi; ſine ſuorum Prælatorum licentia? 428.
Prædicatores Regulares, coram Epiſcopis an debeant præſentari, ante quam prædicent, & ab ipſis poſſint examinari? 429.
Prædicatores an prædicare poſſint, inuitis & contradicentibus Epiſcopis? 430.
Prædicatores prædicare an poſſint, ex ſola Parrochorum licentia, aut in aliquo caſu, ipſis contradicentibus? 431.
Prædicatores quas conditiones & qualitates, debeant habere. 432.
Prædicatorum doctrina, qualis eſſe debeat? 443.
Prædicatores prædicantes errores, ſcandala, atq; diuinationes, ſeu Epiſcopos atque Prælatos & Iudices, temerariè reprehendentes, à quibus debeant puniri? 434.
Prædicatores Regulares ſemel præſentari & approbati, an iterum poſſint compelli vt præſententur? 435.
Prædicatores an habeant aliquod priuilegium, pro anticipando ſeu poſtponendo diuino officio? ibidem.
Prædicatores Regulares, an habeant aliquod priuilegium, pro non ſtricte ſeruanda forma ieiunij? 436.
Priuilegia Regularium, abſoluendi á caſibus Epiſcopis reſeruatis, an fuerint per Concilium Tridentinum reuocata? 410. & 411.
Priuilegium communicationis, priuilegiorum omnium Religionum, habetur. 131.
Priuilegium alicui Religioni conceſſum, ad ædificanda Monaſteria ſine licentia Ordinarij, an ex non vſu amittatur per decennium? 274. & 275.
Priuilegium Leonis X. circa defectus occurrentes in Officio diuino, qualiter veniat intelligendum? 306. cum ſeqq.
Profeſſio Religionis, quotuplex ſit? 162.
Profeſſio expreſſa, qualiter fieri debeat? ibidem.
Profeſſio expreſſa, an in abſentia & per procuratorem fieri poſſit? 163.
Profeſſio expreſſa ſiue tacita, vt debite fiat quam ætatem requirat. 163. & 164.
Profeſſio expreſſa an neceſſario fieri debeat, in manu Prælati & potentis Religioni incorporare? 164. & 165.
Profeſſio expreſſa vt debite fiat, an teneatur Prælatus ſuorũ ſubditorum requirere cõſiliũ? 166.
Profeſſio expreſſa, an ſit neceſſarium, vt fiat in Religione, per ſedem Apoſtolicã approbata, & ſecũdũ aliquã certã & determinatã regulã. ibidẽ.
Profeſſio expreſſa ad hoc vt debite fiat, an ſit neceſſarium, quod vouens profiteatur, tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota? 167.
Profeſſio tacita quid ſit, & quibus modis fiat? ibi.
Profeſſio tacita an induceretur olim, per hoc quod quiſpiam in probatione poſitus, ingereret ſe actibus, qui de iure aut conſuetudine, ſolum modo conueniunt profeſsis? 108.
Profeſsio tacita, an induceretur olim, ex delatione habitus profeſſorum per annum, ſine exercitio actuum, qui ſunt profeſſorũ proprij? ibid.
Profeſsio tacita, an induceretur olim, per delationem habitus Nouitiorum per annum, indiſtincti diſtinctione patẽti, ab habitu profeſſorũ, diſtinctiuero aliqua diſtinctione occulta. 169 et 170
Profeſſio tacita, an induceretur olim, per ſolum propoſitum mutandi vitam abſolute, cum ſuſceptione habitus Nouitiorum? 170. & 171.
Profeſsiones tacitæ, an habeant locum, nunc poſt Concil. Trident. 171.
Profeſsio expreſſa, an diſſoluat ſponſalia de futuro, & matrimonium ratum non conſummatum de præſenti? 208.
Profeſsio expreſſa, quotupliciter fieri ſoleat? 172.
Profeſsio ſolemnis, in Religione facta, liberat ab omni peccati pœna. 182. & 183.
Profeſsio expreſſa, facta cum mala intentione, aut cum expreſsione alicuius illiciti, ſeu ſub conditione, an valeat? 191.
Profitens ſeruare aliquã Regulã, an teneatur ſub peccato, ſeruare omnia, quæ continentur in ipſa? 173. & 174.
Profitendo aliquam Regulam, vnde non proueniat, quod aliqui ad plura quã alij teneantur, ea dẽ exiſtenti verborum forma? 175. & 176. & 177.
Profitens ſeruare aliquam Regulam, an profiteatur illam ſeruare, ſecundum conſuetudinem quæ in tali religione viget, an vero ſimpliciter & abſolute? 178. & 179.
Profiteri ſeruare aliquam Regulam, aut viuere iuxta ipſam, an eſſentialiter inter ſe differant, ij diuerſi profitendi modi? 175.
Profeſsio expreſſa facta in Religione approbata, an tollat omnem illegitimitatem ſiue irregularitatem? 186. & 187.
Profeſsio nouitiorũ, an ex cauſa poſsit dilatari? 188
Proprietas & dominiũ, an ſint omnino idem? 210.
Proprietas, dominium, adminiſtratio, vſusfructus, vſus, & poſſeſsio, in quo differant? 211.
Proprietas & dominium, bonorum quę poſsident omnes in vniuerſum Religioſi, apud quem remaneat? 215. & 216.
Prudentia an ſit neceſſaria ad vitã actiuã? 50.

R

Religionis nomẽ plura ſignificat, ſed præcipue moralem quamdam virtutem, potiſsimam inter partes iuſtitiæ. 1.
Religionis nomen, etiam importat perfectionis ſtatum, quo homo totaliter ſe diuino cultui mancipat. 2. & 4.
Religio dicitur à relegendo, reeligendo & religando. 2. & 3.
Religionis prædictæ etymologiæ, qualiter inter ſe cohæreant? 3.
Religionis tria ſubſtantialia vota, ſunt de eſſentia & ſubſtantia ſtatus perfectionis. 5.
Religionis prædicta tria eſſẽtialia vota, adeo ſunt de eſ-

INDEX.

de eſſentia & ſubſtantia perfectionis, & ſtatus Religioſi, vt in his ſummus Pontifex diſpenſare non poſsit. 5.

Religionum tria eſſentialia & ſubſtantialia vota, pertinere ad eſſentiam ſtatus Religioſi, ortum habuit, ex ſpeciali inſtitutione Chriſti Domini, atque ex natura ipſius rei. 7. cum ſeq. latiſsime.

Religiones omnes, neceſſario debent conuenire, in tribus eſſentialibus votis. 9.

Religionis tria eſſentialia & ſubſtantialia vota, neceſſum eſt vt promittantur, & profiteantur ab omnibus in vniuerſum Religioſis. 9. & 10.

Religionis tria eſſentialia & ſubſtãtialia vota, promitti à viris Religioſis, conſuetum eſt à tempore Sanctorum Apoſtolorum. 10. & 11.

Religio prout importat perfectionis ſtatũ, an debuerit in Eccleſia eſſe vna, vel multiplex? 11. et 12

Religio cuius particularis finis, eſt contemplatio, an fuerit expediens, quod eſſet in Eccleſia? 13.

Religio cuius particularis finis, eſſet actio & vitę actiuæ exercitia, an fuerit expediens, quod eſſet in Eccleſia? 14.

Religio cuius particularis finis, eſſet prædicare & confeſſiones audire, an fuerit expediẽs, quod eſſet in Eccleſia? 15.

Religio cuius particularis finis eſſet ſtudere, litteriſque operam dare, an fuerit expediẽs, quod eſſet in Eccleſia? 16.

Religio cuius particularis finis, eſſet canere in Choro, diuinaſque laudes perſoluere, an fuerit expediens, quod eſſet in Eccleſia? 17.

Religio ſeu Religioſorum ſtatus, vnde ortum & originem duxerit? 18.

Religionis ſtatus, proprie & in rigore loquendo, eo modo quo nunc in Eccleſia viget, an fuerit ante aduentum & tempora Chriſti Domini? 19.

Religionis ſtatum, quiſnam Monachorũ antiquorũ primus, ad meliorem formã reduxerit? 20.

Religio D. Baſilij, quo tẽpore originẽ duxerit? 23.

Religio D. Benedicti, quo tempore ortum & originem duxerit? 24. & 25.

Religio Carthuſienſium, à quo & quonam tempore, ortum & originem duxerit? 25.

Religio S. P. N. Franciſci, quo tempore cœperit in Eccleſia? 26.

Religio B. Dominici, quo tempore in Eccleſia originem duxerit? 27.

Religio quæ communiter nuncupatur, Eremitarũ ſancti Auguſtini, quo tempore & à quo, ortum & originem duxerit? 28.

Religio Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, ſeu Carmelitarum communiter nuncupata, quo tempore & à quo, ortum & originem duxerit? ibidem.

Religio SS. Trinitas communiter dicta, quo tempore & à quo, ortum & originem duxerit? 29.

Religio Fratrum, nuncupatorum Dominæ noſtræ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, quo tẽpore & à quo, ortum duxerit? ibidem.

Religio D. Hieronymi, cõmuniter nuncupata quo tẽpore & à quo, ortũ & originẽ duxerit? 30.

Religio Fratrũ Minimorũ, cõmuniter nuncupata, quo tẽpore & à quo, ortũ & originẽ duxerit? ibid.

Religio Societatis Ieſu, quo tempore & à quo, ortum & originem duxerit? 31.

Religio Canonicorum Regularium, quo tempore & à quo originem duxerit? ibidem.

Religiones, quæ infirmorum curã profitẽtur, quo tẽpore, & à quibus inſtitutæ fuerint in Eccl? 32.

Religiones Militares, ſiue militiã profitentes, vnde ortũ & originẽ habuerint in Eccleſia? 33.

Religiones Militiam profitentes, an vere & proprie huiuſmodi promereantur nomen? ibidem.

Religionũ omnium vltimatus finis, quiſnã ſit? 34.

Religiones omnes ſuos habent proprios & particulares fines, quibus ad inuicẽ diſtinguũtur. 40.

Religionum omnium, proprij & particulares fines in genere, ad tria capita reducuntur, nempe profitentium vitam contemplatiuam, actiuam, aut vero miſtam, ſiue ex vtraque compoſitã. 41.

Religionum omnium diuerſitas, ſiue differentia, vndenam profluit in Eccleſia? 42.

Religiones, quæ vnũ & eũdẽ habẽt propriũ & particularẽ finẽ, per quid inter ſe diſtinguũtur. 43.

Religio in ſocietate viuentium, an ſit perfectior, quam profitentium ſolitariam vitam? 54. & 55.

Religionum omnium perfectiſsimus viuendi modus eſt, illorũ qui profitentur vitam miſtã, ſiue compoſitam ex actiua atque contemplatiua? 55.

Religio in communi ſumpta, & prout eſt virtus moralis, omnes in vniuerſum Chriſtianos in ſe comprehendit, quadamque ratione, hi omnes dici poſſunt Religioſi. 56. & 57.

Religio quæ non haberet proprium aliquod, in particulari neque in communi, conuenientiſſimum fuit, vt inſtitueretur in Eccleſia, ad perfectiſsimam imitationem Chriſti? 69.

Religio S. P. N. Franciſci eſt, quæ in Eccleſia perfectiſsimam atque omnimodam, profitetur imitationem Chriſti. ibidem.

Religiones Mendicantes, quotnam ſint in Eccleſia hodie? 72.

Religionis ingreſſus, an magnam requirat deliberationem? 88. & 89.

Religionis ad ingreſſum, licitum ne ſit, quempiã inducere & perſuadere? 90.

Religionis ab ingreſſu diſſuadere, an ſit peccatum mortale, & quænã ſit pœna faciẽtis idipſum? 91.

Religionis habitum expoſtulantes, non omnes in vniuerſum ſunt recipiendi. 92.

Religionem ingredi non poteſt, qui ligatus eſt vinculo matrimonij rati & conſummati, niſi cum certis conditionibus & limitationibus. 93. & 94.

Religionem ingredi poteſt ligatus vinculo matrimonij rati, non conſummati. ibidem.

Religionem ingredi, cuilibet Prælato Epiſcopo inferiori licet, dimiſſa prælatura. 96.

Religionẽ intrare, nõ poſſunt impuberes, ſine cõſenſu & volũtate ſuorũ patentũ atq; tutorũ. 98

Religionem intrare non poteſt furioſus, ſiue mentecaptus. ibidem.

Religionem intrare non poteſt, ratiocinijs obligatus, niſi prius ſe expediat. 99.

Religionẽ intrare nõ poteſt, onuſt' & grauat' debitis, niſi cũ certis quibuſnã cõditionib' ibid. cũ ſe.

Religionem intrare non poteſt, filius exiſtẽtibus ſuis parentibus in neceſsitate. ita quod aliter eis, quã per eius obſequium, non poſſit ſubueniri, niſi in quodam certo caſu? 101. & 102

Religionum Fratres laici, an ſint vere & proprie Religioſi? 229.

Reli-

Religio arctior & perfectior quænã dicatur, vt ex alia ad ipſam licite, fieri poſſit tranſitus? 242. & 243
Religio deformata quænam dicatur, vt ex ea ad aliã licite fieri poſſit tranſitus? 244.
Religioſa exercitia, ſunt veluti ſcala & gradus, quibus peruẽniri poteſt ad perfectionem. 4.
Religioſi ex ratione ſui ſtatus, an teneantur neceſſario eſſe perfecti? 38. & 39.
Religioſi perfectiſſimum Deo de ſemetipſis holocauſtum offerunt? 2.
Religioſi omnes, nõ eo ipſo quod Religioſi ſunt, cẽſẽtur eſſe perfecti, etſi habeãt ſtatũ perfectionis. 4.
Religioſorũ vota præter eſſentialia tria, nõ ſunt de eſſentia & ſubſtantia ſtatus Religioſi, ſed pertinent ad maiorem eorũdem conſeruationẽ? 6. & 7.
Religioſi quinam dicantur, ſeu quibus vere & proprie, eiuſmodi conueniat nomen. 56. & 57.
Religioſi, potiori ratione dicuntur Clerici & Eccleſiaſtici, quam ſeculares. ibidẽ.
Religioſi proprie & ſtricte atque in rigore, non dicũtur niſi qui Regulare vitã profitentur, per profeſſionẽ tacitã aut expreſſã, triũ votorũ eſſẽtialiũ. ib.
Religioſi, an habere poſſint proprium aliquod in communi, & an diminuat id à ſtatu & ratione perfectionis? 66. & 67.
Religioſi, an teneãtur proprijs manib' laborare? 70. 71
Religioſi Clauſtrales ſiue Conuentuales, quinam dicantur? 73.
Religioſi Obſeruantes, quinam dicantur? 74.
Religioſi & Clerici, quonam iure exempti ſint, à ſecularium iudicum iuriſdictione? 75. & 76.
Religioſi, quonam iure exempti ſunt, ab Epiſcoporũ & Prælatorũ Ordinariorũ iuriſdictione? 77. 78.
Religioſus eſſe non poteſt Epiſcopus, ſine expreſſa licentia ſummi Pontificis? 95.
Religioſus eſſe nõ poteſt ille, qui eſt vi, aut metu cõpulſus, & in quã pœnã incidãt talia facientes. 96. & 97
Religioſi an eſſe poſſint ratiocinijs obligati? 98.
Religioſi, an eſſe poſſint, qui ſũt debitis onuſti? 99. 100
Religioſi an eſſe poſſint, qui habent parentes in extrema neceſſitate conſtitutos? 101. & 102.
Religioſi eſſe non poſſunt, qui non ſunt corpore ſani, & qui ſunt infecti lepra, aut laborant morbo caduco, ſeu aliqua alia infirmitate contagioſa. 106
Religioſi eſſe an poſſint, qui non ſunt legitime nati? 107. cum ſeq.
Religionem intrare, an poſſint infames, ſeu aliqua vulgari infamia notati? 112.
Religioſi eſſe an poſſint idiotæ, atque omnino illiterati? ibidem.
Religioſi eſſe an poſſint minores 16. annorũ? 113.
Religioſi eſſe an poſſint, in noſtro ſacro Minor. Ord. qui non ſunt bono genere nati, & deſcendentes ex conuerſis Iudæis, Mahometanis, vel Hæreticis, aut Gentilibus modernis. 114. cum ſeq. latiſſime.
Religioſi eſſe an poſſint homicidæ, & qui exiſtentes in ſeculo, delictũ aliquod cõmiſerunt? 121. & 122.
Religioſi profeſſi ex vi voti, an teneantur neceſſario obſeruare caſtitatem? 204. & 205.
Religioſus profeſſus, ſi de facto poſt ſolemnẽ profeſſionẽ cõtrahat, an valeat & teneat matrimoniũ? 206
Religioſi profeſſi, de facto cõtrahẽtis, quænã ſit pœna, & ad quẽ eiſmodi delicti cognitio pertineat? 207
Religioſi Societatis Ieſu, poſt primam emiſſam profeſſionem, an poſſint matrimonium contrahere, & de facto contractum, an ſit validum? 209.
Religioſi profeſſi, an vlla ratione habere poſſint, aliquid proprium in particulari? 210. & 211.
Religioſi profeſſio, facta cũ cõditione, vt liceat ſibi propriũ & bona immobilia poſſidere, an valeat? 212
Religioſi profeſſi, an habere poſſint vſumfructum alicuius rei, ſi ſibi relinquatur? 216.
Religioſi profeſſi, de licentia & cõſenſu Prælatorũ, habere an poſſint, aliquam hæreditatem advitam, ea lege & pacto, vt certos redditus annuos Monaſt. ſoluãt & cætera ſibi relinquantur? ibid. & 217
Religioſi profeſſi, habere an poſſint peculiũ? 218 219
Religioſis, an poſſit concedi peculium libere, ita vt expendant illud, in quos voluerint vſus? 220.
Religioſi quẽ vſũ habeãt, in rebus quibus vtuntur, & an vſus facti, à dominio poſſit ſeparari ſibi. cũ ſe.
Religioſi habentes peculiũ, de licentia ſuorum Prælatorum, an poſſint eleemoſynas facere, ſeu aliquid donare, vendere, vel diſtrahere. 223. & 224.
Religioſis, quænam Superiorum licentia, ſit neceſſaria & ſufficiens, ad hoc vt rem aliquam, in proprium, ſeu ſuum vſum deſtinatam, poſſint dare, donare, vendere, aut diſtrahere? 224. & 225.
Religioſi habentes proprium, de licentia iniuſta Prælati, an cõmittãt peccatũ proprietatis? ibidẽ.
Religioſi tenẽtes aliquid, ſine licẽtia expreſſa aut præſũptali Prælatorũ, an peccẽt ſemper mortaliter? 226
Religioſi quam quantitatem dando, donando, recipiendo, aut retinendo, ſine Prælorũ licentia, dici poterũt, quod cõmittãt peccatũ mort. 227. & 228.
Religioſorũ proprietariorũ pœna, quænam ſit? 228.
Religioſi vere & proprie, an ſint ſeu dici poſſint, Conuerſi, Oblati, & Donati? 230.
Religioſi profeſſi, intra quod tẽpus poſſint reclamare, & allegare ſe nulliter fuiſſe profeſſos? 233. et 234
Religioſus profeſſus, prætendens ſuam profeſsionẽ fuiſſe inualidam, ob defectũ ætatis, vel quia ante expletum probationis annum fuit facta, an poſſit intra quinquennium reclamare? 235.
Religioſus profeſſus, cuius profeſſio fuit inualida, propter aliquam cauſam, per delationem habitus profeſſorum, per annum & vltra, an cenſeatur tacite eſſe profeſſus, & an poſsit intra quinquennium reclamare? ibidem.
Religioſus profeſſus, deſcendens ex maculato genere intra quartam generationem, an poſsit intra quinquennium reclamare, & allegare ſe nulliter eſſe profeſſum? 236. & 237. & 238.
Religioſus parentes habens in extrema neceſsitate conſtitutos, quo nihilominus non obſtante, profeſsionem fecit, reclamare an poſsit, & allegare ſuæ profeſsionis nullitatem? 239.
Religioſi profeſsi reclamare volentes, de ſuæ profeſsionis nullitate, an neceſſario id facere debeãt retento habitu. ibidem. & 240.
Religioſus profeſſus in vna Religione, an poſsit ad aliam tranſire? 240.
Religioſo profeſſo in vna Religione, ad aliam ſtrictiorem vt tranſeat, an ſufficiat licentia, à Prælato petita, quamuis non obtenta? 241. & 242.
Religioſus, cuiuſnam Prælati, habere debeat licentiam, ad hoc vt ex vna Religione ad aliam poſsit tranſire? 245.
Religioſus habens licentiam à ſuo Prælato, trãſeũdi ad alium Ordinem ex iuſta cauſa, non facta mẽtione de laxiore, an tranſire poſsit ad illam, an vero neceſſario debeat intelligi, de Religione æquali ſiue ſtrictiori? 260.
Religioſus, cuius ordo reformatur ad ſtrictiorem viuen-

viuendi modum, an teneatur ibidem permanere, an vero poſſit iuſtè diſpenſari, vt tranſeat ad aliũ Ordinem, etiam laxiorem? ibidem.
Religioſus, qui emiſit votum de non tranſeundo ad aliam Religionem etiam arctiorem, an teneatur illud adimplere? 261.
Religioſus habens licentiam tranſeundi ad aliquẽ Ordinẽ Mendicantẽ; ſi non inuenerit qui illũ velit recipere, quã teneatur diligẽtiã adhibere? ibid.
Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, de licentia ſui Prælati, iuſta de cauſa data, ſi pæniteat ſeu alibi non recipiatur, an iterum debeat in priori Religione admitti? 262.
Religioſus tranſiens ad aliam Religionem indebite, & non ſeruatis debitis circunſtantijs, an ſit dijudicandus apoſtata, atque vt talis puniendus? ibid.
Religioſus licentiam habens, tranſeundi ad aliam Religionẽ, ſi nullam inueniat, quæ ipſum velit recipere, an nouã poſsit Religionẽ adinuenire? 263.
Religioſus tranſlatus ex vna Religione ad aliam, an eſſe debeat Nouitꝰ, ibidẽq. de nouo profiteri? ibid.
Religioſus trãſlatus ex vno ad aliũ Ordinẽ vt ſit Prçlatꝰ, an teneatur ibidẽ de nouo profiteri? 264. & 265
Religioſus tranſlatus ex vna Religione ad aliam, vbinam debeat ſedere in Capitulo? 265.
Religioſus tranſlatus ex vna ad aliam Prouinciam, quo in loco debeat ſedere, ante incorporationem & poſt ipſam. ibidem.
Religioſi, tranſeuntis ex vno ad alium Ordinẽ, cuinam cedant bona, & an poſsit quæ in prima Religione habebat, ſecum deferre? 266.
Religioſi, an ſint obligati ex iure naturali & diuino, ad ſeruandam clauſuram, an vero ſolummodo ex Papali humano? 266. & 267.
Religioſus qualiter peccet, exeũdo limites, ſiue clauſurã ſui Monaſterij, ſine Prælati licentia. 268. & 269
Religioſus manere an poſſit, vt viuat extra Monaſterium, de ſui Prælati licẽtia, iuſta de cauſa data. 270.
Religioſus vnius Religionis, recipi an poſſit á Prælato alterius Religionis, eo animo vt ſtatim poſt receptionem extra clauſtrũ perpetuo remaneat, & viuat ex medicitate, ſeu expropria induſtria. ibid.
Religioſus manere an poſſit extra Monaſterium, vt inſeruiat alicui beneficio Regulari ſiue ſeculari? 271
Religioſus manere an poſſit extra ſuũ Monaſteriũ, de Prælati licentia, & habitu retento, ob neceſſitatem ſuorum parentum. 272.
Religioſus ob prædictam neceſſitatem ſuorum parentum, de licentia ſui Prælati, manere an poſſit vllo modo extra Monaſteriũ dimiſſo habitu? ibid.
Religioſi ædificare an poſſint Monaſteria de nouo, ſine licentia Papæ & Ordinarij? 273.
Religioſi an poſsint mutare Monaſterium, iam ædificatum ſine licentia Papæ & Diœceſani. 274.
Religioſi habentes priuilegium, ad ędificandum Monaſteria, ſine licentia Ordinarij, an ex non vſu per decennium amittant ipſum? ibidem.
Religioſi an ædificare poſſint Monaſteria, noſtris Fratrum Minorum domibus conuicina? 275.
Religioſi Mendicãtes, qui ſine licẽtia Papæ noua loca ad habitãdũ recipiũt, aut ſemel ędificata mutãt ſeu alienãt, in quo caſu ſint excõmunicati? 276.
Religioſorum Conuentum aliquem ædificare, quã magni ſit meriti? ibidem.
Religioſus Prçfectus alicui Eccleſiç ſeculari, an poſſit & debeat illius officium diuinum recitare? 310.
Religioſi an neceſſario debeant ordinari à proprio Epiſcopo in cuius Diœceſi cõmorãtur. 312. & 313.
Religioſi adminiſtrare an poſſint ſecularibus Sacramẽtũ Euchariſtiç, abſq; licẽtia ſuorũ Parochorũ. 363
Religioſi adminiſtrare an poſſint ſecularibus Sacramentũ Euchariſtiç, in die ſancto Reſurrect. 366. 367
Religioſi an communicare poſſint infirmos in mortis articulo, exiſtente aliqua, vrgente neceſsitate ſine Parochi ſpeciali licentia? 368.
Religioſi an poſſint permittere, quod Sacerdotes ſeculares, in ſuis Conuentibus celebrantes, Sacramentũ Euchariſtiæ ſecularibus miniſtrent. 369.
Religioſi adminiſtrantes Sacramenta prohibita, ſine Parochorum licentia, an ab Epiſcopis poſſint puniri? ibidem & 370.
Religioſi, in partibus Indiarũ exiſtẽtes, an incidãt in excõmunicationẽ Clement. poſitã, contra adminiſtrãtes Sacramenta, ſine Parochorũ licẽtia? 371. 372
Religioſi adminiſtrare vt poſſint ſacramenta in Clement. prohibita, an ſufficiat ſibi habere licentiam Parochi, etiam excommunicati. ibidem.
Religioſus Diaconus, aut etiam ſecularis, an poſſit Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare? 373.
Religioſi an poſſint baptizare? 373. & 374.
Religioſi in partibus Indiarũ exiſtẽtes baptizare an poſsint, ſine Parochorum licentia? 375. & 376.
Religioſi in partibus Indiarũ exiſtẽtes, baptizare an poſſint extra Eccleſias, aut ſine ſolẽnitate? 377.
Religioſi in ſupradictis partibus Indiarum exiſtentes, in Baptiſmo an vti poſſint Oleo ſancto & Chriſmate antiquis? ibidem.
Religioſi in Indiarum partibus exiſtentes, an eſſe poſſint Parrochi, ſiue Curati? 378. & 379.
Religioſi in Indiarum partibus exiſtentes, an aliquã irrogent iniuriam Epiſcopis ſiue Curatis in eo quod Parochorum, ſiue Curatorum, ibidem munus & officium exerceant? 380. & 381.
Religioſi ex cõmiſſione & diſpẽſatione ſummi Põtificis, eſſe an poſſint Miniſtri ſacramẽti Cõfirm. 382
Religioſi an poſſint ſeculariũ cõfeſſiones audire? 383
Religioſis an fuerit conueniens, quod aliqua à ſummis Pontificibus fuerint conceſſa priuilegia, quibus ſecularium poſſent confeſsiones audire? 384.
Religioſis qui confitentur ex preuilegio, an teneantur ſuis Presbyteris Parrochialibus iterum poſtea confiteri? 385.
Religioſis de facto, an fuerint aliqua cõceſſa priuilegia, quibus ſecularium poſſint confeſsiones audire? 386. & 387.
Religioſi qualiter debeant præſentari coram Epiſcopis, quò ſecularium poſsint confeſsiones audire? 387. 388. & 389.
Religioſorum Confeſſorum præſentatio & approbatio, an ſit perpetua? 393. & 394.
Religioſorum Confeſſorum præſentatio & approbatio, facta in vno Epiſcopatu, an generaliter ſufficiat pro omnibus? 395. & 396.
Religioſi in ſacra Theologia graduati, aut Lectores, an debeant & poſsint ab Epiſcopis examinari, ad hoc vt audiant ſeculariũ cõfeſsiones? ibid. et 397.
Religioſi approbati ab Epiſcopis Ordinarijs, vt ſeculariũ audiant cõfeſsiones, an poſsint limitari & reſtringi, ad certũ locũ, tẽp' aut perſonas? 397. 398
Religioſi an ſine ſuorum Prælatorũ licentia, cũ ſola licentia Epiſcoporum Ordinariorum, ſecularium poſſint confeſsiones audire? 398. & 399.
Religioſi audientes ſecularium confeſsiones, ſine licentia ſuorum Prælatorum, cum ſola approbatione Epiſ-

ne Epiſcoporum Ordinariorum, an præter quam mortaliterpeccent, faciant illorum confeſsiones eſſe irritas & nullas? ibidem. & 400.
Religioſus à ſuo Prælato ſemel examinatus & approbatus, Epiſcopo etiã expoſitus atq; præſentatus, ſi poſtea audire ſecularium confeſſiones prohibeatur, poſſit id facere, & an tales confeſsiones ſint validæ? 401. & 402.
Religioſi Confeſſarij, à ſuis Superioribus expoſiti, & Epiſcopis præſentati, ab eiſdemque approbati, virtute ſuorum priuilegiorum, an omnium ſeculariũ cõfeſsiones, poſſint audire, non obſtãte quacũq; Curatorũ contradictione? 402. & 403.
Religioſi Confeſſores, præſentati ſecundum formã Clementinæ Dudum, an poſſent olim abſoluere, ac omnibus caſibus Epiſcopis reſeruatis, de iure & ſpecialiter, poſſentque illud hodie, ſi non fuiſſet ſibi de nouo prohibitum, per Conſtitutionem S.D.N.Clem. viij. 405. cum ſeq.
Religioſis Confeſſarijs, quænam fuerint olim priuilegia conceſſa, ad abſoluendum à caſibus Epiſcopis, iure & ſpecialiter reſeruatis? 409. & 410.
Religioſis Confeſſoribus, quænam fuerint olim conceſſa priuilegia, abſoluendi à caſibus etiam Papæ & ſummo Pontifici reſeruatis? 411.
Religioſi Confeſſores, virtute priuilegiorum olim, & nunc per Bullam Cruciatæ in partibus in quibus viget, abſoluere an poſſint in foro conſcientiæ nominatim excommunicatos, ſeu aliquem manifeſtum percuſſorem Clerici? 412. & 413.
Religioſi ſimplices Sacerdotes dũtaxat, abſoluentes ab excommunicatione minori, an incidant in excommunicationẽ maiorem, poſitam in Clementina 1. de priuilegijs, contra abſoluentes ſine legitima auctoritate ab excommunicatione. 414. & 415.
Religioſi Confeſſores, in partibus vbi promulgatur Bulla Cruciatæ, ſeu olim virtute ſuorum priuilegiorum, antequam reuocarentur, quoad abſolutionem à caſibus Papæ & Epiſcopis reſeruatis, ſeculares non habentes ipſam, an ab eiſdem poſſent abſoluere? ibidem. & 416.
Religioſi Confeſſores, audientes ſecularium confeſſiones, ſi habeant priuilegium, an teneantur pœnitentes à caſibus reſeruatis, ſibi confeſsis neceſſario abſoluere? ibidem. & 417.
Religioſi Cõfeſſores, per ſuos Prælatos expoſiti, atq; ab Epiſcopis approbati, cũ inceſtuoſis ſecularibus ad petitionẽ debiti, diſpẽſare an poſſint? ibi. & 418
Religioſi Confeſſores, ſimiliter expoſiti & approbati, diſpenſare an poſsint, cum coniugatis aſtrictis voto caſtitatis, quantũ ad petitionem debiti? 419.
Religioſi Confeſſores, virtute ſuorum priuilegiorũ, an poſsint in votis ſeculariũ diſpenſare? 420.
Religioſi Confeſſores, commutare an poſsint ſeculariũ vota? 421.
Religioſi Confeſſores, diſpenſare an poſſint in iuramentis, ſeu iuramenta ipſa commutare? 422.
Religioſi Confeſſores, an diſpenſare poſsint in votis pœnalibus, ſeu ea commutare? 423.
Religioſi an eſſe poſsint, Miniſtri Sacramenti Matrimonij? 424.
Religioſi ſine proprij Parrochialis Presbyteri licentia, Matrimonia miniſtrantes, aut ſolemnizantes, an ipſo ſint facto excommunicati? 425.
Religioſi ſine licentia proprij Parrochi, an poſſint ſacramẽtũ Extremæ vnctionis miniſtrare? ib. & 426
Religioſi ſine ſuorum Superiorum, & Prælatorum licentia, an poſsint prædicare? 428. & 429.
Religioſi Prædicatores, an debeant coram Epiſcopis præſentari, ab ipſiſque poſsint examinari? ibidẽ.
Religioſi Prædicatores, prædicare an poſſint, inuitis & contradicentibus Epiſcopis? 430.
Religioſi Prædicatores, prædicare an poſsint, ex ſola Parrochorum licentia? 431.
Religioſi Prædicatores, quas conditiones & qualitates debeant habere? 432.
Religioſorum Prædicatorum doctrina, qualis eſſe debeat, & à quibus debeant abſtinere. 433.
Religioſi Prædicatores prædicantes errores, ſcandala atque diuinationes, Epiſcopos ſeu alios Prælatos & Iudices, temerariè reprehendentes, qualiter debent puniri? 434.
Religioſi Prædicatores, ſemel Epiſcopis præſentati & approbati, an poſsint iterum compelli vt præſententur? 435.
Religioſi prædicatores, audiẽtibus ipſorũ cõciones, an aliquas poſsint indulgẽtias cõcedere? ibidem.
Religioſi Prædicatores, an habeant aliquod priuilegium, pro anticipando ſeu poſtponendo diuino officio. ibidem.
Religioſi Prædicatores an habeãt aliquod priuilegiũ cõceſſum, pro nõ ſtricte ſeruãda forma ieiunij? 436
Reſtitutio ſolemniter degradatorum, & eiectorum ab Ordine, eſt de iure communi, ſummo Pontifici reſeruata. 458.

S

SAcerdotes ſeculares, in noſtris conuentibus celebrantes, ſacramentum Euchariſtiæ ſecularibus, an miniſtrare poſſint? 369.
Seruus & qui non eſt ſui iuris, nec conditione liber, Religionem ingredi non poteſt. 95.
Sodomiæ nefandum crimen, an ſit legitima cauſa, ob quam Religioſus, habitu poſſit priuari & expelli ab Ordine? 451.
Solitudo non omnibus in vniuerſũ cõuenit. 54.
Solitudo non eſt formaliter ipſa perfectior ſed ad perfectionem via. ibidem
Subditi an teneantur obedire ſuis Superioribus & Prælatis, in omnibus & per omnia? 193. & 194.
Subditi an teneantur, obedire ſuis Superioribus & Prælatis, in actibus interioribus, & in his quæ ſpectãt ad interiorẽ motũ ſuæ volũtatis? 194. 195.
Subditus ad hoc vt teneatur ſuo Superiori ſiue Prælato obedire, an ſat ſit quod ipſius voluntas & intentio, fiat illi vtcumque manifeſta? 195.
Subditus an teneatur prælato obedire, quando dubitat, id quod præcipitur, ſit contra Deum, nec-ne. 196. & 197.
Subditus an teneatur Prælato obedire, quando eſt certus, licitũ eſſe quod præcipitur; dubitat tamen an Prælatus poſſit illud ſibi præcipere? 197.
Subditi an teneãtur Prælatis obedire, generaliter in omnibus, quæ ſunt ſecundum ſuã Regulam? 198.
Subditi an teneantur obedire ſuis Prælatis & Superioribus, præcipientibus aliquid contra ſuas ipſorum Regulas? ibid.
Subditi an teneantur obedire ſuis Superioribus atque Prælatis, in omnibus quæ ſunt infra Regulã, aut præter Regulam? 199.
Subditi an teneantur ſuis Superioribus atque Prælatis obedire, in his quæ ſimpliciter ſunt, ſupra ipſorum Regulas? 200. & 201.
Subditi an teneantur obedire, potius ſuis Prælatis & Patribus

Patribus ſpiritualibus, quam parentibus carnalibus? 201.& 202.
Statutum fieri an poſſit quod ſit iuſtũ, prohibẽs Chriſtianos nouos, ab ingreſſu Religionis? 115.cũ ſeq.

T

TEſtamento mandans, aliquod Monaſterium alicuius Ordinis, ſuis expenſis vt ædificetur certo quodam loco, ſi ibi non poſſit fieri, an ſit alio in loco conſtruendum? 277.
Teſtamẽto mandãs, vt de ſuis bonis aliquod ædificetur Monaſterium, in hac diſpoſitione Moniales an ſint Religioſis viris prę ferẽdę & anteponẽdę? ibi.
Tertiariorũ Fratrũ ſiue Monialiũ, quiſnã Sãctorũ primus Ordinem inſtituit, ſiue adinuenit? 282. & 283.
Tertiarij viri & mulieres, an reperiantur in alijs Ordinibus, à noſtro Fratrum Minorũ Ordine? ibidem.
Tertiarij Fratres & Sorores, an ſint vere & proprie Religioſi, & Religioſorum ſibi cõpetat nomẽ? 284.
Tertiarij Fratres & Sorores noſtri Tertij Ordinis, an perfruantur noſtris gratijs, & priuilegijs? 285.286.
Tertiarij Fratres & Sorores, tam Religioſi quam ſeculares, quo habitu indui debeant? 287.
Tertiarij Fratres & Sorores noſtri ſacri Ordinis, quibuſnam Prælatis ſubijciantur ac ſubijci debeant? ibidem. & 288.
Tertiarios ſeculares viros & mulieres, an expediat ad eiuſmodi inſtitutum recipere? 289.
Trãſit' ex vna Religione ad aliã, an ſit licit'? 240.241.
Tranſitus ad ſtrictiorẽ Religionẽ, an ſit licitus petita prius à Prælato licentia, quãuis non obtẽta? ibid.
Tranſitus ex vna Religione ad aliam, de cuiuſnam Prælati licentia fieri debeat? 245.
Tranſitus ex vno in aliũ Ordinẽ Mendicãtiũ an ſit licitus, & quæ in hoc conſiderari debeãt? 248. & 249
Tranſitus ex Ordine Mendicantium ad Ordinem Monachorum, an ſit licitus, & cuiuſnam licentia ad id requiratur? 250. & 251.
Tranſitus ex ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachorum, an ſit licitus? 252.
Tranſitus ex quolibet Ordine ad Carthuſiam, an ſit licitus? 253. & 254.
Tranſitus ſpecialiter ex Fratrum Minorum Ordine ad Carthuſiam, an ſit licitus? 255.256. & 257.
Tranſitus ex Ordine S. Benedicti Caſſinenſis an ad Carthuſiam, fieri poſſit non petita licentia ſimul & obtenta? 258.
Tranſitus ad laxiorem Religionem, in aliquo caſu & cum iuſta cauſa an ſit licitus, & cuiuſnam Prælati licentia ad id requiratur? 259.
Tranſire an poſsit ad laxiorem Religiorum, qui facultatem habet tranſeundi ad quãcumque? 260.

V

VItæ contemplatiuæ exercitia quænam ſint? 43.
Vitæ actiuæ exercitia quænam ſit? ibidẽ.
Vita actiua neceſſario requirit, & includit in ſe actus virtutum moralium. 49.
Vita actiua, quammaxime requirit & includit in ſe, actus virtutis prudentiæ. 50.
Vita actiua neceſſario requirit, vt adiuuetur à vita contemplatiua. ibidem.
Vita actiua non eſſe poteſt diuturna, ad hũc ſenſum quod permanere poſsit aut durare poſt hãc vitã. 51
Vita contemplatiua, an ſit melior quam actiua; an è conuerſo? 52.
Vita actiua an ſit maioris meriti, quam contemplatiua an è conuerſo? 53.
Votum Religionis eſt duplex, quoddam ſolemne: aliud vero ſimplex. 123.
Voto ad Religionem ſe obligare quempiam, etiam cum iuramento, cum debitis circunſtantijs, licitum eſt, ſanctum atque meritorium. ibidem
Votum Religionis efficere, licet ſanctum & bonũ ſit nõ tamẽ expedit omnes in idipſum inducere. ibid
Votum Religionis qui emiſit, neceſſario tenetur illud adimplere. 124.
Voti cuiuſlibet obligatio, ex vouentis voluntate dependet, & ad id tantummodo ſe extendit, ad quod quiſpiam intendit ſe obligare. ibidem.
Votum Religionis qui emiſit, ſi poteſt tenetur illã intrare, ibique perpetuo permanere. ibid.
Votum emiſſum à pueris ante annos pubertatis, poteſt à parentibus, ſeu tutoribus irritari & reuocari. 125.
Voti vinculum & obligatio, an ſit maior quam iuramenti? 180.
Vota omnia realia, perſonalia & miſta, includuntur & cõmutãtur, in ſolẽne Religionis votũ. 181.182.
Votum obedientiæ, an ſit potiſſimum, inter alia eſſẽtialia, & ſubſtantialia Religionis vota? 192. & 193.
Vouens ingredi Religionem, ſimpliciter & abſolute ſiue in genere, ſi in vna non recipiatur, tenetur alteram intrare. 126. & 127.
Vouens certam aliquam Religionem, ſi in illa non recipiatur, non tenetur alteram intrare. ibidem.
Vouenti determinate intrare vnã Religionẽ, licitũ eſt perſuadere, vt ingrediatur aliã perfectionẽ. ibi.
Vouens Religionem intrare, ſi eligatur in Epiſcopũ, tenetur votum adimplere, antequam aſſumat Epiſcopatum? 128.
Vouens non intrare Religionem, non tenetur huiuſmodi votum adimplere. 129.

FINIS.

Regeſtum.

¶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

Omnes ſunt quaterniones, præter ¶, quod eſt duernio, & Gg. quod eſt quinquernio.

Cui primo Tomo adiungatur, tractatus de ſacris Monialibus.

TRACTATVS DE SACRIS MONIALIBVS.

QVAESTIO PRIMA.

De Monialibus, quantum ad clauſuram ipſarum in communi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm clauſura Monialium, ſit de Iure naturali & diuino, an vero tantum de iure humano poſitiuo?

HANC Quæſtionem tractat Nauarro, Commentario quarto de Regularibus, ſuper *capit. ſtatuimus 19. quæſtion. 3. a numero 29.* cum ſequentibus, de cuius & aliorum reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Certiſſimum atq; conſtitutiſſimum eſt, quod clauſura Monialiũ, non eſt de iure naturali, & diuino, ſed tãtũ de humano poſitiuo.

CErtiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod clauſura Monialium, non eſt de iure naturali, & diuino, ſed tantum de humano poſitiuo. Hæc Concluſio, probatur multis & efficaciſſimis rationibus. Et quidem quantum ad primam ipſius partem, quod Monialium clauſura, non ſit de iure naturali & diuino, ex eo conſtat, quia vt tenet Doctorum communis doctrina, ſatiſque colligitur, *ex cap. ius naturale diſt. 1.* illud dumtaxat eſſe dicitur, de iure naturali & diuino, quod procedit ex principijs naturæ per ſe notis, aut continetur in ſacro librorum codice: ſed ex nullo principio naturæ per ſe noto, neque ex per ſe notis illato, colligitur, quod Moniales teneãtur ad ſeruandam clauſuram, neque id habetur in aliquo Scripturæ ſacræ libro: ergo prædictarum monialium clauſura, non eſt de iure naturali & diuino. Quod & confirmatur, nam SS. Apoſtolorum tempore, qui vt dicit S. Thom. 2.2.q.88.art. 4. vere & proprie fuerunt Religioſi illius temporis, non legimus ſeruatam fuiſſe à Monialibus clauſurã, ſeruaſſent autẽ illam, profecto & abſque dubio, ſi vt præmittitur ea fuiſſet de iure naturali & diuino. Quod eo tempore, á Monialibus ſeruata non fuerit clauſura, cõſtat expreſſe ex Eccleſiaſticis hiſtorijs. Iphigenia enim, quam D. Matthæus religioſam effecit, vt habetur in propria ipſius hiſtoria, traditque Polidorus, libro de inuentoribus rerum, non legitur ſeruaſſe clauſuram, quinuero vt auctor eſt Caietanus 2.2.q.38.art.11. neque multæ aliæ ſanctimoniales illius Apoſtolici temporis, prædictam clauſuram ſeruabant: ſignum igitur eſt euidẽtiſſimum, quod ea non ſit de iure naturali & diuino. Videatur hac de re Nauarr. vbi ſupra num. 41. vbi etiam dicit, quod tempore D. Auguſtini, Moniales clauſuram non ſeruabant. Quod inſuper confirmatur, ex his quæ ad hoc propoſitum tradit Auctor tractatus, cui titulus. *Clypeus ſacrarum Monialium.* Dubio 1. in principio, quo loco dicit, antiquitus nullum fuiſſe ius, præcipiens Moniales viuere ſub perpetua clauſura, quinuero quamuis ipſis quemadmodum & Monachis, ſiue Religioſis illius temporis, prohibitũ fuiſſet è Monaſterio exire, ſine ſuorum Superiorum licentia, cum ipſa tamen vtriſque idipſum erat permiſſum. Et quod amplius eſt, neque parua quidem, ſed quammaxima admiratione dignũ, & videtur quod acciderit quaſi miraculum à Deo, nedum Moniales illius temporis, de licentia ſuorum ſuperiorum, non prohibebantur è monaſterijs exire, & Monachos ſiue religioſos, inearũ clauſuram & Monaſteria intrare; quin potius in vno & eodem Monaſterio, habitabant ſimul communiter, Monachi & Monachæ, id quod & fieri dicebatur olim, ſecundum inſtitutionem D. Baſilij, quæ quidem Monaſteria dicebantur Dupla. Et ne putet quiſpiam pro libito me hæc dixiſſe, horum Monaſteriorum frequentiſſima mentio habetur in Canonico iure. Facitque in primis ad hoc, *c. diſſinimus 18.q.2. & c. in nullo, eadem cauſa & quæſtione. c. Monaſteria, & c. in decima actione ibidem*, cum multis alijs, à me breuitatis cauſa omiſſis. Ex quibus colligitur, quod cum prius ſanctitas illorũ tempo-

Apoſtolorum tempore non fuit á monialibus ſeruata clauſura.

Olim nullum fuit ius præcipiens Moniales viuere ſub perpetua clauſura.

Nota quod olim, erãt Monaſteria ſimul Monachorũ & Monialium quæ dicebãtur dupla.

rum,abſque ſcandalo, & peccato,& abſque vllo prorſus periculo,eiuſmodi rebus locum dediſſet, vt intra vnum & idem Monaſterium, Monachi & Monachæ habitare poſſent ſimul communiter, poſtea tamen hominum creſcente malitia,aliquibus occurrentibus,ſuccedentibuſque inconuenientibus,in decretis prædictis, contrarium omnino ab Eccleſia fuit ſtatutũ.Sicque *in d.ca.diffinimus*, quod eſt ſeptimæ generalis Synodi,cap.20.ſequentia habentur verba. *Diffinimus,minime duplex Monaſterium fieri,quia ſcandalum id & offendiculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis mundo abrenuntiare & monaſticam vitam ſectari voluerint,debent quidem viri, virorum adire cœnobium,fœminæ vero mulierum ingredi Monaſterium,in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus fuerunt dupla,ſecundum Regulam Sancti patris noſtri Baſilij,& ſecundum præceptionem eius,ita formentur vt non habitent in vno Monaſterio,Monachi & Monachæ. Adulterium enim intercepit cohabitationem, ſi habeat aditum Monachus ad Monacham,& Monacha ad Monachum,ſecreto & ſingulariter ad colloquationẽ*,& infra: *Nõ cubet Monachus in mulierum Monaſterio,nec ſingulariter cum Monacha conuiuat.* Ex quo textu,ſuperque ſatis colligitur,Monachis vtriuſque ſexus olim,habitare cõmuniter prius fuiſſe permiſſum, poſtea vero prohibitum,per dictum,*cap.diffinimus*.Id quod & colligitur etiam,*ex d.cap.nullo*,vbi ſtrictè præcipitur, *quod Epiſcopus non permittat,Monachos & Monachas habitare in ſimul*.Et in ſequenti,*ca.Monaſteria*, quod eſt Concilij Agathenſis,cap.28.ſtatuitur, *quod puellarum ſiue Monachorum Monaſteria, longius à Monaſterijs Monachorum collocentur,aut propter inſidias diaboli,aut propter oblocationes hominum*.Idem habetur,*in cap.in decima*,quod eſt Concilij Hiſpalenſis 2.cap.11.vbi præſcribitur ordo& modus,in hiſce rebus ſeruandus. Ex quibus omnibus apertiſſime conſtat, id quod in ſupradicta concluſione eſt dictum, nempe Monialium clauſuram, haudquaquam eſſe de iure naturali & diuino.Etenim ſi id ita eſſet, nunquam & maximè Sanctorum Apoſtolorum tempore,contrarium vllo modo fuiſſet permiſſum, neque quod Monachæ foras egrederentur, aut Monachi viciſſim in earum Monaſteria introirent.Vnde hac in re tenendum eſt,vt certiſſimum atque conſtitutiſſimũ,quod ipſa eſt de iure humano poſitiuo,quæ fuit ſecunda noſtræ concluſionis pars. Et etiam certum eſt,quod ante tempora Bonifacij VIII.Pontif.Max.qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1294.ſecundum communia iura,nullæ Moniales ſiue Religioſæ,etiam Canonicæ Regulares, ad arctiorem tenebantur clauſuram,quam in propijs cuiuſque regulis contentam. Nam quamuis Innocentius II.qui Eccleſiæ præfuit,circa annum 1138.in quodam Conc.Romæ habito,cap.26.& 27 quod refertur,*in cap.perniciosam* 28.*q.*2.ſtrictè præceperit,*vt Sanctimoniales ſimul cum Canonicis vel Monachis in Eccleſia, in vno choro ad pſallẽdũ nõ cõuenirẽt*, nulla tamen ibidem fit clauſuræ mentio, ſeu pœna aliqua ibidem apponitur,contrarium facientibus.Nec vero *in cap.Monaſteria,de vita & honeſtate Clericorum*(quod eſt Concilij Lateranenſis) habiti anno Domini 1180.nam ibi ſolummodo fit mentio, de Monaſteriorum Monialium frequentatione,& dicitur. *quod ſi quiſquam Clericus,ſine manifeſta & rationabili cauſa,Monialium Monaſteria frequentare præſumpſerit,per Epiſcopum arceatur,& ſi non deſiterit ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis. Et additur,quod ſi laici idipſum fecerint,excommunicationi ſubdantur, & à fidelium cœtu fiant penitus alieni*.Sic enim habetur in Summario ſupradicti capituli: *Frequentans Monaſteria Monialium,& monitus non deſiſtens,ſi clericus eſt deponitur,ſi laicus excommunicatur*,ſed tamen nõ propter hoc,impoſita fuit clauſura prædictis Monialibus, neque excommunicationis latæ ſententiæ pœnã,intrantibus earumdem Monaſteria,ſed ſolummodo facta eſt eiuſdem comminatio. Poſt quæ poſtmodum tempora,ſuccedens præfatus Bonifacius VIII.certaque habita relatione, & informatus de relaxatione & diſſolutione,quæ in hiſce rebus inueniebatur cõmuniter, in Monaſterijs Monialium;videns decreta prædicti Concilij Lateranenſis à multis contemni,& omnino non obſeruari,quinuero videbantur iam quaſi obliuioni tradita;conſiderans etiam præeminentiam & excellentiam Monialium Sanctæ Claræ,quæ iam eo tempore,ex ſpeciali voto ſuæ Regulæ,clauſuram ſeruabant(confirmata enim fuit ipſarum Regula, tempore Innocentij IIII.qui præfuit Eccleſiæ,anno Domini 1243.inſtituta vero à Beato P. N. Franciſco,anno 1212.)volens omnes alias Moniales, ad ſimilem clauſuræ obſeruantiam adſtringere, Decretalem quandam ad hoc promulgauit, quæ incipit,*periculoſo*,poſita in 6.lib.Decret.inter alias ipſius Decretales,ſubtitu.de ſtatu Regula.vbi omnibus in vniuerſum Monialibus,ſtrictè clauſuram indixit.Per hæc quæ dicta ſunt, ſatis manet probata ſecunda noſtræ Concluſionis pars,qua diximus Monialium clauſuram,eſſe de iure humano poſitiuo.Sed quia decretalis prædicta,potiſſimum fundamentum eſt totius huius materiæ,in qua agendum eſt de clauſura Monialium,libet eam in præſentiarum ad vnguemque referre, vt ad quid ex vi ipſius, Moniales cunctæ teneantur, omnibus fiat perſpicuum.Incipit ergo Bonifacius VIII.ſupradictus. *Periculoſo & deteſtabili quarumdam Monialium ſtatui,quæ honeſtatis laxatis habenis, & monachali modeſtia,ſexuſque verecundia impudenter abiectis, extra ſua Monaſteria,nonnumquam per habitacula ſecularium perſonarum diſcurrunt,& frequenter intra eadem Monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt,in illius cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea denouerunt grauem offenſam,in religionis opprobrium & ſcandalum plurimorum, prouidere ſalubriter cupientes,præſenti Conſtitutione perpetuo irrefragabiliter valitura ſancimus,Vniuerſas & ſingulas Moniales,præſentes atque futuras,cuiuſcumque Religionis ſint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes,ſub perpetua in ſuis Monaſterijs debere deinceps permanere clauſura:ita quod nulli earum, religionem tacitè vel expreſſe profeſſæ,ſit vel eſſe valeat quacumque ratione vel cauſa, niſi forte tanto & tali morbo, euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum alijs abſque graui periculo,ſeu ſcandalo commorari, Monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas. Nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ,nec etiam honeſtæ(niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia)ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem, vt ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ,ominõ ſeruire Deo valeant liberius,& laſciuiendi opportunitate ſublata,eidẽ corda ſua & corpora,in omni ſanctimonia diligẽtius cuſtodire*. Quia tamẽ Decretalis prædicta

Nota quod Moniales S. Claræ,fuerũt quæ primæ in Eccleſiæ clauſuram ſeruarunt.

Nota quid dicat Bonifacius VIII. in c.periculoſo, de ſtat. Reg. lib.6. de monial.clauſura

(vtq.

vt dicebatur non fuit communiter recepta, aut ſaltim non vti par erat executioni mandata, moribuſque vtentium practicata, vt amplius infra dicemus, hæc videns Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de refor mat. cap. de regularibus*, clauſuram prædictam innouare volens, ſequentem fecit conſtitutionem, quam etiam quia eam ſcire tanti refert, ad vnguẽ libet referre, quæ eſt tenoris ſequentis. *Bonifacij VIII. conſtitutionem, quæ incipit Periculoſo, renouans Sancta Synodus, vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Monialium vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maxime procurẽt. Inobedientes ac contradictores, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas (quacumque appellatione poſtpoſita) compeſcentes, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brabbij ſæcularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Chriſtianos Principes, hortatur ſancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, omnibus magiſtratibus ſæcularibus iniungit.* Explicans autem, qualiter eiuſmodi clauſura obſeruanda ſit, ſubdit prædictum Concilium: *Nemini autem ſanctimonialium, liceat poſt profeſsionem exire á monaſterio etiam ad breue tempus, quocumquod prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & priuilegijs non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta monaſterij, nemini liceat cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet, in caſibus neceſſarijs, nec alius vllo modo poſsit, etiam vigore cuiuſcumque facultatis vel indulti, hactenus conceſsi vel in poſterũ concedendi.* Hactenus Concilium. Cuius quidẽ decreti ſiue Conſtitutionis, omnimodam obſeruãtiam, cupiens poſtea *Pius V. Pont. Max.* eadem de re Bullam quandam, ſiue Motum proprium edidit, anno Dominicæ incarnationis 1566. nij. Kalendas Iunij, Pontificatus ſui anno primo. Et incipit, *Circa paſtoralis officij.* Quipro eo quod decreti prædicti explicatio & declaratio eſt, & fundamentũ præcipuum eorum, quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda, ſimul libuit eundẽ etiam ad vnguem tranſcribere, & eſt tenoris ſequentis. *Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, &c. Ad perpetuam rei memoriam, &c. Circa paſtoralis officij, nobis meritis licet imparibus deſuper cõmiſsi, curam quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, aſsidue ad ea per quæ ſingulis erroribus & exceſsibus obuiatur, ac perſonis quibuslibet præſertim fœminei ſexus, virginitatem, ſuam Altiſsimo vouentibus, ſub religionis iugo, Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto famulari affectantibus, a ſemita iuſtitiæ & honeſtatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honeſtatis gloria maculam, & diuinam merito poſsit offendere maieſtatem, opportune ſuccurritur, libenter intendimus, ac in ijs noſtræ vigilantiæ partes propenſius impartimur, prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus. Hac igitur perpetuo valitura Conſtitutione, inhærentes etiam Conſtitutioni felic. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, & decretis Concil. Trident. ſuper clauſura Monialium, editis auctoritate Apoſtolica, ſtatuimus tenore præſentium, atque perpetuo decernimus, vniuerſas & ſingulas Moniales, præſentes atque futuras, cuiuſcumque religionis, ordinis vel Militiarum etiam Hieroſolymitanæ ſint, quæ vel iam receptæ ſint, vel in poſterum in quibuſuis monaſterijs, ſiue domibus recipientur, & tacite vel expreſſe religionem profeſſæ, etiamſi conuerſæ aut quocumque nomine appellẽtur, etiamſi ex inſtitutis vel fundationibus earum regulæ ad clauſuram non teneantur, nec vnquam in earum monaſterijs ſeu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea ſeruata fuerit, ſub perpetua in ſuis monaſterijs ſeu domibus, de cætero debere permanere clauſura, iuxta formam dictæ Conſtitutionis felic. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, in ſacro Concil. Trident. approbatæ & innouatæ, quam nos auctoritate prædicta, etiam approbamus & innouamus, in omnibus & per omnia, ac illam diſtricte obſeruari mandamus. Quod ſi aliquæ Moniales forſan reperiantur, quæ conſuetudine, etiam immemorabili, aut inſtituto vel fundatione regulæ ſuæ factæ, animo obſtinato huic clauſuræ reſiſtant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij vna cum Superioribus earum, omnibus iuris & facti remedijs, compellant eaſdem tanquam rebelles & incorrigibiles, ad præciſe ſubeundam dictam clauſuram, & perpetuo obſeruandam. Mulieres quoque, quæ Tertiariæ ſeu de pœnitentia dicuntur, cuiuſcumque ordinis fuerint, in Congregatione viuentes, ſi & ipſæ profeſſæ fuerint, ita vt ſolemne votum emiſerint, ad clauſuram præciſe (vt præmittitur) & ipſæ teneantur. Quod ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij vna cũ Superioribus earum, hortentur & perſuadere ſtudeant, vt illud emittant & profiteantur, ac poſt emiſsionem & profeſsionem eidem clauſuræ ſe ſubijciant. Quod ſi recuſauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint ſcandaloſe viuere, ſeueriſsime puniantur. Cæteris autem omnibus, ſic abſque emiſsione profeſsionis & clauſura, viuere omnino volentibus, interdicimus & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorſus in ſuum ordinem, religionem, congregationem ve recipiant. Quod ſi circa huiuſmodi, ac noſtram prohibitionem & decretum, aliquas receperint, eas ad ſic vouendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet profeſsiones, & receptiones, irritas decernimus & nullas, prout etiã præſenti decreto irritas facimus & annullamus.* Reliqua quæ ſequuntur, in dicto Motu proprio, pertinent ad procurandam Monialium prædictarum, congruam & commodam ſuſtentationẽ, quæ quia nõ ſunt ad propoſitum, pro nunc omittuntur, infra ſuo proprio loco dicentur. Ac tandem cõcludens prædictus Pius V. ſubdit. *Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub obſtentatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vniuerſis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in ciuitatibus & diœceſibus proprijs, præſentes noſtras litteras publicari faciant, ac in monaſterijs Monialiũ ſibi ordinario iure ſubiectis, in ijs vero quæ ad Romanã mediate & immediate ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vna cũ ſuperioribus eorundẽ Monaſteriorũ clauſuram (vt præmittitur) quamprimũ poterunt ſeruari procurent, contradictores atq; rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticã, appellatione poſtpoſita cõpeſcendo, inuocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Ac vt hoc tam ſaluare decretum facilius obſeruetur, omnes Principes ſæculares & alios Dominos & Magiſtratus tẽporales, rogamus, requirimus & obſecramus, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiſdem in remiſsionẽ peccatorũ iniungẽtes, quod in præmiſsis omnibus, eiſdẽ*

Nota quoad continent conſtitutio Pij V. circa clauſurã Monialiũ.

Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & alijs Monialium Superioribus aſsiſtant, ac ſuum fauorem & auxilium præſtent, & impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant, non obſtantibus præmiſsis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis & confirmatis, priuilegijs quoque, indultis litteris Apoſtolicis, etiam in fundatione & inſtitutione eiſdē monaſterijs, domibus & Monialibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & clauſulis irritantibus, & alijs decretis quibuslibet conceſsis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio. ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenoris huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſsis habentes, quoad effectum validitatis noſtræ Conſtitutionis tantum, derogamus contrarijs quibuſcumque &c. Prædictam Pij V. Conſtitutionem, etiam confirmauit, atque innouauit poſtmodum, *Gregorius XIII.* in alia ſua Bulla, ſiue Motuproprio, dato Romæ anno Domini 1572. iij. Kalend. Ianuarij, Pontificatus ſui etiam anno primo, qui incipit: *Deo ſacris*, quem quidem in præſentiarum referre, vtilum non eſt neceſſe, eo quod nihil noui contineat, & quia q̄ principaliter intendit ibidem, eſt prouidere neceſsitatibus prędictarū Monialiū, voluntariam paupertatem profitētium & religioſam clauſuram ſeruantium, de quo infra. Ex quibus omnibus iuribus & decretis, prędictiſq; Cōſtitutionibus adductis, ſuper que ſatis colligitur, veritas ſuprapoſitę noſtręCō cluſionis, qua diximus, Monialiū clauſurā nō eſſe quidem de iure naturali ac diuino, ſed tantum de humano poſitiuo, naturali tamen atque diuino nimis conformi, vt latius conſtabit ex inferius dicē dis. Nunc ſupereſt inueſtigare & inquirere, an Pōtifices prædicti, obligare potuerint moniales prædictas ad ſeruandam clauſuram, de quo in Articulo ſequenti.

Quidcōtineat Conſtitutio Greg. XIII. circa clauſurā Monialiū.

ARTICVLVS II.

An Summi Pontifices, compellere & obligare potuerint Moniales, ad ſeruandam clauſuram?

Nota quod Moniales S. Clarę, ex vi ſuæ Regulæ, ad clauſurā obligātur, nō ſolum ex præcepto, verum etiā ex voto.

PRo pleniori articuli huius intelligentia præmitto, quod in præſentiarum non fit ſermo, de Monialibus ſanctæ Clarę, de quibus iam ſupradiximus, quod multo ante tempora Bonifacij VIII. & Conſtitutionem ab ipſo editam, *in d. cap. periculoſo, de ſtatu regularium, lib. 6.* ex ſpeciali regulæ ſuæ, ne dum præcepto, verum ex; reſſo voto, ad ſeruandam clauſuram ſe adſtrinxerunt. Nam præter tria eſſentialia atque ſubſtantialia vota, obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, emittunt religioſæ prædictæ, in ſua profeſsione ex vi ſuæ regulæ, quartū aliud clauſuræ votum, quod vt crediderim nullæ aliæ Moniales habent, vel ſi illud habent, non etiam de ijs in præſentiarum erit ſermo, ſed de illis, quæ nunquam clauſuram prędictam vouerunt, neque ad eandem ſeruandam, aliquo ſpeciali ſuę regulę voto, ſiue pręcepto ſe obligarunt. Et vt hęc difficultas magis ac magis augeatur, ponaturque in ſuo puncto (vt enim inquit Philoſophus, omnia ſecundum litem fiunt, & quia ex oppoſitione cōtrariorū veritas plenius eluceſcit) etiam fiet ſermo de illis Monialibus, quę ex ſua regula habent, ſiue ex diutina atque antiquiſsima conſuetudine, vt è ſuis Monaſterijs poſsint exire, & perſonę ex terę adipſas intrare, & quod ad nullam prorſus clauſuram obligentur. De ijs omnibus, quęritur in præſentiarum, an per Summos Pont. vllo modo potuerint, ad idipſum compelli & obligari? Et quidem pro parte negatiua eſſe videntur magni ponderis & momenti argumenta. Et primo argumentari poteſt ad id, ex auctoritate Diui Bernardi, lib. quem inſcripſit, de pręcepto & diſpenſatione, vbi poſt alia in ſequentia prorumpit verba: *Non præcipiat mihi Prælatus ea, quæ non promiſi, præcipiat ſecundū regulam, &c.* ex qua auctoritate colligitur, vt appareat de mente & ſententia Diui Bernardi, ſubditos non teneri ad ea, quę non promiſerunt, etiam ſi Pręlatus illa ſibi pręcipiat. Quod & confirmari poteſt, ex doctrina D. Thom. in quodlibetis, quod libet. 10. q. 5. art. 10. vbi propoſita queſt. *An religioſus ſuo Prælato teneatur in omnibus obedire?* Reſpondet quod religioſi non tenentur obedire Pręlato, in his quę ſunt arctiora quam regula ex pręcepto, ſed in illis (inquit) obedire perfectę obedientię erit. Et infra ſubdit, quod obedientia non ſe extendit, vltra ius & poteſtatem pręlationis: quinuero limitatur ſecundum regulam. Cuius rei reddens rationem addit, quod religioſus non tenetur ad plura quam ſecularis, niſi quatenus per votum ſe obligauit: ſed religioſus (inquit) per votum ſuę profeſsionis, non obligatur ad obediendum, niſi ſecundam regulam: ergo non tenetur in pluribus obedire, quam in ijs quæ ſunt ſecundum ipſam. Alias enim ſi obedientię generalitas, non determinaretur ſecundum regulam, omnes religioſi ad idem omnino tenerentur, & ſic eſſet religionum confuſio. Hæc in ſumma & in compendio, dicit prædictus D. Thomas. Quod ipſum expreſſe tenet Ioann. Gerſon in tit. de vita ſpirituali lect. 5. & 6 quinuero & ſupradictus Diuus Thomas 2. 2. queſt. 104. art. 5. in ſolutione ad 3. de ijs agens ſequentia dicit verba. Religioſi obedientiam profitentur, quantum ad regularem conuerſationem, ſecundum quam ſuis Prælatis ſubduntur, & ideo quantum ad illa ſolum obedire tenentur, quę ad regularem conuerſationem pertinere poſſunt, & hęc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem inquit, etiam in alijs obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis. Hactenus Diuus Thomas. Quin vero & Diuus Bonauentura, in ſecundo Sententiarum diſtict. 44. queſt. vltim, eadem de re agens, & diſputans: *Vtrum religioſi, ſuis Prælatis obedire teneantur, in omnibus quæ non ſunt contra Deum*, dicit quod ſi loquamur de obedientia, ſecundum neceſſariam obligationem, hęc habet terminum & menſuram iuxta magnitudinem voti emiſsi. Tantummodo enim (inquit) tenentur obedire ſuis Prælatis, in his quæ promiſe-

Primum argumentum.

miſerunt Domino obſeruare, vnde ſi Prælatus aliquid præcipiat quod ſit ſupra votum, ſubditus nõ tenebitur ad illud implendum. Concludendo dicit, quod religioſi, non tenentur obedire ſuis Prælatis in omnibus, licet ſanum ſit conſilium quod obediant in omnibus, quæ non ſunt cõtra Deum. Hæc ſupradictus Bonauentura. Ex quibus apparẽter ſatis colligitur, quod Moniales obligari non poſſint ad clauſuram, ſi nõ illã promiſerunt, neq; illam habẽt ex Regulæ ſuæ præcepto ſiue voto.

Secundum argumentum.

Secundo poteſt ſic argumẽtari ad idem, *ex c. geſta d. 74.* vbi dicitur, *non eſſe iuſtũ, vt quiſpiam creſcere cõpellatur inuitus.* Quæ verba expendens gloſſa ibidem *verbo, creſcere* cõcluſionem elicit & generalem Regulam, *quod Monachis ſiue Canonicis inuitis, diſtrictior vita imponi non poteſt.* Quod & probat, argumento deducto, *ex cap. non eſt 15. q. 1.* quod eſt Diui Ambr. *& cap. præſens 20. q. 3. & cap. integritas 32. q. 1.* quibus omnibus in locis expreſſe dicitur, quod religioſis, non eſt ſtrictior imponenda vita, nec præcipiendum quippiam, ad quod vel ex diuino iure, ſeu ex voto & propria voluntate ſe non obligarunt. Qua de re etiam videndus eſt Sylueſter latiſſime, *verbo, obedientia, q. 5. num. 5. & verbo, Religio, ſexto q. 6. Num. etiam 6.* vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaq; notatu digniſſima. Ex quibus omnibus vt videtur manifeſte colligitur, quod cum perpetua Monialium clauſura arctior ſit quam vt ſupponitur, contineatur in ipſarum Regula, & ſupra ſuæ promiſſionis votum, quod ad eandem ſeruandam, inuitæ compelli, conſtringi aut obligari non potuerunt, per Eccleſiam. Tertio & vltimo ad idem ſic argumentari poteſt. Nam qui adimplet illud, quod promiſit, & ad quod ex voto ſuo ſe obligauit, ad nihil aliud tenetur, neque vllo modo poteſt obligari: vt ſatis conſtat ex omnibus contractibus humanis, nam qui centũ promiſit ac totidem reddidit, ad nil amplius tenetur, aut obligari poteſt, ſed Moniales, de quibus in præſentiarũ eſt ſermo, vt ſupponitur non promiſerunt clauſuram, nec voto ad eandem ſeruandam ſe obligarunt: ergo ad id nullo modo per Pontifices, obligari & compelli potuerunt, eo vel maxime, quia ſi à principio Moniales prædictæ id reſciuiſſent, religionis votum forſan nũquam emiſiſſent. Cum igitur actus agentiũ, nõ ſe extendant vltra voluntatem eorum, vt habetur in iure, *l. cum Aquiliana ff. de tranſa. & cap. veniens de iureiuran.* manifeſte (vt videtur) colligitur, quod Moniales prædictæ, ad ſeruandam dictã clauſuram, nullo modo potuerũt obligari, neque conſtringi. Sed ijs non obſtantibus, in contrarium eſt veritas. Prò cuius reſolutione præmitto, quod in Monialium clauſura, duo inſimul includuntur. Horum primum eſt, earundem Monialium extra Monaſterium egreſſus, alterum vero, ingreſſus aliorum cuiuſcumque ſexus, intra ipſarum Monaſteria. De hoc ſecundo loquendo, extra controuerſiam eſt, quod Papa potuit prohibere ingreſſum, in Monaſteria quarumcunque Monialium, omnibus perſonis vtriuſque ſexus, ex ſuppoſitione, quod id ſibi viſum fuerit conuenire. Quod & hac manifeſtiſſima ratione probatur, quia idipſum poteſt in ſua domo, quilibet paterfamilias, prouidus atque diſcretus prohibere, nempe quod nullus in ipſius ingrediatur domũ, ſi ibidẽ habet filias aut vxorem, de quibus ſiniſtram aut minus rectam habeat exiſtimationẽ. Eadem ergo ratione, idipſum quilibet Prælatus poteſt facere, ac præcipere Monialibus in conuentibus ſibi ſubditis, & à fortiori Summus Pontifex, qui eſt generalis atque vniuerſalis Monialium omnium Prælatus, & ſpecialiter habet ipſas, ſub ſua cura, obedientia & protectione. De hoc igitur nulla eſt quæſtio. Difficultas ergo eſt, loquẽdo de clauſura prædictarũ Monialiũ, quantum ad exitum extra ſua monaſteria, an ſcilicet potuerint compelli atq; adſtringi, ad hoc vt nullo modo inde egrediantur. Qua de re antiquiſſima lis eſt & controuerſia, inter Doctores iuriſperitos, ſimiliter & Theologos, loquẽdo, vt diximus de Monialibus, quæ numquam clauſuram vouerunt, neque ad eandem ſeruandam, aliquo ſuæ regulæ ſpeciali voto, ſiue præcepto ſe obligarunt, quinuero forſan omnino habent contrariam clauſulam, ſeu ex diuturna & antiquiſſima conſuetudine, iam ſunt quaſi in poſſeſſione conſtitutæ, vt foras poſſint exire, & clauſuram prædictam obſeruare non teneantur. Sed nihilominus de ijs etiam, ſequens ſtatuitur concluſio.

Tertium argumentum.

Concluſio.

Certiſsimum eſt & omni dubio procul quod Papa & Eccleſia, indicere Monialibus potuit clauſuram, et quod á ſuis Monaſterijs non egrediantur.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod Papa & Eccleſia, omnibus in vniuerſum Monialibus, cuiuſcumq; ordinis & cõditionis extiterint, indicere potuit clauſuram, atq; præcipere vt nũquam extra monaſterij ſepta egrediantur, etiam eæ quæ ipſam numquam vouerunt, neque ad eandem ſeruandam, aliquo ſpeciali voto, ſeu ſuæ regulæ præcepto ſe obligarunt. Hanc ſententiam & concluſionem, tenet gloſſa, *in d. cap. periculoſo, verbo, præſentes, de ſtatu regularium lib. 6.* & Panormitanus & Hoſtienſis ibidem, & omnes communiter ſcribentes. Innocentius, *in cap. ſuper eo, de regularibus.* Præpoſitiuus, *in cap. ante triennium, verbo tametſi per ſtatutum diſt. 31.* Ioannes Andreas, *in d. cap. periculoſo.* Decius, *in c. ad noſtram de appellationibus, num. 6.* D. etiam Antoni. 3. p. tit. 16. cap. 7. §. 3. & Summa Angelica, *verbo Religioſus, §. 30.* Sylueſter, *verbo Religio. 7. §. 16.* Nauar. *in cap. ſtatuimus num. 40.* cum ſequentibus, qui omnes vnanimi conſenſu dicunt, Monialesomnes teneri ad ſeruandam perpetuam clauſuram, iuxta decretum prædicti Bonifacij VIII. *in d. cap. periculoſo,* innouatum per Conc. Trident. *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 5.* & iuxta Conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. hac de re loquentes. Et ponunt hanc concluſionem, quod ſtrictior vita Regularibus poteſt imponi, in his quæ conducunt ad profeſſionem eorumdem, & ad commodius obſeruanda ea quæ ſecundum ſuas regulas promiſerunt. Quod vt plenius notum fiat, ad notare oportet, quod quamuis ſimpliciter & abſolutè loquendo, Monachis ſiue religioſis, ſtrictior vita imponi non poſsit, nec obligari ipſi ad ſeruandam ſtrictiorem regulam, quam in propria cuiuſque profeſsione vouerunt, in quo ſenſu verum. Habet dictum Diui Bernardi libro de præcepto & diſpenſatione, quo etiam modo intelligenda ſunt omnia ſupradicta iura, quibus cauetur

Nota quod quamuis ſimpliciter & abſolute loquendo, Monachis ſiue Religioſis, ſtrictior vita imponi non poſ-

Extra controuerſiam eſt, quod Papa prohibere poteſt, ingreſſũ intra clauſuram Monialium.

ſit, poſſunt tamen obligari ad ea, quæ expreſſe aut etiã implicite promiſerunt.

vt nemo creſcere cogatur inuitus, nihilominus tamenc ertiſſimum atque cõſtitutiſſimum eſt, quod Eccleſia & Papa, idemque eſt iudicium, de omnibus alijs inferioribus Prælatis, ſuo quoque modo & ordine reſpectiuè, & reſpectu ſuorum ſubditorum, obligare poteſt ſuos ſubditos, non ſolum ad ſeruandum ea, ad quæ ex vi ſuæ regulæ & profeſſionis ſe adſtrinxerunt, expreſſe ſiue explicite, aut quod dicitur directe, verum etiam & ad illa, quæ in illis continentur implicitè, ſeu vt alij dicunt indirectè. Et dico contineri in aliqua regula, explicite & directe, illa quæ ponuntur ibidem ſub expreſſis verbis, aut eiſdem æquipollẽtibus, de quorum intelligentia nulli eſt dubium. Ea vero dicuntur contineri, implicite & indirecte, quæ quamuis non ita habeãtur, pertinent tamen ad eo rundem obſeruantiam, & ad talium rerum vitandas tranſgreſſiones, cuius generis ſunt omnia pertinentia ad obſequia fraternæ ſocietatis, intra & extra Monaſterium, culparum recognitio, aliaque ſimilia, ſine quibus Monaſtica vita haudquaquam poſſet conſeruari, nec regularis diſciplina conſiſtere. Hæc eſt expreſſa ſentẽtia D. Th. in quodl. quod libeto 19. q. 5. art. 10. vbi ait, ad regulam pertinere non ſolum illa, quæ in ea expreſſe exprimuntur, verum etiam & illa, quæ ad eam quoquomodo reducuntur. Id quod etiam tenet 2. 2. quæſt. 186. art. 9 & quæſt. 104. art. 4. ad 3. & Caietanus ibidem, ſed expreſſius quæſt. 88. art. 8. vbi ac de re agit latiſſime. In eadem ſententia eſt Diuus Bonauent. 2, lib. Sententiarum diſt. 44. quæſt. vltima, vbi inquit, quod ſubditi tenentur obſeruare omnia quæ promiſerunt, & quæ non ſunt cõtraria animæ regulæ ſuæ quinuero iuxta ipſam, & quæ conducunt ad meliorem ipſius obſeruantiam. Quod & expreſſius tenet, in expoſitione regulæ Beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, vbi explicans illa verba, capituli decimi, quibus dicitur, quod fratres obediãt ſuis miniſtris, in omnibus quæ promiſerũt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ & regulæ noſtræ, addendum eſſe dicit, explicite vel implicite, id quod Diuus Thomas, locis ſupracitatis, & in 2. ſentent. diſt. vltima q. 3. interpretatur, directe vel indirecte, dicendo quod ſubditi obedire tenẽtur ſuis Prælatis in omnibus, quæ pertinent ad ipſorum regulam, directe vel indirecte. Hac de re videatur Corduba ſuperdictam noſtram regulam Fratrum Minorum, cap. 10. q. 2. in primo puncto, & Sylueſter, *verbo religio 6. num. 6.* quibus in locis, tanquã certiſſimum, atque indubitabile, cõſtituunt quod Papa cæterique Prælati, conſtringere & obligare poſſunt ſubditos ſuos, ad ſeruanda non ſolũ ea, quæ explicitè & expreſſe ſiue directe promiſerunt, verum etiam & illa quæ indirecte & implicite, & pertinent ad maiorem & meliorem regulæ ſuæ obſeruantãi. Neq; inquiunt hoc eſt illis imponere ſtrictiore, m vitam, aut eoſdem obligare ad ſeruandam ſtrictiorem regulam, ſed præcipere id ad quod ex vi ſuæ profeſſionis ſe obligarunt, ſi non expreſſe & explicite, ſaltem indirecte & implicite. Circa quod quammaxime veniunt notanda, ſupradicta verba Diui Thom. quibus dixit, ad regularem vitam pertinere, non ſolum ea quæ expreſſe continẽtur in regula, verum etiam & illa, quæ ad eandem regulam quocumque modo reducuntur, in quibus obedire eſſe dicit de neceſſitate obedientiæ. Et certe maximam ponderationem habet, verbum illud, *quocumque modo.* Non enim air, quod illa ſolum ad regularem obſeruantiam reducuntur, quæ ad id ſunt quaſi media præciſe neceſſariã, verum etiam & quæ neceſſaria ſunt, quocunque modo, directe ſiue indirecte. Quod plane fuit ac ſi expreſſius dixiſſet, ad regulam pertinere, quæ conducunt ad meliorem atque puriorem ipſius obſeruantiam, neque vllo modo dici poſſe ſupra regulam vel ſupra votum, quod ad eandem ſpectãt quocumque modo, directe ſiue indirecte. Sed quid moror, in re adeo clara & manifeſta, cum in ſimili caſu habeamus iam Eccleſiæ determinationem expreſſam, *in clement. exiui, de verb. ſignif.* vbi Clemens V. agendo de noſtra Fratrum Minorum Regula, & explicando illam, *declaramus, inquit, Fratres ex profeſſione ſuæ regulæ obligari, non ſolum ad tria ſubſtantialia vota, verum etiam ad omnia alia ad ipſa pertinentia.* Vbi valde venit notandum, verbum *pertinentia*, quod eſt id quod in præſentiarum intendimus. Quo præmiſſo notabili (quod huius totius materiæ eſt quaſi baſis & fundamẽtum) formatur modo ratio, qua euidentiſſime probatur ſupradicta Concluſio, qua diximus potuiſſe Papam & Eccleſiam, indicere Monialibus clauſuram, eiſdemque præcipere, vt nunquam extra monaſterij ſepta egrediantur, etiam eæ, quæ eam nunquam deuouerunt, neque ad eãdem ſeruandam, aliquo ſpeciali voto ſeu ſuæ regulæ præcepto ſe obligarũt. Et argumentum formatur in hunc modum. Papa qui Monialium omnium generalis & vniuerſalis eſt Prælatus, obligare atq; conſtringere eas poteſt, ad ſeruanda non ſolum ea, quæ expreſſe & explicite continẽtur in ipſarum regulis, verum etiã & quæ implicite & indirecte, vt conſtat ex ſupradictis: ſed talis eſt clauſura, vt etiam ſatis cõſtat, cum pertineat ad meliorem atque puriorem caſtitatis obſeruantiam: ergo bene potuit Summus Pontifex dictis Monialibus prædictam clauſuram indicere. Conſequentia eſt legitima, neq; poteſt vllo modo negari. Nec valet dicere, quod hæc ſit noua regula aut noua religio, nam non eſt noua regula nec noua religio, ſed iub eadem regula & ſub eadem religione, quidam nouus viuendi modus, ſtrictior quidem ſed nec eſſarius ad continentiam & caſtitatem ſeruandam. Nec ad hoc vt Papa idipſum poſſet præcipere, neceſſarium vllo modo, fuit quod clauſura prædicta medium eſſet præciſe ac ſimpliciter neceſſarium, ſed ſat fuit, quod eſſet medium quammaxime accommodatũ, ad eiuſmodi, obſeruantiam, & ſine quo experientia ipſa teſtãte multæ ſeſe offerre poterant occaſiones & pericula, violandi aut ſaltim minus recte & pure, ſeruandi caſtitatem prædictam. Quod & hac ratione confirmatur, & ſit 2. argumentum. Nam eãdem ob cauſam Eccleſia indixit, ac præcipere optime potuit, omnibus in vniuerſum Chriſtianis fidelibus, quadrageſimale ieiunium & cibo rum delectum, & alia ieiunia quæ obſeruãtur per annum, & clericis cœlibatum; quæ omnia grauia quidem ſunt & difficilia, quãuis non expreſſe contineantur in Euangelio; nec ſint media præciſa & ſimpliciter neceſſaria, ad legem Dei obſeruandã; quia nempe ſaltem implicite atque indirecte, ad ean-

Quænã dicantur contineri in aliqua Regula, indirecte & implicite, quæ vero directe ſiue explicite.

Nota hoc valde, pro obedientia Religioſorum.

Primum argumentũ, pro probatione cõcluſionis.

Secundum argumẽtum ad idem,

eandem legem pertinent, & ad ipsius obseruationem quammaxime conducunt, ad hoc vt commodius & facilius, eadem Dei lex posset obseruari. Similiter & Religionum Prælati, in dies condunt atque conficiunt, varia & diuersa statuta, sibi subditos obligantia sub peccato mortali, & quidem de ijs quæ non expresse & explicite, continentur in suis Regulis, sed solummodo implicite, atque indirecte, vtpote, quia ad cõmodiorem & meliorem earundem obseruantiam pertinent. Quod quidem negare, aut dicere quod non obligant, etiamsi ea intentione ponantur, & sub verbis idẽ significãtibus, valde esset periculosum & temerariũ, & certe nullus sanæ mẽtis dicet, sequitur ergo quod & Moniales prædictæ, eadem ratione cõstringi & obligari potuerunt, ad seruandam clausuram, quamuis expresse & explicite, in ipsarum Regulis non contineatur, cum sicut dictum est, ad eandem pertineat & spectet, saltem implicite & indirecte, quod est intentum & quod sufficit.

Tertium argumentum.

Sed tertio pro eadem Conclusione, adhuc fortius sic argumẽtor, & quãuis ab effectu sit desumptum argumentum, erit nihilominus ad præsens propositum efficacissimum. Pro cuius intelligentia præmitto, id quod notissimum est atque certissimum, & habitũ testimonijs fide dignis, quod in Concilio Trident. tempore quo tractabatur de clausura Monialium, esset ne ipsis indicenda, annon, à Concilij Patribus ibi legitime congregatis, magna fuit facta prius disceptatio & conquisitio, circa Ecclesiæ Summi Pontificis auctoritatem & potestatem, ad indicendam Monialibus eiusmodi clausuram, & an id fieri posset necne, & tandem summo omnium consensu, decretum fuit, quod Ecclesia Summusque Pontifex, id optime præcipere poterat, quo tanquam certo atque indubitabili præmisso, id de facto statuerunt, & decreuerunt. Ex quo quidem facto, validissimum ad nostrũ propositum sumitur argumentum, & formatur in hunc modum. Certũ est quod vniuersalis Ecclesia, in ijs quæ ad fidem, siue fidelium mores pertinent, procedendo cum Consilio errare minime potest, id quod & tenendum est de fide: siquidem Spiritus sanctus assistit eidem, qui cum sit prima & summa veritas, nec decipi potest nec quenquam decipere: sed Ecclesia in dicto generali Concilio Trident. in Spiritu sancto legitime congregata, summo & maturo Patrũ consilio habito, vnanimi cõsensu, omnibus in vniuersum Monialibus, clausuram prædictã indixit, ac decreuit eandem se posse præcipere: ergo tenendum id est de fide. Alias enim sequeretur, quod in eo diffiniendo Ecclesia errauerit, quod dici minime potest, absque hæresis siue erroris nota & nimia temeritate. Hoc certe argumentum est fortissimum, atq; efficacissimũ quamuis ab effectu seu quod dicitur, à posteriore desumptum. Propter quod multi Doctores dicũt, conclusionem prædictam, nunc tenendam esse de fide. Qua de re, specialiter videatur Angles, Episc. olim Sardinien sis in suo quarto sententiarum 7. p. difficultat. 14. in 2. dub. & Doctor Garcia de Garça, olim Episcop. Caurien sis lib. quem inscript, de clausura Monialium, conclus. 2. idq; quãmaxime, post tot annos conditum decretum prædictum, Ecclesiæ totius auctoritate confirmatum, de qua nefas est dubitare. Ad quod propositum multum etiam facit, quod dixit Diuus August. *lib. de vera Religione cap. 31. & habetur in cap. in illis d. 4.* vbi sequentia habentur verba. *In ijs temporalibus legibus, quamquam de ijs homines iudicent cum eas instituunt, cum tamen fuerint institutæ & firmatæ, non licet iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.* Ex qua D. August. auctoritate satis colligitur, quam temerarium aut forsan erroneum, illorum sit placitum atque iudicium, qui post tot transactos annos, contra Conc. Trid. decretum prædictum, dubitare audent, aut forsan asserere non verentur, quod Ecclesia minime potuit, Moniales obligare ad seruandam clausuram. Qua de re videatur supradictus Galarça loco citato, conclus. 6. vbi multis probat, esse hoc quammaximũ errorem, asseuerare ac dicere, Papam obligare non potuisse, Moniales ad seruandam clausuram. Qui temerarius error (inquit) ortum & originem ducit ex ignorantia; quia nesciũt non esse id nouum ordinem, aut nouam Regulam instituere, sed solummodo strictiorem quendam viuendi modum, sub eadem Regula, quod quidem præcipitur, potuitque optime præcipi, tanquam medium quammaxime accommodatum, ad seruandam Regulam, quam Monialis ipsæ professæ sunt, & quasi quid contentum sub castitatis voto, vt melius contintẽia ab eisdẽ seruetur, quod & dici potest generaliter, quid contentũ in omnium ipsarum Regulis, si non expresse & explicite, saltem indirecte atque implicite. Quorum etiam temeritatem nimiam, olim condemnauit Pius V. damnando sicut de facto condemnauit, quandam Gloſſam positam, *in dicto capit. Periculoſo*, quæ eundem errorem tenuit. Asserebat enim, Moniales quæ erãt in Regno Franciæ, non posse clausuri, seu potius ad seruandam clausuram arctari & obligari, pro eo quod nec vouerunt illam, nec receperunt decretalem prædictam Bonifacij VIII. Ob quod tam quam erronea, ex prædicto loco sublata est eiusmodi Glosſa, per Iudices Sanctæ Inquisitionis, ab eodem Summo Pontifice selectis & designatis, ad castigationem & emendationem glossarum vtriusque iuris, vt ex eadem censura constat, quod est multum notandum, atque memoriæ commendandum.

Nota valde damnatã esse glosſã in c. periculoſo, atq; ex iure ſublatã, eo quod aſſerebat non poſſe Moniales per Papã ad clauſuram obligari.

Non desunt qui dicant, errorem esse in fide, dicere quod Ecclesia Monialibus, indicere non potuit clausuram.

Ex dictis patet solutio, ad argumenta, proposita initio huius difficultatis, & quidem ad Primum continens auctoritatem D. Bern. D. Thom. Bonau. & aliorum, superq; satis responsum est, in præmisso notabili, pro primo argumento, suprapositæ cõclusionis. Diximus enim posse Prælatos, & à fortiori ac multo melius, Papã & Ecclesiã, obligare sibi subditos, ad seruandum non solum ea quæ expresse & explicite continentur in ipsorum Regulis, verum etiam & illa, quæ indirecte & implicite, vt de mente D. Thom. & D. Bonauenturæ, latissime ostensum est ibidem, & quod talis est prædictarum Monialium clausura. Diuus autem Bern. loquitur in casu, quo simpliciter & absolute, Monachis siue Religiosis imponeretur strictior vita, & obligarẽtur ad seruandam strictionem Regulã, quã in propria cuiusque professione denouerunt, seu aliquid quod nullo modo, directe nec indirecte, explicite nec implicite, ad eandem Regulã pertineat. Prædicto modo exponit D. Th. dictũ Ber-

Ad primũ argumentum.

Ad secundũ argumentum.

Bernardi quodlibeto 10. quæſt. 5. art. 10 Per quod etiam patet ſolutio ad ſecundum argumentum, adductũ *ex c. geſta. d. 74.* & alijs ſimilibus, quibus dicitur, quod nemo cogitur ſeu cogi debet inuitus creſcere. Quæ quidem capitula intelligẽda ſunt, de noua Religione aſſumenda, ſeu de vita ſtrictiori per nouam Regulam, non vero de noua reformatione, ſeu modo ſtrictius viuendi ſub eadem Regula, vt ſatis conſtat ex ſupradictis, & ex his quæ tradit Nauar. in Manuali cap. 23. n. 39. agendo de obedientia, vbi prædicta capitula ad hunc modum exponit.

Ad tertiũ argumentum. Ad tertium & vltimum reſpondetur, verũ eſſe neminem teneri niſi ad illud quod promiſit, & quod qui promiſit centum ac totidem reddidit, ad nihil aliud tenetur, ſed nihilominus dico, Moniales prædictas ſub caſtitatis voto, implicite & indirecte ſiue virtualiter clauſuram promiſiſſe, aut ſaltim ad eandem obſeruandam à proprijs ipſarum Prælatis, optime potuiſſe obligari & adſtringi, & multo melius à Papa ſiue Eccleſia, in Concilio generali legitime congregato, tamquam medium neceſſarium, ſi non ſimpliciter & abſolute, ſaltim quã maxime conueniens, ad caſtitatis conſeruationẽ, & ſine quo ſeruari caſtitas commode, vix aut nullatenus poſſet. Quo fit, vt nullatenus dici poſſint, penes hoc adimplere promiſſum, niſi ſimul obſeruent prædictam clauſuram, à ſummo Pontif. Concilioque generali eiſdem indictã: ſicut & qui pollicitus eſt centum aureos, niſi eos æquo legis põdere reddat, non adimplet promiſſum, ſic nec Moniales propriam ipſarum Regulam, niſi illam obſeruent ad modum quo conſtitutum & declaratum eſt per Eccleſiam. Quamuis enim quarumdã Monialium antiquæ Regulæ, à Summis Pontif. approbatæ fuerint, ac bonæ dijudicatæ iuxta exigentiam illorum temporum, creſcente tamen hominum malitia, multarumque Monialium relaxatione, neceſſarium tandem viſum fuit Eccleſiæ, ſtatuere ſtrictiorem modum, ſeruandi eiuſmodi Regulas, & viuendi ſub illis, nempe obſeruando clauſuram, quæ (vt dictum eſt) implicite & virtualiter ibidem continebatur, ſub caſtitatis & continentiæ voto, quod omnes Moniales emiſerunt, tamquam medium quammaxime neceſſarium, ad conſequendum prædictum finem, quæ pro iſto art. dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſupradictum clauſuræ Decretũ, de facto comprehẽdat omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint.

Primum argumentum. RAtio dubitandi eſſe poteſt multiplex, & Primo: nam quantum attinet ad dictũ, *c. Periculoſo, de ſtatu Regulariũ, lib. 6.* multorũ fert opinio, quod illud Bonifacij VIII. decretũ, non fuit vniuerſaliter receptũ, nec moribus vtẽtiũ approbatũ, quinuero ipſo Papa ſciente & conſentiente, aut ſaltim tolerante, nec etiam ſuo tempore fuiſſe executioni mandatum, aut obſeruatum, prout tradit Dominicus referens Ioannem Andr. in nouellis, ſuper dictum, *cap. Periculoſo*, vbi ait quod ſuo tempore & maxime in Gallia, paucæ aut nullæ Moniales clauſurã obſeruabant, & quod ipſe vidit etiam Venetijs, decretalem prædictam non ſeruari. Et Fictor caſuum lib. 6. teſtificatur, in Francia Moniales quaſdam, á ſeruanda perpetua clauſura fuiſſe defenſas per Senatum Parlamenti, conantibus Prælatis ipſas cogere ad clauſuram ſeruãdam. Sed quidquid ſit de Francia, in noſtra Hiſpania etiam certum eſt, Bonifacij Decretalem prædictam, & Monialium clauſuram, ante Concil. Tridentin numquam alicubi fuiſſe obſeruatam, quinuero Gabriel, in 4. diſt. 38. & Caiet in ſumma *verbo, Monachi & Moniales*, dicũt decretalem prædictam derogatam fuiſſe per contrariam conſuetudinem, ſcitam, notam & toleratam, ab ipſis Romanis Pontif. Quo fit vt quantum ad hoc nulla eſſe videatur ratio, aſſerendi atque affirmandi, quod de facto prædictum clauſuræ decretum, omnes in vniuerſum Moniales comprehendat, ex vi ſupradicti decreti Bonifacij VIII. De ſeruiat hoc per prima ratione dubitandi.

Secundum argumentum. Secũdò ſic argumẽtor, quia nec idipſũ apparet dicẽdũ, ex vi decreti Cõc. Trid. poſiti in dict. ſeſſ. 25, de reformatione pro Regularibus, cap. 5. nam vt videtur decretum prædictum, non omnes in vniuerſum Moniales comprehendit, ſed ſolummodo illas, quæ alias ad ſeruandam clauſuram tenebantur, & illam non obſeruabant. Quod vt plenius notum fiat, prædicti Concil. Trident. verba libet referre, quæ ſic habent. *Bonifacij VIII. conſtitutionem, quæ incipit, periculoſo, renouans Sancta Synodus, vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maxime procurent.* Vbi notanda veniunt quammaxime verba illa, *vbi violata fuerit reſtitui, & vbi inuiolata eſt conſeruari*, ex quibus ſic colligi poteſt argumentum: Multa ſunt Monaſteria Monialium, quæ nec ex voto, nec ex ſuæ Regulæ præcepto, ad ſeruandam clauſuram obligantur, in quibus proinde quamuis dicta clauſura non ſeruetur, dici non poteſt violata, nam violari non dicitur, niſi id quod non obſeruatur, cum tamen prius obſeruari deberet: ergo in eiuſmodi Monaſterijs, non præcipitur, à dicto Concilio clauſura reſtitui, nec vt procuretur ibidẽ conſeruari, nam verbum reſtituivel conſeruari, in ijs locum non habet. Hoc argumentum, quibuſdam videtur fortiſſimum, cui & innixi, dicere non ſunt veriti, quod prædictum decretum, non omnes comprehendit in vniuerſum Moniales. *Tertium argumentum.* Tertio idipſum probare contendunt, ex Cõſtitutione Pij V. edita ad maiorem obſeruantiam ſupradicti Concilij, vbi dicitur, *vniuerſas Moniales, ſi tacite vel expreſſe religionem profeſſæ ſunt, de cætero debere ſub perpetua permanere clauſura.* Quæ verba ſimiliter habentur, *in d. c. Periculoſo, de ſtatu reg. lib. 6.* & ex eiſdem etiam vt apparet colligitur, ſolummodo obligari ad ſeruandã clauſurã, Moniales quæ illam vouerunt, aut ipſam quoquomodo profeſſæ ſunt, non vero aliæ. *Quartum argumentum.* Quarto & vltimo, etiam ſe offerre poteſt, pro ratione dubitandi. Nam ad hoc vt aliqua lex obliget, ſeu obligare vllo modo

modo poſſit, neceſſario requiritur quod ſit recepta, ac moribus vtentium comprobata, iuxta Iuris regulam, *in capit. quod omnes, de regulis iuris lib. 6.* vbi habetur, *quod omnes tãgit, ab omnibus debere approbari*, ſed prædicta lex ſeruandi clauſuram, impoſita Monialibus, non eſt recepta nec moribus vtentium approbata: ergo nullatenus vim habere poteſt legis, nec omnes in vniuerſum Moniales obligare, eo vel maxime quia licet aliquando vim legis habuiſſet, per contrariam conſuetudinem, iam eſſe videtur derogata & ab rogata. Hæc ſunt argumenta & rationes dubitandi, quæ pro hac parte offerre ſeſe poſſunt, quas libuit adducere, vt ex oppoſitione falſitatis, veritas plenius eluceſcat. Quibus nihilominus non obſtantibus, contrarium omnino dicendum videtur, de quo & ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Prædictũ clauſuræ decretũ omnes in vniuerſum Moniales obligat cuiuſcumq; ordinis & conditionis extiterint.

PRædictum perpetuæ clauſuræ decretum, de facto omnes in vniuerſum Moniales obligat, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint. Probatur hæc concluſio: nã quãuis demus & concedamus, quod ſupradicta decretalis Bonifac. VIII. poſita *in dicto cap. periculoſo, de ſtatu Regul. lib. 6.* non fuerit recepta, neque communiter obſeruata, quin vero vt fautores contrariæ opinionis volunt, per contrariam conſuetudinem, ſcitam notam atque toleratam, ab ipſis Romanis Pontificibus, fuerit derogata & ab rogata, nihilominus tamen, prædictarum Monialium clauſura, per Concilium Tridẽtinum poſtmodum fuit innouata, & quaſi de nouo edita, & vt ex ipſis verbis plane conſtat, comprehendit & obligat, ſupradictum clauſuræ decretũ, omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint. Quod vt plenius fiat, non ab re vſum eſt iterum prædicti Concilij Tridentini verba referre. Ait igitur Concilium, loco vbi ſupra. *Bon facij VIII. conſtitutionem, quæ incipit periculoſo renouans ſancta Synodus, vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt conſeruari maxime procurent, &c.* Explicans autem quænam Moniales prædictum decretum comprehendat, & qualiter clauſura prædicta obſeruanda ſit, ſubdit. *Nemini autem ſanctimonialium liceat, poſt profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, &c.* Ex quibus verbis, ibi *Renouans* ſuperque ſatis colligitur, per Concilium Bonifacij VIII. Conſtitutionem, circa clauſuram Monialium, fuiſſe innouatã & renouatã, ac præceptum quod vbi violata fuiſſet, diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata, conſeruari quammaxime procuretur, ſed conſtitutio, ſiue decretalis prædicta (vt ex illa ſatis cõſtat) omnes in vniuerſum Moniales comprehendebat & obligabat, & omnes mulieres, quæ vtcumque religionem vouiſſent, cuiuſcumque ordinis & conditionis extitiſſent, etiamſi clauſuram numquam promiſiſſent, aut ad eandem ſeruandam aliquo voto, ſeu regulæ ſuæ præcepto ſe obligaſſent, ergo negari non poteſt, quod prædictum Concilij decretum, omnes etiam in vniuerſum Moniales obliget nullis exceptis, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint. Quod & adhuc expreſſius, ex ſubſequentibus verbis patet, quando dicit Concilium. *Nemini autem ſanctimonialium liceat, poſt profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus quocumque prætextu, &c.* Ex quibus ſic colligo argumentũ, eiuſmodi Concilij decretum, generaliter omnes in vniuerſum comprehendit moniales, illiſque omnibus clauſuram imponit, ſed etiam eæ, quæ clauſuram numquam vouerunt, aut ad eandem ſeruandam ſe obligarũt, ſunt vere & proprie moniales: ergo ad idem omnes, ſine delectu & diſcrimine adſtringuntur & obligantur. Conſequentia inde patet: nam vt habetur in iure *in cap. 1. ſolitæ. §. fin.* de maiorit. *& obed. & capit. ſi Romanorum diſt. 19.* qui totum dicit, nihil excludit. Quod & hoc exemplo manifeſtius fiet. Si Concilium diceret, nemini Regularium liceat poſthac comedere carnes, quis dicere auderet, ad eiuſmodi præceptum obſeruandum, tantummodo conſtringi illos, qui ad hoc vt non carnes comederent, prius voto ſe adſtrinxerant? Ij enim iam prius adſtricti erant ad carnes nõ comedendas, at de nouo præcipitur, vt nedum ipſi qui ad id prius ſe adſtrinxerant, verum etiam & omnes alij, ad non comedendum carnes adſtringantur, idem ergo dicendum eſt in propoſito. Multa alia exempla ad idem poſſent adduci, ſed hoc vnicum pro mille ſufficiat. Vt tamen nulli deinceps, circa hoc vlla ſuperſit ratio dubitandi, concluſionem prædictam, libet amplius fulcire atque corroborare, ptius in communi loquendo de omnibus in vniuerſum monialium Religionibus, poſtmodum vero ad particulares deſcendendo, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint. Et quidem pro omnibus Religionibus in communi, facit in primis, illud eiuſdem Concilij decretum, poſitum in eadem ſeſſione 25. de reformatio. capit. 22. vbi ſequentia verba habentur. *Hæc omnia & ſingula ſuperioribus decretis contenta, obſeruari ſancta Synodus præcepit, in omnibus Cœnobijs ac Monaſterijs, Collegijs ac domibus, quorumcumque Monachorum ac Regularium, necnõ quarumcumque ſanctimonialium, Virginum ac Viduarum, etiam ſi illæ ſub gubernio Militiarum, etiã Hieroſolymitanæ viuant, & quocumque nomine appellentur, ſub quacumque regula vel conſtitutionibus, & ſub cuſtodia vel gubernatione, vel quauis ſubiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuſcumque Ordinis Mendicantium, v. l. non Mẽdicantium, vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcumque. Non obſtantibus eorum omniũ & ſingulorum priuilegijs, ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, ac Maremagnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Conſtitutionibus & regulis etiam iuratis, ac etiam conſuetudinibus & præſcriptionibus etiam immemorabilibus.* Pro cuius Decreti intelligentia præmitto, quod vt ex eodem Concilio conſtat, à cap. 1. dictæ ſeſſio. 25. Sacroſancta Tridentina Synodus, reformationem proſequens de Regularibus & Monialibus, multa atque diuerſa pro eiſdem conſtituit, & in dicto capit. 22. decretum prædictum appoſuit. Vbi quaſi ſatisfacere voluit, multorum obiectionibus, ſiue interrogationibus: & fuit ac ſi preſſius diceret. Si quæratur de quibus Regularibus ſiue Monialibus, Decreta prædicta ſint intelligenda, reſpondetur. *Quod omnia & ſingula, in ſuperioribus Decretis contenta, obſeruari Sancta Synodus*

nedus præcipit in omnibus Monaſterijs, &c. Per quod quidem Decretum, niſi quis velit oculos claudere, & quaſi cæcus in meridiana luce palpitare, ſatis clare colligitur quantũ ad præſens noſtrũ attinet propoſitum, quod nullæ nunc ſunt Moniales, quæ ab obſeruantia ſupradicti Decreti, poſitum in cap. 5. prædictæ ſeſſionis, vllo modo poſſint aut valeant ſe eximere, aut excuſare: nam ipſum ſicuti & omnia alia, omnes in vniuerſum Moniales cõprehendit, & ſancta Synodus præcipit, illic contenta obſeruari in omnibus Monaſterijs, &c. Nec certe latuit Concilij Patres, multas vbique terrarum eſſe Moniales, quæ numquam clauſuram vouerunt, nec ex voto aut aliquo Regulæ ſuæ præcepto, ad eandem ſeruandam ſe obligarunt, & nihilominus omnia in illo decreto contenta, obſeruari præcipit in omnibus Monaſterijs, quarumcũque ſanctimonialium, Virginum atque Viduarum.

Pro Monialibus ordinum militarium.

Quod ſi dixerint Moniales quæ viuunt ſub contubernio Militiarum, nedum Sancti Ioannis, verum etiam Sancti Iacobi, Calatrauæ aut Alcantaræ, ſeu aliarum, ſe ad obſeruandam prædictam clauſuram non obligari, audiant prædictum Concilij Decretum ſibi directum, dum dicitur. *Etiamſi illæ ſub gubernio Militiarum etiam Hieroſolymitanæ viuant, & quocunque nomine appellentur, ſub quacunque Regula vel Conſtitutionibus, & ſub cuſtodia vel gubernatione vel quauis ſubiectione aut annexione, vel dependentia cuiuſcunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, vel aliorum Regularium, Monachorum aut Canonicorum quorumcunque.* Si vlterius dixerint, ſe habere priuilegia, in id habentia clauſulas expreſſas, etiam in fundatione ſuorum Ordinum & Regularum obtentas, Conſtitutiones etiam priuatas, & conſuetudines, vel præſcriptiones etiam immemorabiles, audiant ſupradictum Concilij Decretum, ibi. *Non obſtantibus eorum omnium, & ſingulorum priuilegijs, ſub quibuſcunque formulis verborum conceptis, ac Maremagnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Conſtitutionibus, & Regulis etiam iuratis, ac etiam conſuetudinibus vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus.* Quæ ſupradicta omnia verba, ad litteram etiam & expreſſe, ponuntur in Conſtitutionibus Pij Quinti, & Gregorij XIII. de quibus diximus ſupra, in primo articulo, in illis verbis. *Cuiuſcumque Religionis, Ordinis vel Militiarum, etiam ſi Hieroſolymitanæ ſint, &c.* Videatur etiam hac de re Nauarro, *in cap. ſtatuimus* de Regul. num. 40. cum ſequentibus, ſed præſertim, nu. 44. & 45. vbi dicit, quammaxime eſſe notandum, quod ſtatuta in fundatione poſita eneruantia, clauſurãin prædicto Decreto tolluntur, quod inquit, eſſe valde memorabile, cũ talia ſtatuta, etiam contraria iuri communi, cenſeantur firmiſſima, iuxta notata, *in cap. cum dilectus, de conſuetudine, & cap. præterea, de iurepatronat. & capit. Eleutherius 18. quæſt. 2.* Si item dixerint, Moniales, quæ dicuntur Tertiariæ, ſe ſanctimoniales non eſſe, nec ſimpliciter & abſolute Moniales, ſed quod vulgo dicitur. *Beatas, o mugeres recogidas,* neque ad clauſuram vllo modo obligari ex voto, ſeu ex aliquo ſuæ regulæ præcepto, audiant Pium Quintum Põtificem Maxim. de eiſdem dicentem, in prædicto ſuo Motu proprio, iam pluries allegato. *Mulieres quoque Tertiariæ ſeu quæ de pœnitentia nuncupantur, cuiuſcumque fuerint ordinis in congregatione viuentes, ſi & ipſæ profeſſæ fuerint, ita vt ſolemne votum emiſerint, ad clauſuram præciſe (vt præmittitur) & ipſæ teneãtur, quod ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij vna cum ſuperioribus earum, hortentur & perſuadere ſtudeant, vt illud emittant & profiteantur, ac poſt emiſſionem & profeſſionem, eidem clauſuræ ſe ſubijciant, quod ſi recuſauerint & aliquæ ex eis inuentæ fuerint ſcandaloſe viuere, ſeueriſſime puniantur. Cæteris autem omnibus, ſic abſque emiſſione profeſſionis & clauſura viuere omnino volentibus, interdicimus & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationem ve recipiant. Quod ſi contra huiuſmodi hanc noſtram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad ſic vouendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet profeſſiones & receptiones, irritas decernimus & nullas, prout etiam præſenti Decreto irritas facimus & annullamus.* Hæc ibi. Quodipſum idem Pius Quintus determinauit, in alio ſuo Motu proprio, ſiue extrauaganti, quæ incipit, *Decori & honeſtati.* Quin vero & Gregor. XIII. in alia ſimili, quæ incipit, *Deo ſacris,* poſt ſacroſancti Concilij Tridentini decretum, quo conſtitutio Bonifacij VIII. poſita in cap. *Periculoſo,* innouata fuit, prohibitumque omnibus in vniuerſum Monialibus, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint, è ſuis Monaſterijs egredi, & alijs cuiuſcumque ſexus & Ordinis perſonis, ne ad eas ingredi præſumant, ac præceptum vniuerſis Epiſcopis, vt Monialium clauſuram, in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata, conſeruari quam maxime procurent, deſcendendo ad prædictas Moniales Tertiarias, & agendo de ipſarum clauſura ſubdit. *Declaramus præterea, nullis Monialibus etiam Tertiarijs, licere habere oſtium, per quod ex Monaſterio introiri poſſit in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam ſæcularibus ad Miſſas, & diuina officia patere ſolet acceſſus, ſed omnino muro extruendum. Nec itidem licere Monialibus etiam Tertiarijs, egredi à ianua Monaſterij, quæ eſt pro clauſura ipſius Monaſterij, etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus, venientibus vel ad rotã vel ad crates ſeu loca colloquijs deſtinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulſandam ianuã clauſuræ, quæ loca cũ ſaltẽ pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore ſunt clauſæ, quæ omnia ſupradictis Epiſcopis præcipit, vt ſumma diligentia procurent, & inuiolabiliter obſeruent atque obſeruari faciant, non obſtantibus quibuſcumque.* Ex quibus omnibus, pluribuſque alijs à me breuitatis cauſa omiſſis, ſuperque ſatis colligitur, veritas noſtræ concluſionis, nempe quod ad clauſuram prædictam ſeruandam, tenentur de facto omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint, non ſolum illæ quæ expreſſe, & explicite eandem vouerunt, ſeu ex voto aut aliquo ſuæ Regulæ præcepto ad eandem ſeruandam ſe obligarunt, verum etiam & omnes aliæ, quocumque nomine nuncupentur, ſiue appellentur Moniales aut ſanctimoniales, ſiue non, ſed commendatariæ, aut mulieres Tertiariæ, dummodo ſint ſolemniter profeſſæ, ſiue ſint Virgines ſiue vero viduæ: nam omnes ſub expreſſis verbis, vt conſtat in prædictis Decretis, & Conſtitutionibus comprehenduntur, ſub quacumque Regula, ſiue Conſtitutio-

Nota valde pro Tertiarijs verba illa, ſi fuerint profeſſæ, ita vt ſolemne votũ emiſerint.

ſtitutionibus viuant, quibuſcumque ſubditæ ſiue ſubiectæ ſint, Mendicantibus vel non Mendicantibus, Monachis ſiue Canonicis Regularibus, etiã ſi ſint ſub gubernio quarumcumque Militiarum, etiam Hieroſolymitanæ. Neque allegare vllo modo poſſunt exceptionem aliquam, nam omnes ſub expreſſis verbis cõprehẽdũtur ibidẽ & vt dicitur in expreſſis non eſt locus coniecturis, etiamſi habeant priuilegia, in Regula ſiue fundatione obtenta, quod ad clauſuram non compellantur, neque compelli poſſint, & etiamſi ibidem immemorabilis ſit conſuetudo, dictam clauſuram non ſeruandi: nam ijs omnibus non obſtantibus, præcipitur à Concilio, & à ſupradictis Summis Pontif. vt inuiolabiliter obſeruetur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, etiam in fundatione obtentis, non etiam obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & Conſtitutionibus & Regulis etiam iuratis. Supradicta omnia habentur expreſſe in locis ſupracitatis. Quæ quidem ſi recte perpẽdantur, certe ego non inuenio, quid hac in re amplius aut clarius dici poſſit, nec video quonam pacto, quiſpiam qui mentis ſit compos, contrarium dicere aut affirmare audeat. Nã certè vnũ ex duobus, vitari minime poteſt: aut enim dicendum eſt, quod Eccleſia Summique Pontif. nullatenus potuerunt Moniales prædictas, ad ſeruandam clauſuram obligare (quod dicere non videtur tutũ hoc tempore, poſt tot Summorum Pontificum Conſtitutiones & decreta, neque quod id ſuſtineri vllo modo poſſit, abſque erroris ſiue temeritatis nota) vel dicendum eſt, prout in noſtra concluſione eſt dictum, quod omnes in vniuerſum Moniales, ad eandem ſeruandam tenentur, abſque delectu & diſcrimine, cuiuſcumque Ordinis & conditionis exiterint. Et vt videatur, omnibuſque fiat perſpicuum, quanto cum rigore, prædictum Concilium Tridentinum, ſupradictiq; Summi Pontif. clauſuram prædictam voluerint obſeruari, notentur & ponderentur obſecro verba, quibus vtũtur, quæ quidẽ adeo ſunt efficacia, & rigoroſa vt merito contrarium aſſerentium carnes, & viſcera debeant contremiſcere. Nam in primis clauſura prædicta, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata eſt conſeruari, vt quammaxime procuretur, omnibus in vniuerſum Epiſcopis & Prælatis præcipitur, non minus quam ſub obteſtatione diuini iudicij. Secundo dicitur, quod ad id faciendum, in obedientes & contradicentes, per Eccleſiaſticas cenſuras compellant. Tertio ſubditur, vt in eo procedant quacunque appellatione remota, & quod ad id ſi opus fuerit inuocent auxilium brachij ſæculatis, & tandem quarto, omnes Principes Chriſtianos, ad eiuſmodi auxilium præſtandum, Concilium exhortatur, Magiſtratibuſq; omnibus ſæcularibus, ſub excõmunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipit, vt auxilium prædictum præbeant. Ex quibus facile erit colligere, quanti hæc res ſit momenti, quantumque à Concilio Tridentino, & à dictis Summis Pontif. fuerit deſiderata, & conſequenter proinde, quam graue onus ſuper ſe ſumant, quam etiam ingens peccatum committant, Doctores & Magiſtri, qui in re adeo clara & manifeſta, poſt tot decreta, tanto rum Summorum Pontificum conſtitutiones, continentes adeo rigida, horrenda, ponderoſa atque rigoroſa verba, vt prædictis Monialibus placeant, temerarie aſſerere ac dicere non verentur, quod ad ſeruandam clauſuram ipſæ non tenentur, & quod peius multo eſt, quod neque Concilium, nec Summi Pontif. id ipſum ſtatuere potuerunt, aut ipſas obligare, quod dicere meo quidem iudicio, ingens temeritas eſt, vt ne dicam error quam maximus. Sed iamiam tempus præfert, vt ad argumenta in initio articuli propoſita pro parte cõtraria, ſiue pro ratione dubitandi reſpondeamus.

Ad primum. Ad primum adductum *ex capit. Periculoſo, de ſtatu regul. lib. 6.* dico, quod quidquid ſit de decretali ſupradicta Bonifacij VIII. An fuerit recepta necne, ſeu executioni tradita, an vero per contrariã conſuetudinem ſcitam, & toleratam à Roman. Pontificibus, abrogata & reuocata, adhuc nihilominus per Concilium Tridentinum de nouo fuit innouata, confirmata & quaſi de nouo edita, vt ex ſupradictis ſuperq; ſatis conſtat latiſſimè, & per ſupradictos Pontifices, Pium Quintum & Gregor. XIII. & vt clare ex eorumdem verbis conſtat, generaliter atque vniuerſaliter, comprehendit & obligat, omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint, nulla prorſus exceptione facta, vnde nec locum habet, quod argumentum prætendit. Licet enim ex vi illius vt iam abrogata & reuocata, ſeu potius vt ipſi dicunt, antiquata fuit, Moniales prędictæ non obligarentur ad ſeruandam clauſuram, obligantur tamen ex vi eiuſdem, vt iam per Concilium Tridentinum, & per Summos Pontif. prædictos innouatæ, & quaſi de nouo editæ, ac priſtino ſuo vigori reſtitutæ, & hoc ſufficit ſuperque ſatis eſt.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum argumentum, adductum ex Concil Tridentin. in illis verbis. *Monialium clauſura, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata eſt conſeruari, quammaxime ab Epiſcopis procuretur*, reſpondeo & dico, quod verbum illud *violari* in loco prędicto, refertur ad clauſuram ſeruari præceptam, à Bonifacio Octauo *in dicto cap. Periculoſo*, dicitque Concilium, quod vbi ea violata fuerit, diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata eſt conſeruari, Epiſcopi quam maxime procurent. Vbi non ſolum fit ſermo, de clauſura ad quam obſeruandam, aliquę Moniales alias tenebantur, ex voto ſiue ex ſuæ Regulæ ſpeciali præcepto, ſed de illa ad quã omnes in vniuerſum Moniales tenebantur, ex præcepto ſiue decreto prædicti Bonifacij. Pro cuius intelligentia præmitto, quod duplex lex reperitur, ſeu reperiri poteſt, de ſeruanda clauſura. Altera procedens ex voto ſeu ex ſpeciali alicuius Regulæ præcepto, qua aliquæ Moniales ad eandem ſeruandam tenebantur ante Concilium Tridentinum, quin vero & ante dictam Conſtitutionem Bonifacij VIII. quales erant Moniales Sanctæ Claræ, & ſi quæ aliæ ex ſua profeſſione ſiue ex ſuæ Regulæ præcepto, emittunt quartum clauſuræ votum, alia vero eſt clauſuræ lex, quam generaliter & vniuerſaliter, omnibus in vniuerſum Monialibus, ſupradictus Bonifacius Octauus indixit, cuiuſcumque Ordinis & conditionis extiterint: Dico igitur quod ſupradicta Concilij verba, ad vtramque clauſuram referuntur, præciputque vt inuiola-

uiolabiliter ipſa obſeruetur à quibuſcumque Monialibus, non ſolum ab ijs quę eam promiſerunt, & ad eandem obſeruandam, ex voto ſeu ex aliquo ſuæ regulæ præcepto ſe obligarunt, verum etiam & à quibuſcumque alijs, iuxta prædicti Bonifacij VIII. decretum. Vnde ad argumentum in forma reſpondeo. Quod quamuis reſpectu illarum Monialium, quæ numquam clauſuram promiſerunt, ſeu ad eandem obſeruandam, ex voto vel ex aliquo ſuæ Regulæ præcepto ſe obligarunt, clauſura violata non dicatur, nam vt argumentum prætendit, violari non dicitur, niſi id quod frangitur, ſiue quod non obſeruatur, cum tamen id fuiſſet neceſſarium ſiue præceptum: (violatio enim idē omnino pollet, ac legis tranſgreſſio, vnde ſi nulla eſſet lex clauſuram præcipiens, nulla profecto clauſura recte aut proprie diceretur violari) attamen reſpectu earum, & omnium aliarum quarumcumque, ſi non obſeruabatur recte ac proprie violata dici potuit clauſura obſeruari præcepta à Bonifacio Octauo, & ſic de vtraque clauſura loquitur Concilium, in loco prædicto. Eſt itaq; ſenſus verborum Concilij, quod Monialium clauſura, vbicumque fuiſſet violata, diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata erat conſeruari, ab Epiſcopis quammaxime procuraretur. Siue clauſura prædicta & obligatio ſeruandi ipſam, proueniat ex voto aut ſpeciali Regulæ præcepto, ſiue vero ſolummodo ex præcepto & decreto Bonifacij VIII. quod Concilium prædicto in loco, vt ex ipſius verbis conſtat, innouat ac ſtricte præcipit obſeruari, clauſuram nempe ab eodem præceptam, & iam per non vſum ſiue por contrariam conſuetudinem abrogatam, reuocatam, ſeu potius antiquatam, diligenter reſtitui & inſtaurari, reponique in ſuum antiquum ſtatum, Clauſura igitur quæ tempore dicti Bonifacij obſeruata fuit, aut ſaltem iuxta ipſius Conſtitutionem obſeruari debuiſſet, hæc eſt quæ in dicto Concilio innouatur, inſtauratur ac diligenter reſtitui præcipitur. In quo quidem ſenſu, intellexerunt, explicarunt & declararunt, prędictum Concilij decretum Summi Pontifices, Pius Quintus, & Gregor. XIII. vt ſatis clare conſtat ex eorumdem Conſtitutionibus. Vnde hac in re nullus iam relinquitur ambigendi locus, habentibus mentis oculos, & nolentibus vlterius, in die & luce fere meridiana palpitare. Videatur hac de re Nauar. *in d. cap. ſtatuimus, num. 40. cum ſequentibus*, ſed maxime 44. & 45. & Emman. Roderic. 1. tomo Quęſtionum Regularium, q. 44. art. 2. & 3.

Nota valde.

Ad tertium.

Ad tertium argumentum, adductum ex Conſtitutione Pij Quinti, ex illis verbis quę etiam habētur in *d. cap. Periculoſo, tacite, vel expreſſe profeſſæ*. Reſpondeo etiam & dico, quod vt eiſdem conſtat, prędicta verba, ibi non referuntur ad clauſuram, ſed ad Religionem. Itaque non eſt ſenſus, quod Moniales quę tacite vel expreſſe, clauſuram fuerint profeſſę, ad eandem ſeruandam compellantur, ſed quod Moniales quęcumque, Religionem tacite vel expreſſe fuerint profeſſę, teneantur & compellantur ad ſeruandam clauſuram, ſiue illam fuerint profeſſę ſiue non, cum tamen (vt dixi) Religionem tacite vel expreſſe fuerint profeſſę. In hoc igitur ſtat multarum Monialium error & ignorantia quammaxima, & eorum qui ipſarum partes agunt, & hac in re eiſdem auxilium & conſiliū prębent. Exiſtimant enim ad clauſuram minime teneri, nec per Concilium ac Summos Pontifices prędictos obligari, niſi eas dumtaxat Moniales, quę eandem tacite vel expreſſe fuerint profeſſę. Cum tamen re vera nihil tale habeatur ibidem, vt patere facile poteſt intuenti. Sed abſolute & abſq; vlla diſtinctione, nulla etiam habita ratione de profeſſione clauſurę, per Concilium & Summorum Pōtificum Conſtitutiones prędictas, ad eandem ſeruandam obligantur & adſtringuntur omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint, cum tamen Religionem, tacite vel expreſſe fuerint profeſſę. Hic eſt punctus prędicti clauſurę, & totius obligationis ſeruandi illam, vt latiſſime tradit ſupradictus Nauar. *lib. 3. cō ſiliorum, de Regularibus, conſil. 80.* vbi reſponſurus difficultati cuidam ſibi propoſitę, an ſcilicet Monachę ſiue Oblatę, Turris Nouę Speculorum Vrbis, tenetāur ad clauſuram, ſicut cæterę Moniales, dicit hanc quęſtionem & ipſius deciſionem, dependere ex deciſione alterius difficultatis, an ſcilicet prędictę Oblatæ, ſint vere Monachę ſiue Moniales, tacite vel expreſſe profeſſę, quia, inquit, ſi ſunt vere profeſſę, procul dubio tenentur ad obſeruantiam prędictę clauſurę, ſi autem non ſunt vere Monachæ ſiue Moniales profeſſæ, contrarium eſt omnino dicendum, vt & nos etiam, in ſequenti articulo latius dicemus. Sed aduerto, quod non per hoc quod Moniales, per Concilium & dictorum Summorum Pontificum Conſtitutiones, iubentur ſeruare clauſuram, adſtringuntur illam profiteri, aut compelli poſſunt ſiue debent ipſam vouere: nam non ad id tenentur, ſed ſolummodo ad eandem ſeruandam, & hoc ex Eccleſiæ præcepto, eo modo, quo omnes in vniuerſum fideles, ad ſeruādum quadrageſimale ieiunium, quod ſeruare quidem tenentur, non tamen ipſum vouent, nec ad illud vouendum adſtringuntur. Verum eſt tamen, vt conſtat ex Conſtitutione Pij V. ſuperius adducta, quod illæ mulieres, quæ in Congregatione viuūt aliquem religioſum viuendi modum profitentes, ſed non ſecundum aliquam regulam, pro vera religione à Sede Apoſtolica approbatam, quia non ſunt vere religioſæ, præcipitur vt poſthac nullas alias poſſint in ſuam Congregationem ſiue ſocietatem recipere, niſi profiteantur clauſuram, quod in effectu fuit, earum Congregationes ſuaui illo modo velle finire, eo modo quo olim Lugdunenſe Cōcilium, aliquas Religiones approbatas finiuit, vt habetur *in cap. 1. §. 1. de religioſ. domibus, in 6.* & tradit Nauar. in dicto cap. ſtatuimus, num. 45.

Nota hoc val de.

Nota quod nō præcipiuntur Moniales quæ ſunt profeſſæ clauſurā pro mittere, ſed tantummodo illam ſeruare

Nota verbū, profiteantur.

Ad quartum & vltimum argumentum, quo dicitur, ad hoc vt aliqua lex obliget, ſeu obligare poſſit, neceſſarium eſſe quod recipiatur, &c. Reſpondeo & dico, quod Concilialis lex, & quæ efficitur in Concilijs, non indiget illa particulari receptione ſeu approbatione, quam prætendit argumentum. Nam Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, ſicque ibidem cōueniunt, omnes Primates & capita populorum, omnes etiā Epiſcopi. & omnium Religionum Prælati, ibidem etiam adſunt Imperatores & Reges, per ſe aut ſalte per ſuos Oratores, ſiue procuratores, quo fit vt leges quæ ibidem conduntur, vlteriori non indigeant

geant populi approbatione,neque id mirum cum & leges ciuiles, quæ conſentientibus ciuitatum procuratoribus,totum regnum repræſentantibus fiunt,quamuis omnes tangant,non vlteriorem requirunt populi conſenſum, ſiue approbationem. Quod ſi hoc verum habet in legibus ciuilibus, multo ergo melius atque à fortiori,obſeruari debet in legibus Eccleſiaſticis, maxime conciliaribus. Nam inter has & illas latiſſimum verſatur diſcrimen, ſicut & inter poteſtatem Eccleſiaſticam & ciuilem, & illud eſt quod poteſtas ciuilis, immediate eſt in tota Republica & ab ipſa Republica deriuatur in Reges,at vero poteſtas ſpiritualis & Eccleſiaſtica,non immediatè eſt in tota collectione fidelium,nec ab ipſa Republica Chriſtiana,Summus Pontifex accipit ſuam ſupremam auctoritatem & poteſtatem quam habet, ſed immediatè à Chriſto Domino. Quo fit vt Eccleſiaſticę leges maxime editæ in generalibus Concilijs,& à Summis Pontificibus approbatæ,quamuis omnes fideles tangant, non ipſorum ſpecialem conſenſum,ſiue approbationem expoſtulant, ad hoc vt vim obligandi habeant. Ex quo ſubinde colligitur,quod ad condendam legem de Monialiũ clauſura,& ad hoc vt ipſa obliget Moniales omnes,& adſtringantur & cõpellantur ad eandẽ ſeruandã, non neceſſarius erat earumdem Monialium conſenſus & approbatio,vt argumentum prætendit, ſed ſufficit ſuperque ſatis eſt,quod in generali Cõcilio eiuſmodi decretum fuerit effectum,& à Pontifice Maximo,qui immediatè à Chriſto Domino poteſtatem & iuriſdictionem habet, cuius etiam in terris vices gerit,fuerit confirmatum & approbatum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Moniales, quæ profeßionem emiſerunt ea lege & pacto, vt ad clauſuram non adſtringerentur, ſint ſolemniter profeſſæ, & nihilominus ad eandem obſeruandam, poßint adſtringi & obligari?

PRo huius articuli intelligentia præmitto,quod poſt ſupradictum Concilij decretum, & prædictorum Summorum Pontificum conſtitutiones de clauſura Monialium,nonnullæ Moniales ſiue mulieres in Congregatione viuentes, & profitentes regulam & Religionem aliquam à Sede Apoſtolica pro vera religione approbatam,vt non iuxta præſcriptum Pij Quinti omnino extinguerentur,neque ad ſeruandam clauſuram aſtringerentur, volentes etiam alias in ſuum Ordinem ſiue Congregationem recipere,quemdam profitendi modum adinuenerunt,quo ſibi perſuaſum habuerunt, ipſas eſſe vere Moniales & profeſſas,poſſeque alias in ſuum conſortium & ſocietatem admittere, & tamen ad clauſurã non obligari. Emittebant enim profeſſionem ſub ſequenti verborum forma. *Ego N. voueo ſiue promitto, ſeruare hanc vel illam regulam, ſeu obedientiam ſecundum talem & talem regulam, viuendo in obedientia, ſine proprio & in caſtitate. Hac tamen conditione & pacto, vt ad ſeruandam clauſuram non adſtringar, neque vllo modo poßim adſtringi. Proteſtãdo nullo modo meæ eſſe intentionis & voluntatis, nunc neque in aliquo tempore clauſuram profiteri aut illam ſeruare, nec quod virtute meæ huius profeßionis, ad id vllo vnquam tempore poßim compelli, &c.* De quibus proinde Monialibus, profeſſis ſub prædicta verborum forma, ſeu aliqua alia ſimili, merito fuit ſemper dubitatum,an ſint vere & realiter ſolemniter profeſſæ, & an prædicta proteſtatione non obſtante,ad ſeruandam clauſuram,nihilominus poſſint compelli & aſtringi? Quæſtio ſanè ardua atque difficilis, & quæ multorum ſemper torſit ingenia. Nec enim facile eſt determinare,an prædicta conditio contrarietur ſubſtantiæ & eſſentiæ ſolẽnis voti, & an eiuſmodi proteſtatione non obſtante,ex ſuppoſitione,quod votum fuerit validum & ſolemne,Moniales,quæ illud emiſerunt ad ſeruandam clauſuram poſſint compelli? Et pro vtraque parte ſunt validiſſima ac fortiſſima argumenta, variæ etiam opiniones & ſententiæ. In qua quidem quęſtione, vt pro meo more,clare & diſtincte procedam, libet prius aliquot fundamenta præmittere,quibus certa & indubitata, à incertis & dubijs ſeparentur,poſtmodum vero opiniones diuerſæ referentur,ac tandem vltimo per concluſiones explicabitur,quod verius & probabilius videbitur.

Primo notã. Quid ſit votum ſolemne, & in quo diſtinguatur à voto ſimplici?

Primo præmittere oportet,quidnam ſit votum ſolemne,& in quo diſtinguatur à ſimplici? De quo licet ſupra agendo de Religioſis plura dixerimus, pro nunc vt in memoriam aliqualiter redigãtur, dico ex communi omnium reſolutione, quod votum ſolemne eſt illud, quod emittitur profeſſione tacita vel expreſſa,alicuius Religionis approbatæ,aut celebratur, in ſacrorum ordinum ſuſceptione. Hæc voti ſolemnis definitio, habetur expreſſa *in cap. vnico de voto, & voti redemptione libro 6.* vbi Bonifacius Octauus,ſcribens Epiſcopo Viterenſi,in ſequentia verba prorumpit. *Quod votum debeat dici ſolemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax,nos conſulere voluiſti. Nos igitur attendentes,quod voti ſolemnitas, ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta,matrimonij vero vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente,vnionem & indiſſolubilitatem acceperit, præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis,illud ſolum votum debere dici ſolemne,quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum,quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis,aut per profeßionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua vero vota,etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa,tanto propter plurium ſcandalum & exemplũ, durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur,non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta.* Ex quibus Bonifacij Octaui verbis, liquido conſtat voti ſolemnis definitio & etiã voti ſimplicis. Nã ſimplex eſt quodcumque aliud,ſiue occulte ſiue publice fuerit factum,vt tenet communis Doctorum doctrina,ex Paludano communiter recepto,in 4. diſtinctione 38 quæſt. 2. & Diuo Antonino,2. parte titulo 11. cap. 2. §. 1. Colligitur etiam ex prædictis verbis diſcrimẽ,quod verſatur, inter votum ſolemne

& vo-

& votum ſimplex: nam ſolemne impedit & dirimit matrimonium poſt contractum, quia inhabilem facit ad contrahendum, ſimplex vero quamuis impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit poſt cõtractũ, vt habetur expreſſe *in dicto c. vnico de voto & voti cũ gloſſa*, & tradit etiã *gloſſa in capit. rurſus, qui clerici vel vouentes.* Hinc fit quod quamuis lethale crimen admittat, qui votũ ſimplex violauerit, debeatque puniri propter ſcandalum, maius tamen crimen eſt grauiuſque ſcandalum ſequitur, ex tranſgreſſione voti ſolẽnis, vt tradunt omnes Doctores communiter, argumẽto deducto *ex c. homo d. 40. & c. præcipue*, 11. q. 3. Sed ad notare oportet, quod ad hoc vt aliquod votũ dicatur ſolemne, factum per profeſſionem expreſſam vel tacitam, in aliqua de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, neceſſario requiritur, quod eiuſmodi Religio per Sedem Apoſtolicam, ſit approbata pro vera Religione, & ſecundum aliquam certam regulam, nec ſufficit quod communi & generali vocabulo appelletur Religio, fueritque per Eccleſiam approbata, pro aliquo modo bono viuendi, vt quam latiſſime multis in locis dictum eſt ſupra, & tradit Nauarro libro 3. Conſiliorum, de Regularibus Conſil. 81. num. 8. agendo de clauſura ſupradictarum mulierum, ſiue Monacharum, quæ dicuntur Oblatæ Turris nouæ, Speculorum Vrbis, ex Panormitano communiter recepto, *in rub. de regul. & in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de Conſtitutionibus*, quẽ etiã ſequitur Felinus & Decius ibidẽ, alijque permulti. Vnde Moniales quæ nullam certam & determinatam regulam promiſerunt, aut non in aliqua religione per Sedem Apoſtolicam, pro vera religione approbata, ſed tantum pro bono modo viuendi, non ſunt nec dici poſſunt ſolemniter profeſſę. Sed illa dumtaxat prout ad noſtrum præſens attinet propoſitum, dicitur Monialis ſolemniter profeſſa, quæ emiſerit tria eſſentialia & ſubſtantialia religionis vota, in aliqua de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis pro vera religione, & non ſolum pro bono aliquo modo viuendi, & ſecundum certam regulam, idque in manibus Superioris, poteſtatem habentis, ad recipiendum & incorporandum aliquam ſiue aliquas, eidem Religioni. Hæc doctrina eſt communis, & communi omnium conſenſu recepta. Solum modo ſupereſt inueſtigare & inquirere, an vitiet, extenuet, ſiue vero annullet, ſupradictum ſolemne votum, prædicta conditio appoſita, de qua modo diximus, ſcilicet quod virtute talis profeſſionis, ac ex vi talis voti, eiuſmodi Moniales compelli & obligari nullo modo poſſint, ad ſeruandam clauſuram, de quo ſit ſecundum notabile.

Nota valde.

Secũdo nota, quæ apponi poſſunt votis quæ fiunt in profeſſionibus.

Secundo eſt notandum, quod conditiones quæ alicui voto, ſiue profeſſioni poſſunt apponi, ſunt in triplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ nec ſunt contra eſſentiam ſiue ſubſtantiam voti Religionis, nec vero contra aliquod præceptum ſiue ſtatutum regulæ, quam aliquis profitetur, vt ſi quis, verbi gratia, profiteretur regulam S. Franciſci, hac lege & pacto, vt ſingulis annis detur ſibi facultas à Prælato, peregrinandi aut inuiſendi parentes, ſeu faciendi quidpiam ſimile. Quæ quidem conditiones (vt de ſe patet) nec ſunt contra aliquod præceptum regulæ, nec vero contra ea quæ eſſentialia & ſubſtantialia ſunt ſolemni voto, ac profeſſioni religionis, nempe contra caſtitatem, paupertatem ſiue obedientiam ſimpliciter, vt latius infra dicetur. Aliæ vero ſunt conditiones, quæ licet non ſint contra ea quæ eſſentialia, & ſubſtantialia ſunt atq; intrinſeca ſolemni voto, & ſtatui religionis, ſunt tamen contra aliquod præceptum, ſiue ſtatutum regulę, quam quiſpiam profitetur, vt ſi quis, verbi gratia, prædictam Sancti Franciſci regulam profiteretur, ea conditione & pacto, vt liceret ſibi carnibus veſci in omnibus ieiunijs, quæ non præcipiuntur ab Eccleſia. Quæ quidem cõditio, eſſet expreſſe contra præceptum de ieiunio, contentum in eadem noſtra regula. Tãdem tertio, eſſ poſſunt aliæ conditiones, repugnantes expreſſe eſſentiæ & ſubſtantiæ ſolemnis voti, ſiue Monachalis profeſſionis, quæ quidem vt iam pluries dictum eſt, ſupra in iſto 1. tom. q. 1. ar. 4 & 5. & q. 24. ar. 6. & ſæpe alibi, conſtatque ex communi ſententia, & generali omnium Doctorum reſolutione, conſiſtit in obſeruantia obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, quæ communiter dicuntur tria religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota. Vt ſi quis profiteretur eandem Diui Franciſci regulam, hac lege vt liceret ſibi, quæcumque bona libere acquirere, & adepta poſſidere ac retinere, etiam inuito Prælato, vel quidpiam ſimile, in ſpectantibus & pertinentibus ad obedientiam & caſtitatem. Quæ quidem conditio, vt de ſe patet, expreſſe eſſet contra eſſentiam & ſubſtantiam ſolemnis voti, & Monachalis profeſſionis. Hoc oportet multum aduertere, pro ijs quæ inferius ſunt dicenda.

Tertio nota, quibus modis poſſunt apponi conditiones prædictæ.

Tertio adnotare oportet, quod quælibet conditionum ſupradictarum, apponi poteſt voto, ſiue Monachali profeſſioni, duobus modis. Vno modo apponendo aliquam ex conditionibus prædictis, præciſe & ſimpliciter, ſine aliquo pacto de irritando actum ſi aliquid fiat in contrarium, vt ſi quis (verbi gratia) profiteretur hac conditione, vt ſua bona liceret ſibi retinere, nihil dicendo amplius. Alio modo cum pacto prædicto, dicendo & proteſtando, quod aliter profeſſio à ſe facta ſit nulla, ſeu quod aliter non vult, nec intendit profiteri. Inter quos profitendi modos, latiſſimum verſatur diſcrimen, vt tradit Sylueſter in Summa *verbo, Religio, 3. quæſt. 8. num. 8.* Nam in primo caſu, ſeruanda eſt conditio ſi ſeruari poteſt, & non fuerit illicita, nec contraria actui & profeſſioni, ſin vero minime, non tamen vitiatur aut annullatur actus. In ſecundo vero caſu, ſi fiat reſeruatio per viam conditionis reſolutiuæ vel ſuſpenſiuæ, vitiatur actus & non conditio. Pro quo allegat prædictus Syluester *cap. fin. de condition. appoſ.* & idem eſſe dicit, ſi fiat per modum pacti, dicendo vt dixi, quod aliter nõ intendit profiteri ſeu alio modo. Nã prædicta verba, habent vim conditionis, ſecundum Bartol. *in authent. ingreſſi. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & ſic nõ ſeruata cõditione vitiatur actus.

Quarto nota quod quãuis in contractibus, cõmuniter ſuſpendat cõſen.

Quarto eſt notãdũ q; quãuis in omnibus cõtractibus cõmuniter ita ſit, q; cõditio appoſita ſuſpẽdit cõſenſũ, etiãſi exprimatur per verba de præſenti, ita q; cõditione pẽdẽte, ſuſpẽſa eſt quoque obligatio cuiuslibet contractus, vt ſi quis dicat, contraho

traho tecum,ſi pater meus cõſenſerit, certum eſt quod prædicta conditione pendente, conſenſus ſuſpenditur, quamuis per verbum præſentis exprimatur, vt ſatis colligitur *ex capit. ſuper eo. de condit. appoſ.* attamen in voto non ita res ſe habet: nam qui emittit votum, etiamſi illud faciat cum aliqua conditione appoſita, ſi efficiatur per verbum præſentis temporis, non ſuſpenditur conſenſus, ſed ſtatim cenſetur obligatus, etiam ante impletam conditionem, quin vero & quamuis conditio nõ adimpleatur, niſi in caſu ſupradicto, quo reſeruatio fit per viam conditionis reſolutiuæ vel ſuſpenſiuæ, aut per viam pacti. Quod oportet multum aduertere & patet expreſſe, *argumento deducto, ex capit. inſinuãte, qui clerici vel vouẽtes*, vbi dicitur, quod quędam mulier, quę profeſſa eſt certam Regulam, ſub hac conditione quod in domo ſua, cum omnibus ſuis bonis permanere poſſet, ſtatim diiudicata eſt vere Religioſa & profeſſa, neque potuit trãſire ad nuptias, etiam ante impletam cõditionem, quin vero & quamuis conditio poſtea non adimpleretur, ſecundum omnes Doctores communiter, profeſſio fuit valida.

Quinto nota, duplicẽ modũ, quo conditiones poſſunt apponi.

Quinto eſt notandum, quod ſicut in contractu matrimonij, cui adijcitur conditio contra ſubſtantiam ipſius, poteſt hoc dupliciter fieri, vno modo ita quod contrahentes ſtatim intendant matrimonium contrahere, atque eo contracto conditionẽ appoſitam ſeruare, eiſque obligationem inducere, vt ſi quis dicat, contraho tecum liberrimo animo contrahendi, ſed tamen volo te venenum ſterilitatis aſſumere, in quo quidem caſu, qui ſic cõtrahunt, ſtatim contrahere intendunt, ac tali matrimonio contracto, obligationem ſibi inducere, quæ ſubſtantiæ ipſius matrimonij contrariatur: alio vero modo fieri poteſt, ita quod contrahentes contrahere nolint, donec conditio eueniat ſeu adimpleatur: inter quos contractus hoc verſatur diſcriminis, quod in primo apponitur obligatio matrimonio, quæ eius ſubſtantiæ contrariatur, in ſecundo vero conditio non cõtrariatur matrimonio, ſed tamen ſuſpenditur matrimonialis conſenſus, donec conditio veniat, vel adimpleatur: ita & applicando hæc ad noſtrum propoſitum, de emiſſione voti ſiue profeſſionis, dico quod poteſt monialis quæpiam, dupliciter Regulam aliquam profiteri, & apponere conditionem aliquam ſuo voto, ſeu profeſſioni repugnãtem. Primo animo ſtatim profitendi, & voto facto quod ſeruetur conditio appoſita, ac ſit firma ipſius obligatio, vt ſi dicat: ego profiteor hanc vel illam Regulam, cum hac tamen conditione, vt bona mea nullus Prælatus à me auferre poſſit. Secũdo vero modo poteſt profiteri, non habens animũ ſtatim profitendi, donec cõditio ipſa eueniat, ſeu adimpleatur, vt ſi eadẽ dicat, profiteor hanc vel illã Regulã, hac conditione & lege, vt Prælatus mihi cõcedat, vel à Sũmo Pontif. indultum obtineat, quo bona mea vt propria in Religione poſſidere liceat. Inter quos quidem diuerſos profitendi modos, idem verſatur diſcriminis, quod modo diximus de contractu matrimonij, nam in primo caſu, conditio non ſuſpendit votum, quin vero aduenit eidem, in ſecundo vero ſuſpenditur votum, maximè ſi fiat, vt diximus, per viam conditionis reſolutiuæ vel ſuſpenſiuæ, aut per viam pacti, dicendo quod aliter ſeu alio modo, non intendit profiteri, nam hæc verba vim habent conditionis, vt ſupradictum eſt, de mente Bart. His dictis atq; pręſuppoſitis notabilibus, reliquum eſt, vt paulatim certa ab incertis ſeparantes, difficultati propoſitæ reſpondeamus, quod fiet per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quando conditio appoſita, non contrariatur ſubſtantiæ Regulæ, neque alicui ipſius ſtatuto ſiue præcepto, omni proculdubio valida eſt profeſſio, votũque eſt ſolmne, etiam conditione appoſita.

SI conditio appoſita, voto ſiue profeſſioni Monachali, non contrariatur ſubſtantiæ Regulæ, ſeu alicui ipſius ſtatuto ſiue præcepto, omni proculdubio profeſſio facta valida eſt, & votum emiſſum ſolemne. Hãc Concluſionẽ, tenet expreſſe Sylueſter *verbo Religio 3. q. 6. num. 6.* explicando. Vtrùm profeſſio expreſſa facta cum intentione mala, aut cum expreſſione alicuius illiciti, valeat & teneat? Vbi poſt alia inquit: *Si autem profitendo exprimatur aliquid, non contrarium eſſentiæ Religionis, valet profeſſio.* Et ratio ſupradictæ reſolutionis in promptu eſt, nam matrimonium contractum ſub conditione licita, eſt verum matrimonium, vt tenet Gloſſa & omnes Doctores communiter, *in ca. fin. de condit. appoſ.* ergo ſimiliter & votum ſolemne, quod etiam eſt quoddam vinculum & ſpirituale matrimonium. Et confirmatur: nam ſi tale votum non valeret, neque eſſet verè votum ſolemne, eo vel maxime, quia conditio appoſita quamdiu eſt pendens, ſuſpendit conſenſum ad votum neceſſariũ, & per conſequens conditio quæ ſemper durat, ſiue in perpetuũ eſt pendens, ſemper videtur detinere ſuſpenſum, conſenſum ad votum requiſitum: ſed hoc iam diximus in tertio & quarto notabili, in voto non habere locum, *ex cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes*: ergo dicendum eſt, quod ſemper votum eſt validum, quando conditio appoſita, non eſt contra ſubſtantiam Religionis, nec contra aliquod ſtatutum ſiue præceptum Regulæ. Et idem omninò videtur dicendum, de conditionibus appoſitis, quæ ſunt ſecundi generis, quãdo ſcilicet, voto ſiue profeſſioni Monachali, apponitur aliqua conditio, non contraria eſſentiæ & ſubſtantiæ Religionis, contraria tamen alicui ſtatuto ſiue Regulæ præcepto, vt ſi quis Religionem aliquam profiteretur, ea conditione vt ad ieiunia quæ præciſè ſunt Regulæ non teneatur, communis eſt ſententia, quod eiuſmodi profeſſio eſt valida, ſicuti & præcedens, cũ talis cõditio non ſit contra eſſentiam Religionis, etiamſi ſit contra aliquod præceptum ſiue ſtatutũ Regulæ. Quod tradit Syluester loco ſupracitato in fine, vbi dicit quod ſic profeſſus, ſi ſciebat talia ieiunia in Regula vel Cõſtitutionibus contineri, adhuc tenebitur ad illa, non tamen ſi id ignorabat. Quod etiam tenere videtur Couarruu. in quarto 2. p. cap. 3. §. 1. num. 18. arg. deducto *ex cap. diuersi 24. d.* cuius etiam ratio amplius explicabitur infra. Supradicta duo ſunt certa, & ab omnibus Doctoribus cõmuniter recepta, de quibus nulli dubium. Sed difficultas magna eſt, circa conditiones tertij generis, de quibus diximus ſupra, repugnantes eſſentiæ & ſubſtantiæ ſolemnis voti, & Monachalis profeſſionis, an ſcilicet ſit valida profeſſio, cui apponitur aliqua talis conditio, vt ſi quis profiteretur ea conditione, vt liceat

Etiam valida eſt profeſſio, quando apponitur cõditio contraria alicui ſtatuto ſiue Regulæ præcepto, dum tamẽ non ſit contraria eſſentiæ Religionis

liceat ſibi habere proprium, aut quod non teneatur obedire, etiamſi ſibi à Prælato aliquid præcipiatur, aut quod permittatur ſibi coniugalis vſus.

Prima opinio. Qua quidē de re, ſunt duæ extremæ opiniones, quas refert Panormit. in *cap. fin. de condit. appoſ.* Prima opinio dicit, eiuſmodi votum eſſe nullum, & hāc tenet Gloſ. & Car. in d. c. fin. vbi expreſſe dicunt, quod matrimonium cui appoſita eſt conditio, quæ fuerit contra ipſius ſubſtantiam eſt nullum, vt ſi quis dicat contraho tecum, ſi generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam, honore vel facultatibus ditiorem, &c. & idem aiunt eſſe dicendum de voto, cui apponitur conditio eius eſſentiæ, ſiue ſubſtantiæ contraria. Quod & probari poteſt hac vt videtur euidenti ratione: nam ſublata ſubſtantia alicuius rei, non permanet ipſa res, & remota ſubſtātiali parte alicuius actus, remouetur & ipſe actus, *arg. deducto ex cap. tua, de ſponſal.* ſed eiuſmodi conditio, tollit ſubſtantiam ſolemnis voti: ergo & votum ipſum eſt nullum. Hanc etiam ſententiam refert & ſequitur Couarruuias in 4. part. 2. cap. 3. §. 3. num. 18. & Sylueſter vbi ſupra *verbo Religio*, 3. quæſt. 7. num. 7. vbi & dicit eam magis placere Panormit. *in d. cap. fin. de cōdit. appoſ.*

Secunda opinio eſt aliorum, aſſerentium eiuſmodi votum & profeſſionem eſſe validam, & cōditionem reijciendam: quam opinionem tenet Innocent. Hoſtienſis, & Ioan. Andreas, & Gloſſa *in cap. ſolet.* 32. quæſt. 2. & refertur à Syluestro, loco vbi ſupra. Dicunt enim, quod licet conditio appoſita, ſit contra ſubſtantiam Religionis, vt puta quod liceat ſibi habere proprium, nihilominus tenet profeſſio, licet ſecus ſit in matrimonio, vbi agitur de fauore contrahentium. Et adducunt exemplum, *ex cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes*, vbi profeſſio ſupradictæ mulieris, quæ profeſſa fuit ſub conditione, vt propriam domum, & alia ſua bona ſibi liceret poſſidere, valida reputata fuit, cum tamen habere proprium, ſit contra ſubſtantiam voti paupertatis. Facit & pro hac opinione, *cap. Diaconi* diſt. 28. vbi quidam clericus Orientalis Eccleſiæ, cum ab Epiſcopo Diaconus ordinaretur, proteſtatus eſt, ſe velle habere vxorē, quo loco quāuis Gloſſa dicat, q̄ ſi ad nuptias eiuſmodi peruenerit ſeparandus ſit, dicitur tamen in textu, quod poteſt in miniſterio permanere, ex quo ſubinde colligitur, cum voluntas contrahendi, ſit contra naturam voti continentiæ, quod in ordinatione emittitur, quod conditio appoſita, etiamſi ſit contra ſubſtantiam voti, non deſtruit ipſum votum. Hanc etiam opinionem, tenet Gloſſa *in Auth. ingreſſi C. de ſacroſan. Eccl.* & Iaſon, & Decius ibidem, *& Felin. in cap. cum M. de conſt. num. 75.* Vt autem ipſe dicam, quid ſentiam de prædictis opinionibus, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Non eſt improbabilis opinio quæ dicit, votum ſolemne factum cum conditione contraria eſſentiæ, & ſubſtantiæ voti, validum eſſe, & quod eiuſmodi conditio reijcienda eſt, ac ſi appoſita nō fuiſſet.

NOn eſt improbabilis, opinio, quæ dicit, votum ſolemne factum cum conditione contraria eſſentiæ, & ſubſtantiæ voti, validum eſſe, & quod eiuſmodi conditio reijcienda eſt, ac ſi appoſita nū quam fuiſſet. Hæc concluſio fundatur *in d. cap. Diaconi 28. diſtinct.* cuius etiam ratio eſſe poteſt. Nam quiuult antecedens alicuius rei, neceſſario vellevi detur, & conſequens ad ipſam; quando conſequentia neceſſario ſequitur ex antecedenti, ex quo proinde ſequitur, quod qui ordinari voluit Diaconus, conſequenter voluit obligare ſe ad continentiam, etiam ſi aſſerat oppoſitum, cum hæc ordini erdē ſit annexa. Quam ab cauſam merito ſupra dictus Diaconus ſeparari iubetur, ſi ad nuptias peruenīſſet, permiſſumque ſibi fuit nihilominus in officio permanere, quia non obſtante proteſtatione prædicta, ordinatio fuit valida, & ſolemne votum emiſſum. Idem ergo dicendum eſt, de religioſo, qui profitetur religionem aliquam, etiamſi apponat conditionem, ſolemni voto ac profeſsioni Monachali contrariam, vt puta, quod liceat ſibi habere proprium, quod reijcienda eſt eiuſmodi conditio, tanquam impertinens, & remanet nihilominus ad paupertatem obligatus. Ad quod propoſitum facit etiam, textus *in c. cum M. de conſtitut.* vbi Canonici Eccleſiæ Ferrarienſis, recipientes quatuor vel quinque canonicos, vltra taxatum numerum à Sede Apoſtolica, quamuis hoc fecerint proteſtantes, quod eos recipiebant ſine præiudicio ſuarum præbendarum, iubentur tamen ex ſuper excreſcentibus fructibus, eis portionem dare. Vbi aduertit Gloſſa, *verbo ſine præiudicio*, quod proteſtatio ſtatuti, non prodeſt nec valet, vbi proteſtans per contrarium factum, directe obuiat ſuæ proteſtationi. Pro quo citat *cap. ſolicitudinem, de appellationibus, & cap. olim cauſam, de cenſibus*, niſi hoc faceret iuſta aliqua de cauſa, vt habetur *in ca. perlatum, quod metus cauſa.* Pro prę dicta etiam concluſione facit, *cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes* de quo diximus ſupra. Faciunt etiam omnia ſuperius adducta, pro ſecunda opinione de qua videantur Syluester, alijque Doctores ibidem citati. Neque ſupradictis obſtat quod in in contrarium adducitur, *ex cap. fin. de condition. appoſ.* de matrimonio, quod nullum eſſe dicitur, vbi conditio apponitur ipſius ſubſtantiæ & eſſentiæ contraria, nam eſt multum diſpar ratio, quia cum matrimonium quam maxime ſit oneroſum, bene diſpoſuit ibi Pont. auctoritate ſua, quod ſic contrahentes inhabiles forent ad matrimonium, ſicut id ipſum propter alias ſimiles rationes & cauſas, etiam nunc ſtatutum eſt de contrahentibus Clandeſtine, & cum vnus ibi promittat, alter vero conditionem acceptet, bene potuit vnus alteri præiudicare, at vero in voto, cum ipſius obligatio acquiratur Deo, per miniſterium Prælati, factum miniſtri acceptantis illam conditionem, non debet obeſſe Deo, qui ſimpliciter voluit eiuſmodi profeſſionem, ſine tali conditione recipere. Sed quidquid de hoc ſit, ſit tertia Concluſio.

ditione contraria eſſentiæ & ſubſtantiæ Religionis, & ipſius voti, nullam eſſe, & quod reijcienda eſt conditio.

Tertia Concluſio.

Probabilior videtur, opinio quæ dicit, eiuſmodi votum, emiſſum cum conditione eſſentiæ & ſubſtantiæ ſolemnis voti contraria, eſſe nullum.

QVamuis ſupradicta opinio ſit probabilis, probabilior tamen videtur, ſententia quæ dicit, eiuſmodi votum, emiſſum cum conditione eſſentiæ & ſubſtantiæ ſolemnis voti contraria, eſſe nullum. Hæc Concluſio probatur expreſſe, *ex cap. fin. de condit. appoſ.* ſimilitudine adducta de matri-

tū, emiſſū cū cōditione ſua

tri-

eſſentiæ contraria, nõ eſſe validum.

trimonio, & hanc ſententiam Panormitanus, dixit olim multo ſibi magis placere, quod etiam dicit Couarruuias loco ſupra citato, in prima opinione, & pro ea videantur omnia, quæ ibidem ſunt dicta. Sed præterea, idipſum hac vel vnica efficaciſſima ratione probatur: nam habere proprium, liberumque quempiam omnino eſſe, à caſtitate ſeruanda, ſeu ab obedientia, omnino repugnat & contradicit religionis ſtatui, & ſolemnitati voti: ergo minime ſtare poteſt, quod quis in ſua profeſſione ſimilem conditionem apponat, & quod votum ſit validum. Aduerto tamen, quod quamuis hæc ſententia & opinio, in puncto iuris ſit probabilior, contraria tamen in conſcientia eſt ſecurior: nam ſecurius multo eſt, votum & profeſſionem emiſſam obſeruare, quam in re dubia peccandi periculo quempiam ſe exponere. Vnde dico, quod non caret ſcrupulo, nec dici poteſt abſque temeritate, illas Moniales quę ratione aliqua ſic profeſſæ ſunt, intrepide atque conſtanter aſſerere, liberas eſſe omnino, ab obligatione voti, & obſeruantia ſuæ profeſſionis.

Quam ſcrupuloſum ſit dicere, Moniales prædictas, liberas eſſe omnino ab obligatione voti, & obſeruantia ſuæ profeſſionis.

Quod ſic probo: nam quamuis vtraque harum opinionum, vt præmiſſum eſt ſit probabilis, habeatque ſuas probabilitatis rationes ſatis efficaces, & Auctores & Doctores non contemnendos, & hæc vltima in puncto iuris eſſe videatur probabilior, prima tamen in conſcientia eſt ſecurior, & vt dicitur, in rebus dubijs, tutior & ſecurior pars eſt eligenda. Quo fit, vt potius eſſent conſulendæ, atque ſuadendæ ſupradictę Moniales, vt ſuum votum & profeſſionem obſeruarent, aut à Summo Pontifice expectarent ſententiam, vel diſpenſationem requirerent, quam in re dubia & quammaxime graui, temere ipſarum conſcientias aſſecurare, & illas exponere periculo peccandi mortaliter. Quod vel hoc exẽplo ſatis accommodo, ad hoc propoſitum libet oſtendere. Opinio & ſententia eſt, inter Theologos & Iuriſperitos nimis agitata & controuerſa, an Summus Pontifex diſpenſare poſſit, in voto ſolemni ſolemniter emiſſo, negantibus hoc Theologis vt plurimum, affirmantibus vero Iuriſperitis, poſſeque Summus Pontifex iure optimo, ex duabus his opinionibus atque ſententijs probabilibus, quam ſibi placeret eligere, & diſpenſare ſemper in votis ſolemnibus, at non id facit, neque fieri conſueuit, nihil omnino ob aliud, niſi quia in ijs quæ ad conſcientiã pertinent, non quælibet opinio etiam probabilis, ſed ea quæ tutior & ſecurior fuerit eſt eligenda, maxime in ijs, quæ vergunt non in ædificationem, ſed in deſtructionem Eccleſiæ, idem ergo dicendum eſt in propoſito caſu, & Monialibus prædictis eſſet perſuadendum vt ſeruarent, ſuum votum & profeſſionem, non vero contrarium, vt & multi perperam faciunt. Sed quidquid de hoc ſit, tempus eſt vt accedamus propius, ad explicandam difficultatem, in articulo propoſitam; qua quæritur, an ſupradicta conditio, appoſita voto & profeſſioni, prædictarũ Monialium, qua dicitur non eſſe ſuæ intẽtionis & voluntatis, vllo vnquam tempore, ad ſeruandam clauſuram ſe obligare, & quod virtute dictæ ſuę profeſſionis, ad id nullo modo poſſint compelli,

Maior difficultas.

adeo ſit contraria atque repugnans eſſentiæ & ſubſtantię ſolemnis voti, vt ea ſublata profeſſionem, omnino nullam reddat, cenſendæque ſint liberę ab ipſius obligatione? Et quidem prima facie videtur quod ſic. Nam ſicut in voto paupertatis includitur intrinſece nõ habere proprium; & in voto caſtitatis abſtinere ſe à coniugio, & delectationibus carnalibus, & à quolibet illicito contactu, ita etiam in voto obedientię, includitur intrinſece & eſſentialiter, quempiam ſe totum in voluntate & poteſtate ſui Prælati ponere, & reſignare, ſed Moniales quę prædicto modo profeſſæ ſunt, per id vt videtur eximũtur ab obedientia ſuorum Prælatorum, ſaltem quantum ad aliquid; ergo eiuſmodi conditio appoſita, contraria eſt ſubſtantiæ & eſſentiæ voti obedientię, & per conſequens votum ipſum in ſe eſt nullum, & profeſſio nulla. Sed hoc nihilominus argumento non obſtante, contrarium videtur dicendum, de quo ſit quarta concluſio.

Ratio dubitandi.

Quarta Concluſio.

Conditio ſupradicta, non eſt contra ſubſtantiã ſolemnis voti, votumq; ipſum ſolemne eſt, & profeſſio valida.

COnditio ſupradicta, non eſt contra eſſentiam ſiue ſubſtantiam voti obedientiæ, ac proinde votum emiſſum à prędictis Monialibus, in ſupradicta forma, eſt validum atque ſolemne, & profeſſio tenet. Pro huius concluſionis intelligentia, ſimul & probatione prẽmitto, quod quamuis ad eſſentiam & ſubſtantiam ſtatus religioſi, & monachalis profeſſionis ſpectent tria, quæ communiter dicuntur eſſentialia, & ſubſtãtialia religionis vota, nempe obedietia, caſtitas atque paupertas, non tamen eſt de eſſentia & ſubſtantia religionis, quod omnia ſupradicta promittantur omnimode, ſeu omni ſtrictiſſimo modo, quo voueri poſſunt. Volo dicere, quod non tenetur, nec vouet quilibet religioſus in ſua profeſſione, obſeruare omnimodam ſeu ſtrictiſſimam obedientiam, paupertatem ſiue caſtitatem quæ excogitari poteſt. Quod clare patet, nam ſtrictior eſt paupertas, eorum qui nihil habent proprium, in particulari neque in communi, quam eorum qui quamuis proprium non habeant in particulari, habent tamen illud in communi, & tamen non omnes Religiones ſiue Religioſi, profitentur hanc ſtrictiſſimam paupertatem, quin vero Diuus Thom. 2.2. queſtione 188. articulo ſeptimo dicit, quod habere aliquid proprium in communi, non diminuit à ratione perfectionis. Præterea, perfectior eſt continentia, & abſtinere à quacumque delectatione venerea, etiam coniugali, quam abſtinere tantum ab illicita delectatione, & tamen non omnes religiones ſiue religioſi, profitentur hanc omnimodam continentiam, vt patet in Militibus Diui Iacobi, & iam omnino idem eſt in alijs, qui ſolummodo profitentur caſtitatem coniugalem, exceptis militibus Di ui Ioannis, & nihilominus ſunt vere religioſi, & emittunt tria religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, vt quamlatiſsimè ſupra diximus, in iſto tomo, quæſt. 10. articulo quarto, de mente multorum grauiſsimorum Doctorum, idem ergo in propoſito dicendum eſt, de obedientię voto, quod non eſt de eſſentia religionis, votum ſtrictiſsimæ obedientiæ, aut quod huiuſmodi votum fiat ſine

aliqua reſtrictione. Quod quidem valere videtur à paricate rationis, & quia ex communi omnium reſolutione, ſubditi non tenentur ſuis Superioribus & Prælatis, in omnibus etiam licitis obedire, ſed ſolum in ijs quæ ſunt ſecundum regulam, ſeu ad regularem conuerſationem, & modum viuendi pertinent, vt quam latiſſimè tradit D. Thom. 2. 2. quæſtione 104. articulo quinto ad vltimum, & Syluester *verbo, Religio. 6. quæſtione ſexta*, & Nauarro *in Manuali, capit. 23. numero* 39. qui omnes dicunt, quod in ijs quæ ſunt ſupra regulam, ſubditi non tenentur ſuis Prælatis ſiue Superioribus obedire, & nos etiam ſupra diximus, articulo ſecundo & tertio latiſſime, qualiter hoc veniat intelligendum. Sed quantum ad præſens noſtrum attinet propoſitum, ſatis ſit dixiſſe, quod omnimoda atque ſtrictiſſima obedientia, ſicut nec ſtrictiſſima paupertas aut continentia, non eſt de eſſentia & ſubſtantia Monachalis profeſſionis, & conſequenter proinde, quod profeſſio à prædictis Monialibus facta, cum ſuprapoſita conditione, vt ad clauſuram non obligentur, nec vllo vnquam tempore obligari poſſint, tenuit & valuit, votumque ipſum fuit ſolemne, ſecundum vtramque opinionem ex prædictis, in quo meo quidem videri nulla eſt, aut eſſe poteſt modo ratio dubitandi. Solum ſupereſt reſpondeamus nunc ad ſecundam propoſitam difficultatem, an ſcilicet ex ſuppoſitione quod prædicta profeſſio fuerit valida, & Moniales ſupradictæ ſolemniter profeſſæ, non obſtante dicta conditione, ad ſeruandam clauſuram poſſint adſtringi & obligari? De quo ſit quinta concluſio.

Quinta Concluſio.

Si votũ emiſſum à prædictis Monialibus, à principio fuit factũ cũ animo ſtatim ſe obligãdi, & ſine aliquo in contrariũ pacto, valuit, & obligari poſſunt ad clauſurã.

SI votum à prædictis Monialibus emiſſum, à principio fuit factum, cum animo ſtatim ſe obligandi, ſola prædicta conditione appoſita præciſe, & ſine aliquo in contrarium pacto, non obſtante eiuſmodi conditione, obligari & adſtringi poſſunt, ad ſeruandam clauſuram. Hæc concluſio ſatis conſtat ex dictis, in tertio, & quarto notabili, quæ oportebit iterum videre: nam quammaximè faciunt ad præſens propoſitum. Dictum eſt enim ibi, quod in propoſito caſu, ſeruanda eſt conditio, ſi ſeruari poteſt & non fuerit illicita, nec contraria actui & profeſſioni, ſin vero minime. Nam per huiuſmodi conditionem appoſitam, non ſuſpenditur, vitiatur aut annullatur actus, ſi ſtatim à principio intendit ſe obligare. Quo præmiſſo & præſuppoſito, ſecundum vtramque prædictarum opinionum, Moniales prædictæ adſeruandam clauſuram adſtringi & obligari poſſunt, propter rationes ibidem adductas. Sed idipſum probatur vlterius, ex ijs quæ latiſſime diximus ſupra, in articulo ſecundo & tertio, nempe ſupradictam Monialium clauſuram, non eſſe ſuper ipſatum regulam ſed infra, multumque conformem ad ipſam, atque vt apparet in qualibet Monialium regula contentam, ſi non expreſſe ſeu explicite, ſaltem indirecte atque implicite, tanquam medium quammaxime neceſſarium, ad continentiam & caſtitatem ſeruandam. Vnde cum in Concilio Tridentino, & Summorum prædictorum Pontificum Conſtitutionibus, ſtrictiſſime fuerit præceptum, vt omnes in vniuerſum Moniales, Religionem aliquam ſolemniter profeſſæ, cuiuſcumque ſtatus & conditionis extiterint, abſque vlla diſtinctione, ad ſeruandam clauſuram adſtringantur & compellantur, haud dubium eſt, quod non obſtante conditione prædicta, dictæ Moniales ad idipſum poſſunt obligari. Cum ex parte Summorum Pontificum, non deficiat poteſtas ad hoc, vt illud imperare poſſint, nec ex parte ipſarum obligatio parendi & obediendi, ex ſuppoſitione quod ſunt ſolemniter profeſſæ, nec contrarium meo quidem videri, dici aut affirmari poteſt, ſine maxima erroris nota & magna temeritate. Quibus omnibus addo, quod quamuis Monialium clauſura, aliqua ratione eſſet ſuper ipſarum regulam, adhuc nihilominus, ad eandem ſeruandam poſſent obligari, in duobus caſibus, vt tenet communis Doctorum ſententia, *in capit. dilectus, el ſegundo, & in capit. quoniam, de ſimonia & tradit Syluester verbo, religio ſexta, quæſtione ſexta*, nempe vel in pœnam, ratione alicuius præteritæ culpæ, aut etiam ſi id viſum fuerit expedire, ad maiorem reformationem, & perfectiorem ſuæ regulæ obſeruantiam. Videatur Syluester vbi ſupra, quod quidem ſecundum ad minus, reperiri in propoſito caſu, haud quaquam poteſt negari.

Sed maior difficultas eſt, de illis Monialibus, quæ profeſſionem emiſerunt, non ita ſimpliciter & abſolute, ſed per viam conditionis reſolutiuę, ſiue ſuſpenſiuæ & cum pacto, proteſtando quod aliter non intendebant profiteri, de quibus ſit ſexta & vltima concluſio.

Sexta Concluſio.

Monialesque à principiõ ſe obligare intenderunt, & profeſſionem emiſerunt cũ pacto ſuſpenſiuo vel reſolutiuo, nõ vere ſunt profeſſæ ſolẽniter, neque ad clauſuram proinde obligari poſſunt.

MOniales quæ prædicto modo profeſſionem emiſerunt, cum ſupradicto pacto, & per viam conditionis reſolutiuæ ſiue ſuſpenſiuæ, dicẽdo, quod aliter non intendebant profiteri, vt videtur non ſunt ſolemniter profeſſæ, ac proinde ad clauſuram ſeruandam obligari non poſſunt. Hæc concluſio ſatis etiam conſtat ex ſupradictis, in tertio & quarto notabili, & ex his, quæ tradit Syluester *verbo, Religio tertio, quæſtione octaua*, vbi ſimili quæſtione propoſita, inquit. *Quod ſi fiat reſeruatio per viam conditionis reſolutiuæ, vel ſuſpenſiuæ, vitiatur actus & non conditio.* Pro quo allegat *capit. final. de condition. appoſ.* & dicit quod ſic profeſſus non erit Religioſus, videatur ibidem, vbi latiſſime agit etiam de ſupradicta conditione & pacto, & hoc eſt quammaxime notandum atque memoriæ commendandum. Sed aduerto pro Monialibus ſupradictis, quæ vt non adſtringantur, nec compelli poſſint ad ſeruandam clauſuram, dicunt ſiue contendunt dicere, ſe non eſſe ſolemniter profeſſas, nec vere & proprie Religioſas, aut votum ſuum fuiſſe ſolemne, ſed omnino ſimplex, quod non poſſunt communiter, ſiue in congregatione viuere, nec aliquas nouitias recipere, neque ſe eſſe Religioſas aſſerere, Religio-

num

num quas dicunt, aut earumdem portare habitum: nam hoc eſt ſibi communi iure prohibitum, per *capit. vnic. de relig. domib. in ſexto*, vbi ſtricte cauetur, *ne quiſpiam deportare audeat habitum, Religionis alicuius non approbatæ, aut communiter & collegialiter viuere, qui non fuerit ſolemniter profeſſus.* Quod & nouiſſime innouauit Pius Quintus, in ſua Extrauaganti ſiue Motu proprio, de quo ſupra diximus, qui incipit. *Circa paſtoralis*, vbi poſt multa alia, ſupradictus Pontifex, in hæc verba prorumpit. *Cæteris autem omnibus, ſic abſque emiſſione profeſſionis & clauſura viuere omnino volentibus, interdicimus & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorſus, in Inum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod ſi contra huiuſmodi hanc noſtram prohibitionem & Decretum, aliquas receperint, eas ad ſic vouendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet profeſſiones & receptiones, irritas decernimus & nullas, prout etiam præſenti Decreto, irritas facimus & annullamus.* Et pro Monialibus Tertiarijs noſtri Sacri Ordinis, nolentibus ſolemniter profiteri, vt ne clauſuram prædictam cogantur ſeruare, ſpecialiter dico, quod non poſſunt communiter viuere, neque habitum noſtri Tertij Ordinis deportare: nam hoc eſt ſibi ſpecialiter ab antiquo prohibitum, per Sixtum Quartum, & præceptum quod emittant ſolemne votum, vt habetur in monumentis noſtri Ordinis, primis impreſſione, folio 33. & ſecundæ, folio 117. conceſſione 256. & refertur in Compendio, *verbo Tertiarij fratres & ſorores.* §. 7. & quod aliter non ſint ſub obedientia Minorum Fratrum, & etiam ſi admittantur, non potiuntur neque fruantur, aut frui & potiri poſſunt, noſtris priuilegijs, nam conceſſio eiſdem eadem de re facta, per Leonem X. hoc expreſſe habet, quod Fratribus Minoribus ſint ſubditæ atque ſubiectæ, vt habetur in ſupplement. folio 26. conceſſione 87. & refertur in Compendio, vbi ſupra. §. 20. Ex quibus omnibus ſubinde colligitur, quod ſi non ſunt ſolemniter profeſſæ, nec Minoribus Fratribus ſubiectæ, quod quantum ad ſpiritualia, ſubduntur Ordinarijs, quantum vero ad id quod ciuile & criminale eſt, iudicibus ſecularibus, quemadmodum & aliæ perſonæ ſeculares: nam re vera non ſunt Religioſæ Tertiariæ, noſtri ſacri Ordinis, peccant que mortaliter, recipiendo Sacramenta, præſertim Euchariſtiæ, Paſchatis tempore extra ſuam propriam parochiam, ſine ſpeciali priuilegio, nec poſſunt extra ſuam propriam parochiam ſepeliri, niſi alibi dum viuerent elegerint ſepulturam, quemadmodum & alij ſeculares, nec habere poſſunt Eccleſiam aut capellam, vbi dicatur Miſſa vel celebrentur diuina officia, nec ſunt exemptæ à ſolutione decimarum, & vt dixi, non poſſunt communiter & collegialiter viuere, aut habitum, quem portant deportare, ſub peccato mortali: nam ſupradicta omnia, expreſſe ſunt ſibi per Sedem Apoſtolicam prohibita. Hæc ſunt quæ circa propoſitam quæſtionem, atque difficultatem, mihi occurrerunt neceſſario dicenda, de mente & ſententia omnium Doctorum, quos viderim hucuſque Quæ dicta ſint ſub correctione Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ, ac cuiuslibet melius ſentientis.

Nota hoc vale pro Monialibus Tertiarijs nolentibus ſolemniter profiteri, neque clauſuram ſeruare.

Nota quod Moniales Tertiariæ, quæ non ſunt ſub obedientia minorum fratrum, non potiuntur noſtris priuilegijs.

(·ε·)

ARTICVLVS V.

Vtrùm Moniales, Ordinis Sanctæ Claræ ſeu aliorum, quæ dicuntur Conuerſæ ſiue Seruitiales, ad clauſuram etiam ſeruandam adſtringantur?

PRo huius articuli intelligentia, oportet præmittere, ſpecialiter pro Ordine Sanctæ Claræ, quem Seraphicus noſter Pater Franciſcus inſtituit, quod iuxta primam, quin vero & ſecundam prædictarum Monialium Regulam, illę quæ dicuntur communiter Conuerſæ ſiue Seruitiales, ad clauſuram non adſtringuntur, vt conſtare facile poteſt intuenti. Nam in capit. ſecundo primæ prædictæ Regulæ, habentur ſequentia verba. *In examinatione & receptione ſororum, ſeruientium extra Monaſterium, ſeruetur prædicta forma. &c.* Præterea in capit. nono dicitur, *ſorores ſeruientes extra Monaſterium, longam moram non faciant, & honeſte debeant ambulare, & parum loqui, vt intuentes ſemper ædificari valeant, nec præſumant rumores de ſeculo inferre Monaſterio.* Hęc in dicta prima Regula. In ſecunda autem, quam poſtea eiſdem contulit Vrbanus Quartus, in cap. 2. ſequentia ponuntur verba. *Poſſint in ſingulis Monaſterijs, recipi aliquæ licet paucæ, ſub nomine Seruitialium vel ſororum, ad huius profeſſionis obſeruantiam adſtringendæ, præterquam ad articulum de clauſura, quæ de mandato & licentia Abbatiſſæ, interdum poterunt egredi ad negotia Monaſterij procuranda.* Et in capit. tertio, dum dicitur, quod Moniales in profeſſione inter cætera, deuoueant etiam clauſuram, ſubditur, *ſimilis profitendi modus obſeruetur per omnia, in ſeruitialibus vel ſororibus, quæ de licentia Abbatiſſæ egredi poſſunt exterius, præter articulum de clauſura.* Et tandem in capit. 19. præſcribuntur leges, ab ipſis Seruitialibus exeuntibus extra Monaſterium obſeruandę, ex quibus omnibus ſuperque ſatis colligitur, quod ſecundum vtramque Regulam Sanctę Clarę, ſupradictę Seruitiales & Sorores Conuerſę, recipi poſſunt, nec ad clauſuram obligabantur, quin vero concedebatur ſibi egreſſus extra Monaſterium, de licentia Abbatiſſę, ad eiuſdem negotia peragenda & procuranda. Hęc olim ſecundum Regulam primam, & ſecundam Monialium Sanctę Clarę. Supereſt vt videamus, quid dicendum ſit nunc de ipſis & de alijs, ſecundum nouas Summorum Pontif. Conſtitutiones, & quid ipſi hac in re ordinauerint atque innouauerint. Cui difficultati, breuiter ac reſolutiue, reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Nota quod cõuerſæ & ſeruitiales, Ordinis S. Claræ, ex vi Regulæ ſuæ, ad clauſuram ſeruãdam non tenẽtur.

Prima Concluſio.

VBi monacharum Conuentus ſunt diuites, & non indigent ad ſui ſuſtentationem, quod Seruitiales profeſſę in colligendis eleemoſynis occupentur, ad eandem omnino clauſuram & ipſę tenentur, ex Romanorum Pontificum decreto, ſicut & cęterę. Hęc concluſio habetur expreſſa, in Extrauaganti Pij Quinti, quę incipit. *Circa paſtoralis*, in principio, vbi cum omnibus in

Seruitiales et conuerſæ, vbi Moniales nõ indigẽt, quod ipſæ exeãt, ad eleemoſynas colligẽdas, etiã debẽt obligari ad clauſuram.

vniuerſum monialibus clauſuram indixiſſe, addit, *etiamſi Conuerſæ aut quocumque alio nomine nuncupentur.* Hac de re videatur Nauar. *in capit. ſtatuimus, numero 44. ibi 6. nota*, vbi dicit, quod etiam conuerſæ, modo ſint profeſſæ, ad tantam clauſuram tenentur, ad quantam & cæteræ moniales. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Si moniales indigẽt, quod conuerſæ & ſeruitiales ad ſui ſuſtẽtationẽ exeant, nõ ipſæ obligantur ad clauſuram, ſed degere non debẽt intra clauſtrum monaſterij.

SI prædictæ moniales, indigent quod conuerſæ profeſſæ, ad Conuentus neceſſariam ſuſtentationem, colligant fidelium eleemoſynas, quæ eiuſmodi miniſterio deſtinantur, non poſſunt intra monaſterium degere, ſed extra in domibus contiguis debent commorari, & inde ad congregandas eleemoſynas, eiſdem exire licebit, cum moderaminibus inferius exprimendis. Hæc etiam concluſio, habetur expreſſa, in prædicta *extrauaganti Pij Quinti §. porrò*, vbi ſequentia ponuntur verba. *Porro ne moniales vel Tertiariæ prædictæ, propter hanc clauſuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum neceſſitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victũ patiãtur, ſed vt eis opportune conſulatur, auctoritate Apoſtolica præfata, ſtatuimus, decernimus præcipimus atq; mandamus, Ordinarijs & ſuperioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemoſynas, per conuerſas quæ non ſint profeſſæ, vel ſi profeſſæ fuerint, ſint in ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen monaſterium degant, & non ingrediantur clauſuram aliarum monialium, niſi in caſibus ex earum conſtitutionibus permiſſis, & de earum Domibus exire non poſſint, pro huiuſmodi eleemoſynis colligendis, niſi de licentia Ordinarij vel earum ſuperiorum.* Videatur etiam hac de re, Nauar. *in dicto capit. ſtatuimus, numero* 56. quæ quidem verba Pij Quinti ad litteram, refert etiam Gregorius XIII. in alia ſua extrauaganti, quæ incipit, *Deo ſacris.*

Tertia Concluſio.

Ceſſãte neceſſitate, moniales conuerſæ & ſeruitiales ad clauſuram etiam debent compelli, aut habitũ dimittere.

IN Conuentibus Monialium, vbi Seruitiales profeſſæ, propter earundem inopiam, in colligendis eleemoſynis exercebantur, prædicta neceſſitate ceſſante, intra Monaſterium debent recludi, & omnino ad eandem cum cæteris Monialibus clauſuram obſeruandam obligari, & in caſu quo profeſſionem adhuc non emiſerint, debent profiteri & eidem clauſuræ ſubijci, aut habitum dimittere. Hæc etiam concluſio habetur expreſſa, *in dicta extrauaganti, Deo ſacris. §. cæterum*, vbi ſequentia ponuntur verba. *Cæterum quod attinet ad conuerſas profeſſas, quas præfatus Pius Quintus prædeceſſor, per præfatas litteras ſub certis conditionibus ibidem contentis, permiſit poſſe manere extra Monaſteria, pro colligendis eleemoſynis, eiſdem locorum Ordinarijs iniungimus, vt quibus Monaſterijs præfatarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, ſupradicta vel alia qualibet ratione, de ſufficienti ſubuentione & ſuſtentatione prouiſum eſſe cognouerint, eaſdem Conuerſas ſub eadem clauſura, cum aliis Monialibus reducant, nec à ſuis Monaſterijs amplius exire permittant. Conuerſas vero non profeſſas, & proficiſci nolentes, dimiſſo habitu domum remittant, nec alias in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras, in Monaſteria huiuſmodi recipi permittant.* Quã de re videatur prædictus Nauarro vbi ſupra, numero 51. & 56. Ex quibus omnibus ſatis colligitur, quid dicendum ſit, quantum attinet ad ſupra dictarum Conuerſarum & Seruitialium clauſuram. Nunc ſupereſt vt dicamus, an ſtando in prædictis Summorum Pontificum conſtitutionibus, huiuſmodi ſorores Seruitiales & Conuerſæ, modo in Monaſterijs Monialium poſſint recipi? De quo ſit ſextus articulus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm liceat nunc in Monaſterijs Monialium, aliquas ſorores Seruitiales & Conuerſas, ad Religionem & profeſſionem recipere?

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi eſt: nam Pius Quintus in prædicta ſua Extrauaganti. ſiue Motu proprio, qui incipit. *Circa paſtoralis. §. & de cætero*, videtur omnem prædictarum Conuerſarum receptionem, atque profeſſionem, prohibere & annullare. Nulla enim facta diſtinctione, ſed generaliter loquendo de omnibus poſt alia in ſequentia verba prorumpit. *Et de cætero nullæ aliæ Conuerſæ profeſſæ, recipi amplius, etiam de conſenſu ſuorum Superiorum, vel Prælatorum poſſint. Quod ſi aduerſus hanc noſtram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio, nulla, irrita & inanis ſit, prout ex nunc, nullam & irritam facimus & annullamus.* Sed Gregorius Decimustertius, in dicta ſua extrauaganti, quæ incipit, *Deo ſacris dicto. §. cæterum*, contrarium omnino videtur aſſerere, atque concedere, quod ſorores dictæ ſeruitiales & conuerſæ, ad Religionem & profeſſionem poſſint admitti, dummodo ipſæ etiam, ſicut & aliæ, clauſuræ prædictæ ſe ſubijciant, In illis verbis, *neque alias* (ſcilicet conuerſas) *in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras, in monaſteria huiuſmodi recipi permittant.* Et augetur mirum in modum difficultas, ex eo quod prædictus Gregorius Decimustertius, loco ſupracitato, amplius volens explicare mentem & intentionem ſuam, ſubdit. *Quod autem idem Pius, prædeceſſor noſter ſtatuit, de cætero nullas conuerſas profeſſas recipi amplius, etiam de conſenſu ſuorum Superiorum poſſe, ita eſſe intelligendum declaramus, præter illas conuerſas, quæ extra monaſterium in domibus contiguis degerent.* Ex quibus certe verbis, colligitur contrarium illius, quod prius dixerat, & quod in monaſterijs prædictarum monialium, non recipi poſſunt aliquæ Conuerſæ ad habitum nec ad profeſſionem, etiamſi clauſuræ ſe ſubijciant, niſi tantummodo illæ, quæ manere debent extra monaſterium, in domibus contiguis, cauſa quæſtus eleemoſynarum faciendi. Quæ verba cum viderentur dubia & ambigua, quæ poterant ad vtramque partem referri, Nauarro *in capit. ſtatuimus, numero* 56. ait, ſe ſanctitatem Gregorij XIII. humiliter conſuluiſſe, qui & reſpondit, mentem Pij Quinti, fuiſſe illam, quam verba exprimunt, ne ſcilicet vllæ Conuerſæ poſthac reciperentur,

ſuam

ſuam vero non fuiſſe, diſcedere à mente eius, ſed declarare illam non procedere, in Conuerſis neceſſarijs, ad quæſtum eleemoſynarum, quæ extra monaſterium, in domibus contiguis manere debe rent, vt ipſe ſtatuit. Ex quibus verbis colligi videtur, quod nunc in monaſterijs, quæ ad colligendas eleemoſynas, opus habent prædictis ſororibus Seruitialibus, ſiue Conuerſis, ad habitum & ad profeſſionem, recipi poſſunt nonnullæ, quæ extra monaſterium in domibus contiguis degant, & inde ad petendas eleemoſynas egrediantur, cum conditionibus, & moderaminibus, de quibus ſupra. At in monaſterijs, vbi Moniales ad colligendas eleemoſynas prædictas, eiuſmodi Seruitialibus, ſeu ſororibus Conuerſis non indigent, quod non eædem recipi poſſunt, nec ad habitum, nec ad profeſſionem, etiam vt ipſæ quemadmodum, & aliæ Moniales, clauſuræ ſe ſubijciant, vt inſeruiant in alijs domeſticis miniſterijs, & quod ſi ſecus attentatum fuerit, ipſarum receptio & profeſſio, irrita ſit & nulla. Hæc vt videtur, colliguntur ex Conſtitutionibus ſupradictis, & ſic eas prædictus Nauarro intelligit, & explicat loco citato. Sed meo quidem videri minus bene, id quod procedit ex indiſtinctione prædictarum ſororum, ſeruitialium ſiue Conuerſarum. Sunt enim in duplici differentia, quædam enim ſunt ad colligendas eleemoſynas deſtinatæ, quæ noſtro Hiſpano idiomate, dicuntur, *Donadas*, alio vero nomine, *Beatas*. Aliæ autem ſunt quæ dicũtur Laicæ, ſiue Conuerſæ, Hiſpano tamen ſermone vocantur, *Sargentas*. Inter quas latiſſimum quidem verſatur diſcrimẽ, nam priores, illæ nempe quę dicuntur, *Donadas*, & *Beatas*, non emittunt niſi duo tantum obedientiæ & caſtitatis vota, nec verè & propriè ſunt Religioſæ: at vero illæ quæ vocantur, Hiſpano ſermone, *Sargentas*, *Legas*, *ò Conuerſas*, cũ emittant tria Religionis eſſentialia, & ſubſtantialia vota, quin vero & in monaſterijs S. Claræ, quartum etiam clauſuræ votum, verè & propriè ſunt Religioſæ, ſicut & aliæ, nec ab eiſdem differunt, niſi tantum penes hoc, quod illæ ad chorum ſunt deſtinatæ, velumque deferunt nigrum, iſtæ vero, non ad chorum deſtinantur, ſed ad ſeruitia & miniſteria domus, ſiue monaſterij peragenda, veloque albo ab alijs diſtinguuntur. Qua præmiſſa diſtinctione & differentia, quam multum oportet aduertere, ac memoriæ commendare, vt difficultati propoſitæ ſatisfaciam, eidem reſolutiue reſpondeo, de mente & ſententia grauiſſimorum virorum, per ſequẽtes Concluſiones.

Nota quod cõuerſæ & Seruitiales Ordi. S. Claræ ſunt in duplici differentia, & magnum diſcrimen verſatur inter ipſas.

Prima Concluſio.

Non eſſe videtur contra mẽtem, & intentionẽ Sũmorum Pontificum, quod in monaſterijs monialiũ, recipiantur laicæ ſeu Cõuerſæ, quæ ſint

NOn eſſe videtur, contra mentem & intentionem prædictorum Summorum Pontificum, quod in monaſterijs Monialium, aliquæ ſorores Seruitiales, ſiue Conuerſæ recipiantur, earum quę dicuntur Hiſpano ſermone *Conuerſas*, *Legas*, *ò Sargentas*, quæ ſimul cum alijs clauſuræ ſubijciantur, & tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota profiteantur, & ſint verè & propriè religioſæ. Hæc concluſio, eſt cõmunis reſolutio grauiſſimorum Patrum, nedum noſtræ, ſed & aliarum multarum Religionum, & quæ hodie in noſtris Hiſpaniarum partibus communiter obſeruatur in praxi, ſatiſque colligi poteſt ex ſupradictis, de mente Gregorij XIII. loco ſupra citato, ibi, *nec aliàs*, ſcilicet *Conuerſas, in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, ac ſub perpetua clauſura manſuras, in monaſteria huiuſmodi recipi permittant*. Nam licet poſtea, contrarius ſibi aliqualiter viſus fuerit, vt conſtat ex alijs verbis, poſtmodum ſubiectis, & ex ijs, quę prædictus tradit Naua. (vt dixi) id proceſſiſſe videtur, ex eo quod non fuerit ſibi bene facta relatio, nequ. nota aut explicata differentia, latiſſimumque diſcrimen, quod verſatur inter has moniales, nuncupatas, *Legas*, *Sargentas*, *ò Conuerſas*, quæ verè & realiter ſunt moniales profeſſæ, & illas quæ dicuntur noſtro idiomate, *Beatas*, *ò Donadas*, quæ verè religioſæ non ſunt, tantummodoque emittunt, dicta duo obedientiæ & caſtitatis vota. Sed quidquid de hoc ſit, ſupradicta Concluſio videtur tenenda, ex eo quod ita id ab initio prædictarũ conſtitutionum, communiter fuit receptum & practicatum, atque vt habetur in iure, conſuetudo eſt optima legum interpres. Et certe hac in re, habenda eſt ratio conſuetudinis pluſquam immemorialis, habendi ſupradictas, *Legas ò Sargentas*, maximè in Monaſterijs Monialium Sanctæ Claræ, quæ hoc habent ex ſua Regula, tam prima quam ſecunda, per Summos Pontif. confirmatas & approbatas. Neq; enim eſt credendum, aut ſit veroſimile, quod Summi Pontifices, ſine ratione & cauſa, & abſque expreſſa & ſpeciali mentione facta, tollere & abolere voluerint, id quod tot retro ſeculis, Seraphicus Pater noſter Franciſcus inſtituit, & Beata ſimul Clara ordinauit, approbaruntque Summi Pontifices, Innocentius Quartus, prioris Regulæ confirmator, & Vrbanus Quartus ſecundæ Regulæ Sanctæ Claræ, inſtitutor & auctor. Eo vel maxime, cum rationi videatur conforme, vt quemadmodum in Monaſterijs virorum, ſunt qui dam Fratres, qui profitentur ad inſeruiendum choro & rebus ſacris, alij vero qui dicuntur Conuerſi ſiue laici, qui profitentur ad ſe exercendum in alijs miniſterijs, inferioribus & temporalibus, iuxta id quod notatur in iure *in capit. ex eo §. 1. de electione libro ſexto*, vt ne propterea alij, ab altiorum virtutum operibus auocentur, Apoſtolorum etiam exemplo, qui vt legitur Act. 6. Diaconos inſtituerunt, vt ne ipſi relicto verbo Dei, menſis miniſtrare cogerentur: ita quoque in monaſterijs mulierum ſiue monialium, eſſent quædam profitentes ad inſeruiendum choro, aliæ vero inferioribus miniſterijs deſtinatæ, nempe miniſterio coquinæ, verrendi & alia miniſteria humilia exercendi. Sed quid moror hac in re pluribus agere, cum id nullo modo contrarietur, menti & intentioni prædictorum Summorum Pontif. quæ ſolummodo fuit vt ex dictis ſuis conſtitutionibus ſatis patet, quod omnes in vniuerſum moniales, abſque delectu & diſcrimine, clauſuræ ſubijciantur, ipſamque inuiolabiliter obſeruent, & quod aliæ ſorores ſeruitiales, hoc vel illo nomine nuncupentur ſi extra degerent, intra prædictarum monialium clauſuram, nullo modo ingrederentur. Vnde ſit ſecunda concluſio.

verè Religioſæ & clauſurã obſeruent

Secunda Concluſio.

Quænam mulieres ſeruitiales hoc tempore recipiendæ ſint, ac recipi poſsint, & vbi debēt degere?

QVod Summi Pontifices, in dictis ſuis conſtitutionibus ſtatuerunt & decreuerunt, ac omnino ſeruari voluerunt, fuit vt illæ ſorores & mulieres, quæ ſermone Hiſpano dicuntur *Donadas ſiue beatas*, nec ad habitum, nec ad profeſſionem admitterentur, niſi illæ tantum quæ neceſſariæ forent ad colligendas eleemoſynas. Quas etiam nō voluerunt ad clauſuram obligari, cum non ſint vere religioſæ, nec intra aliarum Monialium clauſuram introite, ſed extra degere, in domibus earundem Monaſterijs contiguis. Hæc concluſio, ſatis conſtat ex ſupradictis, nec amplius quidquam occurrit dicendum, præterquam quod ſupradicta verba Summorum Pontif. quæ alias videbantur contraria, ſequenti modo debēnt conciliari, vt quando denegari videtur, quod ſorores ſeruitiales ſiue Conuerſæ, in Monaſterijs recipiantur, aut ad profeſſionem admittantur, intelligendi ſunt de illis, quæ dicuntur *Beatas ò Donadas*, quæ non ſunt verè religioſæ, ac proinde nec ad clauſuram debebant admitti aut obligari. Quando vero idipſum conceditur intelligendi ſunt de alijs laicis, quæ dicuntur *legas, conuerſas ò ſargentas*, quæ vere & proprie ſunt religioſæ, & ad clauſuram adſtrictæ, ex ſpeciali ſuæ Regulæ voto, in Monaſterijs Sanctæ Claræ ſeu ex generali Concilij Tridentini decreto, ac prædictorum Summorum Pontif. præcepto in alijs, quemadmodum & omnes aliæ Moniales Choro deſtinatæ. Et hæc de iſto articulo, ac tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO II.

De Clauſura Monialium in particulari, quantum ad ingreſſum in ipſarum Monaſteria, in viginti Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnibus in vniuerſum, viris ac mulieribus, ſit prohibitus ingreſſus, in Clauſuram & Monaſteria Monialium?

Quid nomine clauſuræ intelligatur, ſeu comprehendatur monaſterij nomine?

PRo huius articuli intelligētia præmitto, prout iam ſupra dixi, quod duo ſimul cōprehēſa intelligūtur, in Monialiū clauſura, primo ipſarū extra monaſteriū egreſſus, ſecundo vero, ingreſſus aliorū omnium in ipſum, cuiuſcunque ſexus, ſtatus & conditionis extiterint. Et quia huius ſecūdi materia, cōmunior eſt & amplior, cognituq; multū neceſſaria ad illud primū, propter ſpeciales rationes, de quibus inferius eſt dicendū, de hoc vltimo prius agere viſum eſt in hac quæſtione, acturi poſtmodū in ſequentibus de primo. Quæritur ergo in præſenti articulo: *An omnibus in vniuerſum, viris ac mulieribus, prohibitus ſit ingreſſus, in clauſuram prædictarum Monialiū?* Pro cuius reſolutione oportet adnotare prius quid nomine clauſuræ comprehendatur, quid etiam veniat intelligendum, monaſteriorum nomine? Cui dubitationi reſpondeo, quod nomine monaſteriorum, in quæ prohibitus eſt ingreſſus, quorumcunque virorum atque mulierum, intelligūtur domus & clauſtra, omneſque interiores officinæ, & omnia interiora habitacula & receptacula Monialiū. Quod ſuperq; ſatis conſtat, ex determinatione multorum Sūmorū Pōtifi. qui id ipſum dixerunt & reſponderunt, inter explicandum noſtram fratrum Minorum Regulam, in cuius vndecimo capitulo, Seraphicus Pater noſter Franciſcus, ſtricte præcipit, ne Fratres ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica, conceſſa eſt licentia ſpecialis. Quæ prædicta verba, explicantes & declarantes multi Summi Romani Pontifices ſucceſſiue, vnanimi conſenſu, reſponderunt & diffinierunt, id quod à nobis dictum eſt. De quo ſpecialiter videri poterit Nicolaus Tertius, *in cap. exijt qui ſeminat, de verborum ſignificatione in 6. art. 9.* ibi, *& nomine Monaſterij, volumus clauſtrum, domos & officinas interiores intelligi.* Ex quo infertur, quod intrantes Monialium Eccleſias, ſiue domos ipſis monaſterijs contiguas, in quibus perſonę familiares, ſeu etiam ſorores ſeruitrices, monialium obſequijs deputatæ morantur, vel ad crates ſeu loquutoria accedentes, non cenſentur earundem monaſteria ingredi, quia nullus locus iſtorum eſt, aut dici poteſt monaſterium, iuxta prædictorum Summorum Pōtificum declarationes. Non enim ſupradicta loca, ſunt intra ſepta monaſterij, ſed omninò extra, omnibus in vniuerſum ſecularibus communia atque patentia. Quo præmiſſo notabili, difficultati propoſitæ reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Omnes cuiuſcunque ſexus viri atq; mulieres, prohibētur monialium monaſteria ingredi, per Cōc. Tri. & Summ. Pont. conſtitutiones.

OMnes vtriuſque ſexus, viri atque mulieres, cuiuſcumque ſtatus & conditionis extiterint, vſum rationis habentes & diſcretionem ad peccandum, vel qui ad peccatum incitare poſſunt, in gredi prohibentur, quarumcunque Monialium monaſteria. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Con. Trid. Seſſi. 25. *de refor. c. 5.* vbi poſt alia ſequētia ponuntur verba: *Ingredi autem intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcunque generis aut Conditionis, ſexus*

ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel ſuperioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Quibus ſimilia verba, habentur *in capit. Periculoſo, de ſtatu Regular. libro ſexto*, ibi, *nulliq́ne aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ſuper de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus vel acceſſus ad eaſdem (nempe moniales) pateat vt ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omnino ſeruire Deo valeant liberius, & laſciuiendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua & corpora, in omni ſanctimonia diligentius poſſint cuſtodire.* Quæ verba expendens Nauarro *in capit. ſtatuimus de regul. numero 59.* inquit, limitanda eſſe, vt non procedant in infantibus adhuc diſcretione carentibus, argumento aliquorum iurium *l. 1. C. de falſa moneta, & l. illud. ff. de iniurijs, translatæ in capit. illud 15. quæſtione prima, facit & capit. omnis de pœnitent. & remiſſion.* Vnde, inquit, non peccant eiuſmodi infantes prædicta Monaſteria ingredientes, cum nec ipſi ad peccandum incitare poſſint, nec peccant ipſæ Moniales eoſdem admittentes, cum neminem recipiant, qui ingredi ſit prohibitus. Quod & colligi poteſt ex ſupradicti Concilij Tridentini decreto, ſiquidem & contra ingredientes apponitur excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, quæ nullatenus incurritur, niſi vbi adeſt peccatum mortale, vt habetur *in capit. nullus 11. quæſtione tertia.* Ingredi tamen prædicta Monialium Monaſteria prohibentur, omnes alij cuiuſcumque fuerint ætatis, habentes vſum rationis, & diſcretionem ad peccandum, vel qui ad peccatum incitare poſſunt. Ex quo ſequitur, quod in ſupradicto decreto, comprehenduntur fatui puberes, qui quidem licet non habeant vſum rationis ad peccandum, tamen ad peccatum ipſi incitare poſſunt, & in Monaſterijs tumultum facere, turpiterque iocari, & varia, vana & damnoſa ibidem importare, & inde vera ſecreta & mendacia conficta, eidem Monaſterio nocentia aſportare. Quapropter licet ipſi ingredientes, ex defectu vſus rationis, à peccato ſint immunes, non tamen erunt immunes Moniales, imò verò tenentur eoſdem non admittere & ſi eos admiſerint profecto à peccato non excuſabuntur, ſiquidem in ijs non ceſſat ratio legis, cum incitare ipſi poſſint & valeant ad peccandum, vt tradit ſupradictus Nauarro loco ſupracitato.

Nota valde, quod ſupradicta concluſio, non procedit in infantibus diſcretione carentibus, bene tamen in viris fatuis.

Sed difficultas eſt peculiaris, de quibuſdam receptaculis, quæ habentur in nonnullis Monaſterijs Monialium, ſtatim in portis eorumdem, in quibus ſimul conueniunt, ipſæ Moniales & ſeculares vtriuſque ſexus, viri & mulieres, an illic ingredi liceat ſecularibus, aut exire ipſis Monialibus? De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Non licet ſecularibus intrare recepta cula quæ habẽ tur, in quibuſ dam monaſte rijs monialiũ ſine Epiſcopi vel Superioris licentia.

NVlli omnino ſeculari, viro aut mulieri, ingredi licet receptacula prædicta, niſi forſan ex ſpeciali aliquo priuilegio ad idem obtento, vel de licentia Epiſcopi ſiue Prælati, data cum legitima cauſa, & contrarium facientes, non videtur quali ter excuſari poſſint à peccato, & ab excommunicationis pœna in Concilio poſita, contra ingredientes Monaſteria prædictarum Monialium. Ad ſtatuendam ſupradictam concluſionem Moueor: nam re vera receptacula prædicta, vere ſunt intra ſepta monaſterij, & intra domum, habitationem & clauſuram prædictarum Monialium, quapropter abſque ſpeciali priuilegio ſiue licentia Prælati, data cum legitima & rationabili cauſa, ingredi receptacula prædicta minime licet, cum illuc ingredientes, clauſuram intrent ac ipſam violent. Quod vel hac vnica ratione, meo quidem videri vrgentiſſima & efficaciſſima probatur. Nam quæro, an receptacula illa, ſint intra aut extra Monialium clauſuram? Si dicas quod intra: ergo nec viris, nec mulieribus ſæcularibus illuc licet introire. Si vero extra: ergo monialibus ipſis, nõ etiam eſt licitum illuc exire, & vtrique ibidem exiſtentes, clauſuram violant. Vnum certe ex his duobus, meo quidem videri vitari minime poteſt. Sed hoc eſt intelligendum, niſi forſan vt dixi, ad id habeatur ſpeciale aliquod priuilegium, vel licentia Epiſcopi ſiue Prælati, data cum iuſta & rationabili cauſa. Nam cũ res hæc moralis ſit, non eſt diffiniẽda, determinanda aut regulanda, ſecundum regulas metaphyſicas, quin vero poteſt Papa, prædictã clauſuram modificare, & vt videtur idipſum Epiſcopus ſiue Prælatus, cum iuſta & rationabili cauſa, ne vt dicitur arcus, dum plus nimio extenditur cõfringatur, vt enim habetur *in cap. denique, diſt. 4. Qui multum emungit, elicit ſanguinem.* Sed de hoc alias.

ARTICVLVS II.

Quinam poſſint dare licentiam, ad ingrediendum Monialium clauſuram?

HIc articulus proponitur, ad explicanda illa Concilij Tridentini verba, ſeſſione 25. de reformat. capit. quinto, quibus dicitur, *vt nullus intra monaſterij monialium ſepta ingrediatur, cuiuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.* Poſt quæ dicta verba additur ibidem. *Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet, in caſibus neceſſarijs, nec vllus alio modo poſſit, etiam vigore cuiuſcumque facultatis vel indulti, hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.* Ex quibus verbis ſatis clare colligitur, quod ad ingrediendum monaſteria prædictarum monialium, duo ſimul & copulatiue debent concurrere, nempe Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta & cauſa neceſſaria, quod & Pius Quintus, & Gregorius XIII. in ſuis etiam Extrauag. & Conſtitut. explicarunt & declararunt. Sed ne dum omnia ſimul & inuolute dicuntur confundantur, vt etiam congruo & recto ordine procedamus, in præſenti articulo, ſolummodo agẽdum erit, de licentia Epiſcopi ſiue Prælati, in ſequenti vero de cauſa neceſſario ad idipſum requiſita. Et quidem quãtum ad primũ attinet, nõnihil habere videtur difficultatis illud quod in prædicto Concilij Decreto dicitur, nẽpe, quod ad ingrediendũ monaſteria monialiũ, licẽtia eſſe debet Epiſcopi, vel ſuperioris Prælati. Cũ enim Sacra Synodus, ſub diſiun

ctione loquatur, vt videtur datur intelligi, quod ſufficit licentia Epiſcopi, ſine licentia alterius Superioris, etiam ad ingrediendum Monaſteria Prælatis Regularibus ſubiecta, & licentia Superioris, etiam ſine licentia Epiſcopi, ad ingrediendum in eadem, *argumento leg. plerumque. ff. de iure dot. & cap. in alternatiuis, de regulis iuris libro ſexto.* Et difficultas augetur ex eo, quod cum prædicti Epiſcopi, facultatem & poteſtatem habeant, includendi ſeu potius recludendi Monachas, non ſolum ſibi ſubiectas auctoritate ordinaria, verum etiam & exemptas auctoritate Apoſtolica, vt habetur *in capit. Periculoſo, de ſtatu Regul. libro ſexto. §. & quoniam*, innouato per *Concil. Tridentin. ſeſſione 25. de reformat. capit. quinto*, multi contendunt facultatē dandi licentiā prædictā, pertinere ad Epiſcopos habētes poteſtatem includendi ſeu recludendi ipſas. Et præterea non nihil etiam habere videtur difficultatis, illud quod in prædicto Concilij Decreto dicitur, ſcilicet, quod licentia neceſſario debeat eſſe in ſcriptis. Non enim videtur qualiter ſic, commode ſatis poſſit prouideri, neceſſitatibus multarū Monialium & Monaſteriorum, quæ longe abſunt ab Epiſcopis & Superioribus, ſi ipſorum licentia ad ingrediendum, neceſſaria eſſe dicatur in ſcriptis, verbi gratia, quoad Medicos, Chirurgos, latomos carpentarios & alios, quorum repentina opera, paſſim egent Moniales prædictæ. Multæ certe neceſſitates occurrere poterunt, quibus commodè prouideri non poterit, ſi Abbatiſſæ in eiuſmodi caſibus, nequeant dare licentiam introeundi, & nedum Epiſcopi ac Superiorum ſit neceſſaria, verum etiam & neceſſario eſſe debeat in ſcriptis. Vt igitur prædictis difficultatibus ſatisfiat, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Ad ingrediendum Monialium Monaſteria, Prælatis Regularibus ſubiecta, neq; ſufficit neq; requiritur licentia Epiſcopi, ſed licentia Prælatorum monaſterij, quibus ſubſunt, data cum legitima cauſa.

AD ingrediendum Monialium Monaſteria, Prælatis Regularibus ſubiecta, nec ſufficit nec requiritur licentia Epiſcopi, ſed licentia Superioris ordinarij eiuſdem Monaſterij, data cum legitima cauſa. Hanc concluſionem tenet expreſſe Nauarro, *in capit. ſtatuimus de Regul. numero 60.* vbi & eam probat, ex eo quod licet Decretalis prædicta, & præfatum Concilium ſignificare videatur, quod Epiſcopi poſſunt & debent, recludere Moniales etiam exemptas ſui Epiſcopatus, mens tamen (inquit) Bonifacij in ſupradicto loco, vt ſatis clare ibidem exprimitur, ea ſolummodo fuit, quod Epiſcopi, poſſunt & debent recludere Moniales omnes ſibi ſubiectas, non tamen exemptas ab eis, & ſubditas Prælatis Regularibus exemptis ordinum Monachalium, ſeu Religioſorum quorumcumque. Nam id expreſſe *in dicto cap. §. & quoniam*, Abbatibus ac prędictis Superioribus Regularibus conceditur atq; committitur, & ſecundum eundē modum debet intelligi, ſupradictum decretum Concilij Tridentini, cum ſecundum ius conſtitutio interpretans in dubio, ſecundum interpretata ſit intelligenda, vt habetur in authentico *hæc conſtitutio. §. hæc igitur, collatione ſexta.* Quod etiam, inquit, videtur ſenſiſſe Pius Quintus, in ſua Extrauaganti, quæ incipit, *decori*, in alio caſu ſimili. Vnde reſolutiue dicendum eſt, quod licentiam præfatam dare, pro Monialibus ſubditis Epiſcopo, & etiam exemptis ab eo, ſubiectis tamen immediate Summo Pontifici, ad Epiſcopum quidem pertinet, attamen pro exēptis ab Ordinario, & ſubditis alijs Prelatis Regularibus Ordinū quorumcumq; nō pertinet niſi ad ipſarū Superiores & Prælatos, vt referātur ſingula ſingulis. Quorſum enim Epiſcopus facultatem faceret, ingrediendi Monaſteria alienæ iuriſdictionis, cui Monialium ipſarum Præfectus contradiceret, & eiuſmodi licentiam impediendo reſiſteret, cui etiam Abbatiſſa vel Prioriſſa, non teneretur parēre aut obedire? Nefas certe eſſe videtur, quempiam in alienam meſſem falcem mittere. Quod autem hoc ita ſit dicendum, conſtat vlterius, ex Decretali ſupradicta Bonifacij Octaui, poſita *in dicto capit. Periculoſo, de ſtatu regular. lib. ſexto*, in illis verbis. *Niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia, ingreſſus vel acceſſus ad eaſdem (nempe moniales) non pateat.* Per quæ verba, *ac de illius ad quem pertinuerit licentia*, ſatis explicatur mens & intentio Concilij Tridentini prædicti, vbi prædicta decretalis innouatur & renouatur. Sed aduerte, quod dum vtitur ſacra Synodus, dictione excluſiua, dicendo vt nemini liceat, ingredi intra ſepta cuiuſcumque Monaſterij, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, ſatis colligitur, quod eiuſmodi licentiam præſtare non poteſt Abbatiſſa nec Prioriſſa, quod tenet Dominicus poſt Archidiaconum, & Ioannes Andræas communiter receptus, & approbatus à Franco, qui ait non ſufficere Abbatiſſæ licētiam, ipſa enim eſt cui imponitur clauſura, per *dictum capit. Periculoſo. §. verum*, vnde neceſſario requiritur ſuperioris licentia, illius nempe, qui ad illam ſeruandam poteſt cogere, quales vt prædictum eſt, ſunt ſoli Epiſcopi & Ordinum Superiores. Aduerto etiam, quod in abſentia dictorum Epiſcoporum ſede vacante, eandem poteſt concedere Capitulum: nam & ipſum in Epiſcopi locum ſuccedit, vt cum communi tradit Syluester *verbo, Capitulum, numero quarto*, & idem dico de prouiſore, ab eodem Capitulo conſtituto & aſſignato, qui in tali caſu, reſpectu Monialium ſibi ſubiectarum, erit earum ſuperior, qui & licentiam prædictam poteſt præſtare. Sed quantum attinet ad aliam difficultatem, an ſcilicet licentia prædicta, neceſſario eſſe debeat in ſcriptis, reſpondeo & ſit ſecunda concluſio.

Nota quod Abbatiſſa vel Prioriſſa, nō poteſt dare licentiam, ad ingrediēdum ſua monaſteria.

Secunda Concluſio.

Licētia ingrediendi monialium monaſteria, in caſibus extraordinarijs, eſſe debet in ſcriptis, non vero in ordinarijs

QVamuis ex prædictis verbis Concilij, ſatis habeatur expreſſe, quod licentia prædicta neceſſario eſſe debet in ſcriptis, id tamen intelligendum eſt, in caſibus extraordinarijs, non vero in ordinarijs, qualis eſt ingreſſus Medicorum, Chirurgorum, &c. Hanc concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Nauarro *in dicto capit. ſtatuimus, numero 60. vbi quarto, quod dubitari etiam non poteſt*, vbi inquit, quod in eiuſmodi caſibus, non requiritur Superiorum licentia, nec ſcripta nec non ſcripta, vt in ſimili tenet D. Thom. communiter receptus 2.2. qnæſt. 147. articulo quarto, dicens non requiri diſpenſationem Superioris, cum cauſa non ieiunandi eſt manifeſta, & nō poteſt facile adiri Superior, præ-

præſertim ſi cõſuetudo illud habet. Quod videtur congruentiſſime adaptari poſſe, noſtro propoſito caſui, niſi forſan dicamus, quod in eiuſmodi caſibus Superiores, Abbatiſſis vel ipſorum Confeſſarijs, dare debent eiuſmodi licentias generales ſcriptas, vt illis occurrentibus, ipſæ etiam ingrediendi licentiam poſſint dare.

ARTICVLVS III.

Quiſnam præſtare poſſit licentiam, ad ingrediendum Monaſteria Monialium S. Claræ?

Nota 1. quod Moniales S. Claræ, ſtrictiorem habẽt obligationẽ ſeruandi clauſuram, præ aliis Monialibus.

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod Moniales S. Claræ, ſtrictiorẽ habent obligationem ſeruandi clauſuram, quam reliquæ omnium aliarum religionum Moniales. Nam cum aliæ ad id non teneãtur, niſi ex præcepto ſupradicti Bonifacij VIII poſito *in dicto cap. Periculoſo, de ſtatu regul. lib. 6.* quæ dicitur Monialium clauſura, eiſdem indicta iure communi, ipſæ ad eandem ſeruandam, tenentur & adſtringuntur, iure ſpeciali ſuæ regulæ, in cuius in profeſſione, præter tria religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, emittunt aliud quartum clauſuræ, quod eſt vnum ſuorum votorum principalium, prout ſeruare obedientiam, caſtitatem, & paupertatem. Super quo nõ eſt facta hactenus aliqua diſpenſatio, niſi in caſibus qui ponentur infra in proprio articulo, quorum meminit Seraphicus Pater noſter Franciſcus, & B. Clara in prima ſua regula, & Vrbanus IIII. inſtitutor atque ordinator ſecundæ regulæ, quæ habetur in monumentis Ordinis primæ impreſſionis fol. 264. & ſecundæ fol. 294. & refertur in Compendio priuilegiorum, *verbo, clauſura Monialium*, §. 3. & amplius referuntur ſupradicti caſus, à Collectore Priuilegiorũ, *verbo, vbi ſupra*, poſt §. 5. Aduertendum eſt inſuper, quod nos Minores Fratres, ſtrictiorem etiam habemus obligationem, non introeundi Monaſteria prædictarum Monialium S. Claræ, quinuero & Monialium quarumcunque, quam cæteri Religioſi, ſiue ſæculares, propter prohibitionem ſpecialem eadem de re factam, in noſtra Regula, in cuius capit. 11, præcipitur Fratribus vniuerſis, ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Cuius ſpecialitatis ratio, prouenit ex ſpeciali prohibitione nobis facta, & ſtatim dicetur qualiter hoc veniat intelligendum, debeatque obſeruari & practicari.

Nos minores Fratres, ſtrictiorem habemus obligationem, nõ ingrediendi monaſteria monialiũ S. Claræ, & quarumcũque monialiũ quãcunque Religioſi, ſiue ſæculares.

Nota 2. quod Protector Ordinis S. Claræ olim licẽtias præſtabat, ad ingrediẽdum ſua monaſteria, ſed ſublata fuit à Martino V. & neque Generales Ordinis, neque Prouinciales modo hoc poſſunt.

Secundo præmitto, quod olim ſecundum vtrãque S. Claræ regulam, tam primam quam ſecundam, Cardinalis Protector, cui ex commiſſione Apoſtolica, Moniales prædictæ erant ſubiectæ, dabat, dareque poterat, quibuſuis perſonis etiam ſecularibus, licentiam introeundi ſupradicta Monaſteria, vt conſtat ex cap. 11. primæ regulæ, & cap. 18. ſecundæ, quam Vrbanus IIII. ordinauit. Verum poſtea Martinus V. eiuſdem ſucceſſor, hãc facultatem ab illis abſtulit, & decreuit ac ſtatuit, quod Cardinalis Protector, nullo modo poſſet concedere dictam licentiam, ingrediendi prædicta Monaſteria, inconſulto Romano Pontifice, & abſque Sedis Apoſtolicæ licẽtia ſpeciali. Ita habetur in monumentis Ordinis, primæ impreſſionis fol. 38. & ſecundæ fol. 36. conceſſion. 41. & refertur in Compẽdio, *verbo, ingredi Monaſteria Monialium.* §. 13. vbi ſequentia verba habentur: *Martinus V. decreuit, quod nulli omnino hominũ, tam regularium quam ſecularium, cuiuſcumque gradus, præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, nobilitatis, & cõditionis fuerit (exceptis illis de quibus in regula S. Claræ per Vrbanum edita, & in Conſtitutionibus Benedicti XII. fit mentio) prætextu cuiuslibet licẽtiæ, ſibi deſuper quauis auctoritate conceſſæ, liceat Monaſteria Sororum & monialium S. Claræ, ſeu aliquod ex eis ingredi. Nec etiam Protectori, aut Generali miniſtro Ordinis minorum, pro tempore exiſtentibus, ſeu Prouincialibus miniſtris, & quibuſcumque Viſitatoribus, licentiam ſuper ingreſſu huiuſmodi, inconſulto Romano Pontifice, concedere liceat quoquomodo.* Vbi Collector, poſtquam hanc retulit prohibitionem, aduertit quod in ea prædictus Martinus V. voluit dicere, quod quamuis in regula S. Claræ, & maxime Vrbaniſtarum, conceſſum fuerit, quod Protector Ordinis, poſſet dare licentiam, intrãdi in Monaſteria prædictæ S. Claræ perſonis ſæcularibus, tamen quod de cætero, nec Protector, nec Generalis miniſter, & multo minus Prouinciales aut Viſitatores, poſſunt dare licentiam, intrandi prædicta Monaſteria alicui perſonæ, cuiuſcumque dignitatis fuerit, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Circa quod remittit ſe ad idem Compendium, *verbo, miniſtri Prouinciales*, §. 7. & *verbo, Protector Ordinis*, §. 6. & amplius, *verbo, ingredi monaſteria Monialium, in vltimo notabili*, vbi hoc declaratur & explicatur latiſſimè. Nam quamuis Iulius II. qui prædicto Martino V. ſucceſſit, poſtea conceſſerit, quod *Prouinciales minorum Fratrum, eandem poteſtatem & facultatem habeant, circa præfatas moniales S. Claræ earum curæ commiſſas, quam Vrbanus IIII. in Regula prædictarum monialium, Cardinali Protectori dicti Ordinis conceſſerat*, prout habetur in monumentis Ordinis ſecundæ impreſſionis, fol. 112. conceſſione 517. & in Supplemento fol. 72. conceſſion. 220. *& refertur in Compendio, verbo, miniſtri*, §. 8. & quæ ſit huiuſmodi facultas, refertur in eiſdem monumentis, primæ impreſſionis, fol. 291. tit. 3. & ſecundæ impreſſionis fol. 319. tit. 2. *& in Compendio, verbo Protector Ordinis*, §. 13. & à quibuſdam fuerit dubitatum, An Prouinciales Miniſtri, virtute ſupradictæ conceſſionis, habeant eandem auctoritatem illi mitatam & quoad omnia, ſicut ante Cardenali Protectori in regula conceſſa erat, an vero reſtrictam & limitatam, prout à Martino V. Protectoribus prædictis erat reſtricta, tempore quo ſupradicta Iulij conceſſio emanauit? verior tamen ſententia & opinio eſt, quod Prouinciales prædicti, habent euilmodi auctoritatem, reſtrictam & limitatam, iuxta limitationem Martini V. atque ita ſicut tempore conceſſionis Iulij II. Protector dicti Ordinis, non poterat prædictam licentiam donare alicui, ita nec modo id poſſunt Generales & Prouinciales Miniſtri noſtri Ordinis, prout tenet Auctor libri, cui titulus Clypeus Monialium, & prædictus Collector Priuilegiorum, *verbo, ingreai monaſteria monialium, notabili 4.* & Cordubain additionibus ad dictum Compendium, eodem verbo ibi. §. *quoad quartum*, fauetque huic ſententiæ & reſolutioni,

Proteſtas quæ habent hodie Generalis & Prouinciales miniſtri, ſuper moniales S. Claræ eſt, quæ eratolim data Cardinali Protectori, ſed prout reſtricta & limitata fuit à Martino V.

conſuetudo ipſa, quæ optima eſt legum interpres & vim habet legis. Sæpe enim Prouinciales & Generales Miniſtri, noſtri ſacri Ordinis, intellexerunt ac perſuaſum ſibi habuerunt, Protectoris auctoritatem prædictam, communicatam & traditam ſibi fuiſſe, cum Martini V. reſtrictione, nec vnquam virtute conceſſionis ſibi factæ à Iulio II. auſi ſunt licentiam alicui dare, ad ingrediendum clauſuram prædictarum Monialium S. Claræ. Quibus ſuppoſitis atque præmiſſis, propoſito articulo reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Nobis Fratribus minoribus, ſolus Summus Pontifex licentiã poteſt indulgere, ad ingrediendum monialium monaſteria.

NObis Fratribus Minoribus, ſolus Romanus Pontifex, licentiam præſtare poteſt, introeundi Monaſteria S. Claræ, & Monialium aliarum quarumcunque, debetque ad id eiuſmodi licentia eſſe ſpecialis. Hęc concluſio ſatis conſtat, ex dictis in primo notabili: nam nos ex noſtra Regula, expreſſam habemus prohibitionem, vt non ingrediamur Monaſteria Monialium, præter illos quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Circa quæ verba notandum eſt, quod dum ſpecialis requiritur, aperte datur intelligi quod non ſufficit generalis. Quo fit vt quamuis aliquis S. R. E. Cardinalis ſeu Epiſcopus, licentiam habeat generalem, ingrediẽdi præfata Monaſteria, cum ſocijs ſiue miniſtris ſibi gratis, virtute eius conceſsionis, non poſſunt eligere nos Minores Fratres, in ſocios vel miniſtros, qui vna ſecum ingrediamur, quia iuxta noſtræ Regulæ præceptum, requiritur licentia ſpecialis, hoc eſt, quæ de nobis, ſpecialem & expreſſam mentionem faciat: Nam prædicta faculras, quam in propoſito caſu, Cardinalis vel Epiſcopus haberẽt, eligendi ſocios ſiue miniſtros ad intrandum, non eſſet ſpecialis, pro noſtris Fratribus, ſed generalis, atque adeo minus ſufficiens. Oporteret enim ad licitum ingreſſum, quod Cardinalis ſiue Epiſcopus prædicti, facultatem haberent, eligendi quoſcumque ſibi gratos ſocios, atque miniſtros, etiamſi eſſent de ordine Minorum, aut alias prohibitionem haberent in contrarium. Tunc enim non vero aliter, eiuſmodi licentia, videretur pro nobis Fratribus Minoribus ſpecialis. Hoc dixerim de iure communi, ſtãdo in verbis noſtræ regulæ, niſi alias aliquod ſpeciale habeatur priuilegium, de quo infra. Sed loquendo de ſecularibus, ſit ſecunda concluſio.

Nota quod ad hoc vt minores Fratres ingrediantur monaſteria monacharum non ſufficit licentia generalis, ſed requiritur ſpecialis.

Secunda Concluſio.

Nullus abſq; expreſſa & ſpeciali Summi Pontificis licẽtia, ingredi poteſt monaſteri monialium S. Claræ & Conceptionis.

NVllus abſque expreſſa & ſpeciali licentia Sũmi Pontificis, ingredi poteſt monaſteria Monialium S. Claræ, & idem dico de monialibus Cõceptionis, nec vllus ipſo Summo Pontifice inferior, ad id licentiam poteſt præſtare. Hæc concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis in ſecundo Notab. conſtabitq; amplius ex inferius dicendis, quando agemus de cenſuris poſitis, contra ingredientes monaſteria, prædictarum monialium.

Sed maioris claritatis gratia, in contrarium opponere libuit, decretum Concilij Tridentini, poſitum *ſeſſ. 25. de reform. cap. 5.* vbi inſinuari videtur, quod Epiſcopus ſiue Superior, facultatem poteſt concedere, ingrediendi intra ſepta Monaſterij monialium, ibi, *ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta.* Poſt quæ verba additur. *Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior, debet licentiam in caſibus neceſſarijs:* ergo ſine ſpeciali licentia Summi Pontificis, licitum erit ingredi monaſteria monialium, etiam S. Claræ & Conceptionis, cum ſola licentia Epiſcopi aut ſuperioris Ordinarij, data cum iuſta atque legitima cauſa, & in caſu aliquo neceſſario, cum Concilium generaliter & ſine vlla diſtinctione loquatur. Hoc argumentum, nonnihil difficultatis habet, & forſan infra amplius elucidabitur: ſed pro nunc breuiter dico, eiuſmodi decretum, non eſſe intelligendum de monialibus S. Claræ & Conceptionis. Quod ita eſſe dicendum, colligitur ex eodem Concilio, ſeſ. 25. cap. 22. vbi poſt multa alia, ſequentia ponuntur verba: *Si qui vero Regulares, tam viri quam mulieres, ſunt qui ſub arctiori regula vel ſtatutis viuunt, exceptata facultate habendi bona ſtabilia in communi, eos ab eorum inſtituto & obſeruantia, ſancta Synodus amoueri non intendit.* Ex quibus verbis clare colligitur, quod cum moniales S. Claræ & Cõceptionis, ſtrictiorem habeant regulam, ſtrictioraque ſtatuta, nẽpe vt abſque Summi Pontificis expreſſa & ſpeciali licentia, ipſarum monaſteria nullus ingrediatur, eiuſmodi ſtrictiora ſtatuta, ſancta Synodus amouere non intendit. Quo fit vt Epiſcopi vel Superioris licentia, forſan ſufficiens, niſi aliud obſtaret, ad ingrediendum monaſteria aliarum monialium, quibus per Bonifacium VIII. & per Concilium Tridentinum, per Pium V. atque Gregorium XIII. in dicta eſt clauſura, non ſufficiat ad ingreſſum monaſteriorum monialium S. Claræ & Cõceptionist nam prædicti Ordines ſtrictiorem regulam habẽt, ſtrictioraque ſtatuta, amplioremque obligationẽ obſeruandi clauſuram. Hæc eſt grauiſſimorum Patrum ſententia & opinio, qui in hiſce rebus nimiũ ſunt exercitati, longiſſimamque experientiam habent. Sed de hoc alias forſan dicemus, aliquid amplius.

ARTICVLVS IIII.

Quænam cauſa ſufficiat, & ſit neceſſaria, ad ingrediendum Monaſteria Monialium?

POſtquam diximus de licentia neceſſario requiſita, ad ingrediendum monaſteria monialium, reliquum eſt, vt de cauſa ad idipſum neceſſaria dicamus, & reſpondetur huic articulo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Ad ingrediẽdũ monaſteria monialiũ cauſa eſſe debet rationabilis & manifeſta.

AD ingrediendum monaſteria monialium, neceſſario requiritur, quod cauſa ſit rationabilis & manifeſta. Hæc concluſio conſtat expreſſe, *ex cap. periculoſo de ſtatu Reg. lib. 6.* ex illis verbis, ibidem poſitis, *niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia*, quod quidem decretum, innouatum eſt in Concilio Trident. in dicta, *ſeſſ. 25. de reform. cap. 5.* & Gloſſa dicti *cap. periculoſo*, verbo cauſa, explicare volens, quænam

nam ea esse debeat, ponit exemplum in medicis, barbitonsoribus, sartoribus & carpentarijs, cum illis eguerint, & nihil dicit amplius. Nauarr. item in *cap. statuimus de Reg. num.* 59. vbi hac de re agit, nihil etiam dicit aliud, quã quod huiusmodi causa, non solum esse debet rationabilis, verum & manifesta, propter dictionem copulatiuam, qua vsus est Bonifacius VIII. in dicto capit. periculoso, dicendo, *nisi rationabilis & manifesta causa existat.* Neque vero mihi circa hoc occurrit de nouo quid dicam, nisi hoc solummodo, quod illud quod Bonifacius rationabilẽ & manifestam causam appellat, Concil. Trident. hoc idem explicando & declarando, dicit causam esse debere necessariam, Greg. vero. 13. in sua extrauag. siue cõstitutione, quę incipit, *vbi gratiæ & indulta*, ad eundem finem facta, dicit esse debere, necdum necessariam, verum etiam & vrgentem. *ibi, nisi pro necessitatibus vrgentibus.* Quæ quidem verba, quamuis aliqualiter videantur cõtraria, ac posita sint sub diuersis formis, tamen in rei veritate, meo quidem videri, idem omnino pol lent, & non plus continet vnum quam aliud. Neque Gregorius, dicendo debere illam esse vrgentem, aliud amplius exposcit, quam prædictum c. periculosum & Concil. Trident. quod ibidem explicare & declarare intendit, ac strictè præcipit inuiolabiliter obseruari, quod & ex eo licet colligere, nam probat atque confirmat suam sententiã allegando ipsum, vt patebit intuenti. Signũ igitur est, quod ad dictum ingressum nihil amplius requiritur, quam quod causa sit, vt dixit Bonifacius, rationalis & manifesta, & nec dum vtcumque necessaria, vt expostulat Concilium, verum etiam vrgens. Sed an hæc causa & necessitas, esse debeat strictissima, absoluta & simpliciter (vt logicorum verbis vtar) An vero sufficiat, quod sit necessitas quædam moralis, rationabilis & manifesta, quæ iudicio boni ac prudentis viri dijudicetur, vrgens, difficultatem habet, de quo sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Non requiritur ad intrandum monasteria Monialiũ, quod causa sit strictissima aut simpliciter necessaria, sed sat est quod sit rationabilis & manifesta.

NOn requiritur, quod causa ad intrandum Monialium monasteria, sit strictissima aut quod dicitur absolute & simpliciter necessaria, sed sufficit, quod sit necessitas quædam moralis, rationabilis & manifesta. Pro huius conclusionis intelligẽtia præmitto, quod apud Logicos & Metaphysicos duplex est necessitas, quædam dicitur absoluta & simpliciter, quale est illud sine quo aliquid simpliciter fieri non potest, quæ & continere videtur in se impossibilitatem, Logicam siue Metaphysicam, alia vero est necessitas moralis, quæ moraliter & rationabiliter loquendo, necessitatem inducit. Certum est enim quod eiusmodi res cum sint morales, regulari habent secundum regulas morales & prudentiæ, non vero per Regulas Logicas siue Metaphysicas, quarum exempla cum multa facile possem adducere, breuitatis gratia facio missa. Hoc suppositio dico, quod ad intrandum monialiũ monasteria, de Episcopi vel Superioris licentia, prout dicit Concilium, non requiritur quod necessitas sit simpliciter & absoluta, seu quod dicitur, Logica aut Metaphysica, sed sufficit necessitas quædam moralis, rationabilis & manifesta. Cuius assertionis veritas manifeste colligi potest, ex omnibus alijs præceptis, diuinis & humanis, in quibus sæper intelligitur excepta necessitas, & necessitatis nomine, intelligitur necessitas moralis, prout tenent omnes Doctores communiter, nec requiritur quod ea sit simpliciter & absoluta, extrema aut strictissima. Quod & confirmatur ex eo, quia vt diximus, cum præcepta prædicta sint moralia, & ad humanos mores spectantia, non Metaphysice sed moraliter sunt intelligenda, & secundum morales Regulas interpretanda & declaranda. Nec dubitandum est, quod in dicto casu idipsum voluerit Cõcilium & Ecclesia, pro sua sem per maxima æquitate, benignitate & clementia, rigorem suum eo modo temperare, vt Deum quãmaxime imitetur, qui teste Salomone, Sapien. 8. disponit omnia suauiter & fortiter; cuius etiam iugum, suaue est, & onus eius leue, vt habetur Mat. 10. Sed ad propositum propius accedendo, idipsum probatur manifeste, nam Greg. XIII. vt satis constat ex dicta sua Extrauag. *vbi gratiæ & indulta*, nihil omnino voluit aliud, quam vt Concilium Tridentinum, inuiolabiliter obseruetur: Concilium autem, loco etiam supracitato, nihil etiam intendit, nisi Decretalem prædictam Bonifacij VIII. innouare & renouare, vt ex ipsius verbis clare constat: sed Bonifacius prædictus, qui primus monialibus clausuram indixit, dicit quod ad id sufficit & tantummodo requiritur, rationabilis causa & manifesta: ergo sat est quod eiusmodi necessitas sit talis moraliter loquendo, nec requiritur quod ea sit Logica aut Metaphysica, extrema aut strictissima. Consequentia exinde patet, nam vt supradiximus, constitutio interprẽtãs, ex communi Doctorum resolutione, intelligenda est secundum interpretatã, prout habetur in iure, *in authentico, hæc constitutio §. hæc igitur, collat. 6.* eo vel maxime, cum vitanda sit modis omnibus legum correctio, præsertim legis Concilij generalis, & inquantum fuerit possible, expediat iura concordari iuribus. Resolutiue ergo est dicendum, quod decreta prædicta, sub diuersis verborum formis loquentia, & expostulantia causam ad præstandam licẽtiã, ad ingrediendum monialium monasteria, intelligenda sunt de causa moraliter necessaria, in aliquo necessario & vrgenti casu non prohibito, vel de causa nõ fine ratione præstanda, & nihil amplius requiritur. Ad *Glossam* autem *d. cap. Periculoso, verbo, causa*, quæ nonnullas assignat causas, dico, quod quamuis rationabilis & manifesta sit causa, intrandi monasteria monialium, medicis & sanguinis minutoribus, vt ibidem dicitur, non tamen eiusmodi esse mihi videtur, de sartoribus & similibus, cum eiusmodi ministeria, ad portam & extra clausuram fieri possint. Cum hoc etiam dico, esse certum, quod quando Concilium Tridentinum, facultatem concedit, introeundi monialium monasteria, in casibus necessarijs, de licentia Episcopi vel Superioris, non id est intelligendum, solummodo de illis casibus, in quibus anteipsum licitum erat intrare, verum etiam & de alijs, ipsorum prudentiæ ac recto iudicio relinquendis. Nam verba decreti prædicta, aliquid debent operari, nec otiose aut inutiliter credi debent ibidem posita, quo fit vt non loquatur solummodo, de illis necessita-

Nota quod in omnibus præceptis diuinis atque humanis, semper intelligitur necessitas excepta.

Nota hoc valde.

ceſsitatibus in quibus ex vi regulæ ipſarum Monialium, ad dictam clauſuram patebat aditus, nempe pro prædictis medicis, chirurgis, ſanguinis minutoribus, reliquiſque peritis in ijs artibus. Neque etiam debent intelligi ſolummodo, de illis ne ceſsitatibus, ordinarijs ſeu extraordinarijs, quæ neceſſariæ ſunt ſimpliciter & abſolute, & nullatenus poſſunt excuſari, quales ſunt, Monaſterij incendium, fluuij alicuius inundatio, eiſdemque ſimilibus, verum etiam & de alijs neceſsitatibus moralibus, à prædictis Epiſcopis ſiue Superioribus determinandis. Non enim omnes eiuſmodi neceſſitates, præueniri referri ſiue explicari potuerunt per Concilium, aut per Romanos Pontifices in locis prædictis, debuerunt expreſſe poni, quinuero ſupradictorum iudicio, & prudentiæ relinqui. Aduertendum eſt inſuper, quod minor cauſa requiritur, pro ingreſſu fœminarum quam pro ingreſſu virorum; minor etiam ad ingrediendum receptaculum illud, de quo ſupra mentionem fecimus, quam ad ingrediendum Monaſterij clauſtra, & alias officinas interiores, ſed quia de his omnibus, plura inferius ſumus dicturi, hæc pro nunc dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſit licitum de licentia Superiorum, in Monaſterijs Monialium (etiam Sanctæ Clarę) habere ſæculares ancillas, quæ inſeruiant infirmis, & exerceantur in coquina & eiuſmodi miniſterijs?

Prima Concluſio.

Certum eſſe credo, quod in Monialiū Monaſterijs, quæ nunquā clauſurā promiſerūt neq; ad eādē ſeruādam voto aut præcepto ſe obligarūt, recipi poſſunt ſeculares ancillæ, de licentia Superiorum.

IS Oquendo de illis Monialibus, quæ nũquam clauſuram promiſerunt, nec ad eandem ſeruandam, voto ſeu aliquo ſuæ Regulæ præcepto ſe obligarunt, certo crediderim, quod de licentia Superiorum, recipere poſſunt ſeculares ancillas, ad prædicta officia, ea lege & pacto, vt in Monaſterijs incluſæ permaneant, nec pluſquãcæteræ aliæ Moniales exinde egrediantur. Hæc concluſio conſtare facile poteſt, ex dictis in præcedenti articulo, nam in Concilio Tridentino ſupradicto, conceditur facultas præſtandi licentiam, ad ingrediendum Monialium Monaſteria, in caſibus neceſſarijs, Epiſcopis alijſque Superioribus Prælatis, & certum eſt (vt etiam dictum eſt ibi) quod prædicta neceſſitas ad ingrediendum, ſeu ad exiſtendum ibi dem, non eſſe debet ſimpliciter, loquendo de neceſſitate abſoluta, Logica aut Metaphyſica, extrema aut ſtrictiſſima, ſed moralis & rationabilis. Moraliter autem loquendo, quis non videat, Moniales prædictas, præſertim vbi ad id non ſunt aliæ Moniales laicæ, Hiſpano ſermone, legas ſiue *Sargẽtas* nuncupatæ, quam maxime indigere ſupradictis ſecularibus ancillis, quæ inſeruiant infirmis, & exerceantur in alijs infimis miniſterijs, coquinæ & alijs, in quibus commode exerceri non poſſunt aliæ Moniales, quæ choro ac diuinis officijs ſunt deſtinatæ & mancipatæ? Quæ præterea rationi cõſonum videtur, vt ab eiuſmodi miniſterijs eximãtur, quò in diuinis laudibus canendis, in choro & officijs diuinis, commodius valeant exerceri. Dicendum ergo eſt, licitum id eſſe neque vllo modo contra Concilium Tridentinum, aut contra Conſtitutiones Summorum Pontificum, quinuero, vt apparet, eiſdem multum conforme. Probatur præterea, ſupradicta concluſio, & quod prædicta ſecularium ancillarum neceſſitas, in dictis Monaſterijs Monialium, ad talia munera & officia obeunda, multum ſit iuſta & rationabilis, quinuero euidens & manifeſta, nam experientia teſtante in Monialium Monaſterijs, ſed præſertim vbi earum magnus non eſt numerus, vt plurimum multæ ſunt anus, ſenio fere confectæ, aliæ infirmæ & debiles, aliæ eiſdem infirmis & debilibus miniſtrantes & inſeruientes, non paucæ Conuentuum officijs deſtinatæ, quæ dicuntur Officiariæ, ianitrices vt Monaſteriorum aperiant, ſiue recludãt portas, & in rotis reſponſa ſecularibus adhibeant, & eis ſimiles. Si igitur ex illis quæ choro, diuiniſq; officijs ſunt deſtinatæ, & mancipatæ, deſumendæ eſſent aliæ, quæ in coquina & ſupradictis vilioribus officijs, atque obſequijs exercèrentur, quænam quæſo remanebunt, quæ in choro poſſent canere, diuiniſque officijs ac laudibus vacare? certe paucæ aut nullæ. Cum ergo vt de ſe patet, chori exercitium tanti referat, diuinuſque cultus, vt interdum non omnino pereat, & maxime vbi non ſunt moniales laicæ, eiuſmodi officijs deſtinatæ: ſatis quidem colligitur, quam magna ſit neceſſitas, habendi in Monaſterijs monialium, ſupradictas ſeculares ancillas, & quod id facere, haud qua quam erit contra Concilium Tridentinum. Quibus omnibus accedit, quod vt plurimum moniales omnes, ſunt debiles, tenerrimæ, & delicatæ, in parentum ſuorum domibus educatæ: multæ etiã ipſarum, nobiles & illuſtres, quibus proinde, multum eſſet oneroſum, damnoſum atque nociuum, ad ignem in coquina exiſtere, protinus enim ægrotarent atque infirmarentur, &c. Habenda eſt igitur, ſupradictorum omnium ratio, nec incongrue dicendum, quod iſti ſunt caſus neceſſarij, de quibus loquitur Concilium, & in quibus intrandi ſeu ingrediendi Monaſteria monialium, facultatem poſſunt concedere Epiſcopi, & ſuperiores atque Prælati. Eo vel maxime, quia ſi idipſum non fieret, quam plurimæ ex nobilioribus & illuſtribus atque etiam ex alijs, à religionis & monaſteriorum ingreſſu, interdum retardarentur, ſeu potius omnino amouerentur, aſſerentes Monaſterij & religionis iugum, prædictam ob cauſam, & propter nimium prædictorum officiorum laborem, eſſe ſibi difficillimum, ac prorſus incomportabile, quæ etiam multorum eſſe poſſent inconuenientium occaſio & cauſa. Ex his omnibus ſuperque ſatis colligitur, noſtræ concluſionis veritas, maxime in illis monialiũ monaſterijs, quæ ex fundatione voto, aut ſuæ Regulæ præcepto, ad clauſuram ſeruandam non tenentur: vbi certè benignior apponenda eſt clauſura, & idem dico in illis, in quibus ad ſubeũda eiuſmodi officia & munera, & ſe exercendum in prædictis laboribus, humilibuſquemi-

niſte-

niſterijs, non ſunt aliæ Moniales, quæ dicantur Cõuerſæ ſiue laicæ, ſeu quocumque alio nomine nũcupentur. In ijs omnibus certo crediderim, quod de licentia Epiſcopi vel Superioris, & illius ad quem pertinuerit illam dare, licitum erit habere prædictas ſeculares ancillas, neque id eſſe contra Concilium; quinuero hunc vnum eſſe ex caſibus neceſſarijs, de quibus meminit & loquitur ipſum Concil. Sed maior difficultas eſt circa hoc, de Monaſterijs monialium S. Claræ & aliarum, quæ clauſuram promiſerunt, & ad eandem ſeruandam, ex voto aut ex ſuæ regulæ præcepto ſe obligarunt; de quibus nihilominus loquendo, ſit ſecunda concluſio:

Secunda Concluſio.

Etiam in Monaſterijs Monialium S. Claræ, & aliarum quæ á ſua fundatione clauſuram promiſerunt, licitum eſt habere prædictas ſeculares ancillas, vbi non ſunt Moniales laicæ, de licentia potentis illam dare.

IN Monaſterijs etiam monialium S. Claræ, & aliarum quæ á ſua fundatione, clauſuram promiſerunt, & ad eamdem ſeruandam, ex voto ſeu ſuæ regulæ præcepto ſe obligarunt, ſi ibidem non ſint moniales laicæ, ſiue Conuerſæ ſeruitiales, probabiliſsimum eſſe credo, quod recipi poſsunt ſeculares ancillæ, ad ſe exercendum in prædictis monaſterijs, de licentia Epiſcopi aut ſuperioris, neque illud erit contra Concilium Tridentinum. Hanc concluſionem teneo, primo ob ſimilitudinẽ ſiue potius identitatem, aut paritatem rationis, & propter omnes ſupradictas cauſas, de quibus dictum in præcedẽti concluſione. Et præterea, quia Seraphicus Pater noſter Franciſcus, inſtitutor primæ Regulæ S. Clarę, & Innocent. IIII. Pont. Max. poſtea eiuſdẽ cõfirmator, & Vrbanus IIII. auctor & Inſtitutor ſecundę Regulę, expedientiſsimum & conuenientiſsimum idipſum dijudicarunt, quinuero & ordinarunt, quo Moniales choro, diuiniſque ofhcijs deſtinatę, à ſupradictis vilioribus coquinæ officijs ac miniſterijs eximerentur. Hanc enim ob cauſam, ſecundum vtramque prędictam regulam ſtatuerunt, vt in monaſterijs prędictis, alię moniales laicę, quę Seruitiales dicerentur, ad habitum & ad profeſsionem admitterentur, quas & eo tempore, nec ad clauſuram adſtringi voluerunt. Nihil certe ob aliud, quam vt cęterę moniales choro deſtinatę, diuinis laudibus, atque orationi, & contemplationi cõmodius vacarent. Cuius quidem pluſquam immemorialis conſuetudinis, vt ſupradixi, quammaxima habenda eſt ratio: ac dicendum proinde, quod vbi tales moniales laicę, ſiue Seruitiales non fuerint, ad prędicta officia & munera ſubeunda, licite alię mulieres ſiue ancillę ſeculares, de licentia Superiorum poterunt recipi, nec id facere vllo erit modo contra intentionem & voluntatem, Beatiſsimi Patris noſtri Franciſci, S. Clarę, aut Summorum Põtificum, qui eiuſdem regulam ordinarunt, approbarunt & confirmarunt. Nec vero contra Concilium Tridentinum, quinimmo eſt vnus ex caſibus, neceſſarijs, in quibus iuxta ipſum, Epiſcopi & Superiores Prælati, ad ingrediendum Monialium quarumcunque monaſteria, licentiam poſſunt pręſtare. Supradicta omnia confirmantur, ex quodam Breui ſiue Priuilegio, Pauli III. dato anno Domini 1536. omnibus monialibus etiam Sanctę Clarę prouincię Caſtellę, *quo conceſsit vt Prouinciales eiuſdem Prouinciæ, Monaſteriorumque Abbatiſſæ, & ipſorum quilibet, certum ſeruitricium ſeculariũ numerum, poſsint cõuincię Caſtellæ, in Hiſpaniarum partibus.* Quod nimirum priuilegium, vt dicitur habetur authenticum in Archiuo Sãcti Ioannis Regum, Toletanę ciuitatis, & impetratum fuit, quia vt ſupradiximus, moniales Sanctę Clarę, à ſua fundatione & ex ſuæ regulę voto, ſiue præcepto, obligationem habent ſeruandi clauſuram, ſtrictiorem quidem, præ omnibus alijs monialibus, ac propterea ancillas prędictas recipere nullo modo poterant, ſine Sedis Apoſtolicę ſpeciali licentia. Et quamuis eiuſmodi priuilegium, conceſſum fuerit ſolummodo pro monialibus prouincię Caſtellę, ipſo nihilominus vti & frui poſſunt, omnes alię moniales Prouinciarum quarumcunque, cum omnes in ſuis priuilegijs communicent, nec vllo modo ſit per Concilium Tridẽtinum reuocatum: etſi poſtea fuerit datum. Non enim vt dixi, hoc eſt illi cõtrarium, quinuero vt videtur, multũ cõforme, & is eſt vnus ex caſibus neceſſarijs, in quibus iuxta ipſum, Epiſcopi & Superiores, prędictã licentiam poſſunt dare. Supradicta concluſio vlterius cõfirmatur & corroboratur, ex alio quodam viuę vocis oraculo, conceſſo à Pio V. Pont. Max. ad inſtantiam & ſupplicationem Reuerendi admodum Patris, Fratris Ioannis de Aguilera, Commiſſarij olim Romanę Curię, 27. Septembris anno Domini 1569. quo conceſsit, *vt in quolibet Monialium cõuentu, poſſent ipſæ Moniales habere, tres vel quatuor ancillas, pro communi ſeruitio Monaſterij, ſi commode eas ſuſtentare poſsint, dummodo ſint honeſtæ vitæ, & à Conuentu non egrediantur.* Licet enim quidam contendant, conceſsionem prędictam cum alijs multis, poſtea fuiſſe reuocatam ab eodem Pio V. ad inſtantiam eiuſdem Patris, propter murmur quod contra ipſum fuerat ſubortum, à dicentibus quod his alijſque ſimilibus conceſsionibus ab ipſo impetratis, relaxabatur noſtra ſacra Religio, id tamen non eſt vſque adeo certum, vt non probabile multum ſit contrarium. Et quidquid de hoc ſit, adhuc tamen quammaxime noſtræ concluſioni fauet, conceſsio prędicta Pij V. nempe propter dictarum ſecularium ancillarum ingreſſum, nullatenus violari prędictarum monialium clauſuram, aut derogari Concilio Tridentino, ipſiuſque decreto, quo dictum fuit ac pręceptum ſub excommunicationis pœna, vt illuc nullus aut nulla ingrederetur, niſi de licentia Epiſcopi vel Superioris Pręlati, idque tantum in caſibus neceſſarijs. Etenim ſi prędictus Pontifex non intellexiſſet, hunc caſum eſſe neceſſarium, multumque conformem Concilio Tridentino prędicto, non ita de facili conceſſiſſet idipſum, aut ſaltem dixiſſet quod illud concedebat, non obſtante ſacro Concilio Tridentino, vt moris eſt prędictam clauſulam derogatoriam apponere, quotieſcumque conceditur aliquid, contra ius aut contra Concilium, quod cum non fecerit, ſignum eſt euidentiſsimum, prędictarum anciſlarum ingreſſum, non eſſe contra ius, nec contra ſacrum Concilium. Ex quo vlterius ſequitur, quod Breue illud ſupradictum Pauli III. & prędicta conceſſio Pij V. in rigore & puncto iuris loquendo, non fuit noua aliqua conceſſio, indultum aut priuilegiũ, & iuris ſiue Cõcilij derogatio, ſed potius ipſorum declaratio, atque interpretatio. Supradicta omnia intelligenda ſunt (vt dixi) in illis

Nota Priuilegiũ Pauli III cõceſſum Pro Monial. Pro-

Nota vincęvs cis oraculum cõceſsũ P. F. Ioanni Aguilera, Cõmiſſario Romano.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

illis Monaſterijs Sanctæ Claræ, & aliarum clauſu ram profitentium, in quibus ad habitum, nec ad profeſſionem, non recipiuntur aliq; Moniales laicæ, ſine Conuerſæ, vulgo *Sargentas*, *ſeu Seruicia les* nuncupatæ, & de licentia Superiorum. Etenim vbi eiuſmodi recipiuntur, credo quod non recipi poterunt aliæ ſeculares ancillæ, etiam de licentia Superiorum, ſi prædictæ ſufficiant. Nam tunc ceſſat ſupradicta moralis neceſſitas, de qua dictum eſt, nec in ijs locum habent caſus, quorum meminit Concilium Tridentinum, quod etiam eſt intelligendum regulariter, & excepto aliquo particulari caſu. Nam certè tempore quo in ciuitate aliqua, ſeu in aliquo Monialium monaſterio, Ordinis cuiuſcumque, etiã S. Claræ, plurimæ eſſent ægrotantes & infirmæ, quæ in lectulis iacent, multæ anus, aliæ vero conualeſcentes, quæ ex prædictis lectulis ſurgere incipiunt, non potentes tamen miniſtrare infirmis; vt ne charitas quæ præceptorũ omnium eſt finis, & infirmarum cura tantopere cõmẽdata, prædictam ob cauſam, in ijs aliquod pũtiatur detrimentum probabiliſſimum crediderim, quod quamuis illic moniales habeantur laicę ſiue Conuerſæ, ſi tamẽ ipſæ ſint etiam infirmæ, neque ſufficiunt, aut ſunt tanquam ſi non eſſent, non valentes alijs miniſtrare, atque inſeruire, recipi poterunt & admitti, aliæ ancillæ ſeculares; de licentia Superiorum, quæ in eiuſmodi miniſterijs exerceantur. Etenim ſi ceſſante eiuſmodi euentu, atq; infirmitate, deficientibus Monialibus laicis, Conuerſæ prædictæ, ad inſeruiendum ſanis recipi poſſunt, cur non & poterunt in propoſito caſu, ad miniſtrandum ægrotis & infirmis? dicendum proculdubio videtur, quod prædicta cauſa ſufficientiſſima & neceſſariſſima eſt, atque vt talis cõmuniter, ab omnibus viris doctis dijudicabitur. Idem dicendum apparet, in caſu quo Monialis aliqua, contagioſo aliquo morbo laboraret, propter quod recte etiam à Monaſterio poſſet exire: at non ſibi præſtatur facultas, vel cum ſit patre ac matre, & parẽtibus orbata, nullus reperitur omnino, ſibi conſanguineus ſecularis, qui eam domi ſuæ velit recipere, & ea propter intra ipſum monaſterium, in aliquo ſeparato loco neceſſario venit curanda, moniales autem contagium metuentes, eidem miniſtrare renuent, certiſſimum credo quod in tali caſu, etiam de licentia Superioris atque Prælati potentis illam dare, aliqua ſecularis ancilla poterit recipi & admitti, quæ eidem inſeruiat: nam hæc cauſa etiam neceſſariſſima eſt, & de quibus loquitur Concilium. Cuius etiam fere generis, eſſe credo aliam, quando ſcilicet aliqua Monialis, à multis annis grauiſſimis laborat infirmitatibus, iacetque continuo & inceſſanter in lectulo, & quãuis plures in eodem Monaſterio ſint Moniales, multæ tamen ſunt anus, aliæ debiles, aliæ infirmæ & ægrotantes, aliæ alijs miniſterijs & officijs occupatæ, & Nouitiæ intra probationis annum conſtitutæ, exercentur in addiſcendo cantu, & alijs ad diuinum officium pertinentibus, nec reperitur aliqua quæ congrue & commode, Moniali prædictæ quaſi extreme ægrotanti, ac veluti extremam neceſſitatem patienti, poſſit aut valeat inſeruire; in tali caſu, aliud ni obſtet, & niſi contrarium reperiatur ſtatutum & ordinatum per Papam, ſiue per Illuſtriſſimos ſacræ Congregationis Cardinales, qui hoc habuerint ſibi ipſis reſeruatum, certo etiam crediderim, quod poterit Prælatus Superior, eidem concedere honeſtam quandam famulam, ſiue ſecularem ancillam, ſuorum parentum expenſis alendam, quæ ipſius curam gerat, illique inſeruiat in neceſſarijs, hac lege & pacto, vt nunquamà monaſterio egrediatur. Nec id facere, videbitur contra præceptum clauſuræ, nec contra Cõcilium Tridentinum, quinuero eidem multum cõforme. Nam omnes ij caſus ſunt, de quibus loquitur Concilium, quando facultatem concedit, Epiſcopis & Superioribus Prælatis, vt licentiam poſſint indulgere, intrandi Monialium clauſuram, in caſibus neceſſarijs, nec expectanda eſt extrema, aut ſtrictiſſima neceſſitas. Nam vt ſæpe dictum eſt, morales caſus ſecundum morales regulas, non vero ſecundum Logicas aut metaphyſicas, debent regulari atque interpretari, & in rebus moralibus quod arduum ſiue difficillimum eſt, quaſi impoſſibile omnino dijudicatur, & Charitatis præcepta, cuicumq; poſitiuo præcepto, debent anteponi & præferri. Etenim ſi pro ſeruiendis infirmis, ac debitis obſequijs ipſis exhibendis, licitum eſt ieiuniũ frangere, & Miſſam non audire diebus feſtis, cur non & licitum erit, propter eamdem rationẽ & cauſam, in propoſitis caſibus, de licentia potẽtis illam dare, ſeculares ancillas, Monialiũ Monaſteria introire? Hæc dicta ſufficiant, nam ex his caſibus, alij plures poſſunt dijudicari atque determinari, cum vt dicitur in iure, de ſimilibus ſimile iudicium.

Nota valde pro monialibus valde infirmis, aut cõtagioſo aliquo morbo laborantibus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Monaſterijs Monialium Tertiariarum ſiue exiſtentium ſub gubernio & dominio nobilium Militiam profitentium, recipi poſſint aliquæ puellæ ſeculares nobiles, ibi enutriendæ ac bonis moribus imbuendæ?

Prima Concluſio.

CErto crediderim, quod in Monaſterijs Monialium Tertiariarum, & exiſtentiũ ſub gubernio nobilium militiam profitẽtium, recipi poſſunt ſupradictæ puellæ ſeculares nobiles, ibi enutriendæ, boniſq; moribus imbuendæ. Hæc concluſio probatur eadem ratione, qua in ſimilibus alijs caſibus vſi ſumus, in præcedentibus articulis. Diximus enim de mẽte Concil. Trident. Epiſcopos & Superiores Prælatos, facultatem poſſe concedere, intrandi ſiue exiſtendi in monaſterijs Monialium, in caſibus neceſſarijs. Quod cũ ita ſit, nõ quidẽ à ratione videtur alienũ dicere, inſtitutionem prædictarũ puellarum ſecularium nobilium, vnum eſſe ex caſibus neceſſarijs, & nec modicum, quinuero multum to-

In monaſterijs monialiũ Tertiariarũ, & etiam Militiã profitentiũ, recipi poſſunt ſeculares puellæ nobiles, ibi enutriendæ & educandæ.

ti Rei-

ti Reipub. Chriſtianæ conuenientem, vt ibidem bonis ac ſanctis moribus inſtructæ, ad religionem aſſiciantur atque ad profitendum incitẽtur. Quæ ſi forſan non eſſe moniales, ſed coniugalem ſtatum voluerint aſſumere, ad minus ſancte & religioſe educatæ, maiorem proculdubio poſtea, virtutis curam habebunt, operibus miſericordiæ orationi atque deuotioni, amplius inuigilabunt, & frequentius ac dignius, ad Pœnitentiæ & Euchariſtię Sacramenta accedere curabunt, quæ omnia moralem quandam conſtituunt neceſſitatem, ob quam iuxta Concilium, licitum eſſe videtur, eiſdem licentiam indulgere, vt intra prædictarũ Monialium Monaſteria, poſſint enutriri & educari. His omnibus fauet etiam cõſuetudo, quæ id generaliter receptum eſt, in tota fere Chriſtiana Republica, ſed maxime in noſtris Hiſpaniarum partibus: & præterea eſt ad id ſpecialis alia ratio, nam lex de clauſura ſeruanda, nouiſſime prædictis Monialibus impoſita, ſuauius atq; benignius interpretanda cum ipſis eſt, & non cum tanto rigore, ac in monaſterijs S. Claræ & aliarum monialium, quæ à principio & à ſua fundatione clauſuram deuouerunt, ſeu ad eandem ſeruandam, ex voto vel ſuæ regulæ præcepto ſe obligarunt. Accedit ad idem alia neque contemnenda ratio, ea eſt, quod ex prędicta dictarum puellarum nobilium receptione, pauperiores Monialium Cõuentus, aliquod ſemper emolumentum recipiunt, nonnihilque iuuantur, cum pro earum ſumptibus vt plurimum, plus pecuniæ Conuentibus cõferatur, quam pro ſuis expenſis ſit neceſſarium, & nihilominus ipſæ etiam facilius ibidem, quam extra monaſteria ſuſtentabuntur, quod etiam fieri Chriſtianę Reipub. quammaxime fuit expediens, quinuero & videtur fere neceſſarium, & oppoſitum omnino contra charitatem ac contra omnem bonam gubernationem. Vnde dicendum apparet, prædictũ caſum, eſſe etiam ex prędictis neceſſarijs, nec ſacram Synodum eiuſmodi puellis deuote & religioſe enutriendis, Monaſteriorum ianuas voluiſſe præcludere. Supradicta omnia confirmantur atque corroborantur, ex varijs ac fere innumeris, quæ eadem de re diuerſis temporibus, dicuntur prodiiſſe declarationes Illuſtriſſimorum ſacræ Congregationis Cardinalium, quibus data eſt cura explicandi, & declarandi Concil. Trident. prædictum, quas quidem referre hoc loco cum poſſem, breuitatis gratia facio miſſas, ex ipſis tamen colligitur, quod concluſio prædicta, intelligenda ſit cum certis quibuſdam conditionibus & limitationibus, de quibus ſecunda ſtatuitur cõcluſio.

Secunda Concluſio.

Ad hoc vt licitũ ſit, ſupradictas puellas recipere, aliquæ conditiones atq; limitationes debent obſeruari.

AD hoc vt licitum ſit, puellas ſupradictas in Monaſterijs prædictarum Monialium recipere, ibidem educandas & enutriendas, ſeruandæ ſunt conditiones ſequentes. Prima, quod Monaſterium vbi recipiuntur, non habeat inſtitutum in contrarium, quo idipſum prohibeatur, nam ſeruãda ſunt cuius libet Monaſterij inſtituta. Quam ob cauſam, recipi non poſſunt prædictę puellę, in Monaſterijs Monialium Sanctæ Claræ: nec vero in alijs, quę à principio & à ſua fundatione, clauſurã promiſerunt, ſeu ad eamdem ſeruandam, voto aut aliquo regulę ſuę præcepto ſe obligarunt, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtol. aut potentis illam dare, quod multoties explicauerunt, & dixerunt prędicti Illuſtriſſimi Cardinales. Secunda, quod prędictę puellę, non ſunt admittendę & recipiendę, niſi de conſenſu & licentia Superioris eiuſdem Monaſterij, in ſcriptis obtenta, & etiam de conſenſu Abatiſſę & Monialium. Tertia, quod debent manere in Monaſterijs ſine ancillis, nec in de niſi non reuerſurę poſſunt exire, & quamdiu ibi exiſtunt, obligatæ ſunt ad clauſuram & ad cætera ſicut aliæ Moniales, aliter ſtatim excludendæ. Quarta quod ſi ſemel, è Monaſterio exierint, nõ ſunt amplius ibidẽ admittendæ & recipiendæ, niſi illæ quæ valetudinis gratia, & alicuius infirmitatis grauis curandæ, de licentia Superioris in ſcriptis obtenta, ad balnea exierint, dummodo Abbatiſſę ac reliquarum Monialium accedat conſenſus, & recta via à balneis ad Monaſteria ſe recepe rint. Quinta, quod in eo veſtitu, in Monaſterijs intromitti ac manere debent, qui virginali modeſtiæ & pudori conueniat, nec ibi permaneant vltra ætatis ſuæ vigeſimum quintum annum, at hoc tempus in alia declaratione poſtea fuit limitatũ, vt infra patebit. Sexta, quod in prædictis Monaſterijs Monialium, educationis gratia receptæ reſtituantur patribus ſiue parentibus, quandocumque eas petierint. Septima, quod puellæ delectæ ex Hoſpitalibus & alijs pijs locis, donec offeratur occaſio ſiue facultas ipſas nubendi, quamuis in prædictis Monialium Monaſterijs recipi poſſint, vt ibidem inſeruiãt, nulli tamen monialiprius tam ſiue in particulari poſſint inſeruire, Octaua, quod licet puellæ quæ iam à parentibus ſuis ad religionem deſtinatæ fuerint, in habitu ſeculari, ſeptimo vel octauo ętatis ſuæ anno, in Conuentibus, ſiue Monaſterijs Monialium poſſint recipi, ibique manere, vſque ad duodecimum vel decimum quartum annum, vt ſic poſſint litteras & cantum addiſcere, ac bonis moribus imbui, de expleto tamẽ prædicto tempore, ſi religionem regerint, habitu regulari induantur, ſin autem id renuerint, liberæ in domum parentum ſuorum mittantur, & amplius Monaſterium nõ ingrediantur. Prædictas, cõditiones deſumpſi & collegi, ex varijs declarationibus Illuſtriſſimorum ſupradictorum Cardinalium, quas factas vidi in diuerſis propoſitis. Et hęc vltima declaratio dicitur facta, etiam pro ordine S. Claræ, conformiter ad conceſsionem quãdam, quam circa hanc rem obtinuit, ſupramemoratus P. F. Ioannes de Aguilera, noſtri Ordinis Minorum olim Commiſſarius Rom. Curiæ, à Pio V. Pontif. Max. 17. menſis Septembris, anno 1569. quæ conceſsio, quamuis ab aliquibus dicatur poſtea reuocata, ad inſtantiam & ſupplicationem eiuſdem Patris, propter rationem & cauſam ſuperius dictã, multi tamen dicunt adhuc in ſuo permanere vigore, quinuero quod conceſsio prædicta, potius dicenda eſt declaratio Concil. Trident. quam aliqua de nouo conceſsio. An ea nunc vtantur ſeu vti poſſint moniales, S. Claræ prædictæ, difficultari ſolet. Cui quæſtioni reſpõdendo P. F. Ioa. de Bobadilla, in ſuo Nanu. manuſcripto, dicit quod ſic:

Nota hoc valde, pro educãdis puellis, etiã in Monaſterijs S. Claræ.

& quod

& quod ipſe ea de re reſponſum habuit, à quodã Apoſtolico Nuncio. Sed circa hoc, aliorum ſit iudicium, neque enim hac in re volo iudicem agere, videatur Nauar. in Comment. ſuper *cap. ſtatuimus, num. 66. & 67.* vbi eandem opinionem tenet, eamque probat latiſſime:

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in Monaſterijs Monialium, etiam Sanctæ Claræ & Conceptionis, recipi poſſit aliqua generoſa fœmina, Comitiſſa aut Duciſſa, aliaue ſimilis, quæ commoditatem manendi in ſeculo non habeat, ſine diſpendio ſuæ famæ & honoris, aliquibus ancillis comitata.

Circa hanc difficultatem, varios atque diuerſos, inuenio eſſe Doctores, qui eadem de re agunt. Quidam enim Iuriſperiti, & nonnulli Theologi, partem tenẽt affirmatiuã, dicuntque id fieri poſſe, de licentia Prælatorum & Superiorum, niſi eiſdem per Papam, Illuſtriſſimos ve Cardinales, reperiatur interdictum & neceſſitatem prædictam, ſufficientem eſſe cauſam dicunt ad diſpenſandum, iuxta decretum Concil. Trid. eo modo quo & in præcedentibus articulis dictum eſt, diſpenſari poſſe, vt teneã tur ſeculares ancillæ in Monialium Monaſterijs, etiam Sanctæ Claræ, & puellæ nobiles educationis gratia. Nec dictis obſtare credunt, Conſtitutionem nouiſſimam Sixti V. datam Romæ, apud Diuum Petrum die 5. Ianuarij, anno Domini 1589. Põtificatus ſui anno quarto, & incipit, *ſanctimonialium*, qua prohibuit, & interdixit, mulierum quarumcunque ingreſſum, intra Monaſteria Monialium. Nec pro monaſterijs Sanctæ Claræ & Conceptionis, obſtare etiam dicunt, verba Concilij Tridentini, poſita in ſupradicta *ſeſſione 25. de reformatione, cap. 5.* quibus dicitur. Quod ſi qui regulares, tã viri quam mulieres ſunt, qui ſub arctiori regula vel ſtatutis viuunt, eos ab eorum inſtituto & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit. Per quæ verba datur intelligi, quod cum Moniales S. Claræ & Conceptionis, ſtrictiorem habeant regulam, ſtrictioraque ſtatuta circa clauſuram, quod in ipſarum monaſteria, abſque expreſſa & ſpeciali ſummi Pontificis licentia, nulli vnquam quantumuis illuſtri ac generoſæ fœminæ, etiam Comitiſſæ vel Duciſſæ, licitum ſit ingredi aut ibidem permanere, nam reſpondẽt, non per hoc amoueri moniales prædictas, à dictorum monaſteriorum ſtricta clauſura, aut per id Concilium facultatem tuliſſe eorum Prælatis, quam prædicto in loco omnibus in vniuerſum concedit, dandi eiuſmodi licentiã in caſibus neceſſarijs, quinuero addunt, quod Prælati eaſdem cõcedẽtes, non id quidem faciunt auctoritate ſua, ſed ex ſpeciali auctoritate Concilij ac Sedis Apoſtolicæ, idipſum ſibi concedentis, pro omnibus in vniuerſum Monialibus, vt conſtat ex ſupradictis verbis Cõcilij, nullas exceptando. Sed quamuis ſupradicta omnia iuri ac rationi videantur conſona, & aliquam probabilitatem habeant, nihilominus ipſe non auderẽ eiuſmodi licentiam præſtare, ſi Prælati officio ſungerer, abſque conſultatione Summi Pontificis, ſeu ipſius Reuerendiſſimi Nuntij, vel S.R.E. Cardinalium: neque id alijs conſulerem, propter rationes inferius dicendas, qua propter in contrarium, ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Quamuis in Monaſterijs aliarum Monialium, quæ ex ſua regula clauſuram non habẽt, de licentia Superioris, & niſi alias reperiatur prohibitum, facilius prædicta nobilis & generoſa fœmina, recipi poſſet in caſu prædicto, comitata ancillis ſupradictis: apud Moniales tamen S. Claræ & Conceptionis, non ita fieri poſſe credo, abſque expreſſa & ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ ſeu Legati de latere & Apoſtolici Nuncij. Ad ſtatuendam prædictam concluſionem mouor, propter quamplura Summorum Pontificum ſtatuta, inferius referenda, quibus ſub cenſuris & excommunicationis latæ ſententiæ pœna, cauetur vt in prædicta Monialium S. Claræ & Cõceptionis monaſteria, nullus vnquã cuiuſcumq; ſexus, ætatis, & cõditionis extiterit, omnino ingrediatur, abſque expreſſa & ſpeciali Romani Põtificis licẽtia. Et prædicta ſtatuta, à dictis Sum. Pontif. facta ſunt propter ſtrictiorem ipſarum monialium regulam, ſtrictioremque obligationem, quam habent ſeruãdi clauſuram. Et quamuis in Concil. Trid. facultas fiat Superioribus, & Prælatis, præſtandi licentiam ad ingrediendum monaſteria monialium, in caſibus neceſſarijs, quando ipſis videbitur expedire, abſque vlla exceptione, reſtrictione ſiue limitatione, adhuc tamen dicitur ibidem, quod vbi regulares tam, viri quam mulieres, ſub arctiori regula & ſtatutis viuunt, eos ab eorum inſtituto & obſeruantia S. Synodus amouere non intendit. Quod quidem decretum, nõ videtur derogari aut tolli, per ſupradictam generalem clauſulam, qua facultas conceditur Superioribus & Prælatis licentiã præſtandi ad ingrediendum monaſteria, quarumcunque monialium, in caſibus neceſſarijs. Nec prę dictæ reſolutioni obſtat, id quod art. 5. diximus de ſecularibus ancillis, nam eſt multum diſpar ratio, vt conſtat ex rationibus ibidem adductis. Non etiam obſtat, quod dictum eſt in prẽcedenti articulo, de puellis in monialium monaſterijs educandis, nam vel id locum non habet in monaſterijs S. Claræ & Conceptionis, vt nonnulli dicunt, aut quamuis id admittatur, locumque habeat ibidem, eſt etiam multum diſpar ratio. Et ſaltem negari nõ poteſt, quod communis vſus ſit in contrarium, vt ſcilicet ſupradictæ puellæ recipiantur ibidem, de Prælati & Superioris licentia, mulieres vero maiores natu, vtcumque nobiles & illuſtres, etiam Comitiſſæ & Duciſſæ, non niſi de licentia ſpeciali & expreſſa Summi Pontificis, aut ipſius Legati de latere. Tandem vltimo prædicta concluſio, & reſolutio confirmatur, ex quadam declaratione

Quamuis in Monaſterijs aliarum Monialium, recipi poſſit aliqua nobilis et generoſa mulier quæ ibi permaneat, non tamen in Monaſterijs S. Claræ & Cõceptionis, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia.

tione Illuſtriſſimorum Cardinalium, in ſimili caſu facta, qua fertur fuiſſe ab eis dictū arq; declaratū: Quod Epiſcopus quidam (& idem eſt iudicium de alijs Superioribus & Prælatis) licentiam dare nō potuit, cuidam viduę monaſterium quoddam ingredi volēti, ibique permanere in habitu laicali, etiam vſque ad finem vitæ ſuæ, & etiamſi numquam amplius inde exire veler, quia in iſtis nulla adeſt cauſa neceſſaria. Et in alia declaratione habetur, ab eiſdem reiectam fuiſſe, petitionē cuiuſdam Comitiſſę, quæ propter quamdam infirmitatem, à ſuo marito volebat ſeparari, & cum tribus filiabus puellis, ingredi quoddam monialium monaſterium. Quod ſi id ita abſolute dixerunt, Cardinales prædicti, de quocumque monialium monaſterio, quid credi poteſt dicturos ac reſponſuros, ſi ſupradicta petitio idipſum contineret, de monaſterijs monialium S. Clarę & Cōceptionis, quę vt pluries iam dixi, ſtrictiorem habent clauſuram, ſtrictioremq; modum viuendi, & obligationē ſeruandi ipſam. Reſolutiue ergo dico, ſub aliorum cenſura ac meliori iudicio, id fieri non poſſe, ſine licentia ſpeciali & expreſſa Summi Pontificis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Prælati & Superiores, licentiā poſſint præſtare, vt matres ingrediantur Monaſteria Monialium, ad inuiſendas filias ſuas, iam morti proximas?

Concluſio.

Nō poteſt præſtari matribus licentia, ingrediendi Monaſteria Monialium, ad inuiſēdas filias, etiam morti proximas.

NVllatenus licet Prælatis & Superioribus, eiuſmodi licentiam præſtare. Hęc concluſio probatur in primis, ex quadam declaratione, prędictorum Illuſtriſſimorum Cardinalium, eadem de re facta, quę ſic ſe habet: *Non licet Epiſcopo licentiam dare matri, ſororibus & conſanguineis, monaſterium ingrediendi, cauſa viſitandi filiam vel ſorores, quæ graui aliqua infirmitate detinentur, etiamſi ſint in mortis periculo, & minus quando filiæ aut aliæ profeſſionem emittunt, vel habitum religionis ſuſcipiunt.* Sed probatur prēterea ſupradicta concluſio, hac efficaciſſima ratione. Nam ſi propter aliquam rationem & cauſam, idipſum liceret, maxime quia is vnus eſſe videretur, ex caſibus neceſſarijs, de quibus loquitur Concilium Trident. loco ſupracitato: ſed hoc non ita ſe habet, quia eiuſmodi matrum ingreſſus, non eſt medium præciſe neceſſarium, ad medēdum eiuſmodi ægritudinibus, nec ad tollendas infirmitates, in quibus filiæ ſunt conſtitutę; & quamuis id ita foret, numquam tamen poſitum eſt in praxi, & conſuetudine, vt eiuſmodi licentia præſtetur, nec in tali caſu à Superioribus & Prælatis diſpenſetur: ergo id non eſt faciēdum. Supradictis omnibus accedit, quod prædictus matrum ingreſſus, dictis filiabus Monialibus, haudquaquam eſſe poſſet proficuus, quinuerò è contra, eiſdem valde erit nociuus, & corpori & animę, nam præ nimia amoris teneritudine, in præſentia matrum affligentur & ipſę filiæ, diſtrahēturque ab intentione charitatis & amoris, quem maxime in tali trāſitu, habere debent erga Deum, quo naturali amore diſtractæ, impediētur etiam, ne ſurſum corda ſua leuare poſſint. Dicendum eſt ergo, id nullatenus eſſe faciendum aut permittendum. Quod nec grauiter ferre debent moniales, quinuero reminiſci, dictum eſſe per Iſaiam ca. 28. conſolationes ſpirituales incipere ibi, vbi omnino deficiunt corporales. Quem docebo ſcientiam, & quem intelligere faciam auditum, inquit Deus per Iſaiam, & reſpondet, Ablactatos à lacte, anulſos ab vberibus. Hoc aduertere atque conſiderare debēt, moniales prædictæ quammaxime. Quæ pro iſto articulo breuiter dicta ſufficiāt.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in aliquo Monaſterio Monialium (etiam Sanctæ Claræ, vel Conceptionis) cuidam Moniali præcæteris illuſtriori præſtari poſſit licentia, ad habendam ſecularem ancillam ibidem, parentum ſuorum expenſis alendam?

Prima Concluſio.

In monaſterijs monialiū Tertij Ordinis, & aliorū quæ non ita clauſurā ſtrictā profitentur, bene poteſt dari licētia, alicui præcæteris illuſtriori, vt habeat ſecularē ancillam.

IN Monaſterijs Monialium Tertij Ordinis, vel Militiarum, non videtur omnino improbabile, quod prędictæ poſſit prædicta licentia, dictæ Moniali præcæteris illuſtriori, habendi dictam ſecularem ancillā, parentum ſuorum expenſis alendam, hac legē & pacto, vt ipſa extra Monaſterij clauſtrum, non plus exeat, quam cęteræ Moniales. Hanc ſententiam tenet expreſſe Nauar. in 4. Commentario de regul. *ſuper c. ſtatuimus n. 66.* & 67. Quāuis enim primum dicat, id nonnullam habere rationem dubitādi, ſed tādem parti adhærēt affirmatiuæ. Nec ſolum id dicit, pro vna moniali præ cęteris illuſtriori fieri poſſe; verum etiam vbi bona aut maior pars ſanctimonialium, eſt nobiliſſimo genere nata, & à tempore immemorabili, ſingulæ ſingulas conſueuerunt habere famulas, vel diſcipulas quę illis inſeruiant, in vilioribus miniſterijs, lauandi veſtes, verrendi & mundandi patinas, & præparandi ac faciendi alia eiſdem neceſſaria. Pro quo remittit ſe ad ea, quæ circa idem propoſitum dixit, in Commentario *ſuper cap. nullam. 18. quæſt. 2. in quæſt. 7. à num. 25. & quæſt. 8. à num. 29. & 37.* vbi latiſſime agit de hoc argumento, an licitus ſit & tolerabilis illorum Monaſteriorum ſtatus, vbi bona pars ſanctimonialium ex genere nobili, ſupradictas habent ſeculares ancillas: & dicit quod ſic. Cuius reſolutioni fauere poteſt in primis, quia in præfatis Monaſterijs monialium, quæ ad clauſuram numquam voto, ſeu aliqua ſuę regulæ præ-

cepto ſe obligarunt, laxior ſiue benignior imponenda eſt clauſura, conſuetudine diutina legem ipſam interpretante: & etiam quia in propoſito caſu, haberi debet magna ratio conſuetudinis, ſi fuerit antiqua & quaſi immemorabilis. Haberi debet præterea, magna ratio perſonarum, & ſuæ præeminentiæ maximæque qualitatis, vt merito propterea cenſeri ac exiſtimari poſſit, quod prędicta ſit moralis quædam neceſſitas, & iuſta atque rationabilis cauſa atq; vt videtur manifeſta, vt à ſuis Superioribus & Prælatis id facere potentibus, licentia præſtetur eiſdem, habendi prædictas ſeculares ancillas. Quibus omnibus accedere etiam poteſt, quia id nec modicum ſed multum iuuabit, ad hoc vt illuſtriores fœminæ, ad ſuſcipiendam religionem amplius prouocentur & alliciantur, & facilius huiuſmodi ſtatum recipiant, quod quidem non parua, ſed quammaxima eſt conſideratione dignum. Quam etiam ob cauſam, eidem ſententiæ adhæret Emmanuel Rodericus 1. tomo, ſuarũ qq. regul. quæſt. 46. art. 9. id quod & ipſe libentiſſime facio.

Secunda Concluſio.

In monaſterijs S. Clarę & aliarũ quę ſtrictiorẽ habent clauſuram, non ita licebit monialibus etiam præ cæteris illuſtriori, habere ſecularem ancillam, abſque ſũmi Põtificis licentia vel ipſius Reuerendiſs. Nuncij.

IN Monaſterijs Sanctę Claræ & Conceptionis, haudquaquam crediderim id eſſe licitum, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, vel ipſius Legati de latere, Nuncijque Apoſtolici. Ad ſtatuendam prędictam concluſionem moueor, propter rationem iam pluries dictam, ſtrictioris ſtatus prædictarum monialium, & ſtrictiorem obligationem quam habent, ſeruandi clauſuram, & non admittẽdi ſeu permittendi, vt illuc ſecularis aliqua perſona, ingrediatur vel exiſtat, abſque ſtrictiſſima cauſa, & expreſſa atq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, vt ſatis patet, ex ſupradictis in prędecedentibus articulis, conſtabitque amplius ex dicendis in ſequenti articulo. Propter hanc etiam rationem & cauſam, eandem ſententiam & concluſionem tenet ſupradictus Emmanuel Rodericus, in ſuis qq. regul. loco vbi ſup.

ARTICVLVS X.

Vtrum intrantes Monaſteria Monialium, aliquã cenſuram incurrant?

Nota valde quando cœperint apponi cenſuræ pro monialiũ clauſura ſeruanda.

PRo huius articuli intelligentia, breuiter præmittere libuit, ex libro cui titulus Clypeus ſacrarum monialium in princ. quod licet ſtando in iure communi antiquo, & ante Conc. Trid. nulla eſſet poſita excommunicationis pœna, aut cenſura aliqua Eccleſiaſtica, contra ingredientes Monaſteria Monialium, quæ non erant Sanctę Claræ, aut Sancti Dominici, ſed ſolummodo facta fuerit excommunicationis comminatio, vt ſatis conſtat ex ijs quę latiſſime referuntur ibidẽ, neque etiam ipſę moniales, non ſeruantes clauſurã, aut Prælati non facientes illã ſeruari, erant excommunicati, etiam poſt Conſtitutionem Bonifacij VIII. poſitã, *in dict. capit. periculoſo, de ſtatu regul. lib. 6.* quamuis tam iſti quam illæ, ſecundum communiorem & probabiliorem ſententiam, peccarent mortaliter, attamen pro monialibus S. Claræ ac Sancti Dominici, & idem eſt dicendum pro monialibus Conceptionis, multo ante tempora Concil. Trident. prædicti, poſita fuit excommunnicationis pœna latę ſententiæ, ipſo facto incurrenda, ac Summo Pontifici reſeruata, contra intrantes earumdem monaſteria, vt late proſequitur Diuus Antoninus 3. part. ſuę Summæ tit. 25. capit. 7. vbi referens excommunicationes Papales, inter alias poſuit prædictam, in intrantes monaſteria monialium ordinis Prędicatorum & Sanctæ Claræ, in caſu non conceſſo, & inquit, quod ipſo facto huiuſmodi ſunt excommunicati, non abſoluendi, niſi per Papã. Cuius quidem excõmunicationis, licet per eumdem fuiſſet impoſita, quia tamen continebatur in particularibus Extrauagantibus, pauca aut nulla tunc habebatur notitia, præterquã ab aliquibus Religioſis, de quorum numero fuit Beatus Antoninus prædictus: ipſe enim, fuit qui prior dedit populo eiuſdẽ notitiã & illam poſuit in ſua ſumma. Quod & ſimiliter fecit poſtea Angelus de Clauaſio, alijque Summiſtæ. Quo factum eſt, vt prędictę excommunicationis data fuerit amplior notitia, licet etiam adhuc à multis ignoraretur, pro eo quod nõ publicabatur in Eccleſijs & locis publicis. Sed quidquid de hoc ſit, qui primus poſuit excommunicationem prędictam, fuit Gregor. IX. pro monialibus Sanctę Claræ, vt habetur in monumentis Ordinis; primæ impreſſionis, fol. 48. & ſecundæ fol. 132. conceſſion. 296. & refertur in Compendio priuilegiorum, *verbo, ingredi monaſteria monialium*, §. 2. vbi dicitur, *Quod prædictus Gregor. IX. decreuit, vt ab vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus inuiolabiliter obſeruetur, ne monaſteria Sanctæ Claræ intrent, niſi in caſibus expreſsis in earum regulis. Et quod qui contrarium præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant*, idipſum poſtea Bonifacius IX. pręcepit pro monialibus Ordinis Prædicatorum, vt habetur in ſupplemento fol. 120. conceſſion. 547. & refertur in ſupradicto priuilegiorum Compendio *eodem verbo, ingredi Monaſteria Monialium*, §. 14. vbi dicitur, *quod prædictus Bonifacius IX ſtatuit, quod ſi quis intra clauſuram alicuius Monaſterij monialium Ordinis Prædicatorum fuerit ingreſſus, excommunicationem incurrat, ibique repertus, per Superiores ſeu Priores dicti Ordinis, ſeu de eorum mandato, capi & in carcerari & ſecundum eorum arbitrium & delicti qualitatem puniri poſsit.* Sed tandem Eugenius IIII. ſupradictam excommunicationem ipſo facto incurrendã, quam poſuerat prædictus Gregorius IX. iterũ promulgauit, aduerſus eos qui prædicta Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ ingredi pręſumerũt, vt habetur in ſupradictis monumentis Ordinis primæ impreſſionis, fol 42. & 2. fol. 39. conceſ. 44. & refertur in Compendio, eodem verbo, vbi ſupra §. 15. vbi dicitur, *Quod prædictus Eugenius Quartus, præcepit omnibus & ſingulis, tam Clericis quam Religioſis, & ſecularibus perſonis, cuiuſcumque conditionis, gradus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſub pœna excommunicationis, quam tranſgredientes ipſo facto incurrant, & à qua non niſi à Romano Pontifice poſſint abſolui, præterquam in articulo mortis conſtituti, quatenus Monaſteria S. Claræ, nec aliquod ipſorum, ingredi præſu-*

Gregorius IX fuit qui primus, poſuit excõmunicationẽ, vt nullus ingrederetur monaſteria monial. S. Claræ.

Bonifa. IX. idipſum præcepit, pro monialibus S. Domini.

præsumant, præter formam regulæ ipsarum, & prouisionũ Apostolicarum, super hoc specialiter editarum. Circa quã prohibitionem, dicit Auctor libri supradicti, cui titulus, Clypeus sacrarũ Monialiũ, Conclusione 4 quod licet superfluũ videri cuipiã posset, iterũ excommunicationem prædictam, in eodem casu promulgari, cum iam prius fuisset posita, per supradictum Gregor. IX. at inquit, non fuit superfluum, quinuero necessarium quammaxime, id quod supradictus Eugenius fecit, pro eo quod excommunicatio, per Gregorium IX. promulgata, non extẽdebatur, nisi ad Monasteria, vbi obseruabatur prima regula, quam tunc solummodo Moniales S. Claræ habebant, quam etiam & ipse confirmauerat (tunc enim non erant aliæ) & sic Monasteria aliarum Religiosarum, scilicet, secundæ regulæ, quam edidit Vrbanus IIII. post multos annos, non includebantur sub constitutione seu prouisione prædicti Gregor. IX. Factum fuit id præterea, quia excommunicatio præfata Gregor. IX. ab aliquibus paruipendebatur, neque erat vsu comprobata, aut acceptata, imo vero à paucis cognita, non dum enim exierat in publicum, cum in nullo communi, & authentico libro contineretur, vnde neque immerito, ad supplẽdum eiusmodi defectum qui in prouisione Gregorij IX. erat, fecit prædictus Eugenius IIII. prohibitionem generalem supradictam, reseruando sibi & Sedi Apostolicę, absolutionem ingredientium Monasteria S. Claræ, cuiuscumque regulę forent, tam primæ quam secũdæ, quam excommunicationem posuerunt postmodum DD. in suis libris, vt ad notitiam omnium perueniret. Et postea & Iulius II. in regula Monialiũ Cõceptionis, eandem excõmunicationem posuit, contra ingredientes ipsarum Monasteria, vt constare facile potest intuenti, & habetur in Compendio, verbo vbi supra. Hæc sunt quæ ante Concilium Tridentinum, decreta & constituta erant, specialiter pro Monialibus S. Claræ, Sancti Dominici, & etiam Conceptionis. Sed in prædicto Concilio. *sess. 25. de reformat. cap. 9.* generalis atque vniuersalis, pro omnibus quarumcumque Monialiũ Monasterijs, facta est prohibitio, vt nullus illuc omnino ingrediatur, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, de quo sequẽs statuitur conclusio.

Nota hoc valde, pro Monialibus S. Claræ, secundæ Regulæ.

Iulius II. eãdem censurã posuit, pro Monialibus, Conceptionis contra ingredientes ipsarum clausurã

Prima Conclusio.

Post Concil. Trident. nulli omnino licitum est, ingredi quarumcunque Monialium Monasteria, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.

POst Concilium Tridentinum, nulli omnino licitum est, ingredi monialium quarumcunque monasteria, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrẽda. Hæc Cõclusio est expressa Concilij Tridentini supradicti, loco supracitato, vbi post alia sequentia habentur verba. *Ingredi autem intra septa monasterij, nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Quo Decreto, innouatum fuit, id quod statuerat multo ante tempore, Bonif. VIII. *in cap. periculoso de statu Regul. lib. 6* dicens, *Quod nulli personæ, licitum esset monialium monasteria introire, sine manifesta & rationabili causa, ac de illius, ad quem pertineret Superioris licentia.* Quæ quidẽ licentia, cum iuxta eiusdem Concilij præscriptum, dari nõ deberet, nisi tantummodo in casibus necessarijs, videns postea Gregorius XIII. hoc nõ ad vnguem vti par erat obseruari, supradictum Decretum confirmando, constitutionem quandã edidit, quæ incipit, *Vbi gratiæ, & indulta*, qua præcepit. *sub eisdem pœnis ipso facto incurrẽdis, omnibus & quibuscumque personis, Ecclesiasticis & secularibus, ac etiam regularibus, Ordinum quorumtẽque, etiam mendicantiũ, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum, ex Decreto Concilij Tridentini tribuitur facultas, Monasteria ipsa monialium pro libito, sed pro necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neve moniales sub eisdem pœnis illos, aliter admittere præsumant, non obstantibus quibuscũque, &c.* Circa quam constitutionem, aduertendũ est, quod præter supradictam excommunicationis pœnam, ipso facto incurrendam, à qua à nemine nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficiũ posset impertiri, pro Abbatissis necnon & Abbatibus Conuentuum, ac alijs monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocumque nomine vocentur, apponuntur plures aliæ pœnæ, nempe, priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, Domos, & loca sua, quem quam prætextu huiusmodi licentiarũ, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. In quas pœnas incidũt, quicumque ingredientes, monasteria monialium prædicta, sine vrgente necessitate, etiam prætextu cuiuscumque licentiæ, & moniales ipsæ, quæ in casu non necessario, virtute cuiuscumque licentiæ, aliquem præsumunt admittere. Pro quibus ad notare oportet, quod quãuis virtute prædictæ extrauagantis, siue constitutionis, admittentes aliquem intra monasterij septa, prætextu alicuius licentię, supradictam excommunicationem incurrant, attamen introducentes quempiam, non virtute alicuius licentiæ, sed aliter (quod absit) quãuis mortaliter & grauissime peccent, non tamen vt videtur, incurrunt excommunicationem prædictam, nam vt ex ipsius verbis constat, tantummodo loquitur de monialibus admittentibus aliquos, seu eos, qui prætextu alicuius licẽtiæ intrare præsumũt. Quod si quis obijciat, longe grauius esse peccatum, absque vlla prorsus ingredi licentia, quam cum illa, exhibita & data absque vrgenti necessitate, sed moniales admittentes prædictos, dictam excommunicationem incurrunt: ergo multo melius, admittentes & introducentes eos, qui intrant absq; vlla prorsus licentia. Huic argumento cõcesso antecedenti, respondetur negando consequentiam, & ratio est, nam excommunicatio cum sit pœnalis, nõ est amplianda, sed potius restringenda, nec extenda ad aliumcasum, etiamsi in eo sit similis aut etiã maior ratio. Quę doctrina est Caietani, *verb. excommunicatio, in princ. & in cap. 47.* & Glosl. communiter receptæ, *in Clement. 1. de consang. & affinitate*, pro quo etiam facit, *cap. quicumque de sent. excommunic.* idem tenet Nauarr. in Manual. in cap. 27. num. 51. vbi dicit circa excommunicatione, in multum considerandã esse verba quæ ponũtur, & propter quam actionem ipsa ponitur, perpendendaque est

Nota hoc valde pro pœnis quas incurrunt ingredientes Monasteria Monialiũ etiam prætextu licentiarũ, & admittentes ossa.

Nota hoc valde.

Nota valde quod lex pœnalis, non est ampliandafed potius restringenda, neque extendẽda ad alium etiam similẽ casum in quo sit eadem, aut maior ratio.

actio ex parte termini, nec extendenda vltra ibi poſitam actionem. Hac de re videndus eſt etiam, Ildefonſus de Caſtro, libro 1. de lege pœnali, cap. 2. vbi reprehendit Abbatem, *in cap. translata, de Conſtitutio.* gratis & abſque vlla prorſus ratione dicẽtem, legem pœnalem poſſe extendi ad alium ſimilem caſum, propter ſimilitudinem rationis, ſiue connexitatem negotij. Reuertẽdo ergo ad propoſitum caſum dico, quod cum actio monialium quę in extrauaganti prædicta excommunicantur, ſit admiſſio intrantium in Monaſteria cum Superioris licentia, data tamen ſine vrgenti & neceſſaria cauſa, dicendum videtur, quod admiſſio ſeu introductio aliorum ſeu aliarum, quæ abſque vlla prorſus intrant licentia, cum ſit alia atque diuerſa actio, ſupradictæ excommunicationi non ſubiacebunt, non obſtante quod eiuſmodi actio ſeu admiſſio, multo grauior ſit culpa. Cui etiam reſolutioni, quammaxime fauet ratio, nam cum in legibus pœnalibus imponatur pœna, ex mera voluntate legislatorũ, licet non niſi ex recta & cogente ratione, ad id ipſum procedant, vt ſcilicet pro meritis puniãtur crimina, & nulla ratio cogat, vt tale aut tale crimen, hac vel illa pœna neceſſario puniatur, ſed hoc ex ſola legislatorum dependeat voluntate, qui etſi aliquam habuerint congruentem rationem, non tamen neceſſario cogentem, vt pro hac re talis potius pœna, quam alia ſtatuatur, ex hoc ſuperque ſatis colligitur, quod argumentum in legibus pœnalibus, non valet à ſimili neque ex identitate rationis, nec lex pœnalis extendenda ſit, vltra caſum per legem expreſſum, niſi forte talis extenſio per alias iuris regulas, aperte & euidenter poſſit probari. Quod eſt valde notandum atque memorię commendandum.

Secunda Concluſio.

Supradicta Concil. Trid. excõmucatio, incurritur propter ingreſſũ in quæcumq; monaſteria monialium, quocũque nomine nuncupẽtur, & cuiuſq; ordinis fuerint, dũmodo ſint ſolẽniter profeſſæ,

SVpradicta excommunicatio, in prædicto Concilio Tridentino poſita, ipſo facto incurritur, propter ingreſſum in quæcumque Monaſteria Monialium, quocumque nomine nuncupentur, & cuiuſcumque Ordinis & conditionis extiterint, modo ſint ſolemniter profeſſæ. Hęc Concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis, quæſt. 1. art. 2, 3. & 4. & ratio eſt, nam decretum de clauſura ſeruanda, impoſitum primo per Bonifacium VIII. *in cap. periculoſo, de ſtatu Regul. lib. 6.* innouatum autem per Concil. Trident. loco ſupracitato, omnes in vniuerſum moniales comprehẽdit, cuiuſcumque Ordinis & conditionis extiterint, & quocumque nomine nũcupentur, modo ſint ſolemniter profeſſæ, vt expreſsiſſime hoc ipſum explicarunt & declararũt Pius V. & Gregorius XIII. in ſuis Extrauagãtibus & Conſtitutionibus, & probat latiſſime Nauar. lib. 3. conſiliorum de ſtatu Monach. conſil. 6. n. 1. Ergo nulla poſſunt ratione excuſari ab excommunicatione prędicta, ingredientes quarumcunque monialium monaſteria, abſque iuſta & rationabili cauſa, ac de licentia Epiſcopi vel Superioris potentis ipſam dare. Quod deberent multum adnotare omnes, nam hac in re interdum video aliquos hallucinari, & quammaxime decipi. Sed pro nobis minoribus Fratribus aduerto, quod præter ea quæ generaliter dicta ſunt, ſpecialiter ad idem ſeruandum, tenemur ex noſtræ Regulæ præcepto, nec ſolummodo ad non ingrediendum monaſteria monialium S. Claræ, verum etiam & aliarum quarũcunque, vt expreſſe declarauit Gregorius IX. & habetur in monumentis noſtri Ordinis, primę impreſſionis fol. 11. & 2. fo. 2. & refertur in Cõpendio, verbo, ingredi monaſteria monialium, §. 1. quod idem fecit Nicolaus III. in ſua ſolemni Extrauagãti, & declaratione noſtræ Regulæ, quæ habetur, *in cap. exiit, de verb. ſign. lib. 6.* & in Monumentis noſtri Ordinis primę impreſſionis, fol. 10. & 2. fol. 11. & refertur in ſupradicto Compendio, verbo, vbi ſupra, §. 10. vbi dicit, quod verba hac de re poſita in noſtra Regula, generaliter ſunt intelligenda, de quarumlibet monialium Cœnobijs, cum Regula ipſa nullum excipiat. Sed ſpecialiter pro monaſterijs Tertiariarum, Eugenius IIII. ordinauit, quod in omnibus tertij Ordinis ſororum & monialium Collegijs, Minores Fratres in acceſſu & ingreſſu, ſic ſe habeant, ſicut obſeruatur in monaſterijs S. Clarę. Habetur in monumentis primæ impreſſionis, fol. 46. & 2. fol. 42. conceſſione 47. & refertur in Compendio ſupradicto, *verbo, ingredi monaſteria monialium*, §. 17. Circa quod quammaxime aduertere oportet, quæ ibidem à Collectore dicuntur, & infra etiam in 2. & 3. notab. vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima, à quorũ ampliori tractatione, in pręſentiarum conſulto ſuperſedeo: nam hac de re latiſſimum feci ſermonẽ, in explicatione & declaratione noſtræ Regulæ, ne ſemel & iterum ſine vrgenti ratione & cauſa, eadem dicere videar.

ARTICVLVS. XI.

Vtrùm ſint nunc aliquæ licentiæ validæ, ad ingrediendum monaſteria monialium?

Concluſio.

Quãuis olim quãplures datæ fuerint licentiæ, ad ingrediendum Monaſteria monialiũ, omnes tamẽ poſtea per Greg. XIII. fuerũt reuocatæ.

QVamuis olim quamplures datæ fuerint licentiæ, ad ingrediendum monaſteria monialium, poſtea tamen omnes fuerũt reuocatæ, per Gegorium XIII. & vt credo nunc nullæ, aut quampauciſſimę exiſtunt. Hęc concluſio, non aliter poteſt probari, quam afferendo reuocationem ſupradictam. Et dico quod Gregorius XIII. in quadã ſua Bulla, quæ incipit. *Vbi gratiæ & indulta*, data anno Domini 1595. Idibus Iunij Pontificatus ſui anno 4. dictarum licentiarum generalem ſequentem fecit reuocationem, & eſt tenoris ſequentis. *Vbi gratiæ & indulta ab hac Sede conceſſa, ſub vſu temporis incommodum afferre noſcuntur, expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoueri. Proinde Sanctimonialium quieti & tranquillitati conſulere, ac omnia quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaq; & ſcãdala ab eis remouere cupientes, auctoritate præſentium reuocamus & abolemus, omnes & quaſcumq; licentias, ac facultates ingrediendi monaſteria, domos & loca monialiũ, ac etiã virorũ quorumuis Ordinum, quibuſuis etiam Comitiſſis & marchioniſſis, Duciſſis & alijs cuiuſcumque ſtatus & conditionis mulieribus conceſſas, ac etiã omnes & quaſcumq; licentias, ingrediẽdi monaſteria, domos, & loca ipſarum*

ipſarum Sanctimonialium, quibuſcumque viris etiam eiuſdem ſtatus & dignitatis, tam à prædeceſſoribus noſtris, quam etiam á nobis, & á Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut alijs, ex quibuſuis quantumuis vrgentibus cauſis, ſub quibuſcũq; tenoribus, & etiã derogatorijs, reuocatorũ reſtitutorijs, aliiſq; efficatioribus clauſulis, irritantibuſq; & alijs Decritis, etiã motu proprio & ex certa ſcientia, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atq; ad Imperatoris, Regũ, Reginarũ, alicrũve Principũ cõſtplationẽ, vel ſupplicationem, conceſſas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas, caſſamuſque & annullamus, literas deſuper confectas, & proceſſus habitos per eaſdem. Inhibentes eiſdem qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua à nemine niſi á Romano Pontif. (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu, Monaſteria huiuſmodi, quouis modo ingredi audeant. Abbatiſſis vero, necnon Abbatibus Conuentus, ac alijs Monaſteriorũ vtriuſque ſexus Superioribus & perſonis, quocumque nomine vocentur, diſtricte præcipimus, ſub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, ne in Monaſteria, Domos & loca ſua quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant vel permittant. Non obſtantibus præmiſſis, &c. Idem etiam Gregor. XIII. in alia ſua Bulla, data anno Domini 1584. die 8. Septembris, Pontificatus ſui anno 13. quæ incipit, *Quæ Sanctimonialium*, ſimilem aliam generalem, prædictarum licẽtiarum, & quorumcunque priuilegiorum reuocationẽ fecit, quæ eſt etiam tenoris ſequẽtis. *Quæ ſanctimonialium quietem & tranquillitatem perturbare, illarumque mentes á ſpiritualibus ſtudijs auocare noſcuntur, noſtra nos decet conſideratione remouere. Cum igitur poſt Trid. Concilij Decretum, de non ingrediendo monialium monaſteria, & reuocationẽ à nobis factam, omnium & quarumcunque licentiarum, ingrediendi Monaſteria, Domos ac loca Monialium quorumuis Ordinum, quibuſcumque & quorumuis contemplatione, ac quocumque modo conceſſarum, importunis multorum precibus, aliquas huiuſmodi licentiarum, præſertim in Hiſpaniarum regnis reſtituimus, alia quoque nouiter conceſſimus, quarum cauſa vt piorum virorum relatione intelleximus, & ex frequentibu ſecularium mulierum viſitationibus & colloquijs, deuotio in dictis Monaſterijs & locis tepeſcit, debitaque in clauſtris miniſteria paulatim remittuntur. Quare nos ijs incommodis prouidere volentes, auctoritate præſentium, reuocamus & abolemus, omnes & quaſcumque licentias, facultates & indulta, ingrediendi Monaſteria, Domos & loca in dictis regnis & dominijs conſiſtentia, cuiuſcumque ſtatus & condi tionis mulieribus (præterquam ipſorum Monaſteriorum, Domorum & locorum fundatricibus, aut dotatricibus ſiue altricibus, necnon Marchionum, Comitum, Ducum, & Superioris gradus Principum coniugibus, eorũque filiabus) etiam conſideratione, intuitu, cõtemplatione, ſupplicatione vel ad inſtãtiã Imperatoris, Regã, Reginarũ aliorũve Principũ, ſeu etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſa reſtituta & innouata, quibuſcumque concepta formulis, necnon reuocatiuis, annullatiuis, reſtitutiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarum derogatiuis, irritatiuis, aliiſque clauſulis, & Decretis communita, caſſamus & annullamus literas omnes de ſuper confectas, necnon proceſſus habitos per eaſdem, & deinde omne ſequutum, ac præcipimus, & interdicimus eiſdem mulieribus, facultates & indulta huiuſmodi habentibus, ne illorum prætextu Monaſteria, Domos & loca prædicta amplius ingredi, Abbatiſſis vero ac Prioriſſis, & alijs Præſidentibus dictorum Monaſteriorum, Domorum & locorum, eorumque Superioribus & Prælatis, ne eas illa deinceps ingredi permittant, Quod ſi ſecus fecerint, excommunicationis ſententiam incurrant, á qua nemo niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio quam á Romano Pontifice abſolutionis remedium valeat obtinere, ac præterea Superiores prædicti id permittentes, ſint obtentis omnibus beneficijs, dignitatibus & officijs priuati, & ad futura inhabiles eo ipſo, non obſtantibus præmiſſis &c.* Cui quidem Gregorio XIII. ſuccedens poſtea Sixtus V. ſimilem aliam, etiam generalem reuocationem fecit, omnium licentiarum ingrediendi Monaſteria & inibi permanendi, mulieribus ſecularibus conceſſarum, in alia ſua Bulla, quæ incipit, *Sanctimonialium*, data anno 1589. die 5. Ianuarij, Pontificatus ſui anno 4. quam etiam in præſentiarum libuit apponere, vt omnia quæ ad hanc rem pertinent, ſimul ac præ manibus habeantur, eſtque tenoris ſequentis, *Sanctimonialium, quæ relicto ſeculo Dei obſequio ſe dedicarunt, quieti conſulere volentes, ad ea remouenda quæ Religioſum earum propoſitum impediunt, curã noſtram libenter intendimus. Cum itaque, ſicut experientia hactenus compertum eſt, & quotidie comperitur, licentiæ ingrediendi monaſteria monialium regnorum Hiſpaniarum, & inibi manendi mulieribus ſecularibus conceſſæ, regularem dictarum monialium quietem & tranquillitatem perturbare, multaque & grauia incommoda afferre conſueuerint, nos huic rei prouidere volentes, Motu proprio & ex noſtra certa ſcientia, deque Apoſtolicæ Sedis poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licentias, ingrediendi Monaſteria Monialium dictarum regnorum, & inibi permanendi ad tempus, mulieribus cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtentibus, etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, & Ducciſſis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque fortioribus & efficacioribus, atque inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, á Sede Apoſtolica & nobis conceſſas, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbum in ſe rerentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, reuocamus, caſſamus & irritamus, ac reuocatas, caſſatas, & irritas eſſe decernimus, diſtricte prohibentes mulieribus prædictis, licentiarum iuſmodi prætendentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, poſtquam harum litterarum notitiam habuerint, á qua non poſſint niſi á nobis ſeu Romanis Pont. pro tempore exiſtentibus abſolui, præterquam in mortis articulo) ne Monaſteria prædicta ingredi, aut inibi manere ſeu ſtare audeant, ſeu præſumant. Ipſorum vero monaſteriorũ Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, atque Superioribus, ſub eadem ac priuationis ſuorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere ſeu admittere, vel iam admiſſas quoquomodo retinere audeant ſiue præſumat. Quocirca dilecto filio noſtro, & dictæ Sedis in regnis Hiſpaniarum prædictis, pro tempore exiſtenti Nuncio, ac dictorũ Monaſteriorũ Prælatis, per præſentes mandamus, quatenus præſentes literas publicari, & præmiſſa omnia obſeruari faciant, contradictores & rebelles, ac præmiſſis non parentes per prædictas & alias ſententias, cenſuras, et pœnas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita cõpeſcẽdo, inuocat etiã ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis, non obſtantibus præmiſſis, ac qui*

Nota generalẽ reuocationem factã per Sixtũ V. licẽtiarum quarumcunq; ingrediendi monaſteria monialiũ poſitã in extrauagãti, quæ incipit Sanctimonialium.

Nota verba extrauagãtis quæ Sanctimonialium.

buſcumque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque cõtrarijs quibuſcumque. Circa quas prædictorum Summorum Pontificum Bullas, & Conſtitutiones, & cenſuras in eiſdem appoſitas, nonnulla occurrunt dicenda, quæ vt congruentius elucidentur, vt ne iſte nimium excreſcat, ſequenti reſeruantur Articulo.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ſint ipſo facto excommunicati, omnes in vniuerſum ingredientes Monialium Monaſteria, prætextu dictarum licentiarum, & etiam Moniales eoſdem recipientes?

ARticulus hic proponitur, ad maiorem declarationem eorũ, quæ in duobus præcedentibus ſunt dicta. Pro quorum intelligentia, præmittẽdum eſt, vt etiam conſtat ex litteris ſupradictis, quod quandocumque prohibetur ingreſſus intra monialium monaſteria, id fieri conſueuit dupliciter. Vel ſimpliciter & abſolute loquendo, aut prætextu aliquarũ licentiarum, non legitime & cum ſufficienti ratione & cauſa, ſiue neceſſitate, ab Epiſcopis vel monaſteriorum Superioribus conceſſarum, ſeu à Romanis Põtificibus ſed iam reuocatarum. Vnde & Põtifices Summi hac de re loquentes, diuerſis vtuntur clauſulis & verborum formis, nam quandoque nihil aliud faciunt, quam ſimpliciter & abſolute dicere, vt nullus ſeu nulla, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda; intra monialium monaſteria ingrediatur, quomodo poſita eſt excõmunicatio prædicta, in Concilio Tridentino, loco ſupracitato. Et etiam ſimili forma, appoſita eſt excommunicationis ſententia, à Iulio II. pro monialibus Cõceptionis, in confirmatione ſuæ regulæ, præcipiendo ſtricte, vt nullus intra ſepta monaſteriorum eorumdem ingrediatur. Interdum vero fertur excommunicatio prædicta, nõ quidem ſub hac forma, & ſimpliciter & abſolute, ſed contra illos qui idipſum facere præſumpſerint, quo pacto poſita reperitur, in Cõſtitutionibus olim Gregorij IX. & Bonifacij etiam IX. & Eugenij IIII. & etiam in Conſtitutionibus nuper factis, & in præcedẽti articulo adductis, Gregorij XIII. & Sixti V. contra omnes qui monaſteria monialium quarũcunque, intrare præſumpſerint, vel prætextu aliquarum licentiarum, ſine ratione & cauſa ab Epiſcopis & monaſteriorum Superioribus conceſſarum, aut etiam à Summis Pontific. ſed iam reuocatarum, item & contra moniales, quæ etiam eoſdem admittere præſumpſerint. Inter quos diuerſos dicendi modos, latiſsimum verſatur diſcrimen: quapropter pro maiori Conſtitutionum prædictarum explicatione, ſequẽtes ſtatuo cõclu ſiones.

Nota valde pro intelligẽtia extranagãtiũ quibus prohibitur ingreſſus in monaſteria monialium.

Prima Concluſio.

QVandocũque in litteis Apoſtolicis, quibus aliquid prohibetur ſiue præcipitur, præſumptionis verbum apponitur, non comprehenduntur in eiſdem, niſi ſolummodo qui peccant ex præſumptione. Hæc concluſio eſt expreſſa Caietani in ſumma, *verbo excommunicatio cap.* 81. & Cardinalis, *in Clement. 1. de priuilegijs*, & Nauar. in ſuo Man. cap. 27. num. 74. & omnium Doctorum communis. Quorum doctrinam, applicando ad præſens noſtrum propoſitum, dico quod Cõſtitutiones ſupradictæ, apponentes excommunicationis pœnam, contra ingredi præſumentes monaſteria monialium, vbicumque eiuſmodi præſumptionis verbum apponitur, nõ omnes in vniuerſum excõunicantur, ſed tãtũ ingrediẽtes ex præſumptione, ſeu ingrediẽdi præſumentes: quo fit vt ad hoc quod ex vi Conſtitutionis Gregorij IX. & Eugenij IIII. quiſpiam ingrediens Monaſteria S. Claræ excomunicatus exiſtat, aut ex vi Conſtitutionis Bonifacij IX. ingrediendo monaſteria S. Dominici ſeu S. Catherinæ, neceſſe eſt vt eiuſmodi ingreſſus ex præſumptione fiat, quod annotauit Caietanus loco ſupracitato, vbi poſtquam inter plures alios caſus, excõmunicationi ſubiacentes, prædictum appoſuit, ſubdit. *Aduerte quod ingreſſus Monaſteriorum, dolum & præſumptionem requirit, nam in excommunicatione, vbi in monaſterio monialium Ordinis Prædicatorum, prohibetur ingreſſus, apponitur verbum præſumere.* Idipſum dicit Nauar. *in cap. ſtatuimus, num.* 62. explicans Extrauagantem Pij V. editam anno Domini 1566. quæ incipit, *Regularium perſonarum*, prohibentem mulierum omnium ingreſſum, in Monaſteria virorum, ibi ſeptimo nota. Vbi ait ponderandum eſſe verbum illud, *præſumant*, in prædicta Conſtitutione poſitum, per quod dicit, Prælatos & Monachos admittentes mulieres, ante notitiam dictæ legis, vel poſt eam, *ſed* ante notitiam declarationis prædictæ, vel poſt eam, ſed per obliuionem illius, aut per incogitantiam aut animi ſimplicitatem, non incurrere pœnas contra eos ibidem impoſitas, quia (inquit) *lex imponens pœnam præſumenti facere aliquid, non includit facientem per obliuionem, incogitantiam vel ſimplicitatem ſine dolo.* Hæc ſupradictus Nauarr. Pro quo allegat Cardinalem in ſupradicta, *Clement. 1. de priuilegijs, quæſt.* 59. communiter receptum, per ipſum etiam allegatum, in repetione, *cap. accepta, de reſt. ſpol. oppoſit.* 8. Quæ ſupradicta verba, applicando ad moniales præd. ſimiliter videtur dicendum, quod intrantes ipſarũ clauſuram, & eædem illos admittẽtes, ante notitiam prædictæ legis, vel poſt eã, ſed per illius obliuionem, incogitãtiam, aut animi ſimplicitatem, non incurrunt excommunicationem prædictam, quia vt dictum eſt, lex imponẽs pœnã præſumenti aliquid facere, non comprehendit facientem per obliuionem, inaduertentiam vel ſimplicitatem, ac ſine dolo, iuxta doctrinam ſupradicti Card. communiter receptã. Quod tenet etiam idem Nau. in Man. c. 27. n. 74. vbi inquit, *quod cum Papa in Bulla Cœnæ Dñi, excommunicat præſumentes abſoluere, contra prohibitionẽ prædictæ Bullæ, ab excommunicatione abſoluens, ob animi ſimplicitatem, eamdem cenſurã non incurrit.* Quæ generalis erit Regula, pro alijs

Vbi in litteris Apoſtolic. præſumptionis verbũ apponitur, non incurrunt cẽſuram, niſi peccantes ex præſumptione.

Extra

Extrauagantibus, Gregorij XIII. & Sixti V. quibus reuocãtur omnes ſupradictæ licẽtiæ, & facultates priusconceſſæ, ad ingrediẽdum monialium monaſteria, & excommunicantur omnes, qui earum prætextu, dicta monaſteria ingredi præſumpſerint. De quo quidquid ſit, & an etiã alias ſeu aliũ de, illuc intrantes ſint excommunicati, virtute ſupradicti decreti Conc. Trid. ſeu aliarum Conſtitutionum, tamen virtute Extrauagantum, ſiue Conſtitutionum prędictarum, iuxta ea quæ dicta ſunt, non comprehenduntur nec excommunicantur, niſi intrantes ex præſumptione, aut qui prætextu dictarum licentiarum, ab Epiſcopis vel Superioribus conceſſarum, ſine ſufficienti ratione & cauſa, vel à Summis Pont. iam reuocatarum, intrare præſumpſerint. Nec etiam excommunicantur, quæcumque Moniales admittentes, ſeu (quod abſit) introducentes aliquos intra earum clauſuram, ſed dumtaxat illę Moniales, quę eoidem admittunt prætextu præfatarum licentiarum, quod maxime eſt norandum & memoriæ commendandũ.

Secunda Concluſio.

Ignorantia, ſemper à cenſura excuſat, dummodo ipſa nõ ſit affectata, craſſa, aut ſupina.

QVamuis excommunicationis cenſura, apponatur abſolute & ſimpliciter, & abſque aliquo præſumptionis verbo, incurraturque ipſo facto, à ſcientibus prohibitionem factam ſub tali cẽſura, ipſam tamen ignorantes excuſantur, dũmodo ignorantia non ſit affectata, craſſa vel ſupina. Hæc concluſio, quantum ad primam ipſius partẽ, ſatis de ſe patet ex ſupradictis; quantum vero ad ſecundam, eſt expreſſa ſententia Sylueſtri, *verbo excommun. 7. n. 87.* vbi poſtquam appoſuit excommunicationem, de qua ſupra, contra ingredientes Monaſteria S. Clarę, & S. Catherinæ dicit: *ſed nota quod ſecundum Archidiaconum, vbi ſententia huiuſmodi, numquam vel quaſi numquam fuit promulgata, ſi quis ignoranter & ſine mala intentione intraret, non in eam incideret, cum ſit ignorantia quaſi inuincibilis*, pro quo citat Antonium de Butrio & S. Thom. Et ſubdit. *Intrans autem ad male faciendum, quamuis ignorans ſententiam, & habens iuſtam cauſam ignorandi illam, non excuſatur ſecundum Petrum de Palude.* Hæc ſupradictus Sylueſter. Quod idem tenet D. Antonin. 3. p. ſuæ ſum mę tit. 25. c. 7. & Angelus, *verbo, excommunicatio. 7. caſu 47.* & Auctor libri, cui titulus, Clypeus ſacrarũ monialium, quamuis diſcedat à ſupradictis, in vltimo ipſorum dicto, quo dicunt quod nulla ignorãtia excuſat intrantem, cauſa & animo malefaciendi, nam (inquit) adhuc in iſto caſu, ſi ignorantia nõ ſit craſſa, vt dictum eſt, non incurritur cẽſura prædicta. Nam propter acceſſum intẽtionis corruptæ malefaciendi, ſufficiens eſt pœna diuinę legis, ſcilicet peccare mortaliter, obligariq; ad pœnã ęternã, abſque eo quod addatur pœna legis poſitiuę, quam tranſgrediens ignorabat, pro quo citat Angelum de Clauaſio vbi ſupra, & Summam Roſellam, verbo, ignorantia. Sed quidquid de hoc ſit, quod in propoſito caſu, excommunicationis cenſura non incurratur, probatur hac ratione efficaciſſima, & vt videtur euidentiſſima: nam habens ignorantiam prędictam, à peccato excuſatur, ergo & excuſabitur etiam, ab excommunicatione propter ipſum poſita. Conſequentia eſt legitima, nã ex communicatio ſemper præſupponit peccatũ mortale, nec infligitur aut incurritur, niſi propter culpam mortalem. Quibus omnibus addũt quidam, quod etiamſi quis ſciens cenſuram, necnon & ſeruari ſolitam, bona fide ingrederetur, aliquod monaſterium Monialium, ex aliqua appatenti quamuis inſufficienti ratione, exiſtimans ſe iuſtam habere ingrediendi cauſam, & in illo particulari caſu ingredi ſibi licere, ſimul habens in corde, quod ſi ſciret huiuſmodi ingreſſum eſſe peccatum, aut cauſam eſſe inſufficientem, nullo modo ingrederetur, dicunt, quod ſic ingrediens, in tali caſu à mortali culpa, atque à fortiori ab excommunicatione & cenſura excuſaretur. Quia ad hoc vt habens bonam fidem à peccato excuſetur, ſufficit cauſa rationabilis vera, aut ſaltim bona fides pro vera exiſtimata, quam prædictus in propoſito caſu habens, ab excommunicatione proculdubio excuſaretur, propter rationem dictam, cũ ea nullo modo incurratur, vbi non adeſt peccatum mortale. Supradicta omnia ſunt expreſſe Nauarr. in ſuo Man. c. 27. n. 109. vbi de ijs agendo inquit, *quod qui intrant Monaſteria S. Clarę, & S. Catherinæ de Senis, duobi ignorantia iuſta vel quaſi iuſta, excommunicationem à Romanis Pontificibus latam non incurrunt, nec etiam qui ſciens ingreditur, ſed perſuaſus cauſam, ob quam ingreditur eſſe iuſtam.* Hęc Nauar. vbi ſupra.

Nota hoc vtile.

Tertia Concluſio.

cẽſuræ conſtitutionũ prædictarũ cõprehendunt Superiores & Prælatos, non vero ſubditos.

INſupradictis Extrauagantibus Gregorij XIII. ac Sixti V. quamuis generaliter prohibeatur ingreſſus, quorumcunque virorum, vel mulierum, in monaſteria Monialium, & ingredientes pœnam excommunicationis ipſo facto incurrãt, Sedi Apoſtolicę reſeruatam, necnon pœna priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa & ad alia in poſterum obtinẽda, imponatur Abbatiſſis & Abbatibus Conuentuum, & aliis Monaſteriorum vtriuſque ſexus, Superioribus Prælatis & Prioribus, quocumque nomine nuncupentur, quocumque prætextu dictarũ licentiarum, facultatem ingrediendi facientibus vel permittentibus, non tamen eadem pœna imponitur, Monialibus ipſis in particulari, prædictas perſonas ad dicta monaſteria admittentibus. Hęc concluſio ſatis conſtare poteſt, intuenti litteram prædictarum Conſtitutionum quibus prædictarũ monialium in particulari nulla fit mentio, quo fit vt Monachæ particulares, admittentes perſonas prędictas ad dicta Monaſteria, quamuis mortaliter & quidẽ grauiſſime peccent, non tamen incidunt in pœnas prædictas, ſed tantum Prępoſitę & Superiores, idipſum conſentientes & permittẽtes. Nec prædictis obſtat verbũ, *Conuentibus*, ibidẽ appoſitum, quo ſignificari videtur, quaſcũq; etiã ſingulares perſonas, & moniales eiuſdem Conuentus, admittentes aliquem ad clauſuram, eiuſmodi pœnas & cenſuras incurrere, nam verbum *Conuentuum*, ibi non ſignificat ſingulares perſonas, iuxta ea quæ tradit Sylueſter, *in ſu. verbo. relig. 8. num. 1.* & Nauarr. libro de indulgentijs, notab. 8. num. 1 & 14. Nec *Conuentus*, ibi ſignificat multitudinem Monialiũ, in vnum congregatarum, alias omnes remanerent excommunicatę, quod non eſt dicendum, ſed intelliguntur Abbatiſſę, Abbates &

Superiores & maiores Conuentus, culpabiles in dicta permiſſione reperti, iuxta ea quæ tradit, *Gloſſ. in cap. Romani, §. in vniuerſitatem, verbo culpabiles, de ſent. excommun. lib. 6.* per textum ſingularem ibi, quod in ſpecie tradunt DD. communiter, cum Archidiacono, *in cap. de liberatione, de officio delegati. lib. 6.* Et quidem quod non loquantur Pontifices, de perſonis particularibus, ſed de perſonis, vt ſic loquamur communibus, Abbatiſſis, Abbatibus & Conuentuum Superioribus, ſatis clare patet ex verborũ cõtextu. Cũ hoc tamẽ ſtat vt dixi, quod aliq; etiã perſonę peccabũt grauiſſimẽ tales admittẽtes, & quod excõmunicationis pœna ipſo facto incurrenda, imponitur contra ſingulares ipſas per ſonas, præſumptuoſe ac ſine iuſta & legitima cauſa, prædicta monialium monaſteria ingredientes, ex vi decreti ſupradicti Concil. Tridentin. aliarumque Summorum Pontificum Conſtitutionum, ni forſan excuſentur propter ignorantiam, de qua ſupra.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Cardinales, ingredi poßint Monaſteria, quarumcunque Monialium, etiam S. Claræ?

Nota quod Cardinales olim, facultatẽ habebant, ingrediendi monaſteria, quarumcunq; monialium.

PRo huius Articuli intelligentia præmitto, quod Cardinales olim, iuxta ſecundam regulam Sanctæ Claræ, ordinatam per Vrbanum IIII. ingredi poterant ipſarum monaſteria, vt habetur in dicta regula, & in monumentis noſtri Ordinis, primæ impreſsionis, fol. 288. & ſecundæ fol. 37. & refertur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialium §. 7.* vbi dicitur, *quod ſiquis de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ad aliquod Monaſterium huius Religionis aliquando venerit, & intra clauſtrum voluerit ingredi, cum reuerentia quidem & deuotione ſuſcipiatur, ſed rogetur vt cũ paucioribus ſocijs debeat introire.* Ex quibus verbis ſatis datur intelligi, quod Cardinales habebant tũc temporis, generalem licentiam & facultatem, ingrediendi quarumcũque monialium monaſteria, ſiquidem dicitur, vt admittantur in monaſterijs Sanctæ Claræ, quæ vt dictum eſt, ſtrictiorem habent clauſuram, præ omnibus alijs. Sed quidquid de hoc ſit, crediderim eiuſmodi priuilegia, iam eſſe per Conc. Trident. reuocata, & per Summorũ Pontificum Conſtitutiones ſuperius adductas, vnde in contrarium, ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Nunc S. R. E. Cardinales, non ingredi poſſunt, monialiũ monaſteria, ſine ſũmi Pontificis licentia ſpeciali, niſi ſint illis ſubiectæ

NOn licet nunc, Sanctę Romanæ Eccleſię Cardinalibus, monialium monaſteria & maxime Sanctæ Claræ introire, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, aut niſi ipſa ſint illis aliqua ratione ſubiecta, & in caſibus neceſſarijs. Hæc concluſio, vt videtur ſatis colligitur ex dictis, in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 5.* vbi ſequentia verba habentur. *ingredi autem intra ſepta Monaſterij, nemini liceat, cuiuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda,* & ſubditur. *Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet, in caſibus neceſſarijs, nec alius vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcumque facultatis vel indulti, hactenus conceſsi, vel in poſterum concedendi.* Hęc Cõcilium prædictum. Quod quidem fuit dictum, conformiter ad ea quę dixerat prius Bonifacius VIII. *in cap. Periculoſo, de ſtatu Regul. lib. 6. ibi, Nulli ali quatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi ratio nabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia) ingreſſus vel acceſſus ad eaſdem, ſcilicet Moniales, pateat.* Quod etiam Pius Quintus innouauit in ſua Extrauaganti, quæ incipit, *Circa Paſtoralis.* Et Gregorius XIII. adhuc expreſsius, in ſuis etiam Extrauagãtibus, quarum prima vt dixi incipit, *Vbi gratiæ & indulta,* ſecunda vero. *Quæ ſanctimonialium,* vbi reuocauit abſolutẽ, omnes licentias ingrediendi monialium monaſteria. Et vt non diceretur, quod prædicti Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, & Epiſcopi & Superiores Prælati, nõ comprehẽdebãtur ibidem, aliam etiam edit, quæ incipit: *Dubijs quæ emergunt,* vbi idipſum apertè ſatis inſinuauit & declarauit, ac dixit qualiter omnes ſupradicti, eiuſmodi vti debent facultate ſi quam habent, ingrediẽdi monaſteria monialium. Quam quidem Conſtitutionem, expreſsius referemus ſtatim in ſequenti Articulo, agendo de Epiſcopis & de omnibus in vniuerſum Monialium Superioribus atque Prælatis, vt cõmodius habeatur ibidem. Pro nunc autem dixiſſe ſufficiat, quod Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſi non ſunt ipſarum Monialium Prælati ordinarij, non poſſunt ſua ingredi monaſteria, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, & in caſu quo ipſa ſint eiſdem ſubiecta; non etiam ingredi poſſunt, niſi in caſibus neceſſarijs, vt amplius dicemus ſtatim.

idq; in caſibus neceſſarijs.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Epiſcopi ingredi poßint, quarumuis Monialium Monaſteria pro libito, aut ſaltim viſitationis gratia, ſeu aliquo alio titulo?

DIfficultatem hanc mouet Nauar. lib. 3. conſiliorum, de ſtatu Monach. conſilio. 9. vbi pro ſuo more, ipſam docte, ac erudite ſatis hinc inde difficultat, pro parte affirmatiua, aliqua proponendo argumẽta, quorum eſt primum. Nam nullo iure videtur prohibitum, Epiſcopis & Superioribus atque Prælatis, ne etiam pro libito, ſuarum monialium monaſteria ingrediantur: non igitur ideſt dicendum. Secundo quia cui conceditur quod eſt plus, multo magis conceſſum eſſe videtur, quod eſt minus, argumento deducto, *ex cap. cui licet, de Regul. libr. 6. cum ſuis Cõcordantijs:* ſed prædicti Epiſcopi & Superiores Prælati, ex iuſta cauſa dare poſſunt licentiã alijs, ingrediendi Monialium monaſteria, vt conſtat ex ſupradicto decreto Concilij Tridentini, *ſeſſ. 35. de reformat. cap. 5.* quod & *Pius V. & Gregorius XIII.* in ſuis Conſtitutionibus Extrauagantibus, etiam

etiam tanquam certum præſupponunt: ergo & ip ſi hac in re, poſſunt ſeipſos licentiare, ſeu potius ſibi ipſis licentiam concedere, atque ita ſine vlla prorſus licentia intrare pro libito, maxime alicuius viſitationis gratia. Pro parte vero negatiua, affert prædictus Nauar. textũ expreſſum, *in d. c. Periculoſo, de ſtatu Regul. lib. 6.* in illis verbis, *nulli aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit ſpeciali licentia) ingreſſus vel acceſſus ad eaſdem, ſcilicet Moniales pateat.* Quam Bonifacij VIII. Decretalem, Concilium Tridentinum *ſeſſio. 25. de reformatio. cap. 5.* innouauit, in illis verbis, *ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cuiuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtẽta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.* Et ſubditur, *dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet, in caſibus neceſſarijs, nec alius vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcumque facultatis vel indulti, hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.* Quod Concil. Trident. decretum vt dictum eſt in præcedenti articulo, Pius Quintus, & Gregorius XIII. innouarunt, & in ſuis Conſtitutionibus Extrauagant. inuiolabiliter obſeruari ſtatuerunt, addentes, *vt nulla perſona etiam Eccleſiaſtica, cuiuſcumque gradus & conditionis fuerit, etiam de Superiorum licentia, Monialium Monaſteria prædicta ingrediatur, niſi in caſibus neceſſarijs, ſeu pro neceſſitatibus vrgentibus.* A quo prędicto Decreto, vt videtur, non excluduntur Epiſcopi & Superiores Prælati, quin vero in eodem includuntur, in illis verbis, *cuiuſcumque conditionis extiterint.* Secundo probat id ipſum, quia vbi eſt eadem ratio, idem eſſe ius eſt cenſendum, *iuxta legem, illud. ff. ad l. Aquiliam, cũ multis ſimilibus,* valetque argumentum, à ſimili iuxta, *l. non poſſunt. ff. de legibus,* ſed eadem aut ſaltem ſimilis, quoad hoc ratio militat, ne Epiſcopi & Superiores Prælati, Monialium Monaſteria ingrediantur: ergo etiam ipſi in decreto prædicto, & dictis Conſtitutionibus comprehenduntur. Hæc ſunt quæ hinc inde, pro vtraque prædictę difficultatis parte, adducit Nauarro loco ſupra citato. Vt autem liquidum fiat, ac præ manibus habeatur, quid hac in re tenendum eſt, & in communi praxi obſeruandum, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Certiſſimum eſt, quod Epiſcopi & Superiores Prælati, ingredi poſſunt ſuarum Monialiũ Monaſteria, in caſibus neceſſarijs.

CErtiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod Epiſcopi & Superiores Prælati, ingredi poſſunt Monialium Monaſteria ſibi ſubiecta, in caſibus neceſſarijs & Viſitationis gratia ſeu alterius rei ſimilis. Hæc concluſio, eſt certa & manifeſta, & fere nulla indiget probatione. Nam cum ipſi poſſint cum alijs diſpenſare, in dictis caſibus neceſſarijs, & pro neceſſitatibus vrgentibus, vt ſuperque ſatis conſtat ex ſupradictis, dubium non eſt, quod etiam diſpenſare poſſint cum ſeipſis, vt tenet communis opinio, ſed ſpecialiter Caietanus, cum Diuo Thoma, prima ſecunda, quæſtione 96. articulo quinto, id quod & probat latiſſime Corduba, libro quinto quæſtionarij, quæſtione 31. qua etiam de re videatur Nauarro in ſupradicto conſilio, numero tertio, vbi aſſerit, quod prædicti Epiſcopi & Superiores Prælati, intrare poſſunt prædicta Monialium Monaſteria ſibi ſubiecta, ſine alicuius Superioris licentia, quamuis id iure communi non ſit expreſſum, aut ſpecialiter cautum, dummodo intrent pro tam vrgenti neceſſitate, pro quanta ipſi ad intrandum licentiam poſſent dare alijs. Quod probat per ſupradicta duo argumenta, adducta pro parte affirmatiua, & præterea quia ſicuti *in capit. final. de pœnitentijs, & remiſ.* ſtatutum fuit, vt Epiſcopi & alij Superiores Prælati exempti, poſſent eligere Confeſſorem prouidum, abſque licentia Superioris, ne præ nimia dilatione, ſalus animæ periclitetur, ſic etiam, inquit, dicẽ dum videtur, ipſos intrare poſſe Monialium Monaſteria ſibi ſubiecta, ne præ nimia dilatione, prouiſio eiſdem deficiat in ſuis neceſſitatibus, idque abſque alicuius Superioris licentia.

Secunda Concluſio.

Certißimum etiã eſt, quod Epiſcopi & Superiores, Prælati, intrare nõ poſſunt Monialiũ Monaſteria, etiã ſibi ſubiecta, abſque iuſta & legitima cauſa.

CErtiſſimum etiam atque conſtitutiſſimum eſt, quod Epiſcopi & Superiores Prælati, intrare non poſſunt Monialium Monaſteria, etiam ſibi ſubiecta, ſine iuſta & legitima cauſa, atque vrgenti neceſſitate. Hæc cõcluſio eſt omnium Doctorum communis, & eam tenet expreſſe ſupradictus Nauarro, in prædicto conſilio nono, de ſtatu Monachorum, numero ſecundo, quam & probat ex argumentis adductis pro parte negatiua, & præterea ne contrarium aſſerentes, cogamur dicere, quod etiam Vicarius Generalis ſeu Prouiſor Epiſcoporum, idipſum poſſit facere pro libito, cum vnam & eandem iuriſdictionem habeat, quam Epiſcopus: & ita Monialium Monaſteria ſint ſibi ſubiecta, ac ipſi Epiſcopo, cum ſit vnum & idem tribunal vtriuſque, iuxta *capit. 2. de conſtitutio. lib. 6.* & etiam Viſitatoris & Vicarij Viſitatoris, iuxta *cap. 1. ne Sede vacante,* quod inquit Nauarro, menti prædictarum Conſtitutionum omnino videtur repugnare. Sed quid moror in re adeo clara & manifeſta, cum Gregor. XIII. in ſua Bulla Extrauaganti, quæ incipit *Dubijs, quæ emergunt,* data, 23. *Decembris anno* 1581. omnem hanc rationem dubitandi abſtulerit, declarando qualiter Epiſcopi & Superiores Prælati ordinarij, vti debent facultate prædicta, ingrediendi Monaſteria Monialium? Quam Extrauagant. quia illius quam maxime habere notitiam oportet, libuit in præſentiarum etiam adducere, quæ eſt tenoris ſequentis. *Dubijs quæ emergunt, declarationis remedium expeditum adhibere. Cum igitur ſuper eo, quod optima primum ratione Concilium ſanxit Tridenti deinde in conſtitutione fœlicit. record. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri, nonis Iulij Pontificatus ſui anno 3. atque item noſtra, Idibus Iunij Pontificatus noſtri anno 4. editis, fuit prouiſum, ne cui in poſterum, niſi in caſibus neceſſarijs, ſepta Monaſteriorum Monialium ingredi concederetur licentia, à nonnullis fuiſſe dubitatum ſciamus, circa perſonas quæ alterius ad id licentiam non indigent, ſed ſui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito ſuæ voluntatis, huiuſmodi ſepta ingredi, vel potius ſeruare debeãt ipſi quoque, regulam à Concilio præſcriptam, nos omnis hæſitationis materiam tollere, & viam ſcandalis præcludere, ac ſanctimonialium quieti conſulere volentes, harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus, Prælatos omnes, tam ſeculares quam regulares, quibus cura & regimen Monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate*

Nota conſtitutionem Greg. XIII. circa modũ quo Epiſcopi & Superiores Prælati Ordinarij vti debent facultate quam habent, ingrediendi Monaſteria Monialium.

ſibi ex officio attributa, ingrediendi Monaſteria prædicta, ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis iiſque ſenioribus ac religioſis perſonis comitati, quo circa vniuerſos & ſingulos, Epiſcopali ſeu maioris etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis Ordinum Abbates, Præpoſitos, Priores, Miniſtros, & alios quoſcumque Superiores Regulares ſerio monemus, vt facultate huiuſmodi qui eam habent, præterquam in caſibus, vt præfertur neceſſarijs, neutiquam vtantur, quod ſi contra fecerint, eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice qua contra fecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali & à diuinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, Regulares vero omni officio ac miniſterio priuatos, excommunicationi ſimiliter ſubiacere, non obſtantibus quibuſcumque, &c. Ex qua dicta Extrauaganti conſtitutione, probatur apertiſſime ſecunda hæc concluſio, & prima ſuperius poſita amplius confirmatur, ſuperque ſatis colligitur, quod Epiſcopi & Superiores Prælati, intrare non poſſunt, Monaſteria Monialium non ſibi ſubiecta, poſtquam vt ex prædictis conſtat, etiam in ſibi ſubiecta intrare non poſſunt, abſque legitima & ſufficienti cauſa, vrgentique neceſſitate. Quod adhuc expreſſius tenet Nauar. *in d. cap. ſtatuimus, num.* 39. vbi poſtquam retulit Decretalem ſupradictam, Bonifacij VIII. poſitam, *in dict. cap. Periculoſo, de ſtatu Regul. lib.* 6. innouatam per Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 5. inquit, fuiſſe dubitatum, an Canon ibidem poſitus, comprehendat Epiſcopos ingredientes Monaſteria ſibi non ſubdita, ſine licentia illic contenta, & inquit, reſponium à ſe fuiſſe affirmatiue, propter rationes ſuperius dictas.

Nota hoc val de.

Sed quia aliqui interdum Epiſcopi, prætendũt ſibi licere, ingredi ſupradicta Monialium Monaſteria ſibi non ſubdita, prætextu Decreti Concilij Tridentini loco ſupracitato, *quo vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipitur, vt in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis Ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram ſanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt conſeruari maxime, procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſpoſita compeſcentes, &c.* Ex quo Concilij Decreto, colligunt, quod poſſunt ingredi Monaſteria Monialium, etiam exempta, Prælatiſque Regularibus ſubiecta, ad videndum, vtrum ipſarum clauſura ſit collapſa, ne hac in re errare contingat, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Tertia Concluſio.

Epiſcopi ingredi nullo modo poſſunt Monialiũ Monaſteria non ſibi ſubiecta, prætextu videndi clauſuram, an violata exiſtat præ

INgredi nullo modo licet Epiſcopis, Monialium Monaſteria exempta, Prælatiſque Regularibus ſubiecta, prætextu videndi an violata ibidem fuerit clauſura, niſi ſolummodo in caſu, quo publice conſtaret ipſam eſſe violatam, nec in tali caſu, niſi poſtquam eadem de re, ſemel & iterum admonuerint ipſarum Monialium Prælatos Ordinarios. Hæc concluſio ſatis conſtat ex ijs, quæ habentur *in cap. Periculoſo, de ſtatu Regul. lib.* 6. § *& quoniam*, vbi cura reparandi clauſuram, in Monaſterijs Prælatis Regularibus ſubiectis, Prælatis earum non vero Epiſcopis conceditur, in illis verbis. *Abbates vero & alij tam exempti quam non exempti Prælati, Eccleſiarum, Monaſteriorum & Ordinum quorumcumque, in Monaſterijs huiuſmodi ſibi ſubiectis, de clauſura conuenienti, vbi non eſt ipſorum Monaſteriorum expenſis procurent,* &c. Per quæ verba ſatis datur intelligi, quod hoc ipſorum, non autem Epiſcoporum officio incumbat. Neque Concilium Tridentinum, aliud intendit loco ſupracitato: nam nihil aliud facit ibidem, quam innouare Bonifacij VIII. Decretalem prædictam, & certum eſt quod Conſtitutio innouans, iuxta terminos Conſtitutionis innouatæ, debet intelligi & explicari, vt tradunt omnes Doctores communiter, *in Authentico quæ innouat.* §. *vnde, verſu in illis, collatione* 3. & Nauar. latiſſime in tractatu, *de datis & promiſſis, notab.* 3. *in num.* 6. in fine. Nec dictis obſtat, quod Concilium generaliter loquatur, non diſtinguendo de Monaſterijs immediate ſubiectis Sedi Apoſtolicæ, ac de alijs Prælatis Regularibus ſubiectis: nam quamuis id ita ſit, recedendum non eſt à Conſtitutione antiqua, niſi quatenus per nouam ſtatutum expreſſe reperitur cõtrarium, vt habetur in iure, *in l. præcipimus. C. de appellat.* & poſterior lex primam non tollit, niſi eam expreſſe tollat, aut niſi ſit ei contraria, vt habetur *in cap.* 1. *de Conſtitutio. lib.* 6. *Et in dict. cap. Periculoſo.* §. *& quoniam*, manifeſte exprimitur, differentia prædicta, vt patebit intuenti, præcipiendo Epiſcopis, vt in Monaſterijs Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, ſua auctoritate, in ijs vero quæ ad Romanam immediate ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, reparari procurent clauſuram, & poſtmodum, idipſum præcipit Abbatibus, alijſque Prælatis, reſpectu Monialium ſibi ſubditarum. Et in fine capituli concludendo dicit, per hoc autem in Monaſterijs exemptis, Ordinarij locorum nullam ſibi credant iuriſdictionem, vel poteſtatem aliquatenus attributam. Vnde certiſſime dicendum eſt, quod Epiſcopi prædicti, intrare non poſſunt Monialium Monaſteria non ſibi ſubiecta, ad videndum quomodo clauſura ibidem ſe habeat, & an ſit violata nec ne. Neque in hiſce rebus vllo modo poſſunt aut debent ſe intromittere, niſi vt prædictum eſt, ſolummodo in caſu, quo viderint in aliquo Monaſterio, quod dicta clauſura publice fuerit violata, & quod Moniales quæ ſunt quaſi lapides ſanctuarij, vti dixit olim Hieremias Threnorum 3. diſperſæ ſint in capite omniũ platearum. In tali caſu poſſunt & debent Epiſcopi, eiuſmodi Monaſterij Prælatum admonere, vt ipſius curam gerat, & procurare vt clauſura reparetur & inſtauretur, ibidem vt ſanctimoniales in ſuo contineantur officio. Quod ſi facere contemſerit (quod abſit) aut neglexerit, in eo caſu tanquã Sedis Apoſtolicæ delegati, in ipſius defectum, auctoritate Apoſtolica idipſum Epiſcopi poterunt efficere, illiuſque negligentiam ſupplere. Et hoc eſt, nihil vero amplius, quod in prædicto decreto, Concil. Trident. præſcribitur, quod eſt maxime notandum atque memoriæ commendandum.

terquã in ca. ſu hic poſito.

Quarta Concluſio.

Epiſcopi intrare nõ poſ-

NOn etiam poſſunt prædicti Epiſcopi, intrare clauſtra Monialium, pro conſecratione ſeu benedi-

ſunt Monialium clauſuram, pro cõſecratione ſeu benedictione Monialiũ, neque pro ipſarum confirmatione.

nedictione Sororum, nec pro ipſarum confirmatione. Pro huius concluſionis intelligentia ſimul & probatione aduertendum eſt, quod quamuis in ſecunda Regula Sanctæ Claræ, quam Vrbanus Quartus inſtituit, olim habeatur, *quod ſi forte pro conſecratione vel benedictione ſororum vel alio modo, conceſſum fuerit Epiſcopo alicui, Miſſam interim celebrare aliquando, quam paucioribus & honeſtioribus potuerit ſocijs ſit contentus & miniſtris, & quod hoc quoque ipſum, alicui rarius concedatur*, ſed tamen hæc conceſsio ſiue priuilegium, vt certo creditur abrogatum eſt per Concilium Tridentinum, loco ſupracitato, vbi ſtricte præcipitur, vt nullus intra Monialium Monaſteria ingrediatur, niſi in caſibus neceſſarijs, vigore cuiuſcumque facultatis vel indulti, hactenus conceſsi vel in poſterum concedendi: & clarum eſt quod caſus in dicta concluſione contenti, neceſſarij non ſunt, cum ſatis commode poſsint ipſi Epiſcopi, conſecrare, benedicere aut etiam confirmare Moniales, ſeruata & non violata ipſarum clauſura, conſecrando, benedicendo vel confirmando ipſas, per feneſtram deputatam ad imponendum eiſdem velum. Vnde concludendo dico, quod hoc titulo aut ſub iſto prætextu, minime licet ſupradictis Epiſcopis ingredi Monialium Monaſteria, etiam eiſdem ſubiecta, quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm Generalis Miniſter, noſtri ſacri Ordinis Minorum, & Prouinciales ſiue Viſitatores, ingredi poſſint Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ, & aliarum ſibi ſubditarum in aliquibus caſibus?

PRo huius articuli intelligentia ſimul & reſolutione, ſupponere oportet, quòd in ſecunda Regula dictarum Monialium Sanctæ Claræ, ordinata per Vrbanum Quartum, quæ habetur in monumentis Ordinis primæ impreſsionis, folio 288. & 2. folio 317. & refertur in Compendio priuilegiorum, *verb. ingredi Monaſterium Monialium. §. 7. rubric.* 18. referuntur quædam pertinentia ad ingreſſum perſonarum, in Monaſteria prædictarum Monialium, de quibus in ſequentibus articulis fiet ſermo. Sed inter alia habentur nonnulla, ſpectantia ad Generalem Miniſtrum, & ad Prouinciales ſiue Viſitatores ipſarum. quæ etiam nunc ſunt in praxi, neque alicubi reperiuntur reuocata, quæ vt diſtincte ac præ manibus habeantur, diſtribuere ea libuit in ſequentes concluſiones, & loquendo primum de Generali Miniſtro, ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

Quando Generalis Miniſter Ordinis Minorũ, Monaſteria Sanctæ Claræ poſſit intrare, & cum quibus ſocijs.

LIcitum eſt Generali Miniſtro, Ordinis Fratrum Minorum, ingredi Monaſteria Monialiũ Sanctæ Claræ ſibi ſubiecta, quando ibidem celebrare voluerit, viſitare aut proponere Sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque Fratribus ipſius Ordinis, ſi quando ei videbitur expedire. Hæc concluſio habetur expreſſa, vbi ſupra, & cõmuniter obſeruatur in praxi, quamquam raro, & ea qua decet religioſa modeſtia. Sed loquendo de Prouincialibus Miniſtris & Viſitatoribus, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Prouinciales Miniſtri & Viſitatores, quando poſſint Monialiũ S. Clarę Monaſteria intrare, & cum quibus ſocijs

PRouinciales Miniſtri & Viſitatores, viſitationis gratia, eriã poſſunt intrare Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ, & aliarum ſibi ſubditarum comitati duobus aut tribus ſocijs. Hæc concluſio habetur expreſſa, vbi ſupra. Quantum ad Prouinciales in illis verbis, quæ habentur in prædicta Regula, Rubrica 18. ibi. *Alius autem Prælatus, cui aliquando forte de licentia Sedis Apoſtolicæ, vel dicti Cardinalis intrare licuerit, duobus vel tribus tantum religioſis & honeſtis ſocijs ſit contentus.* Quæ quidem verba, explicans Corduba, in Additionibus ad Compendium, *verbo, ingredi Monaſteria Monialium, in princip. §. 6. & 7.* quamuis in ea ſit opinione & ſententia, vt credat non eſſe intelligenda, de Prælatis noſtri ſacri Ordinis Minorum, ſed de alijs, ſi forte alicui aliquando, data fuerit licentia per Sedem Apoſtolicam, vt intrare poſſit prædictarum Monialium Monaſteria, quod & aliquibus rationibus probare contendit: at meo quidem iudicio minus bene, & fruſtra in ea re laborat: nam & intelligi poſſunt de Epiſcopis ad ſubeunda munera, & officia ſuperius dicta in præcedenti articulo, cõcluſione quarta, tempore quo ad id licitum ſibi erat ingredi, prędictarum Monialium Monaſteria, & etiam de alijs Prælatis, ſi forte aliquando de licentia Sedis Apoſtolicę, idipſum ſibi fuiſſet conceſſum, & nihilominus intelligi etiam poſſunt, de Miniſtris Prouincialibus noſtri ſacri Ordinis, quibus iure ordinario ipſæ Moniales fuerint ſubiectæ, quando illuc intrauerunt. Nec obſtat, quod communiter & regulariter loquendo, prædicti Prouinciales, non intrant niſi viſitationis gratia, & infra in Rubrica 24. eiuſdem regulæ, præſcribitur ordo ſeruandus, à Viſitatoribus Monaſteriorum, prædictarum Monialium Sanctæ Claræ: nam dico, quod id fuit appoſitum, pro alio differenti caſu, ſi quando ad intrandum prædicta Monaſteria fuiſſet neceſſitas, & in id habuiſſent ipſi à Sede Apoſtolica facultatem, in quo vt ibidem dicitur, duobus vel tribus tantum religioſis & honeſtis ſocijs, debent eſſe contenti. Sed quidquid de hoc ſit, certiſſimum eſt, quod prædicta monialium monaſteria ingredi poſſunt, ſupradicti Prouinciales, quemadmodum & viſitatores: nam de his omnibus, abſque delectu & diſcrimine, ſiue Prouinciales ſiue viſitatores nuncupentur, vt dictum eſt, ſpecialis habetur conceſſio, in eadem regula, Rubrica 24. vbi ad hoc propoſitum, ſequentia ponuntur verba. *Viſitator monialium Sanctæ Claræ, quando monaſterij clauſuram ad viſitandum intrauerit, duos religioſos & idoneos ſocios ſecum ducat, qui videlicet ſocij ſimul maneant, & dum fuerint intra clauſuram, ab inuicem nullatenus ſeparentur.* Habetur hæc conceſſio in Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, folio 286. & ſecundæ, fol. 295. & refertur in Compendio vbi ſupra. §. 8. Circa

quam

quam conceſſionem, aduertit Priuilegiorum Collector, quod virtute huius facultatis & ſub hoc titulo, ſolummodo ingrediũtur ijs temporibus, noſtri Prouinciales miniſtri in monaſterijs S. Claræ ſuarum Prouinciarum, ſuper quæ habent gubernationem commiſſam à Summo Pontifice, & ſimiliter Commiſſarij, quos ipſi miniſtri Prouinciales, aut Generales mittunt ſuo nomine, ad viſitandum prædictas moniales. Sed circa eandem conceſſionem, & ſociorum numerum, quos Prouinciales ſiue Viſitatores prædicti, ſecum poſſunt deferre cum intrant in dicta monaſteria, nonnulla inſurgit difficultas & ea eſt. An ipſi debeant tantum eſſe duo, vel poſſint eſſe tres? Et ratio dubitandi eſt: nam in priori loco, Rubrica 18. habetur, quod duobus vel tribus tantum religioſis, & honeſtis ſocijs ipſi debeant eſſe contenti, in ſecundo vero loco, Rubrica. 24. dicitur, quod quando viſitator monialium Sanctæ Claræ, monaſterij clauſuram ad viſitandum intrauerit, duos religioſos, & idoneos ſocios ſecum ducat. Pro cuius difficultatis intelligentia, & reſolutione, dico primo quod ſi teneatur vt credo tenendum eſſe, quod priora illa verba ſuperius relata, intelliguntur etiam de miniſtris Prouincialibus, dubium non eſt, quod ipſi duos aut etiam tres ſocios, ſi voluerint deferre poſſint, quotieſcumque prædictarum monialium clauſuram intrant, id enim expreſſe ibidem habetur, atque vt dicitur, in expreſſis non eſt locus cõiecturis. Si vero non intelligantur, de miniſtris Prouincialibus, ſed facultas eorum ad ingrediendum monialium monaſteria, deſumenda ſit ſolum modo, ex ea quæ viſitatoribus conceditur in eadem Regula, etiam dubium nõ eſt, quod ipſorum ſicuti & viſitatorum ſocij, tantum eſſe debẽt duo, & non tres, cum id etiam ibidem habeatur expreſſum. Vnde Prouinciales, qui primam tenuerint opinionem, tres ſecum ſocios deferre poterunt, qui vero ſecundam, non niſi duos, ſicuti & viſitatores ipſi: nam ſtando in prædictis verbis, non plures ſecum poſſunt deferre, aut intromittere. Sed ſecundo & melius reſpõdeo, & dico, quod ſtando in vtraque ſententia & opinione, tam Prouinciales quam viſitatores, tuta atque ſecura cõſcientia, tres ſecum ſocios deferre poſſunt, quidquid dicat Priuilegiorum Collector, ſcrupuloſe nimis iſtud tractans negotium, *verbo, ingredi monaſteria monialium.* §. 6. nam ita habet antiquiſſima & vniuerſalis conſuetudo, & vt recte inquit Corduba, in Additio. ad Compendium, eodem verbo & §. loquens de alio caſu ſimili, res iſta non ita ſtricte, aut ſcrupuloſe eſt conſideranda. Nam prædicto in loco, Vrbanus Quartus, in dicta ſecũda regula Sanctæ Claræ, Rubrica ſiue capit. 18. & 24. circa prædictum religioſorum numerum, ipſorumque taxationem, qui cum Prælatis prædictis, ſeu in caſibus in eadem regula permiſſis, intra dictarum monialium clauſuram debent introire, nõ appoſuit aliquod obligatorium præceptum, ſed tantum loquutus eſt incidenter, ordinando atque ſtatuendo, id quod ſibi videbatur expediens, iuxta eiuſdem rei rationabilem taxam, non intẽdens cõtrarium facientes ad peccatum obligare. Quod & conſtare facile poteſt, ex ipſius verbis, & forma loquendi qua ibidem vſus eſt. Inquit enim in primo loco, vt qui intrare habet duobus vel tribus tantum religioſis, & honeſtis ſocijs ſit contentus, in ſecundo vero, quod duos religioſos & idoneos ſocios ſecum ducat. Quæ dum dixit clare cõſtat, quod non aliquod appoſuit præceptum, quin vero id relinquit prudentiæ intrantis Prælati, inſinuare volens quod neque ſolus, nec vero cum pluribus & exceſſiuis ſocijs, ſed cum honeſto & decenti comitatu, in caſibus ſibi permiſſis atque conceſſis, debebat intrare. Et præterea, quod hoc ita ſit dicendum, ex eo etiam patet: nam alias ſequeretur, quod illic, & pluribus alijs locis, prædictus Summus Pontifex, obligatorium etiam appoſuerit præceptum, de omnibus ibidem contentis, vtpote, quod quando viſitator ad viſitandum moniales, intra monaſterium intrauerit, prius legat regulam, ac lectam eandem exponat, quod ab Abbatiſſa ſigillum accipiat, & quod nec ipſe nec alij ſocij, ad alia monaſterij loca diuertant, quod non ibidem moram faciant, aut cum aliqua ſeorſum loquantur. Quod quidem dicere, ſtrictũ, ſcrupuloſum atque rigoroſum eſſe videretur nimis, & contra omnem rationem prorſus, viſitatores prædictos ad omnia illa obligare ſub mortali, cuius oppoſitum expreſſe concedit, poſtea ipſe Collector pro ſcrupuloſis in eodem verbo. §. 34. in fine primi notab. Idipſum præterea patet, ex ipſa ratione, & proborum virorũ, diutina ſemperq; recepta, vſuq; ſeruata & practicata conſuetudine, qui nũquam ſenſerunt, dixerunt aut intellexerũt peccatum eſſe mortale, & multo minus excommunicationem aliquam incurrere, eos qui omnia ibidem contenta & aſſignata ab Vrbano Quarto ad vnguem non ſeruauerint. Dicendum eſt igitur, ſolummodo eſſe præceptum & obligatorium in conſcientia, ac ſub excommunicationis pœna, vt prædicti Prælati, dictarum monialium monaſteria, non intent abſque iuſta & legitima cauſa, & in caſibus ſibi conceſſis à iure, vel ſecundum ipſam regulam, & quod non intrent ſoli, nec vero cum pluribus & exceſſiuis ſocijs, ſed vt dictum eſt, cum honeſto & decẽti comitatu. Quod autem ſocij, futuri ſint tantum duo vel etiam tres, non res tam magni eſt momenti, quæ obliget ſeu obligare poſſit, ad peccatũ mortale, & multo minus ad excommunicationis pœnam, maxime in ijs, qui bona fide & ſine dolo, aut malitia id faciunt, & intrant cum ſuis Superioribus & Prælatis.

Difficultas. An ſotij eſſe debeant duo vel tres.

Sed an Prouinciales & Viſitatores prædicti, ingredi poſſint dicta monialium monaſteria, non ſolum ad tenendum culparum Capitulum, verum etiam ad faciendam viſitæ denuntiationem, ſeu exhortationem, etiam dubitari ſolet. Et tenetur contraria ſententia cõmuniter, ab aliquibus Prælatis nimium ſcrupuloſis, qui fundantur in quibuſdam verbis Collectoris in Compendio, loco vbi ſupra, *verbo, ingredi monialium monaſteria.* §. 34. in primo notabili, in 11. caſu, vbi inquit agendo de viſitatoribus monialium, quod ipſi ingredi tantum poſſunt, ad tenendum viſitationis capitulum, vel aliquid ſimile, tangens ſuum officium, quod de foris fieri nequit. Ex quibus verbis colligunt, quod cum exhortatio prædicta, ſeu potius propoſitio aut denunciatio viſitæ, optime ad crates & de foris fieri poſſit, quod ad idipſum, ingreſſus in dicta monia-

Difficultas, an Prouinciales & Viſitatores, ingredi poſſint monialium monaſteria, ad faciendam exhortationem, ſeu viſitæ denuntiationem?

monialium monasteria,eisdem nō sit licitus,quod & practicari ita vidi multoties, & ab alijs interdum contrarium.Resoluendo ergo difficultatem prædictam dico,quod qui in dicto casu intrare renuunt(vt Regij psaltis verbis vtar)illic trepidauerunt timore,vbi nō erat timor. Licet enim verissimum atque certissimum sit, ingrediendum nō esse in monialiū monasteria,nisi in casibus necessarijs,seu potius pro necessitatibus vrgentibus, vt iam semel & iterum diximus supra, meo tamen quidem videri,supradictus casus denunciationis siue propositionis visitæ,vnus est ex prædictis casibus necessarijs, quin vero & vrgentibus, siquidem non fit ad faciendam exhortationem,siue visitæ denunciationem præcise,sed ad videndum ea, quæ sunt summe necessaria, & quasi præambula siue præparatoria eidē visitæ, nempe ad vidēdum & prospiciēdum proprijs oculis,sintne omnia Cōuentus ædificia recte dispositā, clausura conueniēter & sufficiēter reparata,an seratæ fenestræ, & illa loca quæ vulgo dicuntur,*los miradores, ò vistas*,ita quod videre sed videri non possint monia-

Nota hoc vel ac.

les, ad visitandas etiā infirmas & ipsarū dormitoria,an etiā sint cōuenienter & religiose aptata,cęteraque domus officinas,ex quibus vt plurimum quam plura resultant,emenda & correctione digna,ac summo opere necessaria.Nec sat est dicere, ea omnia fieri posse postea, tēpore quo intrant ad tenendū culparum Capitulum, nam præterquam quod tunc non id congrue,& commode fieri potest,multa interdum sese offerunt,quæ prius videri oportet, vt videantur postmodum,an fuerint conueniēter & sufficienter reparata,quod & mihi ipsi multoties euenit, dum monialium visitatoris officio fungerer. In nonnullis enim monasterijs,interdum violatam reperi,quorundam monialiū clausuram,& domus mœnia non sufficienter dispositā,quin vero multis ruinis plena, quasi illic patēre posset ingressus & egressus, quæ reperta statim reparari iussi,id quod & factum fuit, proprijsque oculis postea perspexi,priusquam tenerem culparum Capitulum, eiusmodi pericula fuisse sublata,quod feciſſe tam gratum mihi fuit, quam quod gratissimum. Sed tandem quod hoc ita faciendum & practicandum sit,ex eiusdē Collectoris verbis,non incōgrue colligi potest,postquā ipse dicit,quod visitatores monialium, ingredi possunt monialium clausuram,ad tenendum visitationis Capitulum,vel aliquid simile suum tangens officium,quod deforis fieri nequit, de quorum certe numero,existimanda est prędicta totius Conuentus visita,& videre atque prospicere proprijs oculis,an clausura aliqua in parte fuerit violata, quod quammaxime ad visitatorum spectat munus & officium,iuxta Concilium Tridentinum *& capit. Periculoso*,locis supracitatis. Est itaq; hoc dicendum & tenendum,& in communi praxi obseruandum,atque ita multoties,nostræ sancti Iacobi Prouinciæ Patres,doctissimos atque grauissimos feciſſe vidi, prædictam ob causam monialium clausuram intrasse, non obstante quod exhortatio,siue propositio verbi Dei & visitæ, de foris fieri posset. Sed an ad electionem faciendam, desumēdaque monialium vota & suffragia in electionibus,licitum sit clausuram aliquando ingredi,etiam dubitari vidi: contrarium tamen tenendum est sine dubio,nisi in aliquo speciali casu, de quo sequens statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

Ad Abbatissæ electionem faciendam,desumendaque monialiū vota,non est licitum clausurā introire, nisi in aliquo speciali casu.

AD Abbatissæ electionem faciendam,desumendaque monialium vota & suffragia, nullo modo licitum est earumdem clausuram ingredi, nisi forsan in aliquo speciali casu,propter tumultum, vel quidpiam simile.Hæc conclusio habetur expressa in Concil. Trident.*sessio.25.de reformat. capit.* 7. vbi agendo de Abbatissarum & Prioritsarum electionibus,in fine sequentia habentur verba. *Is vero qui electioni præest, Episcopus siue alius Superior, claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam, vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis autem, seruentur singulorum Ordinum, vel monasteriorum constitutiones.* Nonnulli dicunt esse licitum,ingredi ad confirmandam Abbatissam.Ita tenet Llamas,*in exposit.append.*§.12. Sed an id practicandum sit,aliorum esto iudicium.Solummodo dico,in vno casu saltem id esse licitum, quando aliquod timeretur scandalum siue periculum,propter inquietudinem monialium, si forsan resisterent aut nollent obedire: quod etiam facere licebit ad faciendam electionem,quando idem timetur periculum,propter suspicionem subornationis suffragiorum,inter easdem subortam,seu propter aliam similem causam : nam in tali casu licitum erit monasterij clausturam introire,ad dictam electionem faciendam, & recte ac rite celebrandam,ibique ipsarum monialium vota audire, siue recipere. Qua de re videatur Nauarro *in capit. statuimus,num.*59.& in Manuali,cap.27. num.124. & Emmanuel Rodericus in suis Quæstion.Regular. tomo primo,quæst.46.art.5.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm Minores Fratres,rogati à Prælatis,Episcopis seu alijs Regularibus,Monialium curam habentibus, intrare possint cum ipsis earumdem clausuram?

Conclusio.

Licitū est minoribus Fratribus,ingredi monialium monasteria, ad Prælatorū seu Episcoporū instantiā, quādo ipsi eadem monasteria intrant.

LIcitum est minoribus Fratribus, monasteria ingredi monialium,dum vocantur siue rogantur,ab Ecclesiarum Prælatis,Episcopis seu alijs superioribus religiosis vel visitatoribus, habentibus curam aliquorum monasteriorum monialium. Probatur hæc conclusio,quia hac de re, habetur expressa concessio Leonis X. in Supplemento,folio 61.concessio.194.& refertur in Compendio verbo,*ingredi monasteria monialium*,§.32. vbi sequentia verba habentur. *Leo X.concessit,quod Fratres Minores,vocati rogati atque inuitati, à Superioribus Ecclesiarum,aut à Prælatis religiosis vel visitatoribus,habentibus curam aliquorum monasteriorum monialium, ad*

hoc

hoc vt viſitent prædicta mõaſteria, vel exerceant omnia alia, quæ in monaſterijs ſibi ſubiectis exercent, aut ad hoc vt intrent cum ipſis Prælatis ſiue Viſitatoribus, ad videndum officinas, & totum monaſterium interius, poſſint ſicut poſſunt in monaſterijs ſibi ſubiectis, ſiue intra vel extra clauſuram, viſitando & alia faciendo, vel cum ipſis Prælatis intrando, non obſtante prohibitione ſuæ regulæ, vel declaratione eiuſdem regulæ. Dum tamen prædicti Fratres, ſi fuerint ſubditi, hoc faciant de licentia ſuorum Prælatorum. Hoc idem prius conceſſerat Bonifacius Octauus, vt habetur in Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, folio 36. & ſecundæ, folio 33. conceſſione 36. & refertur in eodem Compendio verbo, vbi ſupra. §. 11. vbi dicitur, *quod prædictus Bonifacius Octauus conceſſit, quod Fratres Minores, inuitati a Prælatis Eccleſiaſticis, poſſint vna cum ipſis, in ſuis diœceſibus, Monaſteria & loca Monaſteriorum cuiuslibet ordinis, libere ingredi, ad Viſitationis officium impendẽdum, & ad defunctorum celebrandos exequias, & ad proceſſiones generales, & prædicationes faciendas, ac confeſſiones infirmarum audiendas.* Sed quia poſtea prædictus Leo, omnes huiuſmodi licentias reuocauit, vt habetur in Supplemento, folio 17. conceſſione 56. & refertur in dicto Compendio, verbo vbi ſupra. §.28. neceſſarium fuit, vt idipſum concederet, ac ſupradictam conceſſionem reualidaret, quod & ab ipſo factum legitur, vt conſtat ex ſupradictis. Neque credo, quod eiuſmodi Leonis conceſſio, fuerit reuocata, per generalem reuocationem, quam fecit Gregorius Decimustertius, in ſupradicta ſua Extrauaganti, quæ incipit. *Vbigratiæ & indulta*, de qua ſupra diximus, nam in ea vel non fit mentio de priuilegijs Regularibus, pro ſuis ordinibus conceſſis, ſed tantummodo de licentijs & facultatibus, conceſſis particularibus perſonis, ingrediendi Monialium Monaſteria, cum quantumcunque vrgentibus cauſis, in qua generali reuocatione, minime comprehenduntur Regularium priuilegia, vt tenet communis doctrina, & nos etiam latius dicemus, in quæſtione de priuilegijs. Vel ſecundo dico, quod non fit ſermo in dicto priuilegio, ſimpliciter de Monaſteriorum ingreſſu, ſed de ingreſſu cum ipſis Epiſcopis, alijſque Prælatis, in caſibus quibus id ibi facere licet, quod eſt longe aliud atque diuerſum. Vnde crediderim, non eſſe reuocatum, ſed adhuc in ſuo permanere vigore & eo licitum eſſe vti. Circa hanc concluſionem, nihil peculiare ſeſe offert aduertendum, præter hoc ſolum, quod ſubditi non vti poſſunt dicto priuilegio, niſi de licentia ſuorum Prælatorum, vt conſtat ex ipſius vltimis verbis. At Guardiani & Priores, & omnes Prælati locales ſiue Conuentuales, ipſorumque Præſidentes in eorum abſentia, cum ipſi proprie & vere ſint Prælati, ad intrandum cum dictis Epiſcopis, non indigent vlteriori ſuorum Superiorum licentia: nam ibi Pontifex (vt ex ipſius verbis conſtat) tantum loquitur de ſubditis, in prædicta exceptione, quando dicit, dummodo id faciant de ſuorum Prælatorum licentia, non vero de Prælatis.

ARTICVLVS XVII.

Vtrùm ſint aliqui alij caſus, in quibus de iure ordinario, licitus ſit aliquibus ingreſſus intra Monialium Monaſteria?

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod vt conſtat ex Monumentis Ordinũ, primæ impreſſionis, folio 48. & ſecundæ folio 131. conceſſione 295. & refertur in Compendio verbo, *ingredi Monaſterium Monialium* §.3. Gregorius IX. *conceſſit, vt Fratres Minores deputati obſequijs Monaſteriorũ Monialium Sanctæ Claræ, habeant liberam ingrediendi facultatem, pro exercendo Monaſteriorum ipſorum opere, vel illis conſeruandis ab incendio, ſeu à latronibus defendendis, aut Confeſſor ipſarum cum fratre Clerico, maturo moribus & ætate, pro audiendis Confeſſionibus earum, & Extrema vnctione, & alijs Sacramentis Eccleſiaſticis exhibendis eiſdem, infirmitate cogente, ac pro ſepeliendis corporibus decedentium Sororum, ſecundum formam, quæ in ipſarum Regula continetur.* Hæc conceſſio facta fuit, à prædicto Gregorio IX. pro Monialibus Sanctæ Claræ primæ Regulæ, quales fuerunt omnes ſuo tempore. Sed poſtea Vrbanus Quartus in alia ſecunda Regula, quam conſtituit pro eiſdem Monialibus, quæ habetur in prædictis Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, folio 288. & ſecundæ fol. 317. in §. ſiue cap. 7. 18. & 24. plures ponit caſus, in quibus licitus eſt ingreſſus in Monaſteria prædictarũ Monialium. De quibus agit Priuilegiorum Collector in Compendio, in ſupradicto verbo, poſt §. 34. vbi hac de re plura ponit notabilia, quod & ſimiliter facit Auctor libri, cui titulus, Clypeus ſacrarum Monialium, concluſ. 3. qui omnes, vt præmanibus clare atque diſtincte habeantur, ponentur in ſequenti concluſione.

Nota cõceſſionem Gregor. IX. promonialibus S. Claræ, primã Regulam profitentibus.

Concluſio.

ALiqui ſunt ſpeciales caſus, in quibus licitus eſt ingreſſus, intra Monaſteria Monialium Sãctæ Clarę, idque de iure ordinario, & abſque alia licentia ſpeciali. Hæc concluſio non aliter poteſt aut debet probari, quam adducendo & referendo caſus ſupradictos, & loca ex quibus adducuntur, quod fiet in ſubſequentibus.

Aliqui ſunt ſpeciales caſus, in quibus licitus eſt ingreſſus, in monaſteria monialium, de iure ordinario.

Primus caſus eſt, quo datur licentia ingrediendi illi, cui commiſſa fuerit adminiſtratio Sacramẽtorum, nempe Confeſſori ſiue Vicario, quando aliqua ſoror vel Monialis, tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quod ad loquutorium commode venire non poſſit, & neceſſitatem habuerit cõfitẽdi, vel Dominici corporis ſeu alia recipiẽdi Sacramenta, ita tamen quod exhibiturus huiuſmodi Sacramenta, *Alba & Stola & Manipulo, cum duobus idoneis & religioſis ſocijs, vel vno ad minus, Alba vel ſaltem ſuperpelliceo veſtitus ingrediatur, ac morentur induti, & audita Confeſſione, vel alio tradito Sacramento, ſicut ingreſſi fuerint, ſic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem.* Et additur ibidem. *Caueant etiam, vt quamdiu intra Monaſterium fuerint, nullatenus ab inuicem*

Primus caſus

Difficultas. Vtrum ſocius cui ingreditur cum Vicario Monaſterium, debeat eſſe clericus, an vero poſſit eſſe laicus?

Difficultas, an Vicarij monialium ſolũ poſſint ingredi earum clauſuram, ad confeſsiones audiendas in caſu extremæ neceſsitatis, an vero etiam in alijs?

uicem ſeparentur, quin ſemper mutuo poſsint ſe libere videre. Hæc ſupradictus Vrbanus in dicta Regula, capit.7.& refertur in Compendio verbo, vbi ſupra §.6. Circa quam primam cauſam, aduertit Priuilegiorum Collector, vbi ſupra primo notabili,& in primo caſu, quod ſocius debet eſſe clericus, & nõ laicus, vt pro Monialibus Sanctæ Claræ primæ regulæ, expreſſe ſtatuit ſupradictus Gregorius IX. in dicta ſua Bulla, de qua ſupra. Et quamuis in regula Vrbani, id non habeatur expreſſe, ſuperque ſatis ex eadem colligitur, poſtquam dicitur, vt ſocius intret ad minus alba indutus: nã eiuſmodi indumentũ, ſolummodo cõpetit clericis & in ſacris ordinibus cõſtitutis. Dicit ramẽ ſupradictus Collector, verum eſſe quod conſuetudo eſt in contrarium. Vtrum autem illa bona ſit & valida, aliorũ (inquit) ſit iudicium: nam ſibi non videtur nimis licita & tuta. Qua quidem ratione, in noſtris Conſtitutionibus Toletanis, capit.10. pro Monialibus præcipitur, vt idipſum obſeruetur. Sed nihilominus Pater Frater Ioannes de Bobadilla, in ſuo Enchiridione manuſcripto, hac de re agens, inquit, quod licet melius eſſet, vt conditiones ſupradictæ ſeruarentur ad vnguem, attamen quia in contrarium eſt conſuetudo, cum ſit ſcita & tolerata, proculdubio à peccato excuſat, quod & ſimiliter tenet Emmanuel Rodericus, in ſuis Quæſt. Regular. tomo primo, quæſtio.47. artic.4. Vbi & mouet aliam difficultatem ſcitu dignam. An ſcilicet ſupradicta Vrbani conceſſio, tantummodo locũ habeat, in Monialium extrema neceſſitate, & in articulo mortis, an vero etiam in alijs neceſſitatibus, quæ occurrunt, vt quando Monialis aliqua infirma communicare voluerit. Cui & reſpõdens dicit, non eſſe intelligendam ſolummodo, de caſu extremæ neceſſitatis, vel de articulo mortis, ſed generaliter & vniuerſaliter, quando Monialis aliqua graui infirmitate laborat, & etiam in cæſibus, quibus eadem ſic exiſtens infirma, aliæ Moniales communicant, ſeu communicare conſueuerunt, ex præcepto ſuæ regulæ. Tunc enim (inquit) licitum eſt Vicario ſiue Confeſſori, prædictarum Monialium clauſuram introire, ad communicandas infirmas, quæ commode ad communem cratem venire non poſſunt. Quæ quidem ſententia & opinio, mihi quammaxime placet, ac videtur multum eſſe rationi conſona, propter rationes ibidem ab eo adductas, quin vero meo quidẽ videri, ſatis ex ipſius regulæ contextu colligitur. Nam ſi fiat ſermo de prima regula, expreſſe in capit.3. eiuſdem habetur, vt pro communicandis Sororibus infirmis, Capellanis intus celebrare liceat, quamuis hoc iam habeatur immutatum. In capit.12. etiam dicitur, quod pro confeſſione infirmarum, quæ ad locutorium ire non poſſunt, ac pro communicandis eiſdem, & pro Extrema vnctione, & pro animæ ſuæ commendatione, Capellanis prædictis Monaſterij clauſtra liceat introire. Si vero fiat ſermo de ſecunda Regula, ex verbis ſupra adductis, quæ deſumpta ſunt ex cap.7. idipſum ſatis colligitur, ibi, quando aliqua ſoror, vel Monialis tanta fuerit infirmitate detẽta, quod ad locutorium commode venire non poteſt. Et in cap.10. habetur, quod hoc ab omnibus firmiter obſeruetur, vt quando de Confeſsione Sacerdoti interius infirma fuerit aliqua loquutura, ad minus non loquatur, niſi cum duabus non longe ſedentibus, quæ confitentem & confeſſorem videre poſsint, ab eiſdem pariter & videri. Ex quibus verbis ſatis colligitur, ſecundum vtramque regulam, ad licitum ingreſſum Vicarij ſiue Confeſſoris, in Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ, ſolummodo requiri, quod monialis ſit infirma, & tali infirmitate detenta, quod ad locutorium ſiue ad cratem commode non poſsit venire. Etenim ſi de moniali in extrema neceſsitate, vel in articulo mortis conſtituta, Regula tam prima quam ſecunda, ſolummodo loqueretur, ſuperflua nimiſque ſuperabundans eſſet ſupradicta cuſtodia, & cautela, dum dicitur, vt non ſola cum Vicario ſiue Confeſſore, infirma etiam de confeſsione loquatur. Eſt etiam ſupradicta reſolutio, iuri communi nimis conformis, & ei, quod habetur *in cap. cum infirmitas, de pœnitent. & remiſſ.* vbi diſtricte præcipitur corporum Medicis, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia admoneant, & inducant, vt animarum medicos aduocent, non expectantes, vt infirmus veniat ad mortis articulum, ſiue neceſsitatem extremam. Quod etiam quam ſtrictiſsime ac ſub multis pœnis, præcepit poſteà Pius V. in ſua Extrauaganti, ſiue Motu proprio, qui incipit, *Supergregem dominicum.* Vtque hoc fiat ratio ipſa ſuadet. Etenim ſi prædicto mortis articulo ceſſante, corporalis medicus vocatur, ipſique intra monialium clauſuram ingredi licet, cur non & idem licebit, confeſſori & medico ſpirituali? cur non & ſtatim cum monialis quædam infirma fuerit vocabitur, eidemque licebit, quod corporali medico licet? Supradictis omnibus accedit, conceſsio quædam quæ hac de re, & pro maiori conſcientiæ ſecuritate, facta eſt ab Alexandro Sexto, vt habetur in Monumentis Ordinis primę impreſsionis, folio 71. & ſecundæ folio 155. conceſsione 373. & refertur in Compendio verbo, *ingredi Monaſteria Monialium.* §.27. vbi dicitur, quod confeſſores prædicti, ingredi poſsint Monaſteria Monialium, quamuis ipſæ moniales non ſint conſtitutæ in extrema neceſsitate, aut mortis articulo, pro earum viſitatione, & ſacramentorum adminiſtratione. Quæ conceſsio meo quidem videri, non erat nimis neceſſaria, facta tamen fuit vt ibidem dicitur, ad petitionem monialium, & ad ſedandos ſcrupulos aliquarum timoratarum, & quia nõnulli (vt inquit Pſalmiſta,) illic trepidant timore, vbi multoties non eſt timor. Sed quidquid de hoc ſit, conceſsio prædicta vtiliſsima fuit, ad tollendam hac de re omnem ambiguitatem atque difficultatem.

Nota hoc vale.

Secundus caſus, in quo, iuxta Regulam Sanctæ Claræ, licitum eſt ingredi monaſteria monialium, eſt quando monialis aliqua, etiam iam moritura, vult exhalare ſpiritum, qui quidem caſus, habetur expreſſe poſitus, à prædicto Vrbano Quarto, vbi ſupra, immediate poſt prædicta verba, in illis verbis, *ſic quoque ſe habeant in animæ cõmendatione*, ſcilicet confeſſor & ſocius vel ſocij, vt in præcedenti caſu eſt dictum. Circa quem caſum, nihil vlterius ſeſe offert notandum.

Secundus caſus.

Tertius caſus eſt, cum Abbatiſſæ & Conuentui viſum fuerit, & petierint quod confeſſor ad exequias

Tertius caſus

quias celebrandas debeat introire, & tunc modo ſupradicto, *cum duobus ſocijs intrare debet indutus*, & dicitur, *quod ſepulta mortua, cum eis exeat ſine mora*. Et additur. *Quod ſi Abbatiſſa & Conuentus, huiuſmodi ingreſſum non petierint, quod non ingrediatur clauſtrum Sacerdos, ſed exterius in capella, quod ad officium pertinet exequatur*. Hæc ſupradictus Vrbanus, vbi ſupra. Circa quem caſum, dicit Priuilegiorum Collector, loco citato in primo notabili: & tertio caſu, quod notent Fratres & aduertãt, quod ingrediendo aliter, aut in maiori numero, non euadent excommunicationem Papalem, vna cum tranſgreſsione ſuæ regulę, ſi ſint Fratres Minores. Et addit, quod non ſufficit pro excuſatione, conſuetudo contraria, quæ in aliquibus partibus forte viget, quia eſt abuſus, cum careat conditionibus requiſitis, ad hoc vt conſuetudo vim legis habeat, & deroget legi iuſtę & rationabili, & pro maiori parte obſeruatę, præſertim à religioſis probis & doctis, ſuæq; regulæ obſeruatoribus. Idẽ dicit author Clypei ſacrarũ monialium loco ſupra citato. Sed nihilominus eo nõ obſtante, ſecundũ multos prænalet conſuetudo, qua abhinc multis retro annis, vſu receptũ eſt, vt ſi Abbatiſſæ & Conuentui viſum fuerit, in die funeris, quod plures Fratres ſunt neceſſarij, propter imbecillitatem Sororum quia nempe ipſæ non ſunt aptæ ad deferendam defunctam, neque ad extrahendam & collocandam eam in ſepultura, peque forte in id habent animum, plures introgrediantur, per quos huic neceſſitati prouideri poſſit. Ratioque ipſa id ſuadet: nam cauſa concedendi, vt cum Vicario intrent duo ſocij, quę eſt imbecillitas monialium, etiam currit vt intrent plures, quotquot iudicio Abbatiſſæ & Conuentus, niſi fuerint præciſe neceſſarij. Cui etiam reſolutioni fauet, prima regula Sanctæ Claræ, cap. vltim. iuxta quam vt videre eſt, non limitantur perſonæ, quæ in hoc caſu ingreſſuræ ſunt, quin vero id remittitur iudicio & prouidentiæ Abbatiſſæ. Fauet & huic reſolutioni, decretum ſuperius poſitum Concilij Tridentini, ſeſſione 25. de reformat. cap. 5. vbi fit facultas Superioribus atque Prælatis, vt poſſint præſtare licentiam, ad ingrediẽdum monaſteria monialium, in caſibus neceſſarijs. Quę quidẽ licentia, quãuis ex litteræ contextu, eſſe deberet Epiſcopi, vel Superioris iuriſdictionem habentis Epiſcopalem (quales ſunt Prouinciales) in ipſorum tamen abſentia, dicendum videtur, quod idipſum etiam facere poterunt Guardiani, Conuentuumque Præſidentes, qui in eo caſu eſſe apparent, quaſi quidã præſumpti Cõmiſſarij Prouinciales. Supradicta omnia etiã confirmãtur, ex quodam viuæ vocis oraculo, facto per Paulum III. authenticatum autem, per D. D. Franciſcum de Quiñones S. R. E. Presbyterum Cardinal. Sanctæ Crucis in Hieruſalem, anno Domini 1536. 20. die menſis Martij, *quo tunc erat, vt ſex Fratres ingredi & intrare poſſint monialium monaſteria, ad eas ſepeliendum, abſque alicuius conſenſu, vel mandato*. Et aduerto, quod etiam intrare poſſunt prædicti Fratres ad ſepeliẽdam quamlibet ſecularem perſonam, ſi ibidem moriatur, & ſepelienda ſit intra monialium clauſuram, cuius & rationem reddit appoſitiſſimã, Pater Ioan. à Bobadilla, in ſuo manuali manuſcripto. Quia Vrbanus Quartus, nõ ſolum dixit, quod poſſunt ingredi prædicti Fratres, ad ſepeliendas moniales, verum etiam abſolute, quod ingredi poſſunt ad exequias, ſeu pro exequijs agendis, vt patere poteſt intuenti. Præterquam quod ratio imbecillitatis monialium, non potentium deferre defunctam, ſeu alia ad id neceſſaria facere, etiam militat in hoc caſu atque in alijs. Vnde vſu & cõſuetudine comprobatum eſt, Vicarium monialiũ, cum ſocijs neceſſarijs, ingredi etiam poſſe in hoc caſu, & de hoc nulli dubium.

Nota valde. Quot Fratres ingredi poſſint monialiũ monaſteria, ad faciendas exequias.

Nota hoc valde, ex prima Regula Sanctæ Claræ.

Nota hanc cõceſſionẽ Pauli III. pro Fratribus ingrediẽtibus, ad faciendas exequias monialium.

Quartus caſus eſt, ſi neceſſe fuerit, vt ingrediantur aliqui ad aperiendam ſepulturam, ſeu poſtmodum coaptandam, & Abbatiſſæ & Conuentui viſum fuerit hoc expediẽs, propter imbecillitatem Sororum, quo caſu dicit ſupradictus Vrbanus, vbi ſupra, *quod licitum ſit Sacerdoti, vel alicui alij ad hoc ido neo, cum vno ſocio vel duobus intrare, & eo peracto etiam ſine mora exire*. Supradicti quatuor caſus, habentur in capit. 7. ſecundæ regulæ Sanctæ Claræ, & circa hunc vltimum, nihil de nouo occurrit notandum præter ea quæ ſuperius ſunt dicta. Solum aduertit Collector Priuilegiorum ſupradictus, quod ſi plures Fratres intrant, quam ſuperius ſunt expreſſi, vltra peccatum mortale quod committunt, Papalem etiam excommunicationem incurrũt, promulgatam per Eugenium Quartum, de quo ſupra, cuius etiam mentio habetur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialium*. §. 15. Sed de hoc caſu, & ſimilibus, iam nos diximus ſupra art. 15. concluſio. 2 qualiter prædicta omnia ſint intelligenda.

Quartus caſus.

Quintus caſus eſt, quod medicus cauſa multũ grauis infirmitatis, & minutor cum neceſſitas exegerit, poſſint ingredi, qui non abſque duobus ſocijs de familia monaſterij introducantur, nec ab inuicem intra monaſterium ſeparentur. Hæc ſupradictus Vrbanus, in capit. 18. ſecundæ Regulæ S. Claræ. Circa quem caſum aduertit Collector, vbi ſupra in primo notabili & quinto caſu, quod nunc iam habetur conceſſio facta per Sixtũ Quartum, vt loco duorum familiarium prædictorũ, ſufficiat quod medicus aut minutor, duabus vel tribus monialibus antiquis aſſocietur, vt habetur in Monumentis Ordinis primæ impreſſionis, fol. 63, & ſecundæ folio. 67. conceſſion. 121. & refertur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialium*. §. 24. Cuius etiam conceſſionis fit mentio, in Supplemento, folio 96. conceſſio. 330. Aduertit tamen ſupradictus Collector, circa prędictum caſum, quod cum Papa dicat, quod Medicus poſſit ingredi cauſa multum grauis infirmitatis, quod pro leuibus infirmitatibus, vt pro quartana vel alijs malis diſpoſitionibus, ſeu cauſa viſitationis alicuius infirmæ, nec Medicus nec Confeſſor poſſunt ingredi. Et addit, quod quando Medicus cauſa multũ grauis infirmitatis ingreditur, nõ poteſt ingredi cum illo famulus eius, aut vlla alia perſona, niſi prout in Regula & conceſſione Sixti continetur. Dicitque amplius, quod ad hoc vt minutor poſſit ingredi, oportet vt prius per Medicum determinetur id expedire, aut neceſſariũ fore, & ꝙ ſi aliqua monialis haberet in conſuetudine ſe minuendi aliquoties, fieri debet præuio cõſenſu Abbatiſſæ, & cum conſilio diſcretarum Conuentus. Hæc prædictus Collector. Sed in his aliquantulum procedit ſeruulose: ſeruetur quod habetur in cõſuetudine, &

Quintus caſus.

Nota hoc valde.

quod

quod circa eiuſmodi ingreſſum, monialium noſtrarum generales ordinationes diſponunt. Circa eundem caſum adnotare libuit, quod ad hoc vt medicus ſupradictus, intrare poſſit monialium monaſteria, non neceſſario requiritur, quod ſit Doctor aut graduatus. Nam medicus non à dignitate dicitur, ſed à medendo, vt tradit Bartol. *in l. ſciendum ff. de ædil. edict.* quem ſequitur Syluеſter *verbo Medicus, numero primo*, vnde, ſi quis reperiatur interdum in ea arte peritus, etiamſi non ſit Doctor vel graduatus ingredi poterit.

Sextus caſus

Sextus caſus eſt occaſione incendij vel ruinæ, aut alterius periculi ſeu diſpendij, vel pro tuendis à violentia quorumlibet, monaſteria vel perſonas monialium. Circa quem caſum, aduertit Priuilegiorum Collector vbi ſupra, quod cum Regula non declararet ſeu ſpecificet, quantum aut quale debeat eſſe periculum ſiue diſpendium, ratione cuius liceat ingredi clauſuram, determinari debet arbitrio Abbatiſſæ & Diſcretarum Conuentus, & vt magis innoteſcat eiuſmodi caſus, aliquibus ipſum illuſtrat exemplis. Primum eſſe dicit, quando aliquis malefactor fugit ad monaſteria monialium, moniales vero propter ſuam honeſtatem, volunt ipſum eijcere foras, ſed non ſufficiunt earum vires, tunc (inquit) poterunt intromittere tot ſeculares, quot ſufficiant vel opus ſint, ad illius expulſionem, qui licite ac impune poterunt ingredi. Secundum exemplum ponit, vt ſi forte quædam vidua, religionem intrat Monialium, & poſt ingreſſum inuenitur quod remãſit prægnans de viro ſuo, & poſtea venit tempus partus, eiuſmodi poterit parere, intra clauſuram Monaſterij, ſicut & curari poſſet ab alia infirmitate, & per conſequens in eo caſu, poterit ingredi obſtetrix, ad illi ſubueniẽdum, prout ingreditur Medicus. Item & aliud ponit exemplum, ſi forte tam grandis contentio & diſcordia foret intra aliquas ex Monialibus, quod aliæ Moniales non poſſent ipſas pacificare, timereturque mors aut aliquod magnum damnum, vel ſi forte aliqua inuaderetur, ſeu vexaretur à ſpiritibus malignis, & aliæ Moniales nõ poſſent eam recolligere, nec impedire à nocumentis inferendis, poſſent tunc ingredi illi, qui neceſſarij fuerint ad apponendum remedium in ijs & ſimilibus. Quantum vero ad alium caſum, ſcilicet tueri eas ab aliqua violentia (inquit prædictus Collector) quod poteſt ſic exemplificari, vt ſi accideret quod aliqua deſponſata, ante conſummationem matrimonij religionem ingrederetur, & ſponſus ante profeſſionem, attentaret per vim illam extrahere, & Moniales non poſſent illi reſiſtere, tum licite poſſent ingredi omnes, qui ad reſiſtendum huiuſmodi violentiæ eſſent neceſſarij. Non tamen, inquit, id liceret, ad obuiandum reformationi ſeu correctioni ipſarum Monialium, in caſu quo fieret. Quoad incendium autem, necnõ & quoad alia in præfato caſu cõtenta, aduertit ſupradictus Collector, quod huiuſmodi conceſſio, non extenditur ad Minores Fratres, quia eſt generalis, & ipſi iuxta ſuam regulam, vt ſupradictum eſt, indigent conceſſione ſpeciali, quæ quidem facta eſt per Gregorium Nonum, ſolummodo reſpectu Fratrum, obſequijs dictarum Monialium deputatorum, vt habetur in conceſſione, de qua ſupradiximus in principio huius articuli, & refertur in Compendio, *verbo, ingredi Monaſteria Monialiũ* §. 3. quapropter (inquit) reliqui Fratres Minores, eiuſmodi ſeruitio non deputati, non poſſunt in prædicto caſu ingredi Monialium clauſuram, niſi forte extrema neceſſitate inſtante, vtpote, quia non eſſet ſufficiens copia aliarum perſonarum, quæ in tali caſu poſſent & vellent ſuccurrere. Idẽ tenet Corduba, in annotat. ad Compendium, *verbo eodem in primo notabili.*

Nota exẽpla & caſus, qui hic ponuntur à priuilegiorum collectore.

Septimus caſus.

Septimus caſus eſt, cum pro aliquo opere exercendo, quod commode extrà monaſterium fieri non poteſt, neceſſitas exegerit introire, hoc eſt, cum neceſſe eſt facere aliquod opus interius, & ad faciendum illud non ſufficiunt Moniales, nec poteſt fieri exterius. Iſte caſus etiam ponitur à prædicto Vrbano Quarto in ſua regula, capit. 18. vbi addit. *Quod prædicti omnes, expleto prædicto ſuo miniſterio, vel imminenti neceſſitate per ipſos ſatisfacta, exeant ſine mora, & quod nulli perſonæ extraneæ, intra Monaſterij clauſuram liceat comedere vel dormire.* Circa quem caſum dicit Priuilegiorum Collector, vbi ſupra in ſeptimo caſu, hoc habere locum, quando aliqua res nimium ponderoſa, defertur ad Monaſterium, nec poſſet introduci à Monialibus, dando illam à foris, nec etiam poſſet diuidi in partes, vt ſic partita intromitteretur, tũc enim, inquit, quod ad hoc intrare poterit qui fuerit neceſſarius. Et addit, quod quia Regula non dicit, quod ingredienti pro opere exercendo adiungatur ſocius, ingredi debet ſolus, niſi ſocius ad idem opus eſſet etiam neceſſarius. Addit vlterius, quod in tali caſu, quemadmodum ſecularis poteſt ingredi, pro opere aliquo exercendo, ſimiliter & Fratres deputati ad ſeruitium Monialium, ingredi poſſunt ad dandum ordinem, & induſtriam in opere faciẽdo. Et ſi ijdem Fratres ſeruitio Monialium deputati, fuerint artifices idonei, poterunt ingredi ad laborandum in tali opere, etiamſi inuenirentur artifices ſeculares. Fratres tamen non deputati ad ſeruitium Monialium, quamuis ſint artifices, non (inquit) poterunt ingredi, quia pro ipſis non habetur licentia ſpecialis, prout requiritur. Et quando artifex fuerit ſecularis, debet ingredi abſque ſocio (vt ſupradictum eſt) quia Regula illud non concedit, ita quod neque Confeſſor ſeu Vicarius, neque aliquis ſociorum eius, poterit ingredi cum eiuſmodi ſeculari, niſi opus eſſet (vt dictum eſt) ad dandum ordinem, & induſtriam in opere faciendo. Tandem concludendo dicit, quod licet de rigore litteræ, Regulæ prædictarum Monialium, videatur quod Frater Minor, ſi fuerit artifex illius operis, poſſit ingredi ſicut ſecularis, de decentia tamen, non hoc videtur conforme intẽtioni eiuſdem litteræ, nec per conſequens fieri debet, quia cum de mente conſtat, verborum qualitas non debet attendi, vt vulgatum eſt in iure. Videatur etiam hac de re Corduba, in annotationibus ad Compendium, *verbo, ingredi monaſteria monialium.* §. 34. in explicatione ſeptimi caſus. Alij caſus ponuntur à Collectore Priuilegiorum, & in ſacrarum monialium Clypeo vbi ſupra, ſed quia de iſtis ſuperius facti ſunt particulares articuli, & inferius alij ſunt proponendi, conſulto omittuntur.

Nota omnia iſta, in quibus ingredi licet clauſurã monialium.

Nota hoc vel de.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrùm Vicarij Monialium, intrare poſſint ipſarum clauſuram, ad celebrandum in infirmaria, ad hoc vt Monialis aliqua infirma Euchariſtiã accipiat, quamuis non ſit per modum viatici?

Nota hoc priuilegium Leonis X. pro ingreſſu in clauſuram Monialium, ad celebrandum in infirmaria.

PRO huius articuli intelligentia præmitto, quod Leo X. olim, vt habetur in Supplemento, fol. 93. conceſſione 290. & refertur in Compendio, *verbo, ingredi Monaſteria Monialium*, §. 34. conceſſit, *quod quando Moniales Sanctæ Claræ graviter infirmantur, taliter quod nõ poſſunt ad cratem venire ad audiendum Miſſam, poſſit illo tempore Sacerdos earum Confeſſor, vel Prælatus Superior, introire clauſuram, infirmariam & Monaſterium ad celebrandum, nẽ tales Moniales remaneant ſine Miſſa. Dummodo Sacerdos ad nulla alia loca, quam ad altare diuertat, nec moretur niſi tanto tempore, quanto indiget ad celebrãdum, nec loquatur niſi quantum opus eſt in Miſſa.* Quod quidem priuilegium magnum eſt, pluriſque æſtimandum, pro conſolatione Monialium infirmarum, ſi modo eo vti liceat. Solummodo ſupereſt nunc, inquirere & inueſtigare, an eiuſmodi priuilegium, per Concilium Tridentinum, ſeſſione 25. de reformatione, capit. quinto, ſeu per aliquem Summum Pontificem fuerit reuocatum, ita vt eodem iam non vti liceat? Circa quod, tantummodo inuenio in noſtris Conſtitutionibus Toletanis, factis pro Monialibus, capit. 10. quoddam ſtatutum, quo cauetur, *vt ipſarum Confeſſores in earum clauſuram intrare non præſumant, niſi Sacramentorum adminiſtrationis cauſa, vel ad faciendam animæ commendationem, quando Monialis aliqua iam vult exhalare ſpiritum, ſeu in extremis agit, & ad faciendas exequias.* Et additur expreſſe ibidem: *declaratur quod intrare nõ poteſt confeſſor, ad celebrandum in choro, nẽc in Eccleſia interiori.* Ferturque eſſe aliquorum grauiſſimorum Patrum opinio, priuilegium prædictum Leonis X. fuiſſe poſtea reuocatum, quodam viuæ vocis oraculo, per quemdã Summum Pontificem: ſed de hac reuocatione nõ conſtat, & nullibi reperitur authentica. Quin vero, non deſunt aliqui etiam grauiſſimi & ſapientiſſimi Patres, qui in contraria ſint ſententia & opinione, dicantque ipſum permanere adhuc in ſua vi & proprio vigore, & nec per Concilium Tridentinum, nec per aliquem Summum Pontificem vnquam fuiſſe reuocatum. Quæ quidem ſententia, ſi tamvera eſſet, quam pia, magnam certe ingereret conſolationẽ infirmis Monialibus. Sed quic quid de hoc ſit ad huius difficultatis reſolutionẽ, nõ modicũ ſpectat ſcire, an eiuſmodi caſus dicendi Miſſam pro infirmis Monialibus, ſit cenſendus ex neceſſarijs, de quibus loquitur Concilium Tridẽtinũ loco vbi ſupra, ita vt ad idipſum faciendum, iuxta ipſum licẽtia poſſit præſtari, ab Epiſcopis & Superioribus atque Prælatis. Et an ſupradicto priuilegio, ſit licitum vti in eo caſu. Qua quidem de re, ferre non auderem ſententiam, multoque magis aliorum conſiliũ expectare velẽ, ſed ex officij mei munere, cũ aliquid compellar dicere, neque oporteat difficultatem prædictã ſilentio aut diſſimulatione præterire, vt propoſito articulo ſatisfaciam, ſub aliorum correctione & cenſura, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Difficultas, An vti liceat priuilegio prædicto.

Nota hoc valde.

Prima Concluſio.

EX ſola occaſione ſacri faciendi, ſiue Miſſam in infirmaria pro Monialium conſolatione dicendi, haudquaquam crediderim eſſe licitum, earumdem clauſuram ingredi, poſt Conc. Trid. neque ad id ſupradicto Leonis priuilegio vti. Ad ſtatuẽdam prædictam concluſionem mouetur, propter verba eiuſdem Concil. loco ſupra citato, vbi ſtricte præcipitur, *vt nullus dictarum monialium monaſteria ingrediatur, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, & cauetur vt nullo modo præſtetur, niſi in caſibus neceſſarijs, etiam vigore cuiuſcumque facultatis & indulti, hactenus conceſſi vel in poſterum cõcedendi.* Per quæ vltima dicta verba, reuocari videntur omnia priuilegia antea conceſſa, præterquam in prędictis caſibus neceſſarijs. Quod adhuc ſtrictius præcepit Gregor. XIII. in ſua Extrauaganti, quæ incipit, *vbi gratia & indulta*, vbi prohibet eiuſmodi licentiam præſtari, *niſi pro neceſſitatibus vrgentibus.* Quod autem caſus, de quo in præſentiarum eſt ſermo, nempe rem ſacram facere, ſiue Miſſam dicere, pro infirmarum Monialiũ conſolatione, extra caſum ſiue caſus neceſſitatis, de quibus infra, nõ ſit huiuſmodi perſpicuum eſt, factieque poteſt conſtare cuilibet, vel mediocri ingenio pollenti. Licet enim id quammaximo foret prædictarum Monialium ſolatio, quod tamen quotidie, vel etiam omnibus diebus feſtiuis fiat, non adeo vrget, vt propterea in prædicto Concil. Trident. decreto debeat diſpenſari. Vt enim omnibus conſtat eiuſmodi Moniales, nõ ad præceptum audiendi Miſſam obligantur, cum graui aliqua infirmitate detinentur, ita vt ad chorum ſiue ad crates commode venire non poſſint, ſicut neque obligantur ad id aliæ ſeculares infirmæ. Quapropter exiſtimo, ſupradictum Leonis X. priuilegiũ quoad hoc, eſſe reuocatum per Concil. Trident. & Extrauagantem Gregorij XIII. de qua ſupra.

Ex ſola occaſione ſacri faciendi, aut Miſſam dicendi pro cõſolatione infirmarũ Monialiũ, nõ eſt licitum earum intrare Monaſteria.

Secunda Concluſio.

IN illis feſtiuitatibus, in quibus Moniales iuxta propriam cuiuſque regulam, communicare tenentur, probabiliſſimum crediderim, quod earum Vicarij ingredi poſſunt clauſuram, ad celebrandum in infirmaria, & communicandas infirmas, id que abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo. Hæc concluſio duas habet partes, in prima habetur, quod poſſunt clauſuram introire, in ſecunda vero, quod celebrare poſſunt in infirmaria. Et quidem quantum ad primam partem, ſatis manet probata, ex his quæ diximus ſupra in præcedenti articulo, in primo caſu, vbi diximus quod Monialium Confeſſores, licite poſſunt Monaſterij clauſuram introire, cum monialis aliqua infirmitate detenta, neceſſe habuerit confiteri, vel Dominici corporis ſeu alia ſacramẽta recipere, neq; id ſolũ in caſu extremæ neceſſitatis, aut in articulo mortis, verumetiã in alijs neceſſitatibus quæ occurrũt, & in caſibus quibus aliæ Moniales communicare tenẽtur, aut conſueuerunt ex præcepto ſuæ Regulæ. Id quod expreſſe,

In illis feſtiuitatibus, quibus Moniales ex Regula tenentur conſiteri, & communicare probabile eſt, poſſunt earũ Vicarij intrare clauſuram ibidemque celebrare.

expreſſe, ex vtraque Regula Sanctæ Clarę colligitur, vt ibidem fuit dictum. Sed quoad ſecundam partem, nempe quod in eo caſu & ad eundem finem, celebrare poſſint in infirmaria, probatur meo quidem videri euidentiſſime, & primo quia nullibi reperitur idipſum prohibitum, vt ſcilicet, non celebretur, aut ſacrum fiat in infirmaria, in Oratorio ſiue altari, vt moris eſt approbato, & ad hoc debite diſpoſito & præparato. Secundo, quia ad hoc propoſitum, quammaxime prodeſſe poteſt ſupradictum Leonis X. priuilegium, quod quantum ad hoc, non videtur per Concilium Tridentinum, aut per prædictum Gregorium Decimumtertium reuocatum, cum ob id nullo modo præiudicetur, aut contraueniatur Monialium clauſuræ, ſi quidem iam earumdem Vicarij, in eiuſmodi caſu vt ſupponitur intrare habebant, & multo decentius atque commodius eſſe videtur, vt in dicta infirmaria celebrent Miſſam ad communicandas infirmas, quamvt poſtquam exterius celebrauerint, in aliquo loco vt moris eſt, minori cum decentia & reuerentia, Sacramentum reponatur, multiſque habitis diſcurſibus, vt videtur inutilibus, clauſuram ſacerdos ipſe poſtea ingrediatur, Sacramentumque ex loco prædicto deſumat, vt eaſdem infirmas communicet. Quibus omnibus accedit, cõſolatio quammaxima, & ſpirituale gaudium, quod ex eo Moniales infirmæ recipiunt, dum ſacrum audiũt & Miſſam vident, ac tanto & tã tremendo & venerando ſacrificio aſſiſtunt, quod quidem eiſdem ſine ratione & cauſa velle denegare, durum certè videtur & inhumanum, vt ne dicã crudeliſſimum. Sunt enim, vt fertur in multis Monialium Monaſterijs, multæ grauiſſimæ & venerabiles matronæ, virgines Deo charæ & ſacræ, annoſæ & ſenes, aliquibus grauiſſimis infirmitatibus detentę, quæ propter ſtrictam & rigoroſam nimium, Conſtitutionis Toletanæ ſupradictæ obſeruantiam, vt certa relatione audiui, per viginti annorum ſpatium, Miſſam haud quaquam audierunt, ob hoc ſolummodo, vt non celebretur in infirmaria. Quænam quæſo, in eo eſt rei vtilitas, quodnam myſterium: cum vt dixi, nullo id iure habeatur prohibitum, quin vero expreſſe conceſſum, per ſupradictum Leonis priuilegium, & ipſe Vicarius, vt ſupponitur, iam intrare habeat clauſuram ad communicandas infirmas? Tandem ſupradictam noſtram concluſionem, confirmat communis vſus & conſuetudo, quæ hac de re habetur in Religionibus cunctis, quarum multos grauiſſimos atque doctiſſimos Patres, in hunc finem conſului, & omnes dempto nemine, idipſum ibidem fieri dixerunt; & ex noſtris tenent hanc ſententiam & opinionem, in primis doctiſſimus Pater Frater Ioannes à Bobadilla, in ſuo ſupra memorato Enchiridione, ſiue Manuali manuſcripto, agendo de ingreſſu in clauſuram Monialium, & eandem tenet ad litteram Emmanuel Rodericus in ſuis Quæſtion. Regular. tomo primo, quæſtione 47. articulo quarto, in primo caſu & ſecundo dubio. Conſtitutioni autem Toletanę, facile poteſt reſponderi dicendo, quod ibidem non prohibetur abſolute celebrari in infirmaria, dum neceſſitas occurrit, ſed ſolummodo ingreſſus ad celebrandum in choro, ſiue in Eccleſia interiori abſque neceſſitate prædicta. Vnde cõcludendo dico, probabiliſſimam eſſe concluſionẽ poſitam, ſequique poſſe abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo, non obſtante opinione in contrarium, aliquorum Patrum aliter ſententium. Nec ſat eſt quod ab eiſdem dicitur, prædictum Leonis priuilegium eſſe reuocatum: nam vt dixi, de eiuſmodi reuocatione non conſtat, & in re tanti momenti, haberi deberet de eo notitia indubitata & expreſſa, quia non de facili admittenda eſt legum ſiue priuilegiorum correctio, ſiue abrogatio. Cum igitur de priuilegio conſter, de abrogatione ſiue reuocatione vero minime, ſub cenſura alterius melius ſentientis, dicendum proculdubio videtur, quod in feſtiuitatibus ſupradictis, & ad prædictum effectum, ex ſuppoſitione quod habeant intrare clauſuram, licitum erit Monialium Vicarijs, in infirmaria celebrare.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm Vicarij ſiue Confeſſores Monialium, intrare poſſint earum clauſuram, pro renouatione Sacramenti Euchariſtiæ, exiſtentis in choro interiori?

PRo huius articuli intelligentia, antequam eidem ſatisfaciam, conciliare libet duo loca, quæ alias prima facie videbantur contraria. Horum eſt primũ, priuilegium quoddam Clementis VII. quod habetur in Monumentis Ordinis, & refertur in Compendio, *verbo, Euchariſtia, §. 2.* quo conceſſit, *vt moniales ſiue religioſæ, ſub obedientia Miniſtri Generalis Fratrum Minorum exiſtentes, poſſint in Eccleſia interiori in loco decenti, habere Euchariſtiam, ſicut illam habent in exteriori.* Cui quidem priuilegio, eſſe aliquatenus videtur derogatum, per decretum Concilij Tridentini, *ſeſſione 25. de reformatione capit. 10.* vbi agendo de Monialibus, ſequentia habentur verba. *Quod vero ſanctiſſimum Chriſti corpus, intra chorum vel ſepta Monaſterij, & non in publica Eccleſia conſeruetur, prohibet ſancta Synodus, non obſtante quocumque indulto & priuilegio.* Pro quorum locorum concordia, & conciliatione, adnotare oportet, quod duobus modis moniales ſupradictæ, vti conſueuerunt prædicto Clementis VII. priuilegio. In quibuſdam enim earum Monaſterijs, ſanctiſſimum Chriſti corpus, Euchariſtiæque Sacramentum, duobus in locis habebatur, & conſeruabatur, nempe in Eccleſia interiori, hoc eſt choro, & etiam in Eccleſia publica & exteriori, vbi conueniunt ſeculares. In alijs vero Conuentibus non ita fiebat, ſed tantummodo reſeruabatur intra Monialium chorum, non vero in Eccleſia publica & exteriori. Hoc prę̃miſſo, atque præſuppoſito, dicunt grauiſſimi Doctores, quod iſte vltimus Euchariſtiæ ſacramentum conſeruãdi modus, indecens viſus eſt Patribus Concil. Trid. propter aliquas rationes & cauſas ſibi notas, & quia homines cum in Eccleſiam ingrediebantur, exiſtimantes loco ſolito eſſe Sacramentũ, reuerẽtiam faciebant eidem, ac debitã adorationẽ, ſanctiſſimo Chriſti Domini corpori, interdumque de

Nõea priuilegium Clementis VII. pro Monialibus, ad habendum ſacramentum in interiori choro.

Nota cõcilij decretũ, quo prohiberi videtur, Sacramentum haberi in interiori choro.

Statuitur cõciliatio ſupra dictorum locorum.

cipiebantur. Ac propterea (inquiunt) id fieri deinceps, districte prohibuit sacrosanctum Cõcilium Tridentinum, & quod Eucharistiæ Sacramentum, sanctissimumque Christi Domini corpus, tantummodo intra chorum Monialium conseruaretur, non vero in Ecclesia publica & exteriori, non obstante quocumque indulto & priuilegio. At dicit prædictorum sententia & opinio, idque fere communiter obseruatur, in nostris Hispaniæ partibus, quod non prohibuit aut vetauit Concilium, quod idem sanctissimum Christi Domini corpus, vtrobique conseruaretur, nempe in choro interiori, pro maiori Monialium consolatione, & in publica Ecclesia publicoque altari, ad augendam & conseruandam Christi fidelium deuotionem, faciendamque debitam reuerentiam eidem, quin vero hoc illi visum fuit decens, & quam maxime pium. Et quod hoc ita sit, colligi dicunt ex eiusdem verbis, dum dicitur, *quod sanctissimum Christi corpus, intra chorum vel septa Monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet sancta Synodus, &c.* Vbi ponderande esse dicunt illa verba, *extra chorum, vel septa Monasterij, & non in publica Ecclesia*, quasi innuat Concilium, quod vtrobique haberi & conseruari, non prohibetur. Sed quidquid de hoc sit, hoc præmisso notabili, insurgit modo difficultas, an Vicarij, siue Confessores Monialium, intrare possint earum clausuram, pro renouatione sacramenti Eucharistiæ, existentis in choro interiori? Et quidem prima facie videtur quod sic, ex suppositione quod id fiat virtute supradictæ concessionis Clementis VII. vt enim dicitur, qui dat formam dat consequentia ad formam: ex quo apparet quod concessione facta, & in praxi posito, quod Eucharistiæ sacramentum habeatur in interiori choro, consequenter proinde ingressus intra Monialium clausuram videatur concessus, ad eiusdem renouationem, debitamque conseruationem, & maxime si de foris renouari nequit. Propter hanc rationẽ & causam, ante Concilium Tridentinum prædictum, supradicti Vicarij & Monialium Confessores, intrabant ad hunc effectum & Priuilegiorum Collector in Compendio, *verbo, ingredi Monasteria Monialium, in primo notabili post §. 34* hunc casum inter alios enumerat, in quo dicit, quod licitus est ingressus, ad renouandum Sacramentum tempore consueto, & est casus duodecimus. Sed iam id non est in vsu, vnde in contrarium, sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

Non licet Vicarijs & Cõfessoribus Monialium, clausuram intrare, ad renouãdum Sacramẽtum existens in choro interiori.

VIcarijs & Confessoribus Monialium, haudquaquam licet, intrare eatumdem clausuram, pro renouatione Sacramenti Eucharistiæ, existentis in choro interiori. Hæc conclusio probatur, satisque fit aperta & manifesta ex supradictis: nã post Concilium Tridẽtinum, haud quaquam est licitũ, Monialium clausuram introire, nisi in casibus necessarijs, seu potius vt dixit Gregorius XIII. in necessitatibus vrgentibus: sed renouatio Sacramenti prædicti, congrue & conuenientissime fieri potest, existente de foris fenestra quadam, quæ cum debita clausura & reuerentia habeatur, etiã in Ecclesia exteriori, maiori altari correspondenti: ergo eiusmodi casus, nullatenus dici potest necessarius, & consequenter nec prædictus ingressus licitus, de quo nulla est, aut esse potest dubitãdi ratio, & sic hodie communiter obseruatur in praxi, in omnibus monasterijs monialium Sanctæ Claræ, & aliarum nobis subiectis, existentibus in Hispaniarum partibus, quod Sacramenti Eucharistiæ renouatio, fiat per fenestram supradictam, & Vicarij siue Monialium Confessores, non illuc ingrediuntur causa dictæ renouationis.

ARTICVLVS XX.

Vtrùm intrantes Monialium Monasteria in casibus permissis, seu cũ debita licentia, statim finito negotio teneantur exire, an vero sine peccato mortali, & excommunicationis periculo, aliquantulum ibidem possint detineri, ob aliquam iustam causam?

RAtio dubitandi est: nam eadem esse videtur ratio de ingressu intra Monialium clausuram, & de egressu earumdem extra ipsam, etiamsi id fiat in casibus permissis & necessarijs & cum debita licentia, sed Moniales egredientes clausuram, in aliquo casu sibi permisso, & cum legitima licentia, propter aliquas rationes & causas, finito negotio ad quod exierunt, vt videtur non possunt absque peccato & conscientiæ scrupulo, extra eandem manere: ergo idem dicendũ est de ingredientibus, & quod non ibi possunt immorari aut existere, nisi solummodo per tempus præcise necessarium, & requisitum ad peragendum negotium, ratione cuius ingrediuntur. Sed nihilominus cum res istę morales sint, moraliaque præcepta (vt iam supra diximus) non secundum regulas metaphysicas, sed morales sint interpretanda, grauissimis quibusdam Doctoribus, contrarium omnino in vtroque casu videtur dicendum. Vnde ad vitandos scrupulos, & pacandas multorum timoratas conscientias, sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

Licet melius fit atq; decẽtius, vt intrãs monialiũ clausurã, etiã in casibus necessarijs & cum debita licẽtia statim egrediatur, non tamẽ peccat neq; excõmunicationẽ incurrit, etiã si aliquã tulũ ibidem se detineat.

INtrans Monialium clausuram, in casibus concessis & cum sufficienti licentia, licet finito negotio pro quo ingressus est, statim melius sit exire quamuis tamen aliquantulum immoretur vel se detineat ibidem, non peccat mortaliter, nec aliquam incurrit censuram. Hæc conclusio est expressa Collectoris Priuilegiorum in Compendio, *verbo, ingredi Monasteria Monialium, post §. 34. in primo nota. casu, 12.* vbi eam limitat, dummodo id non corrupta intentione fiat, sed quadam curiositate, vt scilicet Monasterium videat seu aliquas officinas, aut vt loquatur cum Monialibus infirmis. Nam inquit, si id corrupta intentione faceret, non excusaretur à peccato mortali, & ab incursu censurarum. Quod vltimum, an sit vsquequaque verum, quan-

quantum ad cenſuras attinet, aliorum eſto iudicium: nam de peccato ſi ſiniſtra aliqua habeatur intentio, nulli dubium. Sed quidquid de hoc ſit, prædicta concluſio probatur, ex ratione ſuperius dicta: nam cum eiuſmodi præcepta moralia ſint, moraliter ſunt intelligenda & interpretanda, & non ſecundum regulas metaphyſicas, iuxta quas, res in puncto conſiſtunt indiuiſibili. Non ſic autē eſt in rebus moralibus, in quibus quammaxima eſt latitudo, prudentū iudicio atq; arbitrio perpendenda & conſideranda. Nec enim Deus aut Eccleſia, in ſuis præceptis obligare intendunt fideles ſuos, ad adeo arctam, ſtrictam & rigoroſam eorum dem obſeruantiā (vt ſic loquamur) atq; vt ita punctuales ſint, vt videri velint eos eſſe ruſticos & inurbanos, & non ibidem iam exiſtentes, poſſe videre, viſitare ac conſolari moniales infirmas, hac enim ratione, etiam vota & iuramēta ſtulta, apud Deum nullius ſunt valoris & momenti. Ex quo proinde, in propoſito dicēdum apparet, idquod in concluſione eſt dictum, quod quamuis intrantes Monialium clauſuram, ſtatim finitis negotijs debeant exire, idque facere multo ſit melius, conſultius ac magis rationi conformius, nihilominus tamen, quamuis aliquantulum demorentur, ac ſe detineant ibidem, non corrupta aut ſiniſtra aliqua intentione, ſed curioſitatis vel charitatis gratia, nec peccabunt ſaltem mortaliter, nec aliquam incurrent cenſuram. Et idem dicendum eſt de Monialibus exeuntibus, & egredientibus clauſuram in caſu ſibi permiſſo, & cum debita licentia, quod non peccabunt, etiamſi finito negotio, per aliquātulum temporis amplius ſe detineant: quæ de iſto articulo ac de tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO III.

De clauſura Monialium in particulari, quantum ad exitum ipſarum è ſuis Monaſterijs, in ſeptem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnibus in vniuerſum monialibus, ſit prohibitus exitus, extra earum clauſuram?

DVO diximus in præcedenti quæſtione, articulo primo, ad Monialium pertinere clauſurā, ſeu quod duo ſimul comprehenduntur in ipſa, nempe earum extra Monaſterium exitus, & ingreſſus omnium aliorum intra illud. De quorum vltimo, cum plura in quæſtione præcedenti dixerimus, reliquum eſt vt de altero in preſenti dicamus, & inquiramus an ſicuti omnibus in vniuerſum viris ac mulieribus, cuiuſcumque gradus, ſexus, ſtatus, ordinis, & conditionis extiterint, prohibitus eſt ingreſſus intra Monialium clauſuram, ſic etiam Monialibus eiſdem, prohibitus ſit exitus ſiue egreſſus è ſuis Monaſterijs. Pro cuius intelligentia memoria recolere oportet, id quod ſupra diximus, nēpe monialium Sanctæ Clarę clauſuram, ſtrictiorem atque rigoroſiorem eſſe, quam ſit omnium aliarum Monialium, quæ ad eandem ſeruandam tenētur, non ex voto ſeu ſpeciali ſuæ regulæ præcepto. Quod pariter eſt intelligendum, & quantum ad ingreſſum in earumdem Monaſteria, & etiam quātum ad exitum. Et quidem loquendo de Monialibus primam regulam profitentibus, id ſuperque ſatis conſtare facile poteſt, eandem legentibus, cum in capit. ſecundo expreſſe habeatur, *quod extra Monaſterium, ſine vtili manifeſta & probabili cauſa eiſdem exire non liceat*, totaq; ipſa regula præſupponat, tamquam certum atque indubitatum, quod Moniales prædictæ, ſtrictiſſimam ſeruare tenentur clauſuram. In ſecūda etiam, quam pro eiſdem conſtituit Vrbanus Quartus, expreſſe præcipitur, vt inter alia eſſentialia & ſubſtantialia religionis vota quę emittunt, etiam promittant clauſuram. Vnde in eiuſdem cap. ſecundo ſequentia habētur verba. *Omni tempore vitæ ſuæ, hanc vitam profitentes, clauſæ manere firmiter teneantur, intra murorum ambitū, ad intrinſecam clauſuram Monaſterij deputatum, niſi forſan (quod abſit) ſuperuenerit ineuitabilis & periculoſa neceſſitas, ſicut exuſtionis ignis, vel incurſus hoſtilis, ſeu alicuius huiuſmodi, quæ dilationem nullo caperet modo, ad egrediendi licentiam poſtulandum, & hac de re in profeſſione earum ſpeciale votum fiat.* Hoc eſt itaque certiſſimum atque conſtitutiſſimum. Solummodo eſt in præſentiarum difficultas, an idipſum ſit omnino dicendum, de omnibus alijs in vniuerſum Monialibus, ita vt omnibus abſque delectu & diſcrimine, eo ipſo quo clauſuram profitentur, ſeu illam obſeruare tenentur ex præcepto, è ſuis Monaſterijs prohibitus ſit exitus. Cui quidem difficultati, breuiter atque reſolutiue reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

OMnes in vniuerſum Moniales, è ſuis Monaſterijs prohibentur exire, ni forſan in caſibus inferius dicendis, & cum licentia potentis illam dare. Hæc concluſio probatur expreſſe, *prohibitū eſt ex capit. Periculoſo, de ſtatu Regularium, libro ſexto*

Omnibus in vniuerſum monialibus, prohibitū eſt è ſuis monaſ-

terijs exire, niſi in certis quibuſdam caſibus, & cum licentia potentis illã dare.

innouatio per Concilium Tridentinum, ſeßione 25. de reformatione capit. quinto, vbi quantum ad exitum omnium in vniuerſum monialium, ſequentia verba habentur. *Preſenti conſtitutione, perpetuo irrefragabiliter valitura ſtatuimus, vniuerſas & ſingulas moniales, præſentes atque futuras, cuiuſcumque Religionis ſint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſterijs debere de cætero permanere clauſura, ita quod nulli earum, tacite vel expreſſe profeſſæ, ſit vel eſſe valeat, quacumque ratione vel cauſa, niſi forte tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poßit cum alijs abſque graui periculo ſeu ſcãdalo commorari, monaſteria ipſa deinceps egrediendi fiat facultas.* Et in dicto Concilio Tridentino, ad idem propoſitum dicitur. *Nemini autem ſanctimonialium liceat, poſt profeßionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & priuilegijs non obſtantibus.* Quæ quidem decreta, de omnibus in vniuerſum monialium, cuiuſcumque Ordinis & conditionis extiterint, eſſe intelligenda Pius Quintus, & Gregorius Decimustertius, in ſuis Conſtitutionibus & Extrauagantibus, adhuc expreſſius diffinierunt, explicarunt & declararunt, vt latiſſime conſtat ex ſupradictis, quæſtione prima, articulo primo, ſecundo, & tertio. Et cum in expreſſis, non ſit locus coniecturis, vltra hoc nihil amplius occurrit dicendum. Hac de re videatur Nauar. latiſſime, *ſuper cap. ſtatuimus* à nume. 39. cum ſequentibus, ſed maxime, num. 47.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſint aliqui caſus, in quibus Monialibus de licentia ſuorum Superiorum liceat è ſuis Monaſterijs exire de iure ordinario?

HAnc difficultatem mouet priuilegiorũ Collector, in Compẽdio, *verbo, clauſura monialiũ, poſt* §. 5. & Auctor Clypei ſacrarũ monialium cõcluſione ſeptima, vbi & ponũt aliquos caſus, in quibus monialibus S. Claræ, è ſuis monaſterijs exire, dicitur eſſe licitum. Ex quibus elici etiam poteſt, quid ſit dicendum de alijs monialibus, ad eandem clauſuram ſeruandam ſimiliter adſtrictis, ſiue id fiat ex voto aut ſuæ regulæ præcepto, ſiue vero ex generali mandato & ſtatuto Eccleſiæ: nam vt dicitur, de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Vnde propoſito articulo, reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Aliqui ſunt caſus, in quibus monialibus S. Claræ ſecundum ſuã Regulam, licitum eſt exire à Monaſterio.

ALiqui ſunt caſus, in quibus Monialibus Sanctæ Claræ, de iure ordinario licitum eſt, ſecundum ipſarum regulam, à ſuis Monaſterijs exire, de licentia potentis illam ſibi dare. Hæc concluſio, non aliter poteſt aut debet probari, quam referendo eiuſmodi caſus, & ſunt qui ſequuntur.

Primus caſus eſt, quando ſuperuenerit inculta-

Primus caſus

bilis & periculoſa neceſſitas, ſicut exuſtionis ignis, vel incurſus hoſtilis, ſeu alicuius rei ſimilis, quæ dilationem nullo modo ſuſtineret, ad poſtulandum egrediendi licentiam. In quibus caſibus dicit Vrbanus vbi ſupra, *quod debent Sorores ſiue moniales, ſe transferre ad alium locum competentem, in quo quantum commode fieri poterit, clauſe morentur, quouſque eis de monaſterio ſit prouiſum.* Circa hunc caſum dicit prædictus priuilegiorum Collector, de mente cuiuſdam expoſitoris, quod adhuc in hoc caſu, ſi poſſit abſque periculo fieri, deberet prius haberi licentia Superioris, vt colligitur ex littera ſupradictæ regulæ: ſed quando ſubitũ periculum ad hoc non daret locum, tunc (inquit) abſque licentia poſſunt egredi, non tamen quælibet per ſe aut ſeparatim, ſed omnes inſimul, & ſtatim vt exierint, debent ſe recolligere in aliqua domo honeſta, & dare operam vt habeãt debitam clauſuram, quouſque prouideatur ſibi de Monaſterio, & addit, quod iſtud non eſt declaratio, cum regula hoc expreſſe dicat. Item dicit, quod ſi ignis intus ardens, poteſt extingui ipſis monialibus intra Monaſterium exiſtentibus, non poſſunt egredi, etiam cum licentia Prælatorum, nec etiam poſſunt ad alia Monaſteria transferri, præſertim remanente ipſis ſufficienti habitatione. Hactenus Collector.

Nota hoc valde.

Secundus caſus eſt, quando ab habente authoritatẽ & poteſtatem, mitterentur ad aliquem locum, cauſa erigendi vel ædificandi eandem religionem, aut reformandi aliquod Monaſterium eiuſdem Ordinis, de quo caſu nihil modo dico, quia de his omnibus infra latius eſt agendum.

Secundus caſus.

Tertius caſus eſt, cauſa regiminis, ſcilicet vt aliqua monialis ſit Prælata alicuius Monaſterij. Circa quem caſum, dicit prædictus priuilegiorũ Collector, de mente præfati expoſitoris, quod vt videtur in tali caſu, non ſolũ monialis aliqua poteſt egredi clauſuram, & duci vt ſit Abbatiſſa, verum etiam, vt ſit magiſtra nouitiarum, ſeu vt ponatur in aliquo officio, in quo multum conſiſtit honeſtas religionis, prout eſt habere cuſtodiam portæ aut rotæ, & cæt. Dicit etiam prædictus expoſitor, quod peracto officio, pro quo aliqua monialis ducta eſt ad aliud Monaſterium, ſi vult regredi ad ſuum Conuentum, poteſt reuerti ſola, ſi ſocia vult remanere, & etiam ſocia poteſt reuerti ſola, ſi principalis nollet regredi, de conſenſu tamen vtriuſque Monaſterij.

Tertius caſus.

Quartus caſus eſt, cauſa correctionis. Hunc caſum declarat præfatus expoſitor, vt ſi accideret, quod aliqua monialis, non poſſet corrigi in Monaſterio vbi habitat, ob timorem ſuorum parentum, quia tunc poſſet duci ad aliud Monaſterium, vt puniatur & debite corrigatur.

Quartus caſus.

Quintus caſus eſt, cauſa alicuius valde euidentis & grauis diſpendij euitandi. Circa quem caſum, dicit prædictus priuilegiorum Collector, quod diſpendium de quo in iſto caſu fit mentio, declaratur *in capit. 1. de ſtatu Regularium, libro ſexto*, ſcilicet ſi aliqua monialis eſſet infecta, aliqua infirmitate adeo contagioſa, quod inde merito timeretur, magnum damnum poſſe prouenire alijs monialibus, aut non poſſe ibi ſtare ſine grandi periculo, vel ſcandalo totius communitatis. Dicit

Quintus caſus.

cit tamen, quod ſi idem inconueniens quod habetur in Monaſterio, vbi habitat huiuſmodi monialis, erit in quocumque alio Monaſterio, quod tunc poſſet poni in aliqua domo particulari. Sed licet quacumque alia infirmitate non ſic contagioſa, monialis aliqua laboret ſiue infirmetur, & adhuc taliter quod medici dicerent, illam non poſſe mortem euadere ibi manendo; & quod poſita in aliquo alio Monaſterio ſui Ordinis, poſſet curari & ſanari, non propterea (inquit) poſſet exire clauſuram nec inde educi, aut ad hoc ſufficeret licentia Protectoris vel alterius Prælati, ſed ibi curetur prout melius fieri potuerit, & habeat patientiam. Sic enim ait, determinatum fuit per plures & inſignes Doctores vniuerſitatis Salmantinæ, quorum determinationem ponit ad longum inferius, & nos forte de ea aliquid dicemus.

Sextus caſus Sextus caſus eſt, quando de mandato Prælati habentis auctoritatem, Monaſterio primo ex cauſa rationabili relicto, totus Conuentus ad aliud Monaſterium ſe transferret. Omnes ſupradicti caſus, continentur in regula Vrbani Quarti vbi ſupra, & dicit priuilegiorum Collector, quod in omnibus illis, de mente eiuſdem Vrbani Quarti, non debebãt egredi ſine licentia Protectoris, cui tũc moniales prædictæ ex ſua Regulæ erãt ſubiectæ. Sed quia Prouincialibus Miniſtris conceſſum eſt, quod in Monaſterijs Sanctæ Claræ ſibi ſubditis, poſſint circa Sorores omnia, quæ Protectori per Regulam ipſarum monialium erant conceſſa, vt habetur in Monumentis Ordinis, ſecundæ impreſſionis, folio 213. & in ſupplemen. folio 72. poſſunt (inquit) Prouinciales prædicti in caſibus ſupradictis, dare licentiam monialibus egrediendi clauſuram, aliter tamen quam data fuerit poteſtas Protectori prædicto, in Regula Sanctæ Claræ, ad dandum eiuſmodi licentiam, ingrediendi ſeu egrediendi monialium clauſuram. Nam illa iam reuocata fuit, per Martinum Quintum, vt habetur in Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, folio 38. & ſecundæ folio 36. conceſſione 41. & refertur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialium* §. 13. de quo etiam nos diximus ſupra, quæſtione præcedenti, articulo tertio & videatur hac de re quartum & vltimum notabile, quod ponit ſupradictus priuilegiorum Collector, *in dicto verbo, ingredi monaſteria monialium poſt* §. 34.

Extra prædictos caſus, inquit prædictus priuilegiorũ Collector, Moniales S. Claræ, egrediendo clauſuram, ſuam tranſgrediũtur regulam, & mortaliter peccant, licet ex vi illius excommunicationem non incurrant, niſi in vno tantum caſu, poſito in eadem Regula, cap. 13. ſcilicet, ſi irent ad Romanam Curiam, quod habetur in Monumentis Ordinis primæ impreſſionis, folio 290. tractatu 3. & ſecundæ folio 298. tracta. 2. vbi ſequentia verba habentur. *In virtute obedientiæ & ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto tranſgredientes, vel non parentes incurrant, diſtricte præcipimus, vt nulla Abbatiſſa vel ſoror, pro vlla neceſſitatis cauſa, ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter veniat, vel accedat, niſi alicui licentia ſpecialis à Sede Apoſtolica concedatur.* Aduertit autem ſupradictus Collector, quod licet in prædicto ſolo caſu, ex vi Regulæ prædicta incurratur cenſura, nempe ſi fiat exitus ad eundum ad Romanam Curiam, ſi tamen (inquit) aliqua monialis, quacumque ex cauſa, dimiſſo habitu exeat clauſuram, pro culdubio excommunicationem incurret, licet nõ vadat ad Romanam Curiam, quia hoc eſt de iure communi, quoad omnes perſonas religioſas, vt conſtat, *ex cap. 2. ne Clerici vel Monachi, libro ſexto*, vbi pro omnibus præcipitur, ſub excommunicationis pœna, vt non habitum dimittant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnes ſupradicti caſus, poſiti ab Vrbano Quarto in Regula Monialium Sanctæ Claræ, modo ſint etiam in vſu, atque obſeruari poſſint in praxi, an vero fuerint per Concilium Tridentinum, & per Pium Quintum abrogati & reuocati?

Nota prõ ratione dubitandi. RAtio dubitandi eſt: nam decretalis Bonifacij Octaui, poſita *in capit. Periculoſo, de ſtatu Regular. libro ſexto*, quam prædictum Concilium Tridentinum innouauit, *ſeſſione 25. de reformatione, capit. quinto*, vnicum tantum excipit caſum ſiue cauſam, ob quam licite fieri poteſt exitus, à monaſterijs monialium, *ſcilicet infirmitatis periculoſæ vel ſcandaloſæ*, vt iam pluries diximus, facileque patêre poterit intuenti. Et Pius Quintus Pontifex Maximus, in ſua Extrauaganti, quæ incipit. *Decori, data Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini 1569. Kalendis Februarij Pontificatus ſui anno quinto*, licet idipſum, vt videtur aliquãtulum ampliauerit, permittendo vt licite inde fieri poſſit exitus, in tribus caſibus vel ob tres cauſas, nempe, *ob incendium, infirmitatem lepræ, & epidemiæ*, ſtricte tamen præcipit ſub excommunicationis pœna, vt monialium nemini liceat, poſt profeſſionem à ſuo Monaſterio exire, etiam ad breue tẽpus, quocumque prætextu, niſi propter cauſas in dicta ſua Conſtitutione expreſſas & declaratas, & aliter quam vt præfertur egredientes, atque licentiam exeũdi quocumque modo concedentes, excommunicationis maioris latæ ſententiæ vinculo innodantur. Ex quibus colligi videtur, quod omnes ſupradicti caſus, poſiti à prædicto Vrbano Quarto, in dicta ſua Regula Sãctæ Claræ, per Cõcilium Tridentinum & Pium Quintum, ipſiuſque ſupradictam Conſtitutionem, fuerint abrogati & reuocati, quodque modo non ſint in vſu, nec poſſint obſeruari in praxi, cum prædicti tantum caſus fuerint excepti, & vt habetur in iure, caſus excepti firmant regulam in contrarium. Sed ijs non obſtantibus, ſub aliorum cẽſura contrarium videtur dicendum, de quo ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Supradictiſex caſus, poſiti SVpradicti ſex caſus, poſiti ab Vrbano Quarto in Regula S. Claræ, non eſſe videntur per Concilium

ab Vrb. IIII. non ſunt per Concilij neque Pium V. abrogati aut reuocati, quin vero etiã modo, poſſunt ob ſeruari in praxi.

cilium Tridentinum, nec per Pium Quintum abrogati aut reuocati, quin vero etiam modo poſſunt poni & obſeruari in praxi. Hæc concluſio, non aliter melius poteſt probari, quam ad particularia deſcendendo & idipſum verificando, per omnes ſupradictos caſus in particulari. Et quidé, quantum attinet ad primum caſum, quod ipſe nõ fuerit reuocatus, exinde patet, quia eſſe videtur de iure naturali. Non enim Papa, multoque minus alius Prælatus ipſo inferior, Moniales ita ſtricte ad obſeruãdam clauſuram poteſt aſtringere, & obligare, vt ſi quando ſuperuenerit ineuitabilis & periculoſa neceſſitas, verbi gratia, exuſtionis ignis, aut incurſus hoſtilis ſeu alicuius rei ſimilis, & inſtante periculo mortis, non ipſis è Monaſterijs liceat exire, & generaliter vbicumque mortis eui dens imminet periculum, ſeu futura eſt mors violenta. Nam ad idipſum eaſdem obligare, eſſet plane eas cogere, vt quaſi ſeipſas occiderẽt, quod facere nemo poteſt, cum ſit aperte contra legem ipſam naturæ. Dixi vbi mors futura eſt violenta: nam vbi mortis timetur periculum, quæ futura eſt non quidem violenta ſed naturalis, quale eſt illud, quod ortum habet ab ægritudine, longe aliud atque diuerſum eſt iudicium. Sed de hoc alias, in ſequentibus aliquid dicemus, pro nunc ſit ſatis dixiſſe, quod primus ſuprapoſitus caſus ab Vrbano Quarto, de iure eſt naturali, ac proinde nec videtur reuocatus per Concilium Tridentinum, aut per Pium Quintum in dicta ſua Extrauaganti. Etenim contrarium præcipere, eſſet veluti, moniales ipſas cogere, vt morerentur, & vt ſe ipſas occiderent, aut mortis naturalis imminẽti periculo ſeſe exponerent, quod vt dixi facere non licet, quia aperte eſſet contra legem ipſam naturæ.

Nota quod Primus ex ſupradictis caſibus, eſt de iure naturali, neque potuit reuocari.

Nota pro ſecundo caſu, quod moniales de licentia ſuorum Prælatorum, poſſunt è Monaſterio exire, cauſa plantandi vel ædificãdi aliquod Monaſterium, ſiue reformandi ipſum.

Sed quod non etiam per Concilium, nec per Pium Quintum, fuerit reuocatus ſecũdus ibidem propoſitus caſus, nempe vt moniales prædictæ, poſſint à monaſterijs ſuis exire, quando mittuntur ab habente poteſtatem, ad aliquem locum, cauſa plantãdi vel ædificandi aliquod monaſteriũ eiuſdem Ordinis, & reformandi eandem religionem, exinde etiam patet: nam licet huiuſmodi caſus, ibidem non fuerit expreſſus, Regula tamen eſt iuris communiter recepta, quod caſus excepti extenduntur etiam ad omnes ſimiles, & maxime in quibus eadem militat omnino ratio, qua de re plura etiam infra dicemus, in proprio articulo, circa explicationem Extrauagantis prædictæ Pij Quinti. Pro nunc ſatis ſit dixiſſe, quod ſicut caſus ibidem à prædicto Pio Quinto, in dicta ſua Extrauagãti expreſſi, & nominati, totam monialium cõcernunt communitatem, ac proinde ab eodem in eiſdem diſpenſatur, ſic etiam & caſus de quo in præſentiarum eſt ſermo, totam etiam concernit religionis communitatem, & non particularem vtilitatem alicuius monialis, cum vt præmiſſum eſt, exeant ad plantandum vel ædificandum aliquod monaſterium, reformandamque eandem religionem. In quo quidem caſu, non poſſe ipſas exire, magis eſſet damnoſum & periculoſum religioni eidem, quam eaſdem ad habitandum ſimul, tempore magni cuiuſdam incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ obligare, quod non eſt credendum aut præſumendum, de tanto atque ita pio, & Sancto Pontifice. Quam ob cauſam, hanc noſtram ſententiam tenet Nauarr. *in capit. ſtatuimus, numero* 48. vbi inquit hac de re, quæſtionem fuiſſe propoſitam ſuo tempore, coram prædicto Pio Quinto, an ſcilicet dictæ tres exceptiones, ſupradictæ ſuę Extrauagantis, extendi etiam deberent ad alias ſimiles, & ait quod quidam dixerunt quod non, ſed prædictus Nauarrus in diuerſa fuit ſententia, contrariumque reſpondit interrogatus, de quadam moniali electa in Abbatiſſam alterius monaſterij, dicendo quod poterat exire, illudque adire, vt eidem præeſſet, & ſimiliter licitum fuiſſe exitum, monialium quarumdam ob timorem belli, ab hæreticis in Gallia prope Narbonam geſti, per quod etiam quod dictum eſt in primo ſuprapoſito caſu, confirmatur atque corroboratur. Videatur etiam hac de re Ioan. Gutierr. in ſuis quæſtion. Canonic. capit. 14. nume. 10. vbi expreſſe tenet cum Nauar. quod moniales, non obſtante conſtitutione prædicta Pij Quinti, exire poſſunt in dicto caſu.

Nota pro tertio caſu, quod monialis de licẽtia ſui Prælati, poteſt è Monaſterio exire, vt ſit Prælata.

Sed quod idipſum ſit dicendum de tertio caſu, in dicta Regula ab Vrbano poſito, ex prædictis ſuperque ſatis conſtat. Sicut enim monialis aliqua poteſt exire è Monaſterio, licentia ſibi conceſſa ab habente poteſtatem, cauſa plantandi vel ædificandi aliquod monaſterium eiuſdem Ordinis, vel reformandi eandem Religionem, ſic etiam exire poterit, vt ſit Abbatiſſa ſiue Prælata alicuius monaſterij, vt dixit ſupradictus Nauarro: ratioque ipſa id ſuadet, cum hic caſus etiam concernat, communem vtilitatem, augmentum & propagationem religionis, non vero particularem vtilitatem alicuius monialis. Qua quidem ratione, vt ibidem diximus, tenuit priuilegiorum Collector, non ſolum id eſſe licitum, quando eligitur ſeu adducitur, vt ſit Abbatiſſa, vel Prælata monaſterij, verum etiam vt fiat Nouitiarum Magiſtra, ſiue vt ponatur in aliquo officio, in quo multum conſiſtit augmentum & propagatio religionis, quod etiam non eſt credẽdum Concilium Tridentinum, aut prædictum Pium Quintum, vllo modo prohibere voluiſſe, propter rationes dictas.

Nota pro 4. caſu, quod monialis poteſt à Monaſterio extrahi, correctionis gratia.

Quantum vero ad quartum caſum, de alicuius monialis incorrigibilitate, etiam videtur dicendum idipſum, propter eãdem rationem. Nam hic etiam caſus concernit bonum & augmentum religionis. Spectat enim quammaxime, ad hoc vt conſeruetur totum religionis corpus, vt delinquentes ſed maxime incorrigibiles, corrigantur atque puniantur, & vt punitio fiat abſque ſtrepitu & tumultu, & ſine ſcãdalo ſeu timore ſuorum, parentum & cognatorum, quod ni fieri poſſet, omnino periret nitor & ſplendor totius religionis. Fateor tamen non id eſſe faciendum paſſim, ſed raro & maxima ex cauſa, & cum magna conſideratione.

Nota pro 5. caſu, quod moniales poſſũt à Monaſterio exire cauſa alicuius grauis & euitãdi diſpendij euitandi.

Quantum vero attinet ad quintum caſum, qui eſt cauſa alicuius valde euidentis, & grauis diſpendij euitandi, minorem id difficultatem habet: nam diſpendium de quo in dicto caſu fit mentio, eſt quando monialis aliqua, infecta eſſet infirmitate adeo contagioſa, vt merito timeretur magnum inde damnum, cæteris alijs monialibus poſſe prouenire, nec ibi ſtare illas ſine grandi periculo, & ſcan-

& scandalo totius communitatis, qui quidem casus, non solum non est reuocatus per Concilium Tridentinum, aut per prædictum Pium V. quinuero expresse est ab eo positus, & specificatus, in infirmitate lepræ vel epidemiæ, de quibus dicemus statim.

Nota pro. 6 casu, quod moniales possunt è monasterio exire, vt ex vno ad alium locũ transferãtur, priori relicto.

Quuntum vero attinet ad sextum & vltimum casum, dico similiter, quod nec ipse est reuocatus, imo vero in eo Monialis prædictæ è Monasterio possunt exire, quandocumq; de licentia & manda to eius qui id auctoritatẽ habentis, ex aliqua rationabili causa, priori Monasterio relicto, totus Conuentus ad aliud Monasterium se transfert. Qui quidem casus vt patet, etiam concernit bonum & vtilitatẽ totius Monasterij siue communitatis, quinuero & quandoque pertinere potest, ad vtilitatem totius religionis, vt Monasteria ex vno in alium locum transferantur. Quam quidem ob causam, & ob eãdem rationem, Concilium Tridentinum, *sess. 25. de reformat. cap. 5.* præcepit, vt sanctimonialium monasteria, extra mœnia vrbis vel oppidi constituta, quæ malorum hominum prædæ, aliisque facinoribus, sine vlla sæpe custodia sunt expolita, procurentur ab Episcopis & alijs Superioribus, si ita id sibi videbitur expedire, vt exinde ad alia noua, vel antiqua monasteria, intra vrbes vel oppida frequentia reducantur. Ex quibus omnibus, superque satis constat, meo quidem videri euidentissime & manifestissime, quod supradicti sex casus, positi in dicta Sanctæ Claræ Regula ab Vrbano IIII. non solum non sunt per Concil. Trident. siue per Pium V. reuocati aut derogati, quinuero, vt videtur cõfirmati, possuntque modo poni in vsu, & obseruari in praxi. Quod & confirmatur ex eo, quia nec supradictum Concilium, nec vero Pius V. per prædicta sua decreta, vllo modo credendum est, voluisse monialium Regulas reuocare, nam quando cumque id volunt, de eo expressam mentionem faciunt: quod quidem non contingit in proposito, vt patebit intuenti. Etenim si Concilium Tridentinum, facultatem fecit Episcopis & Superioribus Prælatis, vt ingrediendi atque exeundi Monialiũ Monasteria, licentiam possent præstare, in casibus necessarijs, credendum nullo modo est, vt casus siue causas, a prædicto Vrbano IIII. positas & probatas tanquam legitimas & necessarias, vllo modo voluerit reuocare, nec vero prædictus Pius V. Nã quamuis in dicta sua Extrauaganti Constitutione, generaliter quemcunque prohibeat egressum, monialium quarumlibet, nec id permittat, nisi solum modo in tribus supradictis casibus, *incendij magni, lepra atque epidemiæ*, non tamen excludit alios similes, & in quibus eadem omnino militat ratio, & qui concernunt bonum totius religionis, siue cõmunitatis: quodquidẽ aperte reperitur, in supradictis sex casibus, vt constat ex supradictis, constabitque amplius ex dicendis in Articulo sequẽti. Vndẽ dico, quod generalis clausula, in prædicta Extrauaganti apposita, per quam omnes alij casus excluduntur, intelligenda est de casibus particularibus, spectantibus ad bonum priuatum, particulareque vtilitatem personæ alicuius in particulari, no vero de casibus spectantibus & pertinẽtibus, ad commune bonum religionis, siue communitatis Monialium, quales sunt supradicti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm supradicti tres casus, de quibus loquitur Pius Quintus, in dicta sua Extrauaganti, extendantur seu extendi possint & debeant, ad alios similes?

PRo huius Articuli intelligentia, oportet præmittere Extrauagantem prædictam Pij V. quam ad litteram libuit in præsentiarum referre, vt quoties opus fuerit, præ manibus habeatur, & vt ex eadem melius constet, quid proposito Articulo sit dicendum, per quod etiam parabitur via, ad alia quæ in subsequentibus Articulis sunt dicenda. Dico igitur, quod prædictus Pius V. anno Domini 1566. Kalendis Februarij, Pontificatus sui anno quinto, pro maiori obseruantia clausuræ monialium, & ad recludendum eisdem omnino exitum è suis Monasterijs, Constitutionem quamdam fecit, quæ incipit, *Decori*, estque Tenoris sequentis. *Pius V. seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, &c. Decori & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate & castitate super ædificantes, in ipso fœliciter inhabitare valeant consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto summouere. Sanè periculosa & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, necnon Monasteria & alia filialiones nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu à monasterijs exire, & per secularium personarum domos discurrere & vagari, quo vel colore eximium quoque honestatis & pudicitiæ decus in discrimen committunt. Vnde nos malo huic pro nostro Pastoralis officij debito, salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam Decreto sacri Concilij Tridentini, de clausura monialium disponenti, ac alijs nostris litteris super huiusmodi clausura editis adijcientes, Volumus, sancimus & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorarũ, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cisterciensium, Sancti Benedicti, & mendicantium, & quorumcunque aliorum Ordinum & Militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existentium, etiam à Regia, vel illustri prosapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu aliũ loci Ordinarij, etiam si prædicta monasteria ab Episcoporũ & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit, à monasterijs præfatis exire, seu nec in prædictis casibus extra illa, vix ad necessarium tempus fiare licere. Aliter autem quam vt præferatur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocũque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas aut seculares vel Ecclesiasticas, cõsanguineas vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ,*

Nota Constitutionem Pij V. circa exitum monialium, in tribus tantum casibus.

Nota valde.

Nota Pœnas aliter egredientium, seu in id licentias concedentium.

tentiæ vinculo ſtatim eo ipſo, abſque aliqua declaratione ſubiacere, á quo præterquam á Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui nequeant. Et inſuper tam egreſſas, quam Præſidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiuſmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & adminiſtrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in poſterum obtinenda inhabiles, necnon licentias & facultates ſeu indulta, & priuilegia, exeundi á monaſterijs, & extra illa ſtandi á nobis ſeu alio Romano Pontifice prædeceſſore noſtro, ac Sedis Apoſtolicæ Nuncijs, & Legatis etiam de latere, ac maiore Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, alijs ve perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cũ quibusvis reſtitutiuis, præſeruatiuis, mentis atteſtatiuis, etiã nouam gratiam & datam concedentibus, aliſque efficacioribus & efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis irritantibuſque & alijs Decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium intuitu & contemplatione ac inſtantia, vel alias quomodolibet conceſſa, quæ prorſus abolemus, ac literas deſuper confectas, & in poſterum concedendas, & conficiendas, nullas & inualidas, nulliuſque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus & habituris ſuffragari poſſe, & ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet, aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, irritũ quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his á quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignorãter, contigerit attentari decernimus. Mandantes vniuerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis & alijs locorum Ordinarijs, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras in Ciuitatibus & Diœceſibus proprijs, quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon præfatum Decretum ipſius Concilij, quod incipit, Bonifacij Octaui, diligenter & inuiolabiliter ſub cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque præfatis pœnis, & in eodem Decreto contentis, obſeruent & obſeruari faciant & procurent. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, etiam alijs pœnis auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo: Necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum Eccleſiaſticum apponendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & Iuribus, & de huiuſmodi clauſula diſponentibus, nihilominus in ſuo robore duraturis. Cæterũ volumus, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides vbique terrarum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Ponitur reuocatio omnium licentiarum prius cõceſſarum.

Ponitur decrerum irritans in contrarium.

Hac igitur Extrauagati conſtitutione, prẽmiſſa & præſuppoſita, quæritur in præſentiarum, An prædictæ tres exceptiones ibidem poſitæ, extendantur, ſeu extendi debeant, ad omnes ſimiles? & vt non in communi, ſed in particulari loquamur, in controuerſiam adducitur, An extendantur ſeu extendi debeant & poſſint, ſaltim ad illum caſum & morbum, non quidem contagioſum, ſed de quo Medici docti & pij, in arte ſua peritiſſimi, iudicant Monialem aliquam fore ſtatim morituram, ſi non extra Monaſterium extrahatur, in aliquem locum eiuſmodi morbo infectæ ſalubriorem, & quod ſi exeat maxima futura ſit ſpes, quod nõ moriatur? Cuius quidem partem affirmatiuam tenere videtur Nauarr. *ſuper cap. ſtatuimus, num.* 49. quam & probare contendit, aliquibus rationibus; & ſunt quæ ſequuntur.

Primo probatur hæc pars, ex textu, *in cap. periculoſo, de ſtatu Regul. lib.* 6. vbi ſequentia ponuntur verba, *Sancimus vniuerſas & ſingulas Moniales, præſentes atque futuras, cuiuſcumque religionis ſint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis Monaſterijs de cætero debere permanere clauſura. Ita quod nulli earum, religionem tacite vel expreſſe profeſſæ, ſit vel eſſe valeat, quacumque ratione vel cauſa, niſi forte tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum alijs, abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari, Monaſteria ipſa deinceps egredienti facultas.* Qui quidem textus Bonifacij VIII. non ſolum non eſt reuocatus, quinuero innouatus per Concil. Trident. *ſeſſ.* 25, *de Regular. ca.* 5. vbi adidem poſitum dicitur, *vt nemini ſanctimonialium liceat, poſt profeſſionem exire á Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis & priuilegijs non obſtantibus quibuſcumque.* Ex quo Concilij decreto, facile licebit colligere, quod Extrauagans ſupradicta Bonifacij VIII. poſita, *in dicto c. Periculoſo*, quæ vnicum tã tũ excipiebat caſũ, in quo Monialibus permiſſus erat egreſſus, nẽpe caſum periculoſæ & ſcãdaloſę infirmitatis, per Cõciliũ prædictũ, extẽſa eſt & ampliata, ad alios etiam caſus, ſcilicet, ad quamlibet legitimam cauſam, per Epiſcopum approbãdam, ergo idipſum ſimiliter hodie dici debet, de Pij V. Extrauagãti prædicta, ac proinde ea nõ obſtante, de licentia & approbatione Epiſcopi, extendi, & ampliari etiam poterit, ad alios caſus ſimiles, & maxime ad ſuperius poſitum, de Moniali tali morbo laborante, quod Medicorum iudicio, ſi non è monaſterio egrediatur, certo atque proculdubio timeatur, quod ſtatim ſit moritura. Quod & hac ratione confirmatur, nam ſi Extrauagans Bonifacij VIII. quæ vt prẽmiſſum eſt, vnicum dumtaxat excipiebat caſum, per prædictum Pium V. extenſa atque ampliata eſt, ad tres in eadem ſua conſtitutione contentos, nempe ad caſum magni cuiuſdãm incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemię, quid igitur obſtat, quominus eadem omnino prorſus exiſtente ratione, prædicti Pij V. Extrauagãs, etiã amplietur & extendatur, ad alios caſus ſimiles? Hoc certe Nauarri argumentum, videtur fortiſſimum.

Duæ ſunt hac de re opiniones.

Prima opinio tenens, partẽ affirmatiuã.

Primum arg.

Secundo ſic argumentatur ad idem, nam vidẽtur quod idipſũ facere, nullo modo ſit cõtra ius, quinuero eidem multum conforme. Quatuordecim enim in iure, tantummodo exprimuntur ſiue enumerantur cauſæ, ex quibus filij licite exhæredari

Secundũ arg.

redari poſſunt à parentibus, vt habetur, *in Authentico, non licet. C. de libr. præt. perquam. & in authent. vt cum de appella. cogno. §. aliud quoque capitulum, ibi, vt præter ipſas nulli liceat, Collatione* 8. cui & fauet Gloſſa celebris, *in cap. Quinta vallis, de iureiuran. & l. 4. tit. 7. part. 6.* & adhuc nihilominus patres, ex alijs ſimilibus cauſis, exhęredare poſſunt filios ſuos, vt in ſpecie tenet, Guillelmus communiter receptus *in dicto Authentico, non licet*, quam etiam opinionę tenẽt omnes DD. communiter. Similiter & donationes factæ, ob ſolas quinque cauſas, iure reuocari poſſunt, *iuxta l. fin. C. de reuoc. donat.* cum ſimil. & tamen Gloſſa ibi communiter recepta, tenet etiam ob alias ſimiles poſſe reuocari, vt latiſſime tradit Felin. *in cap. Paſtoralis, de reſcrip. á num.* 1. cum ſeqq. & Ripa, *in d. l fin. num.* 137. ergo idem dicendum erit in propoſito, nempe, quod tres exceptiones ſupradictæ, poſitæ à Pio V. in dicta ſua Extrauaganti, ſiue Conſtitutione, extendi & ampliari poſſunt, etiam ad alios caſus ſimiles, & maxime ad illum, de quo ſermo eſt in præſenti. Quibus omnibus accedit, quia non eſt credendum aut præſumendum, de Pio V. Pontifice Maximo, viro vere pio, re & nomine, mentem ſibi fuiſſe (quod abſit) adeo impiam ac prorſus à pietate & à charitate alienam, vt in dicto caſu prædictæ Monialis ægrotæ nõ miſereretur, conceſſiſſetque eidem, exeundi è monaſterio licentiam, ob euadendam mortẽ, & vt in tali caſu, & ipſius corporis & animę ſalus non periclitaretur: ergo intentum.

Tertium arg. Tertio, & vltimo pro eadem parte ſic argumẽtatur Nauarro, nam conſeruatio propriæ vitæ, naturaliſque defenſio, eſt de iure naturali, neminique videtur tollenda, iuxta *Clement. Paſtoralis. §. cæterum, de re iud. & in l. vt vim. ff. de iuſt. & iure*, habetur, quod facultas defendendi propriam vitam, eſt naturalis: ergo & in propoſito caſu, licitũ erit Moniali prędictæ de qua eſt ſermo, è Monaſterio exire, neque ad contrarium vlla lege, præcepto ſiue ſtatuto, poteſt cogi aut obligari. Quod & ita eſſe neceſſario dicendum, colligitur etiam ex quodam Breui, vt dicitur cõceſſo, olim per Gregorium XIII. Sanctimonialibus Illuſtris cuiuſdam Monaſterij, cuius mentionem facit prædictus Nauarr. *in dicto cap. ſtatuimus, loco ſupracitato*, quo licentiam & facultatem eiſdem fecit, vt quotieſcumque ingrueret periculoſa infirmitas, pro illa curanda, abſque conſcientię ſcrupulo, vel alicuius pœnæ incurſu, Monaſterium poſſent exire, & ad domos parentũ ſiue conſanguineorum accedere, ibique per congruum tẽpus, prædicta ex cauſa dumtaxat immorari, & deinde ad illud redire. Propter has rationes & cauſas, Nauarr. prædictæ adhærere videtur ſententię, eandemque approbare ac tenere, deſiderareq; ſummopere, vt Extrauagans prædicta Pij V. & ipſius nimius rigor, aliqualiter temperaretur & moderaretur, & ad mediocritatem quandam reduceretur, eo modo quo & rigor dicti *cap. periculoſo*, moderatus fuit (vt videtur) per Concilium Tridentinum, quinuero & per dictum Piumi V. vt dictum eſt in argum. 1. Hæc ſunt argumenta & rationes, quę adducuntur pro hac parte.

Secunda opinio tenẽs partẽ negantem. Sed contrariã omnino ſententiam, tenet Ioan. Gutierrez, in ſuis quæſtionibus Canonicis, ca. 14. vbi hac de re longiſſimam diſputationem facit, quinuero & multo ante tẽpore, prius quam ipſe, de eodem argumenti genere, propoſitoque caſu agendo, ſtando ſolummodo in terminis iuris cõmunis, eandem ſententiam & opinionem tenuit olim priuilegiorum Collector quam & dicit reſolutionem fuiſſe & determinationem, factam per plures eoſdemque ſapientiſſimos & famoſiſſimos Doctores, huius Vniuerſitatis Salmanticenſis, qui propoſitę ſibi quæſtioni, An generalis Miniſter, Prouincialis ſeu viſitator, vel Commiſſarius Ordinis Fratrum Minorum, Monialium S. Claræ curam habentes, licentiam poſſent præſtare, cuidam Moniali grauiter infirmanti, vt ex ſuo Monaſterio exiret, ad aliudque eiuſdem Ordinis poſſet tranſire, cauſa curandæ prædictæ grauis infirmitatis, exactiſſima (vt dicitur) diſcuſſione facta circa præſentem difficultatem, omnes vnanimiter atque vno ore reſponderunt & dixerunt, non poſſe id fieri, ſtando in iure communi, quod & multis iuribus & rationibus comprobarunt, quas ponit ſupradictus Collector, *verbo, clauſura Monialium, in fine*, & etiam habentur in fine Supplementi, ſimul cum alijs Deciſionibus quorumdam dubiorum, quæ in dicta Salmanticenſi Academia, prædictis doctiſſimis Doctoribus, & Magiſtris fuerunt propoſita. Quam etiam ſententiam & opinionem, ſequendo Collectorem prędictum, tenet Doctiſſimus Corduba in addit. ad dictum Compendium, ver. vbi ſupra, & reſpondet argumentis in contrarium factis, quod & nos Deo dante faciemus ſimiliter. Vnde cum hæc ſententia & opinio, propter rationes & cauſas inferius dicendas, ſtando etiam in puncto iuris, probabilior videatur, pro propoſiti Articuli reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Supradicti tres caſus, poſiti in dicta Extrauaganti Pij V. non poſſunt aut debent extendi, ad alios ſimiles.

SVpradicti tres caſus, contenti in prædicta Extrauaganti, ſiue Conſtitutione Pij V. non poſſunt aut debent extendi ad alios ſimiles. Hæc Cõcluſio, vt dixi, eſt ſupradicti Ioannis Gutierrez loco ſupracitato num. 7. vbi & eamdem probat, hac in primis efficaciſſima ratione: nam prędictus Pius V. ibidem, primo ponit generalem regulam, ſtricte prohibituam cuiuſcumque egreſſus, Monialium à ſuis Monaſterijs, quam etiam expreſſe extendit ad caſum cuiuſcumque infirmitatis, in illis verbis, *etiam infirmitatis, &c.* & poſtea excipit tres ſupradictos tantum caſus, à regula prædicta negatiua, ponitque excommunicationem ipſo facto, aliter quam vt præfertur egredienti, ſeu licẽtiam exeundi quoquo modo concedenti, necnon quod amplius eſt concomitantibus ipſas, & priuationem omnium officiorum, adminiſtrationum & dignitatum, &c. prout latius ibi continetur: ergo non eſt dicendum vllo modo contrarium. Conſequentia inde patet, nam cum poſt exceptiones particulares & ſpeciales, ſupradictæ regulæ generalis, addiat & ponat decretum pœnale, aduerſus aliter facientes, omni proculdubio ibidem formam inducit, quæ quidem omnino & ad vnguem ſeruãda eſt, nulloque modo prætermittenda, iuxta textum, *in cap. cum dilecta, de reſcript.* vbi Felinus ſupradictam regulam, cum ſuis ampliationibus, atque

falſen

fallentijs conſtituit, idque præcipue in hoc caſu locum habet, cum in principio dicatur, vt ne aliqua alia occaſione, ſiue prætextu contrarium fiat, apponaturque contrarium facientibus, excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quę grauior eſt omnium quas habet Eccleſia, vt dicit D. Auguſt. & habetur, *in cap. corripiantur 24. quæſt. 3.* cum igitur hoc ita ſit, quiſnam qui ſanęmentis ſit, audebit (inquit Ioannes Gutierrez) contra tanti Pontificis verba, adeo clara & expreſſa, excommunicationis maioris latæ ſententiæ Papæ reſeruatæ periculo ſe exponere?

Secundo probatur eadem concluſio, nam vt patebit intuenti, in omnibus tribus caſus ſiue caſibus, in quibus prędictus Summus Pontifex, in dicta ſua Conſtitutione, licentiam permittit concedi poſſe Monialibus, exeundi è ſuis Monaſterijs, aperte & expreſſe ex ipſius mente conſtat, vt tũc demum id fiat, licitumque ſit tantummodo, quando caſus occurrens, Moniales omnes Conuentus tangit, earumque communitatem, & ita eis omnibus communis eſt, vt damnum nõ exeundi omnes in vniuerſum concernat: non ſic autem quando cõcernit & tangit, ſingulas Moniales infirmas in particulari, quod & ex exemplis ab eo poſitis de incendio quodam grandi, & infirmitate leprę, ſiue epidemię, facile erit colligere: ergo vbi eiuſmodi ratio communis non militat, contrarium erit omnino dicendum, nec ſupradicti tres caſus expreſſi, extendi poſſunt aut debent ad alios ſimiles. Cõ ſequentia, vt videtur eſt legitima & conſtitutionis ratio, multum rationi conſona. Nam in caſu magni cuiuſdam incendij, infirmitatis leprę, aut epidemiæ, ne totum Monialium Monaſterium pereat, & pro ſalute omnium, vtque communitati conſulatur, prudentiſſime & ſanctiſſime ſtatutum eſt, vt prædictis Monialibus facultas fiat, è Monaſterijs egrediendi: at quod Monialis aliqua, vtcumque graui infirmitate prematur, atque periclitetur, è Monaſterio exeat, poſtquam ſemel clauſurã profeſſa eſt, non id ita ratio conuincit, minuſque damni ac periculi eſſe videtur, vt propterea fortaſſis ipſa moriatur, poſt mortem in æternum viuitura, quam vt clauſura cum omnium aliarum ſcãdalo, & malo exemplo violetur, nam & omnes alię ſtatim idipſum expoſtulabunt. Præterquam quod non propterea morietur, nec id ad recuperãdam ſalutem, remediũ eſt ita præciſe neceſſariũ, quidquid Medici dicant, pro libito multoties, vt eiſdem Monialibus complaceant. Etenim ſi vt dicitur ab eiſdem, infirmitas eſt mortalis, ita etiam extra Monaſterium continget, ac ſi Monialis eſſet intra. Nemo enim, vt dicitur, diem vocationis ſuę vitare poteſt. Dicendum eſt igitur, ſtando in prędicta conſtitutione Pij V. quod quando caſus occurrens, Moniales omnes concernit & tangit, ita vt niſi è Monaſterio exeant, ſtatim videantur moriturę, vt contingit in caſibus ſupradictis, incędij magni, infirmitatis leprę, atque epidemię, qui morbi ſunt contagioſi, omnibuſque præiudiciales, licitum eſt Monialibus, è Monaſterijs exire, nõ ſic autem, in occurrentibus caſibus particularibus, vtcumque dicantur ſimiles: nam re vera non ſunt ſimiles, niſi pertineant & ſpectent ad bonum totius communitatis, & ad euitandum damnum totius Monaſterij. Etiſta non vero alia, proculdubio fuit mens & intentio Summi Pont. vt attente ipſius verba conſideranti facile erit colligere. Sed quod idipſum erat dicendum, ſtando etiam in ſolo iure communi, maiorem difficultatem habet, de quo ſequens ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Prælati Regulares Ordinis Minorũ, etiã ſtando in ſolo iure cõmuni, non poſſunt facultatẽ facere, vt monialis aliqua S. Claræ ẽmonaſterio exeat cauſa alicuĩ, vtcumq; grauis infirmitatis.

PRælati regulares, & maxime Ordinis Minorũ, curam habentes Monialium S. Claræ, etiam ſtãdo in iure communi, nullatenus poſſunt licentiã concedere, alicui moniali eiuſdem Ordinis, vtcũque grauiter infirmetur, vt à monaſterio exeat, vel ad aliud transferatur, ſola ratione curãdæ prædictę ſuę infirmitatis. Hęc Concluſio eſt expreſſa reſolutio & determinatio omnium antiquorũ Doctorum, huius Vniuerſitatis Salmanticenſis, quam vt dixi, tradit priuilegiorum Collector, & habetur etiam in fine Supplementi vbi ſupra, & rationes, quibus innixi ſunt, ad ſtatuendam prędictã reſolutionem, ſunt quæ ſequuntur. Primo, quia in ipſarum regula, vt ex ſupradictis conſtat, expreſſe habetur, quod moniales vitam illam firmiter profitentes, teneantur manere in clauſura toto tẽpore vitæ ſuæ, prętquam ſi euenerint certi caſus fortuiti, & alij non fortuiti ibidem expreſſi: ſed ſupradictus infirmitatis caſus, vtcumq; grauis, non eſt exibidem expreſſis: ergo intentũ. Quod vero non ſit ex caſibus ibidem expreſſis, probatur, nam ſi ſub aliquo comprehenderetur, maxime illis verbis, *cauſa alicuius valde euidentis, & grauis diſpendij euitandi*, ſed in iſtis non comprehenditur, vt de ſe patet, nam talis caſus non contingit, niſi quando monialis aliqua, eſſet peſte aut notabili lepra vulnerata, ex quo timeri iure poſſet, quod tota domus corrumperetur, niſi licentia eidem daretur, exeũdi extra clauſuram ad ſe curandam, qui eſt caſus, in quo ſi fuiſſet perſona ſecularis, iure poſſet extrahi de populo, & mitti ad aliquam domum in campis ſeparatam: quod non cõtingit in propoſito: ergo intentum. Secundo probatur idipſum, quia Papa in omnibus locis ſupradictę regulæ, vbi aliquid contra clauſuram excepit, ſiue in caſibus fortuitis, ſiue non fortuitis, nũquam habuit conſiderationem, ad vtilitatẽ alicuius perſonæ particularis, eſtq; verоſimile, quin uero iuridicũ, quod ſi id voluiſſet, illud expreſſiſſet: ergo cum in omnibus ſuis exceptionibus, ſemper conſuluerit atque prouiderit communitati, ſatis colligitur, quod voluerit commoditatem communitatis, aliquando præferri clauſuræ. Cum igitur nõ reperiatur factum idipſum, quando agitur de commoditate perſonæ alicuius particularis, nec etiam in vno tantummodo caſu, aperte etiam conſtat, quod nullo pacto voluit, commoditatem ſeu conſolationem, perſonæ alicuius particularis vllo pacto clauſurę præferri. Quod etiam confirmatur tertio, nam in dicta regula Vrbani IIII. expreſſum habetur, qualis & quanta gerenda ſit, monialium infirmarum cura. Dicitur enim ibi: *De infirmis cura & diligentia maxima habeatur, & ſecundum quod poſsibile fuerit & decuerit, tam in cibarijs quæ earũ requirit infirmitas, quam in alijs neceſſarijs, in feruore charitatis benigne ac ſollicite eis per omnia ſeruiatur. Quæ infir-*

infirmę proprium habeant lectum(si vnquam fieri poteſt) vbi à ſuis maneant ſeparata,ne illarum ordinem valeant confundere vel perturbare. Ex quibus verbis,duo ſimul clariſſimè colliguntur. Primum eſt in fauorē proximi prędecedentis fundamenti, ſcilicet, quod adeo Papa communitatem in ſua ſpirituali ſanitate conſeruare voluit,quod præcepit, vt moniales corporaliter infirmę taliter curentur,quod ſanas in diuinis beneplacitis vacantes, nullo modo valerent impedire,confundere aut perturbare, atq; ita communem commoditatem ſemper conſideraſſet,numquam autem particularem. Secundo etiā colligitur,quod Papa in ſupradictis verbis, loquitur de grauibus infirmitatibus curandis, quod patet ex eo,quia dicit quod curentur maxima cura, & ſumma diligentia,cum ſolicitudine & per omnia,& ponit ſimilia verba, ex quibus colligitur, quod loquitur de grauibus infirmitatibus. Aliter enim minus vt videtur proportionatum fuiſſet, prædicta verba referri ad leues infirmitates,quin vero referri tantum debent ad graues,cum ſecūdum iura & omnimodam veritatem, minima minimis, ac maxima maximis referantur. Quod ſi in prædictis verbis, prouidetur à Papa, qualiter ſit procedendum ad infirmitates graues curandas(quod negari non poteſt)clare colligitur,quod ille caſus poſitus in prædicta regula,ſicut licet valde euidentis & grauis diſpendij euitandi,non obtinet locum in ſupradictis etiam grauibus infirmitatibus,ſed tantummodo in infirmitatibus contagioſis, qualis eſt infirmitas lepræ & epidemiæ. Cum igitur id nō contingat in propoſito caſu,ſatis manifeſtè conſtat intentum,nempe, quod etiam ſtando in iure communi,& regulæ ipſarum Monialium,nulla è monaſterio poteſt exire,cauſa vtcumque grauis infirmitatis. Hæc ſunt præcipua argumenta,quæ pro hac parte & Concluſion. adducuntur loco ſupracitato, ex quibus manet ſatis probata prædicta Concluſio. & ad argumenta in contrarium adducta,reſpondetur.

Ad 1. argu. Ad primum adductum,*ex cap. Pericul. ſo,& ex Decreto ſacri conc. Trident. & Conſtit. Pij V.* quo dicitur, extenſionem atque ampliationem fuiſſe factam in locis prædictis,dico quod omnia illa recte proceſſerunt ſuis temporibus,at nouiſſime ſtandum eſt deciſioni & determinationi vltimæ diſpoſitionis & Conſtitutionis Pij V. qui vt ex præmiſſis conſtat id ſtricte pręcepit,omnes alios caſus & cautas excludendo ſub grauiſſimis pœnis,cui quammaxime obēdire oportet,& vt dicitur, in expreſſis, non eſt locus coniecturis,*argu. l. comm. 3. cum ſimilibus, ff. de verbiobl.*

Ad 2. argu. Ad ſecundū reſpondeo,quod licet illud ſit verū in caſibus ibidem dictis,in propoſito tamen caſu non id currit aut procedit,quia non eſt ſimilis caſibus exceptis,nec eadem in eis militat omnino ratio,nam vt prędictum eſt,non reperitur eadem ratio,niſi quando contingeret caſus,qui reſpiceret bonum commune,& commodum totius Monaſterij,ſiue communitatis,non vero alicuius perſonæ particularis. Vnde dico,quod ſi alius caſus inueniri poſſet,omnino ſimilis exceptis in prædicta conſtitutione & Extrauagati, dicere nō dubitarem neque dubito, quod etiam ille comprehenderetur,taliſque dici poteſt,quem prædictus Nauarr. adducit pro exemplo,de Abbatiſſa electa vt pręeſſet alicui monaſterio,& maxime reformationis cauſa,& etiam de exitu monialium tempore belli. At quod monialis aliqua infirma,vtcumque graui laboret morbo ſiue infirmitate,exeat à monaſterio ad ſe curandum, non quidem vtilitatem publicam & communem reſpicit,ſed priuatam ipſius in particulari;in quo caſu noluit prædictus Summus Pont. vt exiret, mentemque ſuam eam fuiſſe,ſatis expreſſit ſupradictis verbis. Quod quidem non ſibi impietati,ſiue charitatis defectui aut vitio imputandum eſt,cum id fecerit, vt ipſe ibidem dicit,decori & honeſtati ſanctimonialium omnium conſulendo,& vt ipſę melius in ſua puritate & caſtitate valeant conſeruari.

Ad 3. argu. Ad tertium & vltimum argumentum reſpondeo,quod quamuis certum ſit,verumque habeat, id quod in argumento adducitur, ſcilicet, quod conſeruatio proprię vitæ ſit de iure naturali,naturaliſque defenſio nemini debeat denegari, vbicūque periculum imminet mortis,nō naturalis ſed violentæ;non tamen id vtquequaque verum habet,vbi mors violenta non eſt ſed naturalis, & quæ ortū habet ab ęgritudine naturali. Nā in tali caſu probabiliſſimum eſt, cōſeruationem propriæ vitæ,non ſemper eſſe licitam,nec vitam propriam in omnibus caſibus adeo eſſe conſeruandam,& maxime à viris religioſis, qui propter Deum, ſuam propriam abnegauerunt voluntatem & vt videtur,prædicto iure ſe priuarunt & abdicarunt. Id quod & experiri licebit in Monachis Carthuſien. qui iuxta propriam ipſorum regulam,licite cogūtur à carnibus abſtinere, quamuis propter abſtinentiam ab eiuſmodi abſtinentiam ſe obligarunt. Idē ergo dicendum eſt in propoſito, de prædicta moniali, vt præmittitur adeo extreme infirmante, quod etiam in hoc caſu,non eſt ſibi licitum è Monaſterio exire,& clauſuram ſemel promiſſam violare,quinuero cogi poteſt ad eandem ſeruandam, etiam cum diſcrimine propriæ vitæ, pro conſeruando communi bono religionis,& tuenda caſtitate &honeſtate,eo modo quo& Princeps,ius habet cogendi ciues ad bellum, pro conſeruanda patria,quamuis mortis probabile illis immineat periculum. Et multo minus conuincit,quod Nau. in confirmationem prædicti argumenti adducit, de priuilegio Gregor. XIII. vbi facultatem fecit ſuo tempore, periculoſæ infirmitatis gratia,quibuſdam Monialibus, exeundi à ſuo monaſterio pro illa curanda,quinuero potius id quammaxime ſuæ opinioni contradicit,ſiquidem hoc eiſdē fuit conceſſum,ex gratia & ſpeciali priuilegio,ad uerſus prętatam conſtitutionem Pij. V. prædeceſſoris ſui,vt conſtat ex ipſius vltimis verbis, poſitis à prædicto Nau. loco ſupracitato,*ibi, non obſtantibus litteris Pij prædeceſſoris, &c.* quod quidem optima ratione facere potuit Summus Pontif. ſed huiuſmodi derogatio in particulari facta, iam præſupponit ius eſſe commune in contrarium. Non enim id fecit prædictus Gregorius,per viam iuris declaratorij, ed potius per viam cuiuſdam priuilegij

Nota valde in quo caſu, conſeruatio propriæ vitæ Religioſis liceat.

Nota quod id quod priuilegij gratia,alicui conceſſum eſt,non eſt in conſequentiā trahendum.

legij & gratiæ, qua propter id non eſt in cõſequẽtiam trahendum, nec ad alias perſonas extendendum, iuxta *l. ius ſingulare, & l. quod vero contra, cum ſimil ff. de legibus.* Priuilegia enim nõ egrediũtur perſonas priuilegiatas, nec alijs quam priuilegiatis, eiſdem vti licebit, niſi id ſibi etiam à Sede Apoſtolica ſpecialiter fuerit indultum. Videatur circa hoc, ſupradictus Ioannes Gutierrez, loco ſupracitato num. 9. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, ea que notatu digniſſima.

ARTICVLVS V.

Quidnam intelligatur ſiue cõprehẽdatur, ſub nomine magni incendij, & infirmitatis lepræ & epidemiæ, poſitæ à Pio V. in dicta ſua Extrauaganti, ſiue Conſtitutione?

CIrca determinationem huius articuli, nonnulli multa dicunt, & Medicorum deſumentes officium, plus nimio inſumunt temporis in explicandis diuerſis infirmitatibus, endemijs, epidemijs, atque peſtilẽtialibus, & ad inueſtigandum, vtrum morbi communes vnicam habeãt rationem ſimplicem. Quod quidem cum nõ ſit mei muneris atque propoſiti, conſulto libuit omittere, tantum modo cõtentus dixiſſe, id quod circa prædictæ Conſtitutionis explicationem, communiter tradunt DD. quod & fiet quammaxima breuitate & reſolutione, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nomine magni incendij, quid intelligatur.

SVb nomine incendij magni, intelligitur incẽdium, ita magnum & euidens, vt certum ſit aut ſaltim multum probabile, quod niſi moniales omnes ſtatim à Monaſterio exeant, omnes ſint ſimul morituræ, & conſumendæ præ nimia exuſtione ignis. Sic explicat hunc locum Ioan. Gutierr. in ſuis qq. Canonicis, ca. 14. num. 8. & priuilegiorum Collector, *verbo, clauſura Monialium poſt* §. 5. in explicatione primi caſus, in quo licitus eſt exitus monialium, ſecundum regulam S. Clarę, iuxta conceſſionem, & determinationem Vrbani IIII. & in fine dicit, quod ſi ignis intus ardens poteſt extingui, ipſis monialibus intra monaſterium manentibus, nõ poſſunt egredi, etiam cum licentia Prælatorum, nec etiam poſſunt transferri ad aliud monaſteriũ, ſufficienti habitatione remanente in primo, quod & nos diximus ſupra, in explicatione eiuſdẽ primi caſus, idemque dicendum eſt in propoſito, neque aliquid amplius de nouo occurrit.

Secunda Concluſio.

Quid intelligatur lepræ nomine.

SVb nomine infirmitatis lepræ, intelligitur infirmitas quædam, adeo contagioſa, quod ſi ipſius radix & origo foras non eijciatur, hoc eſt, monialis eiuſmodi morbo infeſta, cito omnes monaſterij eiuſdem ſorores inficiet, proindeque cunctę peribunt. Sic etiam explicat infirmitatem prędictam, ſupradictus Ioan. Gutierrez loco ſupracitato, & tale exemplum conſtituitur & aſſignatur pro ſufficienti cauſa, è monaſterio exeundi monialibus cunctis, à DD. huius Vniuerſitatis Salmanticæ, in determinatione dubij ſibi propoſiti, de quo facta eſt mentio in Articulo præcedenti, & ponitur à Collectore priuilegiorum, *verbo, clauſura Monialium poſt* §. 34. & caſus ibidem enumeratos. Vbi etiam dicunt, prædictam lepram debere eſſe notabilem, ac talem quod ſi perſona eſſet ſecularis, iure poſſet extrahi de populo, & mitti ad domum aliquam in campo ſeparatam, quod valde eſt notandum atque memoriæ commendandum, vt non pro libito quælibet ſcabies, incurabilis lepra dicatur.

Nota hoc valde.

Tertia Concluſio.

Quid intelligatur, nomine infirmitatis epidemiæ?

SVb nomine infirmitatis epidemiæ, quantum ad præſens attinet propoſitum, intelligendus venit morbus quidam ſimiliter peſtifer atque eadem ratione contagioſus, communitati præiudicialis & perniciouſus, qui populariter graſſetur in populo, maioremque ægrotorum partem, quos apprehenderit interimit. Sic etiam explicat infirmitatem prædictam, ſupradictus Ioan. Gutierr. loco ſupracitato. Et dicit, quod in omnibus tribus ſupradictus caſibus omnibus in vniuerſum monialibus ſpectantibus, & ad communitatem ſiue commune bonum totius monaſterij pertinentibus, licitum erit, iuxta præfatam Pij V. Conſtitutionem monialibus è monaſterio exire, non vero ex alijs particularibus, quæ ſimile periculum ſiue contagionem non habent, ſed reſpiciunt particularem vtilitatem alicuius monialis infirmæ, quę ipſam non tranſcendit, & quamuis è monaſterio nõ egrediatur, non totus periclitabitur Conuentus. Multum oportet hæc aduertere, & conſiderare Superiores Prælatos, quinuero & ipſos Medicos, vt ſciant atque cognoſcere poſsint, cuinam moniali exeundi è monaſterio licentia poſsit indulgeri, cui vero non. Pro quo nullã aliam ſtatuere poſſumus generalem regulam, quam vt iuxta ſuperius dicta, perſpiciatur attente, an talis ſit infirmitas monialis alicuius, vt niſi è monaſterio exeat, domus forſan tota corrumperetur, monaſterioque exindè aliquod valde euidens damnũ, & notabile diſpendium, proueniret.

Nota valde quando infirmitas aliqua dicetur poſtifera, vt pro ea Monialis poſsit á monaſterio exire.

ARTICVLVS VI.

Cuiuſnam Superioris eſſe debeat licentia, ad hoc vt Monialis aliqua exire poſsit é Monaſterio, & an ea neceſſario eſſe debeat in ſcriptis?

PRo huius Articuli intelligentia, referre iterum oportet, ſiue in memoriam reducere, verba Supradictæ Extrauagantis Pij V. quantum ad præſens attinet propoſitum, & ſunt quæ ſequũtur. Poſt expreſsionem trium ſupradictarum cauſarum, incendij magni, infirmitatis lepræ, & epidemiæ,

mię, inquit prædictus Pius V. *Quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura monaſterio rum incumberet, etiam per Epiſcopum ſeu alium loci Ordi narium, etiamſi prædicta monaſteria ab Epiſcoporum, & Ordina riorum iuriſdictione exempta eſſe reperiantur, cogni ta & expreſſe in ſcriptis approbata ſit.* Ex quibus ver bis, ſi ipſa attendatur dumtaxat littera, facile erit colligere, quid ſit dicendum & reſpondendum, difficultatibus propoſitis in præſenti Articulo. Quibus & accedit declaratio, quæ ea de re facta dicitur, à Congregatione Cardinalium in hoc mu nus deputatorum, qui quidem, ſimili ſibi quæſtioni propoſitæ reſpondiſſe feruntur, *pro monialibus è monaſterio exeuntibus, etiamcum cauſa probabili, ſimul requiri communem conſenſum, Superioris regularis atque Epiſcopi loci.* Sed tamen, quia vt dicitur; conſuetudo eſt optima legum interpres, & quâtum ad hoc pręfata conſtitutio non eſt vſu recepta, nec poſita in communi praxi, maxime in noſtra Hiſpania, & per non vſum iam omnino vim amiſiſſe obligandi videtur, quidam dicunt oppoſitum, & quia id dicere, magis videtur rationi conſonum atque iuridicum, pro reſolutione propoſitæ difficultatis, ſe quentes ſtatuuntur Concluſiones.

Prima Concluſio.

Licentia ad exeundum è monaſterio monialiũ, vt Monia les exire poſ ſit è ſuo mo naſterio, in prædictis caſi bus, ſat eſt, vt ſit Supe rioris mona ſterij.

LIcentia ad exeundum è monaſterio monialiũ, ob aliquam extrinſecus prædictis cauſis, ſat eſt vt ſeorſum præſtetur, ab Epiſcopo aut à Prælato regulari reſpectiue, ſiue reſpectu monialium eorum cuilibet ſubditarum. Hæc Concluſio, quamuis videatur contraria, ſupradictæ Conſtit. Pij V. ſequenda tamen & tenenda videtur, propter rationes ſeqq. In primis, quia Conſtitutio prædicta quantũ ad hoc, nunquã fuit vſu receptaaut poſita in praxi in noſtra Hiſpania, & vt dixi, conſuetudo eſt optima legum interpres: eo vel maxime, cum prædicta conſuetudo introducta fuerit videntibus, Superioribus, ipſiſque Epiſcopis intereſſentibus & in eo non reclamantibus, vnde in hac parte prædicta Conſtitutio, per non vſum iam vim videtur obligandi amiſiſſe. Secundo eadem probatur concluſio, nam quod eiuſmodi licentia, à proprio monialis Prælato dũtaxat præſtetur, debeat que præſtari, non vero etiam ſimul ab Epiſcopo ſeu loci Ordinario, ſatis videtur iuridicum, valde que conforme, & quod habetur, in Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 5. vbi agendo de earumdem monialium clauſura, ac determinando cuinam cõueniat præſtare ſupradictam licentiam, quantum ad ingreſſum in ipſarum monaſteria, ſequentia ponuntur verba: *Nemini liceat ingredi ſepta Monaſterij, cuiuſcumque generis aut conditionis ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda.* Et ſubditur: *Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet, in caſibus neceſſarijs.* Hæc Cõcilium vbi ſupra. Idem ergo propter eandem rationem, dicẽdum omnino erit, de licentia & facultate, quantũ ad exitum, nempe quod ſufficiat Epiſcopi, vel Superioris licentia reſpectiue, quantum ad Monaſteria ibi ſubiecta. Quod quidem confirmari videtur ex eo, quia vt pluries iam diximus, Cõcilium ibidem nihil aliud prætendit, quam innouare Cõſtitutionem Bonifacij VIII. profitam *in c. ſic exp. de viuil. ſo. de ſtatu regul. lib. 6.* & ibidem de eodem argumenti genere agendo, ſequentia etiam ponuntur verba: *Nulli Monialium, religionem tacite vel expreſſe profeſſæ, ſit vel eſſe valeat, quacumque ratione vel cauſa (niſi forte tanto & tali morbo earum aliquam laborare cõſtaret, quod non poſſet cum alijs abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari) monaſterii ipſa deinceps egrediendi facultas. Nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, neque etiam honeſtæ, niſi vtr nabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia, ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem.* Ex quibus vltimis verbis, *ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia*, ſatis clare colligitur, id q; in concluſione eſt dictũ, nempe præſtandam eſſe abeo, ad quem pertinuerit Superiorem, non vero ſimul à Superiore regulari & ab Epiſcopo. Nec aliud credendum eſt intẽdiſſe, aut voluiſſe in prædicta ſua Extrauagante & Cõſtitutione Pij V. quamuis contrarium in litteræ contextu aliqualiter appareat. Diciq; optime poteſt, Extrauagantem prædictam, quantum ad hoc non fuiſſe receptam, nec communi vſu comprobatam, aut executioni traditam, propterea quod non ſatis id videretur eſſe iuridicũ, vel quid quid de hoc ſit, hodie non eſſe in praxi, vimque amiſiſſe obligandi per non vſum. Præterea etiam dicere poſſumus, quod prædicta Conſtitutio locũ tantũ habet in monaſterijs earũ monialiũ, quę non ſubduntur Generalibus ſeu Prouincialibus miniſtris, & Superioribus habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, ſed tantummodo ſubduntur Superioribus aliqũbus conuentualibus, eiuſmodi iuriſdictione Epiſcopalica rentibus; nam in talibus monaſterijs, verum erit dicere, quod non ſufficit Superioris immediati licẽtia ad exitum monialium, ſed requiritur neceſſario licentia & approbatio Superiorum, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem habentium iuriſdictionem, qui quidem reuera, quantum ad iuriſdictionem, dici poſſunt quaſi Epiſcopi ſuorum ſubditorum. Qua de re videatur Emmanuel Rodericus in ſuis qq. regular. tom. 1. quæſt. 49, art. 6. in fine, vbi inquit, quod Monialis in prædictis caſibus in dicta Conſtitutione exceptis, exire poteſt à Monaſterio, abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo, cum ſola licentia Generalium aut Prouincialium Prælatorum, quibus fuerit ſubiecta, ſine vlla alia approbatione Epiſcopi. Sed an ſupradicta licentia, neceſſario eſſe debeat in ſcriptis quęri & dubitari ſolet, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Licentia ad exeundũ moniales à monaſterio, in ſcriptis eſſe debet.

LIcentia Superioris pro monialibus, ad hoc vt etiam in caſibus expreſſis, exire poſſint è Monaſterio, neceſſario eſſe debet in ſcriptis. Hæc cõcluſio probatur in primis, ex dicta Conſtitutione Pij V. vbi id expreſſe habetur, quinuero idipſum ſatis colligitur, ex Concilio Tridentino prædicto loco ſupracitato, ibi, *vel ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta.* Nam quamuis mentio non fiat ibidem, niſi de licentia ingrediendi intra monialium clauſuram, vt patebit intuenti, ratio tamẽ eadem aut forſan maior ſuadere videtur, vt idipſum etiam requiratur ad Monialium exitum, ſiquidem

quidem exitus cuiuſcumque Monialis à Monaſterio, grauior res eſt, quã ingreſſus cuiuſcumq; perſonæ in ipſum. Propter hanc rationem, hoc tenet expreſſe Nau. *in c. ſtatuimus, n. 60. ibi. ſecundo reſpõdeo*, & eſt communis opinio.

ARTICVLVS VII.

In quas pœnas incidant, Moniales exeuntes é Monaſterijs, & Prælati & Superiores, licentiam eiſdem dãtes, extra caſus prædictos?

Concluſio.

Moniales exeuntes á Monaſterijs extra caſus prædictos, & dãtes licentiam eiſdem, ipſo ſunt iure excommunicati & comitantes ac recipiẽtes ipſas.

MOniales exeuntes è ſuis monaſterijs extra caſus prędictos, ipſo ſunt iure excõmunicatę, excommunicatione maiori, latæ ſententię, Sũmo Pont. reſeruata, & eandẽ incurrunt Prælati, eiſdẽ exeũdi licentiã quocumque modo concedentes, necnon & ipſas concomitantes, & perſonas illarũ receptatrices. Hęc concluſio habetur expreſſa in dicta Extrauaganti Pij V. vbi ad hoc propoſitum ſequentia verba habentur: *Aliter autem quam vt præfertur egredientes, ſeu licentiam exeundi quocumq; modo concedentes, necnon cõcomitantes, ac illarum receptatrices perſonas, ſiue laicas aut ſeculares vel Eccleſiaſticas, cõſanguineas vel non, excõmunicationis maioris latæ ſententiæ vinculo, ſtatim eo ipſo abſq; aliqua declaratione ſubiacere, á quo præterquam á Romano Põtifice, niſi in mortis articulo, abſolui nequeat.* Neque contentus ſupradictus Pontifex, prędictam appoſuiſſe pœnam, addidit: *Et inſuper tam egreſſas, quam Præſidentes, & alios Superiores prædictos, eis licentiam huiuſmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & adminiſtrationibus, per eas & eos tunc obtentis priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in poſterum obtinenda inhabiles declaramus.* Circa quæ verba notanda veniũt quę dicit ſupradictus Nau. *in dicto ca. ſtatuimus, n. 51* nempe quod pœnæ ſupra poſitę, circa recipientes & concomitantes prædictas Moniales, egredientes è ſuis Monaſterijs, non videntur comprehendere illos, qui compaſſione quadam naturali, in extrema vel graui neceſſitate id faciunt, vt ſi verbi gratia, aliqua perſona cognata vel amica, reciperet vel comitaretur Monialem, egreſſam à ſuo Monaſterio, & aliquot milliaribus progreſſam, inuentam noctu vel diu in loco deſerto, cum periculo amittendi vitam vel famam, ne ipſa Monialis damnũ aliquod pateretur, exhortando eam vt ad ſuum Monaſterium rediret, etiamſi ipſa nollet redire. Quod probat, *arg. deducto ex c. paſce, 86. diſt. & c. ſicut, de conſec. diſt. 4. & c. quod non licet, neceſſitas facit licitum, de regul. iuris.* Quamuis dicat, quod non auderet ipſe, excuſare illos etiam cognatos, qui ſine alia neceſſitate, quam vitandi opprobrium crudelitatis, vel ruſticitatis, aut ob amicitiam vel nomẽ cognationis id facerent. Eandem ſententiam tenet Emm. Roder. 1. tom. qq. Reg. q. 49. art. 7. quamuis in hoc vltimo ab eodem diſcedat, aſſerendo neque etiam in eo caſu, excõmunicationem incurrere illos, quia inquit, grauiſſimum omnium peccatorũ eſt hęreſis, & receptatores hæreticorũ excõmunicantur, excommunicatione maiori contenta in Bulla Cœnæ Dñi, & nihilominus ſecundum communem opinionem, quam tenet Caietanus 2. 2. q. 95. art. 1. & 12 & idem Nau. in Man. c. 27. n. 56. recipientes dictos hæreticos, non vt hæreticos, ſed vt amicos, moti quadam compaſſione naturali, non incidunt in dictam excommunicationem. Idẽ ergo dicendum eſt, de recipientibus & comitantibus dictas Moniales, de earum tamen egreſſu diſplicentibus, & ad regreſſum exhortãtibus, quod quamuis id faciant amore quodam naturali, & cõpaſſione ducti, ſiue ex affectione ſanguinis, non incidunt in dictam excommunicationis cẽſuram.

Nota hoc val de.

QVAESTIO IIII.

De Monialium clauſura etiam in particulari, quantum ad acceſſum, ad ipſarum Monaſteria, in Quinque Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnibus in vniuerſum viris, ſecularibus & Eccleſiaſticis, ſed ſpecialiter Religioſis, prohibitus ſit acceſſus, ad Monialiũ Monaſteria?

Prima Concluſio.

Iure communi omnibus in vniuerſum viris, ſecularibus & Eccleſiaſticis, niſi ex iuſta & rationabili cauſa, prohibitus eſt acceſſus, ad monaſteria Monialium.

GEneraliter & vniuerſaliter loquendo, ſtando etiam in ſolo iure communi, omnibus in vniuerſum viris, ſecularibus & Eccleſiaſticis, & maxime religioſis, prohibitus eſt acceſſus ad Monialium Monaſteria, niſi ex iuſta & rationabili cauſa. Prima prohibitio, quæ hac de re facta reperitur in Iure habetur, *in cap. Monaſteria, de vita & honeſtate Clericorum*, quod eſt Alexandri III. in Concilio Lateranen. vbi ſequentia habentur verba. *Monaſteria ſanctimonialium, ſi quiſquam Clericus, ſine manifeſta & rationabili cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit, ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis, ſi laici excommunicationi ſubdantur, & á cætu fidelium fiant penitus alieni.* Quod quidem decretũ rigoroſiſſimum eſt, maximaq; animaduerſione dignum, & ſi ad pœnas in eodem poſitas habeatur reſpectus, inſinuari proculdubio videtur, quod frequentatio Monaſteriorũ Monialium, prohibita omni-

De pœna frequẽtatiõis monialium monaſteria.

omnibus ſit ſub mortali, poſtquam, vt ibidem dicitur, poniturque in ipſius Summario: *frequentans Monialium Monaſteria, & monitus non deſiſtens, ſi clericus eſt deponitur. ſi vero laicus excommunicatur.* Quę quidem pœnæ, in iure apponi non conſueuerunt, niſi propter peccatum mortale, quod eſt valde notandum & memoriæ commendandum. Nec minus rigoroſum videtur, quod ibidem dicit Gloſſa, *verbo, frequentare*, nempe quod licet in prædicto textu, ſola frequentatio prohibeatur, bina tamen locutio, frequentationem inducit, quod probat argumento deducto, ex *cap. vna tantum, 26. diſt. & ex cap. ita nos, 25. quæſt. 2. vbi gl ſſa, verbo, vſum*, inquit, *quod in criminalibus duæ vices inducunt cõſuetudinem*, pro quo allegat. l. 3. C. *de Epiſc. audientia, in fine*, vbi dicitur, *quod remiſsionem veniæ, crimina niſi ſemel commiſſa non habeant.* Secus tamen eſſe dicit, in negotijs ciuilibus, in quibus nec etiam tres vices, conſuetudinẽ inducunt, argumento deducto, *ex cap. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſionis & proprietatis.* Sed ad ſupradictã gloſſam redeundo, volens eamdem corrigere Panormitanus, addit illi dictum Hoſtienſis, quod videtur æquius, rationique conformius, nempe cõmunem intelligentiam, verbi frequentationis eſſe attendendam, ad hoc vt quiſpiam prædictarum monialium monaſteria frequentare dicatur. Quæ etiam verſans & tractans Nauarr. *in cap. ſtatuimus, num. 61.* inquit, arbitrio iudicis ſibiuideri id eſſe relinquendum, tum quia communis modus loquendi, in hiſce rebus attendendus eſt, *iuxta l. labeo. ff. de ſupel leg. & cap. litteris, de ſponſal.* tum etiam, quia caſus poteſt venire, in quo quiſpiam duodecim vicibus Monialẽ aliquã alloquutus, in tribus annis, ſemel ſingulo quoque trimeſtri, id non cenſeatur frequenter feciſſe, è contra vero, contrarium dijudicari de alio, qui tribus tantum vicibus, tribus cõtinuis diebus, eãdem alloqueretur. Sed quidquid de hoc ſit, ſupradicta noſtra concluſio, cõfirmatur atque corroboratur, per Extrauagantem Bonifacij VIII. poſitam *in dicto cap. Periculoſo, de ſtatu regul. lib. 6.* innouatam, *per Concilium Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 5.* in illis verbis, *ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem*, vbi non ſolũ vetatur ingreſſus intra Monialium monaſteria, verum etiam & ſimpliciter prohibetur acceſſus ad eaſdem Moniales, niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius ad quem pertinuerit ſpeciali licentia. Sed pro religioſis peculiaris eadem de re facta prohibitio reperitur, *in cap. in decima 18. quæſt. 2.* quod eſt Concilij Hiſpalenſis 2. vbi ſequentia habentur verba: *circa monachos talis cautela ſeruetur, vt remoti à monialium familiaritate, nec vſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum. Sed nec Abbatem vel eum qui præficitur, extra ea quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid quod ad inſtitutionem earum pertineat licebit, nec cum ea ſola quæ præeſt, frequenter eos loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum vel trium ſororum, ita vt rara ſit acceſsio, & breuis omnino locutio.* Hæc vbi ſupra, & *in cap. diffinimus eadem cauſa & quæſt.* quod eſt deſumptum ex ſeptima generali Synodo capitul. 20. Ad idem propoſitum dicitur, *quod ſi contigerit, vt aliquã propinquam ſuam monachus videre voluerit, in præſentia Abbatiſſæ confabuletur eidem. per modica & compendioſa verba, atque in breui ab ea diſcedat.* Qualiter autem hoc fuerit ſeruandum, ex dicendis in ſequenti concluſione conſtabit amplius.

Quiſnam frequentare dicatur Monialiũ Monaſteria et Quot vices inducãt conſuetudinem.

Specialis pro hibitio eſt Religioſis facta, vt nõ accedãt ad monialiũ monaſteria.

Secunda Concluſio.

PEr ſupradicta non eſt prohibitus, omnis in vniuerſum acceſſus, ad monaſteria monialium, ſed dumtaxat factus ſine manifeſta & rationabili cauſa. Hæc concluſio ſatis colligitur, *ex dicto cap. monaſteria*, vbi facta eſt ſupradicta prohibitio, in illis verbis, *ſine manifeſta & rationabili cauſa.* Vbi aduertit Gloſſa, *verbo, rationabili*, quod non ſufficit quod cauſa ad accedendum, ſiue frequentandum monialium monaſteria ſit rationabilis, niſi fuerit ſimul manifeſta, in cuius comprobationẽ adducit, *c. perniciosam, & cap. diffinimus 18. quæſt. 2. & capit. & clericus 91. diſt. facit, & cap. non ſunt 11. quæſt. 3. & cap. nolo, 12. quæſt. 1.* vbi ad hoc propoſitum reperire licebit plura, eaque notatu digniſſima. Sed adhuc expreſſius probatur idipſum, *ex dicto cap. periculoſo, de ſtatu regul. lib. 6.* vbi ad idem propoſitum habetur, *quod cauſa accedendi ad monaſteria monialium, debet eſſe rationabilis & manifeſta, ac de illius ad quẽ pertinuerit ſpeciali licentia.* Ijs tamen concurrentibus, non eſt illicitus vt dictum eſt ſupradictus acceſſus, & generaliter non prohibetur acceſſus, ad dicta monaſteria, cauſa audiendi ſacrum & alia officia diuina, neque quicumque alius, à collocutione & ab aſpectu actiuo ſiue paſsiuo, prædictarum monialium, quod probe aduertit ſupradictus Nauarr. loco ſupracitato, *in cap. ſtatuimus, num. 61. in quinto notabili.* Ex quibus omnibus licebit colligere, quod circa hoc non prohibetur à iure, niſi ſolummodo id quod vetari atque prohiberi, quamaxime fuit rationi conſonum, nimiſq; iuridicum, vt ſcilicet qui non habent iuſtam & rationabilem cauſam, ſimul & manifeſtam, ac vt talem probatam, iudicio Prælati, ad monialium monaſteria non accedant, ſed ſanctimoniales Chriſti Domini ſponſas, ſinant in ſua puritate & ſanctitate conſeruari, vt vel ſic à publicis & mundanis cõſpectibus & colloquijs ſeparatæ, Deo liberius ac puriori animo valeant inſeruire, ſublataque omni laſciuiendi opportunitate, eidem in omni ſanctitate ſua corda & corpora tradant, cui ſe per ſolemne religionis & ſuæ profeſsionis votum adſtrinxerunt.

Per ſupradicta nõ eſt omnino prohibitus, acceſſus ad monialiũ Monaſteria, ſed factus abſque iuſta & legitima cauſa.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Minores Fratres, ex ſpeciali ſuæ regulæ præcepto, ſeu ex aliquo peculiari Summorum Pontificum mandato, ad monialium monaſteria ſtrictius prohibeantur accedere?

PRo huius Articuli intelligentia, oportet præmittere, quod hac de re diuerſæ ſunt ſententiæ & opiniones, eorum quibus cura fuit, noſtram minorũ Fratrum regulam exponere, & eiuſdem explicationes & declarationes, in noſtri Ordinis Monumen-

mentis tradiderunt. De quibus videatur Corduba, in annotationibus ad Compend. *verbo, accedere ad monaſteria monialium, & ſuper Regulam ca. 11. quæſt.* 3. Quidam enim dicunt, quod ex vi noſtræ regulę & ex ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci intentione, prohibitus eſt nobis Fratribus Minoribus, non ſolum ingreſſus, verum etiam & quicũque acceſſus, ad quęcumque quarumlibet monialium monaſteria. Huius opinionis mentionem facit, & eandem ſequi videtur, ſupradictus Corduba ſuper eã dem regulam, cap. 11. quæſt. 3. quam & probare cõtendit, aliquibus rationibus, quę breuitatis gratia hic prætermittuntur, poſitæ ſunt à me iam pridem in explicatione eiuſdem Regulæ, quam Hiſpano ſermone edidi. Sed alia eſt aliorum opinio & ſententia magis pia, minuſque ſtricta & rigoroſa, aſſerentium & dicentium, ex vi ſupradictæ noſtrę Regulæ, tantummodo eſſe prohibitum nobis Fratribus Minoribus, introitum in monialium monaſteria, acceſſum autem ad exteriora loca, non eſſe ſpecialiter prohibitum ex vi illius, ſed ſolummodo ex pręcepto Eccleſiaſtico Papali, ſeu Prælatorum Ordinis, qui eadem de re diuerſis temporibus, varia atque diuerſa fecerunt ſtatuta & conſtitutiones. Sed nec iſta opinio alijs placet, dicunt enim, quod ſi aliquod vnquam circa hoc factum eſt ſtatutum, iam poſtea ab habente auctoritate fuit reuocatum, vt infra dicemus. Quo fit vt nulla pro nobis Fratribus Minoribus, reliqua ſit ſpecialis prohibitio, præter generalem illam, quam habent omnes in vniuerſum fideles Chriſtiani, ſed ſpecialem Clerici & Religioſi poſitam à Iure communi, de qua diximus in præcedenti Articulo. Vt autẽ fiat liquidum, quid hac in re tenendum eſt, ſequẽtes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Certiſsimum eſt, quod ex vi noſtræ Regulæ, nulla eſt nobis facta ſpecialis prohibitio, circa acceſſum ad monaſteria monialiũ, ſed tantũ circa ingreſſum.

CErtiſſimũ eſt, quod ex vi noſtræ Regulæ & prę cepti in ea poſiti, nobis Fratribus Minoribus, non eſt ſpecialiter prohibitus, acceſſus ad monaſteria monialium, exterioraque loca, ſed tantummodo ingreſſus in ipſa. Hæc concluſio, vt credo eſt comperta & manifeſta, nec negari vllo modo poteſt, quid quid alij dicant, aliud eſſe de mente & intentione, Seraphici. P. N. Franciſci. Nam nos id intelligere non valemus, neque ex pręcepto eidem conformari tenemur, niſi quatenus conſtat ex ipſius verbis, ſed quod verba in Regula poſita id nullatenus innuant, manifeſtiſſime conſtat: ſunt enim hæc quæ ſequũtur poſita in cap. 11. *Fratres nõ ingrediantur monaſteria monacharum, præter illos, quibus á Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis.* Vbi valde venit notandum, verbum, *ingrediantur*, ex quo ſatis colligitur, qualiter prohibeatur ingreſſus, non vero acceſſus. Quæ quidem verba, declarãs etiam olim Gregorius IX. in explicatione eiuſdem Regulæ, dixit Monaſterij nomine clauſtrum, officinaſque interiores eſſe intelligendas, vt conſtat ex monumentis noſtri Ordinis, primæ impreſſionis, fol. 11. & ſecundæ, fol. 2. & refertur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialium.* §. 1. Id quod & plures alij Summi Pontifices dixerunt, ſed præſertim Nicolaus III. in ſolemni illa ſua declaratione, quæ incipit, *Exijt qui ſeminat, de verb. ſignific. in 6.* & refertur in ſupradictis Monumentis Ordinis, primę impreſſionis, fol. 10. & ſecundę fol. 11. & in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 10. Quibus omnibus & ratio ipſa fauet, etenim ſi Regula de acceſſu etiam loqueretur, & non ſolummodo de ingreſſu, intolerabile quidem atque incomportabile prorſus iugum videretur, præcipere, vt nõ id fieret, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Cum enim accedendi neceſſitates ad monialium monaſteria, & maxime religioſis viris, fere ſint quotidianæ, quiſnam quæſo ſanæ mentis diceret, pro quotidianis rebus ſemper fore ad Papam recurrendum? Non id vlla ratio admittit, aut credendum eſt de noſtro Seraphico, tam pio ac prudentiſſimo Patre, quippiam tale pręcepiſſe. Hac igitur ſententia & opinione prætermiſſa, inueſtigandum ſupereſt, An prędictus acceſſus ad exteriora Monaſteriorum Monialium loca, vbi communiter ſeculares accedunt, ſeu accedere conſueuerunt, dato quod ex vi Regulæ non fuerit nobis ſpecialiter prohibitus, ſit ſaltem per aliquod Papale præceptum, ſiue ſtatutum ea de re factum, quod in conſcientia & ad peccatum obliget? de quo ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Certiſsimum eſt, quod prædictus acceſſus ad monialiũ monaſteria, per aliquos Summos Pontifices fuerit olim Fratribus Minoribus ſpecialiter prohibitus.

CErtiſſimũ eſt, quod prædictus acceſſus ad monialium Monaſteria, & maxime S. Claræ, nobis Fratribus Minoribus, ſpecialiter fuerit olim prohibitus, per Papam & ſtatuta aliqua ea de re facta. Hęc concluſio, probatur expreſſe, primo ex ſupradicta declaratione noſtræ Regulę, facta per Gregorium IX. vbi ſupra, nam poſt alia poſuit ſupradicta verba: *Ad alia vero loca vbi homines ſeculares conueniunt, illi Fratres poſſunt accedere, cauſa prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ, quibus á ſuis Superioribus, pro ſua maturitate fuerit conceſſum.* Et ſubdit: *Exceptis ſemper prædictarum monaſteriorum incluſarum locis (ſcilicet S. Clarę) ad quæ nulli datur accedendi facultas, ſine Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia.* Hæc ſupradictus Gregorius IX. Et quia poſtea Innocentius Quartus & Alexander etiam Quartus, in ſuis declarationibus, quæ referuntur in Compendio, *verbo, ingredi monaſteria monialiũ*, §. 4. & 5. quantum ad hoc aliquã tulum à ſupradicta Gregorij IX. declaratione deuiarunt, Nicolaus III. in alia ſua, de qua mentionẽ fecimus ſupra, & qua nunc præcipue vtimur, quia quidquid boni in alijs continetur totum dempto nullo in ipſa reperitur, eamdem iterum confirmãdo, & ordinatum in contrarium per ſupradictos Innocentium IIII. & Alexandrũ IIII. reuocando, & quod prius Gregorius dixerat innouando, ac de nouo ſtatuendo, in hæc verba prorupit: *Ad alia vero loca, vbi homines ſeculares conueniunt, poſſunt illi Fratres cauſa prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere; quibus id á ſuis Superioribus pro ſua maturitate fuerit conceſſum, exceptis ſemper prædictarum Monaſterijs inclu ſarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſicut & idem Gregorius Nonus, prædeceſſor noſter, in eo caſu dicitur reſpondiſſe.* Et addit paulo inferius. *Quod in omnibus & ſingulis articulis, quos Conſtitutio ſua continet, quamquam alij Pontifices in ſuis litteris atque declarationibus, aliud ordinauerint atque determinauerint, ſua nihilominus*

Dominus Constitutio inuiolabiliter obseruetur. Ex quibus superque satis constat, veritas nostræ conclusionis, constabitque amplius ex ijs quę postea Benedictus XII. in suis Constitutionibus, quas propræ dictis Monialibus edidit, statuisse fertur, vbi inter alia dicitur, quod Ministris, Custodibus & Guardianis districtius iniunxit, vt Fratres sui Ordinis sibi subditos, ab accessu ad monasteria monialium quarumcunque arcere studerent, pœnas prouide ordinatas transgressoribus infligendo. Habetur in libro Ordinis Italico, fol. 210. & refertur in Compendio, *verbo, accedere ad monasteria monialium.* §. 5. In cuius præcepti siue mandati executionem, in nostri Ordinis Monumentis, feruntur ea de re facta, varia atque diuersa statuta, diuersis temporibus in nonnullis Capitulis generalibus. Sed specialiter pro hoc facit, id quod legitur statutum, in generali capitulo Tolosano, celebrato anno Domini M.D.XXXII. vbi ad idem propositum, sequentia habentur verba: *Arceantur studiosissime, Fratrum accessus ad monialium, & Sororum loca, & nullo modo cū eisdem loqui possint, nisi à ministro prouinciali, licentiam in scriptis habeant. Liceat tamen hospitij & celebrationis gratia, ad huiusmodi loca accedere, vbi fratrum Conuentus non sunt.* Hęc vbi supra. An vero prædicta statuta, obligauerint olim ad culpam, vel solummodo ad pœnam, aliorum esto iudicium, non enim id est præsentis speculationis, nec mei muneris atque propositi, illud in præsentiarū determinare, quia longiorem requirebat disputationem. Sed quidquid de hoc sit, dico quod post tempora Sixti IIII. qui prę fuit Ecclesiæ, circa annum 1471. omnia, statuta etiam Apostolica, facta ad sua vsque tempora, quę vltra regulam nostram, obligationem aliquam in conscientia inducebant, atque ad peccatum obligabant, per ipsum fuerunt annullata & reuocata, vt latius constabit, ex dicendis in sequę ti Conclusione.

Tertia Conclusio.

Post tempora Sixti IIII. accessus ad monasteria monialiū, fratribus minoribus specialiter statuto Apostolico interdictus, iam esse desijt, prohibitus sub peccato.

POst tempora Sixti IIII. supradictus accessus ad monialium monasteria, nobis Fratribus minoribus esse desijt specialiter prohibitus in conscientia, & quantum ad peccati obligationem, prętergeneralem illam, qua cuncti fideles atq; Christiani, sed maxime Ecclesiastici & religiosi, ad idem tenentur de iure communi. Hæc conclusio probatur manifestissime, ex prædicta reuocatione Sixti IIII. facta generaliter de omnibus præceptis & statutis etiam Apostolicis, quę vltra regulam, in cōscientia nobis, ad peccatum aliquam obligationem inducerent, quę quidem reuocatio habetur in Monumentis nostri Ordinis, primæ impressionis fol. 22. & secundæ fol. 106 concession. 229. & refertur in Compendio Priuilegiorum, *verbo, statuta Ordinis*, estque tenoris sequentis: *Sixtus IIII. statuit & decreuit, quod ministri & custodes ac Guardiani, & Fratres Ordinis minorum, qui pro tempore fuerint, nulla Ecclesiastica censura, nulloque mortalis peccati vinculo, ligari valeant, ex statutis & cōsuetudinibus vel declarationibus dicti Ordinis, præter Regulā quomodolibet, & à quibuscunq; editis, etiā cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, illis cōtrafacie do, nisi tales esset casus, vel excessus, qui diuina lęsa, aut præcepto Romanæ Ecclesiæ, merito inducerent ad mortale. Ac etiam censuras & pœnas aliter latas, reuocauit & annullauit, illasque ad vim comminationis pœnarum, comminatoriarum & inferendarum, seu ad corporales & temporales pœnas, per Prelatos supradictos ferendas & infligendas redaxit. Volumusque similiter quod ministri, custodes & Guardiani, & alij prædicti Ordinis, Prelati, possint ferre & promulgare, corporales & ĩporales, seu alias pœnas pro non obseruatione dictorum statutorum, secundum qualitatem personarum, locorum & ĩporum, ac alias secūdum quod videbitur saluti animarum, fratrum eorumdem in Domino expedire, ac etiam delinquentes ab illis absoluere.* Circa quam supradicti Sixti IIII. ordinationem, dicit Priuilegiorum Collector vbi supra, quod illud quod dicitur ibidem, de declarationibus dicti Ordinis præter regulam quomodolibet intelligi debet, de declarationibus factis per Fratres, & postea per Papam approbatis, nō autē de declarationibus Regulæ, factis à Summis Pontificibus, & præsertim à Nicolao III. & Clemente V. quæ existunt in corpore iuris, licet aliqui & male, aliter senserint. Sed Corduba in annotationibus, quas fecit ad dictum Compendium, *verbo, accedere ad monasteria monialiū, quoad* §. 4. *quæst.* 2 contrariam omnino tenet sententiam, & quantum ad præsens nostrum attinet propositum, inquit, quod & si prædictus accessus ad monialium monasteria, specialiter nobis Minoribus Fratribus, fuerit olim prohibitus, per Gregorium IX. Nicolaum III. & Benedictum XII. vt in præcedenti conclusione est dictum, nunc iam eiusmodi accessus, esse desijt specialiter prohibitus, pro eo quod prædictus Sixtus IIII. reuocauit omnes prohibitiones, & censuras vltra regulam editas, non solum intra ordinem, sed etiam à Papa, vel ab alijs quibuscunque specialiter, pro nobis Fratribus minoribus. Ita quod etiam prędictæ prohibitiones Papales, & quæcunque aliæ, continentur & comprehenduntur, sub prædicta reuocatione Sixti IIII. Quod adhuc expressius tenet in explicatione, & declaratione nostræ Regulæ, cap. 11. q. 3. In 3. puncto, & in introductionibus ad dictam Regulam, q. 6. in primo dicto, *ibi, sed & notandum*, vbi relata ad litteram supradicta reuocatione, ex ea infert, quod iam post ipsam, non obligant ad culpam, illa quę à Nicolao Tertio, & Clemente Quinto, alijsque Pontificibus præcipiuntur præter regulam: & ponit exemplum de non accedendo ad monasteria monialium, nec loquendo cum eisdē, alijsque huiusmodi, quæ in Regula non continentur, formaliter & expresse, sed tantum virtualiter & implicite. Cuius & rationem reddit, quia prædictus Sixtus Quartus, generaliter loquitur, de omnibus declarationibus nostri Ordinis, id est, pro nostro Ordine specialiter factis à quibuscumque, etiam à Summis Pontificibus. Quod & ita esse constat (inquit) ex prefatione posita in ipso Priuilegio, dicit enim ibi Pontifex, *quod quia nonnulli Romani Pont. prædecessores sui, ac etiā alij Generales et fratres ipsius Ordinis, feruore deuotionis accensi, vltra dictā Regulam, nonnulla statuerint ordinationes fecerunt, &c.* & sequitur reuocatio, vt supra, & infra additur ibidem, *non obstantibus statutis, ordinationibus, et declarationibus præmissis, quibus quoad hoc*

expreſſe derogat, et Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, &c. Ex quibus ſuperque ſatis clare colligitur intentum, non obſtante opinione ſupradicti Collectoris, dicentis quod ad hoc vt reuocarentur declarationes Regulæ, factæ per Nicolaũ III. & Clementem V. quæ exiſtunt in corpore Iuris, neceſſarium erat vt earumdem fieret ſpecialis mentio, ponerenturq; aliæ clauſulæ ſufficienter reuocatoriæ, quæ non ponuntur in ſupradicto Sixti IIII. priuilegio. Sed contraria opinio & ſententia eſt verior & tenenda, quam tenet ſupradictus Corduba, locis ſupracitatis. Vbi & addit, quod quamuis in dicta reuocatione Sixti IIII. non comprehenderentur omnia prędicta, fuiſſet ſatis ſaluũ briter prouiſum, & neque contra noſtræ Regulę puritatem, quod à Dño Papa peteretur & procũraretur nunc, id quod prædictus Sixtus IIII. in dicta ſua Bulla, ſiue Priuilegio diſpoſuit, vt ſcilicet tollerẽtur omnia præcepta & prohibitiones, quæ ſunt præter regulam, vt vel ſic euitarentur tot ac tanta peccata. Quod & conſuluit, optauitq; quam maxime fieri. Auctor Tractatus qui dicitur Decẽ plagarum paupertatis, in 8. & 10. plaga. Aduertit tamen ſupradictus Corduba, loco vbi ſupra, in an notat. ad Compendium, *verbo, accedere ad monaſteria monialium, quoad*, §. 4. quod quãuis nobis Fratribus minoribus facta non ſit iam ſpecialis prohibitio, de non accedendo ad prædicta monialium monaſteria, adhuc tamen remanet generalis prohibitio Papalis & Eccleſiæ, qua iure cõmuni prohibitum eſt, omnibus in vniuerſum Chriſtianis, frequentare monaſteria monialium, & accedere ad ipſa, & cum eiſdem habere familiaritates, per ſupra citatum, *cap. monaſteria, de vita et honeſtate Clericorũ*, aliaque capitula, quæ ſupra in prędcedenti Artic. ſunt adducta, ſed præſertim, *cap. periculoſo, de ſtatu Regul. lib. 6.* Quæ quidem generales prohibitiones, non ſunt reuocatę per Sixtum IIII. nec ſimiliter prohibitiones, ſi quæ aliq per ſuos ſucceſſores fuerint factæ, nec prohibitiones noſtrorum ſtatutorum, ſi quæ hac de re ſunt, quæ obligẽt in conſcientia, ſiue ad peccatũ, quia (inquit) Sixtus IIII. tãtummodo præcedentia ſtatuta reuocauit, non vero futura. Vnde caute ſtãdum eſt, viuendumq; timorate, & inſpiciendum quid circa hanc rem, pro tempore fuerit conſtitutum & ordinatum in ſtatutis Ordinis.

Nota hoc vide.

ARTICVLVS III.

Quinam Superiores & Prælati, licentiam poſſint præſtare, ad accedendũ ad Monaſteria Monialium?

IAm ex ſupradictis conſtat ſuperque ſatis, quod etiam ſtando in ſolo Iure communi, prohibitum eſt omnibus in vniuerſum fidelibus Chriſtianis, ſed maxime Eccleſiaſticis & religioſis, cuiuſcũ ordinis extiterint, frequentare Monialium Monaſteria, ſine iuſta & rationabili cauſa, ſimul & manifeſta, ac de illius ad quẽ pertinuerit illã dare Superioris licentia. Quod plane intelligentes noſtri Sacri Ordinis Patres, perſpicientes ſupradictas Summorum Pontificum prohibiones, pro noſtris Fratribus Minoribus ſpecialiter factas, eiſdemque reformidantes, vllo modo contrauenire, diuerſis temporibus à quampluribus Summis Pont. varias & diuerſas conceſſiones impetrarunt, quò ſibi ſubditis licentiam poſſent præſtare, accedendi ad monaſteria monialium quarumcunque, cum neceſſitas ſefe offerret, illiſque videretur expedire. Circa quod Ordini noſtro collata ſunt multa priuilegia, quæ habentur in Monumentis Ordinis, referunturq; à Priuilegiorum Collectore, in Compendio, *verbo, accedere ad monaſteria monialium*, quorũ vt habeatur, memoria libuit ea per ordinẽ ponere, eo modo quo conuenit, referendo ſingula ſingulis, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

CErtiſſimum eſt omniq; dubio procul, quod Prouinciales miniſtri licentiam poſſunt præſtare ſibi ſubditis, ad accedendum ad Monaſteria quarumcunque monialium, cum iuſta & rationabili cauſa, & quando neceſſitas id exegerit. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam adducendo priuilegia ea de re facta. Et in primis habetur in Monumentis noſtri Ordinis 2. impr. fol. 261. conc. 675. & refertur in Compend. *verb. accedere ad monaſteria monialium*, §. 6. quod Eugenius IIII. *conceſſit, quod Fratres minores obſeruantiæ, poſſint intrare ad loca quarumcunque monialium, vbi ſeculares communiter intrant, de licentia ſuorum Prælatorum, quando mittuntur.* Hanc cõceſſionem, Priuilegiorum Collector vult limitare, vt ſolummodo intelligatur, quod poſſunt intrare ad prędicandum, pro eo quod cũ hac limitatione, idipſum fuerit conceſſum poſtea à Nicolao V. & Pio II. vt ſtatim dicemus. Sed quidquid de hoc ſit, probabilius eſſe credo, quod prædicta conceſsio intelligenda eſt vt iacet. Sed pro Prædicatoribus ſpecialiter, habetur in eiſdem Monumẽtis ſecundę impreſsionis fol. 65. conceſsion. 88. & in Supplem. fol. 99. conceſsio. 366. quod Nicolaus V. *conceſsit Minoribus Fratribus, quod poſsint intrare & prædicare, in Eccleſijs & locis Monialium S. Claræ, & aliarum quarumcunque, vbi ſeculares communiter intrant, de licentia ſuorum Prælatorum, quando mittũtur.* Idem ſub eiſdem verbis, conceſſit etiam Pius II. vt habetur in eiſdem monumentis 2. impreſ. fol. 66. conceſſ. 94 & ambæ iſtæ conceſsiones, referuntur à Priuileg. Collect. in Comp. verb. vbi ſup. §. 7. & 8. vbi & aduertit, ſolummodo valere pro Prædicatoribus, pro eo quod dicitur, intrare & prædicare, quod in quit idem pollet, ac ſi diceretur, intrare ad prædicãdum. Sed quidquid de hoc ſit, poſtea Sixtus IIII *conceſsit, quod Fratres minores, de licentia ſuorum Prælatorum, accedere poſsint ad loca monialium S. Claræ & S. Dominici, ad quæ ſeculares accedũt, pro eleemoſyna petenda, & cauſa celebrandi, et pro alijs licitis et honeſtis.* Habetur hæc conceſsio, in dictis monumentis 2. impreſ. fol. 69. conceſ. 142. & in Supplemento fol. 100 conceſ. 388. & refertur in Compend. verbo vbi ſupra. §. 11. Similiter habetur in prędicto Supplem. fol. 99. conceſſ. 369. & refertur in Cõpendio verb. vbi ſupra §. 12. quod Alexander VI. *conceſsit, quod Prouinciales poſsint licentiare Fratres, ad alia monaſteria quam S. Claræ, non ſolum cauſa eleemoſynæ petendæ, vel pr. di-*

Prouinciales miniſtri, licẽ tiam poſſunt præſtare, cum iuſta et legitima cauſa ſibi ſubditis, ad accedendũ ad monaſteria monialium.

prædicationis faciendæ, ſed etiam pro ſpirituali viſitatione conſanguinearum, vel alia neceſsitate, intelligendo ſemper de locis, ad quæ ſeculares communiter accedunt. Ac tandem, habetur in eodem Supplemento, fol. 17. conceſſ. 76. & refertur in Compendio verbo vbi ſupra §. 13. quod Leo X. in quodam ſuo Breui, quod expediuit circa præfatam materiam, ſequentem clauſulam appoſuit. *Non prohibemus tamen, quod prædicti Fratres Minores, infra limites Monaſteriorum S. Claræ, & ad loca vbi Fratres eiſdem ſeruientes habitant, & alij ſeculares ingrediuntur, intrare & accedere necnon & cum eiſdem loqui poſsint, quando opus fuerit, & cum limitationibus in Capitulis veſtris ordinatis, in locis in quibus reliquæ perſonæ ſeculares cum eiſdem loquentur.* Hæ ſunt conceſsiones, quæ in noſtri Ordinis Monumentis reperiuntur, ad hoc vt Prælati ſibi ſubditis, facultatem poſsint facere, accedendi ad monaſteria monialium. Circa quas aduertit Priuilegiorum Collector, quod eiuſmodi conceſsiones, quæ prima facie contradictionem, nugationem vel ſuperfluitatem continere videntur, impetratæ fuerunt à diuerſis Romanæ Curiæ Commiſſarijs, alijſque Fratribus Ordinis, quia eorum aliqui, neſcientes ea quę antea fuerant conceſſa, procurauerunt eadem vel conſimilia de nouo impetrare, ſeu alia circa idem latius vel ſtrictius, quam antea fuerat cõceſſum, quod nonnullam ingerit confuſionem. Vnde & contendit, eaſdem explicare & declarare, quod & facit ibidem: ac tandem reſolutorie dicit, quod nulla conceſsio inuenitur, qua inferiores à Prouincialibus, licentiare poſsint ſeu mittere Fratres ſuos, ad alia monaſteria quam S. Claræ, & S. Dominici, niſi pro eleemoſyna petenda, & prędicatione facienda, prout dixit Nicolaus III. in declaratione noſtrę Regulę, excepta conceſsione ſupra poſita Eugenij IIII. quæ tamen, vt pradictum eſt, videtur limitata & reſtricta, per ſubſequentes conceſsiones ſuorum ſucceſſorum. Ex quo, inquit infertur, quod ſi aliquis Frater abſque ſcrupulo, vellet ire ad monaſteria monialium S. Benedicti vel S. Bernardi, aut S. Spiritus vel Diui Iacobi, reliquarum ve conſimilium, quæ non ſunt S. Claræ aut S. Dominici, pro viſitatione ſpirituali conſanguinearum, vel pro alijs quibuſcumque cauſis neceſſarijs (excepta prædicatione & eleemoſynæ petitione) licentiam oportet habere à miniſtro Prouinciali. Vnde pro Guardianis, alijsque Prælatis inferioribus Prouinciali Miniſtro, ſecunda ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Guardiani et Prælati inferiores Prouincialibus, quãuis mittere poſsint ſibi ſubditos, ad petendas eleemoſynas, in monaſterijs monialiũ, nõ tamẽ eoſdem

PRælati inferiores Prouincialibus miniſtris, quales ſunt Guardiani & Cuſtodes, pro monaſterijs S. Clarę & S. Dominici, habent eamdem auctoritatem, & facultatem quam ipſi, quantum ad hoc, quod eſt licentiam poſſe pręſtare ſibi ſubditis, non vero quantum ad alia monaſteria aliorum Ordinum, ſiue religionũ, niſi pro eleemoſyna petenda, aut prædicatione facienda, aut niſi id ſpecialiter ſibi fuerit conceſſum à prædictis Prouincialibus. Hæc concluſio, ſatis conſtat ex ſupradictis, neque vlla vlteriori indiget probatione, quã etiam expreſſe tenet Auctor *Clypei monialium*, in ſuo tract. concluſione 5. prope finem. Vbi & addit quod Guardiani ſupradicti & Cuſtodes, facultatę habent licentiandi ſibi ſubditos, ſeu licentiam eiſdem pręſtandi, pro quibus libet monaſterijs, in ſequentibus caſibus, nempe pro viſitandis reliquijs & tempore Stationum, ac Proceſsionum generalium, ad Eccleſias monialium. Quod quidem habent ex conceſsione ſpeciali Sixti IIII. cuius fit mentio in monumentis noſtri Ordinis ſecundæ impreſsionis fol. 68. conceſsion. 141. & in Supplemento fol. 96. conceſsion. 323. & refertur in Compendio, *verbo, accedere ad monaſteria monialium*, §. 10. vbi dicitur, quod prædictus Sixtus IIII. *conceſsit quod Fratres prædicti, nempe minores, cauſa viſitandi reliquias Sanctorum, vt caput Ioannis Baptiſtæ ad S. Syluestrum Romæ, vel ſanguinem S. Franciſci Aſsiſij, & huiuſmodi, de licentia Guardiani illius loci, aut alterius Prælati Ordinis, poſsint dumtaxat accedere ad Eccleſias Monialium S. Claræ, & etiam pro tempore Stationum, & generalium Proceſsionum.* Ex conceſsione etiam eiuſdem Sixti habetur, *quod poſſunt prædicti Minores Fratres, de licentia ſuorum Prælatorum, accedere ad loca monialium S. Claræ, & S. Dominici, ad quæ ſeculares accedunt, pro eleemoſyna petenda & cauſa celebrandi, & pro alijs licitis & honeſtis.* Habetur hæc conceſsio in dictis Monumentis, ſecundæ impreſsionis fol. 69. conceſsione 142. & in Supplemento fol. 100. conceſsion. 388 & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra. §. 11. vbi Prælatorum nomine intelliguntur etiam prædicti Guardiani & cuſtodes. Poſt quæ ſupradicta omnia aduertit prædictus Priuilegiorũ Collector, quod Superior, qui dare debet licentiã ad ſupradictum acceſſum, debet eſſe proprius Prælatus illius Fratris, cui licentia conceditur, quia inquit, debet examinare, an ſit illius maturitatis, quam declaratio ſiue conceſsio requirit; vnde & ad hoc opus eſt vt cognoſcat illum. Ex quo infert, quod Frater qui ſe repererit, vbi propriũ Superiorem non habet, non poteſt licentiari per Prælatum illius Monaſterij vbi tunc degit, etiamſi ſit miniſter Prouincialis, cum non ſit ſuus Prælatus. Verum eſt tamen (inquit) quod ſi Frater habet licentiam ſui proprij Superioris ad hoc, non erit ſibi neceſſe petere illam à Prælato Monaſterij, vel à Prouinciali vbi tunc eſt, quia ſicut ipſe non poteſt illam concedere, ita nec amouere, cum non ſit eius Prælatus, quamuis de facto poſsit illam impedire. Quæ omnia probat ex eo, quod dicitur in ſupradictis conceſsionibus & declarationibus Regulæ, quod poſſunt id facere illi, quibus à ſuis Superioribus licentia fuerit conceſſa, non vero dicitur, à Superioribus ſimpliciter. Quę dicta verba tractans Cordu ba in annotat. ad Comp. *verbo. accedere ad monaſteria monialium, quoad* §. 13, dicit ea eſſe vera, regulariter & vniuerſaliter loquendo, & ſtando in rigore ipſorum priuilegiorum. Sed tamen, quia conſuetudo eſt optima legum interpres, & prędualet ipſis legibus humanis, vt tenet communis iuriſperitorũ regula, & in Ordine noſtro eſt cõſuetudo, quod dũ Frater hoſpes eſt in Cõuentu alterius Prælati ſeu in aliena Prouincia, tenetur illi obedire, ſaltẽ in pertinẽtibus ad gubernationẽ exteriorũ actuũ, & reputatur ille pro tũc ſuus Prælatus, vt ab eo gubernetur & ei prouideatur in ſuis neceſsitatib⁹ corporalib⁹ & ſpiritualib⁹, interim emergẽtibus, ideo

licentiare, vt cũ illis colloquãtur de re, niſi hoc habeant, ex commiſsione ſpeciali.

Nota circa licentiam hoſpitibus præſtandã, vt ex cauſa accedere poſsit ad monaſteria monialium.

ideo (inquit) si à tali Prælato præcipiatur alicui Fratri hospiti, vt vadat associando aliquē Cōfessorē, seu Fratrem ad monasteria monialium, etiam ad introandū eorum clausuram cū eo, in casu quo alias licite potest intrari, seu si occurrente necessitate, bono & simplici animo ac sine fraude, talis Prælatus det illi licentiam, sicut suo subdito illā posset dare, apparet quod id licite fiat, quia quoad hoc sic videtur consuetudine practicari, neque in eo nimis est scrupulandū, dum sincero & simplici animo obeditur & iubetur sine fraude. Dicit autē non tanter sine fraude, nam si id in fraudem fieret, non videtur sibi licitum, vtpote si quis Frater, eo animo veniret hospes ad aliquam Prouinciā, seu Cōuentū alterius Prælati, vt de ipsius licentia colloqueretur cū Monialibus, nolens aut non potens, eā habere à suo proprio Prælato, tūc enim inquit, non posset id licite facere in fraudem, nā fraus & dolus in foro diuino, nec in humano, non debent alicui patrocinari. Quæ omnia sunt satis bene dicta. Dicit tandem supradictus Collector, in fine loco supracitato, quod non obstantibus supradictis concessionibus Papalibus, circa prdiæcta omnia standum est, statutis nostrorum Capitulorū generalium & Prouincialium, nam aliquado committitur maior auctoritas, vel minuitur Prælatis inferioribus, aut etiam auferetur in totum per constitutiones generales, seu prouinciales, vel præcepta Superiorum, quo casu, inquit, illud debet obseruari, non curando de concessionibus præfatis. Quæ etiam verba tractans Corduba, loco supracitato, dicit ea esse vera, si prædicta statuta fiant auctoritate Apostolica, ad reuocandum concessiones Papales, vt amplius habetur in eisdem annotat. ad Compendium, *verb. absolutio.* §. 7. Eo vel maxime, quia Leo X. vt supradictū est, concessit quod possimus accedere ad prærata Monasteria, etiam ad loquendum cū monalibus, secundū quod in nostris Capitulis generalibus, vel prouincialibus fuerit statutū & limitatū, & præterea, quia in singulis Capitulis generalibus, fere semper habetur auctoritas Papæ ad omnia ibi statuenda. Vnde inquit bene, dixit supradictus Priuilegiorum Collector, generaliter loquendo, & facta suppositione prædictæ auctoritatis Papalis, quod in ijs standū est, & obseruandum id quod in dictis Capitulis generalibus, vel prouincialibus fuerit ordinatū. Cōcludendo igitur prædictū articulū dico, quod modo, in nostris Constitutionibus Toleranis, circa præsentē Articulū, accedendi ad Monasteria Monialiū. *Stricte cauetur, vt ad exteriora loca quarumcunq; Monialium, accedere non possint Fratres, sine licentia expressa Prouincialis ministri, & dicitur, quod qui aliter amicitias vllas priuatas, cum aliquibus cuiuscūq; ordinis monialibus, sub deuotarum vel similiū nominū nuncupatione contraxerit, vel contractas continuauerit, sit ipso facto priuatus voce activa & passiua, & inhabilis ad omnia ordinis officia. Ministris vero Prouincialibus prædictis præcipitur sub pœna priuationis suorum officiorum, vt nullo modo Fratribus suis licentiam tribuant, accedendi ad monasteria monialium, vel etiam Sororum Tertij Ordinis & eas alloquēdi, nisi occurrat causa iusta & rationabilis.* Habetur vbi supra c. 4. de modo exterius conuersandi, sub titulo de monialium monasterijs, quæ pro isto articulo dicta sufficiant.

Nota quid circa hoc dicant nostræ constitutiones generales.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Prælatus auctoritatem habens, licentiandi sibi subditos, quantum ad accessum ad Monasteria Monialium, licentiare etiam possit seipsum ad idem, an verò necessum habeat, licentiam petere ab alio Superiori Prælato?

QVæstionem hanc mouet Priuilegiorum Collector in Compendio, *verbo, accedere ad monasteria monialium, post 2. notabile.* Et dicit resolutionē huius difficultatis, pēdere ex solutione alterius. An scilicet ea quæ potest facere Prælatus erga sibi subditos, possit similiter facere erga seipsum, vt si v. g. potest dispēsare cū eis, potest illos absoluere, & potest illos licētiare vt ad exteriora loca Monasteriorū Monialiū accedant &c. etiam possit hæc eadem facere erga seipsum, absque alia auctoritate, siue licentia sui Superioris? Et quidem quantum ad præsens attinet propositum, non modica inest ratio dubitandi. Nam in omnibus supradictis priuilegijs & concessionibus, nō cōceditur Prælatis facultas, vt ipsi in prædictis casibus ad Monasteria Monialium possint accedere, sed solummodo quod de licentia suorum Superiorum, Fratres accedant & non aliter. Præterea certum est, quod nemo potest cum seipso dispensare, aut seipsum absoluere, quia nullus esse potest iudex sui ipsius, aut in sua propria causa, vt quam latissime prosequitur & probat, supradictus Priuilegiorum Collector vbi supra, ex multis iuribus & rationibus, & varijs atque diuersis Doctorum Iurisperitorum & Theologorum auctoritatibus. Quibus omnibus nō obstantibus, & breuitatis causa omissis, nam omnia quæ ab eodem adducuntur ibidem, non nisi vnicam dumtaxat continent difficultatem, de qua statim dicemus, in contrarium statuitur conclusio, certo ac firmiter tenenda, propter rationes inferius dicendas, quæ est tenoris sequentis,

Conclusio.

SVperiores & Prælati, auctoritatem & potestatem habentes, ad licentiandum sibi subditos, ad hoc vt accedere possint ad monasteria monialium, etiam possunt licentiare seipsos, existente iusta & rationabili causa, nisi hoc sibi expresse per Superiores fuerit prohibitum. Hæc conclusio est expressa resolutio Cordubæ, in annotat. d d. Cōpendium quoad §. 13. Cuius & ratio est, quia inquit, in actibus qui non sunt iurisdictionis vel iudiciariæ potestatis, sed tantum superioritatis, æque bene potest quis licentiare seipsum, sicut & subditos suos, quomodocumque talem potestatē habeat, vel ordinariam ex officio, aut extraordinariam ex cōmissione, seu ex concessione sibi facta ratione officij, & maxime per Papam, quia eo ipso quo sibi conceditur, vt licētiare possit subditos suos,

Superiores & Prælati, qui alijs licētiā possūt præstare, accedendi ad monasteria monialiū etiā possunt licentiare seipsos.

In actibus, qui nō sunt iurisdictionis.

nis, vel iudiciariæ poteſtatis, ſed Superioritatis, æque bene poteſt quis licentiare ſeipſum ſicut & alios

ſuos, conceditur vt licentiare etiam ſimiliter poſſit ſeipſum ex iuſta, & rationabili cauſa, niſi vt dictum eſt, id ſibi ſpecialiter fuerit prohibitũ. Quod & probat, ex eo quod ſecundum cõmuniter DD. indulgentias concedens, facultatemque & auctoritatem habens in id ipſum, poteſt eas ſimilirer lucrari ac lucrantur illas ſubditi, quibus conceduntur. Pro qua ſupradicta reſolutione etiam facit doctrina Caietani 2.2. q. 96. art. 5. aſſerentis, quod in ſuis legibus poteſt Superior eo modo ſecum diſpenſare, quo & poteſt diſpenſare cum ſibi ſubditis: ergo ſimiliter & Prælatus, poteſtatem & auctoritatem habens ad licentiandum ſibi ſubditos, vt ex cauſa accedere poſſint ad Monaſteria monialium, diſpenſare etiam ſecum poteſt ad idipſum, cum id ſit actus ſuperioritatis, nõ autem iudiciariæ auctoritatis ſiue iuriſdictionis.

Ad auctoritates & rationes, in contrarium adductas per ſupradictum Collectotem, reſpondet Corduba, quod non ſunt ad propoſitum, illa enim omnia procedunt, de actibus iuriſdictionis vel iudiciariæ poteſtatis, in quibus nemo poteſt eſſe iudex ſui ipſius, nec in ſe exercere actus iuriſdictionis vel abſolutionis iudicialis, vt tradunt omnes DD. communiter in materia de pœnitentia. Idemque dicendum eſt circa diſpenſationem votorum & huiuſmodi, quia tendunt ad iudiciarium actum, aut ſi ſpecialiter id alicui fuerit prohibitum, & declaratum vt non poſſit ſecum diſpenſare, ſicut diſpẽſare poteſt cum ſibi ſubdito, niſi forſan in caſu ſibi permiſſo, vtpote in neceſſitate, quę moram & dilationem non pateretur: ſed cum accedere ad monaſteria monialiũ, in caſu alias licito, & in quo quis licentiam alijs poſſet præſtare non ſit huiuſmodi, non (inquã) ſit actus iuriſdictionis vel iudiciariæ poteſtatis, nec ſit ipſis Superioribus prohibitum, dicendum proculdubio videtur, quod licentiare poſſunt ſeipſos, ſicut & alios. Quod & tenet vniuerſalis conſuetudo, quæ hac in re vbique habetur, eſtque optima omnium legum humanarum interpres, & æquiualet legi, nec ipſa corruptela dici poteſt, cum id in ſe non ſit alias peccatum, nec prouocans ad peccatum.

ARTICVLVS V.

Vtrum iure communi ſit prohibitum, ad Monachas ſiue Moniales litteras mittere?

Concluſio.

Iure cõmuni nõ reperitur prohibitũ, litteras admonethas mittere, quãuis prohibeatur, ipſarũ frequẽtare monaſteria, quinuero & ad illa accedere ſine licentia & rationabili cauſa

QVamuis iure communi reperiatur prohibitum, Monialium frequentare Monaſteria, & ad eadem accedere ſine iuſta manifeſta & rationabili cauſa, & Superioris licentia, eius ad quem illam dare ſpectat, non tamen iure reperitur prohibita miſſio litterarũ, ſeu epiſtolarum ad Monachas ipſas. Hæc concluſio quoad primam partem, latis manet probata, ex ijs, qnæ latiſſime diximus in primo Articulo. Quoad ſecundam vero, non aliter poteſt probari, quam argumento negatiuo, quia nempe nullibi id reperitur prohibitum. Nauar. *in cap. ſtatuimus, 19. q. 3. num. 61.* ait, Romæ factum fuiſſe olim edictum, ne quis vir vel fœmina, nocte vel die loquatur, vel ſcribat alicui Monachæ, vel prælatæ vel zitellæ, ſiue puellę in Monaſterio incluſæ, quacumque de cauſa, ſine licentia Vicarij Papę, vel Protectoris Ordinis, ſub pœna 500. ducatorum, & alia arbitraria, excepto deferente eleemoſynam, vel opera ab eis facienda, qui ſolam Abbatiſſam vel Vicariam poterit alloqui. Sed dicit ſtatutũ prædictũ, ad alias Prouincias non extendi, tum quia factum eſt à Vicario Papæ, licet de ſpeciali illius commiſſione & licentia; tum etiam quia id ſuperque ſatis ex ipſius ſtatuti verbis conſtat; ſiquidem in eo dicitur, prærequiri licentiam Vicarij Papæ, vel Protectoris Ordinis, quos conſtat Romę tantum reſidere & commorari. Proderit tamen, inquit prędictus Nauar. ipſius notitia omnibus gentibus, quo ſit inditiũ, eius quod ita ſe res habuit, nempe Romam nam vrbem Pio V. & Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, omnium orbis reformatiſſimam alijs præluxiſſe & extitiſſe. Hæc Nauar. Ad quorũ omnium maiorem declarationem, vtque de ijs rebus maior habeatur notitia, in calce huius Articuli adiuertere libuit, prædictum Nau. *lib. 5. Conſil. de ſent. excommunicationis, conſ. 60.* referre etiam prohibitionem quamdam, quam fecit olim Gregorius XIII. ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, Fratribus cuiuſdã religionis, ne litteras aliquas ſcriberent ad Moniales ſui Ordinis, cuius occaſione quæritur, An fuerit excommunicatus quidam Frater, qui epiſtolam quamdam ſcripſit ad monialẽ, ſed tamen illa ad eãdẽ non peruenit? Et quia eiuſmodi caſus animaduerſione eſt dignus, poteritq; forſan aliquando contingere, & in eo diſſoluendo plura eaque notatu digna dicit, viſum eſt difficultatem hanc, de mente & ſententia eiuſdẽ, in præſentiarum hinc inde paucis diſcutere, prout & ipſe loco ſupracitato facit. Et pro parte negatiua, facit quod verba ſemper cum effectu ſunt intelligẽda, *iuxta l. 1. §. hæc autem verba. ff. quod quiſque iuris, translato in cap. hæc verba, de pœnit. diſt. 1.* Vnde cum præfatarum litterarum miſſio non habuerit effectũ, videtur qꝫ neq; excõmunicatio ipſa. Pro parte vero affirmatiua facit, quod verba Gregorij ſupradicta, prohibuerunt ſcripta mittere, & præfatus Frater quantum in ſe fuit, iam compleuit & conſummauit peccatum inobedientiæ, poſtquam re ipſa epiſtolam ad monialem miſit, ex quo videtur quod cenſuram incurrerit. Eo vel maxime, quia commune illud elogium quo dicitur, verba ſemper cum effectu eſſe intelligenda, non debet intelligi, de quocumq; effectu extrinſeco, ſed ſolũmodo de illo quẽ proprie verba ſignificant, vt latius proſequitur idẽ Nau. *in c. hæc verba, de pœn. diſt. 1. n. 10.* & verba præfatę prohibitionis habebat vt nullus Frater ſcripta mitteret, ex quo videtur ſolũmodo requirere miſſionẽ ſcripturæ, qnæ eſt effectus intrinſecus quem verba ſignificant, neq; ſpectari debere effectus extrinſecus, qui eſt Monialem prædictã epiſtolam accepiſſe. His tamẽ nõ obſtantibus, partem ipſe tuetur negatiuã, quę & tenenda mihi videtur, nẽpe quod prædictus Frater, non remãſit excõmunicatus, aut cenſuram alia quam incurrit, quamuis mortaliter peccauerit. Quod ita tenendum eſſe videtur, nõ ſolũ propter

tia & rationabili cauſa,

Difficultas tanda,

ſed quia verba ſemper ſunt intelligenda, cum effectu etiam extrinſeco, quem Legiſlator vel alius diſponens intendit, quando de eius mente vel intentione conſtat, expreſſe, vel tacite, quod probat prædictus Nauarr. *per l. ſi Balſatorē. C. de fideiuſſ.* quæ habet, promittentem inuenire latronem, non ſatisfacere, niſi eum capiat & Iudici exhibeat. Ad quod propoſitum adducit etiam, duo dicta Bartoli de inueniente bannitos, & de inueniente aliquem cum armis, qui non dicuntur ſatisfacere, niſi re ipſa illos capiant. Licet enim verbum inuenire, proprie non ſignificet acperen iuentum, ex mente tamen & intentione ſtatuentium, præſumitur id ſignificare voluiſſe. Ad propoſitum ergo dicit Nauarro, quod licet prędicta Gregorij verba, quibus prohibuit, *quod nemo Fratrum diſti Ordinis, ad Moniales ſcripta mittere auderet*, proprie non requirerent, vt ſcriptura ipſa ad eaſdem perueniret, præſumitur tamen id voluiſſe, quia non noceret miſſio ſcripturæ, niſi peruenifſet ad manus illius, ad quam mitteretur. Ex quo reſolutiue colligit, peccaſſe quidē prædictum Fratrem, faciendo contra mandatum & ſtatutum, ſed non in excommunicationem incidiſſe, niſi præfata epiſtola ad monialis, ad quam mittebatur manus peruenifſet, idque ſciret ſaltē per relationem perſonarum fide dignarum. Hactenus Nauar. cuius doctrinam hic afferre volui, quia poterit forſan pro alio caſu ſimili deſeruire.

QVAESTIO. V.

De Monialibus, quantum ad earum ſubiectionem & gubernationem, in tres Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quibuſnam Prælatis Moniales Sanctæ Claræ & Conceptionis, & S. Eliſabeth, ex vi ſuarum Regularū ſint ſubditæ atq; ſubiectæ?

Nota quod Monialiles S. Claræ, ſunt in duplici differentia, quæ dā primæ Regulæ, alia vero ſecundæ Regulæ

RO huius Articuli intelligentia prę mitto, quod Moniales S. Claræ, de quibus in ſubſequētibus, futurus eſt ſermo, in duplici ſunt differentia. Quædam enim dicuntur primæ Regulæ à S. Clara editæ, ſeu potius à ſanctiſsimo Patre noſtro Franciſco eidē directæ, quæ quidem in nonnullis partibus Collectaneæ nūcupantur, ſed antiquitus Dominæ pauperes ſancti Damiani dicebantur, & ſunt quę magis propriè ac vere Moniales S. Claræ dicuntur, quia profitentur ſtrictam paupertatem, quam eadem profeſſa fuit, ex inſtituto ſancti patris noſtri Franciſci. Aliæ vero ſunt Moniales ſecundæ Regulæ, non quidem à S. Clara ordinatæ, nec à Seraphico P. N. Franciſco editæ, (iam enim multo ante tempore ex hoc mundo diſceſſerant) ſed ab Vrbano Papa IIII. quæ & propterea à nonnullis Vrbaniſtæ appellantur, ſed in partibus vbi Monaſteria earum vigent, Moniales etiam S. Claræ abſolute dicuntur, quia ſic voluit prædictus Vrbanus IIII. vt ab omnibus vocarentur. Et ſic in Monumētis noſtri Ordinis, priuilegia multa reperiuntur, quę diriguntur ad præfatas moniales S. Claræ primę regulæ, qualia ſunt omnia, quæ conceſſa fuerunt ante Prædictum Vrbanum Quartum, & alia etiam conceſſa poſtea per Eugenium Quartum & Sixtum IIII. alia vero directa ad ſupradictas moniales S. Clarę ſecundæ regulæ, quia pro ipſis impetrata fuerunt, à Fratribus illarum curam gerentibus, quamuis modo vtræque eiſdem priuilegijs perfruantur, gaudereque poſſint, propter communе priuilegium, quod habent communicationis. Hoc promiſſo atque præſuppoſito, quæ ad hunc Articulum ſpectant, reſoluentur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Moniales S. Claræ primæ Regulæ, ex vi ipſius & ſuæ profeſſionis, minoribꝰ Fratribus ſubdūtur.

MOniales S. Claræ primæ regulæ, ex vi eiuſdē & ſuę profeſſionis, nobis Fratribus minoribus debent eſſe ſubiectę. Hæc Concluſio, conſtat expreſſe ex ipſarū regula, in primo capitulo, vbi ſequentia habentur verba. *Clara indigna ancilla Chriſti, & plantula beatiſſimi Patris Franciſci, promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Innocentio, ac ſucceſſoribus eius canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et ſicut in principio conuerſionis ſuæ, vna cum ſororibus ſuis, promiſit obedientiam Beato Franciſco, ita eamdē promittit inuiolabiliter obſeruare ſucceſſoribus ſuis, & aliæ Sorores teneantur ſemper ſucceſſoribus Beati Franciſci, & Sorori Claræ & alijs Abbatiſsis, canonice electis eiſ ſuccedentibus obedire.* Et in c. 12. agendo, de Viſitatione dicitur, *quod Viſitator huius Ordinis, ſit ſemper de Ordine Fratrum Minorum.* Nec prædictis obſtat, quod in fine eiuſdem capituli & regulæ habetur, nempe, quod ſorores teneantur ſemper habere vnum, de S. R. E. Cardinalibus pro Gubernatore, Protectore & Correctore, qui fuerit à Domino Papa Fratribus minoribus deputatus; nam id etiam nos habemus ex noſtrę regulæ pręcepto, & nihilominus immediate ſubijcimur noſtro Generali miniſtro, qui repræſentat Seraphicum Patrem noſtrū Franciſcum, ipſiuſque vices gerit, & ſimiliter ſumus ſubiecti Miniſtris Prouincilibus, tāquam noſtris Ordinarijs Prælatis: idem ergo dicendum eſt de dictis Monialibus.

Secun-

Secunda Concluſio.

Moniales S. Claræ ſecundæ Regulæ, ex vi ipſius non ſubijciebãtur olim immediate, Prælatis noſtri Ordinis Minorum, ſed Cardinali Protectori, modo autem aliter ſe res habet.

MOniales Sanctæ Claræ ſecundæ regulæ, ex vi ipſius non immediate ſubijciebantur olim Prælatis noſtri ſacri Ordinis Minorũ, ſed Cardinali noſtro Protectori, qui erat quaſi Generalis earũ Prælatus ordinarius, ſed modo non immediate ſubduntur eidem, ſed noſtro Miniſtro Generali, ſeu potius Prouincialibus Miniſtris, in quorum Prouincijs Monaſteria exiſtunt. Prima huius Concluſionis pars probatur, ex eo quod habetur, in capit. 24. dictæ ſuæ regulæ, vbi agendo de Viſitatore & eius officio, ſequentia ponuntur verba. *Monaſteria huius Religionis, per Viſitatores qui auctoritatem, formam & modum à Cardinali, cui fuerit à Sede Apoſtolica veſter ordo commiſſus recipiant, ſemel ad minus annis ſingulis viſitentur.* Et in ſequenti, capit. 25. agendo de Cardinali prædicto etiam dicitur. *Verum ne ab obſeruantia præſentis regulæ, ſiue formulæ ſupraſcriptæ, quã vniformiter vbique ab omnibus volumus & mandamus diligentius obſeruari, pro defectu certi regiminis in poſterum recedere vos contingat, aut ſub diuerſorum magiſterio, viuendi modos incurrere differentes, dilecto filio noſtro Ioanni Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Diacono Cardinali, Gubernatori, Protectori & Correctori Ordinis Fratrum Minorum, curam & regimen veſtri ordinis, necnon & perſonarum in eis degentium, ſcilicet Capellanorum & Conuerſorum & familiarum plene duximus committenda. Statuentes, vt ſub eius & aliorũ Cardinalium qui fuerint pro tempore, gubernationi, protectioni atque correctioni, eorumdem Fratrum Ordinis à Sede Apoſtolica deputati, obedientia & cura & regimine debeatis de cætero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipſi animarum veſtrarum ſolicitudinem gerentes & curam, eiſdem Monaſterijs & perſonis degentibus in eis, Capellanis, Conuerſis & familiæ, tam per ſe quam per viros idoneos, quoties expedire viderit, Viſitationis officium impendere ſtudeant, corrigendo & reformando ibidem, tam in capite quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio nouerint indigere.* Habetur in Monumentis noſtri Ordinis primæ impreſſionis, folio 291. tit. 3. & ſecundæ, folio 319. tit. 2. & refertur in Compendio, verbo, *Protector Ordinis*, §. 3.

Sed ſecunda cõcluſionis pars, nempe quod iam non ſubdantur eidẽ Protectori immediate, ſed noſtro Generali Miniſtro, ſeu potius Prouincialibus Miniſtris, in quorũ prouincijs degunt, conſtat expreſſe, ex conceſſione facta circa hoc à Iulio Secundo, cuius fit mentio in monumentis noſtri Ordinis ſecundæ impreſſionis, folio 112. conceſſione 517. & in Supplemento, folio 72. conceſſione 220. & refertur in Compendio, *verbo, Moniales*, §. 21. & *verbo, Protector Ordinis*, §. 5. vbi dicitur, *quod prædictus Iulius Secundus conceſſit, vt Prouinciales Fratrũ Minorum, eandem poteſtatem & facultatem habeant, circa Moniales Sanctæ Claræ illorum curæ cõmiſſas, quam Vrbanus Quartus, in Regula prædictarum Monialium commiſit Protectori dicti Ordinis.* Quænam fuerit præfata poteſtas ſeu auctoritas, iam ſupra quæſt. 2. art. 3. remanet dictum. Sed aduertit priuilegiorum Collector, quod eiuſmodi poteſtas debet intelligi reſtricta, ſicut poſtea reſtricta fuit per Martinũ Quintum, Protectoribus prædictis, quantum ad hoc vt non poſſent licentiam concedere, ad intrandum monaſteria prædictarum monialium, vt nos ibidem latiſſime diximus, agendo de ipſarum clauſura, quantum ad ingreſſum. Sed aduertendum eſt, quod quamuis in conceſſione prædicta, non fiat expreſſa mentio Generalis miniſtri, ſed ſolummodo miniſtrorum Prouincialium, adhuc tamen non excluditur ipſe, à iuriſdictione prædictarum monialium: nam iuxta declarationem Alexandri VI. licet aliquando gubernatio aliquarum monialiũ & viſitatio earum, ſit commiſſa Prouincialibus miniſtris vel Cuſtodibus, ſeu Viſitatoribus aut Guardianis, non propterea exemptæ ſunt à iuriſdictione Generalis miniſtri, imò vero eiuſmodi Generalis, eandem auctoritatem habet in præmiſſis, quã Prouinciales, &c. ita habetur in monumentis noſtri Ordinis primæ impreſſionis, fol. 39. & ſecundæ folio 55. conceſſione 63. & refertur in Compendio, *verbo, Moniales*, §. 18. quę omnia ſunt quam maxime notanda atque memoriæ commendanda.

Nota quod quãdo aliquæ Moniales, cõmittũtur Prouincialibus à Sede Apoſtolica, ſeu alijs Prælatis inferioribus, non per id excluditur Miniſter Generalis

Tertia Concluſio.

Moniales S. Eliſabeth, ex vi ſuæ Regulæ, etiam ſubduntur nobis Fratribus Minoribus.

SOrores ſiue moniales Ordinis S. Eliſabeth, etiam ex vi ſuæ Regulæ, ſubduntur Generali Miniſtro, ac Prouincialibus noſtri ſacri Ordinis Minorum. Hæc concluſio conſtat expreſſe, ex quam pluribus conceſſionibus & determinationibus diuerſorum Pontif. quæ habentur in Monumentis noſtri Ordinis. Et in primis dicitur, *quod Nicolaus Quartus, approbauit & confirmauit Regulam Fratrum & Sororum tertij Ordinis Beati Patris noſtri Franciſci, & ſtatuit ſeu potius conſuluit, quod prædicti Tertiarij procurent aſſumere Viſitatores, & reformatores de Ordine Minorum, & eis qui ſecundum ſuum conſilium, elegerint Viſitatores de Ordine Fratrum Minorum, dediſſe dicitur ſuam benedictionem, & conceſſiſſe quod gaudeant priuilegijs eidem Ordini pœnitentium, ſeu Tertiariorum à Sede Apoſtolica conceſſis, & in poſterum concedendis. Et inſuper voluit quod huiuſmodi Tertiarij, habeant & debeant habere Miniſtros de ſeipſis, iuxta formam in prædicta Regula comprehenſam.* Habetur in Monumentis primæ impreſſionis, fol. 35. & ſecundæ fol. 116. conceſſione 254. & 255. & refertur in Compendio, verbo, *Tertiarij Fratres & Sorores*, §. 3. & 4. Præterea *Sixtus Quartus ſtatuit poſtea, quod Generales & Prouinciales Miniſtri Ordinis Minorum, & eorum Vicarij tam Conuentuales quam obſeruantes, habeant ſub ſua iuriſdictione, omnes Fratres & Sorores tertij Ordinis B. Franciſci, vbilibet infra Prouincias eis cõmiſſas conſiſtentes, ac eos charitate viſitent, & eoſdẽ iuxta regulam & inſtituta dicti ordinis inſtruant, & reforment, necnon & corrigãt etiã per ablationẽ habitus dicti tertij Ordinis, ſi qualitas exceſſus id exegerit.* Habetur in Monumentis primæ impreſſionis, fol. 8. & ſecundæ folio. 92. conceſſione 201. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 8. Et in §. 16. dicitur. *Quod Iulius Secundus, confirmauit ſupraponſitas litteras Sixti Quarti, ac illis robur perpetuæ firmitatis adiecit, ſuppleuitque omnes & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdẽ, & inſuper de nouo ſubiecit omnes Fratres & Sorores tertij Ordinis, vbique locorum per vniuerſum orbem conſiſtentes, ſub obedientia & correctione Generalis, & Prouincialium Fratrum Minorũ, de Obſeruantia & Conuentualium, ita quod eos viſitare & corrigere poſſint, iuxta formam prædictarum litterarum Sixti Quarti, & ſuper ijs impoſuit graues cenſuras & pœnas prædictis Tertiarijs, niſi cum effectu paruerint eiuſmodi*

modi litteris, infra certum terminum, ac etiam dedit conſeruatores ſuper hoc. Habetur in Monumentis Ordinis, ſecundæ impreſſionis folio 223. conceſſio. 529. & 530. vbi ponuntur aliæ litteræ ad confirmationem ſupradictarum, cum magnis clauſulis & non obſtantijs, ac etiam deputatione conſeruatorum. Et Leo X. vt habetur in Supplemento, fol. 335. conceſſio. 119. *Confirmauit & approbauit, ac innouauit ſupradictas litteras Sixti Quarti, Iulijque Secundi, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decreuit.* Et pro Tertiarijs, qui in Congregatione viuunt, triaque vota eſſentialia emittunt, Regulam de nouo ordinauit, quæ habetur in Monumentis noſtri Ordinis, in cuius 8. cap. agendo de viſitatione quam Prælati debent facere, circa Fratres & Sorores, ſequentia ponuntur verba. *Miniſter Prouincialis Fratrum Minorum, vel Viſitator eiuſdem Ordinis cui ipſe commiſerit, viſitabit quolibet anno ſemel tantum, quamlibet domum cum præſentia Seniorum, &c.* Ex quibus omnibus ſuperque ſatis colligitur, veritas noſtræ concluſionis, quæ non vlteriori alia indiget probatione.

Quarta Concluſio.

Moniales Cõceptionis, ex vi ſuæ Regulæ, etiam ſubdũtur Fratribus minoribꝰ

MOniales etiam quæ dicuntur immaculatæ Conceptionis, ex vi ſuæ Regulæ, ſubduntur Prælatis noſtri Ordinis Minorum. Hæc concluſio conſtat expreſſe ex prædicta Regula, quæ fuit ſibi data & confirmata, per Iulium Secundum, in cuius 4. cap. ponuntur ſequentia verba. *Vt autem diuinum ſeruitium ſemper creſcat & fiat ſtabile, ob prouidam religioſamque gubernationem bonorum paſtorum, & glorioſæ Virginis pijs in cordibus, puriſſimæ Conceptionis augeatur deuotio, volumus quod Cardinalis, qui eſt vel fuerit Minorum Fratrum de Obſeruantia Protector, huius Religionis gubernator & defenſor, ſicut & Minorum Fratrum de Obſeruantia etiam ſit, ex quo Fratres Minores tam indefeſſo ſtudio & vigilantia, puritatis & innocentiæ Dei Genitricis defenſores exiſtunt, & quod Vicarij Generales in ſuis Vicarijs, & Prouinciales & Cuſtodes, in ſuis Prouincijs & Cuſtodijs, ſint Viſitatores huius ſanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire, in omnibus quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ & huic Regulæ.* Ex omnibus ſupradictis ſatis clare conſtat, qualiter Moniales Sanctæ Claræ, primæ & ſecundæ Regulæ nunc, & ſimiliter omnes Moniales ſiue Sorores Tertiariæ & Cõceptionis, ſubduntur iuriſdictioni, & gubernationi Prælatorum noſtri ſacri Ordinis Minorum, partim ex ipſarum Regulis, partim ex conſtitutionibus factis, à prædictis Summis Pontif. quod quammaxime ſibi fuit viſum expedire. Cuius iuriſdictionis & gubernationis, adeo ipſi non fuerunt auidi atque ſolliciti, vt potius multoties idipſum habere renuerint, & in noſtri Ordinis Monumentis, quamplura reperiuntur impetrata priuilegia, vt non poſſent compelli ad ſuſcipiendam aliquarum Monialium curam. Quæ quia conſideratione & animaduerſione ſunt digna, in præſentiarum eorum aliqua libuit referre. Et in primis in Monumentis, primæ impreſſionis, fol. 23. habetur, *quod Alexander IIII. conceſſit prædictis Fratribus Minoribus, quod non teneantur ſuſcipere curam, quarumcumque Monialiũ, prætextu quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, quæ de præſentibus plenam & expreſſam non fecerint mentionem, niſi Romanæ Eccleſiæ eſſent immediate ſubiectæ.* Et in eiſdem Monumentis, primæ impreſſionis, fol. 57. & 2. fol. 240. conceſſio. 322. etiam dicitur, *quod Clemens IIII. conceſſit eiſdem Fratribus minoribus, vt ad viſitandum aliqua monaſteria monialium, cuiuſcumque Ordinis, vel ad audiendum earum confeſſiones, compelli aliquatenus non poſſent, etiam per litteras Apoſtolicæ Sedis, in quibus non facta fuerit mentio ſpecialis de huiuſmodi indulto, nec minus per Legatos vel delegatos eiuſdem Sedis, aut per quoſcumque alios.* Supradicta duo priuilegia referuntur in Compendio, *verbo moniales*, §. 1. & 2. & §. 20. ibidẽ habetur, quod Iulius Secundus, etiam ſimiliter, *ſtatuit, quod Fratres minores obſeruantiæ, compelli requeãt ad recipiendum curam monialium, etiam per litteras Apoſtolicas, & adhuc de huiuſmodi facientes mentionem, niſi impetratæ fuerint, per Protectorem & Generalem prædicti Ordinis, & voluit quod aliter recipiẽtes huiuſmodi curam, ipſo facto excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrant.* Habetur in Monumentis ſecundæ impreſſionis, fol. 207. conceſſio. 509. & in Supplemento fol. 70. conceſſion. 216. Circa quam conſtitutionem, aduertit priuilegiorum Collector, multum eſſe conſiderandam, quia ſæpe recipitur cura Monialium, abſque ſufficienti ipſius derogatione, & non aduertitur ad excommunicationem poſitam. Sed ipſe crediderim, ſolummodo fuiſſe poſitam pro ſubditis, recipientibus prædictarum Monialium curam, abſque licentia Prælatorum, non vero pro ipſis prælatis, quod maxima etiam eſt conſideratione dignum.

do compelli poſſent.

ARTICVLVS II.

Vtrùm iuriſdictio ſupradictorum Prælatorum noſtri ſacri Ordinis, in Moniales prædictas, ſit ordinaria an vero tantum delegata?

HVius difficultatis reſolutio, iam ſuperque ſatis conſtat ex ſupradictis, ſed mouetur in præſentiarum, vt amplius pateat, & afferantur aliqua ſumma animaduerſione digna. Pro cuius pleniori intelligentia, adnotare oportet, vt iam dictum eſt in præcedenti articulo, quod Moniales Sanctæ Claræ primæ Regulæ, à principio ſuæ inſtitutionis & fundationis, atque ex vi ipſius, ſemper fuerunt immediate ſubiectæ Prælatis noſtri ſacri Ordinis, quid quid alij dicant, ſine ratione & cauſa, & abſque vllo prorſus fundamento. Quod & ita eſſe conſtat euidentiſſime, ex cap. 1. eiuſdem primæ Regulæ S. Claræ, quam Seraphicus Pater noſter Franciſcus dedit eidẽ, in cuius primo capitulo dicitur, quod Beata Virgo Clara ſuo nomine, & omnium aliarum Sororum, obedientiam promiſit Beatiſſimo Patri noſtro Franciſco, & eandem promiſit inuiolabiliter obſeruare, ſemper ſucceſſoribus ſuis, qui ſunt Generales Miniſtri noſtri Ordinis, cæterique Prælati. Neque huic reſolutioni obſtat, id quod in duodecimo eiuſdem Regulæ capitulo habetur, nempe quod Viſitator eſſe deberet ſemper de Ordine Fratrum Minorum, ſed ſecundum voluntatem,

Moniales S. Claræ primæ Regulæ, à principio ſuæ fundationis ſubiectæ fuerunt Ordini minorum.

Nota quod adeo Fratres antiqui, noſtri ſacri Ordinis, ſolliciti non fuerunt, de habẽda monialium cura vt potius diuerſa impetrauerint priuilegia, vt non ad id vllo mo

tem, & mandatum Cardinalis Protectoris nostri sacri Ordinis, qui & earumdem monialium, simul protector erat, vt & est modo: nam id non tollit eorum ordinariam iurisdictionem, aut ex eo sequitur, quod prædictus Protector dictarum monialium, esset Generalis Prælatus ordinarius, sed solummodo quod Visitatores siue Prælati ordinarij nostri Ordinis, habuerint ad ipsum eiusmodi subordinationem. Quin vero Innocentius Quartus, in alia sua Regula quam postea pro monialibus prædictis ordinauit, capit. 5. agens de eorumdem monasteriorum gubernatione & regimine, illorum curam Generali ac Prouincialibus ministris, Ordinis Fratrum minorum commisit, plene & perfecte, in omnibus & per omnia, statuens vt sub eorum & aliorum qui pro tempore fuerint ministri, obedientia regimine atque doctrina, deberent semper permanere, quibus tenerētur firmiter obedire, prout latius ibidē exprimitur, facileque patere potest intuēti. Quod & durauit, vt cōstat ex nostri Ordinis monumentis, sed specialiter ex Chronicis, quas vulgari sermone edidit Pater Frater Marcus de Lisboa, Episcopus postea Portuensis, 2. part. lib. 2. capit. 16. vsque ad tempora Vrbani Quarti, anno scilicet Domini 1266. Quo tempore exorta graui quadam cōtentione, inter moniales prædictas, & Fratres nostri sacri Ordinis, circa quædam spectantia ad ipsarum curam, & gubernationem, prædictus Vrbanus illas exemit à nostrorum Prælatorum iurisdictione, & tradidit ac subiecit, iurisdictioni & gubernationi, cuiusdam Cardinalis Ioannis Caietani nomine, earumdem & simul sacri nostri Ordinis Protectori atq; ex eo tempore, prędictarum monialium cura & regimē, esse cœpit immediate apud Cardinalem prædictum, qui fuit suo tempore quasi Generalis & Ordinarius earum Prælatus. Id quod & fuerunt omnes eiusdem successores, sed tamen semper medio ministerio, & Visitatione minorum Fratrum, disponentes in eo negotio, suis proprijs cuiusque temporibus, de spectantibus & concernentibus, ad prædictarum monialium curam, visitationem & gubernationem, prout magis & melius, secundum Deum sibi videbatur expedire, extendendo & ampliando, quandoque etiam limitando & restringēdo ad, libitum, auctoritatem suprædictorum Visitatorum, Commissariorum suorum, per delegationem à se factam, Prouincialibus ministris, alijsque Visitatoribus, quin vero interdum Generali ministro. Quod & durauit vsque ad tempora Iulij Secundi, qui præfuit Ecclesiæ, circa annum 1503. Qui quidem, vt constat ex eiusdem Ordinis monumentis, secundæ impressionis fol. 212. concessio. 517. & ex Supplemento folio. 72. concessio. 220. & refertur in Compendio, verbo moniales §. 21. & verbo Protector §. 5. exemit moniales prædictas, ab immediata iurisdictione & gubernatione, suprædictorum Protectorum, illasque tradidit iurisdictioni & gubernationi Generalis ministri, & ministrorum Prouincialium, nostri sacri Ordinis. Quod factum credo, vel quia Protectores ipsi exonerare se voluerunt à dicta monialium cura, aut forsan quia non ita bene illis erat, existendo sub sua gubernatione & prouisione, & statuit ac decreuit vt eandem auctoritatem, potestatem & facultatem, haberēt supra dictas Moniales Sanctæ Claræ, illorum curæ cōmissas. Quam Vrbanus Quartus, in Regula prædictarum Monialium, commisit Cardinali Protectori. Et in alio suo Breui, quod habetur in Supplemento, fol. 88. concessio. 253. approbauit & confirmauit, litteras Gregor. IX. & Sixti Quarti, quibus statuerunt & decreuerunt, vt Protectores nostri Ordinis, nullo modo se ingererēt, in rebus pertinentibus ad nostrum ordinem, & ad gubernationem prædictarum monialium, nisi in certis quibusdā casibus ibidem expressis. Quo factum est, vt iam ordinaria dictarum monialium iurisdictio, non sit immediate penes Protectores, sed penes nostrum Generalem, Prouincialesque Ministros, qui & monialium gubernationem, temporibus sequentibus immediate illā à Papa, eiusque successoribus receperunt, quamuis tam nos, quam moniales prædictæ, ex vi nostræ Regulæ, eundem habere teneamur Cardinalem Protectorem, qui & simul dicitur, Gubernator & Corrector prædictorum Ordinum cum summa potestate, quæ omnia oportet multum meminisse, nam & ex his constat resolutio præsentis difficultatis, cui breuiter respondeo, per sequentem conclusionem.

Nota quod Vrbanus Quartus omnes moniales Sanctæ Claræ, exemit ab obedientia Fr. Minorum, & subiecit eas immediate Cardinali Protectori.

Nota quod postea Iulius II. exemit omnes Moniales S. Claræ, ab obedientia Cardinalis Protectoris, & subiecit eas immediate Prælatis nostri Ordinis minorū.

Greg. IX. & Sixtus IIII. & postea Innius Secūdus, statuerūt, vt Cardinalis Protector nō seingereret in rebus pertinētibus ad nostrum Ordinē, & monialiū gubernationē nisi in certis quibusdam casibus.

Conclusio.

Iurisdictio Prælatorū nostri Ordinis in Moniales, est Ordinaria & non delegata.

IVrisdictio Prælatorum nostri Ordinis, in Moniales prædictas, dicenda est ordinaria, non vero delegata. Hæc conclusio, hac vel vnica ratione probatur, vt videtur euidentissime: nam quamuis iurisdictio prædicta, habeatur ex priuilegio, specialique Papæ ac Summi Pontificis commissione, vt constat ex supradictis, cum tamen eiusmodi commissio generalis sit ac perpetua, & ad vniuersitatem causarum, collataque à principe, secundum ius, auctoritatem & potestatem ordinariam confert, dicendaque est ordinaria, non vero delegata, iuxta doctrinam traditam, per Glossam, Bartol. & Bald. *in l. pluribus. ff. de Procuratoribus, & Glossam, in cap. fin. de officio Ordinarij, ibi, cum concessum sit in priuilegium perpetuum,* quam Baldus vnicam esse dicit. Et supradictus Bartol. *in l. 1. §. si plures. ff. de exerci. actio. colum. 1. & etiam Bald. in l. vnica. ff. de officio,* dicunt quod quando quæritur, Vtrùm commissio faciat quempiam ordinarium, an vero delegatum, respondendum est sub distinctione, dicendo, quod si commissio est perpetua facit ordinarium, si autem temporalis delegatum. Quod & tenet Panormit. *in cap. quoniam, de offic. deleg. §. cæterum, num. 1.* & est cōmunis, atq; generalis doctrina. Quo fit vt supradicti Prælati, iure optimo possint hanc suam auctoritatem alijs delegare, aut subdelegare, commissariosque creare & cōstituere, pro eisdem monialibus visitandis, quamuis id eis non fuerit specialiter concessum: nam ex vi suæ ordinariæ commissionis, & iurisdictionis illud habent. Ex quo vlterius sequitur, quod facta tali commissione alicui Fratri, non expirat per mortē Prælati delegantis, vt tradit Sylvester *verbo, Gratia, num. 3. quæst. 2.* vbi inquit, quod gratia concessa auctoritate Papæ, durat mortuo Papa, & etiā durat mortuo Prælato eam concedente, vel à suo officio amoto. Eādem opinionem tenet Panorm. *in cap. cum ad hoc de Clericis non residentibus.* Quorum omnium ratio in promptu

Nota quæ cōmissio dicēda sit ordinaria, quæ vero delegata?

promptu eſt: nam præfati Prælati, nõ committunt prædictam poteſtatẽ auctoritate ſua, ſed auctoritate Papæ à quo illam habent, quin vero & Papa ipſe eandem videtur concedere, vt tenet expreſſe Panorm. *in cap. cum in iure, de offic. deleg.* vbi inquit, quod quando delegatus Papæ aliquid præcipit, Papa ipſe videtur illud præcipere, poſtquam ipſius auctoritate præcipitur. Neque ex hoc inferre licet, quod Prælati prædicti, non poſſent eiuſmodi auctoritatem & poteſtatem ſemel cõceſſam, reuocare ac tollere à ſuis Commiſſarijs, cum ſibi videbitur expedire: nam ex litteris Principis nullatenus eſt intelligendum, velle per ipſas alicui dãnum ſiue præiudicium inferri, vel ius alterius tollere, niſi hoc expreſſe & explicite contineatur in eiſdem, vt habetur *in cap. 1. de filijs Presbyterorum, libro ſexto*, & tradit Panormitan *in dicto cap. cum ad hæc, de Clericis non reſidentibus*, qua etiam de re videatur Sylueſter verbo, *priuileg. quæſt. 3. num. 3.* & certe negari non poteſt, quod idipſum in graue diſpendium vergeret Prælatorum. Hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Moniales Sanctæ Claræ, aliarumque Religionum, ſubiectæ Prælatis noſtri Ordinis, teneantur obſeruare ſtatuta facta, in noſtris Capitulis Generalibus, ſiue Prouincialibus?

Concluſio.

Omnes Moniales noſtro minorum Ordini ſubiectæ obſeruare tenentur, ſtatuta facta in noſtris Capitulis Generalibus ſiue Prouincialibus.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod Moniales prædictæ, obſeruare tenentur, ſtatuta facta in noſtris Capitulis Generalibus, ſiue Prouincialibus. Hæc concluſio probatur expreſſe, ex determinatione Leonis X. cuius fit mentio in Supplemento, fol. 40. conceſſio. 128. & refertur in Compẽdio verbo, *Moniales.* §. 15. vbi dicitur, *quod ſupradictus Leo X. motu proprio, & ex certa ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ac ſub excommunicationis ſententia, præcepit Monialibus Sanctæ Claræ, ac vniuerſis & ſingulis alijs, ſub cura Fratrum Minorum pro tempore degentibus, quatenus ipſæ iuxta regulares in hactenus celebratis & in poſterum celebrandis Capitulis, Generalibus ſeu Prouincialibus, editas & factas Conſtitutiones, ac deſuper ab earum Prouinciali, ſeu alijs ſuperioribus traditam formam, obedire teneantur, & in earum aſſumpta profeßione altiſſimo famulatum impendere debeant.* Et in eodem Compẽdio verbo, vbi ſupra §. 26. refertur aliud decretum, ſiue mãdatum ſupradicti *Leonis X. quo mandauit Monialibus S. Claræ prædictis, & ſororibus tertiæ Regulæ, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quatenus Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum pro tempore exiſtentem, ad officium viſitationis admittant, & ſe & earum Domos ac Monaſteria & loca viſitari in capite & in membris, ac corrigi & puniri permittãt, ac etiam vt ſalubria monita & correctiones per huiuſmodi Miniſtrũ Generalem faciendas, omni cum humilitate ſuſcipiant. Et ſub ſimilibus pœnis & cenſuris præcepit Fratribus vniuerſis eiuſdem Ordinis, & præſertim Confeſſoribus & Viſitatoribus earumdem Monialium & Sororum, ne aliquem actum confeſſionis, ſeu viſitationis exercere audeant vel præſumant, niſi Moniales & ſorores ipſæ, mandatis huiuſmodi Generalis Miniſtri, realiter & cum effectu paruerint.* Habetur in Supplemento, fol. 17. conceſſio. 56. & fol. 34. conceſſio. 118.

Habetur præterea, in eodem Compendio verbo vbi ſupra. §. 27. *quod idem Leo. confirmauit & approbauit ſtatutum factum in Capitulo Generali Lugdunẽſi, quo cauetur, quod de cætero Moniales Sanctæ Claræ, tam de prima quam de ſecunda Regula, quæ Vrbaniſtæ appellantur, & etiam quæcumque aliæ Religioſæ, quæ per Fratres Ordinis Minorum reguntur, nullos habeant viſitatores, nec Cõfeſſores per eas electos, ſed à Miniſtris Prouincialibus in ſuis Prouincijs reſpectiue, cum ſuis Capitulis Prouincialibus, eis in Viſitatores & Confeſſores datos & aſſignatos, ipſique Viſitatores & Confeſſores à ſuis Miniſtris Prouincialibus ſic dati, à Prouinciali adiunctis ſecum aliquibus diſcretis Capituli præcedentis, etiam extra tempus Capituli, exigentibus legitimis cauſis, iudicari & ab officijs prædictis abſoluipoſſit, de eantque ipſi Viſitatores Confeſſores, ac alij Fratres dictis Monialibus ſeruientes, Prælatis Ordinis ſicut & cæteri Fratres per omnia eſſe ſubiecti: ita tamẽ quod Moniales ipſæ cum eis placuerit, in Viſitatorem ſeu Cõfeſſorem nominare poſſint aliquem fratrem, quem Miniſter Prouincialis cum ſuo Capitulo (ſi eis placuerit) inſtituere poſſint, non obſtantibus quibuſuis indultis & priuilegijs Apoſtolicis in contrarium, dictis Monialibus, Viſitatoribus, & Confeſſoribus à Sede Apoſtolica, præſertim Monaſterio de Tordeſillas, & Palentiæ conceſſis. Mandauit etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Romano Pontifice, præterquã in mortis articulo conſtituti abſolui poſſint, ac iniunxit omnibus & ſingulis fratribus, & Religioſis ac Monialibus, ſub cura fratrum dicti Ordinis degentibus, tam qui ante ſtatutum huiuſmodi erant ſub obedientia Miniſtrorum Prouincialium, quam Viſitatorum, ſeu cuiuſuis alterius etiam Sedi Apoſtolicæ mediate, ſeu immediate ſubiectis, quatenus præmiſſa omnia in dicto ſtatuto contenta, firmiter & inuiolabiliter obſeruent, decreuit inſuper irritum & inane quicquid ſecus a quoquam, quauis auctoritate fieri, ſeu attentari contigerit.* Habetur in Supplemento, fol. 37. conceſſion. 123. & fol. 49. conceſſion. 145. Eſt etiam aliud ſtatutum, ſiue mandatum ſupradicti Leonis X. quod etiam refertur in dicto compendio verbo vbi ſupra. §. 28. vbi dicitur, *quod idem Leo ex certa ſciẽtia, & de plenitudine ſuæ poteſtatis, ſtatuit & ordinauit, quod illi Fratres Minores, qui antea vocabantur Viſitatores monialium, de cætero nuncupentur Commiſſarij Prouinciales, ac quod Cõmiſſarij huiuſmodi, & Confeſſores prædictarum monialium, vltra triennium officia ſua exercere nullatenus poſſint, illoque finito vel antea (ſi expediens videbitur) tali Commiſſarius ab officio abſoluatur. & voluit vt ad cognoſcendum defectus præfatorum Commiſſariorum, poſſit quilibet Prouincialis, in Prouincia ſibi deputata reſpectiue, monaſteria, Domos, & loca monialium prædictarum, & Religioſarum ingredi, & quod de viſitationis modo ac commiſſarij & confeſſorum meritis, ac vitæ integritate in eiuſdem monaſterijs ſiue Domibus, libere inquirere valeat, ac inſuper vniuerſis & ſingulis monaſteriorum, & Domorum prædictarum Abbatiſſis, & monialibus ſub excommunicationibus ſententia, ac officiorum ſuorum priuationis,*

tionis, & ad illa inhabilitationis & alia in posterum obtinenda, si contra fecerint, sine alia declaratione incurrendis pœnis, ac sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, districte præcipiendo mandauit, quatenus infra vnius diei spatium, postquam ad huiusmodi inquisitionem processum fuerit, de visitationis modo, ac meritis & idoneitate commissariorum et confessorum prædictorum, omni exceptione et contradictione cessante, ac appellationis et alijs defensionis remedijs, tanquam contra veram correctionem, et debitam obedientiam interpositis sublatis, et quibusuis in contrariũ, sub quibuscumq; verborum formis, eisdem Abbatissis, monialibus et Religiosis, earumq; monasterijs cõcessis, priuilegijs, indultis ac litteris Apostolicis, sua vota deponere, et in publicũ aut alias, prout per huiusmodi Pronunciales desuper ordinatum fuerit, redigere teneãtur, et astrictæ existãt, et circa hoc dedit Iudices et cõseruatores, cũ magnis nõ obstantijs. Hæc habentur in monumentis nostri Ordinis, circa iurisdictionẽ & gubernationem, prædictarum Monialium. Quæ pro isto articulo, ac tota quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO. VI.

De Abbatissis & Prioriſſis, alijsque Monialium Præfectis, & Conditionibus & qualitatibus, in eisdem requisitis in Quinque Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quidnam sit Abbatissa, quid vero Prioriſſa?

Quid nam sit Abbatissa?

PRo huius articuli intelligentia, prę mitto breuiter, ex Ambrosio Calepino, in suo Dictionario, quod hoc nomen *Abbatissa*, fœmineũ est, descẽdens *ab Abbate*, nomine masculino. Quo fit vt sicuti nomen *Abbas*, secundum phrasim, communemq; modũ loquendi linguæ Hebraicæ, Syriacæ atque Chaldaicæ, patrem designat: deriuatur enim ab Ab, quod est pater, cui & ipsi pro suo more, in fine addunt litteram A, indeque sumpta metaphora, in virorum monasterijs, qui aliorum sunt patres, Gubernatores, Moderatores atque Magistri, Abbates olim, sed maxime apud Anachoretas consueuerunt vocari, sic etiam Abbatissæ nomen, in fœminarum Collegijs, societatibus siue cõgregationibus, illam significat atque designat, quæ omnium aliarum est mater, moderatrix, gubernatrix siue magistra. Sicut etiam supradictum Abbatis nomen, quod vt dixi ab Anachoretis cepit olim, hodie tantummodoque viget, in Ordinibus & Religionibus Monachalibus: nam in alijs quæ Monachales non sunt non est in vsu, sed eiusdem loco, in Religiosorum Conuentibus & Monasterijs, quidam dicuntur Priores, alij Guardiani, alij vero Ministri, siue Rectores aut Præpositi: sic etiam & Abbatissæ nomẽ, proprius & principalius, ad ordines Monachales pertinet, & ad eas Monialiũ Religiones, quæ monachalem vitam profitentur, exinde tamen vsurpatum est etiam ab alijs, quarũ præfectæ dicuntur cõmuni vocabulo Abbatissæ, quamuis Monachalẽ vitam non profiteantur. In alijs vero Monasterijs, Monialium præfectæ & Superiores nõ sic nuncupantur, sed interdum Prioriſſæ, alibi Ministrę, non numquam Commẽdatrices, & hoc vel illo modo fieri, parum vel nihil refert: nam est quæstio de nõmine, & omnia supradicta quamuis voce differãt, in re tamen idem pollent atque significãt, & differentia non oritur ex suorum officiorum ratione, sed ex diuersis dicendi modis, statutis siue consuetudinibus, diuersarum Religionum. Ex quibus cõstare facile potest, quid sit dicendum & respondendum proposito articulo, quando quæritur, quid sit Abbatissa, quid vero Prioriſſa, pro quo sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

ABbatissa siue Prioriſſa, in Monialium Monasterijs, est & dicitur illa Religiosa, quæ ibidẽ habetur, tanquam aliarum omnium mater, moderatrix, gubernatrix siue magistra. Hæc conclusio, satis constat ex supradictis, neque vlla vlteriori indiget probatione. Solum aduertere libuit, quod circa huiusmodi Abbatissas, multa habentur in iure, traduntur que à Doctoribus communiter: nam quædam sunt benedictæ, aliæ vero nõ benedictæ, quædam temporales, aliæ vero perpetuæ, quædam exemptæ, aliæ non exemptę, de quibus in sequentibus articulis, aliqua decemus per ordinem, nedum omnia simul dicuntur, confundantur.

Abbatissa in Monasterijs Monialiũ, est & dicitur illa, quæ ibidẽ habetur tanquam aliarũ omnium mater, gubernatrix siue Magistra.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Moniales descendentes ex maculato genere, esse possint Abbatissæ siue Prioriſſæ?

PRo huius articuli intelligentia, oportet breuiter præmittere, id quod in secundo tomo, huius nostri Manualis Prælatorum Regularium, quæstione prima, articulo primo, proprium habet locum. Et loquẽdo de omnibus in vniuersum sacri nostri Ordinis

Præla-

Prælatis amplius eſt dicendum, nempe, quod ex Conſtitutione Pauli Quarti, & Clementis VII. aliorumque multorum Summorum Pontificum, in noſtro ſacro Minorum Ordine, nullus deſcendens ex Iudæis, Sarracenis ſiue Hæreticis, intra quartum gradum, ſeu quod dicitur, intra quartam generationem, eſſe poteſt Prælatus, quin vero nec eſſe Religioſus, huius ſacræ Religionis. De qua cõſtitutione & qualiter debeat intelligi, obſeruari & practicari, multa dicentur loco ſupracitato, & in duobus ſequentibus articulis, quin vero etiam in artic. 4. & 5. agendo de electoribus, & de pœnis in quas incidunt, eligentes huiuſmodi ex genere infecto & maculato deſcendentes. Solum ſupereſt nunc inueſtigare & inquirere, an eiuſmodi cõſtitutio locum etiam habeat in Monialibus. Et an Moniales deſcendentes ex maculato genere, eligi poſſint in Abbatiſſas ſiue Prioriſſas, cui quidem difficultati breuiter, reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Conſtitutio Pauli Quarti & Clementis VII. non comprehendit moniales, ex infecto ſiue maculato genere deſcendẽtes.

SVpradicta Conſtitutio Pauli Quarti, & Clemẽtis VII. aliorumque Summorum Pontificum, non comprehendit Moniales, deſcendentes ex maculato genere, vnde ex hac parte cætera ſi adſint, nihil obſtat quominus eligi & præfici poſſint in Abbatiſſas & Prioriſſas. Huius concluſionis veritas conſtabit facile, legenti & intuenti conſtitutiones prædictorum Summorum Pontificum, quę & ad vnguem referuntur, & explicantur loco ſupra citato. Vbi cum frequens fiat mentio de viris Religioſis, & de Iuuenibus ſecularibus, expoſtulantibus noſtræ Religionis habitum, nec vllum verbum reperire licebit, de mulieribus ſiue Monialibus. Vnde cum ſupradicta lex odioſa atque rigoroſa ſit, quin vero vt quibuſdam videtur exorbitans, potius debet reſtringi, quam ampliari, & extẽdi vltra caſum de quo loquitur. Præterquam quod in iure, Lex loquens de viris, in odioſis non extenditur ad fœminas, vt tenet communis iuriſperitorum Regula, ex quo plane ſequitur, quod conſtitutio prædicta odioſa cum ſit, non ad Moniales debet extendi, ſed tantummodo viros, de quibus loquitur comprehendit. Quod & eſſe iuridicum conſtat præterea, ex quadam declaratione Pij Quarti, facta anno Domini 1564. kalendis Auguſti, qui conſultus de alia ſimili conſtitutione, auctoritate Apoſtolica facta aut ſaltim confirmata, quæ habetur in Ordine D. Hieronymi, reſpondiſſe fertur, quod eiuſmodi conſtitutio, excludens à prædicta Religione, deſcendentes ex maculato genere, non extenditur ad Moniales eiuſdem Ordinis, vt refertur in Compendio dicti Ordinis, verbo, ſtatutum, pag. 317. Nec vero minus cõprobatur id ipſum, ex noſtris generalibus conſtitutionibus Toletanis, capit. 1. vbi dum agitur de qualitatibus recipiendorum ad Ordinem, ac ſtricte præcipitur, vt obſeruentur ad vnguem Conſtitutiones ſupradicti Pauli Quarti, & Clementis VII. aliorumque Summorum Pontificum, fiatque diligẽs inquiſitio de fratribus, ex quo genere quiſpiam ortus ſit, & an ſit deſcendens à parentibus infecti generis, vt re comperta ad Religionem nõ admittantur, non idipſum præcipitur de Monialibus, neque quoad earumdem receptionem, neque quoad hoc, vt admitti & promoueri poſſint ad officia ordinis. Quod quãmaximum eſt indicium ſupradictæ noſtræ reſolutionis, quæ poſita eſt in concluſione, nempe quod conſtitutiones prædictæ, ad Moniales non extenduntur, nec ſub illis comprehendũtur, recipientes & admittentes, ad habitum & ad profeſſionem, & ad quęcumque officia Ordinis, fœminas & Moniales, deſcendẽtes ex maculato genere, quin vero iure optimo, cætera ſi adſint, idque aliquando expedire videatur, eligi & præfici poſſint in Abbatiſſas & Prioriſſas, tum propter rationes dictas, tum etiam quia eiuſmodi officia non ſunt vere prælationes, nec vere & proprie ipſæ habere dicuntur, ſupra ſibi ſubditas, ordinariam iuriſdictionem, vt latius patebit ex infra dicendis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Moniales illegitimæ, eſſe poſſint Abbatiſſæ & Prioriſſæ?

PRo huius articuli intelligentia, in memoriam etiam oportet reducere, ea quæ latiſſimè circa illegitimos dicta ſunt à nobis, in hoc primo tomo, quæſt. 19. artic. 3. dicenturque amplius in ſequenti, quæſtio. 2. artic. 1. vbi ſuperque ſatis eſt dictum, agendo de illegitimis, eoſdem inhabiles eſſe, ad prælationes & dignitates Eccleſiaſticas quaſcumque de iure communi, per multa cap. quæ habentur in toto *tituło de filijs presbyterorum*. Quamuis enim, vt ibi dicitur, per Religionis ingreſſum, profeſſionemque cum effectu ſubſecutam, ſecundum probabilem ac fere communem opinionem, prædicti illegitimi in Religionibus legitimentur, fiantque habiles quantum ad ordines, non tamen legitimantur nec fiunt habiles ipſo iure, quantum ad prælationes & dignitates Eccleſiaſticas, vt habetur expreſſe *in cap. 1. de filijs presbyterorum*: nam animarum curam habere non poſſunt, de iure ordinario per electionem, ſeu vt quibuſdam etiam placet per commiſſionem, quæ omnia latiſſime ſunt dicta locis ſupracitatis. Solummodo eſt in præſentiarum difficultas, an eiuſmodi iura, locum etiam habeant in Monialibus, & an Moniales illegitimæ, abſque diſpenſatione eſſe poſſint Abbatiſſæ & Prioriſſæ. Qua quidem de re, duas inuenio Doctorum opiniones.

Duæ hac de re opiniones.

Prima opinio

Prima opinio eſt Gloſſ. *in cap. indemnitatibus, verbo, canonica, de elect. lib. 6.* quam tenet & ſequitur Nauar. *in capit. non dicatis, numer. 60.* qui quidem credit eiuſmodi iura, locum etiam habere in mulieribus, indigereque Moniales ſupradictas diſpenſatione, ad hoc vt eligi & præfici poſſint, in Abbatiſſas & Prioriſſas. Pro quo allegat prædictus Nauar. Anton. communiter receptum, *in dicto capit. 1. de filijs presbyterorum*, eamque eſſe dicit communem praxim, quod illegitimus vel illegitima, quamlibet ſanctè profeſſa, diſpenſatione indigeat, ad hoc vt fieri poſſit Prælatus ſiue Prælata, quod procedere dicit, etiamſi defectus natalium ſit occultus, ita quod nullo modo poſſit probari, dũmodo ſciatur.

Secunda

Secunda opinio.

Secunda eſt aliorum opinio aſſerentium, ſupradicta iura quæ loquuntur de illegitimis, locum nõ habere in prædictis Monialibus, nec ipſas indigere aliqua diſpenſatione, ad hoc vt eligantur & præficiantur in Abbatiſſas & Prioriſſas. Hanc ſententiam & opinionem tenet Ioan. Andr. Gemin. & alij, quos refert & ſequitur Felin. *in cap. muminimus, numer. 4. de accuſationibus*, & eandem tenet Ancarran. *in cap. generali de elect. lib. 6.* allegans pro hac parte Cynum *in l. quicumque. ff. de ſeruis fugitiu.* & Bartol. in l. 2. ff. de verborum ſignificatione, & quia hæc opinio magis pia eſt, magis placet & arridet, ac pro ea ſequentem ſtatuo concluſionem.

Prima Concluſio.

Moniales illegitimæ, nõ indigent diſpenſatione, ad hoc vt eligantur & præficiantur in Abbatiſſas & Prioriſſas.

MOniales illegitimæ, non indigent diſpenſatione, ad hoc vt eligantur & præficiantur, in Abbatiſſas & Prioriſſas. Hæc concluſio probatur in primis, nam vt plane conſtabit intuenti & legẽti titulum de filijs presbyterorum, ibidem ſolum modo fit ſermo de viris & maſculis, & nullo modo de fœminis. Regulaque eſt generalis iuris, *in cap. generali. de elect. lib. 6.* de qua etiam in præcedenti articulo diximus, quod in materia odioſa, fœminæ non comprehenduntur, niſi nominentur expreſſe, pro quo & facit, quod dixiſſe fertur olim Iuſtinian. Imper. *in l. quiſquis. §. ad filias. C. ad l. Iuliam maieſtat.* vbi loquendo de fœminis ait, *mitiorem cum eis debere eſſe ſententiam, quas pro infirmitate ſexus, minus auſuras eſſe confidimus.* Secundo eadem probatur concluſio, nam illegitimis ſolummodo interdictum eſt iure, habere prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas, & officia iuriſdictionem ordinariam habentia, vt conſtat *ex capit. 1. de filijs presbyterorum cum multis alijs eiuſdem tituli*, ſed eſſe Abbatiſſas & Prioriſſas, non eſt habere prælationem aut dignitatem aliquam Eccleſiaſticam, nec officium quod ordinariam iuriſdictionem habeat, vt latius patebit ex interius dicendis: ergo ad hoc vt Moniales prædictæ illegitimæ, eſſe poſſint Abbatiſſæ aut Prioriſſæ, nulla prorſus diſpenſatione indigent. Quod & confirmatur, ex eo quia vt latiſſime diximus locis ſupracitatis, Regularis & ſolemnis profeſſio maſculorum, in Religione aliqua approbata facta, hoc ad minus operatur, vt qui filij ſunt illegitimi, per eandem legitimentur, ſaltem quantum ad hoc vt ad ſacros Ordines poſſint promoueri: ergo etiam profeſſio fœminarum ſolemnis, facta in ſimili Religione approbata, aliquem effectum fauorabilem debet operari, ſed non poteſt operari, vt Moniales ad ſacros Ordines promoueantur, cum fœminæ cuiuſcumque Ordinis ſacri ſint incapaces, dicendum eſt igitur, quod ſupradictum in eis operabitur effectũ, ſcilicet vt ſine vlla diſpenſatione in Abbatiſſas & Prioriſſas poſſint eligi & præfici. Tandem quod ſupradicta iura quę loquuntur de illegitimis, in prædictis Monialibus locum non habeant, ex eo præterea manifeſtiſſime probatur, nam Sixtus Quintus Pontif. Maxim. qui eiuſmodi illegitimos quammaxime exoſos habuit, in ſua conſtitutione ſiue Extrauaganti, quã edidit anno Domini 1588. 12. kalend. Nouemb. Põtificatus ſui anno quarto, qua ipſos ad omnes dignitates & honores, inhabiles & incapaces effecit cum de Religioſis viris expreſſe loquatur, de fœminis nec vllum prorſus verbum fecit, quin vero expreſſe dixit, conſtitutionem ſuam cum Monialibus prædictis nõ debere intelligi, nec ad eas extendi, ex quo plane noſtrũ ſequitur intẽtum. Sed quia ijs nihilominus non obſtantibus, contraria ſententia & opinio, non eſt omnino improbabilis, quin vero multum probabilis, propter auctoritatem Gloſſ. & Nauar. pro tenentibus eã, ſequẽtem libuit adijcere concluſionem,

Secunda Concluſio.

Caſu quo Moniales illegitimæ diſpẽſatione indigeant, Religionum Prælati cum eis iure optimo poſſũt diſpenſare.

CAſu quo opinio Gloſſæ & Nauarro vera ſit, ac habeat practicari, cũ prædictis Monialibus illegitimis, in eo proprij ipſarum Prælati facillime poterunt diſpenſare. Hæc concluſio probatur, nã quamuis ſecundum ius commune, poſitum *in cap. de filijs presbyterorum*, & communem ſententiam, diſpenſatio in eiuſmodi irregularitate, & ad hoc vt illegitimi ad prælaturas & dignitates Eccleſia ſticas, aliaque officia ordinariam iuriſdictionem habentia poſſint promoueri, ad ſolum Roman. Põtif. pertineat, de iure tamen ſpeciali & ex priuilegio, ſupradicti Prælati Regulares, quam plures habent conceſſiones, quibus eiuſmodi diſpenſatio ſibi conceditur, prout latiſſime dicetur in ſecundo tomo, huius noſtri Manualis Prælatorum Regularium, quæſtione ſecunda articulo ſecundo, Quæ quidem priuilegia in præſentiarum referre prudens omitto, cum ibidem habeantur expreſſe, viderique facile poſſint, in monumentis noſtri Ordinis locis ibidem citatis, quorum copioſiſſimam re collectionem, fecit priuilegiorum Collector in Compendio, *verbo diſpenſatio*, per plures paragraphos. Solummodo dico, quod dicta priuilegia quãuis expreſſe conceſſa ſint pro Fratribus, extendi etiam poſſunt, vt locum etiam habeant in Monialibus, & maxime Sanctæ Claræ & Tertiarijs, aliſque ſub obedientia noſtrorum Minorum Fratrum exiſtentibus, quæ ex conceſſione Bonifacij VIII. omnibus noſtris gaudent priuilegijs, conceſſis & concedendis, vt latiſſime etiam dicitur, in dicto ſecundo tomo Manual. Prælatorum Regularium, quæſt. 46. quo loco agitur de priuilegiorum communicatione. Præterquam quod, communis & generalis eſt, Doctor. Regula. quæ & valde videtur iuridica, qua dicitur, quod quando aliquod priuilegium viris conceditur, cenſetur etiam & fœminis eſſe conceſſum, ſi eiuſmodi priuilegij ſunt capaces. Pro quo multa adducit iura, Anto. de Butri. *in cap. fin. de conſuetud. & Rebuf. in l. 1. ff. de verborum ſignificatione, fol. 19. & Doctores communiter in cap. cum perſonæ de priuilegijs.* Quo fit, vt cum Prælati Regulares, ſecundum ſupradicta priuilegia, diſpẽſare poſſint cum ſuis fratribus illegitimis, vt ad prælationes & honores, dignitateſque Eccleſiaſticas poſſint promoueri, conſequens etiam eſſe videtur, vt diſpenſare etiam poſſint, cum dictis Monialibus ſibi ſubiectis, in dicta ſua illegitimitate. Nec ad id neceſſarium eſt, vt eiuſmodi diſpenſatio fiat in Capit. Prouinciali ſiue intermedio, vt dicitur, loco ſupracitato de Religioſis, per conſtitutionem Gregorij XIIII. cuius ibidem fit mentio, nam id locum non habet, niſi vbi eundem habuit, ſupra dicta

Nota quod quotieſcumq; priuilegiũ aliquod viris cõceditur, cenſetur etiam conceſſum & fœminis, ſi eiuſdem ſint capaces.

Nota hoc vide.

dicta rigoroſa conſtitutio Sixti Quinti contra illegitimos, quam de mente ipſius, diximus locum non habere in prædictis Monialibus.

ARTICVLVS IIII.

Quam ætatem & profeſsionis tempus, habere debeant Moniales, ad hoc vt in Abbatiſſas ſiue Prioriſſas, eligantur & præficiantur?

Prima Concluſio.

Nulla monialis eligi & præfici poteſt in Abbatiſſã, quæ ad minus non habuerit, trigeſimũ ætatis ſuæ annũ.

NVlla Monialis poteſt eligi & præfici, in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam, quæ ad minus non habuerit, trigeſimum ſuæ ætatis annum. Pro huius concluſionis intelligentia, oportet aduertere *ex Gloſſa in capit. indemnitatibus de electione lib. 6. verbo, triceſimum*, quod olim Abbatiſſa, eſſe debebat non minus quam ſexagenaria, vt conſtat *ex cap. Iuuenculas 20. quæſtio. 1.* vbi ſequentia habentur verba, *Iuuenculas fieri Abbatiſſas, vehementiſsime prohibemus. Nullam igitur Fraternitas tua, niſi ſexagenariam Virginem velari permittat.* Quod decretum, *Gloſſa in dicto capit. verbo, ſexagenariam*, eſſe dicit conforme doctrinæ Apoſtoli Pauli, qui ſcribens olim ad Timoth. 1. cap. 5. eadem de re agendo, inquit, *vt vidua non eligatur, minor ſexaginta annorum*, quod & refertur, *in cap. quomodo 31. quæſt. 1.* Sed hoc poſtea moderatum fuit, *in Concil. Carthaginen. 3. & in Concilio Agathenſi cap. 19.* & ſtatutum vt Abbatiſſæ eſſent ſaltem quadragenariæ, vt habetur *in cap. Sanctimoniales, 20. quæſt. 1.* vbi dicitur, *quod Sanctimoniales ante annum 40. non velentur.* Dicit tamẽ Gloſſ. *in dicto cap. indemnitatibus*, quod ſupradicta iura ſublata ſunt poſtea, *per capit. cum in cunctis, de elect. §. inferiora*, quod eſt Alexand. III. in Concil. Lateranẽſi, vbi ad omnia inferiora miniſteria, animarum curam habentia, non expoſtulatur, niſi tempus annorum viginti quinque. Quod cum incongruum videretur, in mulieribus & Abbatiſſis, in dicto capitulo, impoſita eſt ſupradicta Taxa & regula, vt nulla Monialis de cætero, in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam eligeretur, niſi quæ ad minus trigeſimũ ſuę ætatis compleuerit annum, fueritq; expreſſe profeſſa, ordinem Regularem cuius Monaſterio præficitur. Quod annorum tempus ad minus, etiam requiritur modo, poſt Concil. Trident. illudque videtur ſufficere. Nam quamuis *ſeſſ. 25. de Reg. capit 7.* habeatur expreſſe, *quod nulla Abbatiſſa vel Prioriſſa, & quocumque alio nomine, Præfecta vel Præpoſita appelleatur, eligatur minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſsionem laudabiliter vixerit, quodque ſi ijs qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis poſsit eligi*, ſtatim tamen ſubditur *quod ſi id incommodum, ſuperiori qui electioni præeſt videatur, ex ijs quæ in eodem Monaſterio, annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſsionem recte vixerint, Epiſcopo vel alio ſuperiore conſentiente eligatur.* Pro quo allegat concilium, prædictum *cap. indemnitatibus, de elect. lib. 6.* ex quibus omnibus colligitur, veritas noſtræ concluſionis, qua diximus, quod nulla Monialis in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam, Monaſterij alicuius poteſt eligi & præfici, quæ ad minus non habuerit trigeſimum ætatis ſuæ annum: Nam quamuis expediens prius viſum fuerit concilio, vt Abbatiſſa ſiue Prioriſſa, dum id commode fieri poteſt quadragenaria ſit, & quæ octo annis poſt profeſſionem expreſſam ad minus laudabiliter vixerit, in quo fit alluſio ad illud quod olim ſtatutum erat, *in Concilio Carthaginenſi 3. iuxta d. cap. Sanctimoniales 20. quæſt. 1.* ſi tamen id non commode fieri poſſit, & Superiori qui electioni præeſt, aliud expedire videatur, ſat eſſe, dicit, vt illa eligatur, quæ ſuæ ætatis trigeſimum annum exceſſerit, & ſaltim quinque annis, poſt profeſſionem recte vixerit, & in hoc eſt ſtandum.

Secunda Concluſio.

Ad hoc vt monialis aliqua, eſſe poſsit Abbatiſſa, vltra ætatem requiritur, quod ſit expreſſe profeſſa, illiusmonaſterij cui præficitur, & per aliquot annorum ſpatium ibidem laudabiliter vixerit.

VLtra prædictam 30. annorum ætatem, ad hoc vt Monialis aliqua eſſe poſſit Abbatiſſa, ſiue Prioriſſa, neceſſario requiritur, quod ſit expreſſe profeſſa Monachalem Regulam, eius Monaſterij cui præficitur, & quod per aliquot annorũ ſpatiũ, laudabiliter vixerit. Hæc concluſio, iam plane cõſtat ex ſupradictis & habetur expreſſa, *in dicto cap. indemnitatibus de elect. lib. 6. & in Concil. Trident prædicto, loco ſupra citato, ibi poſt profeſsionem expreſſam*, quibus verbis, datur intelligi, quod quamuis ſecundum idem Concilium, ad hoc vt aliqua mulier eſſe poſſit Monacha vel Religioſa, tacita profeſſio ſufficiat, iuxta ea quæ latiſſime à nobis dicta ſunt, in iſto primo tomo, quæſt. 24. art. 12. non tamen ſufficit prædicta tacita profeſſio, ad hoc vt illa eſſe poſſit Abbatiſſa ſiue Prioriſſa, ſed neceſſario requiritur, vt ſit expreſſe profeſſa Monachalem Regulam illius Ordinis ſiue Monaſterij cui præficitur. Quod & pro Religioſis omnibus, ſtatutum eſt etiã in iure, *in capit. nullus, de electione lib. 6.* vbi dicitur, *quod nullus Religioſus, in Abbatiam ſiue prælaturam ſuæ vel alterius Religionis eligatur de cætero, niſi antea fuerit ordinem Regularem expreſſe profeſſus*, & additur, *quod ſi ſecus factum fuerit, eo ipſo irritum habeatur.* Quod adeo verum eſt, vt dicat Gloſſa ibidem, *verbo, expreſſe*, eiuſmodi profeſſionem expreſſam, in ſcriptis debere fieri, vt ſi poſtea reclamauerint, propria ſcriptura obuiet illis, pro quo *allegat, capit. omnes fœminæ 27. quæſt. 1. & cap. Saluberrimum 1. quæſt. 7.* quod quidem eſt valde notandum atque memoriæ commẽdandum. Additur etiam in dicto Concilio Tridentino, vltra ætatem prædictam profeſſionemque expreſſam, oportere vt illa quæ in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam eligitur, octo annis vel ad minus quinque, poſt prædictam profeſſionem expreſſam, laudabiliter vixerit: in quo quidem fit alluſio ad ea, quæ olim fuere ſtatuta & decreta, nempe vt ad eiuſmodi munera & officia, ſiue in viris ſiue in fœminis, non eligerentur aut aſſumerentur, niſi qui vitæ integritate pollerent, & ab alijs bonum haberent teſtimonium. Pro quo quantum attinet ad præfatas Abbatiſſas ſiue Prioriſſas, quamnaxime facit ſupradictum, *cap. iuuenculas 20. quæſtione prima*, quod eſt D. Gregorij, vbi ſtrictiſſime prohibetur, iuuenculas prædictas fieri Abbatiſſas, & dicitur, *vt ad id muneris nulla eligatur, niſi fuerit ſexagenaria & Virgo, cuius vita & mores idipſum exegerint, &c.* Quæ verba

Nota quod quamuis tacita profeſsio ſufficiat, ad hoc vt aliqua ſit Monacha, non tamen ad hoc vt ſit Abbatiſſa, ſed ex præſſa profeſsio requiritur

verba, Gloſſa *verbo, ſexagenaria*, inquit, intelligi poſſe, vt ſit ſexagenaria non ætate, ſed continentię perfectione. Pro quo allegat, *cap. Paulus 2. q. 7.* vbi reprehenduntur ſenes qui cum ſenili ætate, non etiam ſenilem portant animum, exemplaremque coniungunt vitam; & dicitur, quod huiuſmodi ſenes, malo ſuo exemplo, ad interitum trahunt corda iuniorum; & ſunt illi, quos Iſaias, *cap. 42.* vocat *iuuenum laqueos*, de quibus etiam in cap. 65. dicitur, *quod puer centum annorum maledictus erit.* Additur præterea in ſupradicto capitulo, iuuenculas, quod in Abbatiſſam præficienda, debet ſimul eſſe Virgo, nam vt etiam ibidem dicit ſupradicta Gloſſa, aliter non eſſe poterit hortatrix virginitatis. Pro quo allegat, *cap. vna, diſt. 26.* quod eſt D. Amb. *lib. 2. officiorum c. p. vlt.* vbi agens de bono viduitatis, inquit, *quod non eſſe poteſt hortator viduitatis, qui ipſe coniugia frequentauerit.* Ad quod quidem propoſitum, nempe quanti referat eum ſiue eam, qui vel quæ, in aliquam præfecturam eligitur, morum integritate pollere, ac vitæ bonæ teſtimonio commendari, vt alijs exemplo eſſe poſſit, ipſoſque cũ deliquerint, reprehendere ac redarguere, traduntur ibidem à ſupradictis Gloſſis plura ac fere innumera iura, ſed maxime faciunt ad hoc, *capitulũ vlt. d. 25. & cap. primum §. 1. d. 42. & cap. in facerdotibus. §. 1. d. 62. cap. ſicut ij. §. neſciſſe, d. 47.* vbi ad hoc propoſitũ dicuntur plura, & quidem notatu digniſſima, quæ breuitatis gratia facio miſſa.

Nota eõtraſc nes nõ ſenilẽ animum gerentes.

Nota valde quod Abbatiſſæ debent eſſe virgines, vt poſſint ad virginitatẽ exhortari.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Abbatiſſæ & Prioriſſæ, & mulieres Monialium Præfectæ, ſint capaces iuriſdictionis ſpiritualis?

VT præſens difficultas amplius conſtet, & vt dicitur ex oppoſitione cõtrariorũ, veritas plenius eluceſcat, libuit eam pro vtraque parte hinc inde diſcutere. Et primo pro parte affirmatiua ſic argumentor, *ex cap. dilecta filia, de maioritate, & obedientia*, vbi dicitur, quod licet Abbatiſſa, ſubditos excommunicare non poſſit, ipſi tamen tenentur eidem obedire, ſolitamque eſſe quandam Abbatiſſam, de qua ſit ibidem ſermo, ſuſpendere ab officio & beneficio Canonicos ſuos, & clericos ſuæ iuriſdictioni ſubiectos, iubetque Pontifex, vt obediatur illi, & ſupponere videtur, ſuſpenſionem prædictam factam à dicta Abbatiſſa, fuiſſe validam. Quod quidem argumẽtum, quammaxime facit, ad probandum Abbatiſſas, ſpiritualis iuriſdictionis eſſe capaces.

Secundo ſic argumentor ad idem, *ex cap. dilecti filij de arbitris*, vbi Summus Pontifex Innocen. III. approbare videtur, conſuetudinem quamdam approbatam, & quæ pro lege (vt dicitur) ſeruatur, in aliquibus Galliæ partibus, in quibus præexcellentes fœminæ, in ſubditos ſuos ordinariam dicuntur habere iuriſdictionem: ergo nihil obſtat quod id ipſum dicamus, etiam de prædictis Abbatiſſis & Prioriſſis, illaſque eſſe capaces ſpiritualis iuriſdictionis. Quod & confirmari etiam poteſt, *ex cap. dilecta, de exceſſibus Prælatorum*, vbi quædam Abbatiſſa, vocatur caput & patrona cuiuſdam Congregationis Clericorum: ergo nihil etiam obſtat, vt id ipſum dicamus de alijs ſimilibus Abbatiſſis. Sed ijs non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, pro cuius difficultatis plenaria reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

ABbatiſſæ & Prioriſſæ, aliæque Moniales monaſteriorum præfectæ, vtcumque in aliquibus dignitatibus conſtitutæ, nõ habent neque de iure communi habere poſſunt, aut ſunt capaces ſpiritualis iuriſdictionis. Hæc concluſio, communis eſt omnium Doctorum reſolutio, & probatur in primis, auctoritate D. Th. in 4. ſentent. d. 19. q. 1. ar. 1. vbi loquens de prædictis Abbatiſſis, inquit, quod mulier ſecundum Apoſtolum in ſtatu eſt ſubiectionis, ac ideo ſpiritualẽ non poteſt habere iuriſdictionẽ. Præterea probat id ipſũ, quia ſecundum Philoſophum, corruptio vrbanitatis eſt, quãdo dominium ad mulierem peruenit, vnde inquit, nec ordinis nec iuriſdictionis clauem habere poteſt mulier. Committitur tamen ei aliquis clauium vſus, ſicut habere correctionẽ in ſubditas, propter periculum quod poſſet imminere, ex cohabitatione mulierũ, & virorũ ſimul. Verba ſunt expreſſa D. Tho. Et rurſus d. 25. q. 1. art. 1. dicit, quod Abbatiſſæ non habẽt prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione, propter periculũ cohabitationis virorum. Le Debora autem quæ iudicauit Iſrael, dicendum eſt, inquit Diuus Tho. quod præfuit in temporalibus, non vero in Sacerdotalibus, & ſic etiam nunc mulieres poſſent dominari. Hæc ſuprædic. D. Th. loco ſup. cit. idem tenet ibidem Tho. de Argent. art. 3. in ſolut. ad 2. & D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 7. §. 2. & Nauar. in Man. cap. 27. num. 6. & Couarr. *in Cap. Alma mater.* 1. p. §. 11. num. 2. Et omnes DD. cõmuniter: ſed præ alijs Soto in 4. ſent. d. 20. q. 1. art. 4. quod & probat *ex c. mulierem 33. q. 5. cum multis alijs capitulis quæ referuntur ibidẽ*, quibus dicitur, mulieres nec docere poſſe, neque iudicare, ſeu aliqua ſimilia munia exercere. Sed expreſſius probatur id ipſum, *ex cap. de Monialibus de ſent. excõ.* vbi dicitur Abbatiſſas nõ poſſe ſibi ſubditas, à cenſuris ſi quas contraxerint abſoluere. Multo ergo minus ealdem poterunt ligare, qui eſt effectus clauium, & ſpiritualis iuriſdictionis, ſi ipſas non poſſunt abſoluere. Probatur præterea, *ex c. noua de pœnitentia, & remiſſione.* vbi Innoc. III. grauiter reprehendit, Abbatiſſas quaſdam illius temporis, quæ Moniales proprias benedicere audebant, ipſarum quoque confeſſiones in criminibus audire, & legentes Euangelium, præſumebant publice prædicare, ac præcipit, vt de cætero id nullatenus fiat, cuius rationem reddens, ſubdit ibi, *quia licet B. Virgo Maria, dignior & excellentior fuerit Apoſtolis vniuerſis, non illi, ſed iſtis Chriſtus Dominus claues regni cælorum commiſit*: quæ quidẽ ratio appoſitiſſima eſt. Sed argumentando, vt dicitur à priori, poteſt argumentum formari, ac poni in ſequẽti forma. Poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, quamuis non ſit immediate poteſtas clauiũ,

Abbatiſſæ & Prioriſſæ, aliæque Monialiũ præfectæ, nõ ſunt capaces ſpiritualis iuriſdictionis.

Nota hoc valde quod mulieribus, non permittitur prædicare, neque alios docere.

hoc eſt poteſtas remittendi peccata, ordinatur tamen ad illam, imo vero ex illa ortum habet: ſed mulieres non poſſunt habere poteſtatem clauium, nec poteſtatem ordinis, vt tenet Doctorum communis ſententia: ergo nec poteſtatem prædictam ſpiritualis iuriſdictionis. Ex quo infertur, quod quamuis in Religionibus, Monialibus Abbatiſſis & Prioriſſis, committatur quædam poteſtas gubernandi ſua Monaſteria, quæ moraliter loquendo eſt ſimpliciter neceſſaria, cum non poſſent honeſte ac decenter, Moniales per viros immediate gubernari, propter periculum quod imminebat, ex cohabitatione ſimul mulierum & virorũ, eiuſmodi tamen poteſtas, non extenditur ad proprios actus clauium, ſiue qui ad claues quoquo modo pertinent, ſed tantummodo ad actus præcipiendi, corripiendi & inſtruendi, quantum conueniens eſt, ad maternum ſiue domeſticum regimen. Hac de re latiſſime videndi ſunt Summiſtæ *verbo Abbatiſſa*, & Victoria in relectione 2. de poteſt. Eccl. q. 2. nu. 3. Quæ omnia certiſſima atque conſtitutiſſima ſunt, loquendo de iure communi; ſecus autem eſſet de poteſtate abſoluta ſummi Pontif. de hac enim loquendo, multorum fert opinio, quod non repugnat, ſummum Pont. ſpiritualem iuriſdictionem, concedere alicui fœminæ, ſeu alicui Abbatiſſæ. prout tenet Paludanus expreſſe, in 4. ſent. d. 19. q. 2. art. 1. à quo non diſſentit Soto, in eod. 4. d. 20. q. 1. art. 4. in fi. & Nauar. lib. 5. conſil. tit. de ſent. excom. conſil. 1. num. 1. & Hugolinus de Eccleſiaſt. cenſ. tabula 1. c. 2. §. 7. nu. 5. quia hoc non eſt contra ius diuinum, ideoque nihil obſtat, quominus ſummus Pont. ex ſuprema & abſoluta ſua poteſtate, id poſſet facere, ſicut ex eadem iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſimplici laico poteſt cõcedere. Hoc eſt certum. At de lege ordinaria Eccleſiaſtica, communique iure loquendo, id in Eccleſia nunquam fieri conſueuit, neque conſuetudine introduci poteſt, neque ab aliquo ſummo Pont. aliquando factum legimus, quia non decet, neque fœmineus ſexus per ſe, eſt proportionatus ad ſpiritualia munera obeunda. Et dici poteſt, quod quamuis hoc non ſit ſimpliciter contra ius diuinum, aut contra ius naturale, eſt tamen illis minus conſentaneum, atque etiam ipſi iuri ciuili, nam *l. 2. ff. de reg. iuris* habetur, fœminas longe remotas eſſe debere ab officijs publicis, & ipſas iudices eſſe non poſſe.

Nota ad quæ ſe extẽdat poteſtas Abbatiſſarum & Prioriſſarũ, in Monialiũ Monaſterijs.

Hoc igitur ita conſtituto, & quod Abbatiſſæ ſiue Prioriſſæ prædictæ, & quæcumque aliæ Monialium præfectæ, ſpiritualem iuriſdictionem non habent, ſed neque illam habere poſſunt, loquendo de iure communi, ſupereſt vt nunc paucis dicamus, quidnam ipſæ ſtando in eodem iure communi, facere poſſunt aut non poſſunt, circa Moniales ſibi ſubditas? quod fiet per ſequẽtes Cõcluſiones.

Secunda Concluſio.

Abbatiſſæ & generaliter quæcumque monialiũ Præfectæ, non poſſunt facere aliquid, dependens ab ordinis ſiue clauium poteſtate.

ABbatiſſæ & Prioriſſæ, & quæcumque mulieres Monialium Præfectæ, generaliter loquendo, non poſſunt facere aliquid, dependens ab ordinis ſiue clauium poteſtate. Hanc concluſionem tenet expreſſe Sylueſter, *verbo Abbatiſſa. quæſt. 3. num. 8.* & ex ea infert, non poſſe ipſas aquam vel ſubditas benedicere, quod intelligendum eſt, quod non poſſunt ſubditas benedicere, ex officio & publice, ſecus autem priuate & vt ſpeciales quædam perſonæ, ad modum quo aliqua mater filiam ſuam benedicit. Item nec ſuarum ſubditarum poſſunt Confeſſiones audire, neque eiſdem pœnitentias etiam ſalutares imponere, nec circa ipſas aliquem actum ſacramentalem exercere, quia hæc omnia prohibentur expreſſe, *in cap. noua, de pœnitẽt. & remiſſ.* Item nec poſſunt prædicare aut publice docere, vtcumque ſancta ſit, & docta aliqua mulier, iuxta *cap. Mulier, diſt. 35.* Quod etiam intelligendum eſt, publice & in Eccleſia; ſecus autem in Capitulo vel in clauſtro Monialium. Neque poſſunt Euangelium legere in Miſſa, ſecundum gloſſam in *d. Cap. noua*, poſſunt tamen in matutinis ſuã gelium legere ſecundum eamdem gloſſam ibidẽ, vnde & Diaconiſſæ appellantur, iuxta *cap. Diaconiſſam, 27. q. 1.* Poſſunt præterea ſubditas ſuas monere & exortari, non tamen Moniales velare, iuxta *cap. Statuimus, 20. q. 2.* neque ſuper rebus ſpiritualibus iudicare, aut ordinem aliquem ſuſcipere, multaque alia, quæ eiuſmodi fœmineo ſexui prohibentur, de quibus videatur latiſſime ſupradictus Syluester, *verbo, fœmina quæſt 3. num. 4.* vbi breuiter ſed compendioſe ſatis, enumerat omnia illa quæ de iure communi mulieribus prohibentur. Sed ſpecialiter, quod non poſſint mulieres, neque Abbatiſſæ aut Prioriſſæ prædictæ, ſeu quæcumque aliæ Monialium Præfectæ cenſuras apponere, communis eſt Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Panormitanus *in cap. dilecta, de maiorit. & obedientia, num. 3.* Nauarr. in ſuo Manu. loco citato, cap. 27. num. 6. & lib. 5. Conſiliorum, de ſenten. excomm. conſ. 1. num. 1. & Couar. loco vbi ſupra, & Enriquez lib. 3. de Pœnitentia, cap. 2. §. 3. & lib. 13. de excomm. cap. 24. §. 1. Videatur etiam circa hoc, Suarez, 3. tom. de Eccleſiaſt. cenſuris, diſp. 2. ſect. 3. num. 5. & Sayrus lib. 1. ſui theſauri, cap. 1. num. 16 quibus in locis, ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Sed an ſupradictę Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, aliæque mulieres Monialium Præfectæ, ratione ſuorum officiorum poteſtatem habeant ponendi obedientiam, & ſpiritualia præcepta, ad modum quo alij religioſorum Prælati, dubitari in præſentiarum ſolet. Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Sunt facere aliquid, quod ad Eccleſiæ claues pertineat.

Tertia Concluſio.

Abbatiſſæ & Prioriſſæ, aliæq; Monialiũ Præfectæ, de iure cõmuni loquendo, nõ poſſũt ponere Monialibus obedientiam, & ſpiritualia præcepta.

ABbatiſſæ & Prioriſſæ, aliæque Monialium Præfectæ, de iure communi loquendo, non poſſunt ſibi ſubditis ponere obedientiam, aliaque ſpiritualia præcepta, ad modum quo religioſorum Prælati, ſed tantummodo mandata quædam ciuilia, vt matresfamilias. Hanc concluſionem, tenet expreſſe Magiſter Soto, in 4. Sentẽt. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. concl. 2. vbi omnino negat eas eſſe vere Prælatas, nec inde (inquit) inferre licet, quod eiuſmodi præcepta non obligent, quamuis alias quæ præcipiuntur infima eſſe videantur, vt quod non ſcribant

ſcribant litteras, aut quod non ipſas ſine licentia recipiant, ſeu quod cum viris non loquantur, vel ad hortos non exeant, &c. nam eiuſmodi præcepta, procul dubio obligant Moniales ipſas, licet ex natura rei penſandum ſit, atque conſiderari & æſtimari debeat, ſub quo reatu obligent, ſub mortali ne an vero tantum ſub veniali? Et addit, quod tãtum ad cuſtodiam domus conferre poſſent prędicta mandata, vt eorum trangreſſio eſſet mortalis, & tam parum vt non ſit amplius quam venialis. Quæ ciuilia præcepta, etiam matresfamilias imponere poſſunt ex cauſa filiabus ſuis, ipſasq; obligabunt modo prædicto, quamuis in Monaſterijs ſemper vrgentior ſit cauſa, & ex ſe magis obligatoria ſint hæc præcepta quam illa. Cum quo tamẽ (inquit) ſtat, quod Abbatiſſæ nequeũt ponere ſpiritualia præcepta, more Prælatorũ aliorũ Religioſorũ, quæ eo ipſo quo in ſcriptis dentur, intelligantur ad mortale obligare: Nam reuera id nullatenus facere poſſunt, ex facultate ſuis officijs annexa, quia earum præfectura, non eſt ad modũ Præfecturæ aliorum Religioſorum. Alioquin (inquit) ſequeretur, quod poſſent etiam ipſæ excommunicare, quod nullus ſanæ mentis dicet, cum excõmunicatio ſit priuatio ſpiritualium bonorũ, quod mulieribus haud quaquam poteſt competere. Et ſi quis arguat, quod ratione voti, Moniales ſuis Abbatiſſis & Prioriſſis tenentur parere & obedire, etiamſi ſpirituale præceptum non ponant, nam etiam ſi quis obedire promiſit alicui ſeculari, obedientiam tenetur eidem præſtare, maxime ſi votum emiſit obediendi eiuſmodi homini. Reſpondet ſupradict⁹ Soto, quod cũ quis vouet obedientẽ eſſe alteri, non id intelligitur niſi prout moris eſt obtẽperare, laicũ laico vel religioſum religioſo, Nã ob id quod quis voueat obedire amico ſuo ſeculari, nõ propterea ſequitur, quod ille poſſit circa ſpiritualia, præceptũ aliquod eidẽ imponere, ad modũ quo Epiſcopus ſiue Prælatus: Pari ergo modo dicit Soto, quod Moniales vouẽt obedire Prælatis ſuis, ſecundum poteſtatem quam ipſæ habẽt præcipiendi, quæ eſt ad modum quo & matresfamilias, non tamen vt cæteri Religioſorum Prælati. Quod latiſsime probat, eſtque id valde notandum atque memoriæ commendandum. Quæ quidem omnia intelligenda eſſe dicit, ex facultate annexa officio, prædictarum Abbatiſſarum, nam ex commiſſione (inquit) non videt ipſe, cur non poſſint habere prædictam poteſtatem, conſtituendi ſpiritualia præcepta: aut quod Prouinciales non eis poſsint committere illud, & vt ſi viſum ſibi fuerit expedire, ad honorem domus, & meliorem gubernationem prædictarum Monialium, eædem poſſint ponere eiuſmodi ſpiritualia præcepta, & maxime in aliqua graui neceſſitate, citra tamen cenſuram excommunicationis: nam hæc facultas, nunquam mulieribus commiſſa eſt, nec illam ipſis cõmittere oportet. Hoc etiam eſt multum notandum. Et ſequendo hanc doctrinam, in noſtris generalibus Conſtitutionibus Toletanis, factis pro prædictis Monialibus cap. 5. Abbatiſſis & Præſidentibus conceditur, vt in ſuis Monaſterijs obedientiæ præceptum poſſint ponere, cuius obſeruantia Moniales ſibi ſubditas, ad mortale obliget. Sed poſt quam adeo late dicta ſunt, quæ Abbatiſſæ & Prioriſſæ, aliæque Monialium Præfectæ facere non poſſunt, ſupereſt vt dicamus modo, aliqua quæ poſſunt, de quibus fiet ſermo in ſequenti concluſione.

Quarta Concluſio.

Abbatiſſæ ſecundum ius, capaces ſunt actiuæ collationis beneficiorum, iuſq; habere poſſunt conferendi ipſa.

ABbatiſſæ & Prioriſſæ, cæteræque Monialium Præfectæ, ſecundum ius capaces ſunt actiuæ collationis beneficiorum, iuſque habent ſeu habere poſſunt, conferendi & inſtituendi ipſa, ſtatim poſt ſuam confirmationem, de conſenſu Capituli, in Eccleſijs ad ſuum Monaſterium pertinentibus, ſicut & alij Abbates conformati. Hanc concluſionẽ tenet expreſſe Sylu. *verbo Abbatiſſa, q. 2. nu. 5.* vbi agit de ijs, quæ Abbatiſſæ prædictæ facere poſſũt, & probat eã ex *ca. ea noſcitur, de ijs, quæ fiunt à Prælatis*, dicitque eſſe ſententiam Hoſtienſis & Panormitan. *in cap. dilecta. de maioritate, & obedientia.* Sed dicit limitandum hoc eſſe, de inſtitutione dante poſſeſſionem & titulum, non autem de inſtitutione auctorizabili, per quam datur poteſtas exercendi animarum curam, & ligandi atque ſoluendi, quia nemo dat quod non habet. Secundo dicit ſupradictus Sylueſter, quod Abbatiſſæ prædictæ poſſunt ſuſpendere Monachas, & clericos ſuæ iuriſdictioni ſubiectos à beneficio, vt præſupponitur in *dicto cap. dilecta de maior. & obedientia iuncta gloſſa*, quod etiam ſentit gloſſa Raymundi; non autem poſſunt illos ſuſpendere ab officio vel interdicere, quia hoc eſt quaſi clauium, & ſub nomine cenſuræ continetur. Et quamuis circa hoc aliqualis ſit differentia inter DD. An ſcilicet Abbatiſſa, id poſſit vel non poſſit, vbi eſt conſuetudo. Panormit. tamen vbi ſupra, eoſdem ad concordiam reducit, dicendo quod poteſt ſupradicta facere large, ſcilicet ſubtrahendo præbendas, & præcipiendo clericis ſubiectis, ne celebrent donec ſatisfecerint, non autem ſtricte & proprie, id eſt, ea ſuſpenſione & interdictione, quæ contrarium facientibus regularitatem inducat, quia ex communicatio, ſuſpenſio & interdictum, proprie loquendo, continentur ſub appellatione cenſuræ, *iuxta cap. quærenti, de verborum ſignificatione.* cuius impoſitionis fœminæ ſunt incapaces. Non enim poſſunt excommunicare, vt ſupra diximus, & cui vnum interdicitur ratione ſuæ incapacitatis, reliquum etiam videtur interdici, cum omnia ſimul dependeant ab ordine, vt dicit Panormitanus, loco ſupra citato. Tertio dicit prædictus Sylueſter, quod licet Abbatiſſæ, vt dictum eſt, non poſſint excommunicare, neque ab excommunicatione abſoluere, *iuxta cap. dilecta, de maioritate, & obedientia*, poſſunt tamen ſecundum aliquos, præcipere ſuis presbyteris, vt excommunicent & abſoluant Moniales delinquentes, & illi obedire tenentur, ſi tamen hoc habeant presbyteri, ex conceſsione ſpeciali aut generali Epiſcopi, vel Papæ, ſi ſunt exemptæ, vel ex aliqua antiqua & approbata conſuetudine. In quo quidem caſu, quando Abbatiſſæ præcipiunt ſuis officialibus, vt excommunicent, non excommunicãt ipſi auctoritate ipſarũ, ſed auctoritate Epiſcopi, aut Papæ, à quibus illud habent ſecundũ Archidiaconum. Tandem quarto & vltimo, dicit prę-

Abbatiſſæ poſſunt ſuſpendere Monachas, et clericos ſuæ iuriſdictioni ſubiectos, à beneficio, nõ aut ſuſpendere ab officio, vel interdicere.

Abbatiſſæ ſecundum aliquos poſſunt præcipere ſuis presbyteris, vt excommunicẽt ſuas Moniales, ipſaſque ab excommunicatione abſoluãt.

Abbatiſſæ poſſunt ſub ſe habere clericos ſeculares.

dictus Syluester, quod possunt Abbatissæ & Prioriſſæ, habere ſub ſe clericos ſeculares, quod intelligendum eſt de iure ſpeciali, vt puta, ſi habeant capellas, ex priuilegio vel præſcriptione, ad ſe pleno iure pertinentes, quia tunc earum clerici ſubijciuntur illis, vt dicitur pleno iure, quando illud habent tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, prout explicat gloſſa *in cap. Abbates, de priuilegijs, lib. 6.* nam quæcumque facere poſſunt Abbates, facere poſſunt & Abbatiſſæ prædictæ, & non minorem quam ipſi, in ſuis Monaſterijs adminiſtrationem habent, eiſque per omnia comparantur, iuxta ea, quæ traduntur à Baldo *in cap. 1. in princip. colum. 6. qui fœudum dare poſſunt*, & à Iaſone ibidem, & ab Abbate *in cap. 2. in princip. de iijs quæ fiunt à Prælatis*, qua de re videatur Marcus Antonius Cuccus lib. 3. ſuarum Inſtitutionum, tit. 3. Solum ſuperest nunc reſpondere ad argumenta, propoſita in initio articuli, ad quæ quidem, iam fere patet ſolutio ex ſupradictis. Sed breuiter dico.

Ad primum adductum *ex capit. dilecta, de maior & obed.* quod vel illa ſuſpenſio non fuit cenſura, ſed quædam prohibitio vel priuatio, quæ largo modo loquendo, ſuſpenſio dici potuit, ſed re vera non fuit, niſi quoddam Abbatiſſæ mandatum, quod per ipſam optime potuit imponi, iuxta ea quæ modo dicta ſunt in præcedenti concluſione. Vnde & notandum eſt, quod ibi Pontifex, non dicit ſeruari debere cenſuram ab Abbatiſſa latam, ſed præceptum eius, ſiue mandatum, quod cuidam Abbati iniungit, vt ſi ſubditi illius obedire noluerint ipſi, per Eccleſiaſticam cenſuram ad idipſum compellat eos, in quo clare indicauit, Abbatiſſæ ſuſpenſionem non fuiſſe cenſuram, ſed ſimplicem quandam prohibitionem.

Ad ſecundum & tertium argumentum, adductum *ex capit. dilecti filij, de arbitris, & capit. dilecta, de exceſſib. Prælat.* dico, quod ibi non fit mentio de ſpirituali iuriſdictione, ſed tantum de temporali, & ita multi iura illa interpretantur, & alij nolunt illam vocare iuriſdictionem, ſed ſolummodo quoddam ius, aut quoddam dominium ſiue poteſtatem, quæ ad ius cõſtituendum, vel iudicium ferendum non ſufficit. Vel dicendum eſt ſecundum Abbatẽ, quod id factum fuit de iure ſpeciali, de quo loquẽdo, non negamus nos fœminas habere poſſe iuriſdictionem ſpiritualem, de poteſtate Papæ abſoluta, quæ etiam ad ferendas cenſuras extendatur, ſicut de eadem poteſtate loquendo, idipſum poſſet concedere laico, attamen in præſentiarum non eſt ſermo, niſi de iure communi, de quo loquendo ſtandum eſt in ſupradictis.

QVAESTIO VII.

De Abbatiſſis & Prioriſſis, alijſque Monialium Præfectis, quantum ad ipſarum electionem, & officiorum ſuorum durationem, necnon & earum benedictionem, in Decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Abbatiſſarum ſiue Prioriſſarum & aliarum quarumcumque Monialium Præfectarum electio, pertineat ad Conuentum?

Prima Concluſio.

Loquendo de Abbatiſſis S. Claræ, multiplici iure cautum eſt, vt ipſarum electio pertineat ad Conuentum.

LOquendo de Abbatiſſis Monialiũ Sanctæ Clarę, tam primę quam ſecũdæ Regulæ, multiplici iure cautum eſt, vt ipſarum electio pertineat ad Conuentum. Hæc concluſio, quantum ad Abbatiſſas Monialium Sanctæ Claræ primæ Regulæ, probatur primo ex cap. 4. eiuſdem, vbi loquendo de electione Abbatiſſæ, ſequentia ponuntur verba. *In electione Abbatiſſæ, teneantur Sorores formam canonicam obſeruare, ſed procurent ipſæ habere Generalem Miniſtrum, vel Prouincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet, ad omnimodam concordiam, & communem vtilitatẽ in electione facienda.* Et additur, *quod nulla eligatur niſi profeſſa, & ſi non profeſſa eligeretur, vel aliter daretur, non ei obediatur, niſi primo profiteatur.* Idipſum ſtatuit, pro eiſdem Monialibus, primo Innocentius Quartus in alia Regula, quam pro eiſdem conſtituit, poſtea vero Bonifacius Octauus, vt habetur in Monumentis noſtri Ordinis, primæ impreſſionis folio 32. & ſecundæ folio 33. conceſſione 35. & refertur in Compendio, *verbo Abbatiſſa* §. 1. vbi dicitur, *quod Innocentius Quartus & Bonifacius Octauus ordinarunt & præceperunt, vt electio Abbatiſſæ Monialiũ Sanctæ Clarę, libere ad Conuentum pertineat.*

Sed quantum ad Abbatiſſas Monialium S. Clarę ſecundæ Regulæ, idipſum Vrbanus Quartus ſtatuit, prout habetur in Regula, quam idem ipſe ordinauit, prædictis Monialibus, cap. 22. cuius fit mẽtio, in Monumentis Ordinis, primæ impreſſionis, fol. 289. & ſecũdæ fol. 298. & in Cõpendio *verbo Abbatiſſa*, §. 2. vbi ſimilia verba ponũtur, *nẽpe, quod electio*

ctio Abbatiſſæ, libere ad Conuentum pertineat. Et pro omnibus tam iſtis quã illis, idipſum ordinauit poſtea, Nicolaus Quintus, vt habetur in eiſdem Monumentis primæ impreſſionis, fol. 48. & ſecundæ fol. 43. conceſſio. 48. & refertur in Cõpendio, *verbo Abbatiſſa §. 6.* vbi dicitur. *quod prædictus Nicolaus Quintus, ſtatuit & ordinauit, quod electiones Abbatiſſarum, ſeu matrum Monialium, quæ à maiori parte earum, numero dumtaxat factæ fuerint, ſint & cenſeantur canonicæ. Ac quod ad ipſorum Monaſteriorum, ſeu domorum Moniales, aut Sorores ordinem ipſum profeſſas, etiam quæ per triennium, vel circa in prædictis Monaſterijs moram traxerint, ſpectent atque pertineant.* Quæ quidem omnia, adeo non ſunt reuocata aut abrogata, quin vero expreſſe confirmata, per Concilium Tridentinum, nam ſeſſione 25. de regular. capit. ſeptimo hac de re agens, *præcipit vt in ijs ſeruentur, ſingulorum Ordinum, & Monaſteriorum Conſtitutiones.* Sed loquendo, de omnibus Monialibus in communi, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Electio Abbatiſſarum quarumcumque, & cæterarum Monialiũ Præfectarum, de iure communi ad conuentum ſpectat.

ELectio etiam omnium Abbatiſſarum, ac Prioriſſarum, cæterarumque Monialium Præfectarum, de iure communi ad Conuentum ſpectat. Hæc concluſio ſatis colligitur, ex *capit. indemnitatibus de electione, libro ſexto, quod eſt Bonifacij Octaui*, vbi latiſſime tradit formam, ſeruandam in electione Abbatiſſæ facienda, *præcipitque vt ad eligendum tam alijs, nulla admittatur Monialis, niſi duodecimum ætatis ſuæ annum peregerit, fueritque tacite vel expreſſe profeſſa.* Quibus verbis ſatis clare datur intelligi, quod Abbatiſſarum electio, ad prædictum Conuentum ſpectat. Quod & intuenti conſtabit amplius, ex pluribus alijs, quæ ibidem dicuntur, circa formam ſeruandam in electionis ſcrutinio, & quid ſit faciendum quando vota in diuerſa diuiduntur, poſt quæ omnia additur, quod ſi electio inuenta fuerit canonica confirmetur, ſin vero minime, vt ibidem notat gloſſa, *verbo canonica.* Forma autem electionis canonicæ, traditur latiſſime *in capit. quia propter, eodem titulo de electione*, ex quo etiam clare colligitur, quod eiuſmodi electio pertinet ad Conuentum. Quod & tanquam certum atque indubitatum ſupponit Sylueſter *verbo, electio. 3. quæſtione ſexta numero ſeptimo*, vbi agit de electionibus Monialium, & latiſſime explicat, quid circa ipſas iura velint, à cuius ipſe ampliori tractatione conſulto in præſentiarum ſuperſedeo: nam omnia quæ ad prædictam electionis materiam ſpectant, latiſſime traduntur in ſecundo tomo huius noſtri Manual. ſiue Directorij Prælatorum Regularium, quæſtione 23. per 42. articulos. Quibus meo quidẽ videri (abſit arrogãtia verbo) dicẽtur omnia quæ ad hoc propoſitũ poſſunt deſiderari. Sed ſpecialiter quantum ad præſens attinet Articulũ, in eiuſdẽ quæſtionis articulo quinto habetur, quod de iure communi, electio cuiuſcumque Prælati pertinet ad Conuentum, ſiue ad Collegium, niſi alias cõſuetudo obſtet, vel priuilegium aliquod habeatur in contrarium, ad quod adducuntur plura iura, quæ poterunt videri ibidem.

ARTICVLVS II.

Quænam Moniales votum ſiue vocem habeant, actiuam ſiue paſſiuam in prædictarum Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum, aliarumque Monialium Præfectarum electione?

QVæ ad hunc articulum ſpectant, iam fere conſtant ex ſupradictis, ſed nihilominus vt hic præ manibus habeantur, explicabuntur breuiter, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

In Abbatiſſarũ electione, non habẽt votum ſiue vocem actiuam illæ Moniales quæ ad minus nonhabuerint duodecimum ætatis ſuæ annum, fuerintque ibidem tacite, vel expreſſe profeſſæ.

IN dictarum Abbatiſſarum ſeu Prioriſſarum, aliarumque Monialium præfectarum electione, non habent votum ſiue vocem actiuam, de iure communi loquendo, niſi illæ Moniales, quæ ad minus duodecimum ſuæ ætatis annum peregerint, fuerintque tacite vel expreſſe profeſſæ. Hæc concluſio, habetur expreſſa *in dicto capit. indemnitatibus, de electione, libro ſexto*, vbi expreſſe ponuntur ſupra dicta verba. Et Gloſſa ibi *verbo, duodecimum*, eiuſdem decreti rationem reddens, inquit, hoc fuiſſe ſtatutum, quia eo tempore mulieres efficiuntur puberes; pro quo allegat *capit. puberes, de deſponſatione impuberum*, & idem eſſe, inquit, in viris, qui ante pubertatem ad eligendum non admittuntur, vt conſtat ex *capit. ex eo quod eodem titulo. de electione.* Et addit, explicando verbum ibidem poſitum, *peregerit*, quod debet eiuſmodi annorum tempus eſſe completum, pro quo allegat *capit. cum in cunctis, de electione, libro ſexto, verbo exegerit, & capit. vnicum, de ætate & qualitate, & capit. cum vigeſimum, de officio delegati.* Quod autem requiratur & ſufficiat, vt ipſa Monialis, ad hoc ſit tacite vel expreſſe profeſſa, iam dictum eſt ſupra, idemque iudicium eſt de viris in Monaſterijs ipſorum, vt conſtat ex *dicto cap. ex eo quod, eodem titulo, de electione in fine.* Sed loquendo de voce paſſiua, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

In prædicta Abbatiſſarũ electione, vocem paſſiuam nõ habẽt, quæ ad minus nõ habuerint, ætatis triginta annos expletos, & fuerint expreſſe ibidem profeſſæ.

IN prædicta electione, vocem paſſiuam non habent de iure communi, niſi quæ ad minus trigeſimum annum compleuerint, fuerintque regularem ordinem ipſius Monaſterij, cuius ſit electio profeſſæ. Hæc etiam concluſio habetur expreſſa, *in dicto capit. indemnitatibus de electione, libro ſexto*, vbi ad hoc propoſitum, ſequentia ponuntur verba. *Nec in Abbatiſſam aut Prioriſſam, vbi per Prioriſſam Monaſterium gubernatur, de cætero eligatur aliqua, niſi trigeſimum annum compleuerit, ordinemque regularem expreſſe fuerit profeſſa.* Circa quæ verba, Gloſſa ibidem, *verbo Prioriſſam*, inquit, eiuſmodi decretum eſſe obſeruandum, in electione cuiuſcumque al-

terius præfectæ, quocumque alio nomine vocetur. Ad quod probandum adducit *capit. auaritiæ, & capit. fundamenta. §. proinde, eodem titulo, de electione, libro ſexto.* Sed innitendo verbis illis, *vbi per Prioriſſam Monaſterium gubernatur*, inquit, videri ſibi quod in Prioriſſam, vel Supprioriſſam clauſtralē, quæ non primum ſed ſecundum, habet in Conuentu locum poſt Abbatiſſam, bene poſſet aſſumi ex Monialibus aliqua, quæ eſſet minor triginta annis, pro quo allegat *capit. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum, verbo, Prior autem præ cæteris poſt Abbatem.* Sed hoc videtur nunc prohibitum, per Concilium Tridentinum, nam *ſeſſione 25. de Regular. capit. ſeptimo*, prædictam triginta annorum, ad minus requirit ætatem, in electione cuiuſcumque Abbatiſſæ & Prioriſſæ, & quocumque alio nomine, Præfecta vel Præpoſita nuncupetur, vbi Præpoſitæ nomine, intelligi videntur prædictæ Prioriſſæ, vel Supprioriſſæ clauſtrales. Sed eo non obſtante, quibuſdam placet neque immerito, quod circunſtantias in præſentiarum poſitas illa, dumtaxat Monialis debeat habere, quæ eligitur vt ſit in capite regiminis, ac proinde quod minor triginta annorum, poteſt eſſe Vicaria vel Prioriſſa, vbi Monaſterij Præfecta fuerit Abbatiſſa, quod & meo iudicio practicari poteſt. Tandem addit ſupradicta gloſſa, quod quamuis Abbates & Abbatiſſa in ætate differant, in profeſſione tamen conueniunt, conuenireque debent: nam tam in illis quam in illis, requiritur quod ipſorum profeſſio ſit expreſſa, vt conſtat ex verbis expreſſe ibidem poſitis, & de Abbatibus habetur idipſum, in Clementina, *ne in agro. §. ſane ſecundo, de ſtatu monachorum*, & iam ſupra diximus, quod quamuis in eligente ſufficiat profeſſio tacita, in electa tamen requiritur quod ſit expreſſa, vt ſpecialiter de Abbatibus etiam habetur *in capit. nullus, & in capit. ex eo quod, eodem titulo & libro.*

ARTICVLVS III.

Quænam ſint obſeruanda, in Abbatiſſarum ſiue Prioriſſarum, ſeu aliarum Monialium Præfectarum electione?

NOn eſt in votis, iterum in præſentiarum referre, quæ in dicto ſecundo tomo, huius Manualis quæſtione 23. latiſſime ſunt dicta per plures articulos, agendo de electione omnium Prælatorum Regularium in communi, & de omnibus quæ ad electionum materiam ſpectant, ſed tamen vt iſte locus interminus non appareat, ac vt præ manibus habeantur, quæ huic propoſito videntur ſpecialiter conuenire, & quæ in ijs obſeruanda ſunt, reſoluentur breuiter, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

In primis omnes Monialiū electiones, eſſe debent canonicæ, & factæ iuxta formam Capituli, quia propter, & Capituli indemnitatibus.

IN primis omnes Monialium electiones debent eſſe canonicæ, & factæ iuxta formam traditam *in capit. quia propter, de electione & in capit. indemnitatibus, eodem titulo libro ſexto.* Hæc concluſio, non alia vlteriori indiget probatione. Nam Concilium Tridentinum, circa eiuſmodi electionem faciendam, nihil nouum aut contrarium indixit, ſed ſolummodo ſtatuit, loquendo de omnibus electionibus in communi, quò recte omnia & ſine vlla fraude fiant, *vt in electione Superiorum quorumcumque, & Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium & Abbatiſſarum, & aliarum Præpoſitarum, electio fiat per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur, & quod ad effectum electionis faciendæ, nullatenus liceat aliquos vocales conſtituere, aut voces ſine ſuffragia abſentium ſupplere.* Quod etiam in noſtris Conſtitutionibus Toletanis, ſtrictè præcipitur obſeruari, cap. 7. vbi agitur de electionibus & inſtitutionibus officiorum, in cuius principio ſequentia ponuntur verba. *Omnes electiones in noſtra Religione ſint canonicæ, ita vt maior pars Capituli libere in electum ſiue electam conſentiat. Ad maiorem autem partem ſuffragii quicumque exceſſus, quantumuis minimus ſuper medietatem Capituli. Quare ſi omnia Capituli ſuffragia ſunt viginti & vnum, & vndecim vota tantum conſentiant, electio eſt canonica, & valida.*

Nota Concil. Tridēt. verba & noſtrarum conſtitutionū circa ſeruanda in electionibus cunctis.

Secunda Concluſio.

In Abbatiſſarū electione, vota non intra Monaſterium, ſed extra ſunt recipienda.

IN dictarum Abbatiſſarum ſeu Prioriſſarum electione, & aliarum quarumcumque Monialium Præfectarum, eligentium vota non intra Monaſterium, ſed extra Monaſterij clauſtra ſunt recipienda. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Concilio Tridentino loco ſupra citato, capit. ſeptimo, vbi ſequentia habentur verba. *Is vero qui electioni præeſt, Epiſcopus ſiue alius Superior, clauſtra Monialium non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam, vota ſingularum audiat vel accipiat. In reliquis autem ſeruentur, ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones.* Hæc vbi ſupra. Quod etiam decretum, ſicut & omnia alia ſupradicta Concilij Tridentini præcepta, ſtrictè præcipitur obſeruari, in Conſtitutionibus noſtris Toletanis, factis pro dictis Monialibus, capit quinto, vbi omnia prædicti Concilij verba, ponuntur & referuntur ad vnguem. Et quia in dicto Concilio non exprimitur forma, in eiuſmodi electione ſeruanda, nec in in alijs præcipitur, vt electiones omnes fiant per ſchedulas ſecretas, & quod ad hoc vt ſupradicta omnia rectius ac ſine vlla fraude fiant, nominentur in primis ad minus duo teſtes & vnus Secretarius, qui in dicta electione Diſquiſitorum munus & officium exerceant: nam electio ſine huiuſmodi Diſquiſitoribus facta nulla eſt, *iuxta capit. quia propter, de electione.* Qui quidem Diſquiſitores, præcipit vt ſint in loco patenti, ita vt ſi commode fieri poſſit ab omnibus videantur, non tamen audiri valeant à vocalibus in Capitulo congregatis. Ad quos Diſquiſitores accedere debent ſingulæ Moniales, quæ votum habent in electione, petentes ab eis, ad minus duo eligendarum nomina, quæ à Secretario prædicto ſcribantur, ſuaque rubrica notentur, ac tot ſchedulas exhibere tenebitur ſcriptas Secretarius prædictus, quot fuerint ab eis petita Monialium eligendarum nomina.

Nota modū & formā, ſeruādam in Abbatiſſarū electione.

na. Ex quibus illa quæ ferre debet ſuffragium, ſecreto vnam eligat, quam coram Præſide ac Diſquiſitoribus apponet in vaſe, pro huiuſmodi electione præparato, & reliquæ ſchedulæ inutiles, in alio etiam vaſe ad idipſum præparato reponentur. Hæc ſunt quæ ad hoc propoſitum habentur in noſtris Conſtitutionibus generalibus, vbi ſupra.

Tertia Concluſio.

Nulla electio Abbatiſſæ, poteſt aut debet coarctari, & ſi fuerit coarctata, eſt ipſo iure irrita et nulla.

NVlla Abbatiſſarum ſeu Prioriſſarum, aut quarumcumque aliarum Superiorum electio, poteſt coarctari, & ſi fuerit coarctata, eo ipſo irrita & nulla decernitur. Hæc concluſio habetur expreſſa, in dictis Cõſtitutionibus generalibus, vbi ſupra, cuius & ratio redditur ibidem, nam iuxta decreta Apoſtolica, omnes electiones debent eſſe liberæ, & iuxta Conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *Paſtoralis officij*, qui præſidens in aliqua electione conuictus fuerit, electores quouis modo impedire, quominus libere eligant, ipſo facto officio ſuo priuatus exiſtit. Decernitur tamen ibidem, quod ſi electores in varia atque diuerſa placita fuerint diuiſi, & intra vnius diei ſpatium non elegerint, Capituli Præſes ſecundum iuris diſpoſitionem, poſitam *in Clementina, exiui de paradiſo, de verb. ſignificat.* poterit quem ſecundum Deum voluerit eligere, etiamſi electio ſit Miniſtri Prouincialis, per quæ dicta verba, vt amplius in 2. tom. huius Manu. quæſt. 23. art. 33. in 3. concluſione dicendum eſt, ſatis datur intelligi, idipſum ſeruari poſſe ac debere, in alijs electionibus quibuſcumque, etiam Abbatiſſarum, Videatur ibidem.

Quarta Concluſio.

Quonam modo publicanda ſit electio Abbatiſſæ.

FActa igitur Abbatiſſæ ſiue Prioriſſæ electione, regulatiſque votis & ſuffragijs à prædictis Diſquiſitoribus coram Præſide, eiuſmodi electio publicanda eſt ſequenti modo, & forma: *Hæc eſt electio canonica, N. facta in hoc Conuentu N. tali die, menſe & anno, in qua N. habuit tot ſuffragia, & N. tot ſuffragia* (incipiendo ſemper à paucioribus) & cum Secretarius venerit, ad pronunciãdam electionem, illius quæ canonice eſt electa, dicat: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen: Ego Frater N. nomine meo, & omnium veſtrum, quæ mecum conſenſiſtis, eligo in Abbatiſſam huius Conuentus N. cum tot ſuffragijs, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen,* Electa autem nullam auctoritatẽ habebit, quouſque fuerit confirmata, ab eo qui electioni præeſt, qui & eamdem ſtatim debet confirmare, niſi aliqua ſubſit iuſta & rationabilis cauſa. Et electa tenebitur etiam ſtatim officium acceptare, niſi ſimiliter ex aliqua iuſta cauſa, prout latius ſupradicta omnia habentur in d. 2. Tom. huius Manua. q. 23. per plures particulares Articulos, qui ibidem fiunt de omnibus ſupradictis rebus in particulari.

(2.)

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in eiuſmodi Abbatiſſarum & Prioriſſarum electionibus, ſufficiat habere Monialem aliquam, maiorem ſuffragiorum partem, an vero requiratur, quod electio fiat à duabus partibus?

RAtio dubitandi eſt, nam *in cap. indemnitatibus, de elect. lib. 6.* quod eſt Bonifacij VIII. inſinuari videtur, quod eiuſmodi electiones fieri debent, à duabus partibus numero, Monialium quæ in eiſdem votum atque ſuffragium habẽt, per illa verba, *ibi à duabus partibus numero.* Qua quidẽ ratione Nauar. in Cõſil. lib. 1. tit. de elect. conſil. 5. refert electionem quandam, factam à maiori parte quarumdam Monialiũ, non fuiſſe admiſſam, à quodam Superiore, pro eo quod ex ſexdecim Monialibus habentibus votũ in electione cuiuſdam Abbatiſſæ, nouem fuerũt ſuffragatæ vni, ſeptem vero alteri, & Superior qui aderat & electioni præſidebat, volebat vt duę partes ſuffragantium conuenirent in vnã. Quam quidẽ ob cauſam, inquit, quod eaſdem ſæpe octoties electionem facere, ſeu potiũs ad electionem procedere, ſperans quod aliquæ ſuffragantes vni, accederent alteri, quò duas partes haberet, & cum illæ noluiſſent mutare ſua ſuffragia, minatus eſt Superior, quod niſi duæ partes conſentirent in vnam, ille eſſet vocaturus aliam Monialem, alterius Monaſterij, quæ foret Abbatiſſa. Quo metu compulſæ, omnes conuenerunt in vnam tertiam, quæ nullum antea ſuffragium habuerat, quæ confirmata à prædicto Superiore, rexit Monaſterium multo tempore. Sed nondum triennio completo, quæſitum fuit à prædicto Nauarro, An eiuſmodi electio fuerit valida? Et an electæ à nouem ſuffragijs, quæ maiorem partem conſtituebant Capituli eſſet aliquod ius, repetẽdi Abbatiã? Quod prędicti Superioris factum, proceſſiſſe ait, ex inſpecta litera, ſed non plane aut bene intellecta, ſupra dicti *Cap. indemnitatibus.* Vt igitur hac in re non amplius errare contingat, pro reſolutione prædictę difficultatis, ſequentem ſtatuo Concluſionẽ.

Concluſio.

Ad validitatem electionis Abbatiſſæ, ſufficit habere maiorem ſuffragiorum numerum, neq; requiritur, quod electa duas habeat partes.

AD validitatem electionis cuiuslibet, in quibuſcumque Monaſterijs Monialium, ſufficit habere maiorem ſuffragiorum numerum, dummodo ipſa ſint legitima, nec neceſſario requiritur, quod electus ſeu electa duas habeat partes. Hæc Concluſio, eſt certa & manifeſta, & de ea ſuperq; ſatis plura dicimus, in d. q. 23. ar. 27. to. 2. huius Mãnua. quæ non libet iterum in præſentiarum referre, cũ ad præſens propoſitũ ſufficiat ſcire, quod ipſa ſit multiplici iure ſtabilita atq; determinata, & maxime *in d. ca. quia propter, c. dudã, cũ alijs pluribus eiuſdẽ tituli, de elect. li. 6.* Habetur idipſum, *in cap. cum in cunctis*

Nota quod nõ ſufficit, habere maiorẽ ſuffragiorũ partem, reſpectu minoris, ſed requiritur, vt ſit maior pars totius Capit.

Nota valde q̃ omnis electio metu facta, eſt ipſo iure nulla.

ctis, de iis quæ fiunt à maiori parte Capituli, & in capit. Apoſtolica 56. diſt. eſtque communis Doctorum omnium reſolutio. Circa quam nihil aliud notandum occurrit, præter hoc quod ad validitatem electionis prædictæ, & ad hoc vt ipſa ſit Canonica, non ſufficit habere maiorem partem ſuffragiorum, reſpectu minoris, ſed requiritur vt ſic maior pars, reſpectu corporis totius Capituli. Circa quod videntur plura, eaque notatu digniſſima, quæ ad hoc propoſitum dicuntur à Gloſſa, *in d. cap. indemnitatibus, in princ.* Qua quidem ratione, ſupradictus Nauarro loco ſupra citato, eamdem tenens ſententiam, inquit, peccaſſe ac male feciſſe Superiorem de quo ſupra, nolendo acceptare electam à maiori parte Capituli, præſertim cum toties eligeretur ab illis; imo & cogendo ipſas ad toties eligendũ, & magis adiungendo minas de vocãdo aliam, niſi conuenirent duę partes, contra textum expreſſum, pro quo citat, *d. cap. indemnitatibus.* Et addit, poſſe facile teneri electionem prædictam poſtremam, fuiſſe inualidam & nullam, quia omnis electio metu facta, eſt ipſo iure nulla, per textum, putatum ab aliquibus ſingularem, *in cap. vbi periculum, §. cæterum, de elect. lib. 6.* quatenus requirit etiam in electione Papæ, voluntatem liberam eligendi. ſic quod alias non ſit futura valida, vt tenet communis Doctorum ſententia. Qua de re videantur, quæ latiſſime dicuntur à nobis, in d. q. 23 de elect. ar. 21. concl. 2. in 2. tom. huius Man. Sed redeundo ad noſtrum propoſitum, dico quod electio quælibet, facta a maiori parte Capituli eſt valida, etiam in Monaſterijs Monialium, neque contrarium vllo modo inſinuatur, aut dici voluit, *in d. cap. indemnitatibus.* ſed hoc ſolummodo ibidem ſtatuitur, vt ſi ad electionem per formam ſcrutinij procedatur, & votis in diuerſa diuiſis, electiones per plures in diſcordia celebrari contingat, ea quæ à duabus partibus numero fuerit celebrata, exceptione ſeu contradictione, aut appellatione quacumque, partis alterius non obſtante per Superiorem confirmetur, factis prius quibuſdam diligentijs, quas ipſe ex officio ſuo, in eiuſmodi rebus facere tenetur. Non tamen per id ſtatuitur, quod ſi nulli vnquam acceſſerint duæ partes, nullatenus ſit confirmanda, quinuero contrarium ibidem omnino præcipitur, *in §. ſi vero,* vt ſcilicet confirmetur, factis prius ſine ſtrepitu & figura iudicij, aliquibus diligentijs, quæ ibidem fieri præcipiuntur, vt latius patebit attente legenti, & intuenti, prædictum capitulum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliqua ratione liceat, in electionibus Monialium, ſuffragia quæ vni præſtantur alteri tribuere, ſeu falſo augere ſuffragiorum numerũ?

Hic Articulus proponitur, ad inctepandam quorumdam Prælatorum inſcitiã, vt ne dicam, temeritatem nimiam, ſeu potius ingẽtem malitiã, qui ex eo quod Monialium Præfectæ, Abbatiſſæ ſiue Prioriſſæ, vere & proprie non eſſe dicuntur Prælatæ, ſed quaſi quædam matresfamilias vt de mente & ſententia M. Soti ſupra diximus, falſo exiſtimant, ſibiq; perſuadent, non ſe teneri in eiuſmodi electionibus, ad ſeruandam canonicam iuris formam, quin uero eſſe ſibi licitum, vota & ſuffragia, quæ vni præſtantur, pro libito alteri tribuere, & falſo in alicuius fauorem, augere vocum ſiue ſuffragiorum numerum, cum id ſibi videbitur expedire, vt ipſi dicunt propter meliorem Monaſterij, ſiue Conuentus gubernationem, ſeu potius vt dicamus verius, propter eorumdem occultam paſſionem, ſiue affectionem. Cuius quidẽ ſimilis facti, Nau. lib. 1. Conſ. de elect. conſ. 4. mẽtionẽ facit, de quodam generali Miniſtro cuiuſdam Ordinis, & ſcrutatoribus electis ad faciendam electionem cuiuſdam Prouincialis, qui pro explendo ſuo particulari intento & deſiderio, machinati ſunt, vt ne ſcrutatores dicerent vere & clare, quot ſuffragia habuit is, in quem maior pars conſenſit, ſed tribuerent maiorem partem alteri, qua quidem fraude electus fuit, qui deſiderabatur ab illis, quæſitumq; poſtea fuit à prædicto Nauarro, qua pœna eiuſmodi digni eſſent? Cui difficultati & quæſtioni, ipſe reſpõdet, id quod ſtatim inferius dicemus. Similẽ etiã caſum proponit Sylueſter in ſua Sũma, *verb. elect. 3. nu. 9. q. 7.* quando celebratur electio Monialium, per quamdam mixtionem factam, ex ſcrutinio & compromiſſo, de qua habetur *in cap. cum dilecti, de elect. & c. cum expediat eod. tit. lib. 6.* iuncta Gloſſa, tunc ſcilicet quãdo eligẽtes in aliquos ſic compromittũt, vt eligant eã in quã maior pars conſenſerit. Quo quidẽ caſu, inquit, q̃ in electione, etiãſi ſint mares & non de Collegio, dicti compromiſſarij vocem habent in electione Monialis, ſecundum aliquos, quinuero & indubitate, vt cõſtat ex ipſa forma pronunciandi electionem. Et cum hoc conueniat cuilibet compromiſſario, vt patet ex verbis quibus eligit, dicendo: Ego N. nomine meo & omnium veſtrum, &c. quærit prædictus Sylueſter, An eiuſmodi compromiſſarij, ſuis vocibus augere poſſint vocum numerum? Et ait quoſdam dicere quod ſic: & quod ita vidit ipſe aliquando in practica fuiſſe ſeruatum, ſed male. Supradicta omnia, quæ infidelitatis atque falſitatis ſunt plena, proceſſiſſe videntur, vel ex malitia atq; deprauata conſcientia, quia nempe interdum Prælati, omni Dei timore poſtpoſito, ad ſeruandum ius commune, ſummorumque Pont. Conſtitutiones & Decreta, nullatenus ſe teneri exiſtimant, aut potius ex inſcitia ſiue ignorantia, quia vt dixi, in ea ſunt ſententia & opinione vt credant, quod quia prædictæ Abbatiſſæ ſiue Prioriſſæ, cæteraque Monialium præfectæ, non ſunt vere & proprie Prælatæ, ſed quædam matresfamilias, in eiuſmodi electionibus, non tenentur etiam ipſi ſeruare expreſſum iuris ordiuem, ſed facere quod voluerint pro libito, ſolummodo ſeruando ius ſuæ paſſionis ſiue affectionis. Sed fallunt me quidem videri quam maxime, vt patebit ex ſtatim dicendis. Nam quidquid ſit de prædicta ſentẽtia & opinione. An ſcilicet Abbatiſſæ & Prioriſſæ, ſint vere & proprie Prælatæ, de qua in Quęſtione præcedenti, art. 5. concl. 3. aliqualem fecimus mentionem, id etiam ipſum certius & probabilius

babiſius exiſtimantes de mente Mag. Soti, adhuc nihilominus in eiuſmodi electionibus, ſeruanda eſt forma à iure præſcripta, pro quibuſcumq; electionibus, etiam monialium celebrandis, abſque vlla diſtinctione. Vnde vt propoſito Artici ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Grauiſsimũ eſt peccatum, in electionib⁹ etiam Monialium, vnius ſuffragia alteri tribuere ſeu quod in idẽ redit, augere ſuffragiorũ numerũ, & eiuſmodi electio eſt irrita & nulla.

GRauiſſimum eſt peccatum, in quibuſcumque etiam monialiũ electionibus, vnius ſuffragia alteri tribuere, aut quacumq; ratione, falſo augere ſuffragiorum numerum, & electio ſic facta eſt irrita & nulla. Hanc ſententiam, & concluſionẽ eiſdem verbis, ſeu alijs ipſis æquipollentibus, tenent Sylueſt. & Nauarr. locis ſupracitatis, & ad eandem ſtatuendam moueor, propter ea quæ à nobis ſuperius dicta ſunt, in ar. 1. huius quæſt. nẽpe quod omnes omnium monialium electiones, Abbatiſſarum & Prioriſſarum, aliarumq; eiſdem Præfectarum, etiamſi matres dicantur & nũcupentur, dum tamen verè ſint moniales ſolemniter profeſſę, debẽt eſſe Canonicæ. Quod ſpecialiter in monialibus S. Claræ, primæ & ſecundę Regulæ, quã maxime neceſſarium eſſe oſtendimus, iuxta vtrarumque Regulam, & de omnibus in vniuerſum Monialibus, idipſum monſtrauimus euidenter, ex *d. cap. indemnitatibus, de elect. lib. 6.* cum ijs, quæ ibidẽ dicuntur à Gloſſ. *verbo, Canonica.* Cuius quidẽ electionis canonica forma, traditur etiam à iure, *in cap. quia propter de elect.* vbi ſtricte præcipitur vt obſeruetur, & graues pœnæ conſtituuntur pro non obſeruantibus illam. Ex quo ſatis concluditur, quod contrarium facientes & vnius ſuffragia alteri tribuentes, ſeu falſo augentes vocum & ſuffragiorum numerum, mortaliter peccant, & quammaxima ſunt punitione digni. Sed quod hoc etiã ſit dicendum, in caſu ſupradicti compromiſſi, cuius mentionem facit Sylueſter, conſtabit plane ex ijs, quæ ad idem propoſitum ipſe dicit ibidem. Nam quæſtione propoſita, An licitum ſit in dicto caſu, ſuis vocibus augere votum & ſuffragiorum numerum? inquit id nullatenus eſſe licitum, niſi forſan ipſi ad hoc ſpeciale haberent mãdatũ Collegij, nam quidquid iuris ibi habent, totum eſt à Collegio eos eligente, quod quidem, niſi aliud exprimat, non præſumitur tradere prædictam facultatem, maxime cum requiratur conſenſus, non ſolum maioris partis Collegij ſiue Capituli, verum etiam & omnium, vt patet per notata, *in c. cauſis, eod. tit. de elect.* Vnde ſi hoc exprimeretur per vnũ de Collegio, alijs tacentibus non valeret, argumento eorum quæ dicit Panor. *in cap. nonne, de præſumpt. & in d. cap. cauſis.* Sed veniamus ad prędictũ Nauarrum, qui reſpondens propoſitæ ſibi difficultati, de ſupradicto Generali miniſtro, & ſcrutatoribus electis, ad faciendam prædictam Prouincialis cuiuſdam electionem, inquit, quod grauiſſime peccauerunt, tam ſcrutatores quam Generalis ipſe, & quod electio coram Deo nihil valuit, & digni fuerunt prædicti fraudatores magna pœna; tũ quia in re grauiſſima falſarij extiterunt, tum quia etiam Concilium generale, *in d. c. quia propter, de elect.* ſtatuit vt poteſtate priuarentur electores, qui contra formã illius capituli celebrarent aliquã electionem, etiam ſine vlla fraude. Quãto magis (inquit) puniri debent, qui cum tam grani fraude, talia fecerunt? Et deſcendendo ad pœnam, quam promeriti ſunt eiuſmodi facientes, dicit, q⁹ quia huius tã magni delicti, pœna nõ eſt determinata iure communi, relinquenda fuit Iudicis cõ petentis arbitrio, niſi aliud habeatur expreſſum, in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis, argumento deducto, *ex l. 1. ff. de iure deliberandi, & ex c. de cauſis, de offic. delegati.* vbi dicitur, quod quando pœna nõ eſt ſtatuta à iure, iudicis arbitrio relinquitur.

Nota dictum Sylueſtri & qualiter non liceat, augere ſuffragiorum numerum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Monialis aliqua corrupta, ſeu quæ non fuerit virgo, abſque diſpenſatione, eligi poſsit in Abbatiſſam, ſiue Prioriſſam?

Concluſio.

Nulla monialis corrupta, ſeu quæ non fuerit virgo, in iure cõmuni ſtando, eligi poteſt in Abbatiſsã, ſine diſpenſatione.

VLla monialis quæ fuerit corrupta, vel quæ non fuerit virgo, abſq; diſpenſatione, ſtando in iure communi, eligi poteſt in Abbatiſſam, ſiue Prioriſſam. Hęc Cõcluſio habetur expreſſa, *c. ſi quis omnẽ, §. nouimus peccatricẽ, 1. q. 7. quod eſt ſeptimæ generalis Synodi,* vbi quã plura adducuntur exempla, ad oſtendendũ qualiter per pœnitentiam omnia peccata remittantur quæ facta ſunt, & quod Deus indulget illa pro ſua pijſſima miſecordia & clementia, & multi qui dum eſſent in mundo, in multa fornicatione manſerunt, Monachi facti quaſi luminaria mundi reſplenduerunt. Sed additur, nullum talem legi ad ſacerdotium aſcendiſſe, quod ſi id raro aliquando contigit, nulla tamen lex Eccleſiæ fuit, quæ illud præciperet. Poſtquę verba ſubditur ibidem. *Nouimus peccatricem prius Mariam, poſt conuerſionem quamuis ſanctæ & caſtæ, tamen inter Diaconiſſas non computatã.* Verba ſunt expreſſa & notatu digniſſima. Fuiſſe autem olim Abbatiſſas, nuncupatas Diaconiſſas, cõſtat expreſſe, ex Gloſ. *in c. Diaconiſſam*, quod eſt Concilij Calced. c. 15. 27. q. 1. vbi ibidem, *Diaconiſſam*, exponit, ideſt, *Abbatiſſam*, & dicitur in eodem, Diaconiſſam ſeu Abbatiſſam, non debere ordinari ante annos quadraginta, & hoc cũ diligẽti probatione. In quo fit alluſio ad ea, quæ dicta fuerant in Concilio Carth. 3. & habetur *in c. ſanctimoniales 20, q. 1.* vbi ſequentia habentur verba, *Sanctimoniales, ante annum quadrageſimum nõ velentur:* Ex quibus capitulis, clare & manifeſtè conſtat, quod velari & ordinari, prædictis in locis, idem pollent ac pro eodem ſumuntur. Quæ quidem ordinatio, nõ erat ad modum illius, quæ fit per ſuſceptionẽ alicuius ſacri Ordinis, cõtra illud, quod habetur, 15 q. 3. §. 1. in textu, nam eiuſmodi mulieres ſiue Moniales, non recipiebant aliquẽ characterem, idim pediente ipſarum ſexu & conſtitutione Eccleſiæ, vt dicit ſupradicta Gloſſa, *in c. Diaconiſſam, verb. ordinari*, neq; officium Ordinum exercere poterãt, iuxta *c. ſacratas, d. 23.* vnde nec vere & proprie, illa dici debebat ordinatio ſed benedictio, pro eo q⁹ fundebatur ſuper huiuſmodi Diaconiſſas ſiue Abbatiſſas, certa quædam benedictio, ex qua conſe-

quebantur aliquod ſpeciale officium, forte legendi homilias, ſeu Euangelium ad Matutinum, quod non licebat alijs: Quod & concinit ei, quod dicit alia Gloſſa, *in d.c. ſanctimoniales, verb. non velentur*, vbi id exponit, de velo ordinationis vt fierent Diaconiſſæ, non vero de aliquo Ordine quem reciperent, ſed dumtaxat facultatem quandam, ad miniſterium cantandi Euangelium in Matutinis horis. Sed quidquid de hoc ſit, vt illuc vnde digreſſa eſt noſtra reuertatur oratio, dico quod cum in dicto capitulo habeatur, quod Maria Magdalena pro eo quod non erat virgo, non fuit facta Diaconiſſa, cū Diaconiſſa & Abbatiſſa idem polleant, ſatis clare colligitur, Abbatiſſas prædictas debere eſſe virgines, non vero vllo modo corruptas. Id quod conſtat expreſſe, *ex c. inuēculas*, iā pluries relato, quod eſt D. Gregorij, lib. 3. epiſt. c. 11. & habetur, 20. q. 1. *vbi iuuenculas, fieri Abbatiſſas vehementiſsimè prohibet.* Et ſubdit prædictus Gregorius, *nullam igitur fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cuius vita hoc atq; mores exegerint, velari permittat.* Vbi verbum *virginis* quammaxime notandum venit: cuius quidem rationem, reddit ibidē Gloſſa, quia inquit, *aliter quæ virgo non eſt, hortatrix non eſſe poterit virginitatis*, pro quo allegat, *c. vna, d. 26.* Tandem Concluſionem noſtram, nempe quod nulla Monialis corrupta ſeu quæ non fuerit virgo, abſque diſpenſatione eſſe poſsit Abbatiſſa, tenet Gloſſa, *in c. quomodo virginibus. 31. q. 1. verb. eligatur*, vbi expreſſe dicit, *quod nulla vidua, eligi debet in Abbatiſſam, nam Abbatiſſa debet eſſe virgo.* In cuius comprobationem allegat, *d. c. iuuenculas*, 20, *q.* 1. Tenet præterea hoc ipſū, alia Gloſſa. *in Clement. vlt. §. ſtatuimus, verbo rationabilis, de ſtatu Mon.* vbi dicitur, *quod corrupta, non eligi poteſt in Abbatiſſam.* Pro quo allegat omnia ſupradicta iura à nobis citata. Eandem ſententiam tāquam veram, certam atque indubitatam de iure communi, tradūt omnes Doctores communiter, ſed præſertim Cardin. *in d. Clem. vlt. §. ſtatuimus, de ſtatu Monach. n. 5 cum ſequentibus, & q. 10. cum ſequētibus, & Capella Toloſana, deciſ. 295. Lapus allegatione 61. in princ. & poſt n. 5.* Quod autem cum Moniali prædicta in hoc caſu, ſolus Papa poſsit diſpenſare, alios allegando reſoluit Quintil. Mandoſius, de ſignat. grat. tit. diſpenſatio pro corrupta ad Abbatiſſatum, quidquid dixerit Archid. *in cap. indemnitatibus, de elect. libr. 6.* Idem tenet Calder. conſ. 3. in fin. q. 11. de ſtatu Monach. & Felin. *in cap. meminimus, num. 4. de accuſ. & in cap. at ſi Clerici, §. de adulterijs, in fin. de iudicijs*, & ibidem Decius, quos communiter omnes Doctores ſequuntur. Hæc omnia ſunt certiſsima & conſtitutiſsima, ſtando in iure communi, vt dicit ſupradictus Quint. Mand. & ait quod ſi prædictę Monali corruptæ, eiuſmodi diſpenſatio ad Abbatiſſatū quandoq; concedatur, id non debet fieri, niſi ex maxima cauſa, vrgentique ratione, cum contra illam exclamet propheta Iſaias, proferendo verba illa. *Deſcende, deſcende, ſede inpuluere, virgo filia Babylō, ſede in terra, nō eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia vltra nō vocaberis mollis & tenera, &c.* cum multis alijs, quæ ad hoc propoſitum, ibidem ſubijciuntur notatu digniſsimis. Eidem etiam applicari poteſt illud, Amos cap. 5. vbi dicitur, *quod virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, & non eſt qui ſuſcitet eam.* Quæ omnia ex eo etiam maiorem veritatem habent, quia vt inquit D. Hieron. in epiſt. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis, & habetur, *in cap. ſi Paulus, 32. q. 5. virginitas ſemel ammiſſa nūquam reſtituitur.* In quo Capitulo poſt multa, quæ ibi dicuntur de virginitate mentis & ſpiritus, & de virginitate carnis, ſequētia ponuntur verba: *Si & illæ quæ virgines ſunt, ob alias tamen mentis culpas, virginitate corporum non ſaluantur, quid fiet de illis, quæ proſtituerunt membra Chriſti, & mutauerunt templum Spiritus ſancti in lupanar?* Verba ſunt iſta aurea & mira, & quammaxima animaduerſione digna. Concludendo igitur dico, certum eſſe, quod eiuſmodi Moniales, ſtando in iure communi, non poſſunt aut debent, in Abbatiſſas ſeu monaſteriorum præfectas aſſumi, cum ipſæ ſemel corruptę, alias ad virginitatem hortari minime poſsint. Et ſi quando in hoc diſpenſari cōtingat, id fieri non debet, abſq; magna cauſa, vrgētiq; ratione. Sed dices, eſt ne id ipſum dicendum de iure ſpeciali, aut quid debet facere Monialis corrupta corpore, ſi quandoq; contingat, quod eligatur in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam, aut in alicuius monaſterij monialium præfectam? nam quod ipſa non teneatur ſe prodere, aut ſemetipſam diffamare, naturalis ratio dictat, incunctanterq; illud tenet communis Doctorum doctrina. Non modicam quidem hoc difficultatem habet, maxime cū dicta virginitas, iuxta prędictam D. Hieronymi ſententiam, reſtitui ſiue reparari nullatenus poſsit, nec ſolummodo amittatur per corruptionem corporis & carnis, clauſtriq; virginalis, verum etiam per corruptionem mentis, maxime ſi in aliquem prodijt actū exteriorem (quod abſit) per voluntariam aliquam pollutionem, aut quippiam ſimile. Circa hoc eſt multorū grauiſsimorū Doctorum ſententia & opinio, quod eiuſmodi Monialis in Abbatiſſam electa, omnino debet ſe abſtinere & excuſare, & officium nullatenus acceptare, aliquas allegando rationes & cauſas, quæ quidem non deficient, quibus optime honori ſuo cōſulatur, & quod de iure communi ſtatutum eſt ſeruetur, nēpe, vt quæ monialis corrupta fuerit, maxime corpore, in Abbatiſſam non eligatur. Hæc opinio ſatis mihi placet, & vtinam hoc vti par eſt executioni mandetur. Et ſi hoc ita eſt, quanto minus, monialis quæ malę fuerit famæ, & de qua clare conſtat fuiſſe corruptam, eligi in Abbatiſſam non debet? Non hac in re amplius immorari libet, ſat ſit meam ſententiam aperuiſſe, & quæ ab alijs dicuntur & afferuntur dixiſſe. Prelati contrarium facientes & permittentes ipſi videant.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm omnes in vniuerſum Abbatiſſæ, debeant aut poſsint benedici?

QVæſtionē hāc tāgit Nau. lib. 3. Cōſiliorū, de ſtatu Mon. cōſ. 2. eāq; pro vtraq; parte hinc inde ſatis difficilē reddit. Et qui dē pro parte affimatiua, facere videtur in primis, *c. indēnitatibus, §. verum. de elect. lib. 6.* quatenus habet, *Abbatiſſam electā & confirmatā, perdere Abbatiam, ſi intra annum non benedicatur.* Quod & confirmatur, per Clem *attendentes, §. ſtatuimus, de ſtatu Monach.* vbi hoc ipſum ſtatuitur.

Secun-

Secundo facit pro eadem parte, ad probandum quod omnes Abbatiſſæ etiam temporales debeant benedici, quod Gloſſa locis ſupracitatis, & fere omnes Doctores ibidem, quærunt, An benedictio Abbatiſſæ ſit iterabilis, quæ quæſtio eſſe videretur inanis atque ſuperflua, niſi Abbatiſſa poſſet iterato eligi; nec videtur qualiter ea poſſit iterato eligi, niſi ſit temporalis, ex quo fieri videtur conſequens, quod omnes in vniuerſum Abatiſſæ, poſſunt & debent benedici, nō ſolum illæ quæ ſunt perpetuæ, verum etiam & quæ ſunt temporalis & triennales. His tamen non obſtantibus, in cōtrarium eſt veritas, & contrariam ſententiam & opinionem, tenet prædictus Nau. de cuius reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Nō omnes Abbatiſſæ poſſunt aut debēt benedici, ſed ſolūmodo perpetuæ, & ſi quæ aliæ ſolitæ ſunt benedici.

NOn omnes Abbatiſſæ, poſſunt aut debent benedici, ſed ſolummodo illę quæ ſunt perpetuę, & ſi quæ aliæ forſan ſolitę ſunt benedici. Hæc Concluſio probatur expreſſe, ex textu & Gloſſa, *in d. Clement. attendentes, §. ſtatuimus, de ſtatu Monath.* in illis verbis, *in Monaſterijs in quibus Abbatiſſæ ſolitæ ſunt benedici*, vbi aduertit ſupradicta Gloſſa, quod licet Abbatiſſę interdum benedicantur, non tamē omnes benedicuntur, qua propter inſpiciendū eſſe dicit Monaſterij morem, pro quo & quamplura allegat iura. Quam Gloſſæ ſententiam, ſequuntur ibidem Card. Immol. & Bonifac. vt dicit Nau. loco ſupracitato: Et addit, quod vt ipſe arbitratur, in nullis monialium monaſterijs, Abbatiſſæ triennales ſolitæ ſunt benedici. Cuius rationē reddit, quoniam à pauco tēpore, Abbatiſſæ cœperunt eſſe triennales, ad quod propoſitum dicit, melius multo fuiſſe ſeruaſſe antiquum morem, ſecundum quem Abbatiſſæ erant perpetuæ, quod & multis probat in Comment. *ſuper cap. nullam* 18. *q.* 2. Sed ad propoſitum redeundo, inquit, quod ex eo quod Abbatiſſæ perpetuæ conſueuerunt benedici, non ſequitur conſuetudinem eſſe, vt Abbatiſſæ etiam triennales benedicantur

Secundo probatur idipſum, nam iuxta communem opinionem, quam tenet Gloſſ. *in d. Clement. attendentes, §. ſtatuimus*, Abbatiſſarum benedictio nō eſt iterabilis, & ſi Abbatiſſa triennalis eſſet benedicenda, ſequeretur quod cum vna & eadem Abbatiſſa ſæpe reeligatur, & aſſumatur in Abbatiſſam, ſæpe etiam deberet rebenedici, quod inquit non eſt dicendum. Tandem, probat idipſum, quia ex contraria poſitione ſequeretur, quod multæ Moniales manerent ſimul in eodem Monaſterio, in Abbatiſſas pluries benedictæ, quod non videtur decere Per quæ ſupradicta omnia, dicit prædictus Nauar. quod hæc pars negatiua eſt tenenda, nempe quod Abbatiſſæ triennales, non poſſunt aut debent benedici, niſi forſan probaretur. Curiam ſeruare contrarium, propter Gloſſ. *d. Clement. attendentes, §. ſtatuimus*, tenentem benedictionem Abbatiſſæ non eſſe iterandam, niſi Curia Romana ſeruaret contrarium. Qua de re nihil teſtatur ibi Bonifacius, licet fuerit auditor Rotæ. Et Stephanus quem citant Calderinus & Immola, ait ſe audiuiſſe, quod aliquando fuit iterata, atque ita videtur ſentire, quod raro vel numquam id fuit factum, licet per poteſtatem Papæ poſſit introduci.

Ad argumenta in contrarium reſpondetur, ad primum, quod illa iura nullatenus probant, omnes Abbatiſſas debere benedici, ſed ſolummodo illæ, quæ ſolitæ ſunt benedici. Hucuſque autem ignoratur, aut ſaltim non certo conſtat, quod Abbatiſſæ triennales, ſeu aliàs temporales, ſoleant benedici. Quando igitur ſupradicta iura, ordinant & ſtatuunt, Abbatiſſam electam & confirmatam perdere Abbatiam, ſi intra annum non benedicatur, intelligenda ſunt de Abbatiſſis perpetuis, nō autem de triennalibus & temporalibus. De Prioriſſis autem, Syluеſter, *verbo, Abbatiſſa, num. 4. in fine* generaliter dicit, quod non benedicuntur, pro quo allegat Gloſſam, *in d. capit. indemnitatibus, de elect. lib. 6.*

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, negādo quod quæſtio de benedictione Abbatiſſæ, an ſit iterabilis aut, non iterabilis non poſſit vendicare ſibi locum, niſi in Abbatiſſis temporalibus, nam etiam habere poſſet locū in Abbatiſſis perpetuis, quando Abbatiſſa perpetua vnius monaſterij, eligeretur in Abbatiſſam etiam perpetuam, alterius Monaſterij. In propoſito ergo Articulo reſolutorie dicendum eſt, Abbatiſſam temporalem de iure communi, non eſſe benedicendam, niſi ſacrofancta Sedes Apoſtolica aliud ſtatuat expreſſe, vel habeat in contrarium conſuetudinem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Mònialis ſeu Abbatiſſa corrupta, debeat aut poſſit benedici, ſiue conſecrari?

PRo huius Articuli intelligentia, libet aliqua pręmittere fundamenta, quę quammaxime faciunt ad prędens propoſitum. Primo eſt notandum ex Paludano, in 4. ſentent. diſt. 38. & Syluеſtro, *verb. conſecratio virginum num.* 1. quod quintuplicis velinigri dari conſueti monialibus, mentio habetur in iure. Primum dicitur velum profeſsionis, quod fœminis dabatur olim, in 12. ſuæ ætatis anno completo, quando faciebant profeſsionem, *iuxta cap puella, 20. quæſt. 3.* & hoc velum, in religionibus portant hodie, omnes Moniales profeſſæ, ſiue virgines ſiue viduæ: licet iuxta Concil. Trid. jam non profiteantur, niſi in 16. anno completo, vt ſupra ſuo loco diximus. Secundum velum eſt conſecrationis, quod dabatur olim, 25. ætatis anno, iuxta *cap. placuit, cad. 20. cauſa. q.* 1. quod eſt Concil. Carthag. 3. cap. 4. vbi ſequentia verba habentur. *Placuit vt ante 25. annum ætatis, neque Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.* Quid tunc temporis eſſet hæc conſecratio, inferius dicetur. Tertium velum eſt ordinationis, quod dabatur anno 40. iuxta *cap. Diaconiſſam, 27. q.* 1. quod eſt Concilij Calced. cap. 15. vbi dicitur, *Diaconiſſam non debere ordinari ante annos* 40. Quæ quidem ordinatio, vt ſupra diximus, alio nomine dicebatur Velatio, iuxta *cap. ſanctimoniales, 20. q.* 1. quod eſt Concilij Carthag. 3. vbi ſtatutū fuit, *quod ſanctimoniales ante* 40. *annum non velentur,*

1. Nota, quod quintuplicis, velinigri, mētio habetur in iure.

lentur, dabaturque illis quædam benedictio, ex qua accipiebant officium inchoandi horas in Choro, & legendi Homilias, quod alijs facere non licebat. Quartum velum erat Prælationis, quod dabatur Abbatiſsis, ſexageſimo ætatis ſuæ anno, *iuxta cap. iuuenculas, 20. q. 1.* vbi iuuenculas Abbatiſſas fieri vehementiſsime prohibetur, ac ſtricte præcipitur, *vt nulla niſi ſexagenaria & virgo, cuius etiam vita & mores hoc exegerint, velari permittatur.* Sed hoc hodie iam eſt immutatum, vt conſtat ex ijs quę ſupradiximus. Quintum & vltimum Velum, diceba tur continentiæ & obſeruationis, quod erat vidua rum, *iuxta cap. vidua, 27. q. 1.* ſed poterat etiam dari virginibus, licet virginale non poſſet dari viduis, etiam ex diſpenſatione Epiſcopi, *iuxta cap. deuotis, 20. q. 2.* vbi ſequentia habentur verba: *Viduas autẽ velare, Põtificum nullus attentet.* Quę quidem verba, iuxta communem expoſitionem, intelligẽda ſunt de Velamine virginum, quod eſt dicere, quod quãuis virgines velari poſſent, velo continentiæ & obſeruationis (quod erat olim viduarum) non tamen e contra, viduę velari poterant, velamine virginum. Alij ſextum addunt Velum, quod dicitur Probationis, & eſt illud quod in Monialiũ Monaſterijs, datur in receptione habitus ante profeſſionẽ, ſed hoc communiter eſt album, & de eo nulla mẽtio habetur in iure, nec ad præſens attinet propoſitum.

Secundo nota, á quo cõtinentiæ velũ dari poſſit.

Secundo eſt notandum, ex Archidiacono & Paludano loco ſupracitato, quod Velum continentiæ ſiue viduarum, dari olim poterat etiam à Sacerdote, vt dicit Gloſſ. *in ſuprad. cap. viduæ, 27. q. 1.* quin vero & ipſa vidua per ſe illud accipere poterat ab Altari, facta profeſſione corã ſua Prælata. At virgines velare, nullus poterat aut poteſt niſi Epiſcopus, vt ſatis colligitur, *ex d. c. deuotis, 20. q. 1.* cuius & ratio redditur ibidẽ, quia ſcilicet ipſe eſt quaſi paranymphus, deſponſans virgines Chriſto Domino. Quod etiam dicit D. Th. in 4. ſent. diſt. 38 quæſt. 1. art. 5. in corpore, vbi & huius rei pulchrã reddit rationem, quod adeo eſſe credit verũ, Sylueſter loco ſupracitato, *verbo, conſecratio virginum, atque velatio, num. 3.* vt dicat quod Epiſcopus non Epiſcopo, haud quaquam poteſt committere ſiue demandare, virgines velare, quia eſt actus conſecrationis & ordinationis Epiſcopalis, ſicut conſecrare Eccleſias, non vero iuriſdictionis, pro quo allegat *cap. aqua, de conſecrat. Eccleſ. vel Altaris.* Ex quibus ſupradicti Paludanus & Archidiaconus intulerũt, quod Prælati mendicantium, ſuas Moniales velantes cum Epiſcopali ſolemnitate, excepta coronatione & datione annuli, nõ bene faciũt, niſi hoc habeant ex cõceſſione Papæ, quia in hoc, inquiunt vſurpant officium Epiſcopale: cum quibus concordat D. Thom. loco ſupracitato quantũ ad virgines, dicens quod per ſolum Epiſcopum conſecrantur, quamuis viduæ etiam à ſacerdote poſſint benedici: quorũ & ibidem pulcherrimam rationem adducit.

Tertio nota, de quo velo ſit intelligenda quæſtio præſentis Articuli.

Tertio & vltimo notare oportet, quod difficultas præſentis Articuli, non eſt de Velo profeſſionis, nam hoc abſque delectu & diſcrimine, omnes tam virgines quã viduę ſiue corruptæ, poſſunt illud ſuſcipere poſtquam iuxta formã à iure præſcriptam, per annum continuum in probatione extiterint, facta prius ſolemni profeſſione, de quo nulla eſt difficultas, & pro hoc facit *cap. vidua, de reg.* Nec vero eſt difficultas, circa velum conſecrationis, quod debatur olim vigeſimo quinto ætatis anno. Nec etiam de velo ordinationis, quod debatur anno quadrageſimo, iuxta ea, quę in primo præcedenti Notabili ſunt dicta, nam hęc iam non ſunt in communi vſu Eccleſiæ, hoc noſtro tempore. Nec etiam eſt difficultas de velo Prælationis, quo velantur Moniales, quando eliguntur in Prę latas, Abbatiſſas ſiue Prioriſſas: nam de hoc iam etiam diximus ſupra, Articulo 6. quod nulla monialis quæ fuerit corrupta, ſeu quæ non fuerit virgo, abſque diſpenſatione, ſtãdo in iure communi, in Abbatiſſam ſiue Prioriſſam poteſt eligi, neque abſque peccato, eiuſmodi munus & officiũ exercere. Sed difficultas eſt, de Velo continentiæ & obſeruationis caſtitatis, non quidem vidualis, ſed virginalis, An ſcilicet, velum virginale dari poſſit alicui non virgini, viduæ ſiue corruptæ? Et ſuppoſito quod illa ſola mulier eſt conſecranda, ſeu conſectationis velo velanda, ſecundũ Archidiac. quæ profeſſa fuerit tria eſſentialia Religionis vota, in aliqua Religione approbata, & quod nõ omnes moniales benedicuntur, ſiue cõſecrantur, nã Moniales Mendicantium, non conſueuerunt conſecrari, quæ ad hunc articulum ſpectant, reſoluẽtur breuiter, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nulla Monialis, quæ non fuerit virgo, ſeu quæ fuerit quoquomodo corrupta, poteſt conſecrari aut benedici, benedictione virginũ, etiã ad euitandũ ſcãdalum.

NVlla monialis quæ non fuerit virgo, ſeu quæ fuerit quoquomodo corrupta etiam occulte, cõſecrari poteſt conſecratione virginũ, etiã ad euitandum ſcandalum. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Nauarr. lib. 3. Conſiliorum, de Regul. conſil. 4. num. 4. & de ſtatu Monach. conſil. 2. num. 1. Quibus in locis, quamuis quæſtio fuerit ſibi propoſita, de illa moniali de qua iudicialiter conſtat eſſe corruptam, nec illud ipſa negat, quinuero fatetur, An ſcilicet eiuſmodi Monialis poſſit conſecrari, ipſe tamen concludendo, abſolute & abſque vlla prorſus diſtinctione reſpondet, quod nulla corrupta etiam occulta, conſecrari poteſt conſecratione virginum, etiam ad euitandum ſcandalum. Dicitque idem eſſe neceſſario dicendum, *iuxta cap. acutius, diſt. 26. & cap. deuotis, & cap. iuuenculas, 20. q. 1.* & ſecundum D. Thom. communiter receptum in 4. ſentent. d. 38. quæſt. 1. art. 5. & in 3. ſentent. diſt. 33. quęſt. 3. artic. 1. Eandem ſententiam & opinionem tenet Sylueſter, vbi ſupra, *verbo, conſecratio virginum atque velatio, num. 2.* Quod adeo dicit eſſe verum, vt intelligendũ etiã ſit, cum illa, quæ fuerit violẽter corrupta. Nam licet hæc, virginitatis aureolam non amittat, quia tamen difficile eſt, voluntatem tunc ita reniti, vt aliquem conſenſum non eliciat, cum de pleno diſſenſu conſtare non poſsit Eccleſiæ, ſtatutum eſt (inquit) vt eiuſmodi humiliter à conſecratione abſtineant. Ad quod probandum adducit, *cap. illæ autem, 32. q. 5.* quod eſt B. Leonis Papæ, In epiſt. 85. ad Epiſcopos Africanos, capit. 5. vbi ſequentia ponũtur verba: *Illæ autẽ famulæ Dei, quæ in integritatem pudoris oppreſsione barbarica perdidere, laudabiliores erunt, in humilitate ac verecundia ſua, ſi inconſummatis non audeant*

dcant comparari virginibus, & addit. Quamuis enim omne peccatum, ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptio de carnis, mens tamen inuita non pollui, minus tamen eiſdem obe rit, ſi quod potuerunt animo non amittere, doleant ſe vel corpore perdidiſſe. Verba quidem ſunt notatu digniſ ſima. Adducit ad idem Sylueſter, *cap. ſiquis non iratus*, 15. *q.* 1. quod eſt D. Hieronymi, & facit valde ad præſens propoſitum, vbi ſequentia ponuntur verba: *Siquis non iratus, ſed propter diſciplinam, palmã alicui dederit, & euentu occiderit ſicut fieri ſolet, quantũ ad gratiam innocens eſt, quia voluntatem non opus requirit; ſed quantum ad legem reus eſt, quia opus requirit.* Poſt quæ addit: *Item ſi in perſecutione virgo fuerit oppreſſa repellitur lege, quia opus inſpicit non voluntatem, in gratia autem, quaſi virgo ſuſcipitur, quia non opera quærit, ſed voluntatem.* Verba etiam ſunt ſatis notatu digna. Cum quibus ad litteram concordat D. Tho. locis ſupracitatis, ibi, quod nec etiam illæ, quæ occulte ſunt corruptæ, à viris ſeu alio modo, ſunt velandæ etiam propter vitandum ſcandalum: quia (inquit) propter vitandum ſcandalum, non debẽt Eccleſiæ ſacrãmenta ſeu ſacramentalia cuiuſmodi eſt virginum conſecratio variari. Qua etiam de re videatur Aluarus Pelagius, de planctu Eccleſiæ, cap. 48. & Soto in 4. diſt. 38. Armilla, *verbo, conſecratio virginum.* Nauar. vbi ſupra, & in Manual. cap. 16. num. 3. Vbi expreſſe dicit, quod monialis occulte corrupta, peccat conſecrationis Velam ſuſcipiens, ſi id faciat abſque præuia diſpenſatione. Verum eſt tamen, quod in tali caſu poſſet Epiſcopus, vti aliqua cautela, ſeruatis quibuſdam ceremonijs, quę non ſunt de ſubſtantia Veli virginalis, mutando verba dicenda in veli poſitione, ſic vt in forma, nomen virginitatis, mutetur in nomẽ caſtitatis, quo quidem modo, ac prædicta adhibita cautela, nihil obſtabit nõ virgines, ſeu viduas aut corruptas conſecrari & benedici. Pro quo ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Licet corruptæ & viduæ, non debeant cõſecrari aut benedici cõſecratione virginũ, poſſunt tamen benedici cõſecratione viduali, etiam inter virgines.

LIcet corruptæ & viduæ, non debeant conſecrari aut benedici, conſecratione virginum, poſſunt tamen benedici, benedictione viduali, etiam virgines. Hanc Concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Nauarr. locis ſupracitatis, & pro ea allegat Guillelmum, in rationali diuin. offic. lib. 2. cap. 2. nu. 48. vbi dicit ſe vidiſſe in Vrbe Epiſcopũ Hoſtienſem, benedixiſſe duas viduas inter alias virgines; quod inquit, difficile factu fuit, cum in plurimis locis fiat mentio virginum & virginitatis in Officio conſecrationis virginum, factum eſt autem, addendo verbo, *virgines*, verba illa, & *viduas*, & verbo, *virginitatem*, verba illa, & *caſtitatem*, prout caſus & numerus, in quibus fit mentio, de virginibus & de virginitate, illud requirebant. Solummodo ſtat difficultas in modo, qualiter id faciẽdum ſit, cum occaſio ſeſe obtulerit? Et quidem ſi benedicenda & conſecranda, publice vidua eſt, & quę in facie Eccleſiæ viro nupſit, & poſtmodum eo mortuo Monialis eſt effecta, in hoc parua aut nulla eſt difficultas: nam cũ id nullo modo illi, in opprobrium ſiue infamiam vergat, certũ eſt quod in tali caſu, benedicenda & conſecranda eſt, benedictione viduali publice, de qua non habetur ſpecialis rubrica in Pontificali, ſed illa, qua benedicuntur virgines aptari debet illi, mutatis nominibus, ſignificantibus virginitatem, in nomina ſignificantia viduitatem & caſtitatem, poſtquam tamen hoc publice apud omnes conſtat. Et idem omnino dicendũ eſt, de illa muliere corrupta, quæ nunquam viro nupſit, conſtat tamen iudicialiter eandem fuiſſe corruptam, nec id ipſa negat, quinuero fatetur, nam hęc etiam debet benedici publice, benedictione viduali, & qua cæteræ viduæ ſolent benedici. Difficultas eſt, qua benedictione benedicenda, aut conſecranda ſit Monialis illa, quæ occulte eſt corrupta, vel materialiter & formaliter ſimul, aut ſolummodo formaliter, per voluntariam aliquam pollutionem, ſeu quippiam ſimile, in quo quidẽ caſu, certum eſt, quod iam nõ manet virgo. Qualiter, inquam, facienda ſit eiuſmodi benedictio, aut conſecratio, abſque eo quod ipſius peccatum, extra confeſſionem aperiatur & publicetur? Circa quod quidam dicunt, quod huiuſmodi Monialis occulte corrupta, poteſt ſimulate conſecrari conſecratione virginum, mutatis verbis ſonantibus virginitatem, in verba ſignificantia caſtitatem, ad euitandum ſcandalum, & ipſius infamiam. Cui dicendi modo concinere videtur D. Thom. in 4. ſentent. diſt. 38. artic. 5. in ſolutione ad 5. & Sylueſter loco ſupracitato, num. 2. Sed cõtra hunc dicendi modum, inſurgunt alij dicentes, nõ eſſe bonum & tutum, aut vllo pacto practicandũ, quamuis videatur communiter ab omnibus receptus, nam id eſſet conſecrandam ſiue benedicendã infamare, cum ſemper adſint eiuſmodi rebus aliquot periti, & præſertim miniſtri Epiſcopi, qui audientes & videntes, loco nominis ſignificantis virginitatem, apponi nomen ſignificans caſtitatẽ, intelligent ſtatim ipſam fuiſſe corruptam. Et præterea (inquit Paludanus) nõ licere vti huiuſmodi cautelis & fictionibus, in facto rei ſacramentalis. Sed nihilominus, Sylueſt. loco vbi ſupra, hoc nullũ reputat incõueniens, quinuero dicit id licere, quia ſicut loquens, ex cauſa poteſt verbis fictis, ſine mendacio quempiam decipere, quando non tenetur reſpondere, ſecundum intentionem interrogantis, vt tenẽt omnes Doctores communiter, & tradit idem Sylueſter, *verbo, mendacium*, §. 2. ita & in propoſito (inquit) idipſum fieri poteſt, quia Epiſcopus proferẽs huiuſmodi verba, non tenetur exhibere ſigna, ſecundum intentionem vel opinionẽ videntium. In cuius confirmationem adducit, *cap. 1. de ijs, quæ vi, metuſue cauſa fiunt.* Sed tamen Nauarr. in d. conſil. 2. de ſtatu Monachor. num. 6. alia procedit via, dicens quod ipſe ſatius putaret, vt Epiſcopus pronunciaret verba ipſa conſecrationis, quæ virginem ſiue virginitatem ſonarent, ſed accipiendo illa intra mentem ſuam, proverbis caſtitatem ſignificantibus, per quod inquit, excuſaretur ſimul mendacium & ſcandalum, per ea quæ idem ipſe latiſſime tradit, in ſuo Manuali capit. 25. num. 42. & cap. 28. num. 61. & in cap. *humanæ aures*, 22. *q.* 5. Qui quidem benedictionis modus obſeruari poteſt, & iuxta eum interpretari, explicari ac declarari noſtra propoſita concluſio. In fine huius Articuli libuit aduertere, ſupradicta omnia intelligenda eſſe, de moniali corrupta materialiter ſiue corporaliter, non vero de illa quæ tãtum corrupta

Nota valde, quod duplex eſt virginitas quædã mẽtis alia vero mẽtis ſimul & corporis, & Duplex etiã eſt corruptio.

rupta eſt mentaliter. Quod vt planius fiat, ſciendum eſt de mente D. Thomæ vbi ſupra, duplicem eſſe virginitatem, quandam mentalem, quę eſt animę tantum, aliam vero materialem & corporalem, quę eſt animæ ſimul & corporis: cuius etiam corruptio duplicirer poteſt contingere, vno modo cum apertione clauſtri virginalis, alio vero ſine eiuſmodi apertione, ſed cum ſola voluntaria ſeminis reſolutione. Hoc ſuppoſito dico, quod ſupradicta Concluſio, intelligenda eſt, de corruptione materiali & corporali, non vero de mentali tãtum. Licet enim virginitas & integritas, mentis ſiue animæ deperdatur, quotieſcumque virgo aliqua, in aliquod incidit peccatum carnis, mente tãtum conceptum, abſque aliquo actu & abſque aliqua pollutione corporali, hæc tamen virginitas, recuperabilis eſt per pœnitentiam, & pœnitentia facta, virgo quæ mẽte tantum corrupta fuit, bene poteſt velo virginali conſecrari & velari. Attamen quæ corrupta eſt materialiter & corporaliter, quocumque modo virginitas materialiter, cũ peccato mortali amittatur, irrecuperabiliter deperditur. Quod fit non ſolũ per apertionem clauſtri virginalis, cum peccato mortali, vel ſine ipſo, verum etiam per quamcumque pollutionem & ſeminis voluntariam emiſſionem. Et quocumque modo publice vel ſecreto, pollutione ſequuta, vel non ſequuta, virgo aliqua ſuam amiſit virginitatem, corporalem & materialem, minime eſt velo virginum conſecranda aut velanda, niſi adhibita cautela, & ad ſenſum in hac ſecunda concluſione dictum. Dicendum in præſentiarum reſtabat, qualiter & quando, eiuſmodi virgines ſint conſecrandę? Quam quæſtionem tangit Syluеſter, *verbo, conſecratio & velatio virginum, num.* 4. & ab ea breuiter ſe expediendo, dicit, ad quæſtionem. Qualiter, quod vt in Ordinario, ſiue in Paſtorali habetur. Ad quæſtionem vero, quando, ſecundum Hoſtienſem, quod in die Epiphanię & in tota Reſurrectionis hebdomada, & in natalibus Apoſtolorũ, & in diebus Dominicis, prout habetur, *in §. velamẽ cum cap. ſequentibus, 20. q. 1.* ſed tamen in neceſsitate, vtputa pro imminenti languore, quolibet tempore poſſunt conſecrari, *iuxta c. devotis, 20. quæ ſi. 1. & cap. 1. de tempor. ordin.* cum quibus, inquit, concordat Goffredus. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm Abbatiſſæ eſſe debeant perpetuæ, an vero triennales & temporales?

PRo huius Articuli intelligẽtia præmitto, non eſſe in votis in præſentiarum, longiſſimam diſputationem texere, circa conuenientiam ſiue diſconuenié tiam temporis, quo Abbatiſſę durare debent, in ſuis miniſterijs & officijs, & idem eſt iudicium de Prioriſſis, & alijs quibuslibet Monialium præfectis: vtrum ne conueniens, vt forent perpetuę, an vero triennales ſeu temporales? Nam hęc quęſtio proprium habet locum, in ſecunda parte huius Manual. queſt. 6. art. 6. vbi idipſum in controuerſiam adducitur, de omnibus in vniuerſum, omniũ Religionum Prælatis. Quade re latiſsimam tractationem facit Nauarr. in quampluribus ſuæ doctrinę locis, ſed maxime in comment. 3. de Regul. *ſuper cap. nullam, 18. q. 2.* à num. 3. cum ſeqq. & lib. 2. Conſiliorum, tit. de cauſa poſſeſsionis & proprietatis, conſ. 1. n. 2. & lib. 3. conſiliorum, tit. de ſtatu Monach. conſ. 7. n. 8. Quibus in locis, multis efficiſsimis rationibus probare contendit, ſanctius & conuenientius, multumque magis rationi conformius, atque vtilius fore Religionibus cunctis, quod earum Prælati ſiue Prælatę forent perpetui ſemperq; durarẽt, quã quod eſſent, vt modo ſunt, tẽporales & triennales. Et ait prædictã Prælatorũ ſiue Prælatarũ mutationẽ, quãmaximũ eſſe ambitionis argumẽtũ, & dominandi deſideriũ, nouũq; quorũdam iuuenũ inuentũ, qui per ambitionem & ſuperbiam, dum nulli ſubijci aut obedire volũt ſed omnibus quammaxime fieri poterit, dominari & imperare, huiuſmodi adinuenerunt nouitates, & inutationis officiorum introductam praxim. Sed miſſa hæc faciendo, vt in loco prędicto amplius videantur, quod ad præſens noſtrum attinet propoſitum, ſolummodo eſt paucis dicere, quid iura ſiue noſtræ Religionis Conſtitutiones generales velint, circa prædictarum Abbatiſſarum durationem ſiue perpetuitatem? Et quidem ſi ius antiquum inſpiciatur, multa in eo capitula reperire licebit, quæ comprobare videantur, prædictam ſententiã & opinionem Nauarr. Habito tamen reſpectu, ad id quod poſtea ſtatutum, & ordinatum reperitur, in ſummorum Pontificum conſtitutiouibus, in noſtri Ordinis Monumentis, primæ impreſsionis fol. 48. & ſecundæ fol. 43. conceſſion. 48. & in Supplemento fol. 40. conceſſ. 128. habetur, quod Nicolaus V. *ſtatuit & ordinauit, quod Abbatiſſarum ſeu mitram monialium dignitates & officia, per annum tantum durent in partibus Ciſmontanis,* ſcilicet Italiæ partibus, & alijs eiſdem annexis, *tempore quo illo decurſo, etiamſi inſtas renunciationes non fecerint, dicta officia ſtatim vacent, atque vacare cenſeantur. Et quod in fine huiuſmodi anni, á die electionis earum computandi, teneantur ſub excõmunicationis pœna ipſo facto, quo contrafecerint incurrenda, renunciare regimini & adminiſtrationi monaſteriorum ſeu domorum earum, ac ſigillum & claues monaſteriorum & officinarum, reſtituere in manibus Prouincialium Fratrum Minorum, illarum Prouinciarum in quibus monaſteria & loca ipſa cõſiſtunt, vel ſaltem in manibus Viſitatorum monaſteriorum, ſeu domorum huiuſmodi, per eoſdem Prouinciales, in Congregatione Fratrum deputandorum, & ad id ab eiſdem Prouincialibus poteſtatem habentiũ, & hoc fieri voluit in præſentia Sororum, ſeu monialium ad id ſpecialiter vocatarum,* Refertur hoc ſtatutum ſiue ordinatio Nicolai V. in Cõpendio, *verbo, Abbatiſſa,* §. 6. Quod quidem ſtatutum poſtmodum Leo X. confirmauit, vt refertur in Supplem. fol. 40. conceſſ. 128. & in d. Compend. verbo vbi ſupra, §. 9. vbi ſequentia habentur verba: *Leo X. vt monaſteria monialium debite regantur & gubernentur, ac illorum Abbatiſſæ circa officium ſibi commiſſum, ſumma cum diligentia omnique ſanctimonia, ſi non diuino amore, amotionis ſaltem metu, ſemper intentæ exiſtant, ſtatuit & mandauit, vt dum annis ſingulis á Prouincialibus, ſeu*

Nota ſtatutũ Nicolai V. produrationẽ Abbatiſſarũ, Italiæ.

seu earum visitatoribus visitantur, Abbatissæ ministerij, seu officij absolutionem à dictis Visitatoribus, iuxta Vrbani IIII. editam constitutionem in Regula, petere teneãtur, necdum id verbo sed etiam facto, realiter & cum effectu faciendo. Ac etiam statuit, quod si eiusdem Visitatoribus videbitur, & ipsa necessitas ac Monasterij exegerit reformatio, acceptare illam cum effectu debeant. Et quod huiusmodi Abbatissæ officium in ipsius visitatoris manibus dimittere teneantur, ita quod mera & libera eidem Visitatori remaneat facultas, eisdem Sororibus seu monialibus, sub excommunicationis sententia & alijs sibi visis sententijs, censuris & pœnis præcipiendi, vt circa alterius Abbatissæ electionem intendere debeant, aut alias, iuxta ipsius prædictæ constitutionis verba, & tenorem procedendi. Et monialem quæ Abbatissæ ministerium huiusmodi gessit, iuxta excessus exigentiam corrigendi & castigandi, ac censuras & pœnas huiusmodi iteratis vicibus aggrauandi, & alia in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi & exequẽdi. Hæc vbi supra. Circa quę verba inquit priuilegiorum Collector, quod circa prædicta quotidie fiunt nouę impetrationes, prouisiones seu innouationes; vnde oportet scire quid sit faciẽdum, quoquo tempore, vt in ijs nullus decipiatur, credens omnia supradicta, esse modo necessario seruãda, præsertim quia aliqua ex eis, forte nunquam fuerunt moribus vtentium admissa & practicata & maxime quoad durationem officiorum, & ætatem eligentium seu eligendarum. Hęc supradictus Collector & bene quidem. Sed ego hutusq; nullum priuilegium inueni, per quod prædictum Nicolai V. ac Leonis X. statutum, circa renunciationem suorum officiorum, faciendam à prædictis Abbatissis, cum quotannis earum Monasteria, à ministris Prouincialibus, seu alias ab alijs Visitatoribus visitantur, fuerit reuocatum, quinuero illud semper practicari vidi, etiam in Hispania, fuisseque obseruatum in communi praxi, ab Abbatissis prouinciarũ quas visitaui. Nec id immerito, cũ expresse habeatur in Regula, quam pro monialibus S. Claræ, constituit Vrbanus IIII. cap. 24. Sed ad particularia, temporis durationis Abbatissarũ prædictarum descendendo, in nouissimis Summorum Pontificum constitutionibus, inuenitur quædam quondam Gregorij XIII. quæ incipit: *Expositi debitum pastoralis officij*, data Romę anno Domini 1583. Pontificatus sui anno 11. vbi stricte prohibet, Abbatissas esse perpetuas, iubetque deinceps id nullatenus fieri, sed dumtaxat triennales. Sed prędicta constitutio, vt patebit intuenti, non comprehendit, nisi Moniales Italiæ, & Siciliæ, Monachalem vitam profitentes S. Benedicti, & Cistercien sis, ac Carthusiani Ordinis. Et quãuis ibi addatur generalis clausula, *& aliorum quorumcunque Ordinũ*, probabilissima est multorum sententia, quod in ea non comprehenduntur maiora expressis. Sed quid quid de hoc sit, hoc tamen certum est, quod prędictus Gregorius non loquitur, nisi de Monialibus in Italiæ & Siciliæ partibus constitutis, vt patere facile potest intuenti. Sed pro Monialibus cunctis, nostrę Minorum Fratrum curæ subiectis, extat peculiaris alia constitutio, Sixti V. quæ incipit, *Et cõmunis cura pastoralis officij*, data Romę apud Sanctũ Marcum sub annulo Piscatoris, die 29. Iulij, anno Domini 1587. Pontificatus sui anno 3. facta in Capitulo generali nostri Ordinis Fratrum Minorum de obseruantia, ibidem celebrato in Conuentu de Aracœli, vbi confirmando nostri Ordinis statuta, quatenus licita & honesta, & sacris Canonibus sed præsertim Concil. Trident. decretis non aduersantia, pro bono regimine Monialium S. Clarę alijsque nostræ curæ subiectis, sequentem fecit constitutionem: *Ac dummodo Abbatissæ vel aliæ Præfectæ, quorumcunque Monasteriorum monialium, ipsorum Fratrum curæ commissarum, ad summum triẽnales sint, & suis officijs elapso triennio perfunctæ, in quibusuis Prouincijs (non per biennium tantum, iuxta decretum in Capitulo generali Parisiensi, eiusdem Ordinis editum, sed saltem per triennium integrum, à die finitæ sui officij administrationis numerandum) nullum Abbatissatus seu Præfecturæ monasteriorum, aut aliud officium, nec aliquam potestatem vel auctoritatem, in eis obtinere vel exercere possint aut debeant.* Hæc supradictus Sixtus V. Ex quibus omnibus constat, quid dicendum sit propositio Articulo, procuius resolutione, sequentes statuo Conclusiones.

Nota circa renunciationem quam facere tenentur Abbatissæ suorũ officiorũ quãdo monasteria visitãtur

Nota quod Constit. Gregor. XIII. circa triẽnalem durationẽ Abbatissarũ, nõ comprehẽdit nisi moniales Italiæ & Siciliæ, non vero Hispaniæ, vt patebit intuenti, neque extenditur ad omnes moniales, sed solum modo, ad monachalẽ vitã profitentes.

Nota quod pro monialibus omnibus ut minorũ Ordini subiectis, extat peculiaris constitutio Sixti V. prohibentis, vt non ipsæ sint, nisi triẽnales tantum modo.

Prima Conclusio.

Abbatissæ Monialiũ S. Claræ, dũ earum monasteria visitãtur, renũciare tenẽtur semper suis officijs.

Abbatissæ monialium Sanctæ Clarę, singulis annis dum à Prouincialibus seu Visitatoribus earum monasteria visitantur, tenentur suorum officiorum renunciationem facere, & ab eisdem absolutionem petere. Hæc Conclusio satis constat ex supradictis, & vt dictum est habetur expressa in Regula ipsarum, quam Vrbanus IIII. pro eisdem constituit capit. 24. Prœterea tenentur ad idem, ex decreto & mandato supradicti Leonis X. quod quantum ad hoc, nullatenus esse credo immutatũ seu reuocatum. Quamuis enim decretum & statutum Nicolai V. quo decreuit, vt Abbatissarum seu Matrum monialiũ S. Claræ officia, tantummodo durarent per annum, nunc non habeatur in vsu, & per non vsum, vt dicitur, fuerit reuocatum, etiam in Italiæ partibus, alijsque Prouincijs ei annexis; at decretum prædictum Leonis X. nullatenus reuocatum esse credo, quinuero illud semper vidi in communi praxi obseruatũ. Vnde & ad faciendã renunciationem prædictam, dicto tempore, supradictæ Abbatissæ tenentur, cum sit statutũ Apostolicum, & præceptum iuę Regulæ speciale.

Secunda Conclusio.

Abbatissæ quarumcũq; monialiũ minorum Fratrũ curæ subiectarũ, non esse possunt nisi triennales, & per aliud triẽniũ debẽt vacare.

Difficultas. An Abbatissæ expleto suo triennio constitui possit

Siue eiusmodi Abbatissatus officium, à Superioribus fuerit acceptatum siue non, nulla tamen monialis Abbatissa neque Vicaria, Minorum Fratrum curæ subiecta, vltra triennium in suo officio potest durare. Hæc Conclusio satis constat, ex cõstitutione supradicta Sixti V. nam quamuis illa quę adducta fuit ex Gregorio XIII. (vt dixi) non comprehendat nisi dumtaxat moniales Italiæ & Siciliæ, monachalem vitam profitentes, generalisque clausula ibidem posita, non extẽdatur ad maiora expressis, nihilominus tamẽ constitutio prędicta Sixti V. omnes Moniales Abbatissas & Præfectas, quocumque nomine nuncupentur, minorum Fratrum curæ subiectas, in quibusuis partibus & Prouincijs existent s generaliter comprehendit: ita quod post transactum triennium, nullum Abbatissa-

ſint præſidentes ſuorũ conuẽtuũ, donec alia Abbatiſſa eligatur.

tiſſatus ſeu Præfecturę monaſteriorũ, aut aliud officium nec aliquam poteſtatem, vel auctoritatem in eiſdem poſſunt obtinere & exercere, vt ibidem dicitur. Sed circa hæc vltima verba, nonnulla eſt difficultas, apud Patres noſtri Sacri Ordinis, An ſcilicet liceat Abbatiſſas prædictas, finito ſui Abbatiſſatus tępore, cõſtituere eorundẽ monaſteriorum Prę ſidentes, donec aliæ Abbatiſſæ eligantur? Quidam enim affirmant, alij vero negant, propter verba ſuperius poſita. Sed quidem pars affirmatiua, probabilis mihi eſſe videtur, quinuero & idipſum pertinere ad bonum regimẽ, debitamq; adminiſtrationem monaſteriorum monialium, vt ſcilicet pro paruo aliquo tempore, eædem ipſæ non verò aliæ, Præſidentes conſtituantur, propter vitanda innumera mala, damna atque incommoda, quę ex cõtrario facto interdum ſolent euenire, & præterea quia illæ maiorem habent notitiam, diſpoſitionia, & ſtatus ſuorum monaſteriorum quã aliæ. Quis enim non videat, quod aliæ nominatæ Præſidentes, nouitatum ſemper amatrices, breui illo tẽporis ſpatio, quam plura poſſint innouare, quæ in maximum damnum & detrimentum pacis, quietis & tranquillitatis prædictorum monaſteriorum eueniant, quinuero & monialium omnium in ordine ad finem futuræ electionis, animos ſolicitare, omnibusque velle placere, quæ ſua ſunt quęrere, non quæ Ieſu Chriſti? Vnde ad ſupradicta verba Sixti V. reſpondendo dico, quod ibidem tantũmodo prohibentur Abbatiſſæ prædictæ, expleto ſuo triennio, habere in dictis monaſterijs, aliud officiorum quocumque nomine nuncupetur, quod etiam per triennium duret, ſicut eſt officium Vicariæ, ſeu alicuiusſimilis, hoc enim eſt in officijs perpetuari, quod ibidem à ſummo Pontifice prohibetur, non vero vetatur, ipſas eſſe Præſidentes finito ſuo Abbatiſſatu, pro paruo aliquo tempore, donec alię ipſarum loco eligantur, propter rationes prædictas. Neque etiam in prædicto decreto prohibetur, quin perfunctæ officio Vicariç, eligi poſſint in Abbatiſſas, quod etiam à quibuſdam extitit dubitatum, & nec quidem ſine cauſa, propter illa verba, *nullum præfecturæ, aut aliud officium, neq; aliquã poteſtatem, vel authoritatem obtinere, &c.* Sed hoc intelligi debent, de Abbatiſſis, de quibus in prædicta conſtitutione eſt ſermo, vt finito ſuo officio nõ effici poſſint vicariæ, aut aliquod ſimile officiũ obtinere, non vero de Vicarijs, vt ipſe eligi non poſſint in Abbatiſſas, id enim eſſet vice præmij, priuationis illas pœna multare & afficere, quod, nulla ratio permittit, & hoc obſeruat communis praxis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Abbatiſſæ, ſtatim poſt electionẽ ſint confirmandæ, non obſtante quacumque alterius partis contradictione?

PRo huius Articuli intelligentia præmitto, quod Bonifacius VIII. vt habetur, *in cap. indemnitatibus, de electione, lib. 6.* indemnitati monaſteriorum monialium, quæ frequẽter propter electiones in diſcordia celebratas, grãdia in ſpiritualibus & tẽporalibus diſpẽdia patiuntur, ſuccurrere vt ibidẽ inquit deſiderãs nonnulla ſtatuit, circa eiuſmodi electiones faciendas, de quibus diximus ſupra, & interipſa quædã ſpectantia ad Abbatiſſarũ cõfirmationẽ, qualiter & in quibus caſibus, ipſę ſint eõfirmãdæ, non obſtante quacumque alterius partis contradictione: quæ quidem quia ordinaria ſunt & frequẽtia, in præſentiarum libuit adducere, vt præmanibus habeantur, & explicabuntur breuiter per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

In electione Abbatiſſarũ, quæ ſuffragiorũ duas partes habuerit, non obſtante quacumq; cõtradictione, debet confirmari.

SI ad Abbatiſſæ electionem per ſcrutinium procedatur, & votis in diuerſa diuiſis, electiones per plures in diſcordia celebrari cõtingat, ea quæ à duabus partibus numero, fuerit celebrata, exceptione ſeu contradictione aut appellatione quacumque partis alterius non obſtante, per ſuperiorem debet confirmari. Hæc Concluſio habetur expreſſa, *in d. ca. indemnitatibus, §. ſane.* Sed præcipitur ibidem, vt Superior prius prout ſpectat ad ipſum, ex ſuo officio diligentem examinationem præmittat, vt videat ſi alias eiuſmodi electio ſit canonica, quo caſu eandem debet confirmare, & confirmatæ electæ, ſi Abbatiſſa extiterit benedictionem impendere. Verba ſunt expreſſa ſupradicti textus. Super quę gloſſa, *verbo, non obſtante*, inquit, id eſſe intelligendum, niſi forte opponatur aliquod eligentium votum fuiſſe nullum, ita quod in electione, non remanerent ſupradictę duæ partes, argumento deducto, *ex cap. ſi quando. eodem titulo, libr. 6.* & ponit exemplum, vt ſi opponatur quod eligentes non fuerint tacite vel expreſſe profeſſæ, vel quod non fuerunt puberes, vel in monaſterijs nõ mendicantium, quod aliquæ ſunt receptæ, quarũ non valuit receptio, iuxta, *cap. vnicum, §. ſane, de ſtatu Regul. lib. 6.* & dicit huiuſmodi exceptiones eſſe admittendas, quod probat, *ex cap. ex parte, el 2. de off. delegati*, & ex ijs quæ dicit, *in cap. quorumdã eod. tit. de elect. lib. 6.* Vbi igitur de duabus partibus prædictis conſtat, nec opponitur aliquid quod illas minuat, non aliqua exceptio obſtabit, quominus electa confirmetur. Et ſic intelligẽdam eſſe dicit prædictam litteram, videatur ſupradicta gloſſa, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaq; notatu digniſſima, nempe quænam exceptiones ſint admittẽdæ, quæ vero repellendę, quæ ſuffragia habeant computari in numero, quæ vero non faciunt numerum: à quibus omnibus temporis anguſtia preſſus ac inuitus abſtineo. Sit ſecunda Concluſio.

Nota hoc valde.

Secunda Concluſio.

Quid ſit faciẽdum, in caſu quo electio, non á duabus partibus fuerit celebrata, ſi monialis ſpe-

SI nulla earũdem electionum, à partibus fuerit celebrata duabus, tunc non obſtante quod ſit publicatum ſcrutinium, & ad electionem proceſſum, poſſunt moniales, quæ in aliam ſeu alias vota ſua direxerãt, antequam ad extraneos actus diuertantur, ad illã accedere, quæ à maiori parte numero totius Capituli electa eſt, quod ſi per hoc

venia-

ſea ad eam quæ maiorem ſuffragiorum partem habuerit, voluerit accedere.

veniatur ad duas partes, confirmari debet, vt ſupra, ac ſi ab initio duas partes habuiſſet. Hæc etiã Concluſio habetur expreſſa, in dicto cap. indemnitatibus. vbi aduertit Gloſſa, *verbo, proceſſum*, ſupra dictum decretũ eſſe contra iura, *& contra cap. publicato ſcrutinio, de electione*, vbi habetur, *quod publicato ſcrutinio nequeunt electores variare*. Sed inquit, hoc eſſe in iſto caſu ſpeciale, idque dicitur in fine eiuſdẽ cap. Idem ſeruatur, in electione Summi Pontificis vt habetur, *in cap. licet de vitanda diſcordia, eodem titulo, de elect.* Vbi etiam poſtquam Cardinales ad alios diuerterint actus, poſſunt ad quẽ inuoluerint accedere, ſi adhuc pendeat ſcrutinium, de quo videatur ibidem gloſſa, *verbo, nullatenus*. Sed in præſentiarum requiritur, vt prædicti Moniales id faciant, antequam ad actus extraneos diuertãtur, cuius differentiæ pulchram rationem reddit gloſſa, *dicti cap. indemnitatibus, verbo, diuertant*, videatur ibidem. Suptradicta omnia, intelligenda ſunt, vt in eodem capitulo dicitur, omni prauitate ceſſante, vt puta ſimoniaca datione, vel aliqua pactione illicita, coactione vel extorſione, iuxta id quod habetur, *in cap. quamuis de elect. lib. 6.* vbi vidẽda eſt gloſ. *verbo, prauitate*. Facit ad hoc *ca. prouida eod. tit. & lib.* vbi etiam videnda eſt Gloſ. *verbo. partes*. Verum eſt tamen, quod ſupradictis non obſtantibus, contra Abbatiſſam ſic confirmatam, & etiam poſtquam fuerit in adminiſtratione poſita, poterunt nihilominus aliæ, opponere ſibi aliquid per modum denunciationis, vel accuſationis, per quod à dignitate remoueatur. Nam in hoc noluit prædictus Summus Pont. dictis monialibus præiudicare, aut aliquid ſtatuere, per quod ſublata ſibi videatur facultas, quæliber proponendi contra Abbatiſſam electam, quinuero & confirmatam, & in ſuę adminiſtrationis officio poſitam, quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum. Et notat Gloſ. ibidem, *verbo facultas*, hoc ipſum haberi, *in c. poſt electionem, de conceſſ. præbendæ, in fin. & in c. conſtitutus, de appellat.* Ex quo deducitur, quod interdum datur actio, cui denegatur exceptio, contra id quod habetur, *in l. inuitus, §. cui damus, ff. de reg. iuris*. Sed hoc eſt ſpeciale, pro quo videatur eadẽ gloſ. *in c. qui ad agendum de reg. iuris lib. 6.*

Nota, qualiter in electione monialiũ, publicato ſcrutinio poſſint eligentes variare.

Nota hoc valde.

Tertia Concluſio.

Quid ſit faciẽdum, ſi non alię moniales voluerint accedere ad illã quæ maiorẽ ſuffragiorum partẽ habuerit.

SI ad illã quæ à maiori parte electa eſt, alię moniales nolunt accedere, aut nõ tot quæ ad duas partes accedant, tunc ſuper obiectis quę oppoſuerit pars aduerſa, & ſuper alijs quę in tali negotio ex officio ſunt inquirenda, Superior ante confirmationem debet inquirere, plane & ſine ſtrepitu iudicij, & ipſa nihilominus electa, interim in temporalibus & ſpiritualibus adminiſtrabit, ita tamẽ vt ne de rebus Monaſterij aliquid alienet, nec Monialem recipiat. Hæc Concluſio habetur etiam, vbi ſupra, §. *ſi vero*, & in fine additur, quod ſi qua monialis, à minori parte fuerit electa, vel nominata, non valet huiuſmodi electio ſiue nominatio, nec ad eã prædicto modo electam, alię moniales poterunt accedere. Additur etiam ibi, quod in electionibus Monialium, nunquam debet fieri collatio, zeli ad zelum, neque meriti ad meritum, ſed ſolummodo numeri ad numerum. Ex dictis omnibus concluditur, quod ſi moniales voluerint talẽ electionem efficere, vt Superior ſtatim teneatur illam confirmare: & ne propter aliqua obiecta confirmatio poſsit differri, curare debent, vt ſuffragiorum duæ partes electæ conſentiant, tunc enim ſtatim confirmanda eſt, non obſtante contradictione quacumque, quamuis poſtmodum per viam denũciationis ſeu accuſationis, aliquid etiã poſſit ſibi obijci, per quod à dignitate deponatur. Quę omnia ſunt valde notanda, atque memoriæ commendanda.

Nota quod in electionibus,

Monialium etiam de iure antiquo, non fiebat cõparatio, zeli ad zelum, neq; meriti ad meritũ, ſed dũtaxat, numeri ad numerum.

Quarta Concluſio.

Quid ſit faciẽdum, quando ad Abbatiſſæ electionẽ, proceditur per viã cõpromiſſi, & minor pars electioni ſe opponat.

SI ad electionem Abbatiſſæ, per formam cõpromiſſi procedatur, quamuis minor pars electæ ſe opponat, nihilominus confirmanda eſt, non obſtante minoris partis contradictione. Secus eſt autem ſi maior pars ſe opponeret, nam in tali caſu, differretur confirmatio vel infirmatio, donec de obiectis & alijs fuerit inquiſitum, ſed interim adminiſtrabit, vt ei permittitur, niſi pars opponentiũ fuerit duplo maior, quia tunc non etiam adminiſtrabit, ſed expectabit litis euentum. Hęc Concluſio habetur expreſſe, *in dic. indemnitatibus, §. cæterũ*. Circa quam nihil de nouo notandum ſeſe offert, niſi hoc ſolummodo, quod in huiuſmodi electionibus, ſi ad Curiam contingeret appellari, appellationis cauſæ debebãt exprimi, iuxta modũ cõſtitutionis poſitę, in *c. cirta, de elect. lib. 6*, ſed ipſę moniales, cũ propter ſexus verecundiã, fuæq; conditionis ſtatum, non deceret nec ipſis expediret, publico cœtui demõſtrari, aut extra ſua monaſteria euagari, inquit ibi Pontifex, quod electæ vel eligentes aut appellantes, ſeu eæ contra quas appellatũ fuiſſet, nullatenus ad eamdem Sedem perſonaliter venirent quoquomodo, ſed ſua negotia per procuratores tranſmitterent, ſufficienter inſtructos, iuxta conſtitutionem Nicolai III. poſitam, *in cap. cupientes, eod. tit.* per quos electionum, appellationum & poſtulationum ſuarum, perſequerẽtur acta, ac tandem ponit Pont. excommunicationis pœnam, ipſo facto incurrendam, contra Aduocatos, ſeu alios ponẽtes vel nutrientes diſcordiam, in electione prædictarum monialium, & dicit vel le dictam ſuam conſtitutionem locum habere, nedum in monaſterijs monialium regulariter viuentium, verum etiam in alijs, aliquibus in partibus viuentibus, ad modum quo in ſecularibus Eccleſijs, viuunt Canonici ſeculares, hoc dumtaxat excepto, quod non debent eligere vel eligi niſi profeſſæ, quod non poteſt ſibi vendicare locum, in dictis Canonicis ſecularibus. Additur vltimo, quod non per hoc, approbat ſtatum dictarum Canonicarum ſecularium, nec iura de virorum electionibus tractantia, per hoc c. cenſeantur immutata. Hactenus Bonif. VIII. *ind. c. indẽnitatibus*. Quæ omnia longiorem expoſcebant tractationem: ſed hęc pro nunc dicta ſufficiant, pro grediamur ad alia.

(*)

Multa valde notãda ponũtur in d. c. indemnitatibus in fine.

QVAESTIO. VIII.

De Abbatiſsis & Prioriſsis, alijſque Monialium Pręfectis, quantum ad facultatem recipiendi Nouitias, in Decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Abbatiſſæ, ſine ſuorum Prælatorum licentia, poſsint recipere Nouitias?

NON Cordi eſt in præſentiarum agere, de facultate recipiendi Nouitios ſiue nouitias, ad quem nam ſpectet, an ſolummodo ad Abbatem ſiue Abbatiſſam, cæteroſque Religionum Prælatos aut Prælatas, ſine conuentu & conſenſu ſui Capituli, an vero ad prædictos & ad Capitulum ſimul? nam hac de re longiſſimam tractationem fecimus, ſupra in iſto Tomo, Quæſt. 15. Art. 1. & 2. Sed in præſenti, tantummodo ſeſe offert difficultas, an Abbatiſſæ prædictæ, etiam de conſenſu ſui Conuentus ſiue Capituli, ſine ſuorum Superiorum & Prælatorũ licentia, aliquas nouitias poſsint recipere? Cui quidem difficultati, breuiter reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Abbatiſſæ etiam de conſenſu ſuarũ monialium, ſine ſuorũ Prælatorum licentia nullas poſſunt nouitias recipere.

ABbatiſſę etiam de cõſenſu ſuarum monialiũ, ſine ſuorum Prelatorum licentia, nullo modo poſſunt nouitias recipere. Hanc Concluſionẽ eſſe puto certiſſimam de iure communi, & in omnium Monialium quarumcunque Religionum Monaſterijs, nouitiarum receptionem, ad ſuos proprios Prælatos & Superiores pertinere, cum ſuper eiſdem iuriſdictionem habeant, ita quod nouitiæ ipſis conſentientibus, non vero renuentibus, eorum obedientiæ & iuriſdictioni debent ſubijci. Sed ſpecialiter pro monialibus, nobis Fratribus minoribus ſubiectis, extat hac de re præceptum, & ſtatutum Nicolai V. cuius fit mentio in Mon. Ordin. 1. impr. f. 48. & 2. fol. 43. conceſſ. 48. & refertur in Compendio, *verb. Abbatiſſa*, §. 8. vbi dicitur, *quod prædictus Nicolaus V. inter alia ſtatuit, quod Abbatiſſæ prædictæ, nec ſimul omnes moniales, poſsint aliquã ad Religionem vel profeſsionem recipere, niſi de Prouinciali aut Viſitatoris expreſſa licentia, nec ſimiliter recipere præſumant, aut valeant aliquem Capellanum, vel receptum retinere, niſi à Prouinciali vel Viſitatore pro ido neo reputatus fuerit.* Hæc vbi ſupra. Nec circa iſtum Articulum aliud dicendum occurrit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm puellæ minores 12. annis, recipi poſsint in Monaſterijs Monialium, ad habitum regularem, ſeu vt ſint Nouitiæ?

CIrca hanc difficultatem, fuit olim multorum opinio, à qua etiam modo aliqui non volunt deſiſtere. Qui quidem dicunt, puellas minores duodecim annis, nullo modo poſſe aut debere, admitti ad Religionem ſeu habitum Regularem, & contrarium facere, expreſſe eſſe aiunt contra Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 25. cap. 17.* vbi agitur de exploranda virginis voluntate, quæ Deo ſacratur. Cuius Concilij verba, quia huius difficultatis ſunt totale fũdamentum, ad vnguem libet afferre, vt ex eiſdem fiat perſpicuum, quantum veritatis ſeu probabilitatis, prædicta habeat opinio, aut potius eidem cõtraria, nam etiam aliorum ſententia in eiſdem verbis innititur. Dicit ergo Concilium prædictum: *Libertati profeſsionis Virginum Deo dicandarum, proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit atque decernit, vt ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſsionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus vel eo abſente vel impedito eius Vicarius, aut aliquis eorũ ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta & ſeducta ſit, an ſciat quid agat? Et ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habuerítque conditiones requiſitas, iuxta monaſterij illius & Ordinis Regulam, necnon Monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cuius profeſsionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta monaſterio, eum ante menſem certiorem facere. Quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.* Ex quibus verbis, ibi, ſi puella quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, &c. colligũt prædicti Doctores, prohiberi atque interdici, ne huiuſmodi puellę ad Religionem, ſeu ad habitum Regularem, recipiantur aut admittantur, ante prædictum duodecimum annum. Quam ſententiam (vt dicitur) ſequuti fuerũt Cõciliarij Patres, alijq; viri docti qui interfuerũt olim Cõcilio Toleti celebrato, ſub D. D. Gaſparo à Quiroga Archiepiſcopo Toleta-

Nota valde Cõcilij Trid. verba, circa nouitiarũ monialium receptionem.

no, &

no, & S. R. E. Cardinali, anno Domini 1582. die 8. Septembris. Sed oppoſitum tenent alij grauiſsimi & doctiſſimi viri, quam præ alijs defendit olim P. Frater Michael à Medina, libro quem edidit de ſacrorum hominum continentia, libro quarto, controuerſia 9. cap. 4. & Pater Frater Ioannes à Bobadilla in ſuo Enchiridione, ſiue Manuali manuſcripto qui & fundantur in verbis Concilij prædictis. Quę (inquiunt) ſi recte, attẽte ac penitus introſpiciantur, liquido ex ipſis conſtabit, nullatenus in eiſdem prohiberi, quod puellæ duodecim annis minores, ad Religionem ſeu habitũ Regularẽ recipiãtur vt ſint Nouitiæ, vel ſaltim vt ibidẽ ſanctè & Religioſè educentur, quinuero ſine prædicti decreti tranſgreſſione, optime poſſe recipi & admitti, de quo vt credo nulla eſſe poteſt dubitatio, vt patebit ex dicendis ſtatim, in Concluſione ſequenti.

Concluſio.

Puellæ 12. annis minores, in Monaſterijs monialiũ bene poſſunt ad habitũ Regularem admitti, vt ſint nouitiæ, vel educẽtur ibidem.

PVellæ duodecim annis minores, bene poſſunt in Monaſterijs Monialium, recipi ad habitum regularem, vt ſint nouitiæ, aut ſaltim vt educentur ibidem. Probatur hæc Concluſio, nam ſi propter aliquam rationem & cauſam non id liceret, maxime propter decretum Concilij Tridentini, ſuperius poſitum: ſed propter hoc non: ergo. Probo minorem. Nam vt patere facile poteſt intuenti, intentio Concilij in d. cap. non eſt aliquid circa ætatem Monialium, ſiue nouitiarum recipiendarũ diffinire, ſed tantummodo agere de examinatione ſuæ voluntatis, vt plane conſtat ex titulo eiuſdẽ capituli, quod habet, *de exploranda voluntate virginis, quæ deo ſacratur*, de ętate autem nihil omnino ibidẽ dicitur. Quod præterea cõſtat ex ipſa forma loquendi Concilij, nam nõ dicitur abſolute, quod puellæ, quæ habitum regularem voluerit ſuſcipere, maior duodecim annis ſit, ſed hoc ſolũmodo, quod ſi puella quæ habitum regularem voluerit ſuſcipere, maior duodecim annis ſit, non antea eũ ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia, profeſſionem emittat, quam explorauerit Epiſcopus, vel eo abſente aut impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorũ ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta & ſeducta ſit, & an ſciat quid agat? Ex quo infertur, quod verba prędicta, ponuntur tamquam pro conditione puellis maioribus duodecim annis, vt ſcilicet non poſsint habitum regularem ſuſcipere, priuſquam Epiſcopus ſeu ipſius Vicarius, examinauerit earumdem voluntatem. Nam cùm de eiuſmodi puellis, maioribus duodecim annis, ius præſumat iam eſſe doli capaces & potentes ad reſpondendum, ſupradictam eis conditionem imponit, vt ſcilicet exploretur ipſarum voluntas, ante ſuſceptionem habitus, & poſtea generaliter pro omnibus alijs, prędixit Concilium, vt etiam exploretur earum voluntas, ſaltem ante profeſsionem vt dicemus ſtatim. Vnde verba illa, *ſi puella quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec ipſa vel alia profeſsionem emittat*, quantum ad priorem partem, intelliguntur de puella duodecim annis maiori; quantum vero ad poſteriorem, de puella minori duodecim annis, cuius voluntas explorandа eſt, ſaltem ante profeſsionem. Sed inſuper probatur, ſupradicta Concluſio, ex communi omnium Religionum conſuetudine, ſcita & cõmuniter tolerata: nam in omnibus omnium Monialium Monaſterijs, vt plurimum recipiuntur, puellæ prædictæ duodecim annis minores, nec immerito. Etenim ſi id fieri non potuiſſet, expectandum eſſet ad hoc, vt eſſent duodecim annis maiores, vt Religionis habitum ſuſciperẽt, earum multæ & forſitan maior pars, Religioſæ & moniales nunquam fierent, breuique temporis ſpatio, Monialium omnium ſtatus periret. Experimento præterea compertum eſt, illas puellas quæ in ęta te tenera atque infantili, Religionem ingrediuntur, vberiores poſtea fructus in Dei ſeruitio facere, minuſque affici ad ea quæ ſunt mũdi, nam iuxta antiquum Poetę dictũ, quo ſemel, eſt imbuta recens, conſeruabit odorem teſta diu. Sed hodie circa ſupradictam Concluſionem, iam nulla eſt dubitatio, cum ea de re habeatur declaratio, Illuſtriſſimorum Cardinalium, aſſerentium Concilium Tridentinum loco ſupracitato, non prohibere quin parentes mittant in monaſteria, filias ſuas maiores ſeptennio, iuxta antiquа iura & id quod habetur, *in cap. cum ſimus, & cap cum virum, de Regul. cap. monachum, 20. quæſt. 1.* & tradit D. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 198. art. 5. & 6. vt nos etiam latiſſime diximus de mẽte eorumdem, ſupra quęſt. 2. art. 6. Neque prædictis obſtat, quod in Conſtitutionibus noſtris Toletanis, ſatis pro prædictis Monialibus, cap. 1. habetur, vt recipienda ad ordinem duodecim annorum exiſtat, nam id quidem dictum fuit, ſecundum probabilem opinionem de qua ſupra, quę currebat eo tempore, ſed iam cum contraria multo ſit probabilior, vt conſtat ex prædictis, id eſt tenẽdum & ſequendũ, & Conſtitutio prædicta in hoc, aut non eſt ſeruanda, vel ſuper ea Prælati generales, quinuero & Prouinciales, eorundem auctoritatem habentes, iuſta occurrente cauſa, optime poſſunt diſpenſare, nam conſtitutio illa, non aliam maiorem vim habet, ea quam à Religione accepit. Alia difficultas diſcutienda reſtabat: & ea eſt, quando in rigore loquendo, puellæ prædictæ duodecim annis minores, ſuum nouitiatũ incipiãt? Sed de hoc iam multa diximus ſupra, quęſt. 22. art. 3. agendo in communi de nouitijs, quorumcunque Ordinum, & Religionum, quæ etiam applicari poſſunt ad hoc propoſitum, & pro nunc dicta ſufficiant.

ARTICVLVS. III.

Quonam tempore, Nouitiæ Monialiũ, ad profeſsionem ſunt recipiendæ?

CIrca materiam præſentis Articuli, & quantum ad omnia, quę ad Nouitiorũ ſiue nouitiarum, in Religionibus tam virorum quã mulierum, educationẽ, probationem ſiue approbationem ſpectant, plura ac fere innumera ſunt à nobis dicta, ſupra quæſt. 22. per decem continuos Articulos, quæ qui dẽ in præſentiarũ nõ opus eſt, neq; libuit referre.

Et quantum attinet ad eorumdem professionem, tacitam siue expressam, diuersumque modum profitendi, plura etiam habētur, q. 24. & q. 25. Quibus in locis nisi fallor, inuenientur omnia, quæ ad hoc propositum desiderari possunt. Sed tamen vt non iste locus intermissus remaneat, & vt quæ ad moniales spectant habeantur simul, circa tempus professionis monialium, quid tenendum sit explicabitur, per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

Monialiũ nouitiæ, nullo modo debent ad professionẽ recipi, ante 16. ætatis suæ annũ expletum, & nisi prius per annum continuũ in probatione extiterint.

NOuitię monialium, nullatenus debent ad professionem admitti, ante decimumsextum suæ ætatis annum expletum, & nisi prius per annum continuum, post susceptum Religionis habitum, in probatione extiterint. Hæc Conclusio habetur expressa, in Cōcilio Tridentino, *sess. 25. c. 15.* vbi ad hoc propositum sequentia habētur verba: *In quacumque Religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat, ante decimumsextum annum expletum, neque qui minori tempore, quã per annũ post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autẽ antea facta nulla sit, nullamque inducat obligationem, ad alicuius regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.* Circa materiam huius Articuli, videatur specialiter. Artic. 2. Quæstionis 21, & concordat cum prędictis, Concilium sextum Constantinopolitanum, cap. 40. ex can. 18. Basilij Magni, vt refert auctor Summæ Cōciliorum. Atque ideo si monialis aliqua, ante dictum tempus professionem emiserit, eius professio erit omnino irrita, & ab Ordinatio declarari debet nulla. Congregatio Cardinaliũ interpretũ sacri Conc. Trid. circa prædicta statuit, quod eiapso tempore nouitiatus prædictarum monialium, ad professionem statim sunt admittendæ, & recipiendæ si habiles inueniantur, sin vero minus à Monasterijs eijciendę, & quod debet eis præfigi ab Ordinario, terminus quindecim, aut viginti dierum, ad deliberandum an velint profiteri, an non; quod si nolint, remittendæ sunt statim ad domos suorum consanguineorum seu affinium. Qua de re videantur, quæ dicit Panorm. *in cap. quia ingredi tibus, de testam. n. 4. & in cap. vt Clerici, de Regul. nu. 1.* vbi ad hoc propositum habentur aliqua, quæ non modicum iuuabit legisse. Hic solet dubitari, an supradictus annorum numerus, ita esse debeat expletus, tam quoad ætatem, quam quoad probationis tempus, vt si vnus dumtaxat dies deficiat, professio facta non teneat? Cui difficultati respōdetur affirmatiuè, & quod necessario requiritur, vt probationis annus sit integer & expletus, & similiter supradictum 16. annorũ tempus, adeo quod si vna dies deficeret, professio esset omnino nulla, & etiamsi in anno bissextili, non addatur vna dies. Nam professio debet fieri, in vltimo instanti anni, quod insinuauit Concilium Trid. prędictum, apponens verbum illud, *expletum.* Qua de re videnda est glos. *in cap. fin. de Regul. verbo, per annum,* & Sylvest. *verb. Religio, 3. num. 19. in dicto* 3. & quæ nos latissime diximus supra loco citato.

ARTICVLVS IIII.

Quibusnam vicibus, seu quotupliciter, exploranda sit Nouitiarum voluntas, in Monasterijs Monialium, priusquam ad professionem admittantur?

CIrca præsentis Articuli difficultatem, est nonnullorum sententia & opinio, quod bis prædictarum Nouitiarum voluntas, ab Episcopo seu ab ipsius Vicario, vel alio debet explorari, nempe & ante susceptionem habitus, & post modum antequam ad professionem solemniter admittantur. Et certe si præfati Cōcilij Tridentini verba, sessio. 25. c. 17. rectè inspiciantur, idipsum proculdubio videntur sonare, dicitur enim, *quod si puella quæ habitum regularem susciperе voluerit, fuerit maior 12. annis, non ante cum susceperit, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente seu impedito eius Vicarius virginis voluntatem, &c.* Ex quibus verbis, saltem in ijs quæ maiores sunt duodecim annis, satis colligitur, quod exploratio voluntatis earum, fieri debet duabus vicibus. Prima antequã habitum regularem suscipiant, secunda vero ante quam professionem emittant. Ferturque sacram Cardinalium Congregationem, idipsum ita explicasse & declarasse; vt refert Thomas Zerola Episcopus Minorensis, in sua praxi Episcopali, *verbo, Monialis,* respondendo ad primam, & decimāquartam difficultatem. Sed nihilominus Pater Frater Ioann. à Bobadilla, in supradicto suo Enchirid. siue Manuali manuscripto, de ijs agēs inquit, quod supradicti Conc. Trid. dispositio, quantum ad hoc non fuit vsu recepta, neque moribus vtentium cōprobata saltem in Hispania, nam puellæ quæ suscipiunt cuiuscumque Religionis habitum, siue maiores sint, siue minores 12. annis, semel tantum idque ante professionem, examinantur ab Episcopis, seu ab eorum Vicarijs, & numquam antequã suscipiant habitum. Quod & ipse semper practicari vidi, à quadraginta quinque annis, ex quibus desumpsi sacræ huius Religionis habitum. Vnde cũ consuetudo sit optima legum interpres, proposito Articulo, per sequentem Conclusionem respondetur.

Conclusio.

Examen nouitiarum, & exploratio voluntatis ipsarũ, semel saltem fieri debet, idque antequã professionem emittant.

EXamen Nouitiarum, siue exploratio voluntatis ipsarum, fieri debet saltim semel, idque antequam professionem emittant. Hæc Conclusio non aliter potest, aut debet probari, quam ex ijs quę superius sunt dicta: Licet enim (vt dixi) Concilij Trid. verba aliud videantur innuere, cum tamen quantum ad hoc non fuerint recepta, seu cōmuni vsu practicata, quinuero contrariũ semper factũ, ipsis videntibus & cōsentientibus Episcopis, ad quos spectabat idipsũ, & nullo modo reclamantibus, standum esse videtur in supradictis. Fateor quidem mihi semper fuisse visum, absonũ atque à ratione prorsus alienum, decretum Concilij prędictum

dictum, etiam quantum ad iſtam partem, non ad vnguem obſeruari, & in eadem modo ſententia & opinione perſiſterem, niſi conſuetudine contrarium iam omnino introductum perſpicerem, & oppoſitum ſemper fuiſſe commune praxi obſeruatũ. Nam meo quidem videri, exploratio voluntatis prædictarum puellarum, potius ante habitus ſuſceptionem, quam ante profeſsionem fieri deberet, idque multo conuenientius, ac rationi cõformius dijudicarem. Et certe eiuſmodi fuiſſe videtur intentio Concilij, vt ex ipſius verbis facile erit colligere. Et enim profeſsionis tempore, non ita exploratum poteſt haberi, id quod Concilium prætendit, an ſcilicet puellæ coactæ vel ſeductæ, illuc introductæ fuerint, an ſciant quid agant, & an ipſarũ voluntas reſpectu ſui ingreſſus in monaſterium, fuerit omnino libera, habuerit que conditiones omnes ad id requiſitas? Tunc enim vel parentum ſuorum metu, ſeu etiam ob verecũdiam, vt ſuo honori & famæ conſulant, vel quia ad id ab alijs Monialibus importunis forſan precibus, adducuntur & inducuntur, etiamſi velint, non audent reclamare, ſeu contrarium quippiam dicere. Vnde fit vt earum multæ, fere inuolũtarie profiteantur, multoque proinde melius, conuenientius atque rationi conformius videretur, vt eiuſmodi examen, fieret non quidem ſemel, ſed bis vt Concilium videtur innuere, autſi ſemel id in principio, dum intra proprias ſuorum parentum domos exiſterent, & haberetur exploratio ſuę voluntatis, prius quam regularem habitum ſuſciperent. Videantur quæ circa hoc propoſitum, dicit prædictus Thom. Zerola vbi ſupra, quo loco multis Illuſtriſsimorum Cardinalium declarationibus, probat non ſemel ſed bis, explorandam eſſe eiuſmodi puellarum voluntatem, primo antequã ſuſcipiant habitum, poſtmodum vero antequam profeſsionem emittant, & dicit facere contra Cõcilium Tridentinum, qui hanc binam, ſeu duplicẽ voluntatis puellarum explorationem, ſeu inquiſitionem prætermittunt.

Nota quod exploratio voluntatis nouiciarũ, in monaſterijs monialiũ, potius fieri deberet, ante ſuſceptionem habitus quam poſtea tempore profeſsionis.

ARTICVLVS V.

In quas pœnas incidant parentes, ſeu quicumque alij, puellis prædictis vim inferentes, ipſaſque cogentes atque conſtringentes, ad hoc vt Religionem ingrediantur, vel profeſsionem emittant?

Concluſio.

Cogentes & conſtringẽtes puellas, ad hoc vt Religionem ingrediantur vel profeſsionem emittant, ipſo ſunt facto excommunicati.

PArentes ſiue quicumque alij, cogentes ſiue conſtringentes puellas, ad hoc vt Religionem ingrediantur & profeſsionem emittant, ſeu idipſum ſine iuſta cauſa impedientes, ipſo ſunt facto excommunicati. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 25. de Regul. cap.* 18. vbi ſequentia ponuntur verba: *Anathematis ſancta Synodus ſubijcit, omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, ſeculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quo modocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quancumque mulierem innitam (præterquam in caſibus Iniure expreſsis) ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſsionem. Quique cõſilium, auxilium vel fauorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſsionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præſentiam vel conſenſum vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi vel voti emittendi, quoquomodo ſine iuſta cauſa impediẽt.* Et additur, *eaque omnia & ſingula quæ ante profeſsionem, vel in ipſa profeſsione fieri oportet, ſeruentur non ſolum in monaſterijs, ſubiectis Epiſcopo, ſed & in alijs quibuſcumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes aut Conuertitæ appellantur, in quibus Conſtitutiones earum ſeruentur.* Hæc Concilium vbi ſupra. In quo quidem decreto, innouare intendit Concilium ea, quę prius fuerant ſtatuta, in Concilio Triburienſi, cap. 24. & Cõcilio Toletano 3. cap. 10. & habetur *in cap. puella*, 20 *q. 2. & in cap. hoc ſanctum*, 32. *q. 2.* quibus in locis, quã maxime cauetur, ne virginibus ſeu alijs mulieribus, in eiuſmodi rebus aliqua vis inferatur Circa hoc videantur, quæ dicit Nauarro in ſuo Manuali, cap. 14. num. 17. in 6. dicto, vbi dicit peccare parentes, qui dolis aut minis, aliiſque huiuſmodi medijs, filias ſuas cogunt Religionem intrare: quod & probat argumento deducto, *ex cap. 1. de his quæ vi, & cap. requiſiuit, de ſponſ.* Quod quidem (inquit) eſt quidam magnus noſtræ ætatis abuſus, & multarum cauſa ruinarum in Religionibus, & vt in illis maledicantur perpetuo, qui eas in idipſum cõpulerunt. Sed aduerto, quod Concilium Tridentinum prędictum, non ponit ſupradictam excommunicationis pœnam, in eos qui cogunt viros, ad eiuſmodi Religionis ingreſſum. Cuius quidem rei ratio ea mihi eſſe videtur, nam leges ſemper ad frequentiora reſpiciunt, iuxta *l. nam ad ea, ff. de legibus*, & quia viri non ita facile coguntur ad idem. Et quod de mulieribus, ſeu potius prædictis puellis dicitur, intelligendum etiam eſt, quãdo id fit ſine iuſta & legitima cauſa, impediendo ſiue retrahendo ipſas, à voto ſiue Religionis ingreſſu, iuxta *d. cap. puella* 20. *q. 2. & cap. fin.* 32. *q. 2.* Secus tamen eſſet, ſi pater aut mater, idipſum ex cauſa feciſſent, propter defectum dotis, ſalutis aut alterius qualitatis, vel quia puella ad id eſſe videtur minus idonea, vt tenet D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. & q. 189 art. 6. ad 3. quem omnes communiter ſequuntur Doctores. Excipiuntur etiam à prædicto decreto, caſus qui circa hoc in iure ſunt expreſſi, nam olim aliquę mulieres detrudebantur in monaſteria, ad agendam ibi pœnitentiam, vt conſtat, *ex cap. de lapſis, & capit. Epiſcopo*, 16. *q. 6. & cap. impudicas, capit. ſi homo*, 27. *quæſtion.* 2. Excipiuntur etiam mulieres, quę Pœnitentes aut Conuertitæ nuncupantur, in quibus ſtatuitur, vt Conſtitutiones earum ſeruentur. In calce huius Articuli breuiter libuit aduertere, ſeu potius in memoriam reducere, id

Nota quod olim aliquæ mulieres detrudebantur in monaſteria monialiũ ad agendã pœnitentiam.

re,id quod latiſſime diximus ſupra, agendo de omnibus in vniuerſum nouitijs, viris ſiue mulieribus, quantum attinet ad facultatem reclamãdi,& allegãdi ſuas profeſsiones fuiſſe irritas & nullas, quæſt.30.art.2.quod omnis profeſsio,vi vel metu facta,eſt ipſo iure nulla,dummodo eiuſmodi metus talis ſit,vt cadat etiam in conſtantem virum, *iuxta cap.1.de his, quæ vi.* Quod adeò verum eſt, vt profeſsio facta ob metum, qui reuerentialis dicitur,efficiat etiam profeſsionem nullam ipſo iure, per textum iuncta Gloſſa,*in cap.præſens*,20.*q*.3. *ver bo patrem*, quod tenet Nauarro in quampluribus ſuæ doctrinæ locis,ſed maximè in Manuali,cap.22 nu. 51.& lib.1.Conſiliorum,de electione,conſil.5 num.2.cum ſequentibus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Monaſterijs Monialium,recipi poſsint & debeant,omnes,quæ fieri volunt Moniales,Regularem habitum expoſtulantes,nullo habitu reſpectu ad numerum?

Nota valde quæ determinauerint iura circa Monialium numerũ quæ recipi debent.

HAnc difficultatem nimis cognitu neceſsariam, mouet Nauarro, libro quem edidit de redditibus Eccleſiaſticis, quæſtio.1.monitione 62.quam & Scholaſtico more hinc inde,nõ minus docte quam erudite, ſerioſe difficultat. Et quidem pro parte negatiua,quod non omnes moniales fieri volentes,ſeu Regularem habitum expoſtulantes,in Monaſterijs ſint recipiendæ, ſed illæ dumtaxat quæ iuſtum expleuerint monialium numerum, quas commode monaſterium capere poſſit, & ex eiuſdem redditibus proprijs,aut ſaltim ex eleemoſynis conſuetis commode poſſint ſuſtentari, facit in primis,*cap.periculoſo*,§.*ſane,de ſtatu Regul,lib.6.* vbi ſtrictè præcipitur,*vt in monaſterijs monialium, & maxime non mendicantium,tot Sorores ſiue moniales, & non plures recipiantur,quot ex ipſorum monaſteriorum bonis ſiue prouentibus,aut redditibus annuis, abſque penuria potuerint ſuſtentari*,& dicitur,quod ſi ſecus actum fuerit,ſit irritum & inane. Quod quidem cap.vt inquit Nauarro,loco ſupracitato,ortum & originem duxit,*ex capit.1.de inſtitutionibus*,quod eſt Concilij Arelatenſis,vbi etiam ſtrictè fuit præceptum,*vt in monaſterijs monachorum & Clericorum, aut etiam puellarum,non plures ſuſcipiantur, quam illi qui de bonis Eccleſiæ,abſque penuria viuere poſſent.* Quæ ſupradicta decreta,nunc nouiſsime Concilium Tridentinum innouauit,*ſeſſ.25.de Regul.cap.3.* vbi generaliter loquendo, de omnibus in vniuerſum monaſterijs,& domibus tam virorum quam mulierum,bona mobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus,ſtrictè præcipit,*vt in eis is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus,proprijs monaſteriorum,vel ex conſuetis eleemoſynis,commode ſuſtentari poſsint.* Quod fieri & obſeruari,prædictus Nauarro adeo reputat neceſsarium,ad regularem obſeruantiam monialium, vt credat,illud eſſe vnicum remedium ad idem,& ſine quo numquam illa integre conſeruabitur. Quod licet quamplurimum deſiderauerit atq; cõtenderit,vt ſeruaretur in aliquibus monaſterijs, numquam tamen(inquit)id ſatis potuit Abbatiſſis perſuadere.Facit etiam pro hac parte, Conſtitutio Pij V. quæ incipit: *circa paſtoralis*, de qua dictum eſt ſupra,vbi ſupradictus Pontifex, idipſum etiã intelligens,quãmaxime fore vtile,quinuero & neceſſariũ,ad hoc vt moniales omnes,iuxtaCõcilij Tridentini præſcriptum,clauſuram ibidem præceptam,debite poſſent obſeruare, poſt alia in ſequentia verba prorumpit:*Et ne propter monialium exceſsiuum numerum,clauſuræ obſeruatio violetur, inhærentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Bonifacij VIII.& Concilij Tridentini decreto, monialibus prædictis,& illorum Superioribus diſtricte inhibendo,præcipimus & mandamus,ne plures in earum monaſterijs recipiant & admittant,ſiue recipi & admitti permittant, quã ex proprijs redditibus ipſorum monaſteriorum,vel cõſuetis eleemoſynis commode poſsint ſuſtentari.* Quod etiam Gregorius XIII.iterum ſtrictè præcepit,in ſua alia Extrauaganti Conſtitutione, quæ incipit,*Deo ſacris*,vbi poſt præſtitum quoddam remedium de quo ibi,pro congrua monialium ſuſtentatione,in ſequentia etiam verba prorumpit:*Eleemoſynarum vero præfatarum contributionem,& applicationem,durare & valere decernimus, ac ſuos effectus ad plenum ſortiri debere,donec numerus monialium, etiam Tertiariarum huiuſmodi,quem per ipſos locorum Ordinarios,etiam in monaſterijs ab eorum cura,& regimine quomodocumque exemptis,cum illarum Superiorum interuentu,ſtabilire & ordinare,nec ſupra illium numerum alias recipi poſſe,etiam de conſenſu ſuorum Superiorum, volumus & mandamus,&c.* Ex quibus omnibus ſuperque ſatis colligitur,nõ poſſe aut debere,monialium Abbatiſſas ſiue præfectas,aliquas nouitias recipere, dotatas nec ſine dote,vltra illas quæ debitum & iuſtum expleant Sororum numerum,ita vt eorundem monaſteriorum bonis,ſeu redditibus annuis vel conſuetis eleemoſynis,commode poſsint ſuſtentari.

Sed pro alia in contrarium parte,facit communis vſus ſiue praxis totius orbis. Vt enim inquit, ſupradictus Nauarro loco ſupracitato, contrarium ſemper fieri,cunctis eſt perſpicuum,& vt dicitur conſuetudo optima eſt legum interpres, iuxta,*cap.cum dilectus,de conſuetudine*,quam ipſe Nauarro dicit,quod non vult ſeu non omnino audet cõdemnare,vnde vt prędictam difficultatem reſoluat,dicit quod quamuis non plures nouitias recipere,quam illas quas cõmode monaſterium poſſit & valeat ſuſtentare, multo foret melius atque ſecurius,& Concilij Tridentini ac prædictorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus conformius,vt ſatis conſtat ex ſupradictis, non tamen (inquit)eſt omnino malum oppoſitum facere,neque poteſt aut debet cõdemnari,quinuero credit poſſe quãdoq; Abbatiſſas,ſeu alias monaſteriorum Præfectas,ſine vlla culpa aliquas aptas & ad Religionẽ annelantes recipere,etiamſi earũ ſit expletus numerus,quę ex redditibus ſuorũ monaſteriorũ poſſint ali & ſuſtẽtari,dũ tamẽ in eo ipſę

aliæq;

aliæque moniales, ſummo ſtudio cauere ſtudeant, ab omni ſimoniaca labe, & à multis alijs illicitis, quę hiſce in rebus ſolent multoties interuenire. Hæc ſunt in ſubſtantia, quę circa hoc propoſitum dicit prædictus Nauarr. nam reliqua, quæ ſpectãt ad prædictarum Nouitiarum dotes, ſequenti Articulo reſeruantur. Quibus præmiſſis, quæ ad hunc Articulum ſpectant, reſoluentur breuiter per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Quamuis melius foret, nõ plures nouitias recipere, quam ex monaſteriorum prouentibus, ali & ſuſtentari poſſint, aliud tamẽ facere, non eſſe videtur peccatũ mortale

QVamuis multo melius foret, ac Concilij Tridentini decretis, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus conformius, non plures nouitias, quæ fieri volunt moniales recipere, quam ex monaſteriorum redditibus proprijs, ſeu ex conſueris eleemoſynis, poſſint commode ali & ſuſtentari, oppoſitum tamen facere, non eſſe videtur omnino malum, ita quod poſsit aut debeat dici peccatum mortale. Hæc Concluſio eſt prædicti Nauarro loco ſupracitato, nam quamuis ſupradicta omnia afferat pro alia in contrarium parte, multaque alia ad idem propoſitum referat, tamen, concludendo dicit, id quod in noſtra eſt concluſione dictum. Ad quam probandam, nullum aliud fundamentum adducit, præter conſuetudinem quæ optima eſt legum interpres, & ſemper fuiſſe id poſitum & obſeruatum in praxi, & quia in noſtris Hiſpaniæ partibus, quantum ad hoc præ dicta decreta & Summorum Pontificum Conſtitutiones, non fuerunt receptę, neque vnquam communi vſu practicatę. Eſt enim in Hiſpania cõſuetudo, conſtanter ab omnibus approbata, ſine diſcrimine, vt nobilium Hiſpanorum filię, ad monaſteria deferantur, non ſolum Religionis & voti gratia, verum etiam vt congruum, & commodum habeant remedium, & vt ne cogantur parentes, inferioris ordinis hominibus, eaſdem nuptui trade re. Quod quidem fieri nullatenus poſſet, ſi multoties intra monialium monaſteria, non plures admitterentur, quam illę quę ex ipſorum prouentibus, ſiue redditibus annuis, vel conſuetis eleemoſynis poſſent ſuſtentari. Vnde ad ſupradicta iura reſponderi poteſt, omnia illa tam antiqua quam noua, exponenda atque interpretanda eſſe, in hũc ſenſum, vt non plures nouitię recipiantur, indotatæ vel ſine dote, ita vt poſt modum monaſteriorũ expenſis habeant ſuſtentari, quod cauſa aut ſaltim occaſio eſſe poſsit, vt ibidem clauſura antiquo & nouo iure præcepta, ac dictorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus innouata, vix aut nullatenus poſsit conſeruari. Ita ipſis reſpondet Nauarro, vbi ſupra, numer. 2. in fine, & Syueſter, *verbo, ſimonia, quæſtion. 15. in 2. dicto, etiam in fine.*

ARTICVLVS. VII.

Vtrum Abbatiſſæ & Moniales, committant ſimoniam, recipientes dotem ſiue pretium, pro Nouitiarum receptione, & præcipue vbi earum Monaſterium, eiuſmodi ſubſidio nõ indiget, ſed eſt valde locuples?

PRo huius Articuli intelligentia, & vt paremus viam, ad ea quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda, adnotare libet ex Syl ueſtro, *verbo, ſimonia, q.* 15. Quod ſi receptio ad Religionis habitum, quæ eſt quędam promotio, ad quendam ſpiritualem gradum, diuiſa eſſet à ſuſtentatione recepti ſiue receptę, ſicut olim in eremo, nonnulli Religioſi antiqui, recipiebant aliquos ad Religionis habitum, & tamen non erant obligati illos alimentare, ſed tantummodo edocere, eo modo quo Romanus olim Monachus, Beatum Benedictum recepit, ſimiliter & Macharius duos alios adoleſcentes, & etiam nũc Canonici, eleuant aliquem ad dignitatem vel gradum canonicatus, quem tamen non alunt, nec tenentur alimentare, quæſtio hæc non magnam haberet difficultatem, quia plane & omni procul dubio eſſet ſimonia, ſi aliquid exigeretur aut reciperetur, pro receptione ad Religionem, quod non eſſet, ſi reciperetur pro victu, ſicut hoſpites licite interdum recipiuntur à Religioſis, aliquo exhibito precio. Sed quia nũc iſta regulariter ſunt cõiuncta, & iura vbique clamant, contra eos qui vere aut præſumptiue aliquid exigunt, vel recipiũt, gratia receptionis ad Religionem, inde eſt vt aliqui exiſtiment, ea etiam intelligenda eſſe, de his quę pro alimentis recipiuntur, ſeu pro congrua Religioſi ſiue Religioſæ alicuius ſuſtentatione. Quod faciũt præſertim Canoniſtæ, ſe in iuris præſumptione fundantes, qui mille implent & replẽt quaternos, & præſentem materiam aliquando non bene reſoluunt. Verba ſunt non quidem mea, ſed expreſſa ſupradicti Syluaeſtri. Qua propter nos in præſentiarum, vt non in idipſum confuſionis & perplexitatis barathrum incidamus, hac in re cum diſtinctione quammaxime loquemur, dicentes, in quibus caſibus, quaue intentione licitum ſit in Monaſterijs monialium, aliquid pro nouitiarum receptione exigere & percipere, etiam ſi monaſterium ſit locuples, & quando eiuſmodi incauta receptio, ſaltim in exteriori foro, ſimoniæ nonnullam, quinuero & quammaximam præſeferat apparentem præſumptionem.

Et vt pro noſtro more procedamus, afferendo ea quæ eſſe videntur in contrarium, & vt ex oppoſitione falſitatis, veritas plenius eluceſcat, dicere in primis nõ præteribo, quæ circa hoc propoſitum, nimium dolenter dicit ſupradictus Nauarr. in ſupradicto libro de reddit. Eccleſ. quæſt. 1. monitione 62. vbi quammaxime inuehitur in Abbatiſſas, & alias quorumcunque monaſteriorum monialium prętectas, quocumque nomine nuncupentur, ipſaſque grauiter peccare dicit,

Notã valde, quæ dicit Nauarro, contra monaſteriorũ dotes exceſſiuas.

ſuos redditus, ita prodige atque indiſcrete expendentes, vt moniales denuo recipere & admittere omnino recuſent, niſi tantis dotibus onuſtas, tãtiſque expenſis pro eis factis, quantæ ſufficerent abunde illis, per totam ſuam vitam alendis, ſiue etiam nuptui tradendis, & tamen nec admiſsis pridem Monialibus, nec ijs quæ denuo ab eiſdem admittuntur, ſaltim veſtes conferunt, nec frequẽter medicinas ad ſe curandum, quod crudele ac valde inhumanum eſſe dicit. Quod peccent grauiter, probare contendit in primis, *ex cap. periculoſo, §. ſane, de Statu Regul. innouato per Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. de Regul. cap. 3* vbi præcipitur, vt ne plures moniales admittantur in monaſteria, quam ex eorum redditibus abſque penuria commode ſuſtentari poſſint. Quod inquit, præfatæ Abbatiſſę nullo modo exequuntur, cum nullas indotatas accipiant, ex redditibus monaſteriorum alendas: & cum præfata Cõcilia præſcribant, ne plures accipiant, quam alt & ſuſtentari poſſint ex proprijs redditibus, illæ è cõtrario multo plures accipiũt, reciperentque ſi plures haberent dotes. Probat præterea idipſum, quia illicitum & vehementer abſonum videtur, monaſteria monialium vnius cuiuſdam ciuitatis, viginti millium aureorũ redditibus annuis & eo amplius perfrui, & tamen ob hos redditus adeò copioſos, nullam monialem admitti neque ab ipſis ſuſtentari, niſi pro dote cũ ſupellectilibus & expenſis alijs, ſecum afferat alios mille aut octingẽtos numos aureos, qui ſufficere (inquit) poſſent haud dubie, ad emẽdum cẽtum in ſingulos annos ad vitam ipſius, ſi mille dipondia, octomillium precio ad vitam emantur vt emi ſolẽt. Et licet eam ſummam tãtum deferret, quæ ſufficere poſſet pro emendis octuaginta aureis, vel ſeptuaginta in ſingulos annos ad vitam, ſatis quidem ea eſſent, ad alimenta & ad veſtes, & etiam ad medicinas, quo fit vt nulla omnino ingrediatur expenſis monaſterij, ſed ſuis proprijs. Tandem vltimo, confirmat omnia ſupradicta Nauarro, nam mens & intentio prædictorum Conciliorum, ea fuit vt ſatis de ſe patet, quod non plures moniales indotatæ nec etiam dotatæ in monaſteria monialium recipiantur, quam ex ipſorum redditibus ali & ſuſtẽtari poſſint, & quod in ijs in quibus iã admiſſæ, hunc excedunt numerũ, nullo modo admittantur aliæ, donec vel eo vſque earũ decreſcat numerus, vel creſcant redditus, vt illi numero alendo & amplius ſufficiant. Id quod & dicit, poſt præfatam Concilij Tridentini definitionem, aliquorum Prælatorum præſcripto, in aliquibus monaſterijs ſeruari ſe vidiſſe, & maxime apud Carthuſienſes, vbi hoc ipſum præcipitur ſtatuto quãſtrictiſſimo, prout tradit & multũ põderat, atq; exaggerat, Dionyſius Carthuſianus, de ſimonia, lib. 1. art. 16. Hæc ſupradictus Nauarrus. Ex cuius doctrina, duæ ſimul ſeſe hac in re offerunt difficultates. Prima, an Abbatiſſæ & aliæ Monialiũ præfectæ, recipere & admittere poſſint Nouitias, etiam ſufficienter dotatas, poſteaquam expletus eſt earum numerus, quæ ali & ſuſtentari poſsint ex redditibus annuis ſuorum monaſteriorum? de qua difficultate, iam diximus in præcedenti Articulo. Altera vero, an ſit illicitum & ſimoniacum, dotem ſiue preciũ recipere pro prędictarũ Nouitiarum receptione, de qua agendum eſt in præſenti. Et quidem quod illud non ſit licitum, quinuero illicitum atque ſimoniacum, videtur expreſſe colligi, *ex cap. quoniam, de ſimonia*, quod eſt Concilij generalis Lateran. vbi ad hoc propoſitum, ſequentia habentur verba: *Quoniam ſimoniæ labes, adeo pleraſque moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio in Sorores accipiant, paupertatis prætextu volentes huiuſmodi palliare vitium, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, &c.* Et infrà ſtatuuntur graues pœnæ, in contrarium facientes. Facit ad hoc, *cap. quam pio, & cap. nullus Abbas, 1. q. 2.* vbi habetur, *quod ab ijs qui ad conuerſionem accedunt, nihil eſt exigendum, nec pretio aliquis ad conuerſionem eſt inuitandus.* Facit præterea ad idẽ, Extrauag. quædam Vrbani IIII. ſeu alias V. quæ incipit: *Sane.* Et habetur inter communes, *de ſimonia*: vbi, *pactus vel iocalia exigentes, & etiam dantes pro Religionis ingreſſu, ſi ſint ſingulares perſonæ excommunicationis pœnã, ſi vero Conuentus vel capitulum, ſuſpenſionis ſententia ipſo facto imponitur incurrẽda: cuius vtriuſque vinculi abſolutio, ſoli Papæ reſeruatur, alijs pœnis in ſuo robore duraturis, niſi ingredientes aliquid ſponte & ſine pactione obtulerint.* Et quid de perſonis, iam tali labe fœdatis & bonis ſic receptis faciendum ſit, tãdem Pontifex ibi nimis ad longum declarat. Hæc ergo ſunt, quæ facere videtur pro hac parte. Quibus nihilominus non obſtantibus, cum debitis circunſtantijs, pro prędictarum Nouitiarum receptione, moniales aliquam dotem, ſiue pretium recipere, pro alimentis & congrua earum ſuſtentatione, nõ vſquequaque videtur illicitum, vt dici poſſit aut debeat ſimoniacum. Vt autem ſciri poſsit, qualiter id practicandum ſit, propoſito Articulo breuiter, & reſolutiue reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Pro ingreſſu in monaſterijs non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretiũ, bene tamen pro victu atque veſtitu, & cõgrua ſuſtentatione.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod pro ingreſſu monaſterij, non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium, bene tamen pro victu atque veſtitu, & pro congrua ſuſtẽtatione. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. in ſolutione ad 4. eſt q. communis, & generalis omnium Doctorũ reſolutio, & pro ea faciunt omnia iura ſuperius citata, de qua etiam videndus eſt Sylueſt. *verb. ſimonia, q. 15. in 2. dicto.* vbi de mente D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 20. inquit, cp ingreſſurę monaſterium cõpetit duplex ius, aliud ſpirituale quo habet dignitatem, ſcilicet Clericatus & vocẽ in Capitulo, & participat bona ſibi facta & huiuſmodi; aliud vero corporale, quo ſcilicet debetur ei victus atque veſtitus à monaſterio: quæ duo jura, quãuis nunc regulariter cõiũgantur de facto, per intentionẽ tamen bene poſſunt ſeparari & diuidi, & inquit, cp pro ſecũdo iure licet pretiũ recipere, & de pretio paciſci, & maxime vbi monaſteriũ ad victũ nõ ſufficit, non tamen pro primo. Videatur etiam circa ſupradictã concluſionẽ, Nauar. in ſuo Man. c. 27. n. 106. vbi explicans Extrauagantem ſupradictã, primam de ſimonia, quæ excõmunicat cum reſeruatione eos, qui dant aut accipiũt aliquid ob ingreſſum in aliquod Monaſterium, inquit, quod non incurritur per ſolam acceptionem, vel largitionem abſque pacto, aut ob conſuetudinem, vel ob aliqua iura, aut ſine præſumptione

tione & bono animo. Cuius rationem reddit, quia bis repetuntur in ea illa verba, *eos qui præſumunt*, nec per acceptionem etiam cum pacto, in victum eius qui ingreditur, ob neceſſitatem Monaſterij, pro quo allegat Caietanum in ſumma, caſu 71. & expreſſius 2.2. q. 100. art. 3. *in ſolutione*, ad 4. Hæc ſunt certa & vera etiam ſtando in iure communi. Sed tamen ad tollendum omnem ſcrupulum, qui haberi poterat, pro vtraque huius difficultatis parte, & ad aſſecurandas Monialium conſcientias, noſtri ſacri Ordinis patres, impetrarunt olim ab Innocentio VIII. quamdam declarationem, ſiue cõceſſionem, quæ habetur in Monumentis noſtri Ordinis, 2. impreſsionis, fol. 69. conceſſ. 151. & in Supplement. fol. 99. conceſſ. 363. & refertur in Compẽdio, *verbo Moniales*, §. 16. vbi dicitur, quod prædictus Innocentius VIII. *Declarauit, quod Moniales quia neſciunt diſcernere, inter intentionem primariam, quæ cauſat ſimoniam, & ſecundariam, quæ non illã cauſat, nunquam incurrant ſimoniam, niſi in duobus caſibus, ſcilicet quando paciſcuntur de aliquo dando, vel ſoluendo pro ingreſſu, & quando recipiunt inhabiles, ob ſpem habendi aliquid, quia tunc illa eſt principalis intentio.* Et in ſequenti, §. 17. dicitur, *quod idem Innocentius, conceſſit prædictis Monialibus, quod ſine ſcrupulo conſcientiæ, poſſint petere, quæ ſibi promiſſa fuerunt ante ingreſſum.* Et quia reſpectu prædictarum limitationum, adhuc prædictæ Moniales, maximos patiebantur ſcrupulos, ijdem noſtræ Religionis Prælati, petierunt à Clemente VII. aliam ampliorem conceſsionem, quæ refertur in d. Compendio, verbo vbi ſupra, §. 31. vbi dicitur, *quod prædictus Clemens VII. conceſſit quod Moniales ſeu Religioſæ, exiſtentes ſub obedientia Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, nullatenus incurrant ſimoniam, ex pactionibus & conuentionibus quas faciunt, in receptione intrantium Ordinem ipſarum, ſuper dotibus recipiẽdarum, pro congruenti & ſufficienti earum ſuſtentatione.* Vbi quammaxime notanda ſunt verba illa, *pro congruenti & ſufficienti ſuſtentatione*, per quæ excluduntur, quarũdã Monialiũ abuſus, petentium ingentes & ſuper excedentes dotes, quam in idipſum neceſſarię ſint, quod quidẽ facere & maxime ſi fiat quia recipienda aliquem patitur defectum, nullo modo licet, niſi tantum (vt dixi) pro congruenti & ſufficienti ſuſtentatione. Quæ quidem conceſſio, fuit valde iuridica, & nullo modo à vera Theologia, aut à ſacris Canonibus aliena. Licet enim vt in concluſione eſt dictũm, pro Religionis ingreſſu, non liceat pretium exigere vel accipere quaſi pretium, cum religionis ingreſſus & profeſſio, res ſit ſpiritualis, attamen pro victu atque veſtitu, & pro congrua ſuſtentatione, & maxime vbi Monaſterium eſt tenue & indiget, dubium non eſt, licitum eſſe eiuſmodi pretium exigere vel recipere, ſed non tanquam pretium. Poteſtque adduci ad id appoſitiſſimũ exemplũ de matrimonio, pro quo quatenus eſt Sacramentum, nullo modo licitum eſt aliquid exigere vel recipere, ſed tamen ad ſuſtentanda matrimonij onera, nullo modo eſt illicitum, cum vxore dotem recipere, prout expreſſe habetur in iure. *in l. pro oneribus, C. de iure doti.* Quinuero addit D. Thom. loco ſupra citato, nullo modo eſſe illicitum aut ſimoniacum, ſi propter deuotionem quam aliquis ſeu aliqua ad Monaſterium oſtendit largas eleemoſynas faciendo, facilius in Monaſterio recipiatur. Sicut etiam licitum eſt, aliquem è conuerſo prouocare ad deuotionẽ Monaſterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad Monaſterij ingreſſum, licet non ſit licitum, ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingreſſu Monaſterij, vt habetur in ſupradicto *cap. quam pio*, 1. q. 2. Supradicta omnia ſunt certa & manifeſta, communiterque recepta & in quibus non eſt dubium. Videatur etiam circa hoc Magiſter Soto, lib. 9. de iuſti. & iure, q. 6. ar. 2. in ſolutione ad 4. argumentum. Sed maior difficultas eſt, quam idem ipſe tangit ibidem: Vtrum ſcilicet, quando Monaſterium eſt valde locuples, ita vt congrue, & commodè perſonas, quæ ibi recipiuntur alere poſſit, ſimoniacum ſit pretiũ exigere vel recipere? Et quidem pro parte affirmatiua videtur quod ſic, nã cũ nõ alia ratione eiuſmodi exactio ſit iuſta, quam propter Monialium alimenta, & quia monaſterium indiget, vt expreſſe tenet & docet D. Thom. & Caietanus ipſius commentator loco ſupra citato, vbi hæc ratio ceſſet, vbi illa aliunde ſuppetunt, procul dubio apparet, in eo caſu pretiũ pro Religionis ingreſſu exigere vel recipere, non eſſe licitum. Sed nihilominus contrariam ſententiam, tenet omnino prædictus Soto, loco ſupra citato, & ait, Monaſterij opulentiam nihil prorſus facere: ad hoc vt illud quod in aliquo Monaſterio paupere non fuiſſet ſimonia, in diuite eſſe cenſeatur ſimonia: vnde de ipſius reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota hoc val de.

Secunda Concluſio.

In Monaſterijs Monialium, vtcũq; Monaſterium locuples ſit, non eſt ſimoniacum pro earum ſuſtentatione, dotes recipere.

VTcumque Monaſterium locuples ſit, non eſt ſimoniacum dotes Nouitiarum recipere, in Monaſterijs Monialium, pro earumdem ſuſtentatione. Hæc concluſio ſtatuitur, contra quamplures Doctores iuris Canonici, qui in contraria ſunt ſententia, & opinione, vt videre eſt apud Sylueſtrum, *verbo, ſimonia*, §. 15. ſed nihilominus ſententia Soti, verior eſſe videtur & tenenda. Cuius & ratio eſt appoſitiſsima, nã ſimonia ex obiecto ſuã ſortitur ſpeciem, & incurritur non ob aliud, niſi quia ſpirituale venditur, vt puta profeſsio aut locus in Religione, ſi autem (inquit) illud cauetur, & pecunia non niſi pro victu recipiatur, etiamſi Monaſterium eiuſmodi ſubſidio nullatenus indigeat, poterit quidem illud recipere, peccatum eſſe auaritiæ, non tamen ſimoniæ, & ex eo facto hoc tantummodo colligitur, quod tunc præſumitur ſimonia, non vero quod reuera, ac realiter ita ſit. Nam in Monaſterio vbi victus eſt abundans, præſumitur pecunia recipi pro ingreſſu, vt optime probat Syluester, & penes hoc tantum ipſius conuincit argumẽtum. Addit ſupradictus Soto, quod Monaſteria ditiſsima, quæ pauperes recipere abſq; pretio, eodemque ingenti renuũt, citra ſcandalum ſaltim id facere non poſſunt, tunc vel maxime quando videntur pecuniam recipere, nõ pro Monialis ſuſtentatione, ſed alijs de cauſis, quia nempe recipienda non eſt ita claro ſanguine nata, aut aliqua labe infecta, vel infamia notata, ſiue deformitate aliqua. Hæc inquit ſupradictus Soto, in Conuictibus pretio æſtimare, vix aut nullatenus à ſimoniæ nota & macula liberari poteſt, & ſimili-

ter ſi Moniales id faciant, vt ſuam amplitudinem atque magnificentiam clariorẽ reddãt,& auctiora proinde pretia exigãt,in quo quidem caſu,intelligenda ſunt quã maxime, quæ dicit Nauarro loco ſupra citato, num.3. vbi videre licebit ad hoc propoſitum plura, eaque notatu digniſsima.

ARTICVLVS VIII.

Quibuſnam Prælatis competat, taxare ſiue determinare, Monialium recipiendarum dotes?

PRo huius Articuli intelligentia præmitto,quod quamuis conſuetudine totius fere mundi, iam hodie fuerit introductum, vt Moniales in Monaſterijs non recipiantur,niſi prius ſufficienter dotatæ, ac dote ſibi aſſignata, at quanta ſiue quota eiuſmodi dos ſit futura,iure non habetur ſtatutum,nec conſuetudine circa hoc negotium, aliquid certi poteſt ſtatui,præter hoc ſolum,quod attendenda ſemper eſt perſonarum qualitas,temporum neceſsitas & alia. Nam variatis temporibus,variantur & rerum pretia, quibus Moniales communiter vtuntur,& quibus indigent pro ſuis alimentis & congrua ſuſtentatione, tam in victu quam in veſtitu. Pro quo quammaxime facit,*cap. non debet, de conſanguin. & affinit. & l. exigendi, C. de procurat.* Vt enim fertur,olim quibuſdam in locis,ad maximum dari conſueuere,pro monialium dote, centum nummi aurei,poſtmodum vero creuere in bis cẽtum, ſed iam vix ſufficiunt quingenti, & forſan nec in aliquibus partibus mille. Quorum cum tradi non poſſit certa Regula,operæ pretium eſt,vt id in alicuius arbitrium reſeruetur, & hoc eſt quod quæritur in præſenti,in cuiuſnam Prælati arbitrio, hoc ſit ponendum? Et à quo Prælato, huiuſmodi Monialium dotes,debeant taxari & determinari? Cui difficultati breuiter reſpondetur, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nouitiarum recipiendarũ dotes,à Prælatis & Superioribus debent taxari, & determinari.

NOuitiarum recipiendarũ dotes, alijque ſumptus faciendi in ſua receptione & profeſſione ſiue ſumendo velo, ab Ordinarijs & Monialium Superioribus deberent taxari & diffiniri, & non pro ipſarum libito exigi, atque expoſtulari. Hæc Concluſio adeo conſona eſt rationi, vt fere nulla alia indigeat probatione.Sed probatur in primis, ſimilitudine adductaex matrimonio carnali.Sicut enim in quibuſdam bene ordinatis Rebuſpub.Regnis ſiue Prouincijs, pro matrimonio carnali & ipſius oneribus, à principibus ſecularibus prudentibus & peritis,rebus omnibus proſpectis & conſideratis, conſtitutæ atque determinatæ ſunt certæ quædam dotes,vltra quas prohibentur parentes ſuis filiabus aliquid amplius dare, vt latiſſime tradit Cou.in ſuo tract.de ſponſ. 2.p.c.3.ſic etiam & potiori ratione,pro maritandis virginibus cum Chriſto Domino, earumdem dilectiſſimo ſponſo, in profeſsione regulari, matrimonio quodam ſpirituali atq; mirifico, expedientiſsimum etiam eſſet, vt quantitas dotis , non cuiuſuis arbitrio relinquatur,non auidæ Abbatiſſarum,& monialium quarumdam cupiditati, neque adeo ſtrictæ aliquorum parentum parſimoniæ,qui filias ſuas omnino indotatas,ſi poſſent vellent etiam maritare, ſed prudentis Prælati iudicio,qui rebus omnibus penſatis, ſupradictæ dotis quantitatem, pro temporum ac perſonarum differentia,diffiniret & determinaret. Confirmatur vlterius ſupradicta Concluſio,nam cum prædictæ Nouitiarum dotes, vt ſuperque ſatis conſtat,ex dictis in præcedenti Articulo,recipi nullatenus poſſint,pro ingreſſu monaſterij ſiue Religionis,tamquam pretium,ſed ſolummodo pro congrua monialis recipiendæ ſuſtentatione,& pro ſuo victu atque veſtitu, & in his omnibus, vt dixit Innocentius VIII. loco ſupra citato,opus ſit diſcernere inter intentionem primariam,quæ ſimoniam cauſat,& ſecundariam quæ illam non cauſat,quod quidem moniales prædictæ facere neſciunt,vt non ipſæ ſimoniam prædictam incurrant,paciſcendo de aliquo dãdo vel ſoluendo, ſolummodo pro ingreſſu,vel quia inhabilis aliqua ad Religionem ſuſcipiatur,vel ob ſpẽ aliquid habendi, ſi eiuſmodi ſit principalis earum intentio,expedientiſſimum atque conuenientiſſimum profecto foret,& quammaxime rationi conſonum , vt taxatio & determinatio prædictarum dotium, non earumdem monialium relinqueretur arbitrio,ſed prudentis Prælati iudicio, ne ex contrario facto , plura atque innumera frequentiſſime exoriantur inconuenientia,& ſine ratione & cauſa,dotium quantitate augmẽtata,aliquæ virgines alioquin aptæ & habiles, propter inopiam & indigentiam, à Religionis ingreſſu arceantur , & earum loco aliæ inhabiles & minus aptæ, propter exceſſiuas ſuas dotes,cum maximo Religionis dedecore & detrimento,ad Religionem admittãtur , quod quidem in magnum vergeret totius Reip.damnũ,& in multorũ ſeculorum ſcandalũ. Sed difficultas eſt,An idipſum ſupradicti Prælati facere poſſint,ſine conſenſu dictarum monialium ac totius monaſterij? Quæ quidẽ res eſt,quæ hinc, inde dubitationem ingerit , & probabiles aut ſaltem multum apparentes rationes , pro vtraque parte habet. Sed nihilominus, ſecunda ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Prælati & Superiores Monialium, ſine ipſarum conſenſu, aut ſaltim diſcretarum Conuentus, dotium taxationẽ nõ debẽt efficere

QVamuis ſupradicti Prælati,de potentia abſoluta,prædictarum dotium taxationem,iure optimo efficere poſſent,ſine conſenſu monialium ac totius monaſterij, id tamẽ nullatenus cõuenit ſed ad minus conſulere oportet, monaſterij Diſcretas, ſeu moniales antiquas & ſeniores. Hæc Concluſio iam fere conſtat ex ſupradictis, nec vt videtur vlteriori aliqua indiget probatione. Sed libet nihilominus ipſam , nonnullis rationibus comprobare. Et quidem quod de potentia ſua abſoluta, iure optimo ſupradicti Prælati,idipſum poſſent efficere, ex eo patet, nam ipſi ex ſummorum Pontificum conceſſione, abſolutam poteſtatem & iuriſdictionem habent,ſuper prædictas moniales, tam in ſpiritualibus quam temporalibus,

vt conſ.

vt conſtat ex multis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, quas longum eſſet nimis in præſentiarum velle recenſere. Sed præterea, quia ſicut ad principes ſpectat, non vero ad ſubditos ſeu perſonas particulares (vt dixi) dotium taxationem facere, pro virginibus ſiue mulieribus maritandis matrimonio carnali: ſic etiam & ad Prælatos prædictos, non vero ad Moniales ipſas pertinet, idipſum efficere, pro Religionis ingreſſu, & maritandis virginibus ſiue mulieribus, ad Religionem anhelantibus, matrimonio ſpirituali. Vnde & ipſi Prælati per ſe ſolos, legem poſſunt ſtatuere & determinare, penſatis & conſideratis omnibus, quæ penſanda & conſideranda ſunt, ſecundum perſonarum locorum, ac temporum varietatem, quanta in quarumuis Monialium Monaſterijs, futura eſſet dos, pro cuiuſlibet Monialis debita ſuſtentatione. At quamuis hoc ita ſit, dictum tamen eſt, haudquaquam conuenire idipſum vt faciant, ſine aſſenſu & conſenſu prædictarum Monialium, ac totius Monaſterij, vel ſaltim maioris aut ſanioris partis, quales ſunt antiquæ & ſeniores, quæ communiter dicuntur Diſcretæ, ne forte ſi aliud in contrarium fiat, contra ipſos perpetuæ ſint atque interminabiles querelæ, & cum cauſa vel ſine ipſa dicatur de eiſdem, quod humanis aliquibus reſpectibus, intentioneue minus recta, fraudarunt & vſurparunt, bona quæ alias iure futura erant Monaſterij, quod vel dictu excuſare atque euitare, Prælatos & Superiores, quammaxime oportet. Non tamen propterea, vllo modo conuenit ab hoc negotio omnino deſiſtere, aut in totum eoſdem ſe exonerare, vt ne occaſio detur Monialibus prædictis, interdum faciendi multa ſimoniaca, pactiones & conuentiones, ac petendi res non conſuetas, vt ſcilicet detur tantum pro dote, tantum pro propinis, alijsq; exactionibus innumeris, quæ ſecularibus & merito, maximum ſcandalum generare ſolent, & multas virgines & mulieres nobiles, propter exceſſiuos ſumptus, ab ingreſſu retardare Religionis, in quo quammaxime habēt locum, ea quæ dixit Nauar. de reddit. Eccleſ. q. 1. monit. 62. & *in c. ſtatuimus, num.* 44.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm licitum ſit Abbatiſſis, alijsq; Monialium præfectis, Nouitiarum dotes, vlla ratione ante ipſarum profeſſionem recipere?

HE Nouitijs Monialium, quantum attinet ad ſuorum temporalium bonorū diſpoſitionem, multa forent dicenda, niſi latiſſime iam à nobis fuiſſent dicta ſupra, q. 23. per plures Articulos, agendo de Nouitijs pro Monaſterijs virorum, quæ etiam pro Monialibus poſſunt deſeruire. In quorum primo Articulo ſtatutum fuit, diſpoſitionem prædictorum bonorum temporalium, à prædictis Nouitijs, tam in Monaſterijs virorum quam mulierum, fieri nullatenus debere, ſtatim aut cum primum ſuſcipiunt Religionis habitum, ſed iuxta Concilij Tridentini præceptum, *ſeſſ. 25. cap. 16.* ad amplius intra duos menſes, ante eorundem profeſsionem. In ſecundo dictum fuit, donationes omnes factas à prædictis Nouitijs, ante dictum tempus, eſſe ipſo iure nullas, quocumque quæſito colore fiant, etiā inter viuos, dummodo per viam teſtamenti non ſint. Idemque omnino diximus, de renuntiatione beneficiorū Eccleſiaſticorum quorumcumque, & ad vnguem explicatæ ſunt ſolemnitates, in eiuſmodi donationibus, obligationibus, ſiue renuntiationibus, neceſſario requiſitæ, iuxta formam Cōc. Tridentini, multaque alia dicta ſunt, ad hoc propoſitum ſpectantia, quæ cum indifferenter & abſque delectu & diſcrimine, intelligenda ſint de viris ac mulieribus, ea ſemel & iterum in præſentiarum referre non libuit. Sed tamen præteriri non potuit aut debuit, difficultas præſentis Articuli, pro complemento eorum, quæ ad hanc Nouitiarum Monialium materiam ſpectant, An ſcilicet Abbatiſſæ, cæteræque Monialium Præfectæ, prædictarum nouitiarum dotes, ante ipſarum profeſſionem, vllo modo ſeu vlla ratione poſſint recipere? Et ratio dubitandi eſt, nam in Concilio Trident. loco ſupra citato, ad hoc propoſitum ſequentia habētur verba: *Sed neque ante profeſsionem, excepto victu & veſtitu, Nouitij vel Nouitiæ illius temporis quo in probatione eſt, quocumque prætextu, à parentibus vel propinquis, aut curatoribus, eius Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel maiorem partem ſuæ ſubſtantiæ, Monaſterium poſſideat, nec facile ſi diſceſſerit id recuperare poſſit. Quin potius præcepit ſancta Synodus, ſub anathematis pœna, dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante profeſsionem omnia reſtituantur quæ ſua erant. Quod vt recte fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.* Hęc vbi ſupra. Ex quibus verbis, nō modica quidē dubitandi ratio inſurgit, an prædictā excommunicationem incurrant, Nouitiæ alicuius parentes, qui ante profeſsionem aliquid mutuant ſeu commodant, alicui Monialium Monaſterio, recipiendo ab eodē pignora vel ſufficientem fideiuſsionē, ita quod ſi Nouitia diſcedat & nolit profiteri, facillimo negotio ab eis datū & à Monaſterio acceptum, poſſit recuperari? Et quidem pro vna parte, attentis ſupradictis Concilij verbis, ibi, *quocumque prætextu*, & infra, *& ne hoc vllo modo fiat*, videtur non eſſe licitum, eiuſmodi mutuationes ſiue commodationes, prædictis Monaſterijs facere. Ex alia vero idipſum apparet licere, nam mutuum dare, & egenti aliquid commodare, actus eſt liberalitatis & charitatis, vt videtur nullo modo à Concilio prædicto prohibitus, maxime prohibitionis ratione ceſſante, vt ceſſare videtur, in caſu, quo per pignora ſiue ſufficientem fideiuſsionem, debita cautione præſtita, fini atque intentioni dicti Concilij non contrauenitur, vt ſcilicet ſi Nouitia diſcedere voluerit, propter ſuorum bonorum traditionem Monaſterio factam, nō inuita ſiue coacta, profiteri cogatur. Hæc ſunt, quæ faciūt pro vtraq; huius difficultatis parte, quibus præmiſſis, pro propoſiti Articuli reſolutione, ſequentē ſtatuo

Concluſionem.

Conclu-

Conclusio.

Non videtur omnino illicitum, sufficienti præstita cautione, Monialiũ præfecta Nouitiæ alicuius dotẽ, etiã durante nouitiatu, siue probatione commodatam recipere.

QVamuis multo melius, securius atque consultius sit, Concilij prædicti decretum ad vnguem, siue ad litteram obseruare, in casu tamẽ quo Monasterium egeat, sufficienti præstita cautione, non videtur omnino illicitum, Nouitiæ alicuius dotem mutuatam recipere Abbatissam, aut parentes & curatores ipsius, eamdem Monasterio commodare. Hæc Conclusio, satis constat ex supradictis, nec propterea vllo modo fieri videtur, contra prædictum Concilij decretum. Vt enim dixi, & ex ipsius verbis satis cõstat, mens & intentio Concilij, ea solummodo fuit, vt non propter præfatam dotis traditionem, mutuationem seu accommodationem, aliqua Nouitia inuita, profiteri cogatur: sed hæc omnino iam cessant in casu proposito, præstita atque exhibita (vt dictum est) prædicta sufficienti cautione: ergo idipsum facere non erit contra mentem & intentionem Concilij. Nec prædictis obstant verba illa ibidem posita, *quocumque prætextu, & ne hoc vllo modo fiat*, quæ generalia sunt, generaliterque videntur excludere, quamcumque donationem, mutuationem seu commodationem, quomodocumque id fiat, siue ratione gratitudinis, siue ratione mutui aut commodati: nam licet verba generalia sint, debent tamen restringi & limitari, iuxta mentem & intentionem, ipsius legis cui apponuntur, siue legislatoris, vt vulgatissimum est in iure. Atque ita verba illa, *quocumque prætextu, & nullo modo, &c.* interpretari debent, de prætextu ficto & de modo aliquo, quo mens & intentio legis, seu legislatoris possit frustrari, quod fieret si daretur aliquid ratione mutui aut commodati, sine sufficienti præstita cautione, & sine pignoribus aut fideiussoribus, ita vt mutuatum seu commodatum, difficulter posset repeti, & vix aut nullatenus recuperari, & propter eam causam egestate oppressa, aliqua monialis siue Nouitia, inuita cogeretur profiteri.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Abbatissa seu Monialium Præfecta, certam aliquam pecuniæ quãtitatem possit recipere, interim quod dos Monasterio promissa, pro Nouitia aliqua profitente, nõ soluitur?

HAepe quinuero & sæpissime contingit, aut saltim contingere potest, vt promissa dos pro nouitia aliqua Religionem ingressa, statuto & opportuno tempore solui non possit. In quo casu vt eiusdem professio non differatur, parentes siue curatores promittere solent, & ad idipsum scripto se obligare, eamdem ob causam, quotannis certam pecuniæ quantitatem monasterio soluere, vsque ad eiusdem debitam solutionem. Quod cum vsuram aut forsan simoniæ speciem præ se ferat, non incongrue in præsentiarum visum est, in quæstionẽ adducere, an licitum sit Abbatissis, aliisque monialium Præfectis, eiusmodi obligationes & promissiones acceptare, & prædictam pecuniæ quantitatem, quotannis cum bona conscientia recipere? Cuius quidem difficultatis resolutio, pendet ex decisione alterius quæstionis, de dote similiter promissa, pro matrimonio carnali. Habent enim inter se illa, quam maximam similitudinem, & à matrimonio carnali ad matrimonium spirituale, in iure non inualidum desumitur argumẽtum. Et quidem quod in matrimonio carnali, id ipsum facere sit licitum, probatur expresse, *ex capit. salubriter, de vsuris*, vbi Summus Pontifex Innocentius Tertius, determinando dicit: *Generum ad fructus possessionum quæ sibi sunt à socero, pro numerata dote pignore obligatæ, computandos in sortem principalem, non esse compellendum, cum frequenter dotis fructus, non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* Ex quo loco colligunt nõnulli Doctores, idem omnino esse dicendum, de dote promissa & eius solutione dilatata, quando maritus cum promissione dotis paciscitur, vltra sortem principalem certam pecuniæ quãtitatem esse sibi quotannis soluendam, interim dum plene non fuerit dos soluta. Sed alij Doctores omnino tenẽt contrarium, dicuntque eiusmodi pactionem esse illicitam, nec in hac specie esse admittendam, decisionem Decretalis prædictæ. De qua differentia & controuersia, videndus est Couar. lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 3. vbi & ad hoc propositum, meo quidem iudicio, reperire licebit omnia quæ desiderari possunt. Sed quia tempus non fert, vt in hisce rebus amplius immoremur, quia id longissimã exposcebant tractationem, ad explicandum qualiter eiusmodi contractus sit licitus, recipiq; possit aliquid vltra sortem, aut ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quæ quidem spectant ad materiam de vsuris, & de iustitia & iure, de qua re latissime videndus est Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 1. ar. 1. & 2. cum sequentibus, vt proposito Articulo breuiter satisfaciam, eidem respondeo, per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Ratione damni emergẽtis, licitum est aliquid recipere, pro dilatione solutionis dotis, & de hoc Moniales bene possunt pacisci.

SI Monasterium aliquod Monialium, ex dilatione dotis reuera damnum aliquod patiatur, in suis bonis temporalibus, ratione huiusmodi damni emergentis, omni procul dubio licitum erit, vltra principalem sortem, aliquam pecuniæ quantitatem recipere, eidem damno proportionatam & de eadem pacisci. Hæc Conclusio, vt credo, communis & generalis est omnium Doctorum resolutio, cuius & ratio in promptu est, nam eiusmodi conuentio ratione damni emergentis, in omnibus contractibus admittitur, & ab omnibus vt licita approbatur, habetque locum in omnibus personis, cuiuscumque conditionis extiterint, cum omnes iure optimo, possint damnum sibi imminens euitare, dummodo in euitando metas iuris naturalis & diuini, seu etiam humani non transgrediantur. Sed aduerto, dixisse me ratione damni emergentis, nam ratione lucri cessantis, non ita semper res se habet, & ratio desumpta ex interesse, non est ita vniuersalis, cum solum comperat mercato-

mercatoribus siue negotiatoribus, cum certis quibusdam adhibitis limitationibus & modificationibus. Vnde circa hoc, sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Non licitum est Monialibus, aliquid vltra sortem recipere, ratione lucri cessantis, ex dilatione solutionis dotis, alicuius Nouitiæ.

NOn est licitum Abbatissis, siue Monasteriorum Monialium præfectis, recipere aliquid vltra sortem, ratione lucri cessantis, ex solutione dilatata, dotis alicuius Nouitiæ siue Monialis, quæ admissa est ad professionem. Hæc Conclusio exinde probatur, nam ex dilatione solutionis pecuniæ, aliquod lucrum siue interesse expostulare (vt prædictum est) nullatenus conuenit, nisi prædictis mercatoribus & negotiatoribus, idque cum multis conditionibus & limitationibus. Et Monasterijs monialium similē aliquem contractum facientibus, ob non solutam pecuniam, debito tempore alicuius dotis, pro prędicta ratione, non debet in considerationem venire, vt aliquid velint lucrari vltra sortem, cum ipsis & omnibus in vniuersum Religiosis, negotiari omni sit iure prohibitum. Non enim est Ecclesiæ mos & consuetudo, vsuras exigere, vnde etiam alij ipsas forsan licite possent, vt quam optime dixit Gregorius, in responsione ad Augustinum Anglorum Episcopum, cap. 4. de his, qui furtim aliquid auferunt de Ecclesia, & habetur *in cap. fraternitas*, 12. q. 2. Quæsitum fuit à prædicto Gregorio. Vtrum ea quæ furto de Ecclesijs fuerant sublata, latrones ipsi, cum aliquo augmento reddere deberent? Et respondit, quod non: *Absit* (inquit) *vt Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat.* Concludendo igitur dico, quod quanuis Abbatissæ prædictæ, cæteræque Monialium Præfectæ, ratione damni emergentis ex dilatata dotis solutione, possint de ipsius reparatione pacisci, vt si (verbi gratia) de facto, cum ipsa dote redimere haberent aliquem censum, super possessionibus suorum Monasteriorum impositum, aut si reuera cum eadem, emere vellent alium censum, &c. attamen ratione lucri cessantis, si ipsa dos statim erat consumēda, nullo modo aliquid possunt exigere, nam vel esset expressa vsura, aut saltim quammaxime redoleret eamdē. Quin vero & in priori casu, quam magna consideratione opus est, vt aliquid exigatur siue recipiatur, ratione damni emergentis vltra sortem, nam id fieri debet, ita vt quantitas quæ recipitur, ex dilatata dotis solutione, in aliquo non excedat damnum, quod ex eo Conuentui resultat de facto. Et enim si in aliquo excederet, vix aut nullatenus Abbatissæ prædictæ, cæteræque Monialium Præfectæ, ab vsuræ labe, nota & suspicione possent excusari. Quod vt non fiat, aduertere oportet. Primo vt fructus eiusmodi census, qui percipitur ex dilatata dotis solutione, non soluatur Conuentui, sed alij cui idem Cōuentus, similes fructus soluere tenebatur. Secundo vt huiusmodi census imponatur siue constituatur, super re aliqua immobili non soluentis dotem, vt cum eo correspondeat alteri, donec Monasterio supradicta dos integra reddatur, ac prædictus census tollatur. Quæ quidem si ad vnguem obseruentur, non inconueniens erit, quod non interueniat eiusdem pecuniæ numeratio, facta coram Notario, iuxta legis præscriptum, & nouam Constitutionem Pij V. nam prædicta conditio de numeranda pecunia, ad validitatem census, non ita est in vsu, saltim in nostris Hispaniarum partibus, vt non possit prætermitti, aut de facili renuntiari, vti fieri semper consueuit, in scriptis de facto. Sed tamē si prædictus census, super nulla re immobili constitueretur, esset quidem census personalis, sacris Canonibus condemnatus, nulloque modo licitus, quod aduertere oportet summopere.

QVAESTIO IX.

De Monialibus professis, quantum attinet ad earum professionem, & suas obligationes, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Moniales professæ, in particulari habere possint aliquid proprium, seu aliquos reditus annuos, pro suis necessitatibus.

CIrca Monialium professionem, tacitam siue expressam, & multa alia quæ ad hoc propositum spectant, & ad diuersum expresse profitendi modum, quā plurima in præsentiarum forent dicenda, nisi iam abunde, superque satis dicta fuissent, supra quæst. 24. & quæst. 25. per plures Articulos, vbi ni fallor reperire licebit omnia, quæ hic desiderari possunt. Et in sequentibus quæstionibus, 26. 27. & 28. per Ordinem etiam latissime egimus, de ijs quæ spectant ad obseruantiam voti obedientiæ, castitatis & paupertatis. Nam vt semel & iterū est dictum, quæ pro Religiosis virisiam professis ibidem dicuntur, ad prædictas Moniales professas, pari modo & ordine, mutatis mutandis, ac seruatis debitis circumstantijs, possunt & debent applicari. Sed tamen in præsentiarum, silentio præterire non libuit, difficultatem præsentis Articuli, quæ magis frequens & ordinaria est, apud Moniales, quam apud Religiosos viros: An scilicet Moniales professæ, in particulari habere possint

poſſint aliquod proprium, ſeu aliquos redditus annuos, pro ſuis particularibus neceſsitatibus? Quamuis enim ſupra, q. 28. art. 6. id ipſum de Religioſis viris profeſſis fuerit quæſitum, non tamen ab re in præſenti erit, quod ad prædictas Moniales pertinet, paucis dicere, quod fiet per Concluſiones ſequentes.

Prima Concluſio.

Summus Pōtifex diſpenſare non poteſt, in eo quod Religioſus aliquis, ſeu Religioſa ſolemniter profeſſa, proprium habeat in particulari.

NVllus Religioſus ſiue Religioſa, ſolemniter profeſſa, habere poteſt aliquid, quod in rigore vere ſit proprium in particulari, nec vt videtur ſuper hoc, poteſt ſummus Pontifex diſpenſare. Hæc Concluſio habetur expreſſa *in cap. non dicatis, 12. q. 1.* quod eſt D. Auguſt. Serm. 3. de communi vita Clericorum, & in epiſt. 109. ad Monachos, vbi inter alia ſequentia ponuntur verba. *Nō dicatis aliquid vos habere proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Super quæ verba, videatur Nauatro, comment. 2. de Regul. c. 1. num. 2. vbi latiſsime explicat, qualiter Regularis Monachus ſiue Monacha, ſolemniter profeſſus aut profeſſa, mortaliter peccet, habens ſeu habere volens, aliquid proprium in particulari, quod reuera & in rigore ſit, aut habeat rationem proprij. Videatur idem Nauarro, comment. 1. de Regul. ſuper *cap. cui portio 12. q. 1. à num. 12. tum ſequentibus*, vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima. Probatur præterea ſupradicta Concluſio, *ex cap. quo iure, d. 8.* quod eſt D. Auguſt. tract. 6. in Ioan. & *ex cap. ſicuti, 47. diſt.* quod eſt D. Ambroſ. Ad quod etiam propoſitum quā maxime facit, quod dixit D. Chryſoſt. ſuper Lucam, cap. 6. *à Deo* (inquit) *percepimus omnia, quod meum dicimus aut tuum, mendacij ſunt verba*, Sed adhuc expreſſius, probatur dicta Concluſio, *ex cap. cum ad monaſterium, §. vlt. de ſtatu monach.* vbi ad idem propoſitum, ſequentia ponuntur verba. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate, poſſit cum aliquo monacho diſpenſare, nam abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licētiā indulgere.* Videantur etiā hac de re, quæ latiſsime diximus ſupra q. 28. ar. 1. 2. & 3. Sed nunc nouiſsime, & adhuc ſtrictius, determinata eſt ſupradicta noſtra Concluſio, à Concilio Trident. Seſſi. 25. *de Reg. cap. 2.* vbi agendo de voto paupertatis integerrime ſeruando, ſequentia ponuntur verba: *Nemini Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuſcunq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus, poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur; nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem aut commendam, ſed adminiſtratio bonorum monaſteriorū, ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.* Hæc Concilij vbi ſupra. Per quæ verba, ſuperque ſatis probata remanet Concluſio ſupradicta.

Difficultas, an Moniales habere poſſint, aliquos cēſus ſiue redditus, proſuis particularib⁹ neceſſitatib⁹.

Sed maior difficultas eſt, an Moniales prædictæ de licentia ſuorum Superiorum, habere poſſint aliquos cenſus, ſiue redditus annuos, pro ſuis particularibus neceſſitatibus. Et quidem prima facie apparet quod ſic, nam per hoc non videntur ipſæ habere proprium, cum ex debita obedientia eos retineant, ſemper paratæ illos dimittere, ad libitum ſuorum Superiorum. Propter hanc rationem, & cauſam, hanc opinionem tenet Ioan. Andr. in mercurial. in Regul. *Non eſt obligatorum, de Regul. iuris, lib. 6.* Et Panorn. *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* & Decius *in cap. edoceri, num. 5. de reſcript.* quos latiſsime citat & refert Nauar. comment. 3. de Regul. ſuper *cap. nullā, 18. q. 2. à num. 25.* vſque ad 36. incluſiue. Qui omnes dicūt valere ſtatutum, ſaltim cum cauſa factum, vt Monaſterium det ſolummodo victum Monialibus, & pro veſtitu habeant, quæ labore manuum ſuarum lucrantur. Licitamque eſſe conſtitutionē vel conſuetudinem, qua Religioſis certum quid annuum, pro annuo veſtitu traditur, prout latiſsime tradit, & probat prædictus Nauarro, loco ſupra citato. Et ratio ipſa hoc ipſum ſuadere videtur, nam prædicti redditus annui, nihil ſunt aliud quam pecuniæ, & vſus rerum mobilium, qui quidem de licentia ſuorum Superiorum, Religioſis eſt licitus, vt dicetur ſtatim. Sed alij contrariam omnino tenentes ſententiam, dicunt nullatenus Monialibus prædictis eſſe licitum, habere redditus annuos, nam eiuſmodi redditus annui, à iure inter bona immobilia enumerantur, iuxta *Clement. 1. §. cumque annui redditus, de verb. ſignif.* & ibi Glo. *eod. verbo.* Vnde cum eiuſmodi bona immobilia & ſtabilia, Monialibus ipſis in particulari habere nō liceat, iuxta id quod in precedenti Concluſione eſt dictū, conſequēter inferunt, non licere etiam ſibi, habere huiuſmodi redditus annuos. Quod & confirmant, ex declaratione quadam ſacræ Congregationis Cardinalium, qua vt fertur dixerunt, Monialibus prædictus non licere vllo modo, habere aliquid proprium, ſed id quod eis legatum, relictum, donatum, datumue fuerit, vel etiam earum labore, vel induſtria partum, tradi debere Abbatiſſæ, quæ ex eo primū monialis ipſius cuius cauſa quęſitum eſt, neceſſitatibus prouidebit, reliquum autem conferri debeat ad vſum reliquarum Monialium Cōuentus. Hæc ſunt quæ pro vtraque huius difficultatis parte, à Doctoribus adducūtur. Quibus viſis atque perſpectis, vt propoſitæ difficultati ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Cum debitis circūſtantijs & moderationibus, nō omnino videtur illicitum, moniales habere poſſe, aliquos redditus annuos, vitalitios, Monaſterio incorporatos.

QVamuis Monialibus, ſicut neque Religioſis habere liceat, cenſus ſiue redditus annuos, eo modo quo aliquibus in partibus, vt dicitur habentur ab eiſdem, tamen cum debitis circunſtantijs & moderationibus, non omnino videtur illicitum, eaſdem quoſdam redditus vitalitios habere, quibus poſſint viuere, ſuccurrere & prouidere ſuis particularibus neceſſitatibus, pro victu & veſtitu, & alijs quæ ſibi à Monaſterijs non ſuppeditā tur. Hæc Concluſio quo ad primam partem ſatis videtur iuridica, ac iuri & rationi conſona, quia contra ius omnino eſt, vt Moniales habeant cenſus, redditusue annuos tamquam proprios, aut in earum proprio capite fundatos, vt aliquibus in partibus nonnullæ illos dicuntur habere, & quibus

bus etiam vtantur, abſque ſuarum Superiorum licentia, & nullo habito reſpectu ad votum ſtrictæ paupertatis, quo Religioſi cuncti tenentur, quod directe atque ex diametro, pugnat cum Religioſo ſtatu, habere inquam aliquid tamquam proprium. Quoad ſecundam vero partem: eſt etiam ſupradicta concluſio iuri ac rationi conſona, quia non eſſe crediderim, contra ius aut contra rationem, vt cum ſtatim dicendis circunſtantijs & moderationibus, ipſæ Moniales habeant, eiuſmodi reddituſ vitalitios, ad effectus prædictos, quia hæc non ſunt, nec vere & proprie dici poſſunt, propria earumdem bona: nam quamuis habeant, eorum ſimplicem vſum facti tamen quoad proprietatem & vſumfructum, bona ſunt propria Monaſterij, eidemque eſſe debent incorporata, quamuis deſignata & deputata ad certas pias cauſas, & ſpeciales particularium Monialium neceſſitates. Hæc Concluſio ſic explicata, in ſubſtantia eſt Nauarr. *in d. 3. Commentario, de Regul. ſuper cap. nullam num.* 25. vbi probat, vt diximus, non eſſe damnabilem neq; intolerabilem, quarumdam Eccleſiarum vſum, & Monaſteriorum Canonicorum Regularium, ſiue Monachorum, in quibus certa portio panis & vini, & reliquorum neceſſariorum pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro veſtitu, inter eorundem perſonas diſtribuitur, cum certis quibuſdam appoſitis circunſtantijs, conditionibus & limitationibus. Nam quamuis ibidem pro alia in contrariumparte, nonnulla proponat argumenta, quibus ſatis efficaciter, probari videbatur contrarium, tandem pro parte affirmatiua multo plura proponit, de mente Ioannis Andreæ, Panorm. & Decij, aliorumque multorum Iuriſconſultorum, adhæretque huic ſententiæ & opinioni, & adductis rationibus in contrarium, quam doctiſsime reſpondet. De cuius reſolutione dico, quod circunſtantiæ & conditiones ſiue limitationes, in hiſce rebus à Monialibus prædictis neceſſario ſeruandæ, vt cum tuta & ſecura conſcientia, prædictos cenſus ſiue redditus annuos aut potius vitalitios, habere & retinere poſſint, ſunt eæ quæ ſequuntur. Prima, vt non illos habeant quoad dominium, tamquam ſuos proprios, cum illorum omnino ſint incapaces, ſed ſolummodo, quoad ſimplicem vſum facti, ſibi conuementem & decentem, pro ſubuenendis ſuis particularibus neceſſitatibus. Secunda, vt non male vtantur ipſis, expendendo illos in aliquos malos vſus, vanos ſiue profanos. Tertia, vt habeant eos, ex expreſſa aut ſaltem tacita ſuarum Superiorum licentia & voluntate. Quarta, vt id fiat ex aliqua iuſta & legitima cauſa. Et tandem quinta & vltima, quæ & propius accedit ad determinationem Concilij Tridentini, & ad ea quę decreta & ſtabilita ſunt, per ſacrę Cõgregationis Cardinales, vt adminiſtratio & poſſeſſio, pecuniarum & cenſuum prædictorum, ſeu redditiuum annuorũ, non penes ipſas habeatur, ſed penes illam Religioſam, quæ in ipſarũ Monaſterijs communiter *burſaria, ſeu depoſitaria* nuncupatur, à Superiore deſignata, cui poſt Superiorem huc Prælatam, ſuas neceſſitates repræſentent, & cauſam ad quam exigitur ſiue demandatur pecunia. Quæ ſi rectè ac debite fiant, coniungentur quidem ſimul duo, quę alias prima facie videbantur contraria & pugnantia, nempe quod ipſæ Moniales ab omni prorſus excuſabuntur proprietatis labe & peccato, & habebunt, vnde commode ſuis ſubuenire & ſuccurrere poſſint neceſſitatibus, pro ſuo victu atque veſtitu, & alijs quæ communiter à Conuentibus non ſibi ſuppeditantur. Videantur circa hunc Articulum quæ latiſſime dicit Corduba, in ſua Summa, caſuum conſcientiæ, q. 54. vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Videantur etiam quæ circa idem, nos diximus ſupra q. 28. art. 6. & 7. latiſſime.

Nota quod dicit Nauar. circa eiuſmodi redditus vitalitios Monialium.

Nota conditiones & limitationes ſeruandas ad hoc vt Moniales pro ſuis neceſſitatibus, aliquos reddituſ annuos habere poſſint.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat Monialibus habere peculium, ſeu omnium rerum vſum, vt illud expendeant in quos voluerint vſus?

CIrca hunc Articulum, videantur quæ dicta ſunt ſupra in d. quæſt. 28. art. 8. & 9. vbi explicatũ fuit latiſſime, quid nam ſit peculium & quotuplex, & in quibus caſibus, de licentia Prælati & Superioris, licitum ſit Religioſis habere peculium: Qualiter etiam ſubditis, fieri non poſſit facultas à Prælatis, vt illud expendant in quos voluerint vſus, ſed ſolummodo in licitos & honeſtos. Quibus præmiſſis atque ſuppoſitis, propoſito Articulo, reſpondetur breuiter, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

QVamuis de licentia ſuorum Prælatorum & cũ debita moderatione, licitum ſit Monialibus habere aliquod peculium, non tamen etiam de eorumdem licentia, poſſunt illud expendere in quos voluerint vſus. Hæc Concluſio ſatis conſtat, ex ijs quæ dicta ſunt ſupra locis citatis, quæ in præſentiarum non libet repetere, nec enim id viſum fuit expedire. Sed nunc nouiſſime probatur, ex ijs quæ ad hoc propoſitum habentur, in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 25. de Reg. cap. 2.* vbi poſtquam Regularibus omnibus, tam viris quam mulieribus, interdictum fuit bona immobilia vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel tenere, ac præceptum vt ea ſtatim Superioribus tradantur, Conuentibuſque incorporentur, & quod deinceps non liceat Superioribus, bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendã, ſed quod adminiſtratio omnium bonorum, Monaſteriorũ ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorumdem pertineat, ad nutum Superiorũ amouibiles, deueniendo tamen ad rerum vſum, ſequentia ponuntur verba: *Mobilium vero vſum, ſibi ſubditis ita Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis quam profeſſi ſunt conueniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſariũ eis denegetur.* Verba ſunt expreſſa prædicti Concilij. Et additur. *Quod ſi quis aliter,*

Quamuis Moniales de licẽtia ſuorũ prælatorum, habere poſſint peculium, non tamen illud poſſunt expẽdere, in quos voluerint vſus.

aliter, quidquam tenere deprehenſus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua & paſſiua voce priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuæ Regulæ & Ordinis conſtitutiones puniatur. Videatur hac de re latiſſime, Corduba in ſumma, quæſt. 54. vbi de eiuſmodi Religioſorum peculio, & ijs quæ ad ipſum ſpectant, meo quidem iudicio, dicit omnia quæ deſiderari poſſunt. Quod & fa cit etiam ſupradictus Nauar. in comment. 1. de Reg. *ſuper cap. cui portio*, 12. *quæſt.* 1. *à num.* 12. *cum ſeqq.* latiſſime, vbi multis oſtendit, qualiter peculium habere, nullatenus ſit habere proprium, nec contra votum paupertatis, cum id fiat, ſierique debeat ſemper, ex debita Prælatorum licentia, & cum ſua benedictione & obedientia, ita vt ſemper parati ſint Religioſi, vel Religioſæ quæ illud habent, ad libitum ſuorũ Superiorũ, illud dimittere, nec illud poſſint expendere, niſi in rebus licitis & honeſtis, ſuoque ſtatui neceſſarijs, & cum eorumdem licentia, tacita ſiue expreſſa. Circa obſeruantiam voti paupertatis, & ea quæ Monialeſ prę dictæ, penes hoc poſſunt facere, vel non facere, & circa donationes, vẽditiones, permutationes, alia que huiuſmodi, multa forent dicenda, ſed conſulto prætermittuntur, quia in quæſtione 28. per plures Articulos ſunt dicta. Hæc pro nunc breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm licitum ſit, omnibus in vniuerſum Monialibus S. Claræ, tam primæ quam ſecundæ Regulæ, proprium habere, bonaque immobilia poßidere & cenſus ac reddıtus annuos in communi?

HE Monaſterijs omnium aliarum Monialium, quarumcumque Religionum, non fuit neceſſe eiuſmodi difficultatem proponere, nam abunde ſuperque ſatis conſtat, id ſibi eſſe licitum, cũ ex vi voti paupertatis, & ſuarum Regularum profeſſione, ipſæ nec vero alij Religioſi, præter noſtri ſacri Ordinis D. Franciſci Fratres, conſtringantur ad ſeruandam paupertatem in communi, ſed tantummodo in particulari. Nec vero ipſos ſeu ipſas, habere prædicta bona immobilia, ſiue ſtabilia in communi, vllo modo diminuit à ratione ſeu ſtatu perfectionis, vt cum D. Thoma, ſecunda ſecundæ, quæſt. 188. art. 7. quam latiſſime diximus ſupra, quæſtione 11. art. 2. Sed de Monialibus S. Claræ præſertim primæ Regulæ, ſpecialis eſt difficultas, peculiariſque ratio dubitandi. Vtque hoc planius fiat, adnotare oportet, quod Beatiſsimus P. N. Franciſcus, in ea Regula, quã pro Monialibus S. Claræ cõſtruxit, quæ dicitur prima Regula, quam etiam Gregorius IX. viuæ vocis oraculo, poſtmodum vero Innocentius IIII. ſcripto confirmauit, ſatis clare oſtendit, ſuæ ſemper fuiſſe mentis, intentionis & voluntatis, Moniales prædictas, ad ſeruandam ſtrictam paupertatem, ad modum Fratrum Minorum, non ſolum in particulari, verumetiam in communi teneri & obligari. Quod ſatis colligitur, ex ipſa Regula, cuius ſunt quæ ſequuntur ſequentia verba. Dicitur in titulo, cap. 6. *Qualiter Sorores, non recipiant poſſeſſionem aliquam, vel proprietatẽ per ſe, vel per interpoſitã perſonam*, in textu autẽ dicitur in perſona ea tę Claræ. *Poſtquam altiſſimus Pater cæleſtis ſe gratiam ſuam, cor meum dignatus eſt illuſtrare, vt exemplo & doctrina Beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, pœnitentiam facerem, paulo poſt conuerſionem ipſius, vna cum ſororibus meis, obedientiam ſibi voluntarie promiſi, & attendens beatus pauper, quod nullam pauperiatem, laborem, tribulationem, & contemptum ſeculi timeremus, imo pro magnis delicijs haberemus, pietate motus ſcripſit nobis formã viuendi in hunc mundum. Quia Domini inſpiratione feciſtis vos filias & ancillas, Altiſſimi ſummi Regis Patris cæleſtis, & Spiritui ſancto vos deputaſtis, viuere ſecundum perfectionem ſancti Euangelij, volo & promitto, per me & Fratres meos, ſemper habere de vobis, tamquam de ipſis caram diligentem, & ſolicitudinem ſpiritualem. Quod dum vixit diligenter impleuit, & à Fratribus voluit ſemper impleri. Et vt nuſquam declinaremus à ſanctiſsimæ paupertate quam cæpimus, nec etiam quæ poſt venerint lateret, paulo ante obitum ſuum, iterum ſcripſit nobis vltimam voluntatem ſuam, dicens: Ego Frater Franciſcus paruulus, volo ſequi vitam & paupertatem altiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius Sanctiſsimæ Matris, & perſeuerare in ea vſq; in finem. Et rogo vos omnes dominas meas, & conſilium do vobis, vt in ipſa ſanctiſsima vita, & paupertate ſemper viuatis, & cuſtodite vos multum, ne doctrina vel conſilio alicuius, ab ipſa in perpetuum vllatenus recedatis. Et ſicut ſemper ſolicita fui, vna cum ſororibus meis, ſanctam paupertatem, quam Domino Deo & Beato Franciſco promiſimus cuſtodire, ſic teneantur Abbatiſſæ, quæ in officio mihi ſuccedent, & omnes Sorores vſque in finem inuiolabiliter obſeruare, videlicet in non recipiendo, ſeu habendo poſſeſſionem vel proprietatem, per ſe nec per interpoſitam perſonam, ſeu etiam aliquid quod rationabiliter proprietas dici poteſt, niſi quãtum terræ pro honeſtate, & renouatione Monaſterij neceſſitas requirit, & illa terra non laboretur, niſi pro horto ad neceſſitatem ipſarum.* Hæc in d. cap. 6. & in ſubſequenti cap. 8. ſequentia etiam ponuntur verba. *Sorores nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrinæ & aduenæ in hoc ſeculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, mittant pro elemoſyna confidenter, nec oportet eas verecundari, quia Dominus ſe fecit pro nobis pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimas Sorores meas, hæredes & Reginas Regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimabit. Hæc ſit portio veſtra quæ perduxit in terram viuentium. Cui dilectiſſimæ Sorores, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in perpetuum ſub cælo habere velitis.* Hæc vbi ſupra. Ex quibus verbis, ſuperque ſatis conſtat, Beatiſsimi Patris noſtri Franciſci & Beatæ Claræ, ſemper mentem & intentionem, atq; voluntatem fuiſſe, vt ſui Ordinis Moniales, propriũ bonaque immobilia & ſtabilia nullatenus haberent, nec aliquos cenſus, reddituſue annuos, etiam in communi. Et hæc ſunt quæ faciunt pro hac parte. Nam quamuis, vt refertur in noſtri Ordinis Monumentis, Innocentius IIII. poſtea, ſuper dicto voto, ſtrictæ & omnimodæ paupertatis, cum prædictis Monialibus diſpenſauerit, anno Domini 1248.

Claræ ſemper fuit, vt illius moniales, proprium non haberent, neque inparticulari neque in communi.

Mens & intentio B. P. noſtri Franciſci, & S.

1248. Pontificatus ſui anno 5. & ad inſtantiam quarumdam Abbatiſſarum eiuſdem Ordinis, ſecundam eiſdem Monialibus Regulam tradiderit, de qua ibidem fit mentio, motus tamen poſtmodum, importunis precibus eiuſdem Beatæ Clarę, aliarumque Monialium magis ſpiritualium, & quæ quammaximum habebant zelum, obſeruantiæ ſtrictiſsimæ paupertatis, eamdem reuocauit, primamque ſupradictam ſtricte ſeruari præcepit, vt conſtat ex quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Recto aſſumpto tramite*, data 18. die Aprilis, Anno Domini 1253. quod & pluries etiam fecit, ad inſtantiã eiuſdem Beatæ Claræ, vt dicitur in eiſdem Monumẽtis. Non enim generoſus, ac feruidus ipſius animus ſatis quietari poterat, & timebat valde quod ſuper habenda proprietate, à Summis Pontificibus, poſt ipſius mortem, facultates & diſpenſationes impetrarentur. Et quidem facto euenit, quod ipſa quam maxime formidabat, in quem etiam finem, ab eodem Innocentio IIII. obnixe dum viueret expoſtulauit, vt ſibi priuilegium ſtrictæ & omnimodæ paupertatis concedere dignaretur. Quod & ipſe ſuis motus precibus libenter fecit, vt refertur in ſupradictis Monumentis. Hæc ſunt quæ faciunt pro hac parte.

Vrbanus IIII conceſsit, vt omnes Moniales S. Claræ, propriã in cõmuni, redditusq; annuos poſsint habere.

Sed pro alia in contrarium, facit quod poſtea Vrbanus IIII. vt in eiſdem refertur Monumentis, primæ impreſſionis, fol. 279. lib. 3. & ſecundæ, fol. 268. tit. 2. pro prædictis Monialibus S. Claræ, quamdam aliam conſtituit Regulam, qua ſibi facultatem fecit, habendi bona immobilia & ſtabilia, cenſusq; & redditus annuos in communi, vt ſatis colligitur ex eiuſdem cap. 21. quod eſt de procuratore Monaſterij & eius officio, vbi ad hoc propoſitum ſequentia ponuntur verba. *Pro poſſeſſionibus & redditibus Monaſterij, debito modo pertractandis, procurator vnus prudens pariter & fidelis, in ſingulis Monaſterijs veſtri Ordinis habeatur, qui per Abbatiſſam & Conuentum conſtitui & amoueri debeat, ſicut videbitur expedire. Hic vero taliter inſtitutus, de omnibus ſibi commiſsis, receptis pariter & expenſis, Abbatiſſæ & tribus Sororibus, ad hoc per Conuentum ſpecialiter aſſignatis, & Viſitatori cum voluerit, rationem reddere teneatur, & nihil omnino de rebus Monaſterij vendere, cõmutare, obligare vel alienare quoquomodo valeat, niſi de licentia Abbatiſſæ pariter & Conuentus, & quidquid circa hoc attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Poſſit tamen de mobilibus parum valentibus, aliqua parua ex cauſa licita, de Abbatiſſæ licentia interdum alijs elargiri, poſsit etiam per Viſitatorem, cum expedire videbitur amoueri.* Hæc vbi ſupra. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod Moniales S. Claræ prædictæ, præſupponuntur habere poſſeſſiones, & redditus annuos in communi, ad quorum adminiſtrationem procurator prædictus conſtituitur. Et facta fuit prædicta regula, pro omnibus in vniuerſum Monialibus dicti Ordinis, vt ex ipſius prologo ſiue proœmio ſatis colligitur, vbi ſequentia verba habentur. *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus vniuerſis, Abbatiſsis & Sororibus inclauſis Ordinis S. Claræ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Et poſt alia quibus dictam Beatam Claram, ipſiusque Ordinem miris encomijs, ac laudibus extollit, ſubdit: *In hoc autem Ordine, vos & alias ipſam profitentes, ſub nominationum varietate interdum Sorores, quandoque Dominas, plerumque Moniales, nonnunquam Pauperes incluſas, Ordinis S. Damiani, contigit hactenus nominari. Vobisque ſub horum & aliorum diuerſitate nominum, diuerſa priuilegia, indulgentiæ, ac litteræ à Sede Apoſtolica ſunt conceſſæ, & tam à felicis recordationis Gregorio IX. Papa prædeceſſore noſtro, tunc Hoſtienſe Epiſcopo, & veſtri Ordinis curam gerente, quam alijs, variæ data ſunt Regulæ, & formæ viuendi, quarum obſeruantijs, ſe veſtrum aliqua ſolemniter obligauere. Propter quod dilectæ in Domino filiæ, fuit nobis humiliter ſupplicatum, vtcumque veſtrum Ordinem curaremus certi nominis titulo inſignire, vosque ab huiuſmodi obſeruantiarum diuerſitatibus & votis, ſuper eis emiſsis miſericorditer abſoluentes, certam vobis viuendi formam, ad tollendum omnem de veſtris conſcientijs ſcrupulum largiremur. Nos itaque decens arbitrantes & congruum, vt idem Ordo veſter, qui vt præmittitur, in beata Clara felicia ſuæ inſtitutionis ſumpſit auſpicia, cuiuſque (vt firmiter credimus) apud Deum meritis & interceſsione protegitur, & apud homines laudibus attollitur, & fauoribus ampliatur, eius inſigniatur & nomine, ipſum de Fratrum noſtrorum conſilio, de cætero decreuimus Ordinem S. Claræ vniformiter nominandum. Statuentes, quod immunitates, libertates, priuilegia, indulgentiæ, ac litteræ quæcumque, vobis ſeu eidem Ordini, à præfata Sede ſub quacumque nominatione conceſſa, id robur obtineant firmitatis, & ita per omnia ipſis vti poſsitis, ac ſi de principio ſub huius nominis titulo, ſub hac nominatione fuiſſent. Vt autem bene & iocunde habitetis in vnum, nec ſuo prædictarum obſeruantiarum differentia, ac modo viuendi videamini differentes, ſed ambuletis in domo Domini cum conſenſu. Nos igitur, inſpectis omnibus regulis prædictis & formis, ac ſpecialiter illa, quam præfatus prædeceſſor, tunc Hoſtienſis Epiſcopus, vobis dediſſe cognoſcitur, diligentius attendentes, Regulam ſiue formam viuendi præſentibus annotatam, vobis & ijs qui vobis ſucceſſerint, de eorundem Fratrum conſilio, præſentium tenore concedimus, & item confirmamus, in ſingulis Monaſterijs veſtri Ordinis perpetuis temporibus obſeruandam, illas ex vobis qui ipſam Regulam ſiue formam per nos vobis conceſſam, & confirmatam profeſſæ fuerint, ab omnibus alijs Regulis, formis, & votis præmiſsis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluentes. Quæ regula talis eſt.* Et ſtatim ſequitur Regula. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod prædicta Regula Vrbani IIII. facta eſt, pro omnibus in vniuerſum Monialibus S. Claræ, quæ ipſam profiteri voluiſſent, vbicumque eſſent & quocumque nomine nuncuparentur. Et quod iuxta ipſam Moniales prædictæ habere poſſunt proprium, & bona immobilia & ſtabilia, cenſusque & redditus annuos in communi. Sed non propterea ſupradictus Pontifex, facultatem abſtulit abalijs quæ ſupradictam primam Regulam Beatę Claræ, ad vnguem obſeruare voluiſſent, vt nõ id opere complere valerent, vt ſatis colligitur, ex illis verbis poſitis in fine. *Illas ex vobis quæ ipſam Regulam, ſiue formam per nos vobis conceſſam & confirmatam profeſſæ fuerint.* Quapropter in Italiæ & Hiſpaniarum partibus, ſemper fuere aliqua Monaſteria S. Claræ, auctoritate Apoſtolica fundata, in quibus magis ſtricte, ac regulariter viueretur, maxime quoad obſeruantiam ſtrictæ paupertatis, & prædicta ipſius prima Regula ad litteram obſeruaretur, non habendo aliquid

Nota quod Vrbanus IIII. non facultatẽ abſtulit, profitendi primam Regulam B. Claræ, ijs quæ eam profiteri voluiſſent.

proprium, neque in particulari neque in communi, neque poſſeſsiones ſiue redditus annuos, ſed Moniales mendicando ex quotidianis eleemoſynis viuerent & ſuſtentarentur. De quarum inſtituto, quamuis quam maxime laudabile ſit, ac Deo & hominibus multum acceptum & gratum, diſputationis tamen gratia, & ad aſſecurandas quarundam Monialium timoratas conſcientias (licet ea de re ſpecialem librum ediderim, ac typis mandauerim, quo totam prædictarum Monialium Regulam explicaui) libuit in præſentiarum quærere; An ipſæ etiam abſque peccato, & abſq; vllo conſcientiæ ſcrupulo, habere poſſint proprium, & bona immobilia & ſtabilia, cenſusque & redditus annuos in communi? Cui difficultati breuiter & reſolutiue, reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Omnes moniales S. Claræ, tã primæ quã ſecundæ Regulæ, habere poſſũt (ſi volũt) proprium & redditus annuos in communi, nunc poſt Concil. Trident.

NOn ſolum Moniales S. Claræ, quæ dicuntur ſecundæ Regulæ, verumetiam & illæ, quæ primam profitentur, nunc poſt Concilium Tridentinum (ſi volunt) habere poſſunt proprium, redditus que annuos, in communi abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo. Hæc Concluſio, non aliter poteſt probari, quam afferendo circa hoc, prædicti Concilij decretum, *exſeſſ. 25 de Regul. cap. 3.* vbi ſequentia verba habentur. *Concedit ſancta Synodus omnibus Monaſterijs & domibus, tam virorum quam mulierum, & Mendicantium (exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, Cappucinorum, & eorum qui Minores de Obſeruantia vocantur) etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quod ſi aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit.* Hæc Concilium vbi ſupra. Ex quibus verbis ſatis conſtat, id quod in Concluſione eſt dictum, nempe prędictas Moniales S. Claræ primæ Regulæ (ſi velint) non obſtante ſua Regula, & ſuis Conſtitutionibus, poſſe nunc poſt Conc. Trid. bona immobilia poſſidere. Neque dictis obſtat, quod in dicto Concilio, non fit mentio primæ Regulæ S. Claræ, ſed conſtitutionum dumtaxat, & vt quibuſdam placet dici debuerat, vt idipſum eſſet licitum, ijs quibus alias ex ſua Regula, & Conſtitutionibus erat prohibitum, vt habetur in c. 22. eiuſdem ſeſſionis, nã dico, quod pro eodem ſumitur ibidem, vt liceret eis, quibus in ſuis Conſtitutionibus erat prohibitum, ac ſi diceretur, ex Regula & ex Conſtitutionibus. Quinuero ex prædallegato cap. 22. idipſum ſatis colligitur, nam cum apponatur in fine omnium quæ pro Regularibus determinata fuerant, in omnibus præcedentibus capitulis, dicaturque ibidem, vt omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta, obſeruentur in omnibus Cœnobijs, Monaſterijs, Collegijs, ac domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, nec non quarumcumque ſanctimonialium, ſub quacumque Regula & Conſtitutionibus viuant, liquidum profecto fit, quod prædictæ Moniales S. Claræ primæ Regulæ, ſub illo etiam decreto comprehenduntur, & quod non obſtante ſua Regula & Conſtitutionibus, habere poſſunt proprium & bona immobilia, cenſus & redditus annuos in communi. Quod & ſpecialiter confirmatur, ex alijs verbis, poſitis in d. cap. 2. eiuſdem ſeſſ. 25. vbi ſic habetur. *Si qui vero Regulares, tam viri quam mulieres ſunt, qui ſub arctiori regula vel ſtatutis viuunt (exceptа facultate habendi bona ſtabilia in communi) eos ab eorum inſtituto & obſeruantia ſancta Synodus amoueri non intendit.* Vbi notanda ſunt illa verba, interpoſita ſeu adiecta per modum parenteſis (*exceptа facultate habendi bona ſtabilia in cõmuni*) quibus ſatis aperte datur intelligi, quod quantũ ad hoc ſancta Synodus, nullos Regulares tam viros quam mulieres exceptos eſſe voluit, præter Fratres Capuccinos, & Minores qui dicuntur de Obſeruantia, & certum eſt, iuxta communem iuris regulam, quod illa Exceptio, firmat regulam in contrarium. Quod quidem ſtatuiſſe & determinaſſe Conc. Trident. prædictum, de dictis Monialibus primæ regulæ S. Claræ, quammaxime fuit rationi conſonũ, & vt ſibi permitteretur habere proprium, poſſeſſiones & redditus annuos in communi. Vt enim fertur, maxime in partibus Italię, prædictarum Monialiũ Monaſteria, adeo nimia erant paupertate & egeſtate oppreſſa, propter noſtrorũ temporum miſeriam, vt ne dicam inclementiam, quod nullomodo ſe ſuſtentare poterant, & præ continua ſolicitudine, ſuæ neceſſariæ ſuſtentationis, orationis & contemplationis otio, ſalutarique exercitio, vti par erat, haud quaquam vacare valebant. Vnde ſatis conſulte, multumque rationabiliter ſtatutum eſt per Conc. Trid. vt cæteris in ſuo robore permanentibus, ſuæ ſtrictæ atque rigoroſæ regulæ, etiam ipſæ bona ſtabilia in communi, ſi velint poſſent habere. Neque enim vllo modo abre factum, ſeu reprehenſibile dijudicari debet, ſi iuxta temporis varietatem, ſtatuta quoque varientur humana, vt ad ſimile propoſitum dixit olim Bonifacius VIII. *in cap. alma mater, de ſent. excom. lib. 6* & ante ipſum Innocentius III. *in cap. non debet, de cõſang. & affinit.* tunc præſertim quando vrgens neceſsitas, vel euidens vtilitas illud expoſcit, ſiquidem vt ibidem dicitur, & ipſe Deus ex ijs quæ in veteri & priori teſtamento ſtatuerat, nonnulla etiam immutauit in nouo. Quamuis etiam paupertas Euangelica, & ſtricta omnimodaque mendicitas, tantopere æſtimanda ſit, tales tamen circunſtantiæ pro loco & tempore, ac perſonarum conditione & qualitate, poſſunt euenire & occurrere, vt decentius & conuenientius multo dijudicandum ſit, ſine tanta ſolicitudine proprium habere in communi victuique neceſſaria, vt Moniales orationis & contemplationis otio, alijsque ſpiritualibus exercitijs facilius poſſint incumbere, quam illa non habere. His nihilominus non obſtantibus, ſi quæ fuerint Moniales S. Claræ primę regulæ, quæ noluerint vti ſupradicto priuilegio, facto per Concilium Trident. non illis vitio vertendum eſt, quinuero agendæ Deo gratiæ, & ipſæ pro eo quammaxime ſunt laudandæ, quod ab arctiori Regula, antiquiſque ſuis ſtatutis, ſtrictiorique obſeruantia, dimoueri renuunt, dum tamen ab alijs, quæ maioris ſunt perfectionis, non propterea retrahantur.

Quod multum eſt curandum.

ARTI.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Moniales S. Claræ primæ Regulæ, teneantur ſub mortali ad obſeruantiam omnium eorum, quæ in ipſa continentur?

Nota quod prima Regula S. Claræ, iuxta expoſitionẽ P. fratris Guillelmi de Caſal, centum & tria continebat præcepta.

POſtquam hæc ſcripſeram, ante quã ea typis mandarem (vt iam dixi) integrũ confeci librum, de expoſitione & explicatione, tam primæ quam ſecundæ Regulæ S. Claræ, cæterarũque Monialium, qui & primo eſt typis cuſus. At cũ hic fiat ad inſtructionem Prælatorum omnium, haudquaquam incongruum putaui, eoſdem ſcire ac plane perſpectũ habere, quo earum pertingant obligationes, & pro ſuis Confeſſoribus ſiue Vicarijs, id omni dubio procul, vtile eſt quam maxime expedire. Vnde pro huius Articuli intelligentia, ſeu potius pro ratione dubitandi, adnotare oportet, quod vt conſtat ex noſtris Monumentis, quidam olim noſtri ſacri Ordinis Minorum Generalis Miniſter, nomine Frater Guillelmus de Caſal, dictarum Monialium S. Claræ primæ Regulæ, auctoritate Apoſtolica Commiſſarius generalis, ad earum dem inſtantiam, per manum vt dicitur, ſiue miniſterium, Beati Patris Ioannis de Capiſtrano, qui tunc temporis officium ſui Secretarij, Conſultoris ſiue Conſiliarij gerebat, anno Domini 1434. quaſdam fecit conſtitutiones ſiue declarationes, dictæ primæ Regulæ, quę & approbatæ atq; confirmatæ fuerunt poſtmodum, per Eugenium IIII. aliosque ſummos Pontifices, & habentur in dictis Monumentis in quibus, vt dicitur, continebantur centum & tria Regularia præcepta neque minus (res horrenda ſatis) in quorum tranſgreſſione, Moniales profeſſæ dictæ primæ Regulæ, mortale peccatum incurrebant. Quod cum prædicto Eugenio IIII. renunciatum fuiſſet, idque durum nimis & ſcrupuloſum ſibi videretur & merito, auctoritate Apoſtolica dictas conſtitutiones ſiue declarationes primæ Regulæ renocauit, ac præcepit, quod in nullius prædictorum tranſgreſſione, præter quam eorum quatuor quæ concernunt principalia vota, obedientiæ ſcilicet, paupertatis & caſtitatis, & clauſuræ, & ſuper electione Abbatiſſæ & depoſitione eiuſdem, peccatum mortale incurrerẽt Moniales ſupradictæ. Iuxta cuius decretum, & in perpetuum cunctis futuris ſeculis, valituram conſtitutionem, ſequentem ſtatuo Cõcluſionem.

Concluſio.

Moniales S. Claræ primæ Regulæ, in nullius tranſgreſſione, eorũ quæ continentur in ipſa, peccatum mortale incurrunt, niſi in ijs, quæ ſpectant ad principalia vota, & ad electionẽ ac depoſitionẽ Abbatiſſæ.

MOniales S. Claræ primæ Regulæ, in nullius rei tranſgreſſione, earũ quæ continentur in ſua Regula, præter quam in ijs quæ concernunt quatuor principalia vota, obedientiæ ſcilicet, paupertatis & caſtitatis & clauſuræ, & ſuper electione & depoſitione Abbatiſſę, peccatum mortale incurrunt. Hæc Concluſio, non aliter poteſt aut debet probari, quam afferendo prædictum Eugenij IIII. decretum, quod habetur in Monumentis noſtri Ord. impreſſi. fol. 46. & 2. fol. 42. conceſſ. 47. & refertur in Compendio, *verbo, Moniales*, §. 2. *cum ſeqq.* incipit autem prædicta Eugenij IIII. Bulla, *Ordinis tui*, fuitque directa P. Fratri Iacobo de Primadinis de Bononia, Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, tunc temporis electo Vicario generali, vbi poſt alia, quibus auctoritate Apoſtolica, dictarum Monialium gubernationem eidem, ſuisque ſucceſſoribus committit, & nonnulla ad idem ſpectantia ſtatuit, in ſequentia verba prorumpit: *Inſuper cum dilectus filius Frater Ioannes de Capiſtrano, tuus in Vicariatus officio prædeceſſor, declarauerit quod in Regula prima Beatæ Claræ, continẽtur centum & tria præcepta regularia, in quorum tranſgreſsione Moniales, ſiue Sorores profeſſæ, peccatum mortale incurrant, idque nimis durum & ſcrupuloſum iudecemus, auctoritate & tenore præſentium, declaramus & volumus, quod in nullius prædictorum tranſgreſsione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ ſcilicet paupertatis & caſtitatis & clauſuræ, & ſuper electione Abbatiſſæ, & depoſitione eiuſdem, peccatum mortale incurrant. Præterea cum in Regula prædicta Beatæ Claræ, iubeatur ieiunium perpetuum, quod nimis rigoroſum tenemus, placet & volumus, quod ſupradictæ & aliæ Tertiæ, & aliorum Ordinum Sorores, ſolummodo teneantur ad illa ieiunia, ad quæ vos Fratres Ordinis Minorum regulam obſeruantes obligati eſtis, & eoſdem modos ſeruent in cibis Quadrageſimali tempore, exceptis debilibus & infirmis. In alijs vero ieiunijs, vt ſunt quatuor tempora, vigiliæ Apoſtolorum, & ſimilium, ſeruetur conſuetudo regionis, ſecundum quam liceat eis etiam oua & lacticinia comedere. Cum etiam in Monaſterijs, Sorores ſiue Monachæ, incedant nudis pedibus diſcalceatæ (quod nimis rigoroſum exiſtimamus) placet & volumus, quod Sorores ſiue Monachæ poſsint deferre illa, quæ nomine calciamentorum nõ cenſentur, vt puta cuquos ligneos, & ſandalia, atque etiam cum opportunum fuerit calceamenta. Item cum in aliquibus Monaſterijs, locis & Congregationibus, iniungatur ſilentium perpetuum (quod quidem nimis rigoroſum exiſtit) tibi tuisque in officio ſucceſſoribus & Prouinciarum vobis ſubiectarum Vicarijs, cum Diſcretorum conſilio, diſpenſandi tam in cibis, quam in quibuſcumque alijs perpetuis, quam in ſilentio ſupradicto concedimus facultatem. Item cum quædam prædictarum Monaſteria & loca, in mendicitate viuant, placet & diſpenſamus, quod in ferculo ſiue cibis, ſagina & lardo vti poſsint. Conſtitutionibus Apoſtolicis & priuilegijs, immunitatibus & gratijs, ac indultis omnibus & ſingulis, ſupradictis Monaſterijs & locis, ac eorum Capellanis per Sedem Apoſtolicam, & aliter quomodocumque conceſsis, aliisque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ ſubiectionis, decreti, intentionis, placiti, exiſtimationis, conceſsionis, declarationis, voluntatis & diſpenſationis infringere, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1446. Nonis Februarij, Pontificatus noſtri anno decimo ſexto.* Ex ſupradicta Bulla ſatis conſtat, id quod in Concluſione eſt dictum, quod cum nulla præterea indigeat probatione ſiue explicatione, finem facio propoſito Articulo.

(*)

ARTICVLVS V.

Vtrùm Moniales S. Claræ, ſecundæ Regulæ, ſub mortali etiã teneãtur, ad omnia quæ continentur in ipſa?

Concluſio.

Moniales ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ ex præcepto, non tenentur niſi tãtum ad quatuor principalia vota.

MOniales etiam S. Claræ ſecundæ Regulæ, ex præcepto, ac ſub pœna peccati mortalis, nõ tenentur niſi tantum ad quatuor principalia vota, obedientiæ, caſtitatis, paupertatis & clauſurę, & ad illud quod in ſua Regula apponitur ſuper electione ac depoſitione Abbatiſſæ. Hæc etiam Concluſio conſtat ex diſpenſatione, & conceſſione ſupradicti Eugenij IIII. facta prædictis Monialibus S. Claræ ſecundæ regulæ, cuius ſit mentio in Monumentis noſtri Ordinis, ſecundæ impreſſionis, fol. 261. conceſſion. 674. & refertur in Compend. *ver. Moniales, §. 9.* vbi dicitur, *quod ſupra dictus Eugenius IIII. conceſsit viuæ vocis oraculo, inſtãte Fratre Angelo de Vulſina, quod diſpenſatio facta per ipſum, ſuper primam regulam ſanctæ Claræ, videlicet, quod non teneantur niſi ad quatuor vota, & ſuper electione & depoſitione Abbatiſſæ, prout in Bulla dicti Eugenij, incipiente, Ordinis tui continetur, extenderetur etiã ad Minoriſſas, ideſt Moniales ſecundæ regulæ ſanctæ Claræ, ſcilicet, quod non tencantur, niſi ad ſupradicta, ſub pœna peccati mortalis.* Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm omnes in vniuerſum Moniales, teneantur diuinum officium recitare?

NOn defuere olim, nec vero deſunt hodie, qui in prædictarum Monialium gratiã, & vt ipſis complaceant, defendere voluerint, & ſummopere conentur aliquibus apparentibus rationibus oſtendere, non teneri ipſas, ex ratione ſui ſtatus Regularis quem profeſſæ ſunt, ad diuinum officium recitandum & perſoluendum. Et quamuis eadem re plura dixerimus ſupra quæſt. 37. Art. 7. agendo de diuino officio, & generali obligatione Religioſorum, & Eccleſiaſticorum quorumcumque, recitandi omnes horas Canonicas, & quæ ibi pro omnibus in vniuerſum Religioſis, ad chorum & ad diuinum officium deſtinatis ſunt dicta, ſuo quoque modo & ordine, eademque ratione, Monialibus prædictis adaptari poſſint, pro breui tamen propoſiti Articuli reſolutione, ſequentes libuit adducere Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nullatenusne gari poteſt, teneri ſubpeccato omnes Moniales, ad perſoluendum diuinumofficiũ, ſaltẽ in choro & in cõmuni.

QVidquid ſit de officio diuino, priuatim atque in particulari recitando, de eodem tamen in communi, ſiue in choro dicẽdo, nullatenus negari poteſt, quod cunctæ Moniales tenentur ad illud, ſicut omnes alij Religioſi. Hanc Concluſionem, tenet expreſſe Summa Angelica, *verbo, horæ Canonicæ, §. 25. 26.* & Sylueſter eodẽ verbo, num. 10. vbi hoc eſſe dicit de iure communi, quod probat, *ex Clement. 1. de celebrat. Miſſ.* vbi ſtricte præcipitur, *vt in omnibus Eccleſijs Cathedralibus & Regularibus, atque etiam Collegiatis, horæ Canonicæ deuote pſallantur, conuenienterque celebretur & debite, diuinum officium, diurnum pariter atque nocturnum.* Hoc itaque eſt certiſsimum, nec vllo modo negari poteſt, loquendo de diuino officio in communi dicendo, & quod ſi id non fiat, Superiores ſaltem peccabunt mortaliter, & erunt quammaxima pœna digni, nam facta fuit ſupradicta conſtitutio in Concilio Viennenſi. Pro quo etiam facit *cap. dolentes, de celebrat. Miſſar.* quod eſt Innocentij III. in Conciſ. generali Lateran. vbi idipſum ſtricte præcipitur, in virtute ſanctæ obedientiæ, non ſolum in communi, verumetiam in particulari, omnibus Clericis: & eadem eſt ratio de Religioſis vtriuſque ſexus, ad diuinum officium deſignatis. Sed loquendo de diuino officio, dicendo in particulari, ſecũda ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Omnes etiam Moniales teneãtur, ad perſoluendũ diuinum officiũ, in particulari ex ratione ſui ſtatus, quãus ad id nõ aſtringantur ex ſua Regula.

OMnes etiam in vniuerſum Moniales, ex ratione ſui ſtatus, tenentur ad diuinum officium in particulari dicendum, quamuis alias ad id ex ipſarum Regulis non adſtringantur. Pro probatione huius Concluſionis, videantur quæ latiſſime ſunt à nobis dicta, loco ſupracitato, concluſ. 3. & ſupra dictam Concluſionem tenent omnes communiter Doctores, ſed ſpecialiter D. Ant. 3. par. tit. 14. cap. 4. §. 1. vbi inquit, omnes Religioſos viros ſiue mulieres, ad chorum & ad diuinum cultum deſtinatos, teneri ad perſoluendum diuinum officium, ex eo quod profitentur Religiones, quæ approbatæ ſunt ab Eccleſia, non ſolum vt Religioſi in eiſdem pro ſe orent, ſed etiam pro vniuerſali Eccleſia, tanquam eius fideles miniſtri, & pro ſuis benefactoribus, de quorum eleemoſynis viuũnt, aluntur & ſuſtentantur. Quod quidam adeo certum eſſe credunt, vt dicant ad id teneri, non ſolum ex communi præcepto Eccleſiæ, interpretato per diutinam & antiquiſſimam conſuetudinẽ, verumetiam ex iuſtitia, propter rationem ſuperius dictã. Videatur hac de re Soto, lib. 10. de iuſt. & iure, q. 5. ar. 3. & Nauar. in Man. cap. 25. n. 96. & lib. de orat. & horis Canon. cap. 7. á num. 2. cum ſeqq. Et quidem quod prædictæ Moniales, ad id ipſum ex ratione ſui ſtatus teneãtur, priuatim atque in particulari, ſatis colligitur cum illud tanquam certum & indubitatum, præſupponat Clemẽs VII. in quadã cõceſſione, quam fecit, pro omnibus Monialibus & Religioſis, exiſtentibus ſub obedientia generalis Miniſtri Ordinis Minorũ, cuius fit mentio in Compendio *verbo, Moniales, §. 30.* vbi refertur, *quod prædictus Clemẽs VII. conceſsit, quod quia nonnullæ ex ſororibus prædictis, ſub cura Minorũ Fratrũ degentes, ſunt quæ propter imperitiam, recitare neſciunt officiũ diuinum perfecte, quod tales iudicatæ à Prælatis vel Confeſſoribus earum, ſeu etiam ab ipſarum Abbatiſſis, recitando officium ſororum laicarum, cenſeantur ſatisfeciſſe, obligationi de dicendo officiũ quod dicere tenebantur.* In qua quidem conceſsione, ponderanda ſunt nimis obligationis nomina, & illa verba, *quod dicere tenebãtur.* Sed quia quãdoq; Moniales prædictæ, pro nimia ſua imbecillitate, fragilitate ſiue infirmitate, alijsque occupationibus, nõ id vti par erat, exple re poterant, *Leo X. conceſsit eiſdem, quoad obligationẽ perſol-*

Nota conceſſionem Clem. vij. & Leonis x. pro Monialibus circa recitationẽ diuni officij more laicarum.

perſoluendi officium diuinum in choro, etiam ſanas non teneri ſemper, officium diuinum in choro perſoluere, ac exonerando earumdem conſcientias, Abbatiſſarum diſcretioni, pro tempore exiſtentium commiſit, vt quando & quomodo ſiue cum quibus, hæc ſit remiſsio facienda, ſiue exceptio toleranda, ſolerter inuigilent & diligenter aduertant, idque prudenter concedant, ne ſub colore pietatis, ex nimia indulgentia permittant, in aliqua ſororum ſiue Monialium, diuinæ offenſionis habitum generari

Habetur hæc conceſſio in Supplemento fol. 41. conceſſione 130. quæ etiam eſt multum notanda, & hæc pro iſto Articulo, ac tota Quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO X.

De Monialibus profeſsis, quantum ad obligationem quam habent, confitendi & communicandi certis quibuſdam diebus, & de gratijs & Indulgentijs, quas conſequuntur, in tres Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Moniales omnes, teneantur peccata ſua confiteri, ſingulis menſibus?

Nota valde opinionem Caiet. circa Confeſsionem Monialium.

CIrca hunc Articulum, refertur quædam (vt videtur) nimium rigoroſa Caietani ſententia, quæſt. 1. earum quas de confeſsione adiecit, ad 3. partem D. Tho. vbi ait, teneri Moniales ſemel in menſe confiteri, etiam ſi non habeant pluſquam peccata venialia, ad implendum præceptum Concilij Viennenſis, quod habetur in Clement. *ne agro*, §. *ſane, de ſtatu Monach.* vbi ſtatuitur, *vt omnes in vniuerſum Monachi, ſingulis menſibus ad confeſsionem accedant.* Quia inquit, cum illic non habeatur, quod confiteantur peccata mortalia, ſed ſimpliciter quod confiteãtur aperte inſinuatur, ſatisq; datur intelligi, quod de venialibus etiã facile occurrẽtibus, ad adimplendum eiuſmodi præceptum, teneantur confiteri. Nec mirum (inquit) cuipiã idipſum videri debet, nã Religioſi præter jus commune, ſingularibus ſtatutis ad ſingulares ceremonias, poſſunt ſub peccato mortali obligari. Huius ſententiæ & opinionis mentionem facit Sot. in 4. ſent. d. 18, q. 1. art. 3. concl. 9. in fin. ſed illam tanquam nimis rigoroſam reijcit, ac dicit neminem teneri, ſaltem ſub peccato mortali, vnquam peccata venialia confiteri. Eſſet enim, inquit nimium rigida, quæ venialium confeſsionem ſub mortali cuiquam iniungeret. Vnde ait, decretum prædictum, poſitum in d. Clem. *ne in agro* §. *ſane*, nullatenus immutaſſe communem canonem, ſed ſolummodo abbreuiaſſe confeſsionis tempus, pro Religioſis ſiue Monachis, vt quomodo omnes fideles, confiteri tenentur ſingulis annis, ſi habeãt peccata Mortalia, ita & Monachi, teneantur confiteri ſingulis menſibus, eadem ſi habuerint, non vero aliter. Sed ſupradictæ ſententiæ Soti, aliquid addendum videtur, nempe quod nunc, poſt Conc. Trident. Religioſi non tenentur ſub mortali, etiam peccata mortalia, ſingulis menſibus confiteri, vt conſtabit ex dicendis inſequentibus Concluſionibus.

Prima Concluſio.

Quamuis expediens ſit, vt Religioſi omnes ſaltem ſingulis mẽſibus cõfiteantur, non tamen id obligat ſub mortali.

QVamuis expedientiſsimum ſit, ſatisque laudabile, vt Religioſi cuncti, peccata ſua ſaltem ſingulis menſibus confiteantur, etiãſi ea non ſint pluſquam venialia, nihilominus ad id de iure communi, ſub peccato mortali non tenentur. Hæc Concluſio, hac vel vnica ratione probatur, nam quamuis extet ſupradictum Conc. Viennẽ. decretum, poſitum *in d. Clem. ne in agro*, §. *ſane.* pro Monachis nigris, vt in eiuſdem ſummario habetur, nõ tamen eſt certum, an illud ad omnes alios Religioſos extendatur, debeatque perinde extendi, vt aduertit & notat gloſ. ibidem. *verbo, ſi guli*, licet id ſibi videatur ſatis honeſtũ. Et dato quod extenderetur, iam eiuſmodi decretũ, eſſe videtur moderatum atque limitatum, per Concilium Trid. *ſeſſ. 25. de Reg. c.* 10. vbi agendo de Monialibus, & idem eſt iudicium de omnibus alijs Religioſis viris, ſequentia verba habentur: *Attendant diligenter Epiſcopi, ac cæteri ſuperiores Monaſteriorum ſanctimonialium, vt in Conſtitutionibus earum admoneantur, vt ſaltem ſingulis menſibus, confeſsionem peccatorum ſuorum faciant, & ſacr. ſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, vt eo ſe ſalutari præſidio muniant, ad omnes oppugnationes dæmonũ fortiter ſuperandas.* Et citatur in margine prædicta Clement. *ne in agro.* Vbi per verbum illud, *admoneantur*, ibidem poſitum, ſatis datur intelligi, quod nec etiam ibi fuerit impoſitum præceptum, aut ſaltem quod per Conc. Trident, illud fuerit moderatum & limitatum. Admonitionis enim nomen, vt de ſe patet, non quidem præceptum ſed conſilium tantummodo importat. Quod etiam notat Vualdus in ſuo Candelabro aureo, de confeſſio. num. 51. & Ze-

rola in ſua praxi Epiſcopali, *verbo, Moniales*, in reſponſ. ad ſeptimum dub. quamuis in principio aſſerere videatur contrarium, ſed loquendo de Monialibus S. Claræ ſpecialiter, quantum eſt ex vi ſuæ Reg. ſecunda ſtatuitur Concluſ.

Secunda Concluſio.

Omnes Moniales S. Claræ, tã primæ quam ſecũdæ Regulæ, ex vi earum tenẽtur ſingulis mẽſibus confiteri, ſeptemq; vicibus in anno communicare

OMnes Moniales Sanctæ Claræ, tam primæ quam ſecundæ Regulæ, ex vi earum ſingulis menſibus tenẽtur cõfiteri, ſeptẽq; vicibus in anno communicare. Hæc Concluſio, quantũ attinet ad Moniales primæ Regulæ, habetur expreſſa, in cap. 3. eiuſdem, vbi ſequentia ponuntur verba: *Duodecim vicibus ad minus de Ablatiſſæ licentia confiteantur in anno, & ſeptem vicibus communicent, videlicet, in Natiuitate Domini, in Feria Quinta Maioris Hebdomadæ, in Reſurrectione Domini, in Pentecoſtes, in aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis, in Feſto Sancti Franciſci, & in Feſto omnium Sanctorum.* Quantum vero attinet ad Moniales ſecundæ Regulæ, in cap. 7. ad idem propoſitum, ſequentia etiam ponuntur verba. *Confeſsionem autẽ Regulæ omnes faciant, ad minus ſingulis mẽſibus, & ſic confeſsione præmiſſa, in ſequẽtibus ſolemnitatibus, videlicet in Natiuitate Domini, Purificatione Beatæ Mariæ, in initio Quadrageſimæ, Reſurrectione Domini, Pentecoſtes, in feſtis Sanctorum Petri, & Pauli, S. Claræ, Sancti Franciſci, & omnium Sanctorum, Dominici Corporis Sacramentum recipiant.* Ex vbi ſupra. Fateor tamen, quod per diſpenſationem Innocentij IIII. de qua dictum eſt ſupra, in præcedenti Quæſtione, Art. 4. & 5. in nullius iſtorum præceptorum tranſgreſſione, peccatum mortale incurrunt, præterquam in tranſgreſſione eorum quatuor, quæ concernunt tria principalia vota, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & clauſuræ, & ſuper electione & diſpoſitione Abbatiſſæ. Oportet præterea aduertere, vt habetur in noſtri Ordinis Monumentis, quod Leo X. *conceſsit eis, omnibusque alijs Monialibus & Sororibus Conceptionis Beatæ Mariæ, ac Tertij Ordinis S. Franciſci, eidem Ordini ſubiectis, vt præcepto ſuæ Regulæ de percipiendo Sanctiſsimum Sacramentum ſatisfaciant, per aliquot dies anteponendo, vel poſtponendo, dum tamen illud non in frandem fecerint.* Quod etiam vt videtur, propter ſimilitudinem rationis, ad confeſsiones poteſt extendi. Habetur ſupradicta conceſsio in Supplemento, fol. 61. conceſsiones 191. Quo priuilegio, vti etiam poſſunt omnes aliæ Moniales, priuilegium habentes communicationis. De Monialibus Tertiarijs, & ſanctæ atque immaculatæ Conceptionis, quibus dictus teneantur, confiteri & communicare, non libet in præſentiarum quippiam dicere, cum nihil habeatur ſpeciale, & hæc omnia facile, in propijs earumdem Regulis videri poſsint.

ARTICVLVS II.

De priuilegijs prædictarum Monialiũ, ad hoc vt plenariè poſsint abſolui?

Prima Concluſio.

Diuerſæ habẽtur conceſsiones, quibus Moniales Claræ plenarie poſſunt abſolui.

DIuerſæ habentur Pontificũ conceſsiones, quibus Moniales S. Claræ plenarie poſſunt abſolui. Hæc Concluſio probatur. Nam in primis Nicolaus V. *conceſsit, quod Confeſſores Monialium S. Claræ, ſeu alius Frater eiuſdem Ordinis ad hoc per Prouincialem pro tempore deputatus, in omnibus & per omnia, iuxta formam & tenorem priuilegiorum & conceſsionum, eiſdem Monialibus quoad ipſarum perſonas à Sede Apoſtolica, ſeu alias quomodolibet conceſſorum, in omnibus præter quam dictæ Sedi caſibus reſeruatis, quoties fuerit opportunum, eas abſoluere poſsint. Necnon ipſarum ſeruitrices (ſi id petierint humiliter) à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque ſententijs, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quibus pro tempore innodatæ fuerint, iniungendo quæ iniungenda fuerint, abſoluere, eiſque Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, libere & licite valeant, Diœceſanorum locorum, & cuiuſcumque alterius licentia minimè requiſita.* Habetur hæc conceſsio, in Monumentis Ordinis primæ impreſsionis fol. 49. & ſecundæ fol. 43. conceſsione 48. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres* §. 11. Et præterea Sixtus IIII. *conceſsit, quod Moniales Sanctæ Claræ primæ Regulæ, Collectaneæ nuncupatæ, poſsint abſolui à Miniſtris ſeu Viſitatoribus, & Confeſſoribus earum, ab omnibus criminibus, pœnis & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quoties opus fuerit.* Habetur hæc conceſsio in Monumentis Ordinis ſecundæ impreſsionis, fol. 261. conceſsione 678. & refertur in Compendio, verbo, vbi ſupra, §. 12. Vbi aduertit & notat priuilegiorum Collector, quod prædicta conceſsione gaudere poſsunt, Moniales Sanctæ Claræ ſecundæ Regulæ, ſub obedientia Fratrum Minorum degentes, virtute communicationis priuilegiorum, quæ habetur in dicto Compendio, *verbo, communicatio priuilegiorum*, §. 5. vbi dicitur, *quod idem Sixtus conceſsit, quod Sorores Sanctæ Claræ ſub obedientia Fratrum Minorum Obſeruantiæ exiſtentes, gaudeant omnibus priuilegijs, exẽptionibus & gratijs conceſsis in genere, Sororibus reformatis ſororis collectæ.* Habetur in eiſdem monumentis ſecundæ impreſsionis, fol. 261. conceſsione 677. & in Supplemento fol. 96. conceſsione 338. Sed addit ſupradictus Collector, quod tam quoad primas, quam quoad ſecundas, eſt limitata dicta conceſsio, reſpectu caſuum reſeruatorum Miniſtris, prout habetur in eodem Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria quoad Fratres, poſt* §. 10. Supradictis omnibus addit, quod etiam poſſunt Prælati Monialium, & Confeſſores per eos deputati, abſoluere dictas Moniales, ab omnibus peccatis & cenſuris, à quibus abſoluere poſſunt Fratres noſtri ſacri Ordinis. Qua de re latiſſime agimus in ſecundo Tomo huius Manualis ſiue directorij, quæſt. 33. art. 7. cum Moniales prædictæ per communicationem priuilegiorum quam habent, de qua etiã habetur in dicto 2. Tomo. quæſt. 46. art. 2. gaudeant omnibus priuilegijs, immunitatibus, gratijs, fauoribus, conceſsionibus atque indultis, ſpiritualibus & temporalibus, conceſsis Fratribus Minorum & Prædicatorum.

Nones, quibus Moniales ſanctæ Claræ plenarie poſſunt abſolui.

Nota hoc vtile.

Secunda Concluſio.

EX conceſsione etiam ſupradicti Sixti IIII. poſſunt prædictæ Sorores & Moniales, ſanctæ Claræ & Tertiæ viæ, ſemel eligere Confeſſorem de fa-

Alia priuilegia habentur, quibus etiam Moniales, plenarie poſſunt abſolui.

de familia Fratrum Minorum de Obſeruantia, qui audita earundem confeſſione, pœnitentiam ſalutarem illis iniungendo, abſoluat eas ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cēſuris Eccleſiaſticis, ſi quas forte contraxerunt, & eis remiſſionem generalem, & plenariam indulgentiam, omnium peccatorum ſuorum valeat impartiri: & conceſſit vt hoc idem poſſit facere in mortis articulo. Habetur hæc conceſſio, in Monumentis noſtri Ordinis, primæ impreſſionis fol. 64. & ſecundæ, fol. 68. conceſsione 131. & in Supplemento fol. 96. conceſſ. 341. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria quoad Fratres*, §. 5. Et fuit facta pro omnibus Fratribus Minoribus de Obſeruantia, præſentibus atque futuris, tam profeſsis, quam Nouitijs, qui tamen habent propoſitum profitendi, necnon pro prædictis Sororibus Sanctæ Claræ, & Tertiarijs vtriuſque ſexus, & famulis & ſeruitoribus prædictorum omnium. Circa quam conceſsionem, aduertit nonnulla priuilegiorum Collector, quæ non libet in præſentiarum referre, cum latiſsime referantur loco vbi ſupra, agendo de abſolutione Fratrum. Nam ſeruatis ſeruandis, ac demptis quæ fœmineo ſexui non conueniunt, eadem omnino eſt vtrorumque ratio.

Nota valde Ampliſſimas conceſsiones, pro quibuſdā particularib⁹ feſtiuitatibus aunt.

Supradictis omnibus addo, quod Leo X. *conceſſit licentiam & facultatem omnibus Monialibus Sanctæ Claræ, & ancillis beatæ Mariæ Virginis, vt quater in anno poſſint à ſuis Superioribus hoc ſine Confeſſoribus, aut alijs Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, per Superiores deputatis, facere abſolui ab omnibus peccatis ſuis, qualitercumque commiſsis. Ac ſimiliter abſolui vel potius diſpenſari, ab omnibus & ſingulis votis (exceptis ſubſtantialibus emiſsis in earum profeſsione) quæ ſolent fœminea leuitate, pro qualibet minima neceſsitate emitti. Ita tamen, quod nulli ipſarum hæc gratia ſuffragetur, ſi conſiſæ de ipſa, aliquid attentarent committere, quod oculos diuinæ maieſtatis, earum violando profeſsionem offenderet. Et inſuper placuit ſuæ ſanctitati, de benignitate Apoſtolicæ pietatis, concedere facultatem earum Confeſſoribus, de licentia Prælatorum eaſdem audientibus, quod ea plenitudine eas abſoluant, & illi ſtatui innocentiæ reſituant, quod ſanctitas ſua faceret, ſi ipſamet in confeſsione auſcultaret peccata, & poſt hoc omnibus & ſingulis eadem auctoritate Apoſtolica, ſuam ſanctam benedictionem impertiantur, nomine Sanctitatis ſuæ.* Habetur hæc conceſsio in Supplemento, fol. 93. conceſſ. 290. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria quoad Fratres*, §. 7. Et in eodem Supplem. fol. 42. conceſsion. 132. habetur, quod idem Leo X. *conceſsit prædictis Monialibus S. Claræ, ſub cura Fratrum Minorum de Obſeruantia exiſtentibus, vt in omnibus ſolemnitatibus Domini Sabbaoth, & Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum & Sancti Patris noſtri Franciſci, & S. Claræ, poſsint Confeſſores earum in abſolutionibus ſuarum conſeſsionum eas plenarie abſoluere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere.* Refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 8. Et in ſequenti §. 9. dicitur quod idem Leo *conceſsit Ancillis & Sororibus Ordinis Beatæ Mariæ Virginis, ſub regimine Fratrum Minorum Obſeruantiæ exiſtentibus, vt in omnibus ſolemnitatibus, Domini Sabaoth, Beatæ Mariæ Virginis, & Petri & Pauli, & Sancti Franciſci, omniumque Sanctorum, atque per totam Maiorem Hebdomadam, Confeſſores earum quicumque fuerint, ſiue ordinarie à Prælatis deputati, ſiue aliter (dummodo eas audiant de conſenſu ſuorum Prælatorum) poſsint in abſolutionibus earum, de peccatis ſuis eas plenarie abſoluere, ac pœnitentiam ſalutarem iniungere. Quod vero ad Fratres, prius ſuorum Superiorum, & eorum curam gerentium, licentia & aſſenſu habitis.* Habetur in Supplemento fol. 43. conceſsione 37.

Idem Leo finaliter, *conceſsit Fratribus Minoribus regularis Obſeruantiæ, quod ſemel in anno (vltra alias indulgentias, quas à Sede Apoſtolica habent) poſsint plenarie abſolui, & indulgentiam plenariam conſequi, in feſto S. Catherinæ Virginis & Martyris.* Habetur in Supplem. fol. 94. conceſſ. 299. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 10. Qua quidem conceſsione, etiam fruuntur ſupradictę Moniales, priuilegium habentes communicationis. Poſt quæ ſupradicta omnia, ſupradictus Collector, epilogando atque reſoluendo, omnes conceſsiones ſupra poſitas, inquit, quod Fratres Minores & Moniales S. Claræ ac Tertij Ordinis, poſſunt abſolui ab omnibus peccatis & cenſuris plenarie, ſemel in vita & in mortis articulo. Item quater in anno, diebus quibus maluerint, & in Feſtis Domini Sabaoth, & beatæ Virginis, omniumque Sanctorum & Apoſtolorum Petri & Pauli, ac S. Franciſci, S. Claræ, S. Catherinæ, & per totam maiorem Hebdomadam, de conſenſu tamen ſuorum Prælatorum. Qualiter autem intelligantur, prædictæ abſolutiones plenariæ, & quorum Prælatorum requiratur licentia, ſiue conſenſus ad ipſas; qualiter etiam ſeu qua forma faciendæ ſint, latiſsime dicit ſupradictus Collector loco ſupracitato, quod & ipſe libenter in præſentiarum facerem, niſi hoc ipſum, haberetur in 2. Tomo huius Manualis ſiue directorij q. 33, art. 7. cum ſequentibus tractando de abſolutione Fratrum, neque congruum viſum eſt ſemel & iterum eadem repetere.

Epilogatio omnium ſupradictarum conceſsionum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Prælati & Abbatiſſæ, diſpenſare poſsint in votis ſuarum Monialium ſeu illa irritare?

Prima Concluſio.

Certiſsimum eſt, Prælatos poſſe diſpenſare, in votis ſuarum Monialium, illaque irritare.

DE Prælatis loquendo, certum eſt poſſe Prælatos Regulares, diſpēſare in votis Monialium ſibi ſubditarum, illaque irritare. Hæc concluſio certiſsima eſt, & quamuis maiori indigebat explicatione, conſulto ab hoc in præſentiarum ſuperſedeo, pro eo quod circa diſpenſationē & irritationem votorū quæ emittuntur à Religioſis, plura ac fere innumera ſunt dicta, in 2. Tomo, q. 9. per plures articulos, agendo de iuriſdictione, auctoritate & poteſtate Generalis Miniſtri, ac Prælatorum Regulariū, ſed maxime in Art. 8. & poſtea q. 32. per plures etiam Articulos, agendo de diſpenſatione & facultate diſpenſandi, & irritandi vota, quam habent dicti Prælati, ſupra ſibi ſubditos. Sed deueniendo ad Abbatiſſas, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Abbatiſſæ Monialium, quamuis non poſsint diſpẽſare, in votis ſuarum ſubditarum, neque illa commutare, poſsunt tamen ea irritare.

ABbatiſſæ Monialium, quamuis non poſſint diſpenſare, in votis ſuarum ſubditarum, nec illa commutare (cum hoc pertineat ad iuriſdictionẽ ſpiritualem, quam Abbatiſſæ ſuper Moniales non habent) poſſunt tamen vota ab eiſdem emiſſa irritare. Hæc Concluſio eſt certiſsima, & communis ac generalis omnium reſolutio, probaturque á ſimili. Nam ſicuti pater ſuorum filiorum vota poteſt irritare, & maritus ſimiliter vota ſuæ vxoris, propter poteſtatem dominatiuam quam habent, ita & multo melius Abbatiſſæ prædictæ, irritare poſſunt ſuarum Monialium vota, propter maiorem poteſtatem dominatiuam, quam habent ſuper ſuas Moniales, quam pater ſupra filios ſuos, & maritus ſuper vxorem ſuam, vt tenent omnes Doctores communiter, in materia de voto. Vbi etiam aduertunt, quod quando fiunt huiuſmodi vota, ſine Superiorum conſenſu, non peccant Prælati, nec Abbatiſſæ eadem etiam ſine cauſa irritando, & ſimiliter nec peccant ſubditi aut Moniales, dictam irritationem ſine cauſa petendo, ſiquidem emiſerunt eiuſmodi vota, ſub conditione ſaltem tacita, niſi dicti Prælati aut Superiores, eadem ſibi irritauerint. Quæ materia communis eſt, & de qua agunt Doctores Scholaſtici, cum D. Tho. 2.2. q. 88. ar. 8. & ibidẽ Caietanus, & Soto lib. 7. de iuſt. & iure, q. 5. ar. 1. Sylueſt. verbo, *votum*, 4. à num. 1. cum ſeqq. & Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 12. à nu. 63. etiam cum ſeqq. latiſſime. Et hæc de iſto Articulo, ac de toto Monialium tractatu dicta ſufficiant.

Finis tractatus Monialium.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM.

QVI IN HOC TRACTATV, DE SÀcris Monialibus continentur.

QVAESTIO. I.

De Monialibus quantum ad ipſarum clauſuram, in communi, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum clauſura Monialium, ſit de iure naturali & diuino, an vero tantum de iure humano poſitiuo?
2 An ſummi Pontifices, cõpellere & obligare potuerint Moniales, ad ſeruandum clauſuram?
3 Vtrum ſupradictum clauſuræ decretum, de facto comprehendat omnes in vniuerſum Moniales, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint?
4 Vtrum Moniales quæ profeſsionem emiſerunt ea lege & pacto, vt ad clauſuram non adſtringerentur, ſint ſolemniter profeſſæ, & nihilominus adeamdem obſeruandam, poſſint adſtringi & obligari?
5 Vtrum Moniales quæ dicuntur Conuerſæ, ſiue Seruitiales, ad clauſuram adſtringantur?
6 Vtrum liceat nunc in Monaſterijs Monialium, aliquas Sorores Seruitiales & Conuerſas, ad Religionem & profeſsionem recipere?

QVAESTIO. II.

De clauſura Monialium in particulari, quantum ad ingreſſum in ipſarum Monaſteria, in viginti Articulos diuiſa.

1 VTrum omnibus in vniuerſum viris ac mulieribus, ſit prohibitus ingreſſus, in clauſurã & Monaſteria Monialium?
2 Quinam poſſint dare licentiam, ad ingrediendum Monialium clauſuram?
3 Quiſnam præſtare poſſit licentiam, ad ingrediẽdum Monaſteria Monialium Sanctæ Clarę?
4 Quænam cauſa ſufficiat & ſit neceſſaria, ad ingrediendum Monaſteria Monialium?
5 Vtrum ſit licitum de licentia Superiorum, in Monaſterijs Monialium (etiam Sanctæ Claræ) habere ſeculares ancillas, quæ inſeruiant infirmis, & exerceantur in coquina & eiuſmodi miniſterijs?
6 Vtrum in Monaſterijs Monialium Tertiarum, ſiue exiſtentium ſub gubernio & dominio nobilium Militiam profitentium, recipi poſſint aliquæ puellæ ſeculares nobiles, ibi enutriendæ, ac bonis moribus educandæ?
7 Vtrum in Monaſterijs Monialium, etiam ſanctę Claræ & Conceptionis, recipi poſsit aliqua generoſa fœmina, Comitiſſa aut Duciſſa, aliaue ſimilis, quæ commoditatem manendi in ſeculo non habeat, ſine diſpendio ſuæ famæ & honoris, aliquibus ancillis comitata?
8 Vtrum Prælati & Superiores, licentiam poſſint præſtare, vt matres ingrediantur Monaſteria Monialium, ad inuiſendas filias ſuas iam morti proximas?
9 Vtrum in aliquo Monaſterio Monialium, etiam ſanctæ Claræ vel Conceptionis, cuidam Moniali præ cæteris Illuſtriori, præſtari poſſit licentia, ad habendam ibidem ſecularem ancillam, parentum ſuorum expenſis alendam?
10 Vtrum intrantes Monaſteria Monialium, aliquam cenſuram incurrant?
11 Vtrum ſint nunc aliquæ licentiæ validæ, ad ingrediendum Monaſteria Monialium?
12 Vtrum ſunt ipſo facto excommunicati, omnes in vniuerſum ingredientes Monialium Monaſteria, prætextu dictarum licentiarum, & etiã Moniales eoſdem recipientes?
13 Vtrum Cardinales ingredi poſsint, Monaſteria quarumcumque Monialium, etiam Sanctæ Claræ?
14 Vtrum Epiſcopi ingredi poſſint, quarumuis Monialium Monaſteria, pro libito aut ſaltem viſitationis gratia, ſeu aliquo alio titulo?
15 Vtrum Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis Minorum, & Prouinciales ſiue Viſitatores, ingredi poſſint Monaſteria Monialium, ſanctæ Claræ & aliarum ſibi ſubditarum, in aliquibus caſibus?
16 Vtrum Minores Fratres, rogati ab Epiſcopis, ſeu alijs Prælatis Regularibus, Monialium curam habẽtibus, intrare poſſint cum ipſis earumdem clauſuram?
17 Vtrum ſint aliqui alij caſus, in quibus de iure ordinario, licitus ſit ingreſſus intra Monialiũ Monaſteria?
18 Vtrum Vicarij Monialium, intrare poſſint ipſarum clauſuram, ad celebrandum in infirmaria, ad hoc vt Monialis aliqua infirma Euchariſtiã accipiat, quamuis non ſit per modum viatici?
19 Vtrum Vicarij ſiue Confeſſores Monialium, intrare poſsint eorum clauſuram, pro renouatione ſacramenti Euchariſtiæ, adſeruati in Choro interiori?
20 Vtrum intrantes Monialium Monaſteria, in caſibus permiſsis, ſeu cum debita licentia, ſtatim

finito negotio teneantur exire, an vero ſine peccato mortali & excommunicationis periculo, aliquantulum ibidē poſſint detineri, ob aliquam iuſtam cauſam?

QVAESTIO. III.

De clauſura Monialium in particulari, quantum ad exitum ipſarum è ſuis Monaſterijs, in ſeptem Articulos diuiſa.

1 VTrum omnibus in vniuerſum Monialibus, ſit prohibitus exitus, extra earum clauſurā?
2 Vtrum ſint aliqui caſus, in quibus Monialibus de licentia ſuorum Superiorum, liceat è ſuis Monaſterijs exire, de iure ordinario?
3 Vtrum omnes ſupradicti caſus, poſiti ab Vrbano IIII. in Regula Monialium S. Claræ, modo ſint etiam in vſu, atque obſeruari poſſint in praxi: an vero fuerint per Concilium Tridentinum & per Pium V. abrogati & reuocati?
4 Vtrum ſupradicti tres caſus, de quibus loquitur Pius V. in dicta ſua Extrauaganti, extendantur ſeu extendi poſſint, & debeant ad alios ſimiles?
5 Quidnam intelligatur ſiue comprehendatur, ſub nomine magni incendij & infirmitatis lepræ & epidemiæ, poſitæ à Pio V. in dicta ſua Extrauaganti ſiue Conſtitutione?
6 Cuiuſnam Superioris eſſe debeat licentia, ad hoc vt Monialis aliqua exire poſſit è Monaſterio, & an ea neceſſario eſſe debeat in ſcriptis?
7 In quas pœnas incidant Moniales, exeuntes è Monaſterijs, & Prælati & Superiores, licentiam eiſdem dantes, extra caſus prædictos?

QVAESTIO IIII.

De Monialium clauſura etiam in particulari, quātum ad acceſſum ad ipſarum Monaſteria, in quinque Articulos diuiſa.

1 VTrum omnibus in vniuerſum viris, ſecularibus & Eccleſiaſticis, ſed ſpecialiter Religioſis, prohibitus ſit acceſſus, ad Monialium Monaſteria?
2 Vtrum Minores Fratres, ex ſpeciali ſuæ Regulæ præcepto, ſeu ex aliquo Summorum Pontificum mandato, ad Monialium Monaſteria prohibeantur accedere?
3 Quinam Superiores & Prælati, licentiam poſſint præſtare, ad accedendum ad Monaſteria Monialium?
4 Vtrum Prælatus, auctoritatem habens licentiandi ſibi ſubditos, quantum ad acceſſum ad Monaſteria Monialium, licentiare etiam poſſit ſe ipſum ad idem, an vero neceſſum habeat, licentiam petere, ab alio ſuperiore Prælato?
5 Vtrum iure communi ſit prohibitum, ad Monachas ſiue Moniales literas mittere?

QVAESTIO. V.

De Monialibus, quantum ad earum ſubiectionem atque gubernationem, in tres Articulos diuiſa.

1 QVibuſnam Prælatis, Moniales Sanctæ Clarę & Conceptionis & Sanctæ Eliſabeth, ex vi ſuarum Regularū, ſint ſubditæ & ſubiectæ?
2 Vtrum iuriſdictio ſupradictorum Prælatorum noſtri ſacri Ordinis, in Moniales prædictas, ſit ordinaria, an vero tantum delegata?
3 Vtrum Moniales Sanctæ Claræ, aliarumque Religionum, ſubiectæ Prælatis noſtri Ordinis, teneantur obſeruare ſtatuta, facta in noſtris Capitulis Generalibus ſiue Prouincialibus?

QVAESTIO VI.

De Abbatiſsis & Prioriſsis, aliiſque Monialium Præfectis, & conditionibus & qualitatibus, in eiſdem requiſitis, in quinque Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Abbatiſſa, quid vero Prioriſſa?
2 Vtrum Moniales, deſcendentes ex maculato genere, eſſe poſſint Abbatiſſę, ſiue Prioriſſæ?
3 Vtrum Moniales illegitimæ, eſſe poſſint Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ?
4 Quam ætatem & profeſſionis tempus, habere debeant Moniales, ad hoc vt in Abbatiſſas, ſiue Prioriſſas, eligantur & præficiantur?
5 Vtrum Abbatiſſæ & Prioriſſæ, & mulieres Monialium Præfectæ, ſint capaces ſpiritualis iuriſdictionis?

QVAESTIO VII.

De Abbatiſsis & Prioriſsis, aliiſque Monialium Præfectis, quantum ad ipſarum electionem, & officiorum ſuorum durationem, necnon & earum benedictionem, in decem Articulos diuiſa.

1 VTrum Abbatiſſarum ſiue Prioriſſarum, & aliarum quarumcumque Monialium Præfectarum electio, pertineat ad Conuentum?
2 Quænam Moniales, votum ſiue vocem habeant actiuam atque paſsiuam, in prædictarum Abbatiſſarum, aliarumque Monialium Præfectarum electione?
Quænam ſint obſeruanda, in Abbatiſſarum ſiue Prioriſſarum, ſeu aliarum Monialium Præfectarum electione?
4 Vtrum in eiuſmodi Abbatiſſarum & Prioriſſarū electionibus, ſufficiat habere Monialem aliquam, maiorem ſuffragiorum partem, an vero requiratur, quod electio fiat á duobus partibus?
5 Vtrum aliqua ratione liceat, in electionibus Monialium, ſuffragia quæ vni præſtantur alteri tri-

ri tribuere, seu falso augere eundem suffragiorum numerum?
6 Vtrum Monialis aliqua corrupta, seu quæ non fuerit Virgo, absque dispensatione eligi possit, in Abbatissam vel Priorissam?
7 Vtrum omnes Abbatissæ debeant, aut possint benedici?
8 Vtrum Monialis seu Abbatissa corrupta, debeat aut possit benedici seu consecrari?
9 Vtrum Abbatissæ esse debeant perpetuæ, an vero triennales & temporales?
10 Vtrum Abbatissæ statim post electionem sint confirmandæ, non obstante quacumque alterius partis contradictione?

QVAESTIO VIII.

De Abbatissis & Priorissis, alijsque Monialium Præfectis, quantum ad facultatem recipiendi Nouitias, in decem Articulos diuisa.

1 VTrum Abbatissæ, sine suorum Prælatorum licentia, possint recipere Nouitias?
2 Vtrum puellæ minores duodecim annis, recipi possint in Monasterijs Monialium, ad habitum regularem, seu vt sint Nouitiæ?
3 Quonam tempore Nouitiæ Monialium, ad professionem sint recipiendæ?
4 Quibusnam vicibus seu quotupliciter, exploranda sit, Nouitiarum voluntas, in Monasterijs Monialium, priusquam ad professionem admittantur?
5 In quas pœnas incidant parentes, seu quicumque alij, puellis prædictis vim inferentes, ipsasque cogentes atque constringentes, ad hoc vt Religionem ingrediantur, vel vt professionem emittant?
6 Vtrum in Monasterijs Monialium, recipi possint & debeant, omnes quæ fieri volunt Moniales, Regularem habitum expostulantes, nullo habito respectu ad numerum?
7 Vtrum Abbatissæ atque Moniales, committant simoniam, recipientes dotem siue pretium, pro Nouitiarum receptione, præcipuè vbi earum Monasterium eiusmodi subsidio non indiget, sed est valde locuples?
8 Quibusnam Prælatis, competat taxare siue determinare, Monialium recipiendarum dotes?
9 Vtrum licitum sit Abbatissis, alijsque Monialiũ Præfectis, Nouitiarum dotes vlla ratione, ante ipsarum professionem recipere?
10 Vtrum aliqua Abbatissa seu Monialium Præfecta, certam aliquam pecuniæ quantitatem possit recipere, interim quod dos Monasterio promissa, pro Nouitia aliqua profitente, non soluitur?

QVAESTIO IX.

De Monialibus professis, quantum ad earum professionem, & suas obligationes, in sex Articulos diuisa.

1 VTrum Moniales professæ, in particulari habere possint aliquid proprium, seu aliquos redditus annuos, pro suis necessitatibus?
2 Vtrum liceat Monialibus habere peculium, seu omnium rerum vsum, vt illud expendant in quos voluerint vsus?
3 Vtrum licitum sit omnibus in vniuersum Monialibus Sanctæ Claræ, tam primæ quam secundæ Regulæ, proprium habere, bonaque immobilia possidere, & census ac redditus annuos in communi?
4 Vtrum Moniales sanctę Claræ primæ Regulæ, teneantur sub mortali, ad obseruantiam omnium eorum, quæ continentur in ipsa?
5 Vtrum Moniales Sanctæ Claræ secundæ Regulæ, sub mortali etiam teneantur, ad omnia quæ continentur in ipsa?
6 Vtrum omnes in vniuersum Moniales, teneantur diuinum officium recitare?

QVAESTIO. X.

De Monialibus professis, quantum ad obligationem quam habent confitendi, & communicandi certis quibusdam diebus, & de gratijs & indulgentijs quas consequuntur, in tres Articulos diuisa.

1 VTrum Moniales, teneantur peccata sua confiteri, singulis mensibus?
2 De Priuilegijs prædictarum Monialium, ad hoc vt plenarie possint absolui.
3 Vtrum Prælati & Abbatissæ, dispensare possint in votis suarum Monialium, seu illa irritare?

Finis Indicis Quæstionũ, & Articulorum.

INDEX RERVM OMNIVM, QVÆ CONTINENTVR in hoc Tractatu, ſacrarum Monialium.

A

ABbatiſſa quidnam ſit, ſimiliter & Prioriſſa? 77.
Abbatiſſa & Prioriſſa, an eſſe poſſit Monialis, deſcẽdens ex parẽtibus Iudæis, Sarracenis, ſeu Hæreticis intra quartũ gradum, ſeu intra quartam generationem? ibidem.
Abbatiſſa & Prioriſſa, an eſſe poſſit Monialis, quæ non fuerit legitima? 78. & 79.
Abbatiſſę & Prioriſſę, quam ætatem debẽt habere & profeſsionis tempus, ad hoc vt ad id munus & officium eligantur? 80.
Abbatiſſæ & Prioriſſæ, an ſit capaces iuriſdictionis ſpiritualis? 81. cum ſeq.
Abbatiſſæ & Prioriſſæ, quænam præcepta imponere poſſint ſuis Monialibus? 82. & 83.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum electio de iure communi, an neceſſario pertineat ad Conuentũ? 84.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum in electione, quænam Moniales, de iure communi, vocem habeãt actiuam & paſſiuam? 85.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum in electione, vt ſit Canonica, & fiat ac fieri debet, quænam ſint neceſſario obſeruanda, de iure communi? 86.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum electio, an poſſit coarctari & coarctata ſit valida? 87.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum in electione, an ſufficiat Monialem aliquam habere maiorem ſuffragiorum partem, an vero requiratur quod electio fiat à duabus partibus? ibidem.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum in electionibus, quã graue ſit peccatum augere vel minuere ſuffragiorum numerum, aut quæ vni dantur, alteri præſtare? 88.
Abbatiſſa & Prioriſſa, an eſſe poſſit quæ non fuerit Virgo, ſeu quæ aliqua ratione fuerit corrupta? 89.
Abbatiſſarum & Prioriſſarum electio, qualiter ſit publicanda? 87.
Abbatiſſæ & Prioriſſæ, an poſſint & debeant omnes benedici? 90. & 91.
Abbatiſſa quæ fuerit corrupta, aut quæ non fuerit Virgo, an poſſit vllo modo conſecrari, & benedici? 91. cum ſeq.
Abbatiſſæ & Prioriſſæ, an eſſe debeant perpetuæ, an vero triennales & temporales? 94. & 95.
Abbatiſſæ & Prioriſſæ, an ſtatim poſt electionem ſint confirmandæ, non obſtante quacumque alterius partis contradictione? 96. & 97.
Abbatiſſæ Monialium, quamuis non poſſint diſpenſare in votis ſuarum ſubditarum, nec illa commutare, poſſunt tamen ea irritare? 120.
Abbatiſſæ Monialium Sanctæ Claræ, dum earum Monaſteria viſitantur, renuntiare ſuis officijs tenentur, 95.
Abbatiſſæ ſine ſuorum Prælatorum licentia, etiã de conſenſu Monialium, non poſſunt recipere Nouitias. 98.
Abbatiſſæ bene poſſunt recipere & admittere puellas, minores duodecim annis, in ſuis Monaſterijs, ad Regularem habitum, vt poſtea ſint Nouitiæ. 99.
Abbatiſſæ, an poſſint recipere Nouitias, nullo habito reſpectu ad Monialium numerum? 102.
Abbatiſſæ, an committant ſimoniam, recipientes dotem pro Nouitijs quas recipiunt? 103. cũ ſeq.

B

BEnedictio Abbatiſſarum & Prioriſſarum, quando liceat fieri debeat? 92. & 93.
Benedici an poſſint & debeant, omnes Abbatiſſæ & Prioriſſæ? 90.
Benedici & conſecrari, an poſsit Abbatiſſa, quæ non fuerit Virgo ſeu quæ fuerit aliqua ratione corrupta? ibidem.

C

CLauſura Monialium, an ſit de iure naturali & diuino, an vero tantum de iure humano poſitiuo? 1. cum ſeq latiſsime.
Clauſura non fuit ſeruata à Monialibus, Apoſtolorum tempore. ibid.
Clauſura Monialium, ante Bonifacium VIII. & Concilium Tridentinũ, nullo fuerat iure præcepta. 2.
Clauſuræ, Moniales Sanctæ Claræ, in Eccleſia dederunt principium. ibidem.
Clauſura poſt Bonifacium VIII. & Concilium Tridentinum, multis eſt iuribus & decretis, à Monialibus ſeruari præcepta. ibidem.
Clauſura Monialibus à ſummis Pontificibus & ab Eccleſia, omni procul dubio potuit imponi. 4. cum ſeq.
Clauſura Monialibus non potuiſſe indici, hoc tempore aſſirmare, aut dicere erit erroneum. 7
Clauſuræ decretum, omnes in vniuerſum Moniales comprehendit, quæ ſunt in Eccleſia. 8. cum ſeq.
Clauſura qualiter ſit ſeruanda, à Monialibus cunctis. ibidem.
Clauſuram, illæ ſolæ mulieres ſiue Moniales, ſeruare tenentur, quæ fuerint ſolemniter profeſſæ, tacite vel expreſſe. 9. & 10.

Clau

Clauſura quanto cum rigore ſeruari præcipiatur, à ſummis Pontificibus. 11
Clauſuræ nomine, quid veniat intelligendũ, proprie & in rigore loquendo? 22.
Clauſuram Monialium intrare prohibentur, omnes vtriuſque ſexus viri ac mulieres. 23.

E

Electio Abbatiſſarum & Prioriſſarum, cuinam conueniat de iure communi? 84.
Electio Abbatiſſarum & Prioriſſarum, an eſſe debeat Canonica, & in hac electione, quænam Moniales habeant vocem actiuam & paſsiuam? 85.
in Electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum, quænam ſint obſeruanda, vt ſit Canonica? 86.
Electio Abbatiſſarum & Prioriſſarum, qualiter ſit pronuncianda & publicanda? 87.
in Electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum, an ſufficiat Monialem aliquam habere maiorem ſuffragiorum numerum, an vero neceſſario requiratur, quod electio fiat á duabus partibus? ibi.
in Electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum falſo augere vel minuere, ſuffragiorum numerum, aut ſuffragia vnius alteri præſtare, quam graue ſit peccatum? 88.
in Electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum, an eligi poſſit aliqua Monialis, quæ non fuerit Virgo, ſeu quæ fuerit aliqua ratione corrupta? 89.
in Electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum, an electa ſit ſtatim confirmanda, non obſtante quacũque contradictione alterius partis? 96.

I

Iuriſdictio Prælatorum Regularium, Ordinis Minorum, in ſuas Moniales, an ſit ordinaria, an vero ſubdelegata? 74. & 75.

L

Leges Conciliales ſeu in Concilijs factæ, non indigent peculiari receptione, ſeu approbatione, ad hoc vt omnes obligent. 12. & 13
Leges humanæ ad hoc vt obligent, neceſſario requiritur quod recipiantur, & moribus vtentiũ comprobentur. ibid.
Leges Eccleſiaſticæ, in quo differant à legibus ſecularibus? ibid.
Leges pœnales non ſunt ampliandæ; ſed reſtringendæ, nec extendendæ ad aliũ caſum etiam ſimilem, & in quo eadem ſit aut maior ratio. 35

M

Moniales & Monachorum Monaſteria, aliqua olim erant coniuncta, dicebanturque Monaſteria Dupla. 1.
Moniales S. Claræ, primæ fuerunt in Eccleſia, quæ clauſuræ initium dederunt. 2.
Moniales S. Claræ ſtrictiorẽ tenentur ſeruare clauſuram, quam aliæ. 25.
Moniales S. Claræ, ad clauſuram ſeruandam tenentur, non ſolum ex Eccleſiaſtico præcepto, & Summorum Pontificum conſtitutionibus, verum etiam ex ſpeciali vi, & voto ſuæ Regulæ. 4
Moniales non conſtringuntur ab Eccleſia, clauſuram promittere, ſed illam ſeruare. 12.
Monialium profeſſiones, factæ cum aliquibus conditionibus, qualiter obligent, aut non obligent? 13. cum ſeq.
Moniales nolentes clauſuram ſeruare, non poſſunt aliquas alias in ſuis Monaſterijs recipere: imo vero neque communiter viuere. 19
Moniales quæ dicuntur Conuerſæ, ſiue Seruitiales, ſi recipiantur, ad clauſuram ſeruandam tenentur, ſicuti & cæteræ aliæ. ibi. cum ſe.
Moniales quarum Monaſteria indigent, bene poſſunt pro eleemoſynis colligendis, aliquas Conuerſas recipere, quæ maneãt extra Monaſterium, hac lege vt clauſuram non ingrediantur. ibidem.
Monialium clauſuram intrare, prohibitum eſt omnibus vtriuſque ſexus, viris ac mulieribus. 22.
Monialium receptacula, quæ interdum habentur in aliquibus Monaſterijs, iuxta Regularem portam, intrare an liceat? 23.
Monialium Monaſteria intrandi, cuinam competat licentiam præſtare? 24. cum ſeq.
Monialium Monaſteria intrandi, licentia an eſſe debeat neceſſario in ſcriptis? ibidem.
Monialium Monaſteria ad intrandum, quænam cauſa ſit neceſſario requiſita & ſufficiat? 26. cum ſequent.
Moniales de licentia ſuorum Superiorum, habere an poſſint ſeculares ancillas, quæ infirmis in ſeruiant ſeu exerceantur in coquina, & alijs in ſimis domus miniſterijs? 28. cum ſeq.
Moniales Tertiariæ & ſimiles, an habere poſſint puellas & ſeculares nobiles, ibidem enutriendas? 30. cum ſeq.
Moniales S. Claræ & Conceptionis, recipere an poſſint aliquam generoſam fœminam, de licentia ſuorum Superiorum, intra clauſuram ſui Monaſterij? 32.
Monialium Monaſteria ingredientes, ſine iuſta & legitima cauſa, ac debita licentia, in quam pœnam incidant? 34. cum ſeq.
Monialium Monaſteria, intrare non poſſunt Matres, etiam ad inuiſendas ſuas filias, iam morti proximas. 33.
Moniales introducentes aliquem in ſua Monaſteria occultè, in quam pœnam incidant? 35
Monialium clauſuram ingrediendi, iam omnes fere licentiæ ſunt reuocatæ. 36. & 37.
Monialium clauſuram intrantes, prætextu aliquarum licentiarum iam reuocatarum, in quam pœnam incidant? 38. & 39.
Monialium clauſuram olim, S. R. E. Cardinales intrare poterant: ſed iam non. 40.
Monialium clauſuram intrare, in quibus caſibus poſſint Epiſcopi, & ipſarum Superiores atque Prælati? ibid. cum ſeq.
Monialium clauſuram intrare, ſtricte prohibentur, etiam Epiſcopi & Superiores & Prælati, niſi in caſibus vrgentibus, & multum neceſſarijs. ibidem.

Monia-

Monialium clauſuram Ordinis S. Claræ & aliarũ ſibi ſubditarum, in quibus caſibus, intrare poſſunt Miniſtri Generales & Prouinciales, ex vi Regularum ipſarum? 43. cum ſeq.
Monialium clauſuram intrare, an poſſint Minores Fratres, rogati ab Epiſcopis & Prælatis, in Monaſterijs ſibi ſubditis? 45.
Monialium S. Claræ clauſuram intrare, in quibus caſibus ſit licitum de iure ordinario, ex vi Regularum ipſarum? 46. cum ſeq.
Monialium clauſuram intrare, an poſſint Vicarij & Confeſſores ipſarum, ad celebrandum in infirmaria, ad hoc vt aliqua Monialis infirma Euchariſtiam recipiat, quamuis non ſit per modum viatici? 50.
Monialium clauſuram intrare, an poſſint prædicti Confeſſores & Vicarij, pro renouatione ſacramenti Euchariſtiæ, exiſtentis in choro interiori? 51.
Monialium clauſuram intrantes, in caſibus permiſſis, & cum debita licentia, an teneantur ſtatim exire finito negotio, & peccent mortaliter detinẽdo ſe ibidem aliquantulum, ob aliquam rationabilem cauſam? 52.
Monialibus omnibus ſtrictè prohibitum eſt è ſuis Monaſterijs exire, niſi in tribus tantum caſibus. 53.
Moniales S. Claræ, exire an poſſint è ſuorum Monaſteriorum clauſura, in aliquibus caſibus, in ſua Regula expreſsis atque determinatis? 54 cum ſequent.
Moniales an poſſint exire è ſuis Monaſterijs, in alijs caſibus ſimilibus his, qui à Pio V. in ſua Bulla fuerunt expreſsi & determinati? 57. cum ſequent.
Moniales vt è ſuis Monaſterijs poſſint exire, in caſibus expreſsis & determinatis, cuiuſnam Superioris habere debeant licentiam, & an eſſe debeat in ſcriptis? 62. cum ſeq.
Moniales in quas pœnas incidant, exeundo ſuorũ Monaſteriorum clauſuram, extra caſus prædictos & determinatos, & ſimiliter Superiores & Prælati licentiam, eiſdem dantes? 64.
Monialium Monaſteria accedere & frequentare, omnibus in vniuerſum prohibitum eſt, iure cõmuni ſecularibus & Eccleſiaſticis, ſed maximè Religioſis, ibid. cum ſeq.
Monialium Monaſteria accedere, an prohibeantur Fratres Minores, ex ſpeciali præcepto ſuæ Regulæ? 65. cum ſeq.
Monialium S. Claræ Monaſteria, accedere vt poſſit Frater Ordinis Minorum, à quo debeat licentiam obtinere? 68. cum ſeq.
Monialium Monaſteria accedendi, Prælatus qui licentiam poteſt alijs præſtare, iure ipſo an poſſit in id ſibi ex cauſa diſpenſare? 70. cum ſe.
Monialibus an iure communi prohibitum ſit, literas mittere? 71.
Moniales S. Claræ & Conceptionis, & Sanctæ Eliſabeth, ex vi ſuarum Regularum, cuinam eſſe debeant ſubditæ atque ſubiectæ? 72. cum ſequent. latiſsimè.
Moniales Tertiariæ, quæ non ſunt ſub obedientia Fratrum Minorum, an potiantur eorum priuilegijs? 19.
Moniales S. Claræ & aliæ Fratribus Minoribus ſubiectæ, ſeruare an teneantur ſtatuta per eoſdem facta in ſuis Capitulis Generalibus & Prouincialibus? 76.
Moniales deſcendentes ex maculato genere, eſſe an poſſint Abbatiſſæ aut Prioriſſæ? 77.
Moniales illegitimæ, eſſe an poſsint Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ? 78. & 79.
Moniales quam habere debent ætatem, & profeſſionis tempus, ad hoc vt eligantur in Abbatiſſas & Prioriſſas. 80.
Moniales quæ non fuerint tacitè vel expreſſè ſolemniter profeſſæ, non eligi poſſunt in Abbatiſſas & Prioriſſas. ibid.
Monialium Velum quotuplex ſit, & à quo debeat imponi, de iure communi loquendo. 91. & 92.
Moniales S. Claræ primæ & ſecundæ Regulæ, ex præcepto non tenentur, niſi tantùm ad quatuor principalia vota, & ad electionem & depoſitionem Abbatiſſæ. 115. & 116.
Moniales omnes tenentur ſub peccato mortali, ad ſoluendum diuinum officium, ſaltem in choro, & in communi. 116.
Moniales omnes, iuxta probabiliorem opinionem, tenentur ſub mortali ad ſoluendum diuinum officium, non ſolum in communi, verum etiam in particulari. ibidem.
Moniales S. Claræ tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, ex vi ipſarum, tenentur ſingulis menſibus confiteri, ſeptemque vicibus in anno communicare. 117.
Moniales S. Claræ plura habent priuilegia, & conceſsiones, quibus plenariè poſsint abſolui. 118. & 119.
Moniales an recipere poſsint, omnes quæ fieri volunt Nouitiæ, nullo habito reſpectu ad ipſarum numerum. 102.
Moniales an committant ſimoniam, recipientes dotẽ ſiue pretium, pro Nouitiarum receptione, & maximè quando Monaſterium eſt locuples. 103. cum ſequent.
Monialium dotes taxare & determinare, quando recipiuntur, quibuſnam competat Prælatis? 106. & 107.
Monialibus non videtur omnino illicitum, dotẽ alicuius Nouitiæ recipere, ante profeſsionem, ſufficienti præſtita cautione, & cum alijs circũſtantijs. ibid. & 108.
Moniales, an poſsint aliquam pecuniæ quantitatem recipere, interim quod dos Monaſterio promiſſa, pro Nouitia aliqua profitente, non ſoluatur? ibi. & 109.
Moniales profeſſæ, an habere poſsint in particulari aliquid proprium, ſeu aliquos redditus annuos, pro ſuis particularibus neceſsitatibus? 109. & 110.
Monialibus, an liceat habere peculium, vt expendant illud, in quos voluerint vſus? 111.
Monialibus omnibus S. Claræ, tam primæ quã ſecundæ Regulæ, an liceat habere proprium, bonaque immobilia, cenſus & redditus annuos in communi. 112. cum ſeq.

Noui-

N

Nouitiæ in Monaſterijs Monialium, recipi non poſſunt, abſque Prælatorum licentia. 98.

Nouitiæ minores 12. annis, recipi poſſunt in Monaſterijs Monialium, ad habitum Regularem. ibid. & 99.

Nouitiæ Monialium, quonam tempore ad profeſſionem ſint recipiendæ? 99. & 100.

Nouitiarum voluntas ante profeſſionem, quotupliciter ſit exploranda? 100.

Nouitias ad profitendum cogentes & conſtringétes, in quas pœnas incidant? 101.

Nouitiarum recipiendarum dotes, à quibuſnam Prælatis & Superioribus debent taxari & diffiniri? 106. & 107.

Nouitiæ alicuius dotem, etiam durante Nouitiatu ſiue probatione commodatam recipere, an ſit omnino illicitum, ſufficienti præſtita cautione? ibi. & 108.

O

OBedientia ſubditorum, reſpectu ſuorum Prælatorum, quouſque ſe extendat? 4. cum ſe.

P

PRælati diſpenſare poſſunt, in votis Monialium ſibi ſubditarum, illaque ipſis irritare. 119.

Prælati & Superiores Monialium, ſine ipſarum conſenſu, aut ſaltem Diſcretarum Conuentus, dotium taxationem pro recipiendis Nouitijs non debent facere. 106.

R

REgula prima S. Claræ, iuxta expoſitionem ſiue declarationem P. F. Guillelmi de Caſal, centum & tria continebat præcepta, ad peccatum obligantia, ſed iam hæc omnia per Eugenium IIII. ſunt ſublata. 115.

V

VOtum quidnam ſit & quotuplex? 13.

Votum ſolemne, in quo differat à voto ſimplici? ibid.

Votis quænam conditiones interdum ſoleant apponi, & qualiter ſint exponendæ & explicandæ? 14.

Votum ſolemne, emiſſum cum conditione appoſita, non contraria ſubſtantiæ Regulæ, valet & tenet. 15

Votum emiſſum, cum conditione contraria eſſentiæ Regulæ, validum eſt & reijcienda eſt conditio, ſecundum aliquorum opinionem. ibid.

Votum prædictum, cum conditione appoſita contraria eſſentiæ Regulæ, non eſt validum, ſecundum aliorum opinionem & veriorem. 16.

Votum emiſſum à Monialibus, cum conditione appoſita, vt nullo vnquam tempore obligentur ad ſeruandam clauſuram, validum eſt & reijcienda eſt conditio. 17. cum ſeq.

Virginitas, quædam eſt mentis, alia vero mentis & corporis. 92. & 93.

Finis Indicis Tractatus Monialium.

Regeſtum.

a b c d e f g h.

Omnes ſunt quaterniones,

SALMANTICAE,
APVD VIDVAM FRAN-
CISCI DE CEA TESA,
Anno Domini 1614.